Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

En damus tibi christianissime lector, Commentaria Bibliorum et illa brevia quidem ac catholica, eruditissimi simul ac pijssimi uiri Chuonradi Pellicani Rubeaquensis, qui & Vulgatam commentarijs inseruit aeditionem, sed ad Hebraicam lectionem accurate emendatam. Habes autem in hoc opere quicquid syncerae theologiae est. Ideoque si sapis ex ipso potius Sacrorum fonte, quàm riuulis Religionem ueram imbibe.

https://hdl.handle.net/1874/399572

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**


108
Pl. F N°.9



25.
d.



Biblia et interpretes
Folio n°. 138.

co ẽet gñe t rep̃ente. p rep̃ẽte q̃ mẽdic molestiã
am ꝓuale cũ aplis ee dnac ꝑu t mtp̃ mũdi
qplos uou ꝓcale dissoluu

Si supp uxorato semon. singulꝰ
supuenit non bonũ.

Hoc vlr malũ est q̃ sic hñt̃ ẽgñs sũ uoĩ ꝑ
testm

Si fr
cula

Placuit uobis tumt q no op̃ re. q co. ut si
ud nõ a co. ste qualiꝫ sũt p mlt̃ aquã ca-
capita mfusa qlo fit. sr u epiꝺ de quo hstoie
uocato hꝰ q mltũ aq̃ ca. capita mfudiss. afe. li
bãt ꝰ t febre u. de calore qlc ul fr̃e aeris. aq̃
ca. capita mfusa vi. pdẽ t q̃ de calore ul pore
opiloe est ul de du t qttẽe ul ex alia re pdt
opilatõe de aq̃ u. ca. medmꝰ ut p eã ca. ste exa
cer t dissoluã si ũ aplis q ste. ste nõ mutat ut sq
hñdi pcredie ste. d p̃ hm. uocat̃ pu cred
ub̃ p te egdiaꝫ. q̃ ue nũt ad aue q̃ hãt pas
uocare plet̃ ꝓpũaq̃ ep̃ct̃ sp̃ eue ct̃ t q̃hꝫ
se. pcut̃ ee accũlãt ũ ꝑale q q̃ dicũt aliq̃ fell
ac cãt hñe se. ut ap̃a u aq̃ ũlo medũt hñ re
aliq̃ ue ep̃ct̃. si mel de pcedie hũoe mt̃ nasi
est ad se. q̃ di. epala mq̃ frig t calor nõ u eod
ten cũt loco lippitudo se. cop̃ mel calfiũt t ex
fr̃isũt fac̃ cũ. ut hñ hũoe. Synodus a nobi
uocat uocabꝫ pestilẽcia l. causꝰ d. t p mcessio.
sullꝰ aũt antiq̃ fuit q̃ se. ꝓpũct ul epanct di
ẽt. p. nõ medic se. q̃ ipse est pas t fili aplis ut
uẽt ut ulet ubꝫ unde aque fluãt ac si dicat. se
nõ a co. hũi. si de capite ulẽt aq̃ effluẽt se
dissoluã hu. u nõ solũ uelligũt a dlo capite fluẽ
tẽ effluãt si q̃ de toto cor hu p pũct̃ ubi ẽet
cop̃ uel ecce. Ego a dico q si q̃ hu ẽet se. a
co. fluẽt ipse nõ mutat. si uidem ulẽt se. q̃bꝫ
co. dna. si ꝑua. t causꝰ dissoluã q̃ fluẽtubꝫ ꝓpr
mtẽ ulẽ
uel

Mulier ambidex nõ fit

Mulier mascli q̃ ambabꝫ mãibꝫ aeq̃ dexꝰ o
pauca. si nõ tpe mulieris nõ audiuimꝰ ne
vidimꝰ ille q̃d facẽ q ex sue dextẽe t uꝭ. mas
ille. q̃ ex sinistre nũs t lacꝰ hu mlibꝫ ne
fr̃e dex t quata q̃to magꝭ ꝭ t sinistꝰ p̃ scla
vis mlibꝫ dexꝰ assiũt mẽdi. q̃ pl̃ aer p
ebꝫ q̃ p̃ter eu. Quhac n. gẽte. nũ debiles q̃ te
alu loco ambaũ teret̃ deter nõ hñt mẽdũt
cere. p. mẽdisse u dex mlua nõ seq dur
bꝫ mlier ab. p. discrepanter. dũt eũ mẽdi
hmõi dicꝰ q̃ de ill̃ua hñt mlieba sq̃ m
hmõi dicer nõ sua hñt vnha.

Quꝫ empia vitãtur aut mun
a fames quã pura fluxit t alba c
dũt. si nõ cruciẽtur t male olẽt pe

Per fame oĩa mẽdic vnha t aplan coll
pua m tame mutẽtur. illa tñ mellic colle
q̃ ẽt mẽ pect̃ t plom. ꝺ ꝑ ep̃ia colleꝫ facẽ ꝑ
ad excred fame m dñi. t fame albã lauãe cũ
olent t cruolent ẽt pessima.

Quꝫ in epe ꝑ fame vitãtur si
fames pura fluxit t alba cuad
in cunea u. illic fames est. si nõ
cunea fluxit pẽit

Quadrit si a fames in cunea ste epis t ꝑ
pua t sñ nacla ste cuadit. q̃ si alba epis cor
fuit occid. t peat de pestilate fames q̃ uelut
cum die ꝑgrã dedit pẽdi si u alba ste epis.

Oculos tolores meos pdet t lanc
nubꝫ ca. t flora solut.

Hoc nõ assila. tẽt. si apponit aliq̃ ad
p. nõ est q̃stio amst dissolu. ꝺ di
ter oculos meos. pdet aut lanacã aut pue
flora aut pat̃ soluit q̃ nos in vi. phãm
um passi. ter sanitat medicãt q̃ si
alcun nõ apponẽdi dñi q̃ si quit eu ẽt p.
q̃ant in oculos passubꝫ q̃ si in cunit aq̃
eu fuisse p. si sic ypo mẽ ꝓtati sunt in si
scripturis ponit. q̃ mẽ ꝓtacõ cor recte
nõ alit pudem. q̃d in nus dicat exponꝫ
tati vicinal. nisi q in cor q̃ nugnus mal̃ gñ
sit q̃ nec̃e sit purgare. bon̄ t q̃ dic. ut pñ
in pñ dissolu. t p̃ flora munit. nõ a
dissolut nisi vñ pue. t bal. q̃ in. a. sed
expti sũt si exĉta tant in medeantubꝫ

N.º 37. n.

N. 25. A.

TOMVS QVINTVS

IN QVO CONTINENTVR OMNES LIBRI VETERIS INSTRVMENTI QVI SVNT EXTRA CANONEM Hebraicum, perperam Apocryphi, rectius autem ECCLESIASTICI appellati, puta Tobiæ, Iudith, Baruch, Sapiẽtiæ, Eccleſiaſtici, libri ſinguli, Ezræ duo, Machabæorum duo, cum fragmentis Danielis & Eſther, Commentarijs Chuonradi Pellicani, miniſtri eccleſiæ Tigurinæ, expoſiti.

Ex dono Bücheli



CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS
EXCVDEBAT TIGVRI MENSE MARTIO.
ANNO M. D. XXXVIII.

ACADEMIA RHENO TRAIECTINA



CHRISTIANIS ET CANDIDIS LECTORIBVS, CHVONRADVS PELLICANVS RVBEAQVENSIS, sapere Christum & uiuere.

QVum sacrosancti Canonis uigintiquatuor libros, secundũ dei gratiam, simplicioribus simpliciter exposuisse & ædidisse, grauiq; onere me defunctum gauderem in domino, fructum pietatis inde proditurum sperans in gloriam dei & ædificationem ecclesiæ, non defuerunt uiri boni, amiciq; fideles, zelatores quoq; ecclesiastici profectus indefessi, qui urgerent amplius ad residuorum librorum explicationem non ŏbmittendam. Quibus ut iudicio ualentibus & fidelibus Christi seruis, facile acquieui, consolatus non parum huiusmodi eorum uoto, arbitratus plura non fuisse exacturos, si iam ædita minime placuissent: maxime cum hi libri sic semper ecclesiastici ac biblici habiti sint, ut in ecclesia catholica ab apostolorum temporibus fuerint cum multa reuerentia lecti, licet nõ ut Canonici in authoritatem prolati contra Iudæos, qui hos in sacro suo canone non susceperant, cum tamen non solum legis ac prophetarum scriptis in nullo contradicerent, sed & fidei mysteriorumq; Christi dogmatibus plurimum astipularentur. Præterea referti sunt utilissimis tam exemplis quàm doctrinis, maximaq; ex parte germanum sancti spiritus stilum referunt haud obscure. Interspersis tamen quibusdam nodis, qui longe resolubiliores inueniuntur quàm nonnulli credederint. Habet Tobiæ libellus exemplum elegans totius politicæ & Christianæ uitæ, cum dogmatibus saluberrimis fidei & morum. Similiter & Iudith historia, pro ut satis ex singulorum prologis constat & processu. Baruch item unius dei cultum, contra Gentium uetera ac noua idola pulcherrime docet & inculcat. Simul & Danielis residua fragmenta. De libris Sapientiæ & Ecclesiastici Iesu filij Syrach non est quod dubitetur, quin cum reliquis quoque omnibus maximo cum fructu ecclesijs atq; scholis proponi possint ac debeant. Et ad nostra tempora sic quadrat Machabæorum primus liber sacerrimus, ut oculis conspicienda proponat antichristianorum omnium improbitates, & fideliũ certamina cum triumphis. De duobus libris posterioribus Esdræ diximus suis locis, & æstimamus non solum catholicos sed & utilissimos dignosq; qui à pijs lectoribus minume negligantur. Vnde & à sanctis uenerati sunt semper & lecti. Quin & ab apostolis quoq; allegatæ inuenuntur eorum sententiæ, si diligenter inspiciantur. Quanquam authoritate minore semper sint habiti cum reliquis huius Tomi libris, quàm ut ad solida dogmata probanda producti sint. Pro omnibus autem his studijs meis & scriptis religiose Lector, aliud non postulo mercedis uel gratiæ, quàm ut condones mihi præsumptionis huius notam in tam ardua causa, quam domino iudicandam oro committas, si aliud unquam spectaui quàm ministrorum ecclesiæ, & eorum tantum qui his indigent, commodum ac solatium in his libris legendis & prædicandis in ecclesia: qui quæ hactenus discere pro temporũ ratione non potuerunt, nunc ecclesijs prædicare coguntur, & domi legere, quæ non ab omnibus absq; præceptore intelliguntur. Voluissem dudum, & non parum laboraueram scriptis & uerbis, hæc nostra sæcula clare præuidens, ut studium hoc explanandi Vetus instrumentum, à doctissimis quibusdam pijssimisq; uiris tempestiue arriperetur, qui id insigniter præstare potuissent: sed obstitit satan, obijciens decertandi necessitatem cum impijs sanæ doctrinæ hostibus, quos exagitabat, quo minus potuerint quæ uoluissent, scribere in Vetus, id quod eximie præstitit suis paraphrasibus & annotationibus in Nouum, doctissimus & de tota ecclesia optime meritus Erasmus Roterodamus, sicut & aliorum multi, ut sine omni impedimento hodie Nouum testamentum & intelligi possit, & maximo cum fructu in ecclesijs doceri. Quo in studio laudatissimo multi subinde uersantur, maximo pie studiosorum commodo, quales & in Veteri quoq; subsequentur multi, quando sacer ille bibliorum canon, fons est indeficiens, & inexhauribilis, nec unquam mysteriorum fidei & morum prouentibus destituetur, quin semper plura posteriores cernent quæ prioribus reuelata non sunt. Vtinam sic quoq; certatim factores legis & euangelij subsequantur, qui exemplis inculcent, quæ scripturis asseuerando docent. Cum uero dei auxilio ductuq;, operi finito cogitarem de præmittenda exhortatione aliqua ad Lectores pios, de sapientia uera sectanda, & exhibenda uerbis & factis, commode in manus uenit, non sine auspicio diuini fauoris, libellus nobilis exactissime descriptus ab eruditissimo pijssimoq; Ludouico Viue Valentino, quem Introductionem dici uoluit ad ueram Sapientiam, cui merito cesserint omnium philosophorum ethnicorum de sapientia libri quantumlibet plausibiliter celebrati. Cuius uiri optimi omnes lucubrationes quas uidi, sic arrident probanturq;, ut cupiam legi ab omnibus. Vtinam sacrarum literarum tractatio talem aliquando uirum inueniat, qui sic simplicioribus prosit, ut eruditissimis quoq; hominibus placere uehementer possit, stiloq; neutiquam contemni: qui eruditionis absolutissimæ iunxisse uideatur Christianissimam pietatem. Hanc igitur methodum Christianæ Sapientiæ cum toto pectore cupiam legi ab omnibus, quam & non alio spiritu conscriptam constat quam sancto planeq; diuino, commodum putaui, hoc loco præfigi diuinæ sapientiæ sacris libris, ut prosit studiosis omnibus tanquam regula uiuendi, discendi & docendi uerbi ministris. Alicubi quidem iuxta receptum in ecclesia morem admonet de abigendis satanæ incursionibus per consignationem crucis, & aqua benedicta, cui tamen statim subiungit catholicum intellectum, ne quis istis rebus fidat, & huiusmodi ceremonijs plus quàm oportet, quando in fide salutiferæ passionis, & iugi memoria fœderis cũ deo initi in baptismo, aduersarius superetur. Qui ut est in plena potestate dei omnipotentis, fidelibus & electis obesse non potest, multo minus dominari. Cui Diuus Petrus resistendum fortiter docet rugienti leoni in fide, scilicet meritorum & gratiæ Christi. Sic autem habet sancti illius uiri utilis & Christiana eruditio & præceptio multa fruge studiosis legenda: qua fruere pie Lector, & bonus consule institutum nostrum, domino gratias agens, à quo omne bonum, cui soli omnis honor & gloria, per omnia sæcula.

Iudicium rectum.

1 VEra sapientia est, de rebus incorrupte iudicare, ut talem unamquanq; existimemus, qualis ipsa est: ne uilia sectemur, tanquam precioſa: aut precioſa tanquam uilia reiiciamus: ne uituperemus laudanda, neue laudemus uituperium merita.

2 Hinc enim error omnis in hominũ mentibus, ac uitium oritur: nihilq; est in humana uita exitiabilius, quàm deprauatio illa iudiciorum, quum ſingulis rebus non ſuum precium redditur.

Error uulgi.

3 Quocirca perniciosæ ſunt perſuaſiones uulgi quæ ſtultiſſime de rebus iudicant.

4 Videlicet magnus erroris magiſter est populus.

5 Nec aliud magis laborandum est, quàm ut Sapientiæ ſtudioſum à populari ſenſu abducamus, & uindicemus.

6 Primũ omnium ſuſpecta illi ſint, quæcunq; multitudo magno conſenſu approbat, niſi ad illorum normam reuocarit, qui ſingula uirtute metiuntur.

Ratio uitæ.

7 Aſſueſcat unuſquiſq; iam tum à puero, ueras habere de rebus opiniones, quæ ſimul cum ætate adoleſcent.

8 Et ea cupiat, quæ recta ſint: fugiat quæ praua: aſuefactio hæc bene agere uertet ei prope in naturã, ut nõ poſſit, niſi coactus & reluctans, ad male agendum pertrahi.

9 Deligenda est optima uitæ ratio, hanc conſuetudo iucundiſſimam reddet.

10 Tota reliqua uita ex hac puerili educatione pendet.

Noſſe ſeipſum.

11 Ergo in curriculo Sapiẽtiæ, primus gradus est ille ueteribus celebratiſſimus, ſeipſum noſſe.

¶ *Diuiſio rerum humanarum.*

Homo animal intellectuale.

12 Homo ex corpore conſtat & animo. Corpus habemus ex terra, & his elementis quę cernimus ac tangimus, corporibus beſtiarum ſimile.

13 Animum diuinitus datum, angelis & deo ſimilem, unde cenſetur homo, & qui ſolus merito eſſet homo appellandus, ut maximis uiris placuit.

14 In corpore ſunt forma, ſanitas, firmitas, integritas, robur, celeritas, delectatio: & his aduerſa, deformitas, morbus, mutilatio, imbecillitas, tarditas, dolor, & alia corporis, ſeu commoda, ſeu incommoda.

15 In animo eruditio, & uirtus: & contraria ruditas, & uitium.

16 Extra hominem ſunt diuitiæ, potentia, nobilitas, honores, dignitas, gloria, gratia: & cõtraria his, paupertas, inopia, ignobilitas, uilitas, dedecus, obſcuritas, odiũ.

¶ *Rerum naturæ ac precia.*

Virtus pietas.

17 Regina & princeps rerum omniũ præſtantiſſima est Virtus, cui reliqua omnia ſi ſuo uelit officio defungi, ancillari oportet.

18 Virtutem uoco pietatem in deum & homines: cultum dei et amorem in homines, qui coniunctus est cum uoluntate beneſaciendi.

19 Reliqua ſi quis ad uirtutẽ hanc referat, haudquaquam mala uidebuntur.

20 Nec qui primum hæc nuncupauere bona, ſic de illis cenſuerunt, ut nunc hominum uulgus, quod ueros illos ac naturales ſignificatus corrupit, unde & rerũ æſtimationes mutatæ atq; inuerſæ ſunt.

21 Sic enim ſunt intelligenda hæc, quatenus bona iudicant. Diuitiæ ſunt, nõ gemmæ, aut metalla, nõ magnifica ædificia uel ſupellex inſtructa, ſed non iis carere, quæ ſunt ad tuendam uitam neceſſaria.

22 Gloria, bene audire de præſtãti uirtute.

23 Honor, ueneratio ob magni precij uirtutem.

24 Gratia, fauor propter amabilem uirtutẽ.

25 Dignitas, est uel recta hominũ opinio de bene merita uirtute: uel decor quidam ex interiore uirtute foras prominens.

26 Potentia & regnũ, habere multos, quibus probe ac recte conſulas.

27 Nobilitas, excellentia actuum eſſe cognitum: uel à bonis prognatum, ſimilem parentum ſe præbere.

28 Generoſus est, ad uirtutẽ à natura optime compoſitus.

29 Sanitas, talis habitudo corporis, ut ualeat mens.

30 Species, lineamenta corporis, quæ animum formoſum oſtendant.

31 Vires & robur, ut exercitijs uirtutis ſufficias, ne facile defatigeris.

32 Voluptas, delectatio, pura, ſolida, & diuturna, qualis capitur ex ijs ſolis, quę ad animum pertinent.

33 Si quis hæc aliter, nempe ut populo intelliguntur, diſcutiat, ac expendat, reperiet inepta, uana, noxia eſſe.

Externa

34 Primum externa omnia uel ad corpus referuntur, uel ad animum: ut diuitiæ ad tuendam uitam, honor ad iudiciũ uirtutis.

35 Corpus ipſum nihil aliud est, quàm tegumentũ uel mancipiũ animi, cui & natura, &

ra, & ratio; & Deus ipse iubent subiectum esse, ut brutum sentienti, mortale immortali, terrenum diuino.

36 Porrò in ipso animo eruditio in hoc paratur, ut cognitum uitium facilius fugiamus, cognitam uirtutem facilius persequamur teneamusq́, alioqui superuacanea est.

37 Vita. Quid aliud est uita, quàm peregrinatio quædam, tot undiq; casibus obiecta & petita? cui nulla hora nõ impendet finis, qui potest leuissimis de causis accidere?

38 Quare stultissimum est, cupiditate tam incertæ uitæ fœdum aliquid aut prauum admittere. Quasi uero compertũ habeas, te postquam id feceris, diu esse uicturum.

39 Et quemadmodũ in uia, sic in uita, quo quis expeditior, et paucioribus farcinis implicitus, hoc leuius & iucundius iter facit.

40 Tum natura humani corporis ita constitutum est, ut paucissimis egeat: ut si quis propius animaduertat, haud dubie insaniæ damnet eos, qui tam multa tam anxie congerunt, quum sit tam paucis opus.

41 Diuitiæ. Acute quisqs sic diuitias expressit, sunt breuis uiæ longum uiaticũ. Diuitiæ nanque & possessiones, & uestimenta in usum tantum parari debent, quem nõ adiuuant immensæ opes, sed opprimunt, ut nauem ingentia onera.

42 Nec aurum, si non utare, à cœno differt, nisi quod magis angit eius custodia, et efficit, ut dum illi uni studes, ea negligas, quæ maxime sunt homini curanda.

43 Est enim pecunia idolorũ seruitus, quũ ei reliqua posthabentur, magna illa, & natura prima, pietas ac sanctum.

44 Vt transeam, quot insidiæ diuitijs tenduntur, quot et quàm uarijs casibus pereunt, in quàm multa uitia detrudunt?

45 Culta uestimẽta quid aliud sunt, quàm instrumenta superbiæ?

46 Vtile indumentum excogitauit necessitas, precioſum luxus, elegans uanitas.

47 Suborta est in uestitu contentio, quæ multa docuit superuacanea, & damnosa, dum homines etiam ex eo quod infirmitatem nostram arguit, honorem captant.

48 Ita diuitiarum pars maxima, ædificia, supellex numerosa & lauta, gemmæ, aurũ, argentum, ornamentorum omne genus spectantium oculis, & comparantur, et exponuntur, non possidentium usibus.

49 Nobilitas. Iam nobilitas qd aliud est, quàm nascendi sors et opinio, à populi stultitia inducta? ut quæ sæpenumero latrocinijs quæritur.

50 Vera & solida nobilitas à uirtute nascitur, & dementia est gloriari te parentem habuisse bonum, quum sis ipse malus, ac turpitudine tua dedecus ac labem adferas pulchritudini generis.

51 Sed certe omnes ex eisdem constamus elementis, & idem omniũ pater deus. Natales cuiusquam cõtemnere, hoc est deum nascendi authorem tacite reprehendere.

52 Potentia quid est aliud quàm speciosa molestia? In qua si quis sciret, quæ solicitudines, quæ anxietates insint, quantum malorum mare, & quàm uastũ, nemo est tam ambitiosus, qui nõ eam fugeret ut grauem miseriam, et quemadmodum, rex ille dixit, nollet diadema iacens humi tollere. Potentia.

53 Quantũ est odium, si regas malos, quanto maius si malus ipse?

54 Honor si ex uirtute non oritur, prauus & peruersus est, nec uere oblectare potest, quum reclamet conscientia: sin ex uirtute, hoc præstat uirtus, ut is negligatur: aliter uera non erit uirtus, si quid honoris facit gratia: sequi enim debet honor nõ expeti. Honor.

55 Dignitates, qs potest sic appellare, quũ indignissimis quoque hominibus contingant? nempe astu, fraude, ambitu, precio, pessimis artibus quæsitæ.

56 Scilicet quũ ab illa mandent multicipiti bestia, quæ nihil agit ratione ac iudicio.

57 Et gloria, est ne aliud, quàm ut ille dixit, aurium uana inflatio? Gloria.

58 Ex qua, ut honore & dignitate nihil omnino ad eũ pertingit, de quo sunt: & incertæ, uagæ, iniquæ, momẽtaneæ sunt, similes parentis suæ multitudinis, quæ eodem die eundem hominẽ & cõmendat atq; euehit summe, & uituperat ac deprimit extremè.

59 Ergo usu uidemus uenire, ut maxime sequentem honor celerrime fugiat: ad illum cõferat se, qui contemnebat: hoc quoque est ingenium uulgi.

60 Quid dicam nasci hæc ex rebus partim deridendis, partim stultis, partim sceleratis, sicut ludo pilæ, profusione patrimonij in commessationes, scurras, mimos: bello potissimum, hoc est, impunito latrocinio: quo magis uulgi dementiam agnoscas.

61 Secedat in se unusquisque, ac solus hisce de rebus cogitet, inueniet quàm parum ad se attingat ex fama, rumoribus, ueneratione, honore populi, de quibus gloriatur.

62 Quid in somno, quid in solitudine inter summũ regem interest, & infimũ seruum?

63 Deniq; sic unusquisq; sentiat, nobilitatem, honores, potentiã, dignitates ex prisca hominũ persuasione, quam Christus animis illorũ qui uere ipsius sunt, adimit, nata & relicta esse: et in Christianos homi-

nes inuecta tanquam lolium, quod hostis diabolus asperſit bonæ ſegeti dei.

64 In corpore ipſo quid eſt forma? nempe cuticula bene coloratat: ſi intraria cerni poſſent, quanta uel in corpore ſpecioſiſſimo cerneretur fœditas? nec eſt aliud pulcherrimum corpus quàm ſterquiliniũ candido & purpureo linteolo contectum. Forma.

65 Lineamenta et corporis decor qd iuuãt? ſi turpis ſit animus, & ſicut Græcus ille dixit: In hoſpitio pulchro hoſpes deformis.

66 Robur quorſum pertinet in hoïe, quum res maximæ & homine dignæ nõ uiribus neruorum gerantur, ſed ingenij? Robur.

67 Nec uires quantumcunq; augeantur, maiores erunt quàm tauri uel elephanti, ratione illos, ingenio, uirtute ſuperamus.

68 Tranſeo quod forma, uires, agilitas, & cæteræ corporis dotes, ut floſculi celeriter marceſcunt, & exiguis caſibus diffugiunt: uel una febricula ualidiſſimũ quandoq; hominem concutit, & ſummũ decorẽ aufert.

69 Et ut nihil accidat, certe neceſſe eſt illa omnia cum ætate, quæ nulla eſt diuturna, flacceſcere ac decidere.

70 Nemo ergo poteſt externa iure ſua dicere, quæ tam facile ad alios tranſeunt: nec corporea, quæ tam cito auolant.

71 Quid quod hæc quæ multi admirantur, magnorum uitiorum ſunt cauſſæ, uelut inſolentiæ, arrogantiæ, ſocordiæ, ferocitatis, liuoris, æmulationis, ſimultatum, rixarum, bellorum, cædis, ſtragis, cladis?

72 Delectatio corporis, ut corpus ipſum, uilis ac pecudina eſt, qua ſæpius & uehementius & diutius pecora quàm homines incitantur ac perfruuntur. Delectationes.

73 Ex hac quum morbi pleriq; ad corpus redundant, & ad rem familiarẽ permagna damna, tum ad animũ certa pœnitentia, & hebetudo ingenij, q̃d delicijs corporis extenuatur ac frangitur. Poſtremo impatientia ſuiipſius, & odium uirtutum omnium.

74 Nec aperte frui licet, nam ut dedecẽt generoſitatem noſtræ mentis, ita nemo tam perditus eſt, quin eas erubeſcat apud arbitros capere: pariũt enim ignominiam, idcirco tenebras & latebras quærunt.

75 Quid quod ſunt fugaciſſimæ & momentaneæ, nec retineri ulla ui poſſunt, nec unquam ueniunt puræ, & cuiuſcunq; amaritudinis expertes?

76 Ergo excluſis uulgi ſenſibus, maximum malum putato, non paupertatẽ, aut ignobilitatem, aut carcerem, aut nuditatẽ, ignominiam, deformitatem corporis, morbos, imbecillitatem: ſed uitia & his proxima, Mala.

inſcitiam, ſtuporem, dementiam.

77 Magnum bonum credito horũ contraria, uirtutem, & quæ huic ſunt finitima, peritiam, acumen ingenij, ſanitatem mentis. Bonum.

78 Reliqua uel externa uel corporis, ſi habes, proderunt tibi ad uirtutem relata, obeſt runt ad uitia: ſi non habes, caue ne quæras uel cũ minimo diſpendio uirtutis. Perinde hoc eſſet tanquam ſi multo auro paululum emeres luti, aut potius grauem morbum ſalute.

79 Nullus eſt quæſtus prolixior, quàm animo ſi adſit pietas: corpori uero ſi ſciat præſentibus qualibuſcunq; acquieſcere. Quæſtus.

80 Fama tametſi nihil agendũ eſt ut uidearis, conſeruanda tamen eſt integra, quod interdũ ea cura à multis nos turpibus cohibet, ſed præcipue in exemplũ cæterorũ. Fama.

81 Vnde præceptum illud ſapientũ & ſanctorum uirorum: Nec malum faciendum, nec eius ſimile.

82 Quod ſi hoc aſſequi nõ poſſumus, conſcientia debemus eſſe contenti: & quum tam deprauati erunt hominum ſenſus, ut quæ ſunt optima, putẽt eſſe ſceleratiſſima, tunc laborandum erit, ut interna & externa ſoli deo approbemus, idq; abunde nobis ſufficiat. Conſcientia.

83 Etiam mala quæ dicuntur corporis, uel fortunæ, licebit in bonũ uertere, ſi patienter ferast et tanto ſis ad uirtutẽ promptior, quo minus tibi in illis ſuccedit, ac proinde expeditior.

84 Sæpenumero ex damnis corporis, uel extẽrnorũ, magnæ ſunt acceſſiones factæ uirtutibus.

DE CORPORE.

1 ET quoniam in hac noſtra peregrinatione animum geſtamus in corpore incluſum, maximasq; opes in uaſis fictilibus, nõ omnino repudiandum nobis eſt & abijciendum corpus. Cap. II. Vt curandum corpus.

2 Sic curandum tamen, ut ſe non dominum, nõ ſocium eſſe ſentiat, ſed mancipiũ: nec ſibi paſci aut uiuere, ſed alteri.

3 Quo curatius eſt corpus, hoc animus neglectior.

4 Quo mollius habeẽt corpus, hoc acrius menti reluctatur: & ut equus delicate paſtus ſeſſorem excutit.

5 Grauis ſarcina corporis animum elidit, acumen ingenij ſagina corporis, aut indulgentia retunditur.

6 Cibi, ſomni, exercitationes, tota corporis curatio ad ſanitatẽ referenda eſt, nõ ad uoluptatem ac delicias, ut animo prompte

inſer-

inseruiat: nec ferocia cultus insoleſcat, neu uirium inopia decidat.

7 Nihil eſt quod æque & uigorem mentis debilitet, & robur ac neruos corporis infringat, ut uoluptas. Quippe uires omnes & corporis & mentis, opere ac labore uegetantur, otio & mollitie uoluptatis langueſcunt.

8 Mundicies corporis, & uictus citra delicias aut moroſitatem, ad ualetudinem & ingenium confert.

9 Ablues ſubinde manus & faciem frigida, detergesq; mundo linteolo.

10 Repurgabis crebro eas partes, quæ ſordibus & recrementis ad extima corporis meatus præbent.

11 Hæ ſunt, caput, aures, oculi, nares, manus, axillæ & pudenda.

12 Foueantur pedes mundi & calidi.

13 Arceatur frigus, quũ ab alijs partibus, tum uel maxime à ceruice.

Victus. 14 Ne ſtatim edas à quiete, nec ante prandium niſi tenuiter.

15 Ientaculũ enim ſedando ſtomacho aut refocillando datur corpori, non ſatietati.

16 Ideo tres aut quatuor panis bucceæ ſufficiunt ſine potione, aut certe exigua, atq; ea tenui: ſalutare hoc non minus ingenio quàm corpori.

17 In prandio & cœna aſſueſce non ueſci, niſi uno obſonij genere, eodẽ ſimpliciſſimo, & quantum per facultates licebit saluberrimo, quamuis multa menſæ inferantur: & ſi tua ſit menſa, noli admittere.

18 Varietas ciborum homini peſtilens, peſtilentior condimentorum.

19 Munda & pura parſimonia temperatis & caſtis animis congruens, conſeruatrix rei familiaris, & quæ ſola efficit, ne multis indigere nobis uideamur, nec ſuſcipiamus peſſima facinora quæſtus gratia, quo gulæ morem geramus irritatæ, uel luxu, uel lautitijs, uel delicatis nimiũ cibis & exquiſitis.

Eleemoſyna. 20 Tum præſtat, ut quæ adſunt non modo nobis ſufficiant, ſed ex eis liceat egentibus impartiri.

21 Oſtendit hoc dominus exemplo ſui, qui poſt exaturatam multitudinẽ reliquias perire panum & piſcium non eſt paſſus.

Superflua. 22 Natura neceſſaria docuit, quæ ſunt pauca & parabilia. Stultitia ſuperflua excogitauit, quæ ſunt infinita & difficilia.

23 Naturæ ſi des neceſſaria, delectatur, & roboratur tanquã propriȷs: ſin ſuperflua, debilitatur, & affligitur tanquam alienis.

24 Stultitiam neceſſaria nõ explent: ſuperflua obruunt, non ſatiant.

Potus. 25 Potus erit uel naturalis ille uniuerſis animantibus in cõmune à deo paratus, pura & liquida aqua, uel tenuiſſima ceruiſia, uel uinum bene dilutum.

26 Nihil eſt quod iuuenũ corporibus magis officiat, quàm calidus cibus aut potus, incendit enim & exurit eorũ uiſcera: hinc animi præferuidi atq; impudẽtes fiunt feroci quadam temeritate, inſani, & ad libidinem effrenes.

27 A cœna ne bibe, aut ſi id admonet ſitis, ſume humidum aliquid et frigidiuſculum, aut perpuſillum leuis potiunculæ.

28 Inter eam potionem & quietem, interpone, quum minimum horæ dimidium.

Luſus. 29 Leuaturus animũ, fac cogites quàm exiguum tempus datũ ſit uitæ hominũ, ex illo nõ oportere multũ deſcindi ad luſus, ad comeſationes, ad puerilitates, ad ineptias.

30 Breue ſpatium eſſe uitæ noſtræ, & ſi totum bonæ menti impenderetur.

31 Non eſſe nos à deo creatos ad luſum, ad nugas, ſed ad ſeria, ad moderationem, modeſtiam, temperantiam, religionem, omne genus uirtutis & laudis.

32 Morbos corporis, morbis animi ne curaueritis.

33 Exercitationes corporis non erunt immodicæ, cæterum aptandæ rationi ualetudinis, in quo ſequenda erũt medicinæ conſultorum conſilia.

34 Sic tamẽ ne quid habeant turpe, immodeſtum, obſcœnum, flagitioſum, etiam in remiſſionibus & refectionibus animi exiſtat aliqua recordatio uirtutis.

35 Abſit arrogantia, contentio, rixa, inuidia, cupiditas: qui enim conuenit cruciare animum, dum delectare ſtudes? non aliter quàm ſi fel infundas in id mel, quod cupis eſſe quàm dulciſſimum.

Somnus. 36 Somnus ſumendus eſt tanquã medicina quędã curando corpori tantũmodo, quantus ſufficit: immodicus enim reddit corpora redundantia noxijs humoribus, ſegnia, pigra, lenta, & celeritatem mentis tardat.

37 Nec eſt exiſtimandum uitæ id tempus, qd ſomno impendit: uita enim uigilia eſt.

DE ANIMO.

Cap. III. Mens. 1 IN animo duæ ſunt partes, illa quæ intelligit, meminit, ſapit, ratione, iudicio, ingenio utitur ac ualet: hæc pars ſuperior appellatur, & proprio nomine mens: qua homines ſumus, qua deo ſimiles, qua cæteris animantibus præſtamus.

Anima. 2 Eſt altera ex coniũctione corporis, rationis expers, bruta, fera, atrox, beſtiæ quàm

hominis similior: in qua sunt motus illi, qui siue affectus, siue perturbationes nominantur, Græce pathæ, arrogantia, inuidentia, maleuolentia, ira, metus, mœror, cupiditas, stulta gaudia, pars inferior atq; abiectior nuncupatur, qua nihil à beluis differimus, et quã longissime discedimus à deo, extra morbum et perturbationem omnem posito.

3 Ordo naturæ. Hic est naturæ ordo, ut sapientia regat oĩa, pareant hoĩ cætera quæ uidemus: in hoĩe uero corpus menti, mẽs deo. Si quid hunc ordinẽ egreditur, ac dissoluit, peccat.

4 Ergo peccatũ est in homine, perturbationes illas tumultuari, sæuire, ac trahere ad se ius et ditionem totius hominis, spreta & contempta mente: mentem etiã relicta dei lege affectionibus & corpori seruire.

5 De eruditione. Idcirco menti indita est uis intelligendi, ut singula expendat, sciatq; quid factu bonum sit, quid secus: & uis uolendi summa atq; efficacissima, ut imperio huius nihil sit in animo quod non pareat, si illa contendat, nec de iure decedat suo.

6 Ingenium. Ingenium multis artibus humanis diuinisq; excolitur & acuitur, instruiturq; magna et admirabili rerũ notitia, quo exactius singulorũ naturas & precia cognoscat, possitq; uoluntatem edocere, quid sequendum bonum, quid uitandũ malum.

7 Malæ artes Igitur fugiendæ artes illæ, quæ cũ uirtute pugnãt, quales sunt diuinatrices omnes, quæ à Græcis Manteiæ dicuntur, ut chiromantia, pyromantia, necromantia, hydromantia, etiam astrologia, quibus occultatur plurimum pestiferæ uanitatis, excogitatæ ab impostore nostro diabolo.

8 Tractantq; & profitentur id, quod sibi uni deus reseruauit, cognitionem futurarum rerum atq; abstrusarum.

9 Nec inquirendum in dei maiestatem, & arcana à cognitione nostra procul remota, à quibus deus hominem arcuit.

10 Qui scrutatur maiestatem, opprimetur à gloria.

11 Et Paulus iubet nos non plus sapere quàm oporteat, sed sapere moderate.

12 Et arcana illa quæ uidit, negat licere homini eloqui.

13 Hebræus quoq; cõcionator inquit: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.

14 Vitanda ars omnis à dæmone tradita, cum quibus uelut dei hostibus nullũ debet nobis esse commercium.

15 Eruditio humana. Nec expedit uel philosophorũ, uel hæreticorum placita, pietati nostræ contraria cognoscere: ne quem scrupulum subtilis artifex diabolus in animos nostros iniiciat, qui nos nimium torqueat, & fortassis impellat in exitium.

16 Non attingendi autores spurci, ne quid sordium animo ex contagine adhæreat.

17 Corrumpunt bonos mores collocutiones malæ.

18 Reliqua eruditio syncera est et frugifera, referatur modo ad suum scopũ uirtutem, hoc est recte agere.

19 Diuina. Est diuina quædã eruditio à deo exhibita, in qua sunt thesauri oẽs scientiæ & sapientiæ reconditi: hæc est uera mentiũ lux, reliqua oĩs ad hãc collata denssimæ sunt tenebræ, et ut res hominũ ludicra et puerilis.

20 Legitur tamen uel in hoc, quo tanquam ex comparatione fulgentior appareat nostra lux.

21 Tum ut testimoniis hominũ aduersus eos utamur, qui diuinis parũ acquiescunt, ut uitiosi oculi auersantes solis splendorẽ.

22 Ad nos quoq; cõmonefaciendos, quũ in multis gentiliũ tanta præstantia fuerit uirtutis, quantã esse conueniat in homine Christiano discipulo magistri dei, cui ex luce pietatis quam profitetur, magna est imposita necessitas bene uiuendi.

23 Adde his quod suppeditant facundiam & usum, ac prudentiam uitæ communis, quis nonnihil interdum indigemus.

24 Peritiæ unde. Tribus uelut instrumentis fabricamur eruditionem, ingenio, memoria, cura, quę eadem studium dicitur.

25 Ingenium exercitatione acuitur.

26 Memoria excolendo augetur.

27 Vtrunq; eneruant deliciæ, bona ualetudo confirmat: otia & diuturnæ remissiones profligant, exercitamenta ad manum & in promptu ponunt.

28 Attentio. Siue legis ipse, aut quid audis, attentus id fac: nec uagetur mẽs tua, sed coge illam ibi esse, & agere quod adest, non alia.

29 Si incipit digredi, paruo murmure eam reuoca, cogitatus omneis ab studiis alienos in aliud tempus differ.

30 Scito te operam & tempus perdere, si quæ legis, uel audis, non attendas.

31 Doceri. Quæ ignoras ne pudeat quærere: ne erubescе à quouis doceri, quod maximi uiri non erubuerũt: erubesce potius ignorare, aut nolle discere.

32 Quæ ignota tibi sunt, ne te scire iactes, sciscitare potius ab iis, quos scire credis.

33 Si uideri uis doctus, da operã ut sis: nulla est

la est compendiosior uia, quemadmodum non alia ratione facilius cõsequeris, ut existimeris bonus, quàm si sis talis.

34 Deniq; quicquid uideri cupias, fac ut sis, aliter frustra cupis.

35 Falsa tempus infirmat, uera corroborat.

36 Nulla simulatio diuturna.

Discere. 37 Magistrum semper sequere, noli præcurrere, & illi crede, ne repugna.

38 Ama illũ, & parentis loco habe, putaq; uerissima & certissima esse quæcunq; dicit.

39 Attende ut quod semel errasti, emendatus iterum aut tertio, ne idem pecces labora, ut proficiat emendatio.

40 Illorum decet te præcipue meminisse, in quibus quandoq; es falsus, ne te rursum decipiant.

41 Cuiusuis hominis est errare, nullius nisi insipientis perseuerare in errore.

Audire. 42 Scito nullũ esse sensum, per quẽ promptius ac celerius docemur, quàm auditũ.

43 Vt nihil facilius, quàm audire multa, sic nihil utilius.

44 Nec malis leuia, aut inepta, aut ridicula audire, quàm seria, grauia, prudentia.

45 Pari labore utraq; discuntur quum sit adeo commodum dispar.

Respondere 46 Ne labores quàm multa respondeas, sed quàm apte, & in tempore.

Commensales. 47 Prandio tuo & cœnæ illos adhibe, qui te possint instituere, quiq; suaui ac docta commentatione pariter & exhilarent te, & peritiorem reddant.

48 Scurras, parasitos, imperite loquaces aut spurce, moriones, nugatores, bibaces, lurcones, sordidos, & id genus hominum aptum ad risum, uel uerbis uel factis mouendum, nec honore mensæ tuæ dignerist nec illi te dum reficeris, oblectent, potius iucunda aliqua & ingeniosa confabulatio.

49 Nõ os modo à turpibus cohibe, sed etiã aures tanquam fenestras animi, memor dicti ueteris quod citat Apostolus: Corrumpunt mores probos cõfabulationes malæ.

50 Siue ad mensam, siue alioquouis loco, diligenter quid quisq; dicat, ausculta.

51 Ex sapientibus disces, quo fias melior.

52 Ex stultis, quo fias cautior.

53 Quæ sapientes probarint, sequeris.

54 Quæ stulti laudarint, uitabis.

Studium liberarum. 55 Si quid uideris à cordatis recipi, tanquã uel argute, uel grauiter, uel sapienter, uel docte, uel ingeniose, uel urbane dictum, retinebis, ut & ipse per occasionem utaris.

56 Habebis librum chartæ uacuæ, in quo annotabis si quid legeris, uel audieris dictum festiue, aut eleganter, aut prudenter, uel uocabulum aliquod exquisitum, rarũ, utile sermoni quotidiano, ut quum usus poscat, habeas paratum.

57 Annitere, ne sola uerba intelligas, sed præcipue sensa.

58 Quæ legeris uel audieris, fac alijs narres: tum tuis cõdiscipulis Latine, tum alijs lingua tibi uernacula, & conare, ne minus ipse uel lepide, uel uenuste referas quàm audieris aut legeris, sic & ingenium exercebis & linguam.

Stilus. 59 Est etiam tractandus & agitandus sæpenumero stilus, optimus dicendi magister.

60 Scribe, transcribe, rescribe crebro atq; annota, compone alternis diebus, aut ad summum tertio quoq; epistolã ad aliquem qui tibi respõdeat, et tuã ostende institutori emendandam: mendarũ quas sustulerit fac recordere, ne rursum ad easdẽ impingas.

61 Post cibũ uelut à prandio & cœna cesset paulisper studium: sumpto prandio sede, confabulare, audi aliquid suaue, aut sic lusita, ne nimiũ corpus exagites & cõcutias.

62 Cœnatus deambulato cum iucundo alíquo & docto confabulatore, qui te sermone oblectet, cuius uerba & sententias imitari cum decore possis.

63 Inter cœnam & quietem uita omnino potum, nihil perniciosius simul corpori, memoriæ, ingenio: quum urgebit te sitis, si biberis, pone inter potum & lectum interuallum quum minimum semihoræ.

Memoria. 64 Memoriam non negliges, nec sines incultam torpescere.

65 Nihil est quod æque labore & gaudeat, & permagna incrementa breui sumat.

66 Commenda ei quotidie aliquid.

67 Quo sæpius cõmendabis, hoc custodiet omnia fidelius: quo rarius, hoc infidelius.

68 Quum aliquid ei credideris, sine eam quiescere, & aliquanto post ab ea uelut depositum reposce.

69 Si quid uis ediscere, id de nocte quater aut quinquies attentissimus legito, hinc cubato: de mane exigito à memoria rationẽ eius, quod pridie credideris.

70 Cauendum à crapula, à cruditate, à frigore potissimum ceruicis.

71 Vinum ut neruorum uenenum, ita memoriæ mors.

Recollectio 72 Optimum esset singulis noctibus paulo antequam cubitum concederes, in sella te sine arbitris sedentem quæcunq; die illo uidisses, legisses, audisses, egisses, ad memoriam reuocare.

73 Si qd fecisses honeste, moderate, prudenter, cordate, cũ decore & laude, gauderes,

scires q̃p id esse dei munus, & similia pergeres deinceps facere.

74 Si quid turpiter, immodeste, flagitiose, pueriliter, inepte, uituperio dignum scires ex tua malitia profectum, doleres, & uitares in posterum.

75 Si quid uel audisses, uel legisses elegans, doctum, graue, sanctum, retineres.

76 Si quid uidisses probatum, imitareris: si quid improbatum, fugeres.

77 Nulla tibi abeat dies, in qua non uel legeris, uel audieris, uel scripseris aliquid, q̃d seu eruditionem, seu iudicium, seu uirtutem augeat.

78 Cubitum iturus lege, uel audi aliquid dignum quod memoriæ mandetur, & de quo salubre sit ac iucundum per quietem somniare, ut etiam nocturnis uisis discas, & fias melior.

79 Meditãda. Studio sapientiæ nullus in uita est terminus statuendus, cum uita simul est finiendum: semper illa tria sunt homini, quandiu uiuit meditanda, q̃modo bene sapiat, quomodo bene dicat, q̃modo bene agat.

80 Arrogantia abſit. Ab studijs arrogãtia omnis submouenda, nam ea quæ uel doctissimus mortalium nouit, nõ sunt minutissimum eorum quæ ignorat: exiguum quiddam, et obscurum, & incertum est quicquid homines sciunt, mentes q̃p nostræ in hoc corporeo carcere deinctæ magna ignoratione, & altissimis tenebris premũtur, aciem q̃p adeo retusam habemus, ut nec summas penetremus rerum facies.

81 Tum profectui studiorum plurimũ nocet arrogantia, multi enim potuissent ad sapientiã peruenire, ni iam putassent se peruenisse.

82 Vitanda etiam cõtentio, æmulatio, obtrectatio, inanis gloriæ cupido: quum in hoc sectemur studia, ut sæua illorum dominatione liberemur.

83 Nihil excogitari potest iucundius cognitione multarum rerum, nihil intelligentia uirtutis fructuosius.

84 Studiorum fructus. Studia res lætas condiũt, tristes leniunt, temerarios impetus iuuentæ cohibent, senectutis molestam tarditatẽ leuant, domi, foris, in publico, in priuato, in solitudine, in frequẽtia, in otio, in negotio comitant, adsunt, imò præsunt, opitulant, iuuant.

85 Eruditio pastus ingenij uerissimus, ut indignũ sit pasci corpus esuriente animo, ex qua uoluptates exiſtũt atq; oblectamenta, & solida, et perpetua, quæ alia ex alijs nascentia, ac se renouãtia, nunquam nos deserunt nec delassant.

DE VIRTVTE ET AFFECTIBVS.

1 Cap. III. PRæstantissima illa rerum uniuersarũ uirtus, neq; dono ab hominibus datur neq; accipit, diuinitus contingit.

2 Idcirco à deo suppliciter illam ac pie petendam esse.

3 Animorũ morbi. Summum in literis omnibus atq; erudi tione est ea Philosophia, qua ingentibus animi morbis remedium adfert.

4 Magna cura adhibetur curando corpori, maior adhibenda est animo, quo huius morbi & occultiores, & grauiores, & periculosiores sunt.

5 Hi nõ iniuria tempestates, cruciatus, tormenta, flagra, faces, furiæ animi nuncupantur, maximam hi adferunt calamitatem & incredibiles dolores, si regnent, si agitent: placidissimam uero tranquillitantẽ & beatitudinem, si sedentur & cohibeantur.

6 Huc tendunt, quæcunq; à maximis ingenijs de uita moribus q̃p acutissime sunt excogitata atq; præscripta.

7 Literarũ fructus. Hoc est ingens præmiũ laboris literati, cuius uerissimus fructus est, ut non in admiratione aut ostentatione uana sit nobis magna illa rerũ & uaria supellex collecta, sed ut transeat in usum uitæ, & primũ omnium prosit possidenti, nec in eius mente sit tanquam in pixidicula, unde petitur res alios adiutura, ipsi uasculo inutilis.

8 Nec aliud æque spectat pietas Christiana, quã ut serenitas humanos animos exhilaret, compositis q̃p affectionibus perpetua quadã tranquillitate & quieta constantia Deo & angelis simus quàm simillimi.

9 Morborũ remedia. Remedia his morbis, uel ex rebus ac nobis ipsis, uel ex deo, uel ex Christi lege ac uita petuntur.

10 Proprij. Natura rerum est, ut incerta & fluxa, & momentanea, & uicissitudinaria, & uilia sint omnia, præter animum, qui est uniuscuiusq; aut certe potissima eius pars: reliqua ab alijs ad alios trãsferunt, ne quis extra animum quicquam possit suum dicere.

11 Quæ habet, non donata esse putet, sed accommodata.

12 Quocirca ingentis dementiæ est, graue aliquod crimen & magna luendum pœna ob res minutas suscipere.

13 Modestia. Nec se quisquam efferat, quod aliquid ipsum de externis aut corporeis contigerit, quum id omne breue futurũ sit, ac incertum, nec proprium, sed alienum, quod ut concessum est, sic etiã reposcetur ad summum in morte, sæpe in uita ipsa.

Nec

14 Nec dolendũ, ſi quod accommodatum ac uelut depoſitum eſt, repetatur, agendæ potius gratiæ, quod tantiſper uti licuit.

15 Intolerandæ ingratitudinis eſt, ſi ſic aliquando affectus beneficio, iniuriam te credas accipere, quod id non ſit perpetuum: nec quid habueris ſpectes, aut quãdiu, ſed quid aut quandiu non habueris.

16 Nec lætandum quod fortuita tibi acceſſerunt aut amicis, adempta ſunt inimicis: quum in omnibus tanta ſit celeritas et ambiguitas, ut plerunq; inani lætitiæ proximus ſit acerbus fletus.

17 Nec deſpondendus animus, aut cõtrahendus reflante fortuna: quippe aduerſis matutinis, interdum ſuccedunt proſpera ueſpertina.

18 Iam quæ conditio corporum, quæ ratio uitæ fictis ex tam uili initio, tã fragili, quũ ſit anceps uita ſepta tot undiq; periculis, & ut ſit aliquantiſper certa, utiq; non eſt diu duratura: Quid habemus quur in tãta infirmitate ferociamus?

19 Quumq; nihil ſit aliud hæc uita quàm peregrinatio, qua in alteram ſempiternam tendimus, pauciſſimis q; rebus ad hoc iter conficiendum egeamus.

20 Quid eſt quamobrem his quæ huc atq; illuc uolui & iactari cernimus, ſolicitemur aut omnino moueamur?

21 Cupiditati quare ſeruiendũ eſt, quum ſint futura incertiſſima, et præſentia paucis contenta?

22 Libertas. Liber ille, qui cupit ſolum quæ ſunt in ſua manu: ſeruus, qui contra.

23 Iam fortunæ muneribus expleri, quid aliud eſt quàm peditem multis ſarcinis impediri ac obrui?

24 Nemo eſt tam ſtupide amens, qui ſe non illi ciuitati ad quam tendit, & ubi morari deſtinat, adornet, cõponatq; magis quàm itineri.

25 Mortalitas Vita hæc noſtra, quum ſit natura ſua fugax, & arcta, maxima eius pars ac ferè tota perturbationibus perit: neq; enim uiuimus, quandiu affectibus concutimur, & in primis mortis metu.

26 Quæ quũ ex infinitis cauſſis immineat, & appropinquet, expauenda nõ eſt ex una uel altera, quumq; neceſſario peruentura, fugienda nõ eſt per ſcelus, aut mœrendum quod accedat.

27 Quum ſit uita innumeris tædijs ac miſerijs referta, cur eſt tam arcte retinenda? quum ad alteram ęternã proficiſcamur ita nos comparemus, ut recta ad illam euolemus pleniſſimam bonorum omnium.

28 Ergo premimur ſæpius noſtris erroribus quàm rebus ipſis, quum magna mala aut bona cenſemus, quæ non ſunt.

29 Natura & cõditio, & uera rerum precia illa ſunt, quæ initio poſui, unde colligi licet, nihil præter uirtutem pulchrũ aut magnum eſſe, aut etiam noſtrum.

30 Nos uero in conſiliũ & deliberationem eorũ quę ſunt nobis agenda corporis amorem, et cupidinem rerũ uitæ huius accerſimus, quę à multis uocari ſolẽt, amor noſtri. Cupido uitæ.

31 Hic animos uiriles eneruat, ut nulla res tam minuta ſit, quę in eos nõ penetret: nec ulla tã exilis aut tenuis, quin eos cõcutiat. Cruces affectuum.

32 Hinc tenebræ oboriuntur oculo mentis, & ubi regnũ affectus occupauere, iam illis tanquam dominis blandimur, indulgemus, paremus.

33 Ita aliena mordicus tanquam noſtra apprehendimus, & ſi detrahantur, lamentamur, & afflictamus noſipſos.

34 Et noſtra tanquam aliena negligimus, & auerſamur profutura ceu uehemẽter noxia & nocitura amplectimur pro utilibus.

35 Aliena mala nobis uidentur leuiſſima, noſtra illis nõ maiora, intolerabilia, & ſemper queruli, nec aliena deſideria ferimus, nec noſtra.

36 Nec iam nobis placemus ipſi, nec hic mundus cum ſua lege nobis ſatisfacit, immutatas uellemus rerum naturas: tanta eſt ex delicijs impatientia.

37 Quæ cruces poſſunt cum his cõparari? nec ſunt alia apud uita functos tormenta.

38 Nec dæmones alijs ſupplicijs ſunt miſerrimi, quàm ſuperbia, inuidia, odio, ira.

39 Cernere eſt uultus eorum, qui his affectibus tenẽtur, quàm uarij ſunt, quàm anxij, anheli, truces, horridi, ad eundem modum & animi ſunt affecti.

40 Ira perturbationum omnium atrociſſima, maxime hominem dedecet. Ira.

41 Naturam hominis in truculentam mutat feram.

42 Et quum quæuis perturbatio mentis aciem & iudicium omne obſcuret, tum ira tenebras denſiſſimas offundit, ut nec uerum, nec utile, nec decorum poſſit intueri.

43 Arrodit cor, & ualetudinem affligit.

44 Id cogit facere, quod illico pœnitentia conſequatur.

45 Iam in facie quàm turpis mutatio? quæ tempeſtas? oculorum ardor? dentium ſtridor? deſpumatio? & totius oris pallor? fœda in lingua titubatio & clamor?

46 Vt ille qui iratũ ſe ad ſpeculum aſpexit, non ſine cauſſa dicatur ſe non agnouiſſe.

47 Ob hanc toruitatẽ uultus, atrocitatẽ dictorum, crudelitatem factorũ adimitur uiro omnis authoritas, omnis beneuolẽtia: diffugiũt amici, decedũt obuij, solitudo undiq;, omnes oderunt, omnes deteſtantur.

48 Quo fit ut maximi uiri nihil uel cauerint magis, uel texerint ſolicitius q̃ iram, & irati opera: adeo ut naturæ etiam ſuæ repugnarint, & uim attulerint.

49 Quid enim ridiculũ magis, quàm tantulum, tam imbecillum animalculum ſic ferocire ac furere?

50 Et tantas tragœdias, tam atroces uiliſſimis de rebus excitare? ut de corporeis, de fortuitis, etiã ſi diis placet de uno uerbulo.

51 Iram facile domabis, ſi illud animo perceptum & fixũ tenueris, iniuriam nõ fieri niſi lædat animus, cui à nemine noceri poteſt, niſi à poſſidẽte introducto in eũ uitio.

52 Hæc ad hominem, ex homine, nunc altius, nempe ex deo, etiãſi illa quoq; ex deo, ſed hæc aliquanto expreſſius ac propius.

DE RELIGIONE.

Cap. V.

1 NIhil potuit hominũ generi dari maius aut prẽſtabilius q̃ religio, quæ eſt cognitio, et amor, et ueneratio principis parentiſq; uniuerſitatis mũdi huius. Deũ noſce.

2 In nullos hoies æque eſt beneficus deus, ac in illos q̃s docet qui ſit uerus ſui cultus.

3 Idcirco Pſalmiſta inter maxima dei in populũ Iſraëliticũ munera, illud ponit: Qui annuntiat uerbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraeli. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua nõ manifeſtauit eis.

4 Per religionẽ deus cognoſcit, cognitus, fieri nequit aliter, quin ametur atq; adoret.

5 Vnus deus eſt princeps, author, dominus uniuerſorũ, qui poteſt, qui ſcit omnia.

6 Mundus hic eſt uelut domus quædam eius, uel potius templum, ipſe ex nihilo in hanc faciẽ atq; ornatũ protulit. Vnde mundi nomen apud nos accepit, apud Græcos ornatus: idem regit atq; adminiſtrat nõ minore cõſeruationis miraculo q̃ creationis. Dei templũ.

7 Hanc eſſe uniuerſi legem, nõ alium eſſe in rebus caſum, nõ fortunam, aut ſortem. Prouidentia dei.

8 Omnia ab eo geri ſumma æquitate & ſapientia, tametſi uiis nobis ignoratis.

9 Quæcunq; cuiuis contingunt ad eius referri commoda, ſi ſit bonus, non ad iſta pecuniolæ, aut mũdi huius momentanei, ſed æternæ illius felicitatis.

10 Ergo quæ in uita hac accidũt, qualia ſint cunq;, tanquam ab authore Deo profecta, æquis animis accipienda, atq; approbanda ſunt, ne affectu noſtro, & tanquam iudicio conſiliũ damnare uideamur, & improbare uoluntatem iuſtiſſimi illius, et ſapientiſſimi rectoris omnium dei, quia non aſſequimur.

11 Ei nos obſequi & dicto audientes præbere, laudare, atq; approbare cuncta quæ facit, fas piumq; eſt. VotaDeo num.

12 Nos pueri & meliorũ rerum inſcij, quæ damnoſiſſima ſunt deflemus nõ dari tanquam utiliſſima: quæ utiliſſima, horremus ceu impenſe damnoſa.

13 Vt nihil ſit nobis ſæpenumero peſtilentius quàm fieri uotorum noſtrorum compotes.

14 Quumq; in tantis tenebris ignorationis uerſemur, ſic deo uiſum eſt, ut nobis ſola ſit præſtanda culpa, cætera omnia illius cu ræ remittantur.

15 Nobis uelimus nolimus, exequendum eſt quod de nobis ſtatuit ac iubet rector huius tanti operis: quorſum igit ſpectat, malle cum lachrymis detrectantes & reluctantes trahi, quàm hilariter atque ultro duci? Certe amicus omnis dei, legibus et uoluntati amici lætus alacerq; obtemperabit. Amare deum.

16 Hæc potiſſima ratio eſt dei amandi, ſicut Chriſtus ait: Vos amici mei eritis, ſi feceritis quæ ego uobis præcipio.

DE CHRISTO.

1 PAcificator humani generis cum deo, & author ſalutis noſtræ eſt Ieſus Chriſtus homo deus, dei omnipotentis filius unigenus, quem ad hoc ipſum pater miſit, quũ ei uiſum eſt miſereri generis humani, quod ipſum maximo ſuo malo inimicum ſe fecerat deo patri ac cõditori ſuo. Cap. V. Reſtitutor mundi.

2 Nullum excogitari poteſt malum peſtilentius aut exitiabilius, quàm per peccatũ à deo ſeparari perenni bonorum omnium fonte, ad perniciioſiſſimam conuerti miſeriam, & à dulciſſima uita, in acerbiſſimam mortem.

3 In hoc inter cætera Chriſtus uenit, ut rectiſſimam uiam nos edoceret, qua inſiſteremus proficiſcentes ad deũ, nec ab ea uel pilum deflecteremus. Chriſti doctrina.

4 Hanc ipſe & ꝓbis indicauit ac patefecit, & exemplo uitæ ſuæ muniuit expeditiſſimam atq; certiſſimam.

5 Humana omnis ſapiẽtia, ſi cum religione Chriſtiana conferatur, cœnũ eſt & mera ſtultitia. Humana ſapientia.

6 Quicquid graue, prudens, ſapiens, purum, ſanctum, religioſum, quicquid cum admiratione, exclamatione, plauſu apud gentiles ſapientes legitur, quicquid ex illis com- Diuina

commendatur, ediſcitur, in cœlũ tollitur, id totum purius, rectius, apertius, expeditius inuenitur in pietate noſtra.

7 Hanc noſſe, perfecta eſt ſapientia: iuxta hanc uiuere, perfecta uirtus: ſed nemo uere nouit, qui non ſic uiuat.

8 Euangeliũ. Vita Chriſti teſtatur humanã eius probitatem, miracula, omnipotentiam diuinitatis, lex, cœleſtem ſapientiam.

9 Vt ex probitate accedat exemplũ ad imitandum, ex authoritate uis ad obediendũ, ex ſapientia fides ad credendum.

10 Probitas amorem eliciat, maieſtas cultum, ſapientia fidem.

11 Fides. Si quis quæ Chriſtus præcipit expendat, comperiet animo ad noſtras utilitates referri, ut nemo niſi maximo ſuo bono ſentiat ſe credere.

12 Vt nihil eſt homini gratius quàm fidi ſibi, ita nec deo: nec quiſquam bene de illo cogitat, cui timide ſeipſum credit.

13 Fundamentum ſalutis eſt, credere deum eſſe patrem, & huius filium unicum Ieſum Chriſtum legislatorem noſtrũ, et ex utroq; ſpirari ſanctum illum afflatum, ſine quo nihil agimus, nihil cogitamus excelſum, aut profuturum nobis.

14 Cultus dei. Verus dei cultus eſt, animum morbis, & prauis affectibus perpurgare, & in illius quàm proxime poſſumus transformari ſimulacrum, ut puri & ſancti ſimus, ſicut & ipſe eſt, neminẽ oderimus, omnibus prodeſſe ſtudeamus.

15 Quo magis te à corporalibus ad incorporea tranſtuleris, hoc uitam diuiniorem uiues.

16 Ita fiet, ut deus cognatam & ſimilem ſibi naturam agnoſcat, eaq; delectetur, ac uelut in uero & germano templo habitet multo ſibi acceptiore, quàm iſta ſunt lapidum & metallorum.

17 Templum dei ſanctum eſt, inquit Paulus, quod eſtis uos.

18 Tantus hoſpes conſeruandus eſt, nec tetro peccatorum fœtore expellendus.

19 Corporalia opera fatua ſunt ante Deũ, niſi conditura ex animo addatur.

20 In occultiſſimis receſſibus, & procul ab omniũ oculis, atq; adeo in corde ipſo atq; in animo tuo ſcito te habere deum arbitrum, teſtem, iudicem omnium etiam cogitationum tuarum, ut illius præſentiam reueritus nihil non modo facias, ſed nec in animum admittas nefarium aut turpe.

21 Charitas. Charitas erga deum hæc eſſe debet, ut illum cæteris rebus uniuerſis anteponas, honoremq; & gloriã illius chariorem habeas cunctis uitæ huius honoribus & cõmodis.

22 Et quemadmodum amicus quum amici memoria occurrit, beneuola quadã afficitur & pia lætitia: ſic curare te decet, ut diuina omnia amiciſſima tibi ſint, et proinde gratiſſima, uerſeriſq; in illis multo libentiſſime.

23 Quoties nominari audis deum, maius quiddam et admirabilius animo occurrat, quàm quod poſſit humana mens capere. Sacra ſcriptura.

24 Quæ de illo & diuis dicuntur, audi, non quomodo humana, ſed cum magna animi admiratione.

25 De deo ne quid temere cenſeas, aut de illius factis pronunties aliter quàm uenerabundus & timide.

26 Impiũ in res ſacras iocari, aut dicta ſanctarum ſcripturarũ ad luſus, ineptias, aniles fabulas, ſcommata conuertere, ceu quis medicina ad ſalutem parata cœnum aſpergat, ad obſcœnitatem autem trahere, id uero nefarium atq; abominandum eſt.

27 Omnia decet illic eſſe admiranda, & cũ ingenti dignatione in animos recipienda.

28 Sacris interſis attente ac pie, non ignarus quæcunq; ibi ſeu uides ſeu audis eſſe puriſſima & ſacroſancta, ſpectareq; ad immenſam illam dei maieſtatem, quam adorare facile eſt, comprehendere impoſſibile. Cœtus ſacri.

29 Ita ut in diuina illa ſapientia altiora ſemper exiſtimes latere, quàm quo poſſit uis ulla humani ingenij pertingere.

30 Dicta ſapientum hominum etiam non intellecta ueneramur, quãto id æquius eſt diuinis deferri?

31 Ieſus Chriſtus. Quoties nominari audis Ieſum Chriſtũ, toties tibi ueniat in mentẽ charitas illius in nos inæſtimabilis, et recordatio illius ſit tibi dulcedinis & uenerationis plena.

32 Quum titulum aliquem aut epitheton Chriſti audis, extolle te in eius contemplationem, & ora ut talem ſe præbeat erga te. Velut quum clementem, mitem, placidũ, ut talem experiare illum: quum omnipotentem, ut id oſtendat in te ex peſſimo reddens optimum, ex hoſte filium, ex nihilo aliquid: quum terribilem, ut eos à quibus terrere, terreat.

33 Quum dominum uocas, facilli ſeruias: quum patrem, facames, et te dignum præſtes tanto patre filium.

34 Deus in omnibus. Nulla res eſt in toto uniuerſo orbe, cuius ſi uel originem uel naturam, uires q; intuearis, nõ ſuppeditet, quo authorem omnium deum admireris & adores.

35 Nihil exordire non inuocato prius nu-

mine. Deus enim, in cuius manu sunt progressus et exitus, optatos eos tribuit ijs actibus, quos ab ipso auspicamur.

36 Quicquid aggressurus es, finem spectato: & ubi tu rectum consilium præstiteris, de euentu ne sis solicitus.

37 Illi fide, in cuius potestate sunt rerum euentus.

38 Quandoquidem religio omnis sita est in intimis pectoris, preces da operã ut intelligas: & caue ne ore tantũ permurmures, sed quum oras, totus & animo & mente & cogitatione & uultu in hoc sis, ut omnia secum consentiant & excellentissimæ respondeant actioni. Oratio.

39 Execrantur illum cœlestia oracula, qui opus dei facit negligenter.

40 Si in citharœdo turpe est aliud ipsum ore, aliud fides eius sonare: multo est turpius, quum deo psallimus, aliud linguam dicere, aliud animum cogitare.

41 Vota nostra sobria sint & digna quæ à deo petantur, & quæ deus det, ne stulta illum aut inepta offendant.

DE SVMPTIONE CIBI.

Cap. VII.

1 Deus pastor. SVmpturus cibum, recordare omnipotentiæ dei, qui cuncta ex nihilo condidit: sapientiæ ac benignitatis, qui ea sustentat: mansuetudinis & clementiæ, qui etiam inimicos suos pascit.

2 Expende quantũ illud sit, tot uitis uniuersitatis mundi huius tam uariam quotidie alimoniã sufficere, conseruare omnia, & uindicare ab interitu, quo nutu suo tendunt.

3 Nullam neq; hominum, neq; angelorũ sapientiam non modo hoc posse præstare, sed nec intelligere.

4 Itaq; quũ scias te de illius bonis uiuere, cogita quàm execrandæ sit ingratitudinis, quàm perditæ temeritatis, audere te cum illo inimicitias exercere, cuius beneficio & uoluntate consistis, non amplius, si nolit, fruiturus.

5 Mensa. Ad mensam sint casta omnia, pura, cordata, sancta: qualis ille est, inter cuius munera tunc uersaris.

6 Omnis detrectatio, uirulẽtia, atrocitas, crudelitas à mensa arceatur, in qua tu sentis incredibilem Dei erga te suauitatem & clementiam.

7 Quo intolerabilius est, eum te locũ aspe ritate aut odio in fratrem cõtaminare, ubi tu benignam et largam in te lenitatem percipis.

8 Quod nec gentiles ignorarunt, qui eam ob caussam mensæ sacra nominabant læta & festa, ad quam triste aliquid aut atrox dici fieriue nefas erat.

9 Pendere deo. Quumq; sis omnipotẽti, sapientissimo, largissimo deo curæ, tu immodicam sustentandi tui curam depone, tanquam bonitati illius diffisus, unicam curã susci pe, quomodo illi placeas ac satisfacias.

10 Stultissimũ est alimenti caussa prauum ullum facinus ædere, & illum offendere, à quo solo alimenta ueniũt, ut eum tibi iratum facias, à quo aliquid contendis impetrare.

11 Præsertim quum epulis non conseruetur uita, sed uoluntate dei: quemadmodũ diuinis oraculis declaratum est, non pane hominem uiuere, sed uerbo dei.

12 Habemus syngrapham Iesu uniuersorũ in cœlo & in terra domini, nihil eorũ quæ opus sunt homini defuturum ijs qui quæsierint regnum dei & iustitiam eius.

13 Dona deo donanda pauperi. Tum ex dei donis, quæ ipse arbitrio suo & largitur et tollit, quum is in te tam benignus fuerit, tu in fratrem tuum illius filiũ malignus ne esto: reputans uos ex æquo esse dei filios, nec deum plus tibi debere q̃ illi: tantum uoluisse te dispensatorẽ & administratorẽ esse, et à quo secundum deum frater tuus peteret.

14 Nihil uerius datur Christo, quàm quod egenis datur.

15 Gratiarum actio. Sumpto cibo, considera cuius sit sapientiæ, cuius potentiæ, uitam nostrã ijs rebus quas edisti sustentare, & ruentem fulcire.

16 Itaq; habeas deo gratiam, nõ quantam haberes illi, qui tibi pecunia sua cibarium emisset, sed quanta habenda est ei qui te & cibum ipsum condidit, & cibũ propter te: & cibo te sustentat, non ui illius, sed sua.

DE SOMNO.

Cap. VIII.

1 Deus contemnandus. QVum petis quietem, & quum surgis, reminiscere beneficiorum dei, nõ in te solum, sed in totum genus hominum, atq; adeo mundũ uniuersum.

2 Cogita quantæ sint hostes hominũ per licentiam quietis insidiæ, dum homo uelut cadauer iacet impos sui: quo instantius orandus est Christus, ut nos tam imbecillos tueatur.

3 Nec ullo nostro peccato irritandus est custos & præses noster.

4 Et frons & pectus crucis nota exterius muniendum, interius uero pijs precibus & sanctis meditationibus.

Vbi

5 Vbi iam lectum ingredieris, fac cogites, unumquenq; diem imaginẽ esse humanæ uitæ cui succedit nox: & somnus simulacrum mortis expressissimum.

6 Itaq; rogandus est Christus, ut in uita & in morte adsit perpetuo secundus ac fauens, illamq; ipsam noctem prębeat nobis placidam atq; tranquillam.

7 Neue in somnijs terreamur, semperq;, etiam sopitis, ille menti nostræ obuersetur: illius solatijs recreati, ad matutinũ tempus sospites & læti perueniamus cum pia memoria sanctissimę mortis ipsius precij, quo genus humanum redemptum est.

Castitas. 8 Cubile seruabis castum mundumq;, ne ius ullum in id inueniat author ille & caput totius spurcitiei.

9 Signo crucis & sacra aqua, & inuocatione diuini nominis, sed in primis sanctis cogitationibus, et statuto custodiendæ pietatis omnem ab eo diaboli ditionem pelles.

10 De mane surgens cõmenda te Christo, cui & age gratias, quod illius ope ac præsidio non es illaipsa nocte oppressus dolis & inuidia immanis hostis.

11 Et quemadmodum de nocte dormijsti, postea euigilasti, sic nostra corpora recordare dormitura per mortem: hinc redden da uitæ à Christo, quum apparebit iudex uiuorum & mortuorum.

12 Quem supplex obtestare, ut sequentem diem uelit ac faciat te in obsequio suo totũ consumere, ne quem lædas, neu à quo lædaẽ tua probitas, sed septus undiq; ac munitus pietate Christiana, incolumnis ac integer tot euadas retia, tot pedicas, quot per uias omnes & aditus humanos sparsit tenditq; insidiosus diabolus.

13 Sanctissimam dei parentem Mariam, & reliquos diuos diuasq; uenerare, tanquam charos amicos Christi dei uiuentis in sæcula sæculorum.

14 De illorũ uita & actis crebro uel legito, uel audito attentissimus & libẽtissime, pio & uenerabundo animo, ut tibi ad imitationem prosint.

15 De illis sic senti, sic loquere, tanquã non iam hominibus, sed supergressis naturam omnem & fastigium humanum, diuinati proximis & coniunctis.

DE CHARITATE.

Cap. IX. 1 Amor proximi. INter homines uero quum tanta sit cognatio similitudinis in corpore, & toto animo, simusq; omnes pari iure in mundum inuecti, ad societatem & uitæ cõmunionem facti atq; instructi, ad hanc conseruandã lex est à natura proclamata, ne quis alteri fecerit, quod sibi nolit factum.

2 Hoc unum instaurator ille naturæ collapsæ, suũ esse dogma professus est, sed explicatum atq; illustratum.

3 Nam ut humanam naturam ad similitudinem dei, quo ad eius fieri potest sublatam, suis omnibus numeris consummaret, non modo mutuum amorem imperauit, sed eorum quoq; qui nos oderunt. Inimicos diligere.

4 Vt simus cœlestis patris similes, qui suos quoq; inimicos amat, quod declarat beneficijs illos prosequendo, & quidem maximis: neminem odit.

5 Quid quod hominum ingeniũ ita fert, ut beneuolos in se illos uelint, etiã in quos ipsi sunt maleuoli?

6 Sapientissimus uitæ nostræ magister, nempe & author, unicum dedit ad uiuendum documentũ, ut amemus: gnarus uitam nostram, si amemus, fore felicissimam nec alijs opus esse legibus. Amare.

7 Nihil felicius quàm amare, idcirco deus & angeli felicissimi, qui amant omnia.

8 Infelicius nihil quàm odisse, quo affectu miserrimi sunt diaboli.

9 Verus amor omnia exæquat, ubi is uiget, nemo alteri quærit præferri, nemo à dilecto rapere, quum apud se esse censeat, quæ apud illum.

10 Non litem mouere fratri charo, ac neq; se unquam iniuria putat ab illo affici, ideo nec ultionem meditatur: nemo inuidet ei quem amat, nec quisquã malis amici gaudet, nec bonis indolet: contra potius gaudet cum gaudentibus, iuxta dictum Apostoli, flet cum flentibus: idq; non ficte aut simulate, sed ex animo, quoniam amor oĩa reddit communia, suaq; esse existimat, quæ sunt eius quem amat. Concordia

11 Documentum huius solidum & uerissimum exemplar oculis nostris ad imitationem propositũ, sunt Christi actiones. Christus exemplar uitæ.

12 Venit enim dei filius, nõ ut uerbis modo, sed exemplo uitæ suæ rectam nos doceret uiuendi rationem, ut illustratis sole illo suo animis nostris, aperte qualis quęq; res esset, cernermus.

13 Primum exercitus per omne genus patientiæ, quantam ostendit animi moderationem, in quanta potentia? impetitus tot tam grauibus contumelijs nemini remaledixit, tantum docuit uiam dei, aduersam detestatus, uinciri se est passus, qui mundum euertere uel unico poterat nutu.

14 Calumniam quàm patienter tulit?

15 Deniq; sic gessit sese, ut nemo in eo potentiam nouerit, nisi ad iuuandum.

16 Rex & dominus uniuersorũ, per quem fecit pater hunc mundum, quàm æque tulit æquari se infimis mortalium? & propriam sibi domum, & charis suis ministris deesse alimenta.

17 Conditor rectorq; naturæ, malorũ naturæ nostræ expers non fuit: esurijt, sitijt, delassatus fuit & mœstus: quorsum hæc nisi ad exemplum nostrum?

18 Tam amicus pacis, concordiæ, charitatis, ut nullum uitium magis fit insectatus quàm superbiam: & quæ illinc oriuntur, arrogantiam, ambitionem, cõtentionem, dissidia, simultates. Superbia.

19 Ostendens nihil esse, quur quis uel ab externis sibi quicquam arroget, uel à corporeis, quum sint aduentitia & aliena.

20 Nec ab internis & uirtute, quum à deo dentur, & ob hoc ipsum tolluntur, quod quis eiusmodi muneribus sese efferat, nec fontem atq; originem agnoscat: despiciẽs eos, ad quorũ utilitatem hæc à deo accepit.

21 Et ad superbiam infringendam, ne quis tanquam rite subditus religioni, & seruator legis euãgelicæ sibi placeat, audiuimus ab eo, Quum omnia quæ uobis præcepi feceritis, dicite: Serui inutiles sumus.

22 Quanta stultitia est eorum qui se exacte Christianos gloriantur? & alijs sese in obseruanda lege anteponunt. Hypocrisis

23 Quum nemo de se norit an uirtutem habeat, utrũ odio dei an gratia dignus sit, an ille cui sese præfert, uirtute sit locupletior: an ascitus & destinatus in consortium cœlestium, quum sit ipse miserijs sempiternis assignatus.

24 Idcirco iudicium omne de homine homini ademit, cæco & ignaro recessuũ cordis, ad se transtulit scrutatorẽ pectoris humani.

25 Exteriora enim, quæ sola oculus hominis intuetur, infirma & incerta sunt interiorum signa.

26 Non ergo uno congressu, quod nonnulli faciunt temerarij, non centum, non longissimo conuictu de ingenio, de uitijs aut uirtutibus cuiusquam sententiã in totum feras. Temere iudicare.

27 Longissimæ & obscurissimæ sunt in humano corde ambages ac latebræ, quæ humana acies in tantam caliginẽ penetrabit?

28 Et quũ Christus uniuersum genus hominum morte sua sibi asseruerit, tantoq; precio de seruitute diaboli redemerit, nemo ausit contemnere, nemo ludere animã, quam ita dominus amauit, ut nihil cunctatus sit pro illa suum sanguinem effundere, & uitam impendere.

29 Pro uniuersis crucifixus est dominus, & pro singulis.

30 Nec speres fore Christo rem gratam, si tu oderis quem ille amat. Conferui amandi.

31 Hanc uult referri sibi gratiam, ut quemadmodũ ipse dominus nos seruos nequã & pessime meritos amauit, ita & nos conseruos nostros.

32 Hic inchoauit mutuam hominum inter se & cum deo charitatem, hoc est, humanæ beatitudinis iecit fundamenta, in cœlo absoluit.

33 Hæc est uita & gratia Christi: Sapientia humanum ingenium excedens, æquitate intelligentibus congruens, bonitate cunctos alliciens.

34 Nemo se Christianum esse putet, nemo se deo esse charum confidat, si quem odit, quũ Christus nobis homines omnes commendarit.

35 Hominem tibi à deo commendatum, si dignus est ama, quia dignus est quẽ ames: sin indignus, ama, quia deus dignus cui pareas. Omnes amandi.

36 Non ieiunia, non erogatæ opes omnes in pauperum usus hominẽ deo gratiosum reddunt: sola hoc præstat in homines charitas: hoc nos eius apostolus docuit.

37 Nullum uidebis hominem, quem non existimes debere tibi esse fratris germani loco, ut eius rebus prosperis gaudeas, aduersis doleas, iuuesq; quantum erit opis tuæ.

38 Non natio affectum hunc minuat, non ciuitas, non cognatio, non professio, non conditio, nõ ingenium, unus est omnium pater deus, quẽ tu edoctus à Christo quotidie patrem compellas, qui te filium agnoscet, si tu eius filius, fratres agnoueris.

39 Ne sit tibi turpe fratrem illum habere, quem Deus non dedignatur filium.

40 Pacem & concordiam, & amorem inuexit Deus.

41 Partes & factiones, & priuatas utilitates cum alienis damnis, sicut etiam dissidia, rixas, contentiones, bella, diabolus peritissimus horum artifex. Factiones

42 Deus quia uult nos saluos, spargit beneuolentiam: diabolus quia perditos, inimicitias.

43 Concordia etiam pusilla coalescunt, discordia maxima dissipantur.

44 Qui pacem qu iconcordiam student inter homines uel conciliare, uel cõseruare, sartam tectam, ij filij Dei uocabuntur, teste Filij dei

Christo

Christo: hi uere sunt pacifici, de quibus ipse loquitur: qui uero discordias serere, charitatem hominum inter se rescindere, ñ filij diaboli.

45 Bellum. Summum inimicitiarũ, quo beluarum feritatem omnium homo superat, bellum, scito rem esse non hominũ, sed quod uerbum ipsum loquitur, beluarum.

46 Quam detestatur natura, quæ hominẽ inermem genuit, ad mansuetudinẽ & communionem uitæ: auersatur deus, qui penitus uult & imperat mutuã inter homines omnes charitatem.

47 Nec quisquam homo homini uel bellũ facere, uel nocere potest fine scelere.

48 Placare hostes. Si quem arbitreris iniquo aut infenso esse in te animo, nullum laborem aut operam refugias, dum illum quacunq; ratione lenias, & places tibi.

49 Neq; in ea re uel precibus, uel obsequio uel fortunæ parcas, modo tibi gratiam omnium pares, breuissimã uiam ad gratiã dei.

50 Ridendus nemo. Neminem irriseris, non ignarus quod uni alicui accidit, posse cuiuis accidere: age potius deo gratias, quod te extra eam sortem posuerit, & ora, tum tibi ne quid tale accidat, tum illi sic afflicto remedium aliquod, uel æquum saltem animum, & ipse subueni si potes.

51 Crudelis animi est, alienis malis gaudere, & non miserari communem naturam.

52 Esto hominibus misericors, & cõsequere à deo misericordiam.

53 Fortuna & casus humani cõmunes sunt omnibus, unicuiq; minantur, unicuiq; impendent.

54 Prodesse omnibus. Huic amori hominibus debito, nihil existimato posse te facere aptius & congruentius, quàm si maximũ bonum hoc est uirtutem eius procuraueris, si studueris, ut omnes si potes, utiq; quàm plurimos bonos reddas.

55 Nihil magis amori dissonum, nihil damnosius aut deterius feceris, quàm si quos malos reddideris uel suasibus, uel exẽplo, uel ullo alio incitamento.

56 Amicitia. Primum omnium & felicissimum est, si ames, etiam odiosus: sed iucundissimum quoq; est, & maxime tutum, amari.

57 Nullæ certiores opes, q̃ certæ amicitiæ.

58 Nullum potentius satellitiũ, quàm amici fideles.

59 Solem è mundo tollit, quisquis è uita amicitiam.

60 Sed uera & solida & duratura amicitia tantummodo est inter bonos, inter quos facile amor coalescit.

61 Mali nec inter se amici sunt, nec cum bonis.

62 Vt ameris, certissima est & breuissima per amorem uia, nihil enim sic amorem elicit, ut amor.

63 Conciliatur quoq; uirtute, quæ natura sua amabilis est, ut uel ignotissimos ad se amandam inuitet, & penè cogat.

64 Tum etiam uirtutis signis, mansuetudine, modestia, pudore, humanitate, comitate, affabilitate: si nihil uel dixeris uel feceris, quod arrogantiam, aut insolentiã, aut petulantiam, aut obscenitatem resipiat: omnia sint dulcia, mitia, lenia & pura.

65 Amicitiæ uenenũ, si ames tanquam osurus, & amicũ sic habeas, ut putes posse inimicum fieri.

66 Salutare illud, odi tanquam amaturus.

67 In amicitia nulla sit inimicitiæ cogitatio: quem habes amicum, ne credas futurum unquam inimicum, alioqui infirma & fragilis erit amicitia.

68 Suspicio absit. In qua decet inesse fidem, constantiam, simplicitatem, ut de amico nec ipse finistre suspiceris, nec suspicantibus aut deferentibus aurem accommodes.

69 Vita non est uita suspicacibus aut timidis, sed assidua mors.

70 Ne in alienas uitas inquiras, nec iniquitatem quæras in domo iusti, sicut inquit Sapiens: néue curiosus scruteris qd quisq; agat: & ante omnia caueto, ne cuius turpitudinem retegas, aut uelis cognoscere: est eñ hoc inhumani pectoris & acerbi animi, multæq; hinc suboriuntur simultates.

71 Et qui hæc faciunt, suorũ solent esse incurioſi, alienorum soliciti: quàm fœdum ac intolerabile est alios tam probe nosse, seipsum ignorare?

DE CONVICTV HOMINVM.

Cap. X. Comitas. 1 NEc amare tantũ homines debes, sed etiam quos æquum est reuereri, ac inter eos honeste uersari, & cum decore, in quo est officium uitæ communis.

2 Ne putes nihil interesse ubi, cũ quibus, apud quos agas, uel loquare.

3 Sit tibi inter homines modestia & moderatio in uniuerso corpore, & præcipue in oculis ac ore toto: à quo absit species omnis fastidij & contemptus: absit gesticulatio & lasciuia: serenitas illud & quietudo exornent argumentum animi ad eum modum affecti.

4 Pudor. Solum humanæ faciei tegumentum decoris in primis & fauorabile, modestia & uerecundia, qua nudis nihil dici potest de-

formius aut deteſtabilius.

5 Deſperanda illius ſalus, quem deſijt pudere malefacere.

6 Nec uultus ſit in atrocitatem, aut ſeueritatem nimiam compoſitus, unde colligitur ſæuus atq; impotens animus.

7 Riſus ne ſit frequens, aut immoderatus, Riſus. aut cum clamore & concuſſione corporis, ne in cachinnum, aut irriſum exeat.

8 Nullam eſſe rem talem exiſtima, quæ te tantopere queat exhilarare, ut ingentem attollere riſum cogat.

9 Sed riſus poteſt eſſe cauſſa aliqua, irriſus nulla.

10 Irridere bona nefas, mala crudelitas, me Irriſio. dia ſtultitia, probos impium, improbos ſæuum, notos immanitas, ignotos dementia, deniq; hominem, inhumanum.

11 Oculi ſint quieti, manus ne ludibundæ, ne geſticulatrices.

12 Nec aſſueſce quenquam cædere, ex talitro enim uenitur ad pugnum, hinc ad fuſtem & ferrum.

13 Solos bonos uero ac germano honore Officium. proſequere, qui ex ueneratione animi naſcitur.

14 Magiſtratibus exteriorem honorem exhibe, illisq; audiens eſto, etiam ſi grauia & moleſta imperẽt, hoc enim uult deus propter publicam quietem.

15 Diuitibus cede, ne irritati & tibi & alijs bonis noceant.

16 Seni aſſurge, reueritus ætatem & rerum uſum, prudentiamq; quæ in illa ætate eſſe ſolet.

17 Honorationi alienæ ne graueris paria facere. Salutantem non reſalutare, nec feliciter precanti, feliciter reprecari, ſi id factũ cognoſcas, aut ſecordis barbariei eſt, aut iactantis incuriæ.

18 Quàm exiguæ res ſunt & nullius impendij ſalutatio, affabilitas, comitas, honor: at quàm magnas amicitias conglutinant exhibitæ, diſſoluunt prætermiſſæ?

19 Quanta eſt bonarum rerum ignorantia nolle multorũ beneuolentiam tantulo redimere?

20 Generoſiſſimus ut quiſq; eſt, & optime educatus, ita ſe maxime mitem omnibus & comem præbet: ut faſtidiũ & ferocia ex uilitate ſunt, aut hebetudine, aut imperitia, unde in bonas artes eruditio humanitas nuncupata eſt.

21 Ipſe ſi non ſalutare aut reſalutare, negligentiæ magis adſcribito, uel inconſideran tiæ quàm contemptui: parũ blande aut nõ ſatis honorifice appellatus, ſeu moribus, ſeu naturæ attribue, non malitiæ uel odio. Ne tam inanis eſto, ut oris flatu impellare.

22 Hiſce interpretationibus ac ſimilibus ſanctam tibi ac iucundiſſimam parabis uitam, quippe omnes diliges, nec à quoquã te offenſum arbitrabere.

23 Vetus dictum eſt, ut uerax, ne ſuſpicax hoc uerbis nouum, ſententia priſcum, ut quietus ne ſuſpicax.

24 Neminem contemnere uidearis, nõ uultu, non uerbo, non geſtu, nõ facto aliquo. Contẽptus

25 Si inferior es, quis ſuperiorũ ferat ſe deſpici abs te? Sin maior, irritas, et auertis minorem contemptu.

26 Intolerabilis eſt contemptus, propterea quod nemo uidetur ſibi tam uilis, ut contemptum mereatur.

27 Multi laborant ut à contemptu ſe uindicent, ſed plures ut de contemptu.

28 Nec quiſquam tantus eſt, quem non aliquando fortuna indigere minimis cogat.

29 Præter hæc oĩa, nullus eſt contemptibilis, quem deus filium dignatur, niſi in hoc dei quoq; iudicium contemnas.

30 Et ſæpe quẽ homines contemptu dignũ putant, ſi perſcrutarentur, ueneratione & adoratione digniſſimum comperirent.

DE SERMONE ET COLLOQVIIS.

1 LInguam dedit deus hominibus, ut ſit Cap. 30 Lingua frenanda. inſtrumentũ ſocietatis & communionis, ad quam natura hominem homini conciliat.

2 Hæc magnorum & bonorum & malorum eſt cauſſa, prout utaris: præclare Iacobus apoſtolus aſſimilauit eam clauo nauis: freni ſunt illi inijciendi, & cohibenda ne uel alijs noceat, uel ſibijpſi.

3 Nullũ eſt peccati, ut facilius inſtrumentum, ita nec crebrius.

4 Nemini conuitiũ feceris, neminem exe- Conuitium creris, nemini noceto, non modo in re, ſed nec in fama atq; exiſtimatione.

5 In neminẽ petulantius ac procacius debaccheris, uel effuſius ac immoderatius in uehare etiã laceſſitus & læſus: magis enim te & apud deum & apud homines cordatos lædes, quàm illum ipſum cui maledicis.

6 Conuitiũ conuitio regerere, eſt lutum luto purgare.

7 Minitari mulierculariũ eſt, nec probariũ.

8 Nec ipſe ſis tam tener, ut uerbulis tranſuerbereris.

9 Nec facundiam exerceas caninam, nec diſerti laudem affectes in alienã contumeliam, in quã infantẽ & mutũ eſſe ſatius eſt.

Alios

10 Alios reprehẽdere ne fis ſolicitus, hoc cura ne in te ſit, q̃d alij poſſint merito taxare.

11 Reprehenſio. Veruntamẽ reprehendens ne utare acerbitate aut atrocitate ulla uerborum, fac ut obiurgationis amarę ori aliquid admiſceat dulce, & quod plagã leniat, ſi quam facis.

12 Modo ne fructus pereat reprehenſionis dum rem ſtudes nimium mitigare, neu in aſſentationem prolabaris.

13 Aſſentatio. Aſſentatio deforme uitium, turpe illi qui dicit, pernicioſum ei qui audit.

14 Nec putes rem ullam eſſe tanti, ut à recto & uero propter eam ſuſtineas deflectere, non hoc abs te opes, nõ ullæ neceſſitudines, non preces, non minæ, non mortis metus & certum periculum extorqueant.

15 Sic tibi & authoritatẽ parabis, & fidem ut oracula putentur eſſe quæcunq; dicas: aliter deſpicieris, & indigniſſimus iudicaberis, qui uel audiare.

16 Sermo. Sermone utitor modeſto, ciuili, comi, non aſpero, nõ ruſticano uel imperito, ſed nec accurato aut affectato nimis, ne quum loquendũ ſit ut intelligamur, ſermoni tuo interprete ſit opus.

17 Nec cõtumelioſum uſurpes ſermonem, aut reprehenſorium, aut rigidum, ſed neq; blandum, aut fractum, aut adulatorium.

18 Eſt quiddam mediocre, quod nec ſuam dignitatem abĳcit, nec alienam tollit.

19 Laſciuia & ſpurcities à ſermone extirpanda, ut à cibis uenenum.

20 Ne celeritatem in loquendo nimiam ſuſcipias, nec ut cogitationẽ præuertant uerba, nec reſpondeas antequã qua de re agatur plene intellexeris, & quid ille cui reſpõdes dixerit ſenſeritq;.

21 Rariſſimum debet eſſe illud Ciceronis quicquid in buccam, & merito ſoli Attico dictum: ac neſcio an uſquam admittendũ, quum inter amicos cauendum ſit, ne quid temere dicamus, quod amicitiam dirimat aut offendat.

22 Quàm turpe illud & periculoſum, lingua quo uadis?

23 Chriſtus dominus noſter ſciens ex loquacitate plurima oriri mala, & illa potiſſimum quæ pugnant cum præcipuo capite legis ſuæ, rixas, diſcordias, ſimultates.

24 Ad circumſpectionem loquendi interminatus eſt, De omni uerbo otioſo quod homines fuerint loquuti, reddituros illos rationem in diſquiſitione illa mundi.

25 Idcirco Pſalmiſta inquit: Pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labĳs meis.

26 Ne ſis in ſermone immodicus, ac ne multus quidẽ, néue audiri uelis ſolus: eſt enim in loquendo uiciſſitudo, etiam ſi cum imperitiſſimis agas aut uiliſſimis, ſed nec adeo rarus aut tardus, ut ipſe te auſcultare exiſtimeris, idq; facere q̃d ſingula tua uerba ſingulæ tibi roſæ eſſe uideantur. Loquacitas.

27 Inter prudentes præſtat audire quàm loqui: ſed eſt locus, ubi tacere tam eſt uitiũ, quàm loqui quando non oportet.

28 Colloquiũ prudentis. Nulla uoluptas eſt adeo ſuauis, quæ cõparari queat colloquio prudẽtis hominis ac diſerti.

29 Ne ſis nimius percontator, eſt enim moleſtum atq; odioſum. Noris & illud Horatij: Percontatorem fugito, nam garrulus idem eſt.

30 Pertinacia. In cõmentando ne ſis contentioſus aut pertinax: ſi uerum audias, hoc protinus ſilentio reuerere, illiq; tanquam diuinæ rei aſſurgito.

31 Sin nõ audias, nihilominus tribue hoc uel amico, uel modeſtiæ tuæ, præſertim ubi nullum neq; probi mores detrimentũ accipiunt, neq; pietas.

32 Superuacanea eſt contentio, ſi nõ adſit proficiendi ſpes.

33 Iactantia. Arrogantiam, aut iactantiam, aut ſuperbam & faſtidioſam authoritatem non ferunt homines, ne in maximis quidem uiris, & omnem laudem meritis.

34 Ne uerbis quod ſcis oſtentes, ſed rebus te oſtende ſcire.

35 Nec quicquid eſt iucundũ tibi dicenti, idem crediderĭs eſſe alĳs audientibus.

36 Taciturnitas. Caue ne quid facias, quod ſecurus aut extra periculum non ſis niſi cæletur: ſed ſi feciſſe contingat, nemini aperueris: quod taceri uis, prior ipſe taceas: ſin detecturus es, uide etiam atq; etiam cui.

37 Arcanum quid, aut cælandum maxime amico quum committis, caue ne iocũ admiſceas, ne ille iocum ut referat, occultum enunciet.

38 Tibi uero arcanũ creditũ accuratius & fidelius cuſtodi quàm depoſitam pecuniã.

39 Nihil erit in humana uita tutum, ſi tollatur ſecretorum fides.

40 Veritas in uerbo. Si quid promiſeris, præſta, etiam ſi res ſit uehementer ardua & difficilis, ſaltem ut obligatam alteri tuam fidem ſoluas.

41 Si quid tibi ſit promiſſum, ne exigas: acrior ſemper in te iudex, quàm in alios.

42 Exiſtimare decet te homines habere ſenſum, rationẽ, mentem, iudicium, ne ſperes te illis poſſe perſuadere malefacta eſſe bene facta, aut cõtra: nec falli poſſe rebus ſimulatis, tectis, fucatis, adumbratis, quæ tan-

dem produnt se, & fiunt tanto fœdiores ac inuisiores, quãto prius occultiores fuerãt.

43 Infestis em̃ animis ea accipimus, à quibus sumus decepti.

44 Ideo cõsultius est omnia esse aperta, nuda, simplicia.

45 Nam etsi aliquãdo ueritas initio odiosa sit, deinceps tamen nihil est illa amabilius aut gratius.

46 Laborat aliquando ueritas, nunquam opprimitur.

47 Mendaciũ. Nec mendacij utilitas solida est ac diuturna, nec ueritatis damnum diu nocet.

48 A mendacio tanquam corruptela quadam abhorreto, nihil est enim humanæ cõditioni abiectius, ut quod illam procul à deo separat, diabolo similem, ac mancipiũ facit.

49 Deinde siue tarde, siue celeriter mendacium tandem deprehenditur, uertiturq; mentienti in turpem ignominiam.

50 Quid despectius aut uilius mendace?

51 Si mendacem te norint, nemo credet tibi etiam asseueranti uerissima.

52 Contra, si ueracem, maiorem habebit fidem nutus tuus, quàm aliorum sanctissimum iusiurandum.

53 Si nõ uis loqui repugnantia, si uis inesse uerbis tuis constantiam, nihil opus est memoria aut arte alia, quàm ut dicas semper quod credis uerum esse.

54 Verũ uero consentiens, falsum nec uero nec falso.

55 Sed si uis in opinione tua uerum inesse, ne facile credas, nisi comperta, uel magnã ueri faciem præ se ferentia.

56 Neu si suspicax, unde illud sapienter dictum: Si uis esse uerax, suspicax non eris.

57 Miserum illum, qui id egit unde extricare se non potest, nisi per mendacium.

DE IVREIVRANDO.

Cap. XII.

1 IVrare ne consuescas. Sapiens enim ait: Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non recedet à domo eius plaga.

2 Et dominus in euangelio suo uetat nos penitus iurare: tantũ affirmare ita est, aut negare, non est.

3 Magna est dei reuerẽtia, non illũ passim aut facile testem adducere: non debet hoc nisi ab inuito & coacto fieri.

4 Qui facile in seriis iurat, in iocis iurabit: qui in iocis, & in mendacio.

5 Si qui tibi crediturí sunt, æque iniurato credent ut iurato: nõ crediturí, magis etiã iureiurando auertentur.

QVOMODO HOMINIBVS utendum.

Cap. XII. Qui diligendi.

1 INter homines est aliquod faciendũ discrimen. Sunt enim ex eis alij domestici, alij noti tantum, alij ignoti.

2 Domesticos uoco consanguineos, affines, & quibus cum in eadem domo & familia degis.

3 Omnes sunt diligendi, etiam in ignotos talem te ostẽdes, ut sentiãt te in uniuersum toti generi humano amicum esse, omnibusq; bene cupere.

4 Non tamen te eundem præstabis omnibus, ut lineã albam in albo saxo: alios adhibebis cõsilijs, alijs parebis & obsequere, alios reuereberis ac coles, alijs gratiam referes si quod ab eis beneficium tuleris: & ijs potissimum, quorum opera usus es utili tibi, aut diligenti aut fideli.

Animus pro opere

5 In quo animus pro opere computandus est, ut non multo peiore loco uideatur esse, qui conatus est, quicq; uoluit prodesse, quàm qui profuit.

6 Operam si accepisti, ne sis minus de reddendo & compensando solicitus, quàm si pecunias mutuas.

Gratitudo

7 Nec putes minus esse operã dedisse dum taxat honestam, & à syncero profectã animo quàm pecuniã: quin hoc maius, quo cuiq; corpus q̃ externa charius esse par est.

Benefacere

8 Ne expectes dum necessitates ad te suas familiaris deferat, tu illas adorare, & eis ultro subuenias, honestis precibus occurre, & antequam oreris, exorare.

Parentes

9 Parentes non amabis solum, sed secundum deum unice uenerabere, illorum iussis tanquã diuinis imperijs obtemperabis.

10 Persuasus id quod res habet, illos uicem tibi referre in terris dei, nec te uel charioreẽ cuiquam esse, uel maiori curæ.

11 His proximi sunt præceptores, pædonomi, tutores, deniq; quibus cõmendata est morum tuorũ cura, quia nihil est in homine preciosius aut præstabilius.

12 Istos uelut alteros parentes ama & reuerere, his modeste, imò cum alacritate quadam pare, reputans, quæcunq; præcipiũt, non ad sua illos referre cõmoda, sed ad tua.

13 Quod quũ ita sit, pessimam tu illis gratiam redderes, si ubi ipsi cõmodis tuis intentissimi sunt, tu eis odium aut contumaciam pro tali beneficio reponeres.

14 Crede te illi esse charum, à quo amice reprehenderis.

Reprehensio amantis.

15 Nec unquam reprehensionẽ obesse uel inimici: nam si uera obijcit, ostendit quod emendemus: sin falsa, q̃d uitemus: ita sem

per

per uel meliores reddit, uel saltē cautiores.

16 Familiares. Quos familiares tibi facturus es, explora prius quibus sint moribus, & quemadmodum se cum aliis amicis gesserint, ne te postea necessitudinis pœniteat.

17 Ne familiaris illi fias, cuius familiaritatem bonos uides auersari.

18 Eos etiam uita, qui non te amabunt, sed tua: quales sunt parasiti, & quorum consuetudine ac tanquā affrictu, uel peior fies, uel labem aut periculum contrahes: illos quoq; qui amicis felicioribus inuidēt: tum qui iocorum studiosi, nihil pensi habent in uitam & maxime arcana amicorum ludere, aut dicta dicere, aut innata loquacitate magnopere reticenda effutire, sed illos potissimum qui ob leuem rixulam grauissimas inimicitias cum charissimis suscipiūt, acriusq; in eos ulciscuntur quos aliquando amarūt, quàm quos semper odere: barbarica quadam persuasione minus ferendam esse iniuriam quæ fit ab amico, quàm quæ ab inimico: in quo se ostendunt nunquam amasse, alioqui non putarent se tam cito læsos: eiusmodi præstat inimicos, aut certe ignotos habere quàm amicos.

19 Esto in admittendis ad familiaritatem cunctantior, in retinendis semel admissis constantior.

20 Familiares elige, nō placituros tantum, sed & profuturos: non eos qui omnia loquentur ad gratiam, sed qui ad commodū: nec qui suauiter et uafre assentabuntur, sed qui uere & simpliciter admonebunt.

21 Assentatores. Si consueueris assentatoribus delectari, nunquam uerum audies.

22 Ex bestijs exitiabiles maxime inter feras inuidia, inter mansuetas adulatio.

23 Quàm amandæ sapientia & uirtus, tam execranda assentatio, quæ impedit ne illuc perueniamus, dum suadet iam peruenisse: tam diligenda recta admonitio quæ illuc prouehit, dum quantū superfit, & quemadmodum conficiendum sit, docet.

24 Si reprehendi fers ægre, reprehendenda ne feceris.

25 Miserum illum qui admonitorē quum eget non habet.

26 Malorum consuetudo. Malorum hominū consuetudinem non secus atq; ictos peste deuita, utrinq; enim metuendum contagium.

27 Nisi talis sis, qui confidas te posse illos

28 meliores reddere.

Sed huic fiducie non est nimis fidendū, præsertim quoniam natura nostra in malum fertur prona, ad uirtutē autem accliuis est atq; ardua semita.

29 Cognosce teipsum. Explora & ipse qui sis, quo loco, qua cō ditione, ne res ulla tantos tibi spiritus subdat, ut censeas debere plus tibi, quàm cæteris licere.

30 Quo tibi plus cōcedente more licet, hoc minus retrahente moderatione libeat.

31 In minores præbe te comem, in maiores reuerentē, in pares facilem ac tractabilem.

32 Sic ut uitio sis semper durus, rigidus, inexorabilis.

33 Contemni à cæteris. A potentioribus contemni te, ne inique accipias, potiusq; id crede fortunæ uitio accidere quàm hominis.

34 Si quid à minore proficiscatur, quod tibi parum placeat, cogita non id protinus contumeliam esse, sed libertatem.

35 Te etiam nimis esse delicatum cui leues titillationes grandes uideantur esse plagæ.

36 Nec oportet existimes te solum esse hominem, reliquos pecudes, quibus nec mutire liceat: homo es, uiue æquo cū reliquis hominibus iure.

37 Tractabilitas. Imò uero si sapientior es, si melior, hoc indulge, hoc concede magis de iure tuo cæteris tanquam imperitioribus aut imbecillioribus: tibi uero minus uelis ignosci, cui tantum robur sapiētia & uirtus attulerint.

38 Si uirtute nō excellis, cur postulas uideri aliis potior? Si excellis, cur affectibus moderandis non plusquam uulgus præstas?

39 Iniuriam accipere. Iniuriam accipere, quàm facere, decipi, quàm decipere satius ac felicius, quod nec humana ignorauit sapientia, ut Socrates, Plato, Xenophon, Aristoteles, Cicero, Seneca.

40 Memineris humanæ imbecillitatis esse, falli, errare, ne te grauiter aliorum delicta offendant, præsertim aduersum te.

41 Ignoscere. Ignoscere generosi pectoris, iram retinere atrocis, sæui, degeneris, abiecti, & uilis: quod & natura in mutis animantibus ostendit.

42 Quumq; deus nihil uel crebrius faciat uel libentius quàm ignoscere, quis est tam demēs, qui negare possit illud esse pulcherrimum atq; excellentissimū, quo tam prope ad naturam illam accedimus summi & præpotentis dei.

43 Eris in homines talis, qualē cupis Christum erga te.

44 Et est profecto æquum, ut eam tu des hominibus ueniā, qua in eisdem delictis aut aliis non paulo leuioribus ipse eges.

45 Oratio dominica. Nulla oratio gratior, aut efficacior apud deum illa, quam edocti sumus ab eius filio Christo domino, quæ idcirco dominica nominatur.

46 At illam non potes uere ac puro animo dicere nisi toto pectore homini condonaris quicquid ipse cõdonari tibi à deo petis.

47 Hac lege remittitur nobis ingens debitum, si nos exiguum remittamus.

48 Quicquid unquam homo in hominem peccauit, minutissima pars est eius, q̃d quiuis hominum singulis momentis in deum peccat: nimirum tantum, quanto maior et excellentior est homine deus.

49 Si cui es iratus, fac iuxta monitum Apostoli: Ne sol occidat super iram tuam.

50 Concessurus cubitum, omnes ex animo rixas, iras, offensiones, cupiditates, solicitudines depone, ut cõposito & tranquillo animo placidissimæ te quieti tradas.

51 Cui semel ignoueris, cura ut ille sentiat optima id esse fide actum, ut nec ipse iniuriarum memineris, & experiatur te amicum, si qua in re iuuare aut commodare illi potes.

52 Affectus iniuria, caue ne ultionem tuis manibus de quoquam sumas, nec eam ulli mortalium mandes: non est tibi ius in seruum alienum, imò in conseruum tuum: domino tuo iniuriam facis, si nõ illi cognitionem relinquis de conseruo tuo. Vitio fuine gligenda.

53 Atqui deus est omnium dominus, uniuersi sumus eius serui: sit satis te questum, ac ne queraris quidem, oculus domini singula intuetur, & iuxta sacrũ uerbum: Ipse nouit & facientem iniuriam, & patientem.

54 Idcirco sic ipse oĩbus edicit: Mihi uindictam, & ego retribuam.

55 Nam quum in animo sit iniuria, non in facto, solus deus scit qui fuerit animus, & quod ei debetur supplicium.

56 Plerunq; putamus eam esse iniuriã quæ non est, ut sunt nobis affectus nostri nimis chari, qui non sinunt nos singula rite examinare, sed ad iudicandum transuersos ui sua rapiunt.

QVOMODO SE QVISQVE GEret erga seipsum.

Cap. XIIII

1 Conscientia mali.

COnuenit te nõ charum modo esse tibĩpsi, sed etiã præbere uenerabilem, ut pudeat te tuimetipsius aliquid facturi uel inepte uel imprudenter, uel impudenter, fœde, flagitiose, scelerate, nefarie, impie.

2 Pluris facias conscientiæ tuæ iudicium, quàm uoces omnes ingẽtis multitudinis: quæ imperita & stulta est, ignota temere ut probat, sic & damnat.

3 Conscientia est, quæ turbata maximos affert animo cruciatus: tranquilla, maximam beatitudinem: cui nullæ opes, nulla possunt regna comparari.

4 Hoc est q̃d dominus in Euangelio pollicetur suis, multo plura etiam in hac uita recepturos eos, quàm quæ pro se repudiarint.

5 Fama nec profutura malo, nec læsura bonum. Fama.

6 Mortuus quid plus referes de fama, quàm pictura Apellis laudata, aut equus in Olympia uictor? nec uiuo quidem prodest, si eam ignorat: si nouit, nihil adfert aliud, nisi ut sapiens contemnat, insipiens sibi magis placeat.

7 Conscientia uerum & solidum & duraturum reddit testimonium, plurimum in illo dei iudicio ualiturũ: uitæq; huius magna est magistra, si non se penitus corrumpendam affectibus permisit. Conscientia tua.

8 Quin est etiam quemadmodum scite ille dixit: Murus aheneus, quo & muniti agimus inter innumera uitæ pericula, & securi: nec ullus est tãtus terror, qui muro hoc septum commoueat: est enim mente defixus deo, illiq; fidit uni, ac ei se nouit peculiari esse curæ cui scit parere uniuersa.

9 Turpe est alĩs notum esse, ignotum sibi.

10 An non tibi sufficit, te & tibi notum esse, & quod maximum est, deo? insane, an refertius theatrum quæris? aut nomen apud aliquos diuturnius?

11 Qui tamen existimationis curam abĩciunt, ut audacius & proiectius peccent, ĩ duplicĩter sunt mali, quod nec homines reuerentur, nec deum.

12 Et in conscientiam iniurĩ sunt, quam derident ac deludunt, tanquam ob id spreuerint famã, ut se conscientiæ suæ liberius uendicarẽt, quæ hac de causa effusius delinquit, quod iam nullo metu coërcetur.

13 Hoc est amare se, conari, laborare magnis precibus, à deo petere ac contendere, ut excellentissima nostri pars ornata atq; exculta sit ueris germanisq; ornamentis, nempe religione. Amare se.

14 Non is amat se, qui opes, qui honores amat, qui uoluptates: deniq; quæcũq; siue extra nos sunt, siue in corpore, quum potissima hominis pars sit mens.

15 Nec amat se, qui ignoratione sui seipsum fallit, uel falli se ab alĩs patitur: interdum gaudet, quũ ea sibi persuadet inesse bona, quæ nulla insunt.

16 Hic non est in homine amor sui, quum ipse sit animus, sed amor corporis inconsultus, cęcus, ferus, pernicioſus sibi et alĩs. Amor cecus.

Quem

17 Quem nõ iniuria caput esse ac originem malorum omnium Socrates querebatur, quippe adimit charitatem mutuam, unde in genere humano mala omnia nascũtur.

18 Nimium qui se hoc modo amat, is nec alium amat, nec ab alio amatur.

19 Superbus mitibus discors, superbis multo etiam magis.

20 Odisse se. Seruator noster ex cœlesti sapientia breui declarat documento, quid sit amare se, quid odisse. Qui odit, inquit, animã suam, nihil illi in rebus istis fortuitis aut perituris indulgendo, is uere amat eam, et saluam cupit: qui uero amat indulgendo, is odit, is uult perditam.

21 Laborẽ pro æterno & cœlesti præmio, quis nisi amens refugiat? quũ nec caduca hæc & fragilia citra laborem acquirantur.

22 Laborandum. Hæc est lex eorũ, quibus pater est Adam, ut laborent: hæc eorum execratio, quibus mater Eua, ut affligantur.

23 Ergo quandoquidem laborandum est quocunq; nos uertamus.

24 Quanto præstat anniti, ut maxima merces opera nostra quæratur, quàm exigua, uilis, euanida, atq; hinc sempiternus cruciatus & mœror.

25 Quid quod facilius & tutius & securius, ac proinde iucundius leuiusq; est bene agere: quum peccatum periculi sit plenum, & eam ob caussam timoris ac solicitudinis.

26 Peccatum. Peccatum hominis mors, ut iugulare seipsum uideatur, quisquis peccat: abducit enim se à Deo uita nostra, & à quiete conscientiæ suæ, qua nihil est beatius.

27 Peccati sordes ablues lachrymis, pœnitentia, & inuocatione diuinæ clementiæ, multum huic confisus.

28 Occasio omnis peccandi & caussa, intentissima cura uitanda est. Sapiens ait: Qui amat periculum, peribit in eo.

29 Bellũ cum hoste. Et imminet semper occasioni suæ diabolus, per quem nunquam nobis licet securis agere.

30 Semper est cum eo belligerandum, ut uere Iob dixerit: Militia est uita hominis super terram.

31 Et quum sit hostis tam potẽs, robustus, uafer, tam callidus, ueteranus, exercitatus, tot uires habeat, tot stratagemata & dolos, nulla ratione aut arte, aut ui nostra propria possemus pares illi, nedum superiores è conflictu excedere: idcirco diffisi nostris copijs, ad deum accurrendum est, ad opem implorandam.

32 Oratione uincendum. Hac caussa dominus ac magister noster suis illud non semel præcipit, orent & religiosis affectibus à patre omnium petant, ne in tentationẽ sinantur descendere, hoc est, in prælium, quo manus cum diabolo conserant.

33 Et in oratione quam ipse nos docuit, illa est coronis: Et ne nos inducas in tentationẽ, sed libera nos à nefario illo insidiatore.

34 Accingendũ ad uer. Sic ergo agamus semper, tanquã in acie armati, uigilantes, accincti, intenti, occasionibus nostris nõ indormientes: & quũ tanta sit uitæ fugacitas in tanta incertitate, ut ne crastinum quidẽ possit sibi quisquam polliceri: magnæ stultitiæ est, & atrocis periculi, si spes nostras in longũ tendamus, differamusq; nos adornare necessario itineri: quo singulis momẽtis uocamur, inscij quando uelimus nolimus ineundum sit trahemur.

35 Thesaurus parandus. Quamobrem paremus nobis thesaurũ ad futuram uitam, cui aliquid quotidie accrescat, quo instructi & confisi, nunquam per segnitiẽ aut secordiam inopinantes opprimamur, aut discedamus mœsti, sed parati abire, & uitæ huius pleni, agentes præ nobis magnam & optimam spem uitæ innocenter sanctèq; transactæ per fidem filij dei: & pietatẽ, qua nos instituit. Quo munere nullũ potuit homini à deo maius aut optabilius dari: quo deum noscimus, & quantum effici à mortali potest nõ modo æmulamur ac sequimur, uerum consequimur quoq;.

36 Sine hoc quid est homo aliud, quàm immortale pecus?

37 Bene uixisse. Vt unus dies humanæ uitæ præferendus est longissimæ ætati corui aut cerui: ita dies unus ex religione actus, hoc est diuinæ uitæ toti æternitati fine religione anteponendus.

38 Hæc est uita æterna, inquit Christus dominus, ut agnoscamus patrẽ, & quem ille misit Iesum Christum.

39 Hic est cursus absolutæ sapientiæ, cuius primus gradus est, nosse se: postremus, nosse Deum.

Regi sæculorum immortali & inuisibili
soli sapienti deo honor & gloria
in sæcula sæculorum,
Amen.

Brugis 1524.

FINIS.

COMMENTARIVM
IN LIBROS SACROS ECCLESIASTICOS,
ET PRIMO IN LIBRVM TOBIAE, CHVONRADI Pellicani Rubeaquensis.

CAPVT PRIMVM.

1



TOBIAS ex tribu & ciuitate Neptalim, q̃ est in superiorib⁹ Galilææ, supra Naasõ post uiam quæ ducit ad occidẽtem, in sinistro habens ciuitatem Sephet.

Quomodo non canonicus.

Tametsi hic libellus Tobiæ inter canonicos non habeatur, nec posit firma pro fidei articulis comprobandis contra Iudæos authoritas ex ipso produci, uel infallibilis ueritas per omnia certissime cõprobari: quando quidem id prærogatiui non est consecutus olim, ab ecclesia sancto spiritu inspirata: sed nec Hebraice scriptus inuenitur apud nostros Iudæos, uerum teste Hieronymo, tantum Syriace, hoc est, uulgari sermone: quam quam fortassis Hebraicis literis, sicut & Commentaria uel Paraphrases Onkeli & Ionathæ, simul quoq; apostolorum temporibus Euangeliũ secundum Matthæũ, postea Græce interpretatum ex Syra lingua, qua & Christus usus est & apostoli: quin & nodos difficiles continet ad historiam pertinentes, de quibus postea: maximæ tamen utilitatis esse ipsius lectio deprehenditur, planeq; moralis per omnia, & plenus saluberrimis institutis, pertinentibus tam ad fidem quàm ad mores. Eius certe author ex phrasi & materia prophetico & sancto spiritu imbutus legenti cernitur fuisse, quanquã nomen ignoretur & tempus. Apparet autem post iam captiuos Iudæos in Babylonem, & destructam Hierosolymam cum æde sacra, mortuo fortassis iamdudum Tobia minore, ab aliquo de sancta illa posteritate nepotũ, sancto zelo & exempli gratia conscriptum esse, egregium sanè opusculum pro institutione piorum hominũ secundum dei legem, occasione oblata tam splendidi exempli optimorum hominum, quod non debuit posteris occultari. Quanquam enim sufficienter instituant in pietate fidei & morum lex domini, historiæ ueræ et utiles & prophetales libri, non tamen inutile fuerit ueridicas sanctorum historias conscribi, si id ueraciter fiat, & non ut morum nostrorũ certa exemplaria proponantur, cuncta, quæ à sanctis gesta sunt. Cũ sine peccatis nemo præter Christũ, etiã de quibus in sacris legimus, uixerit, legislator quoq; Moses ipse, & Abraham patriarcha sanctissimus, & Dauid secundũ cor dei, fide

Syra lingua Hebraicis literis.

lium rex sacer electus. Si quid ergo ne dum extra sacrã scripturam, sed etiam in sacris historijs à sanctis actum legimus contra legem & uerbum dei, illud minime fuerit in exemplum sumendũ: si quid præter uerbũ egisse uidebuntur, id liberum habeatur, & non necessarium uel utile conuincetur. Non igitur reijciendi sunt in totum libri de uitis sanctorum patrum, conscripti à pijs hominibus & sancte eruditis, non resipientes quæstũ & superstitionem, uel cultum sanctis quëcunq; deferendum, sed gratiam dei in sanctis, uirtutum exempla, ac doctrinas conformes uerbo dei omnibus modis. Hoc enĩ solum sanctis placere potest, & à deo intenditur, profectus fidei & sanctitatis, dum sibi quoq; similẽ dei gratiam præstandam sperare docentur, qualem à deo cateris quoq; peccatoribus collatam legunt & pie creditt, omnia regerendo in gloriã dei, cui soli debetur omnis honor & cultus, qui solus adorandus, & per Christum mediatorem inuocandus & orandus. Tobiæ igitur nomen religiose impositum, indicat bonitatem dei, quam conferendam illi primæua institutio nominis portẽdere potuit: interpretatur enim טוביה bonus deus, uel domini bonitas, qua fit ut ex pijs parentibus sancto matrimonio ad id instituto nascantur pij filij, domini bonitatem agnoscentes in omnibus, à quo omne bonum desuper allabitur electis, & timentibus deum. Ex tribu Neptalim genitus fuerat hic Tobias, ciuis insuper urbis positæ in sorte filiorum Neptalim, quæ & ipsa nomen sortita fuerat ut Neptalim uocaretur, ueluti metropolis illius tribus. Quæ quidem tribus habebat ab ortu Iordanis fluenta secundum fontis illius duas scaturigines, usq; ad lacum illum qui dicitur Samachonitis palus, ad meridiem habẽs tribum Zabulon, ad occidentem Aser secundum longitudinem utriusq;, ad Aquilonem uero Hemathiam & montẽ Hermon. Hic uero describitur in eadem tribu ciuitas, Neptalim dicta olim, cui tamen ut et cæteris urbibus frequẽter mutata sunt nomina, iuxta uoluntatẽ principum & regum crebro subinde uincentium urbes, quas suo uel charorum nomine uocari mandãt, non sanè perpetua exactione, sed donec fortior superueniat tyrãnus. Vnde mirum non est, si hic nominata ciuitas Sephet, & Naason non eisdem nominibus nominentur, quibus leguntur in Iosue libro, scilicet Heleph, Kedes, Sahanannim, Adama, Neceb, Iabneel, Lecum, Aznoth, Tabor, Hucuca, Assedim, Ser, Hamath, Reccath, Cenereth, Edema, Arama, Asor, Edrai, Enasor, Iceron, Magdabel, Horem, Bethanath, & Bethsames, ciuitates decẽ & nouem, quæ in libro Iosue cap. decimonono scribuntur tũc fuisse urbes & uici muniti, quarũ nomina mutata sunt interim, ut earũ aliqua

Exempla patrũ quatenus imitanda.

Cultus sanctorum.

Tribus Neptalim.

Mutatio propriorũ nominum.

TOBIAS.

Galilæa duplex.

postea dicta sit Neptalim, alia Naason, alia Sephet. Superior autem Galilæa dicitur, quæ est propior fontibus Iordanis. Inferior autem Galilæa alia, quæ uicinior est mari Genezareth & Tyberiadis. Via autem ducens à Iordane in occidentem, est publica strata, ex Traconitide per superiora Samachonitis paludis usq; ad mare magnum per tribum Aser & Neptalim, per quam uiã transferebantur merces de uno mari ad aliud, Galilææ scilicet. Post illam uiam, id est, ultra eam uersus aquilonem. Fuit enim aquilonarior hæc ciuitas Neptalim, q̃ uia ista, habens nihilominus adhuc aquilonariorem uicum Sephet, tunc sic nominatam. Naason uero nomen est non hominis, sed ciuitatis, quæ ad occasum sita est, respectu ciuitatis Neptalim, inter eam & tribum Aser uel mare magnum. Pertinet autem ad certitudinem historiæ tam diligenter descriptus situs patriæ Tobiæ. Quorum tamen omnium certior ratio reddenda fuerat à Hieronymo & reliquis sui temporis eruditis illarum urbium episcopis, nisi eorundem quoq; tẽporibus iam tota fuisset prouincia miserè deserta et uastata, oblitera taq; omnia tam nomina quàm ædificia, ex temporum diuturnitate & bellorum iniuria.

2 **Cum captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum.**

Captiuitas duplex Israelis.

Sacra historia duplicem captiuitatẽ describit regni Israelitici, imperfectam & inchoatam, duarum scilicet tribuum cum dimidia ultra Iordanem, & tribus Neptalim cis & prope Iordanem, per Teglatphalassar regem Assyriorum, cuius metropolis usq; ad ea tẽpora fuerat per ferè mille annos Niniue urbs speciosissima & maxima. De qua captiuitate habetur 4. Reg. 15. ut facta fuerit sub rege Phacee, qui cepit Ahion, & Abel, & Bethmacha, &c. cum Galaaditica regione & Galilæa, & uniuersam terram Neptalim, trãstulitq; in Assyriã. Hic uero fit mentio de posteriori, facta sub Osee filio Romeliæ nono regni ipsius anno, cum iam in regno Iuda Ezechias sextum ageret annum: de quo 4. Reg. 17. quando Salmanasar rex Assyriorum triennio obsessam Samariam cepit, metropolim regni Israel, & regem captiuauit Osee rebellem & defectorem, uinctumq; misit in carcerem, nono anno regis Israel, transtulitq; Israelem in Assyrios: cuius captiuitatis causa ibidẽ prolixe describitur. Tobias ergo pius & sanctus captiuitatem primam euaserat, sed iam secundo ad gloriam dei translatus est in Assyrios, ut uerbo & exemplo promoueret pietatem, non solum captiuorum fratrum, quibus solatio erat & institutioni, sed & gentilium, qui ex sanctissima conuersatione ipsius, procedente ex fide uera, proficiebant, quotquot electi à domino erãt & prædestinati ad uitam æternã. Tanta est enim bonitas creatoris, & amor dei ad electos, ut mala fieri non sineret, nisi inde elicienda bona præordinasset. Sic captiuitas Israelitarum profuit pietati disseminandæ in orbem, & unius dei cultui propagando ex eo tempore & deinceps. Oblectent se alij, & ingenij uires ostentent, qui per allegoriam faciunt regem Salmanasar omnium praua-rum hominum principem diabolum, qui nos de cœlesti patria deiecit in huius exilij uallem, nobis sufficerit quod certum litera docet, Inter malos semper dominũ habere suos, & in pessimorum quoq; regum tyrannide superesse septem millia, qui genua non curuant ad idola, & cum malis aduersa quidem patiuntur, captiui ducuntur cum impijs, sed inæquali sorte, quando bonis omnia bene cedunt, & præsens est ubiq; illorum creator, & beneficus semper pater: qui non tantum in Iudæa suos habuit eo tempore, sicut nunc intra Turcos, sed ubiq;, quod eius sit orbis terrarum & plenitudo eius. Etiam in faucibus mortis dominus suos cõsolatur, & in camino ignis ardentis suos glorificat, & suæ gratiæ confessores facit & clarificat.

Tobias quando & quare capitur.

Allegorizantes.

3 **In captiuitate tamen positus uiam ueritatis non deseruit, ita ut omnia quæ habere poterat, quotidie cõcaptiuis fratribus qui erant ex eius genere impartiret.**

Facit dominus in tentatione prouentũ, ut ualeat sustineri. Corpore & rebus detinebatur, à dominis & tyrannis opprimebatur, animo autem & conscientia liber domino seruabatur, curæ erat, seruiebat, adhærebat ex fide, & pro uiribus quoad fieri poterat sancta secundum dei legẽ uera bona opera peragebat. Deerat quidẽ templũ, ara, sacerdotiũ, sed non aberat fides in Christũ uenturũ, cuius se meritis credebat placere deo, cui in spiritu & ueritate seruiebat, totamq; implebat legem, charitatem exercens ad proximos pro uirili & accepta gratia: non ignorans dei præsentiam et bonitatem ad omnes creaturas in omnibus locis, qui implet cuncta, & nullibi abest. In captiuitate detinebatur secundum corpus, sed animo liber domino seruiebat. Veritatis uia est, creatorem nosce & reuereri, proximoq; impẽdere pro uirili quod sibi quisq; uelit impendi, hãc lex & prophetæ in uerbo domini docent, & ostendũt regiam uiam totius iustitiæ, quæ tamen in Christi uenturi innocentia & meritis parabatur, & patri placebat, etiã anteq̃ in carne & plenitudinis tempore salutis huiusmodi dispensatio impleretur. Deniq; qui pharisaice iusti sunt, tempore ærumnarum uere se impios produnt, & relinquunt semitam etiã apparentis iustitiæ: fideles aũt ex animo persecutionibus probãtur, igne charitatis purgãtur, et se quod sunt esse ostendũt, tunc maxime cum à dæmonio meridiano infestantur, & examinantur ut aurum. Quia enim uera fide in deum uerum ex lege imbutus erat, ideo in medio idololatrarum domino soli seruiebat, & perficiebat opere quod longe posterius Ieremias docturus erat, ut qui idola cernerent baiulari ab impijs, et stulte adorari, ipsi fideles Iudæi intra conscientiam contemnerent, & soli suo domino supplices fierent ac deuoti. Nec solum fide domino seruiebat, sed eam uiuificam & iustificantem ostendebat ex operibus charitatis ad proximum, eleemosynas faciendo pro omni facultate sua, de superfluis quidem suis: post pauperem usum rerum, quicquid supererat, & iustis laboribus conquirebat, hoc in usum pauperum profundebat, non otiosorum, impiorum, gẽtilium idololatrarum, sed fratrum suorum, filiorum Israel concaptiuorum, quibus ex

Fides Christi.

Via ueritatis.

Pharisæi iustitia.

Fides & opera.

ex ordine diuinitus & à natura instituto, magis obligæ batur quàm extraneis, persecutoribus piorum, & hosti bus dei. Virtuti misericordiæ iungebat cõstantiam, quia sine intermissione, hoc est, quotidie benefaciebat fratri bus, id est, consanguineis, non proxime attinentibus so lum, sed omnibus Israelitis concaptiuis, de genere suo, se cundum ordinem naturæ & iuris, quo domesticis tam fi dei quàm carnis magis homo obligatur quàm extraneis in utroq;, si tamen cætera non sint impæria: alioqui ne cessitati maiori minor est postponenda, & nihil per o dium gentis obmittendum in homines.

4 Cumq; esset iunior omnibus in tribu Neptalim, nihil tamẽ puerile gessit in ope.

Simpliciter est hæc sententia capienda, ad communẽ loquentium intellectum, & insuper ordo loquendi, quo præcedẽtia in facto subijciuntur sequẽtibus in eloquio. Iam de captiuitatis conditione dixerat, non labefactata conscientia & conuersatione, nunc quid adhuc liber in patria egerit Tobias cum uxore, & ciuis, in ipsius lau dem narratur. Erant sanè iuniores eo pueri & adole scentuli, sed inter ciues & maioris notæ uiros præ omni bus spectabilis uidebatur & admirandus, ætatis annos superabat canicies sensuum, & à puero sancte instituto increuerat maturitas honesta, & animus abhorrens ab omni uanitate et ineptis moribus quibuscunq;. Multi na turam prætexunt procliuiorem ad lætitias, & nimium pueris indulgent, ueluti non nimiũ onerandos disciplina & maturitate. Honesta quidẽ & temperata lætitia non est puerilis adimẽda, non nimis anxie educandi, sed in terim studiosissime instituendi in amore iusti, probi, ho nesti, & pij: ut à teneris unguiculis abhorrere discãt ab omni spurcitia, in uerbo & auditu, à iuramento, menda cio, luxu et fastu, à superfluo cibo & delicato, ab exqui sitis & pretiosis uestibus, ab omni oblectamento impio, maxime ab idololatria, qua capi solet iuuentus, quibus omnibus & similibus oblectantur pueri sensu & ætate, leuitatem mentis huiusmodi stultam prætendunt, & uix tandem uexatione eruditi se sinunt, dum usq; ad senectã & seniũ ineptiunt, & moriuntur tandem pueri centũ annorũ, si tamen non citius, pericula incidẽtes, præcipi tantur ad mortem præmaturam. Tobias iste sensu iam se nex erat, placebat quicquid honestum, sacrum, piũ et re ligiosum erat, in omni uita sua. Assuescebat à prima æta te ad uirtutum omnium certamina, ut nõ minus oblecta retur honestis exercitijs & fructibus uirtutum, q̃ cæteri coætanei in delicijs ætatis & corporis. Habet delicias suas uirtus, & matura sapientia, amorq; honesti, longe dulciores q̃ caro: & per ætatẽ acquisita morũ perfectio mirã homini tranquillitatem administrat, & ex terre stri conuersatione sibi paradisum uoluptatis adornat.

Aetas sanctæ etiã puerorum & educatio.

Nota puer.

5 Deniq; cum irent omnes ad uitulos aureos, quos Ieroboam rex Israel fecerat, hic solus fugiebat consortia omnium, & perge bat ad Ierusalem ad templum domini.

Peruaserat iam ingens & horrendus error totam Israeliticam decem tribuum gentem, colendi uitulos aureos, quos posuerat in Bethel & Dan, impius & super

bus rex Israel primus Ieroboam, statim à morte Salomo nis, iamq; duraverat hic cultus annis ferè ducentis, con tra legem & prophetas: paucissimis interim gratia dei præuentis, ut publico errori audacter contraire potue rint. Tantum abest ut uetustas patrocinetur errori, & multitudo magistrorum contranitentium. Certe hic To bias regibus & magnatibus hæreticus erat, & capitis periculo, sicut & Helias, uerbo domini adhærebat: & is quidem ætate adhuc iunior & simplex, sed gratia dei illustratus. Omnes dicitur pro multis: erant enim multa millia fidelium, sed secreto legem seruantium, & ado rantium deum loco decreto per legem, & sacrificantiũ. Arbitrabatur rex impius primus Ieroboã, non posse con sistere suum regnum, si Hierosolymam populus adoratu rus secundum dei legem quotannis ter ascenderet: per suasit callide, præstare ut non uno, sed pluribus locis do minus coleretur, ideo in extremitatibus regni Israeltici in Dan & Bethel, aureos uitulos erexit, & cultum dei de suo contra legis præscriptum instituit, & quos po tuit compulit, contra legem & prophetarum continua uaticinia, quos persequi maluerunt quàm audire. Sed electis dominus semper adest, & spiritu fortitudinis do nat, ut malint obedire deo quàm hominibus. Sic factum est semper & fiet, domino prosequente suos, & confir mante contra mores & studia impiorum. Semper tunc quoq; ut modo inuenti sunt sancti dei homines, qui pro zelo legis diuinæ uitam proderent, à domino quoq; fir mati sunt, & semper confirmantur. Non quidem ab ini tio uitulos adorabant, quos se fecisse suis manibus scie bant, sed dominum deum Israel sub imagine huiusce mo di, quam sibi bona intentione statuerant, in loco ubi so lus dominus adoraretur: sed tempore procedente error paulatim factus est enormior, ut primum uitulos honora re & adorare, deinde gentium reliquarum idola uarijs prophanis ritibus colere inciperent, quousq; dominum prorsus contemnerent, & prophetas dei uerbum profe rentes occiderẽt, idq; criminis à regno Israelis serperet ad Iudaicum, adeoq; ad ipsam Hierosolymam & in tem plum ipsum sub impio Achas. Sicut & hodie, à memo rijs martyrum dignis, lapsu temporis, & dæmonis uafri cie sacrificulorumq; auaritia, peruentum est ad cultum reliquiarum, ad interpellationem sanctorum, ad adora tionem imaginum, ad sacrificia illis ordinata, & ad le gis diuinæ abolitionem, dum in locum sacræ scripturæ Canonicis horis legendæ, potius sanctorum & conficta miracula legenda obtrusa sunt clericis, publico eccle sticæ sanctionis mandato. Id nemo nunc clericus neg are potest. Interim tamen prætenditur temporis diuturni præscriptio, cum longe diuturnior sit Canon sacræ scri pturæ hæc omnia damnans. Fugienda sunt prauorum consortia, maxime autem idola uana colentium, hoc est, laudantium, inclinantium, ornantium, sacrificantium, adorantium, ut sacra loca uisitantium, uota uouentium & reddentium, officia ordinantium ad illorum honorẽ in ecclesijs, & exhortantium ad similia simplices. Hoc autem quid aliud haberi potest, quàm creaturas colere, & creatorem spernere talia prohibentem? Hic ergo

Vetustas errorum non excusat.

Callida argumenta idololatrarum.

Fortitudo sanctorum omni tempore.

Idololatriæ processus.

Incõmoda nostri temporis.

Colere idola.

Tobias hodie hæreticus.

Tobias hodie ut hæreticus damnaretur à multis, & catholicæ ecclesiæ aduersarius definiretur, quia iam aliquot ætatibus inolito errori non subscriberet, quamlibet sacer Canon, ueritatis æternæ, contrarium doceat. Pergebat Hierosolymam ter in anno secundum legem, sacrificijs aderat, et doctrinæ legis deuotus auscultabat, tanto auidior, quanto rarius & maiori hoc periculo liceret per impios reges, sub quorum adhuc tyrannide uiclitabant. Adorabat ibi iuxta formam legis, sed ut alterũ Abelem, cordis & fidei deuotio, domino commendabat iustum. Stabat adhuc templum & sacerdotium legale, in terra Israel habitabant, ideo ad ceremonialium obseruantiam obligabantur Israelitæ omnes, ne pro sua superstitione cultum deo debitum exhibere tentarent alteri cuicunq; quàm deo soli & iuxta legis præscriptum. A qua tamen uniuersali lege immunes erant per spiritum, qui fide, spe & charitate perfecta imbuti erant, ut Elias, Eliseus & similes, rari in populo sancti. Hic uero Tobias humiliter de se sentiens, præter spiritus propensionem in deum, corporalem cultum deo minime detrahebat, sed dei sui cultor studiosus, iuxta legis elementa incedebat in uia domini.

Exemptio ꝓphetarũ.

6 Omnia primitiua sua, & ceremonias suas fideliter offerens, ita ut in tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.

Primitiua quæ dono dei obueniebant sancto Tobiæ de filijs, animalibus, & fructibus, ea omnium bonorum creatori & largitori digna gratitudine iuxta legem dei offerebat: dei scilicet ministris & sacerdotibus, iuxta Leuitici ordinis dispositionem domino seruientium, sacrificando, discendo, docendo, & orando. Hi enim populi ministri in his quæ ad deum pertinent, pro spiritualibus officijs corporali subsidio necessario sustentari de primitiuis debebant, iuxta ordinem à domino institutum, ut legitur Num. 18. Hoc uero non solum ad diuini cultus & ecclesiæ ministrorum sustentationem exigebatur à domino, sed ut pro singulis quoq; dei beneficijs gratias se debere scirent & agere, à quo necessaria huius uitæ cũ ipsa uita gratiose susciperent. Sic enim de acceptis grati, de ulterius quoq; recipiendis & habitis utendis felicitier & fruendis, digni fiebant homines pij, & bonorum omnium largitorem agnoscentes. Hoc autem pro tanto pertinet ad legem naturæ, ut non omnino ceremoniale tantum habeatur. Ratio enim et charitas hoc dictitant, ut grati simus domino, & de superfluis nobis, proximis benefaciamus, & abundantiam nostram in aliorum bonorum indigentiam expendamus: maxime uero eorum, qui ex officio necessario, nobis prosunt: sine quorum ministerio subsistere non possumus, quorum omne studium nobis necessarium est, quo minus sibijpsis de manuum suarum labore prospicere possunt, intenti toti nostris cõmoditatibus. His obligamur necessaria corporis, qui in spiritualibus prosunt nobis. Ceremonias fideliter obtulisse, locutio est: quasi dicere uoluerit, iuxta omnes cerimonarum leges domino obtulisse sacrificia, secundum tempus & festa, quibus sese domino commendabat, & futurorum mysteriorum exemplaria & umbras fideli corde pronostica fide commemorabat. Vt nunc nos quoque accepta à Christo beneficia rememorando recolimus, & ueluti præsentia adoramus in spiritu, fruimur, & gratias agimus patri per Christum. Præter primitiua & decimas generales duas oblationes domino deferebãt sancti patres. Vna fiebat singulis annis, ad sustentationẽ Leuitarum, qui hæreditatis sortem nullam receperant, lege dei prohibiti, ut tota solicitudine diuino cultui inhærere possent, & populo in spiritualibus deseruire. Id fiebat singulis celebritatibus, ter in anno. Altera, tertio subinde anno facta, seruabatur in sustentationem pauperum, reposita apud semetipsos, distribuenda peregrinis, aduenis, pupillis, uiduis, infirmis, pauperibus & egentibus, etiam in casu paupertatis Leuitis. De hac portione nihil expendebatur in proprios usus, sed erogabatur petentibus, ut habetur Deut. 14. Huiusmodi uero ordinatio bonorum domini, à domino ordinata est ad subueniendum egentibus, quæ pro charitatis lege necessaria omnibus non sunt mutata, nisi iuxta numerum & tempus, quæ per Christi legem obligant fideles ad omne tempus, & ad opus perfectum sine numero.

Sacerdotũ ministeria & subsidia.

Ceremonia ri priscis et nobis.

Oblatiõ duæ.

Oblatiõ Christianorum.

7 Hæc & his similia secundum dei legem puerulus obseruabat.

Loquitur de statu Tobiæ ante captiuitatẽ, & in primo ætatis flore cõmemorat imbutũ fuisse religionis amore, & cura placendi dño, sic institutus à maioribus à captu rationis. Extunc enim & tẽpestiue testa noua informanda est ad studiũ pietatis, quod in proiecliore ætate uigeat & proficiat semper. Sic crepundia sanctitatis cõcinnẽda sunt pueris filijsq; sanctorũ: sic anteuertẽda est naturæ peruersitas, disciplina diuinæ legis, ab infantia. Non gentiliũ fabulis obscœnis ingeniũ fascinandum, sed sacris & diuinis dogmatibus instituendũ: multũ enim refert, quibus ab infantia studijs imbuatur puerulus, qbus cũ coalescat, quibus moribus initietur & doctrinis. Nec tantũ discebat dei legẽ, non erat inanis auditor sermonũ dei, sed factor operis, tanto diligentior, quanto à puero asuetior ad sacra: quicqd boni agendũ suscipiebat, maiori cũ uoluptate in ꝓfectiore ætate poterat cõsummare.

Testa noua informanda.

8 Cum uero factus fuisset uir, accepit uxorem Annam de tribu sua, & genuit ex ea filium, nomen suum imponens ei.

Sanctissime seruabatur ab Israelitis castitas adolescẽtium, siquidẽ ualde arduis dei legibus tam stuprũ q̃ fornicatio prohibita erant, & matrimonij sacri dignitas suo loco honoratissima habebatur, ut est, & habenda à fidelibus, apud quos benedictio est pluralitas bene institutæ prolis, quæ iustis posit diuitijs enutriri, cum utili labore & studio uirtuosæ cõuersationis. Non sunt adolescẽtuli sine disciplina castitatis sinẽdi, sed in primæua ætate institui debent ad utiles disciplinas artiũ, ad occupationes fructuosas, uel terræ colendæ: uel mechanicis honestis artibus adaptandi, ad negotiationes iustas, ad patriæ et familiæ decorẽ & usum: liberalibus quoq; disciplinis instituendi, & ad frugalitatis amorẽ edocendi, cum tẽperantia rerum in omni uictu & amictu, absq; otio & libidinis

Castitas adolescẽtium.

bidinis studio. Quod si fiat, facilius cõtinere poterunt, & tardius Veneris importunas libidines sentient, pluribus honestis studijs occupati: quibus accedat diligens cura parentũ & magistrorũ, ut intenti negotijs frugiferis, tempus honesti matrimonij patiẽtius expectare posſint, & suauiori tandem amore honestorũ parentum filiabus copulari, quo iucundior succedat castus matrimonij amor, & uxor cum timore dei & applausu honestorum amicorum gratior ducatur, & feliciore successu diutius cum amabili sacroq; consensu producatur. Non adolescens autem puer, sed iam uirili ætate, consummata natura & integra ætate uxorem ducit sanctus, exemplo patriarcharum ueterum & sanctorum, qui raro ante trigesimum annum uxores ducebant, ideo fortunatiores, & naturæ solidioris filios generabant. Deniq; non tam uxores capiebant sibi filij, quàm à parentibus oblatas ac selectas suscipiebant, si licebat per parentum uitam. Hic uero uxorem duxisse legitur, non tamen necessario sequitur non fuisse oblatam, Annam nomine gratiosam et amabilem, qualis & mater Samuelis fuerat, & uidua octoginta annorum euangelica. Quale nomen fuisse matri Mariæ uirginis iactatur incerto authore nunc, quũ Chrysostomus doctißimus fateatur suis ignotum fuisse temporibus nomen aui & auiæ Christi domini. Nostris temporibus subito increuit superstitio præferẽdi Annã matrem, diuæ uirgini filiæ, tanta impietate, ut maluerint superstitiosi dicere: Ora pro me Anna cum filia & nepote, quàm dicere: Christe audi nos, Saluator mundi salua nos. Aras, templa, sacerdotia, festa, fraternitates Annæ aucta nostro sæculo, nobis pueris ignorata erant. Sic creuit infelix loliũ, ut pietas deperiret: donec uerbo domini postliminium reuocari cœpta est, inuitis auaritiæ mancipijs, & uentribus monachis, & impijs sacrificulis. Cum autem studiosißimus esset zelator diuinæ legis, iuxta illud Numeri trigesimosexto, uxorem duxit de tribu & cognatione sua, ut hæreditas iuxta dei legem in familijs permaneret, & sortes non confunderentur. Ex ea autem Anna genuit prouidentia dei filium, donum dei singulare & maximum in hoc mundo, si probus contingat, & felix patriq; similis, ut hic fuisse memorabitur: unde & nomen suum filio imponit, plausibile beneficium, ut in filio pater superstes habeatur post obitum, & immortalis quodammodo. Is enim finis naturalis est constitutionis humanæ, & ordinati à deo matrimonij, ut soboles non indigna parentibus propagetur, qui hæreditati succedat paternæ, referatq; parentem, et genus proroget in longinquum, cum indiuidua permanere nõ posſint: unde & fructus matrimonij est proles, & benedictio sanctis gratißima, à conditore naturarum intenta. Qui uero perpetuam otiosorum hominum uirginitatem tantopere laudant, uiderint unde probent domino placere eam. Otiosorum dico, quandoquidem etiam conuiuges diuinæ gloriæ propagandæ, & charitatis functionibus libere incumbere posſunt ut uirgines, imò tutius & liberius quàm uirgines multæ.

Quando uxor ducẽda.

Anna sancta.

Superstitio portentosa.

Finis matrimonij.

9 **Quem ab infantia timere deum docuit, & abstinere ab omni peccato.**

Hic scopus semper fuit sanctorum omnium, & à deo instituti matrimonij fructus & finis, ut proles generanda instituatur in timore dei, qui aliud non est quàm uerus dei cultus per fidem in gratiam dei, gratiarum etiam actio pro tantis iugiter administratis beneficijs, & obedientia mandatorum per uitæ innocentiam, ut doceantur ab infantia de uoluntate dei, de iustitia fidei & morum, quo conuictus hominum tolerabilis fiat & iucundus, per mortificationem sensuum deprauatorũ ex primæua corruptione naturæ humanæ, quæ ex carnis propagatione homini adhærens, indiget magistrio spiritus, & eductione proborum parentum, qui idipsum quoq; didicerunt à maioribus, quod propagatis consulant & persuadeant. Quanquam uero sine omni peccato præsens in hoc mundo uita perseuerare non posſit, anniten dum tamen ut quàm minimum fieri posſit, peccetur: iuge instituatur bellum spiritus cum carne, timoris diuini cum concupiscentijs, magistrium uerbi dei cum corruptione originali naturæ destitutæ: saltem in uotis sit semper obseruantia legis dei, & odium carnalium affectionum: quod si quid spiritus infirmior peccet & præuaricetur in legẽ, non desinat tamen sperare de clementia dei, quam & inuocare audeat fidelis conscientia, ut nõ cesset dicere, Remitte nobis debita nostra. Hæc itaq; agebat pater Tobias circa filium, eiusdem nominis atq; uoti, sciens illud Prouerbiorum uigesimosecundo, Adolescens iuxta uiam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea: memor deniq; maledictionis filiorum Heli, posteris in exemplum.

Timor dei.

Abstinẽtia à peccato.

10 **Igitur cum per captiuitatem deuenisset cum uxore sua & filio in ciuitatem Niniuen cum omni tribu sua.**

Non sine consilio bonitatis diuinæ perductus est Tobias captiuus in maximam urbem, in metropolim regni Assyriaci, ut & conuersationis suæ sanctimonia multis exemplo esset, & solatio suis illuc destinatis contribulibus exulibus, & tot millibus hominum in urbe deo charorum prædicator fieret, tam pœnitentiæ quàm conuersationis sanctæ, & fidei in unum deum. Quanquam uero pius erat, & fide integra unius dei cultor zelosißimus, non tamen sibi parcitur quominus cum impijs capiatur, & eiectus è patria hæreditate, in exilium relegatur in exteras gentes. Omnia autem hæc mala dominus ordinat in suam gloriam, cui nihil malum est, qui abutitur summe malis rebus in gloriam summi boni. Ibi quoq; multa quidem passurus habitat, sed loco tantum mutatur, non animo, non ignorans domini esse orbem terrarum, & eius plenitudinem. Vxor pariter capitur, sed ab atrociori opprobrio hostium præseruatur nutu & gratia dei. Non fit per captiuitatem diuortium, fit cum tentatione prouentus, ut sustineri potuerit. Filius comitatur, socius quidem calamitatis, sed solatium unicum desolatis, & ut postea dicitur, Lumen oculorum, Baculus senectutis futurus, & gaudium. Captiuitas Niniuen dicitur, non quod omnes in eam urbem arctarentur, sed quia caput erat regni Assyriorũ, per quod sparsim dissemĩabantur multi filiorum Israel: quandoquidem iam

Exiliũ piorum.

Captiuitas Niniuen.

toto ferè orbi dominabantur Assyrij, antequam Chaldæorum nomen illudipsum Assyriorum regnum & gloriam euicisset. De qua quidem urbe Niniuitica lege eruditissimi uiri & pijssimi Ioachimi Vadiani Epitome geographicum. Quod additur, Cum omni tribu sua, non est exigendum cum rigore ad literam, quin aliqua pars tribus illius extra urbem & in regno latissimo uagaretur, sed ob merita tanti uiri multi de sua tribu melius secum in urbe tanta forsitan uictitabãt: uel quod nobiliores de tribu illa & locupletiores illic habitasse significetur. Habet suam logicam sacra scriptura, & rigorem non sequitur. Ex hac deniq; sententia satis liquet, captiuitatis tempore per Salmanasar & destructionis regni Samaritici hunc Tobiam iam filium habuisse, cum iam Ezechias sextum annum ageret in regno Iudæ, à quo usque ad Hierosolymæ uastationem & templi fluxerunt anni plus minus centum.

Ioachimus Vadianus.

Logica scripturæ sacrę

11 Et cum omnes ederẽt ex cibis gentiliũ, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum.

Multa Israelitis ex lege prohibita erant cibaria, suillæ scilicet carnes, & animalium, de quibus Leuitici undecimo, tum quod natura quædam non sana sunt humanis corporibus, tum quia idolis sacrificabantur, & sacra habebantur, tum quia familiaritas conuictus impietatis quoque consortium fascinando inducere poterat, ideo sancti ex Israele à talibus abstinebant, sed pauci: maior uero Israelitarum portio, qui intra terram dominum legem contempserant, non eam poterant iam captiui sanctius reuereri: unde & hic per hyperbolen dicitur, omnes reliquos comedisse de cibis gentilium, excepto Tobia: sed communissimo tropo loquendi, ut dicatur omnes pro multis. Animam suam custodire, est sibijpsi temperare, imperare appetitui, ne quod alioqui delectat, libeat degustasse. Pretiosior in conscientia sua erat sacra dei lex & sanctio, quàm ut pauperie uel gentilium fauore induceretur ad illicita obeunda: sicut & Daniel cum socijs in Babylone. Omnia quidem munda sunt mundis. Verum legis Mosaicæ ritus usq; ad Christum Iudæis omnibus obseruandus erat, & idololatriæ occasio summa diligentia euitanda. Polluebantur igitur Israelitæ contra conscientiam legis agendo, quam Tobias summopere semper & pro omni uirili obseruare satagebat, ne peccaret in domini legem, & contra conscientiam illicita sumeret, cum licita per dei gratiam non deessent. Hodie quoque Iudæi magnam putant religionem abstinuisse à cibis nostris, quos existimant idolatras esse ex omnibus ceremonijs nostris, quarum multas excusare minime possumus, & fidei nostræ in unum dominum deum maculam grauem inurimus: unde & omnia nostra pollutissima arbitrantur, ob tot diuorum imagines, & Eucharistiæ adorationem, quæ in priore ecclesia post apostolorum multa tempora incognita extiterunt.

Cibi immundi.

Oñes pro multis.

Scandalum Iudæorũ.

12 Et quoniam memor fuit domini in toto corde suo, dedit illi deus gratiam in conspectu Salmanasar regis, & dedit ei potestatem quocunq; uellet ire, habens libertatem quæcunq; facere uoluisset.

Non potest dominus amantes se negligere, qui omnium fert curam, etiam malorum, quin & diligendi dei uotum ipse largitur, & gratiam timendi religiose. Ad hoc promouet uehementer studium memorandi beneficia dei, quæ nemo non sentit, nemo non suscipit semper, sed non omnes cogitant benefactorem, non omnes suspiciunt eum unde bona ueniunt, alioqui poterat à creatura mundi creator intelligi, sed non omnes trahuntur à patre: grauis est corruptela sensus humani, prauum cor hominis, & non nisi per Christi gratiam dirigibile ad ueram pietatem, cuius initium est attendere beneficia dei, ut assurgatur ad charitatem per fidem in deum. Toto corde suo domini memor erat, nihil illius timori & gratiæ præferebat, in omni opere uel instituto domini legem & beneplacitum cogitabat, quo minus offenderet patrem & dominum deum suum in uerbo, opere & cogitatu. Quod si quando se offendisse deum intellexisset, statim à puero acquisitus dei timor, reprehendebat conscientiam, & offensam huiusmodi contemnere non poterat, quin ilico facti pœniteret, & de emendatione erratı reddebatur solicitus. Hoc inquam est deum timere, dei perpetuo memorem esse, ex deo pendere totum, etiam si interim electi quoq; offendant in multis, sed non ad mortem. Tales autem fideles dominum semper propitium habentes, in pelago huius mundi & periculis semper tuti sunt: oculi enim domini super iustos, & aures eius in preces eorum, non eos dominus patitur nemiũ periclitari, quin succurrit pater fidelibus filijs, quibus etiam mundus totus, insaniens quoq;, obesse non potest. Feræ & tyranni, opera indulgentissimi patris manuefieri uelint nolint coguntur. Ioseph in Aegypto, Daniel in Chaldæa, Dauid inter Philistæos domino gubernante tuti sunt & laudabiles fiunt. Sic Tobias Israelitarum acerbissimum hostem Salmanasar, quandoquidem dominum offenderant, in captiuitate seruus, clementem inuenit dominum, & in medio hostium amicitia meritum à rege assequitur, ut illi liceat pergere & operari uelit: quandoquidem sic uiuebat, ut nihil mali uelle cerneretur ab omnibus, à nemine timebatur dolus uel iniuria eius, qui dominũ colebat, et in toto corde semper dominũ reuerebatur, cuius gratia nulli aliter facere poterat, q̃ ut sibi fieri ab aliquo uoluisset. Huiusmodi hoĩes paradisum habitant, & iustitiã originalẽ recuperasse uidentur. Id uero non nisi per dei gratiã, qua fit, ut à puero sic imbuatur honestus uotis, ut malũ omne horrori sit pio pectori, & neuus quicunq; in candida conscientia facile attendatur. Tanti boni causam præcipuã inter homines, educationem sanctam ab infantia, homines mundani uel ignorant uel minime attendunt: ideo erroribus inuoluuntur perniciosis, & infeliciores sua culpa persti fiunt. Facile libertatem impetrabat innocens conuersatio, & studium benemerendi de omnibus. Compedibus egni non indigent, sed lupi. Non sunt sub lege sancti, sed legem habent in animo cui prævolant, cupientes quod bonum est, abhorrentes suopte ingenio ab omni malo.

Gratitudo

Dei memor

Patri omnia placere

Paradisi fidelium

Si non

Si non uis timere magistratum, age semper quod bonum est. Charitas non agit perperã. Sapiens utitur hoc mundo quasi non utatur. Accipit Tobias etiam in hoc mundo præmium sanctitatis, & libertate donatur sub rege non improbo per omnia, quando iustitiam mundanam etiam impij reges seruasse uideri cupiunt: & cor regis in manu domini est, qui domino propitio malignari non sinutur. Sic Ieremias apud Nabusardan libertatem inuenit & gratiam. Daniel quoq; & socij, domini instituuntur infidelium Chaldæorum, à quibus capti fuerant. Nomen autem Salmanasar uideri potest fuisse generale nomen bonorum principum: ualet enim interpretatũ, uel asseruatorem & uindicem pacis, uel dominum salutis & trãquillitatis, sicut & Sennacherib impius rex multa apud Hebræos nomina retinens, idem est quod gladius uastator, uel gladius odiosus. Quo fit ut pro uarietate adsignatorum nominum, non raro uariare uideantur historiæ, cum concordent pulcherrime.

Nomina regum.

13 **Pergebat enim per omnes qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis.**

Non poterat latere ferocem regem uel magistratum, quid conaretur & practicaret seruilis conditionis iste captiuus, discurrẽs in regno: qui si corda Iudæorum solicitasset ad defectionem uel seditionem, facile traductus fuisset ab Israelitis etiam suis fratribus, quorũ multa pars impia erat, & pium uirum ipsis dissimilem amare non poterant: sed iam exercebat officium pij uiri, quod postea Ieremias docuit, ut exhortaretur concaptiuos ad tolerantiam exilij, ad obedientiam regi præstandam, etiam si immodestior & discolus iam eis contigisset, quando id domino placuisse uiderent ex facto: pœnam esse condignam criminibus non possent ignorare: forti animo omne solum patriam esse, gloriam dei hoc pacto spargendam in gentes multas, pro qua prædicanda idoneos se possent prædicatores præstare, experti bonitatem dei in beneficijs & præmonitionibus prophetarum, nunc uero iustitiam in contemptores legum suarum. Exhortabatur ut pacifice subessent, & orarent pro regibus, in quorum pace constaret pax ipsa seruorum, facerent sibi ex necessitate uirtutem, & ex bonis & salutaribus studijs mallent sibi reges conciliare, & clementes reddere obediendo ex animo, dominum quoque deum suum colendo in spiritu & ueritate, quando iam non licebat id agere sacrificijs & otijs solennitatum, quàm rebellando exasperare tyrannidem. Hæc salutis monita erant conformia legi & prophetis, & rationi rectæ: quibus ne inimici quidem resistere poterãt, quibus bonorum gratiam, & regis priuilegium mereabatur. Non est charitas otiosa, ubiq; & semper occasionem offendit bene merendi de proximis. Non erat fratrum prælatus, tamen quia dei fidelis seruus esse didicerat, id in primis agere studet, quod domino maxime placere intelligebat, sciens charitatem esse summam legis, & completionem omnium mandatorum dei. Non ambiebat licentiam redeundi ad terram Israel, quæ iam habitabatur æque, ab impijs illac translatis. Nolebat fratres deserere, sciebat dominu esse orbem terrarum. Malebat discurrere in aliena gente profuturus fratribus, q̃ in propria hæreditate pace potiri, quam à grato sibi rege facile impetrasset.

Exulũ pietas.

14 **Cum autem uenisset in Rages ciuitatem Medorum, & ex his quibus honoratus fuerat à rege, habuisset decem talenta argenti.**

Dum sic charitatis fraternæ & fidei in deum impulsu multis benefacere conatur, obmissa domi uxore & chara prole, uagatur per omne regnum Salmanasar, amicus regis, ubiq; tutus, quia palàm probus, fidelis regno & subditis, liberis & captiuis, quorum omnium se seruum faciebat apostolico more & prophetico, discurrens ad synagogas paruulas, quas miseri Israelitæ habere poterant. Peruenit ad Mediam prouinciam distantem ualde ab Ninue, ubi domicilium à rege cum amicis susceperat. Non contentus sua feliciore sorte, alijs quoque uult tranquilliorem statum: fratribus tamen in primis & domesticis fidei, quibus nullam adhibuisse curam extrema habetur ab Apostolo quoq; perfidia. Pergit itaq; sanctus Tobias per omnes prouincias regni Assyriorum, donec transgressa Media peruenit ad Israelitas in Parthiam dispersos. Sunt enim, quibus Rages Medorum habetur, urbs alio nomine Ragra, insignis Parthorum, recta ad Ortum sita respectu Niniue, habens longitudinis gradus nonagintaocto, cum Nino per Ptolemæum assignentur gradus longitudinis septuagintaocto, cuius differentia uigesies continet quatuordecim miliaria. Hic uero Medorum ciuitas appellatur, quia regno Medorum fortassis tunc erat Parthia subiecta. Honoratus à rege dicitur, incerta quidem causa, quod ad homines spectat: cum factum esse potuerit, pacis seruatæ gratia in regno, uel ex improbi alicuius seditiosi confiscatione. Certa autem causa est uoluntas & prouidentia dei specialis circa reges & monarchas, qui in gratiam specialem suscipiunt, quos deus huiusmodi honore & emolumento dignos habet & promouet. Decem autem talentorum ualor in pretio qualis sit, supputẽt qui circa mutationem censuum certi aliquid habent. Nos nostro æuo uidemus numismatum æstimationem mire confundi uel mutari, iuxta auri & argenti dilapidationes indignas.

Cura proximorum.

Rages uel Ragra.

15 **Et cum in multa turba generis sui Gabelum egentem uideret, qui erat ex tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.**

Supra dixerat omnẽ tribum suam deuenisse in ciuitatem Niniuen, hic in ipsa Media uel Parthia, generis sui Gabelum egentem tradit author historiæ, inter multos qui erãt de turba generis sui: ut discamus simplicitatem scripturæ, quæ omnes pro multis, ciuitatem pro prouincia, prouinciam pro regno, tribum pro genere usurpat, & fratres pro cognatis, non solum hoc loco, sed per uniuersum canonem scripturæ. Liquet raram fuisse tunc in Israele probitatem & pietatis usum, quia Gabelus inter multos diuites egere permissus est fratres, et de tam longinquo uementis amici beneficio sustentandus erat

Simplicitas scripturæ.

Liberalitas uera.

dei prouidentia. Non expectauit Tobias mendicantem Gabelum, sed ad reliquorum amicorum confusionem et accusationem ex facto, cum uidisset illius nimis curtam suppellectilem, & necessarijs rebus egentem pro sua familia, sponte & non rogatus, sed dei nutu instigatus, dedit ei decem talenta argenti, quibus donatus tam fuerat, sine quibus alioqui uiuere oportuisset, quibus amicus indigebat: idq; non pro usura exigenda, nec censibus, sed sub chirographo, quod testimonij uice, olim debitum restituti hæredibus Tobiæ, uel in casu indigentiæ ipsimet Tobiæ significaret, si tamen possibilitas adfutura fuisset, quod & factum est postea. Inde discimus pacis gratia in contractibus chirographa constitui, & alterutrũ reddi debere, ad perfidiæ & mendaciorum studia præcauenda, ut iudicialibus molestijs præcludatur occasio, fauor inter amicos, & gratia consanguinitatis diutius conseruetur, & pax reipublicæ statuatur. Integræ enim rationes amicitias firmãt, improbæ labefactant. Sic non est iniustum quicquid charitati proximorum seruit & profectui, dum nulli fit utrinq; iniuria, ut & amicus de suo præstet abundans, & si quando officium repoposcerit sine alterius damno, benefactori non inferatur iniuria uel egestas.

Chirographa contractuum.

16 Post multum uero tẽporis, mortuo Sal manasar rege cum regnaret filius eius Sennacherib pro eo, & filios Israel exosos haberet in conspectu suo,

Assyriorũ reges.

Facit discordia tam Iudæorum q̃ gentilium circa nomina regum Assyriorum, ut nihil certi adduci posse putem, quando & Sardanapalus multinomius fuerit, qui non multum abfuisse uidetur ab istis temporibus, sub quo concidit regnum Assyriorum, qui & dicitur alio nomine Tonoscon, à quo & Medi defecerunt, & inualuerunt Chaldæi. De temporis ergo prolixi ratione, supputatio inquiratur ab alijs. Claret satis successisse crudeli Assyrio improbiorem filium, sicut & pio Ezechiæ impijssimus successit Manasses. Causa autem odij Sennacherib in filios Israel late describitur à sacra historia Regum & Isaia. Is uero post stragem angelicam nõ diu uixisse probatur, quo tum tempore criminum suorum mensuram impleuit, post uastatam Iudæam etiam exules Israelitas durius persequendo. Verum tum per dei gratiam abbreuiatum est tempus, impio occiso à filijs in templo dei sui. Siue autem odium istud incruduerit ante stragem uel etiam postea, satis liquet fideles sub illius imperio grauia pertulisse, ut hic scribitur, sed non admodum diuturno tempore.

17 Tobias quotidie pergebat per omnẽ cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatq; unicuiq; prout poterat de facultatibus suis.

Vera in deum pietas & religio non est otiosa, nouit etiam quibus præcipue studijs deo suo probetur, quid sit optimum in operibus deum placantibus, egentibus pijs & innocentibus succurrere. Idq; Tobias sine intermissione agebat, ueluti iuge domino sacrificiũ offerens, non cantuum aut murmuris, sed beneficentiæ & communionis, quorum monente Apostolo obliuio non incidat fidelibus: Talibus enim hostijs promeretur deus. Nedum quotidie, sed & per omnem cognationem pergebat, Israelitici generis exules, quos poterat, iuuabat muneribus, cæteros salubribus monitis consolabatur, ne fide in deum deficerent à domino, ut uidebatur, repulsi & capti, persuadens dei clementiam ad suos, qualis esset pij patris ad filios, quorum captiuitas propediem in gloriam dei propagandam proficere posset, id quod ante omnia desiderare deberent, pro quo animo suo tali essent in hac quoq; uita & in præsenti exilio iucundiora fata adepturi. De suis, non de raptu, non de usura, non de artibus malis acquisita, distribuebat, quantum facultas suppeditabat. Vbi enim deficiebat argentum, ibi adhibebat consolationes ex uerbis: id quoq; ubi nõ sufficeret, proprio corpore occurrebat necessitatem habentibus uiuis & mortuis.

Eleemosyna.

18 Esurientes (inquit) alebat, nudisq; uestimenta præbebat, & mortuis atq; occisis sepulturam solicitus exhibebat.

Alere esurientes.

Sicut habentes uictum et quibus tegantur, contenti esse fideles debent, sic miseria intolerabilis est, fame excruciari pios, dum interim uidere est impios luxurientes de superfluis suis, per comessationes & ebrietates. Non alebat otiosos fortes & ualidos mendicantes, qui erat ipse minume otiosus, sed nec pauperes omnes, sed tantum esurientes, non ad luxum ingurgitando, sed necessarijs succurrendo cibis. De potu nihil additur, qui nusquam abest idoneus, etiam si uinum non bibatur, uel etiam plantetur, magnu laboris molestiam ingerens uinitoribus, & periculum uarium & exitiale liguriatoribus & temulentis. Vestimenta ad necessitatem naturæ, ad iniuriam cœli euadendam, ad tegendum inhonestiora corporis, non ad pompam & ornatum, quibus studentes nunquam ditantur, nec proximis iuuandis animum apponunt. Vix omnia sua sibi sufficiunt. Adijcit Christus dominus & alia quædam misericordiæ opera corporalia, quibus tamen & adhuc plura adijci possint, ne ad septenarium numerum pietatis omnia opera reuocari religio sit & necessitas. Vnde & hic additur aliud quoq; charitatis officium, sepultura mortuorum, & ultimum humanitatis officium: non quod gentilium opinione detrahat animarum saluti, si corpus careat sepultura, sed quod corporum miseria non duplicetur, & nulli inuideamus tegumentum corpusculo, quo minus matri omnium inseratur, & quiescat ad diem suum, unde sumpserat fomenti opportuni beneficium. Nihil hic agitur de sacrificijs pro mortuorum animis deferendis, nihil de sepulchrorum pompa, nihil de Poliandri consecratione, nihil de suffragijs persoluendis scribitur, nec hic nec alibi uspiam in sacris. Sepulturæ officium honestum ubique commendatur, exemplo maiorum & Christi domini. Erat fortassis & alia causa propter quam occisorum Israelitarum corpora non patiebatur canibus & feris deuoranda, uel impijs irridenda, ne id in fidelium proficeret pusillanimitatem nimiam, si uidissent se non solum miseros in uita, sed etiam mortuos exponendos

Vestitus egenorum.

Sepultura defunctorum.

ponendos contumeliæ, in blasphemiam domini dei Israel, quam uir iustus ferre nullatenus poterat.

19 Deniq; cũ reuersus esset rex Sennacherib, fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum deus fecerat propter blasphemiã suam, & iratus multos occideret ex filijs Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum.

Sẽnacherib occisus à filijs.

Percusserat angelus domini una nocte de exercitu regis Assyriorũ Sennacherib præsentis centum & octogintaquinq; millia hominum bellatorum, ut habetur 4. Regum 19. Ideoq; cum admodum paucis, quorum numerum puerulus conscribere posset, aufugere multo tam terrore quàm confusione coactus est, donec ad extrema regni sui peruenisset. Ibi non dabat gloriam deo, nec resipuit, tam graui strage admonitus, sed omnium impiorum more profecit in peius, & ueluti alter Pharao obduratus præcipitabatur in iram & furiam, unde urgebatur ad cædes miserorum. Sed non diu id tulit clementia dei, quin filiorum manus crudeli fato consecrauit sanguine conscleratißimi tyranni, quem occiderũt intra templum sui contaminatißimi idoli. Blasphemiæ uero horrendæ series, & execrãdus stilus habetur apud Isaiam, & in libris Regũ multis expositus in rei memoriam. Audax autem facinus erat Tobiæ, qui crudelißimi tyranni decretum facto damnare auderet, & iniuriam sanctis exhibitam pro uirili uindicare, cum periculo rerum & capitis, nihil interim horrẽdo humilitatem poluti officij, cum etiam lege immundus decerneretur, & secundum tempus emundandus, qui demortui hominis funus contigisset. Hanc legis immunditiam non horruit, sed pro more & iudicio omniũ spiritualium seruorum dei, iuxta charitatis rationem interpretatus est legis austeritatem, unde & non dubitauit cibum deserere, & post contactum demortui redire ad cibum, longe religiosior cæteris Iudæis pharisaicis, qui cum ipso cibum sumere respuissent.

Mundicia piorum.

20 At ubi nunciatũ est regi, iussit eum occidi, & tolli omnem substantiam eius.

Crudele exilium.

Impios satellites habere debuit rex impißimus, qui cum nihil boni operis obirent, non solum oderant sanctitatem, sed damnare cupiebant sanctos. Tam crudeli exilio laborabant Israelitæ, ut in platea quempiam occisum doleret nemo, pecudum more occidi pios risui habebatur ab impijs. Quod si quis indoluisset homicidiũ, hostis regni habebatur, & sine iudicij discretione iubebatur occidi: nec id sufficiebat, nisi hæredes quoq; fraudarentur bonis parentis occisi. Talia moliri debebat rex impijßimus, proximus morti & turpißimæ, iam à deo destinatus. Sic & Pharao infanticida fidelium accumulare debebat reatum supplicij grauißimi, multiplici crimine promeriti. Qui gladium habebat ad uindictam malorum, is illud stringit in iugulum sanctorum. Iubet quidem, sed frustra domino non uolente. Sunt enim iustorum animæ in manu dei, & non tangit eos tormentum malitiæ. Tantum uero abest, ut contra dei prouidentiam substantia iusti auferatur, quin manet illum insignis felicitas pro se & filio & nepotibus, impio interim turpißime iugulato, & regno exuto à filijs parricidis.

21 Tobias uero cum filio suo & cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum.

Innocens tutus semper.

Innocentia uitæ sciplam tutatur, & laudem etiam ab inimicis consequitur, uerum cum odio & inuidia impiorum. Patre autem damnato ad mortem, quid ni filius cum uxore periclitaretur? sed magis ille qui tyrãnidem exercebat in amicos dei, is potius proximus exterminio crescebat in impietate, & diuinam iustitiam deprædicaturus adhuc magis, suam insaniam stultam prodere magis cogebatur ab impia conscientia sua. Fugiunt quidem, & aufugiunt pater, filius & uxor, & nudi fugiunt, id est exuti omni peculio & patrimonio. Quia uero multis benefecerat, multos de mammona iustitiæ sibi conciliauerat, ideo amatur à multis, & tutius latitat apud amicos, qui regis imperia non poterant non execrari, quæ cernebantur non ob crimina, sed pro benefactis intentare exitium sancto. Habet etiam in præsenti non raro iustitia operum ex fide suos remuneratores, pietas quoq; remunerationem habet non tantum in futuro sæculo, sed etiam in præsenti. Necesse erat ut ab omnibus amaretur, qui contẽdebat semper omnibus gratificari, qui diligebatur à domino omnium, qui in bono semper malum euincere satagebat, qui deum timuit magis quàm homines, qui communi sensu non abutebatur ad odium innocentiæ & sanctitatis.

Iustitia operum.

22 Post dies uero quadragintaquinq; occiderũt regem filij ipsius. Et reuersus est Tobias ad domũ suam, omnisq; facultas eius restituta est illi.

Exemplum tyrãnorum Senherib.

Quarti Regum decimonono scribitur reuersus Sennacherib rex Assyriorũ, mansisse in Niniue, ut manum domini quam spreuerat experiretur, & tyrannidi impißimæ colophonem in proprio suo regno à filijs occidendus imponeret, omnibus impijs & truculentis regibus exemplum futurus per omnia sæcula. Cum enim adoraret in templo Nesroch idolum suum, Adramelech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio, fugerunt́q; in terram Armeniorum, & regnauit Asarhaddon filius eius pro eo. Hic uero quadraginta dies numerãtur extremæ tyrannidis, siue post cladem exercitus, siue post proscriptionem Tobiæ, uel potius occisionẽ ex uoto, ut longo angore excruciatus, & dæmonibus supplex factus, blasphemiæ suæ iustum experiretur iudiciũ, persecutus à filijs, et regno exutus, omnibus quoq; odiosus. Qui enim à populo diligeretur, qui à filijs parricidali odio insectabatur? Qui blasphemiæ suæ mercedem inuenerat, stragem, tot miriadum ciuium. Execratio autem impij regis, & dignißima clades, facta est diuino iudicio sancto & iusto salus fidelium, & Tobiæ auspicatißimus reditus. Redijt enim congratulatione pluriũ ad propria, qui duplici fruebantur bono, morte crudelißimi regis, & reditu Tobiæ sanctißimi: qui ut plurimo dolore plangebatur nuper morti adiudicatus, sic nunc plausibiliter suscipitur restitutus ad propria. Domũ suã in Nini

ue fuerat assecutus, & substantiam non mediocrem acquisierat, meritis eleemosynarum, pro quibus etiam in hoc sæculo decuplum rependitur, & pietas suum quoq; emolumentum attulerat. Quæ unius tyrãnis cuncta ad horam abstulerat, sed dei insignis gratia restituerat uniuersa. Vt maioris & sacratioris exercitij causas haberet, donec domino placuisset, omnium sanctorum sorte erudiendus, aduersitate scilicet ad id tantum inducta, ut felicior subsequeretur status, omnium in hoc mundo bonorum affluentia perfectus. Sicut & sancto Iob, qui ad hoc diuitias accepit & gloriam, ut durius à satana tentaretur, ad hoc autem tentatus est, ut glorioſior apud deum & homines & felicior appareret: sic Tobias restituitur ad propria, ut sanctis operibus diligentius insistens, grauius affligeretur, & post afflictiones felicius subsecuturo gaudio frueretur.

Exercitiæ sanctorum.

CAPVT II.

1 OSt hæc uero cum esset dies festus domini, & factũ esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos ex tribu nostra, timentes deum, ut epulentur nobiscum.

Epulæ sacrorum dierum.

Cum iam sanctus Tobias per dei gratiam liberatus à crudeli tyrannide, redijsset ad propria, & libertas domino seruiendi iucundior aspirasset, ad primam solennitatem domini, quæ successerat, siue insignior aliqua solennitas Paschæ, Hebdomadarum, uel Tabernaculorum esset, siue Kalendarum aut Sabbati, non enim designatur quæ fuerit, non enim referebat, sanctorum etiam more lætũ diem in domino agere uolebat. Ideo instrui mandat bonum prandium in sua domo. Eo certe modo quo conuenerat sanctis, sine ebrietatis studio uel comessationis, sed pro honesto cõuictu & gaudio, quæ sine epulis non exiguntur communiter, & in rerum superfluitate non syncere & laudabiliter seruatur. Dignatus est etiam Christus adesse conuiuijs, sed sine luxu, cum fructu ædificationis & exhortationis, quæ commode inter epulas quoq; temperatas adhiberi potest, si adsint homines timentes dominum. Hebræi bonũ diem dicunt, quem nos festum diem: & bonum prandium, id est suaue & iucundũ. Non autem expectat donec ab alijs inuitetur, sed anteuertit alios, & ad suam conuocat domũ uir sanctus, & non modicæ authoritatis, satis ad benefaciendum diues: non in excessiua opulentia, quæ solet auaritiam uel sequi uel causare, sed mediocri sua utebatur ad gratiam bonorum, & iuxta legem charitatis. Inuitat autem non impios, nec extraneos, dum potest inuenire timentes deum, id est fideles, unus domini dei sui cultores, qui pariter festum diem domino celebrare in uotis habebant & gratum. Et hos denq; de tribu sua, id est proximiores iuxta necessitudinẽ carnis, qui omnes pascere non potuisset. Vtrunq; enim decebat secundũ morem piorum. Qui panem suum non soli edunt, sed uros iustos sibi conuiuas inquirunt, omnia cum timore dei agunt, & memoriam beneficiorum dei sacro die læti peragunt, iuxta illud quoq; Neemiæ: Ite & comedite pinguia, id est delicatiora, si adsint commode: Et bibite mulsum, dulciora scilicet: & mittite partes eis qui non sibi per paupertatem præparauerunt, quia dies sanctus domini est. Satis autem intelligitur inuitasse nõ omnes, sed timentes deum, & pauperes in primis. Non enim religioſum fuisset pertransisse pauperes, & diuites aduocasse. Pauperum consolator erat, non diuitum, si tamen cætera paria fuissent inuenta. Præferendus est enim timens dominum etiam diues, ei qui impius est, & rebus uti non potest suis. Per filium autem inuitat, ut assuefaciat ipsum ad exercitia pietatis, & operibus misericordiæ à iuuentute sua, simulq; conuicturis commẽdet gratam uolũtatem, qui chariorem in familia internuncium non haberet quàm proprium filium. Exemplum sit pijs contribulibus iucunde cõuersari, cum timore dei lætos esse, proximorum curam suscipere, diebus festis operibus pietatis insistere, præeligere timentes deum, et ipsis de donis domini benefacere, exhortationis & consolationis occasionem non præterire, exules & concaptiuos ad longanimitatem allicere, pauperibus succurrere, maxime uero domesticis fidei: hoc enim bonũ est coram domino, & iucundũ habitare fratres in unum. Hæc spiritus domini agit in sancto homine. Impij longe aliam uiam ingrediuntur.

Inuitãdi ad cœnas.

Inuitatio.

2 Cumq; abijsset, reuersus, nunciauit ei unum ex filijs Israel iugulatũ iacere in platea, statimq; exiliens de accubitu suo, relinquens prandium suum, ieiunus peruenit ad corpus.

Lautationis.

Filius reuersus nunciat casum iam epulantibus. Ex quo patet sanctum Tobiam sibi quidem epulas præparari iussisse: uidens autem inter prandendum abundantiam quampiam, noluit ea sine pauperum refectione sumere, & gaudium habere cupiebat commune cum sanctis egentibus. Sic agendum est quoties lautius cibi parati uidentur, ut eos non sine pauperibus sumamus. Hoc olim fuit Christianis ieiunum, ut de paratis epulis sibijpsis adimerent quod egentibus dispensarent, alioqui parum pietatis habet pepercisse suis sumptibus diuitem, & pauciora comedisse, sed insuper esurientes pauisse, hoc erat uoluntatis dominicæ. Non uult enim dominus ut contorqueamus caput, & corpus ieiunio exhauriamus, sed ut proximorum curam suscipiamus. Sic filius post initia mensæ abiens ad uocandum pios & pauperes, reuertitur illico, & iugulatum Israelitam in platea occisum patri nunciat comedenti. Quanquam rex impius occisus esset, non tamen odium cessauit in Iudæos, eorũ quàm maxime & ualde multorum, quorum amici, fratres & filij occisi fuerant nuper ante Hierosolymam, qui Israelitas non odisse non poterãt, perfidi enim erant. Et inter Israelitas erant, qui de dei cultu & timore nihil curabant, duplici causa odium ferebant, & exitio exponebantur. Non dicitur quod de tribu Tobiæ occisus fuerit, sed simpliciter Israelita, cuius tamen rationem habuit, & sic misere illi illudi mortuo patienter non tulit: periculumq; moræ ueritus, de accubitu exiliens, subitoq; festinans, prandium relinquit

Ieiunium Christianorum.

quit inuitatis, ieiunus autem peruenit ad funus. Discet hoc loco impius aliquis contemnere probitatem & dei timorem, quia etiam dei cultoribus aduersa occurrant, ut non liceat per quietem comedere panem cum inuitatis dei cultoribus, ex dei timore conuocatis. Fideles autem norunt inimicitias satanæ, tentantis pios quàm maxime, & gratiam dei, quæ admonet in aduersitatibus, ne aliquatenus gaudendo excedatur, & ut mundum in malis constitutum minime diligant, bonorum tempore memores sint malorum, pietatis mercedem non in hoc sæculo, sed in futuro expectent donandam: nihil proprij solatij præferendum esse operibus charitatis. Eant Iudæi superstitiosi, & mordicus sua solennia sic agant, ut nulla illis cura sit quis in uico mortuus iaceat, quem sepeliendum festinent in die sabbati, ut uicini asinum sub onere procumbentem in festo die uereantur erigere: Is noster Tobias tantus diuinæ legis amator, et ceremonarum, non dubitat festo die sepelire mortuum, & contaminatus redire ad prandium sumendum, cum timẽtibus deum, amantibus legem dei, & intelligentibus iustitias operum legis. Sed cæci sunt, & cæcorum duces infelicissimi pharisæi.

Venena aranei.

3 **Tollens q̃ illud portauit ad domum suam occulte, ut dum sol occubuisset, caute sepeliret eum.**

Non misit seruulum, non asciuit auxilium sibi, non abominatus est cadauer hominis occisi, non parcit suæ domui, sed eleuans mortuum multo labore, solum illum baiulat, & infert domui propriæ, non quidem ibidem sepeliendum, sed occultandum aliquãtisper, donec commode & sine periculo gentilium, Iudæis infestissimorum, suo illud loco tumularet. Occulte additur, ne sibi inuidiam ampliorem conflaret, & grandi ualde periculo, quod nuper uix euaserat, denuo implicaretur, cum periculo familiæ suæ & domus. Quanquam autem officium hoc esset parum plausibile & honestum sæculariibus, qui abominantur contingere morticina, tamen nihilominus tam candidus animus laudem merebatur non modicam, quam tamen uitare studebat, ne mercedem boni operis laus humana fœdaret, sed & cogebatur uereri inuidiam & odium, si publicum hostem occisum officio pietatis prosequi non timeret. Ad solis occubitum sepelire uolebat suo loco, nimirum extra urbem, uel in horto, non intra domum. Quanquam & ueteribus mos fuerit humandi defunctorum corpora, etiam intra proprias domus, ut patet ex gestis martyrum. Nondum enim inolcuerat mos consecrandi cemiteria. Non enim mortuis accedit sanctimonia quæcunq; ex loco sepulturæ, sed locis terræq; ex sanctorũ reliquijs. Vnde antiqui iuxta martyrum memorias sepeliri cupiebant, etiam si nemo Suffraganeorum consecrasset, luto & cineribus fœdis, more ignorato ab apostolis, nisi fortè ex gentilitatis reliquijs hanc consecrãdarum ædium & cemiteriorum consuetudinem recepit fex ista sacerdotum.

Sepulchra quo in loco.

Suffraganei

4 **Cum q̃ occultasset corpus, mãducauit panem cum luctu & tremore, memorans**

illum sermonem quem dixit dominus per Amos prophetam: Dies festi uestri cõuertentur in lamentationem & luctum.

Non pepercit domui suæ super pollutione ex cadauere hominis occisi, non enim peccatum erat ista pollutio, sed irregularitas habebatur ex lege, non ex natura facti, sed pro studio puritatis, quam iuxta corpus æmulabantur homines illi sine spiritu, carnales tantum obseruatores legis & ceremoniarum. Tobias autem maioris æstimauit charitatis officium, quod domino maxime placere sciebat, q̃ odoris fœdi carentiam, & corporis munditiam regularem. Charitas enim & necessitas legem non habent. Occultauit autẽ funus, ut sic opus pietatis impẽderet, ut tamen hostium crudeles animos non magis exulceraret. Nihil hic de lotionibus memoratur Iudaicis, nihil de pollutione usq; ad uesperã, sed dicitur manducasse panem, id est paratas epulas, cũ conuocatis timentibus deum Israelitis. Lugebat autem miseriam suam & populi, quam peccatum immiserat. Quia enim iuxta domini uoluntatem & legem sanctam creatori suo seruire noluerant, ideo nunc in terra hostium impijs magistratibus ad uota omnia obsequi, & ludibrio magno simul cum corporis & rerum dispendio, merito obedire coguntur, iuxta prædictiones prophetarum omnium, maxime uero Mosis. Tremebat quoq; ne prodere tur opus pium, qui de nulla iniustitia apud homines timuisset. Iam enim completa erat miseria populi illius, ut non tam pro malefactis q̃ sanctissime gestis timere coge retur uir sanctus, sicut & martyrum temporibus fiebat olim, & nunc quoq; uidere licet alicubi: temperandum pijs imperfectioribus à sanctis operibus, ne impiorum odia increscant, qui contra conscientias pios adigere, & contra uerbum domini clarũ minime erubescunt, qui facti & fidei rationem nullam audire dignantur. Idem illi uenit in mentem, quod dudum Amos post Mosen dixerat & prophetauerat euenturũ Israelitis, contemptoribus legis dei, & idolorum cultoribus: ut qui in propria domini hæreditate ad dei cultum festa legalia à deo illis proposita celebrare legitime nollent, sub suis iudicibus & regibus: isti olim dispersi in captiuitates non cũ gaudio, sed lamentatione & luctu celebraturi essent intra gentes, exules & exosi, & multiphariam miseri. Dixerat hunc sermonem Amos propheta capite octauo, qui prophetauerat iam ante sub rege Ozia, qui quartus fuerat ante Ezechiam, sub quo contigit captiuitas Israelis perfecta. Quanquam & author huius historiæ tale aliquid de suo addere suo iure potuerit, Tobiam eadem cogitasse atq; dixisse, quæ quispiam prophetarum suo tempore scripsisset etiam tempore posterior. Sic enim allegantur ueritatis sermones, etiam si uerbi scriptores & authores non nominentur. Simile quiddam legimus apud Iob 30. capite, Cithara mea uersa est in luctum. Et ea quidẽ uerba Amos ad impios dixerat legis desertores, qualis Tobias nõ fuerat. Sed se connumerat peccatoribus, qui non sine sancta dñi uoluntate cum impijs fuerat exilio deportatus, nec sine profectu in pietate, quã loci conditio non impedit neq; promouet. Et cer

Pollutiones legales.

Legis impletio.

Allegationes authorum.

te prædixerat hæc Amos nominatim passuros Israelitas in captiuitate Assyriorũ, quia contriuerant pauperes, & in sabbatis quoq; uili emebant, & magno uendebant pauperibus diuites, usuras augebant, & mensuris falsis utebantur: id quod Tobias non egerat quidem, sed plangit huiusmodi nunc puniri, & ad emendationem uitæ adhortatur conuiuas.

5 Cum uero sol occubuisset, abijt & sepeliuit eum.

Calumnia ex sancto opere.

Sanctũ opus occulte agit, & patri cœlesti notũ esse cupit soli, quanquam & timor siue regis noui, siue impiorum aulicorum & hostiũ tam sæuorũ, inter quos habitare cogebatur et cautius agere, quod ut perniciosum actori protrahi poterat in accusationẽ: ut solet occasio quæri ab impijs, & facile inueniri ex calumnia etiã sancti operis. Abijt et sepeliuit. Ex quo uidetur innui quod alibi opportuno loco non in domo sepelierit, pro more quem semper seruarunt Israelitæ sepeliendi suos, nisi fuissent regales personæ, quæ solæ intra urbium mœnia sepeliebantur. Superuacue hic allegoriã sectaremur, cum litera tam clare erudiat ad pietatẽ. Ne hic & alibi glossam sequamur, quæ literã cum historia solijs comparat, allegoriã uero pomis. Nisi intelligat allegoriã eam, sensum scripturæ erudientem fidem & sanctos mores, qualis est & literalis interpretatio per totam ueteris quoq; instrumenti historiam, si legitime tractetur. Ne hic dicere cogamur, noctem eam cui sol iustitiæ occumbat: quin potius opportunitas agendi necessario arripienda docetur, ne imprudenter sese quisquam periculo injciat præter utilitatem uel necessitatem. Expediebat noctu fieri, quod interdiu capitis periculum adduxisset.

Allegoria.

6 Arguebãt autem eum omnes proximi sui, dicentes: Iam huius rei causa interfici iussus es, & uix effugisti mortis imperiũ, & iterum sepelis mortuos?

Amici carnales.

Vt erant iuxta carnem amici, sic carnalia sentiebãt & loquebantur. Arguebant, cum laudare pro bono opere debuerint, maxime cum id commode & caute egisse scribatur. Sed rarus tunc quoq; erat in populo uere pius Israelita: omnes sapiebant mundum, timebant potius regem q̃ dominum: malebant quietem otiosi, q̃ periculum in sancto opere & dei officio, quasi non potens sit dominus saluare suos seruos fideles posterius, qui iam ante seruarat. Omnes proximi sui tam carnis necessitate coniuncti, q̃ loco uicini & fautores, uerebantur occasionem arripiendam ex bono, qui malis omnibus pro uirili abstinere studebant. Dicebãt in eandem penè sententiam, qua & fratres, id est apostoli, ad Christũ, Rabbi, nunc quærebant te Iudæi interficere, & iterum uadis illuc? Iam aiunt, A rege iussus es occidi ob simile opus, et prope perisses: uix enim imperium regis de te occidendo euadere potuisti. Voluissent isti homines indemnes fuisse, etiam si plateæ cadaueribus fratrum impletæ fuissent. Tobias autem meditabatur de obseruantia charitatis, de uoluntate domini, de fauore & potentia eius qui nuper eripuerat, certus se non posse derelinqui, magisq; deum timendum q̃ homines. Sepeliendos mortuos lex nulla tradiderat, sed charitas imperabat: & maiorũ exẽpla spernenda non erant: præstandum proximo, quod quisq; sibi fieri postulasset.

7 Sed Tobias plus timens deum q̃ regem, rapiebat corpora occisorũ, & occultabat in domo sua, & medijs noctibus ea sepeliebat.

Timebat eum qui corpus & animam proijcere potest in gehennam, dominum deum suum, quem & sibi fauorabilem expertus iamdudũ fuerat & saluatorem, quem & amabat ardenter, quod est filiali affectu timere, non ne puniat, sed ne irascatur. Regem quidem timebat, successorem impij Sennacherib, cui filius Asarhaddon, alius à patricidis regno præesse cœperat, æque inimicus Israelitici generis ut pater, sed nolebat irritare crabrones, ideo quod fieri poterat agebat q̃cautißime. Rapiebat è conspectu hominum, & de medijs plateis ut poterat occisos fratres, & intempestæ noctis silẽtio humo tegebat, non sine magnis laboribus & sine auxilijs, ne proderetur factum etiam amicis. Quia enim sperabat in dominũ, ideo subleuabatur per omnia, & commoditatẽ inueniebat explendi domum uoluntatem. Non enim in bono opere aliud intendendum est, q̃ domino beneplacitum: cui si probamur, sufficit: & si uoluerit in tentatione eripere, facile potest: sin minus placuerit, melioribus bonis afficiet. Non tamen sponte ira tyrannorum exagitanda est, sed ut fieri per dei bonitatem potuerit, præcauenda occasio malignandi impijs.

Deus

Intentio operis

8 Cõtigit autem ut quadam die fatigatus à sepultura, ueniẽs in domũ suam, iactasset se iuxta parietẽ, & obdormisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderẽt super oculos eius, fieretq; cęcus.

Faciunt hic allegorici ex Tobia hominem pigrum, carni indulgentem, diuitias amantẽ. Et ex hirundine uirum iustum, quærentem quæ sursum sunt. Quãto uerius & aptius iuxta literam, consolãtur fideles in opere sancto studiosi, & iuxta dei sui legẽ uiuentes, si iuxta Pauli doctrinam, & Christi omnium sanctorũ capitis exemplum multa & grauia ipsos pati contingat in hoc mundo, ne operum sanctorum merita in hac uita uelint sibi rependi, & non potius futurã & cœlestem felicitatem sperare. Maxime cum nemo sanctorum non multa & grauia passus legatur in hac uita, etiam mortem corporis. Omnes enim qui pie uiuere cupiũt in Christo, persecutiones patiũtur. Ex sanctißimis operibus Tobias iam fatigatus, iactauerat se, non amore quietis, sed fatigationis necessitate ex opere. Dormiebat post labores magnos in propria sua domo, in qua benignißimus ut, & natura clemens, permiserat nidulum hirundini, pro fœtuum exclusione solicitam, & beneficentiæ & solicitudinis sanctæ exemplar iucundum & elegans. Ex cuius stercoribus magis domini uoluntate propitia, quàm stercorum natura damnum accipiebat uir sanctus, qui omnibus prodesse cupiebat. Si natura stercoris hirundinei cæcitas contigit, dominus nouit, & qui rerum naturalium proprietates scrutati sunt. Verisimile est eadem

Hirũdo exem

dem uirtute Tobiam excæcatum, qua & lumen postea restitutum est, diuina nimirum uoluntate, cui omnia naturalia seruiunt, quæ omnia etiam in naturalibus operatur: maxime cum mox sequatur ratio explicata, Diuina ordinatio, quæ uiuificat & mortificat, deducit ad portas mortis & reducit, omnia moderando.

9 **Hanc autem tentationem ideo permisit dominꝰ euenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.**

Tentat deus pios.

Tentat suos amicos dominus, non ut sciat, qui nihil non semper nouit, & ab æterno: nec ut peccata uindicet, quibus nemo caret: quemadmodum amici Iob arguebant multum peccasse eum, quia multum fuerat flagellatus. Nec potest hominibus nota esse ratio uoluntatis diuinæ, qui omnia moderatur in omnibus, in cuius potestate subsistunt omnia, qui omnia bene facit, & mala ordinare potest & solitus est in bonum, & in gloriam suam. Sed iuxta scripturam exemplum uoluit esse dominus hunc Tobiam omnibus amicis dei, in hoc mundo aduersa patientibus. Sicut & beatus Iob patientiæ & uoluntatis diuinæ exemplar esse debuit, & doctrina uiriliter sustinendi & patienter manum domini: qui ut infligere aduersa nouit & uult, sic eximere quoq; & restituere in feliciorem statum fideles potest & consuuit, in ipsum sperantes. Et ut dei gloria manifestetur & bonitas, secundum illud quod in Ioanne Christus respondit quærentibus de cæco nato: Quis peccauit, hic aut parentes eius ut cæcus hic nasceretur? quod alia causa non subesset, nisi ut sanctificetur & glorificetur nomen dei in electis. Quod uero translator utitur hac dictione permisit, cui nescio si Hebraica aliqua perfecte respondeat, non intelligendum puto, quod sinat tantum dominus agere naturas, & non simul cooperetur, cum omnia agat in omnibus omnipotens uirtus omnium naturarum. Quandoquidem in eo omnes uiuimus, mouemur & sumus. Sed ordinem dei esse credamus circa suos electos specialem, quo per uices tentat et consolatur per gratiam suam ad salutem piorũ, indurat autem impiam uoluntatem: non ad se uiolenter cogit ac trahit, sed tamen non cessat paterne admonere inspirationibus, & lege proposita, quo fiat peccator ad mortem inexcusabilis in conscientia, & coram dei iudicio. Rationem autem quare hunc & non alium trahat, homines non inquirant, sed agnoscant dominum esse, qui uelit fieri quæ præcepit, & inobedientes punire. Quod autem meminit sancti Iob, subindicat uetustiorem fuisse non solum historiam Iob, sed etiam libri scriptorem, & non tandem ab Ezdra primum scriptam, sed longe citius, quamquam Syriacam linguam resipiat, Hebrææ annexam, non multum absimiles, sicut Iudæa & Syria differunt ut pars & totum.

Naturæ actio.

Prouidẽtia dei circa homines.

Liber Iob.

10 **Nam cum ab infantia sua semper deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei.**

Sic à parentibus institutus erat, uel per dei gratiam eruditus, & per lectionem legis diuinæ, ut deum sum-

mum bonum, crederet nihil agere cum hominibus nisi iustũ, & bonitate sua dignum. Ideo boni consuluit quicquid occurrebat, sciens nihil fieri nisi domini uoluntate bona, qui sibi credentes deserere non potest, sed perficere per omnia ad dei gloriam, ad quam creati sint homines. Ideoq; & necessarium duxit & æquum, diligenter pendere ex ipsius beneplacito, mandata eius implere pro uiribus, quæ si minus sufficiant uel deficiant, humiliter Dei gratia postulanda sit, & indulgentia resipiscentibus speranda, uel de sua fragilitate dolentibus, & conquerẽtibus oratione humili annitendũ. Timẽtes igitur dominũ & obedientes, tuti sunt in casibus huius uitæ, certi de gratia dei bona circa se, siue aduersitates ingruant siue felicitates. Æquanimiter tulit cæcitatẽ corporis, qui lumine mentis dei bonitatẽ aspiciebat. Et expectabat magnanimiter quid de illa sibi dominus ordinasset, nihilominus dominum reuerendo, & habendo patrem, eumq; clementissimum. Immobilis perseuerat, non sine omni peccato, sed in timore domini, qui filiorum est amor, & fiducia bonitatis diuinæ: sentiens cum beato Iob de domino in bonitate, & dicens: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, sic factũ est, sit nomen domini benedictum. Hoc est, domino gratias agere donec uiuatur, ferre per omnia dispensationẽ circa se dei, non murmurare, non maledicere, sed nomẽ domini inuocare. Non solum non blasphemauit uel maledixit deo suo, sed nec est contristatus cõtra dominũ. Non enim iustum cõtristabit quicquid ei acciderit, scientem se filium esse dei, cui curæ sit, qui eruditat filium omnem quem suscipit. Qui enim parcit uirgæ, odit filium suum. Plagam nominat non proprie pœnam, sicut nec Iob propter peccata punitus est, sed ad exemplum proferendum electis omnium nationum, quarum ex æquo creator est dominus, quarum salutem uult & promouet exemplis hominum & rerum naturalium.

Fideles in conscientia tuti.

Iustum non contristari.

11 **Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes & cognati eius, irridebant uitam eius, dicentes: Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas faciebas & sepulturas?**

Reges dicũtur insultasse beato uiro Iob, ut patet ex sacra historia: non quod reges tales fuerint, ut sunt hodie monarchæ, sed populorum rectores, magistri, iudices, patres & domini. Reges, id est, rectores et moderatores dicebantur, ut hodie consules, quia multis consulebant, regebant simplices, & à uiolentia populum uindicabant. Quid autem isti reges dixerint & egerint, liber Iob patenter exponit. Adigere uidebantur illum ad desperationem, quia tanta illi mala nõ acciderent, nisi odium dei, & graue iudicium suis magnis et enormibus criminibus demeruisset. Ipse uero tantorum malorum sibi minume conscius, contendebat se nõ propter peccata tantopere punitum, sed quia sic domino placuisset, qui, cum uideretur illi, à tãtis malis releuare posset: idipsum facturum dum uellet, cuius uoluntatis rationem nemo mortalium inquirere deberet, qui nihil mali uellet, cum sit omnium optimus & maximus. Sic hic beato Tobiæ parentes qui fortè supererãt & amici cæteri, parum in

Reges in scripturis.

lege domini eruditi, quia idololatræ fuerant, et aureorũ uitulorũ, regum Israel, adoratores extiterant, propter quod & capti fuerant in Assyrios: deq; Tobiæ singularibus moribus perperam iudicabant, dicentes stultũ esse domino seruire: et placere domino eos qui male ageret, quia impij felicius in hoc mundo uiuerent quàm pij, dei unius cultores. Cuius rationem sumebant ex conuersatione & cuentu Tobiæ, quia tantus zelator diuinæ legis cum esset, & cultor domini dei exercituum, quem Hierosolymis adorabat, & eleemosynis, sacrificijs, & pietatis operibus sibi conciliare conaretur, tam grauia tamen mala pateretur: nuper proscriptionem, nunc cæcitatem, cum cerneret impios prospere in hoc mundo uiuere et felices. Dicebant autem: Vbi est spes tua, hoc est prouentus timoris domini, quem pro bonis tuis speras consequi à deo tuo, qui tibi uidetur austerior quàm impijs? Quasi dicerẽt: Nusquã apparet te domino gratum esse, qui tantopere te affligit. Aiunt quoq;: Pro qua faciebas eleemosynas. Nimirum iudicantes eum secundum suam ipsorum conscientiam, qui pro nulla re alia probi esse & benefacere cuperent, quàm ut mercenarij uiles mercede magnifica remunerandi. Mali enim aut ut serui tantum & illiberaliter deo per timorem seruiunt, aut ut mercenarij mercedem in hoc sæculo quærunt, ideo beatitudinem quæ deus est nunquam recipiunt, quia in domo nõ manet seruus semper, sed filius. Nõ diligit amari à nobis propter bonum nostrum, sed pro sua gloria. Generale est autem ut impij rideant uitam fidelium, æstimantes eam esse quandam insanam, & finem illorum sine honore: ueniet autem tempus cum sancti stabunt in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & cætera.

Opinio impiorum contra pios.

12 Tobias uero increpabat eos dicens: Nolite ita loqui, quoniã filij sanctorũ sumus, & uitam illam expectamus, quam deus daturus est eis, qui fidem suam nunquã mutant ab eo.

Vir sanctus etiam irrisus & increpatus per insultationem, à charitatis tamen officio non cessat: charitas enim patiens est, benigna est, &c. Non tamen à ueritatis defensione desistit, et à ueræ fidei prædicatione, quã non à proximis suis parentibus didicerat, suæ infidelitatis demerito captiuati, sed à lege quam Hierosolymis audierat prædicari ter in anno. Non igitur fert blasphemiã patienter, sed serioſe, tamen amanter respondet: Nolite ita loqui more gentilium, qui deum uerum ignorant, & legem à domino de cœlis non acceperunt, quorum parentes & maiores dei magnalia non uiderunt, qui prophetas ad se missos non audierunt. Aliter nobis sentiendum est, aliter edocti sumus à maioribus, qui filij non ethnicorum & incircuncisorum sumus, sed filij sanctorum patriarcharum celeberrimorum, Abraham, Isaac, & Iacob, ideoq; & nos sanctos esse conuenit, similes et non degeneres parentibus, qui per fidem uerborum dei expectauerunt futuram in sæculo animarum remunerationem, & ex promissionibus dei semper fortissime pendebant, in spem contra spem fidentes. Quanto magis nos, qui domini dei nostri tam promissiones quàm comminationes in nobis & nostris maioribus completas uidemus? Quãto magis, inquã, nobis sperandum erit de futuris bonis à dño largiendis, qui promissorum eius ueritatẽ certissimã experti sumus? Expectare ergo plena fiducia debemus illam donandam nobis cœlestem uitam, si tamẽ in fide uera permanserimus, si totos nos illi credidermius: eis autẽ daturus est, qui perseuerauerint usq; in finem: ultima expectanda est dies hominis: qui enim in finem usq; perseuerauerit saluus erit. Hoc uero est fidem ueram in dominum patrum sanctorum more immutatam seruare semper.

Respon-sio piorũ qualis ad impios.

Christiorum patientia.

13 Anna uero uxor eius ibat ad textrinum opus quotidie, & de labore manuũ suarũ uictum quẽ consequi potuisset deferebat.

Nõ fuerat uir sanctus de crastino solicitus, sed quoad suppetebat laborandi facultas, manibus acquirebat suppetentiã: nõ tamũ pro se & familia, sed etiã ad eleemosynas pauperioribus distribuendas, sciens beatitudinem eis promitti, qui manuum suarũ labores manducarent, & ipsam pietatẽ habere remunerationem iustam pro futuro sæculo & præsenti. Confisus ergo de prouidentia circa se dei, nihil parcebat rebus, nihil reponebat in thesauros, sed fideliter dispensabat egentibus quæ tenui suo uictui superesse poterant. Factum est igitur per tentationes, quas deus pijs probãdis alijs ingerit per exemplum, ut iam oculis ambobus captus & cæcus, manuum labore conquireret nihil, & de residuo uel reposito nihil quoq; haberet: uxor tantum Anna adhuc sana suo more laborabat, & de labore uictũ sibi & iam depauperato marito promerebatur: similiter & filius pro sua uirili utriq; ministrabat. Quis igitur nisi fide stabilis, & animo fortissimus hic non scandalizatus fuisset, uidens istum sanctum pissimumq; Tobiam ad extremam declinasse pauperiem, qui pro dei amore nullis pepercerat rebus, sed omnia fide plenus expenderat, nunc autem stipe uxoris utcunq; animam trahere per egestatem uidebatur? Sed erat adhuc fidei filius Abrahæ, qui longe incredibiliorem futurum partum ex nonagenaria crediderat, & gentium innumerabilium multitudinem, cum iam centenarius filium non haberet. Et Mosis quoq; fidem didicerat hic Tobias, reliquorũq; patrum sanctorum: quanquam nihil speraret rei familiaris unde uiueret, quàm quod misera uxorcula suis operis corraderet, planè parui emolumenti, scilicet ex opere diurno textrino. Sic regendæ & admonendæ uxores & filij sunt, ut laborare discant, ad otium euitandum & uitia, simulq; ad casum malignantis fortunæ, ut dicitur, necessitatis tempore declinandum. Quod & Apostolo sanctissimo opportune usu uenit, qui de se dicit: Mihi & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ. Quin & ob pauperiem nouã, Annæ illi decrat materia artificij in domo propria, ideo nunc cogitur laborare in domo aliena, ut tentationis huius ordinem non longè absimilem cernamus fuisse ei, qua seruum suum Iob dominus clementissimus exercitare decreuerat.

Egestatorum.

Fidei pertia.

Labor discendus.

14 Vnde factum est, ut hœdum capratum accipiens

accipiens detuliſſet domi.

Laboris merces.

Pro mercede laboris non iam pecuniam accipiebat, ſed corporis neceſſaria, uictum ſcilicet & amictum, quibus ſancti ſoliti ſunt eſſe contenti. Hunc modum uiuendi uoluiſſet ſanctus Franciſcus à fratribus quos collegerat obſeruari, qui pecuniam illis interdicens, tanquam ſcum auaritiæ, & materiam luxus parandi in omnibus: prorſus noluit otioſos, quales & muſcas nominabat nihil efficientes, ſed benefacta inficientes. Deq; mercede laboris, ait in Regula ſua, pro ſe & ſuis fratribus corporis neceſſaria recipiant, præter denarios uel pecuniam, & idipſum humiliter, ſicut decet ſeruos dei. Et in teſtamento ſuo, Et ego, inquit, laborabam, & uolo laborare, & omnes fratres uolo ut laborent ad honeſtatem, eatenus, ut qui neſciunt diſcant. Quod ſi de labore manuum uiuere cum paupere uſu non poſſent, homines minime otioſi & omnium ſeruituti expoſiti, libere oblatis frui poſſent: quod ſi & hoc non ſufficeret, mendicitate ſeruentur. Sed hoc ultimum magis placuit, quia tam libera oblatio deſijt, cum deficeret innocentia uitæ, quoniam labor manualis diſplicuit. Et ſcripturæ ſacræ ſtudium Sententiarum magiſtro cedere decreuerunt, ut patet ex ipſorum inſtitutis & uſu. Sed de his nihil ſtatui diſſerendum, notior eſt religioſorum huius temporis intolerabilis eccleſiæ abuſus, quàm ut literis declarari debeat: arripiendus eſt potius reformationis aliquis modus, ut ſecundum uerbum domini omnia regulentur, non iuxta traditiones humanas contra uerbum.

Franciſcani laborẽt.

15 Cuius cum uocem balantis uir eius audiſſet, dicit: Videte ne forte furtiuus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

Pro digna mercede laborandum.

Mirabatur uir ſanctus cæcus & innocens inſolitam domus ſuppellectilem, agnum balantem, ſubitoq; terrore permotus, uereri cœpit ne quis gentilium, cui laborauerat uxor, furto abſtuliſſet alicui, & pro unius laboris diurni mercede fœminæ detuliſſet: non erat enim mos et uſus tanti uendere unius diei operas, cupiebat igitur inquiri de negotij ratione, ſi quid perperam actum eſſet, ut error emẽdaretur. Quamlibet enim pauper eſſet, noluit tamen uiuere de aliqua re nõ omnino iuſto titulo acquiſita, quod hîc furti nomine in genere explicatur, nempe omnis illicita contrectatio rei alienæ. Diligẽter enim

Diuitiæ examinandæ.

examinandæ ſunt noſtræ diuitiæ unde paratæ ſint & corraſæ, ſi de uſuris, uel iniuſtis prælijs, uel rapinis, de pauperum oppreſſionibus, ex turpi lucro quocunq;, ex mendacijs, hypocriſi, impoſturis quibuſcunq;. Et ubi inque ablatũ reſtitui poteſt, ei cui debetur reſtituatur, uel in pios uſus diſtribuatur, et moderato interim uſu rerum cõtentus ſit qui huiuſmodi reſtituẽda poſſidet, quo profuſior eſſe poſſit in eleemoſynas. De hac re non irrationabilia tradiderunt Scholaſtici quidam, niſi ubi otioſis de clericali ſtatu perſonis, huiuſmodi diſtribui docent, quod uere pauperibus & laborare non potentibus debetur, uel eccleſiaſticis pijs.

16 Ad hęc uxor eius irata reſpondit: Manifeſte facta eſt uana ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modo apparuerunt. Atq; his & alijs huiuſcemodi uerbis exprobrabat ei.

Irata eſt honeſta alioqui mulier, tam laboris quàm paupertatis admodum patiens, quod arbitraretur ſe furacem nominari, quaſi agnum furto abſtuliſſet, & de calumnia prouocabat ad maritum iracunda, & inhoneſtatis famam impatienter audire ferebat, maximè à marito, cum non timuerit Tobias, ne fortè uxor quempiam fraudaſſet, ſed ne à fure pretium ſuſtuliſſet agnũ. Quamlibet autem uxor eſſet & chara, tamen muliebri conditione non uacabat, quarum una eſt iracundia, quæ paucißimis abeſt fœminis. Et parum fuiſſet ferre iratam, nu ſi contumeliæ graui in maritum adieciſſet blaſphemiam in ipſum deum: adigit enim in deſperationem uirum, & ſtultum iudicat qui fidat domino, quem & minime in promißis ueracem criminatur, & falſum pronuntiat aliquid prodeſſe eleemoſynas: ſed omnia prophana iudicat in quibus fideles domino deo ſe placere cõfidunt, quo quid iuſto & pio intolerabilius audire contigiſſet? Sed id non nouum audiebatur ex fœminis, ſimilia quoque & atrociora dixerat olim uxor Iob, quæ uolebat dominum maledici, & eatenus irritari, ut excandeſcẽs ſubito dominus, morte ſubitanea finiret ærumnas Iobi.

Mulier irata etiam honeſta.

Sic nihil mediocre loquitur uel agit mulier irata, nulli uel amantißimo parcit dum excandeſcit: quæ tamen pro ſexus imbecillitate ferendæ ſunt, & prudenter in ordinem redigendæ, ut agnoſcentes rationis fragiliorem uſum, patientius ferant ſe inſtitui ad meliora, & primis motibus efferueſcentibus paulatim deſinant inſanire. Graue quidem eſt ferre uxorem, ſed neceſſarium malum iſtud natura inſtituit, & dominus naturæ ordinauit ad maximum bonum, cuius rationem non neceſſe eſt hominẽ per omnia noſce, qui longe humiliora ignoramus: ſufficiat autem reſignaſſe nos creatori noſtro, & auxilium illi nobis neceſſarium uiſum non abijcere, ſed amare conſortem, exprobrationes negligere, & infirmitati imbecillioris ſexus condolere.

Mulier nihil mediocre.

CAPVT III.

1 IVnc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis, dicens:

Indoluit uehementer uir ſanctus uicem inſipientis fœminæ, & blaſphemiam dei ex conſortis uxore auditam maiorem duxit, quàm ut emendare iam tantopere iratam confideret. Eſt enim mulier animal facile irritabile, & difficile corrigibile, ſi ſemel animum iniuriata diſponderit, cui ſtultum ſit inſiſtere diligẽter, ut reuocetur aut placetur ex uerbis: lapſus temporis tantum huic malo ſuccurrit, et diſſimulatio taciturna. Non hic uerbis proficitur, forſitan nec uerberibus. Confugit hic ſacer Tobias & prudens ad gemitum, dolorem animi comprimendo, & malitiæ grauitatem dño precibus commendando: id quoq; non agit tepidis orationibus, ſed multo feruore excuſſis, unde & lachrymæ exprimuntur, ut mentis & corporis commotio ora

Mulieres quomodo corrigẽdæ.

tionem feruentiorem redderet, essetq; gratior & exaudibilior in conspectu dei. Ingemuit ergo non tam proprium malum, quàm uxoris stultitiam iunctam blasphemiæ, quam tanto acerbius tulit, quanto creatorem suum tenerius dilexit, & reueritus est iustitiam omnipotentis dei sui, quem clementissimum & ueracissimum dubitare non potuit quicquid infideles sentirent.

2 Iustus es domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes uiæ tuæ misericordia & ueritas & iudicium.

Patientia iustorum.

Quotiescunq; sanctis occurrit aduersitas corporalis & mundana, non irascuntur deo, quamlibet omnia à deo fieri non dubitent, mala quoq; in ciuitate, sed ilico recordantur peccatorum suorum, quæ nõ existimant esse parua: & ubi fidutia timoris domini propria crimina non occurrunt, populi sui inconditos mores, & intolerandam iniustitiam et in deum perfidiã cogitantes plangunt, & dei super se & suum populum clementiam implorant, ipsi soli iustitiam ascribunt & bonitatem in omnibus, qui & iustus sit, et nulli faciẽs iniuriam. Sic Tobias tam grauem uxoris in deum blasphemiam audiens, & sibi imputandam credens, simulq; graue circa se dei iudicium sentiens, in principio orationis confitetur iustitiam dei, qui propter perfidiam tantam Israelitici populi iuste eos punierit tam acerba captiuitate, & infortunium illud suum digne se ferre sensit ex familiæ suæ peccato, & uxoris maledicentia, ideo dicit: Tu solus dominus noster, in omnibus operibus tuis iustus es, nos peccatores sumus, in multis semper delinquimus, et irritamus bonitatem tuam, ideoq; satis in omnibus claret tua iustitia, & cum omnia sanctè administres, nos tamen perpetuo ingrati inuenimur, in omnibus operibus tuis relucet beneficentia tua, quia etiam indignis benefacere non obmittis, omniaq; semper agis secundum decentissimũ ordinem tuum, qui sanctior & utilior esse non posset, qui citra condignum punire consueuisti peccata nostra, & conuersis remittere clementer, ut promisisti, et iudicare contemptores gratiæ, ut oportet.

3 Et nunc domine memor esto mei, & ne uindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, & parentum meorum.

Confessio peccatorũ cum oratione.

Agnoscit se quoq; peccatorem, ut sunt omnes homines, & negligentiorem fuisse insuper inregenda familia, quoniã blasphemia tanta inueniretur in uxore propria. Sed & uereri cœpit nonnihil, ne sui quoq; dominus oblitus esset, hoc est beneficijs indignum iudicaret, ideo orat reminiscí ipsum, & ad gratiam redire secum, indulgendo peccata tam sua & uxoris, quàm populi dispersi ad gentes, pro quibus liberandis semper tunc sancti orabant. Deprecatur uindictam pro peccatis, & indulgentiam orat genti suæ toti, occasione accepta à prosperis malis: quãdoquidem non pro se solis sancti orant, sed simul proprijs malis admonentur de aliorum quoq; aduersitatibus, ideo simul pro alijs quoq; orãt: maxime uero pro maiorum suorum peccatis, propter quæ captiui tenebantur, quorũ uindictã deus sumit de filijs æque malis in tertiam & quartam generationem. Forsitan et parẽtes habuit irreligiosos, ut patet ex dictis. Præmittit autem commemorationem propriorum peccatorũ, quia iustus in principio accusator est sui, de se humiliter sentiens, de reliquis uero modestius. Non nunc recordatur uir per omnia sanctus meritorum suorum, non eleemosynarum, nõ prætexit bona opera sua, ut pro illis indulgentiam consequatur, sciẽs imperfectionem operum, et iudicium dei intrare expauescens, sciens non iustificari in cõspectu dei omnẽ uiuentẽ. Longe hic religiosior nostris monachis, qui operum suorum merita uendũt. Hic Tobias tantum pro peccatis suis uindictã deprecatur, non præmium pro operibus uere sanctis, & à deo promissum misericordibus quibus uellet misereri.

4 Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem & captiuitatem & mortem, & in fabulam & in improperium omnibus nationibus in quibus dispersisti nos.

Confiteor peccata maiorum nostrorum & nostra, quia non obsequuti fuimus uerbis prophetarũ tuorum, qui nos docebant legem tuam, & hortabantur ad obedientiã, sed nos perstitimus in dura ceruice nostra, quemadmodum & patres nostri, ideo iustè traditos nos nunc intelligimus in manus sæuissimorum hostium, ut dudum fueras comminatus: qui non parcunt, sed sibi diripiunt diuitias nostras partas multis laboribus, & egere necessarijs cogũt miseros: graui captiuitate seruos nos tenẽt, abutuntur obsequio & seruitio nostro in suã superbiam & atrocitatem, instar iumentorum habentes nos, et dominos se gerunt uitæ & necis nostræ sine timore dei uel affectu cuiuscunq; humanitatis: quin & miseris insultãt & illudunt, quod intolerabile malum est, & opprobrijs afficiunt propter nomen tuũ, quem odiunt, & cuius cultores persequũtur, in fabulam uertunt et improperium ubiq; gentiũ, in quas nos dispulisti, ut conuenire non possimus, nec mutuum iuuare ad libertatem consequẽdam, qui tibi subesse contempsimus, & legem tuam cum minis non credidimus. Sic qui felici in statu domini beneficia confiteri negligunt, in miserijs multis tandem eruditi, peccata sua domino confiteri coguntur. Satius ergo fuerit domino seruire & obedire legibus, quàm discere suo malo quale discrimen sit inter seruitium domino deferendum sponte, et hostium dei hominum tyrannorum sæuitiam ferre.

5 Et nũc domine magna iudicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, & non ambulauimus synceriter coram te.

Reprehendere iudicia dei.

Iusta sunt iudicia tua in populũ tuũ toties clementer à te redemptũ, & semper rebellẽ & iniustitiæ te arguentem, sicut nũc agit uxor mea. Parentes & affines, qui tua circa nos iudicia reprehendere audent, & blasphemare bonitatem, iustissime tractas, & iudicia tua clare ostendis in ingratos, & in contemptores patris sui cœlestis: ideo digne sentimus austeritatem hominum tyrannorum, quia tua leuia & sancta mandata abiecimus, ne ingrederemur in uijs tuis, ideo grauissimũ captiuitatis

iugum

iugum contempti in gentibus ferre cogimur, & tyranni di parere iniustæ cum magna confusione mentis, & op preßione corporum: ita enim meruimus. Humiliter resi gnata propria uolũtate & opinione, simpliciter coram te ambulasse debuimus: sed quia torue & contrarij tecũ inceßimus, ideo tu quoq; inceßisti contrarius nobis, & peruersis peruertisti teipsum, ut ex patre nobis factus fueris in hostem, quia filij tui esse noluimus & amici.

6 Et nũc domine secundũ uoluntatẽ tuã fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi magis mori quàm uiuere.

Quanquam grauißime ferret pius Tobias hominum suorum & uxoris in deum insignem perfidiam, qui nihil emendarentur ex pœna, sed proficerent in contemptu iudiciorum dei, optaretq; excedere calamitatem istam mentis & corporis, requiescere in sinu patriarcharum, defungi tanta huius uitæ miseria, & transferri in paradisum animarum sanctarum, tamen sapienter & religiose præponit propriæ uolũtati beneplacitum dei. Non ex desiderio tantum salutis, sed ex amore dei orat per omnia quidem domino complacere: optaret autem, si bona dei gratia fieri posset, dissolui & esse in pace, ne tanta mala morum & fidei experiri cogeretur, maxime cum cæcus esset, & gaudium in hoc mundo nullum sperare posset, sed multiplicem miseriam, audiens impatientiam uxoris circa se, à qua nutriri ipsum post hac non sine defectu uel indignabundo animo coge retur, quod uiro sancto & prudenti diu non feribile uidebatur.

Sanctorum qualis impatientia.

7 Eadem itaque die contigit ut Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, & ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui.

Deus solus omnia sciẽs

Contemplantur oculi prouidentiæ diuinæ totam terram, ubiq; præsens, & omnia gubernans, solus immensus, & omnia implens, cordium solus scrutator, & desideriorum agnitor. Ne tantam diuinitatis excellentiam & omniscientiam alicui sanctorum attribuamus, sicut nec omnipotentiam, nisi soli deo, nulli creaturæ, qui solus immensitatem habet propriam sibi, & ut Scholastici loquuntur, modum intrinsecum, magis quàm quæcunq; secundum ipsos proprietas. Vnde corpori cuiq; non potest quacunq; potẽtia competere ut sit ubiq;, sed tantum ei potentiæ, quæ facere posßit ex creatore creaturam, quod est deo quoq; impoßibile. Is igitur solus immensus deus, omnia cernens, & nihil eorum odiens quæ creauit, non minus fœminei sexus curam gerit quàm uirilis, & orationes sanctorum audit ubiq;, & omnium, maxime autem afflictorum, quos ideo tentat ut perficiat, & illustret ad gloriam suam. Mirabilis est enim dominus in omnibus sanctis suis, & sacrosancto suo ordine dirigit uniuersa. Quo contigit ut eodem tempore in urbe Niniue Tobias aduersis afficeretur ab uxore, & in Media Sara fœmina opprobrium indignum ferret ab ancilla, & utriq; ad aliud in angoribus asylum nõ currerent quàm ad dominum, in fide et humilitate orando, quales

Esse ubiq; solius dei.

Afflictorũ preces.

ad deum preces non possunt non exaudiri, penetrant enim nubes: & oculi diuini pupillã tangũt, qui fidentes domino & innocentes affligunt uerbis uel factis. Sara autem dicitur, digno nomine sanctis mulieribus in gente Israelitica, filia Raguelis probi uiri ex tribu Neptalim, in ea urbe, Rages scilicet nominata. Ipsa quoq; quia innocens, sancta & deo amabilis, ideo aduersa patiebatur ex uiris sibi indignis, sed iudicio dei occisis, & insuper petulantiam iniuriosæ ancillæ, ut altera Sara ab Agar Abrahæ ancilla olim passa fuerat, propter quã & à domino fuerat proprio benedictionis filio consolata. Sic enim usui solet euenire, ut proximus sit consolationi homo quicunq; innocens, si nõ data occasione digna iniuriam ab improbis cõtigerit perferre coactum. Sic autem seruilis conditionis homines insolentiori & lingua & conuersatione sunt, ut merito seruire cogantur & obedire. Ingenui enim homines magnanumiori sunt animo, quàm ut offendere sine causa quenquam delectet.

Consolationis proximę signum.

8 Quoniam tradita fuerat septem uiris, & dæmonium nomine Asmodeus, occiderat eos mox ut ingressi fuissent ad eam.

Sara casta.

Sancta Sara uirgo non libidinis gratia rapuerat sibi subinde multos uiros, donec septenarius complerẽtur, sed à parentibus numium pertinaciter sibi ex filia prolem affectantibus tradita fuerat casta uirgo tot procis, & diuina dispensatione alteri reseruata fuerat, optimi uiri digno filio, qui eam cum dei clara prouidentia uxorem habere debebat, dignam consortem, ideo pro dei adaugẽda apud fideles gloria, manifestanda erat sanctitas tam Saræ quàm utriusq; Tobiæ, filij & parentis. Sic dominus prouidentiæ suæ opera dispensat, ut ex malis bona proueniant, & boni suis sanctis desiderijs, et fidei magnificæ fructibus non fraudentur, apparcatq; aliunde sensatam uxorem & prolem sanctam non contingere, quàm ipsißima gratia & bonitate dei: impiorum autem iudicia sine demeritis & peccato non contingere, sed ut dei ueritas elucescat, & improborum conscientia sese damnare de peccato cogatur, & sit inexcusabilis. Ingreßi fuerant ad sanctam improba cupiditate, tantum suam libidinem exsaturaturi, et illusuri castæ uirgini, quæ sese domino committere consueuerat, & orationibus domino commẽdare castitatis donum quod acceperat, donec eam dominus desponsasset. Sic enim uirgines debent pudicitiam suam domino, ut altera Cecilia dedicare, non perpetui uoti temeraria emißione, quod nusquã scriptura docuit, sed donec matura ætate dei circa se consiliũ, & iusti sponsi à domino destinati clara opportunitas cerneretur. Non est enim festinandum ad sacrum connubium, sed præmißis orationibus, honestatis tantum occasio & mutuus animorum consensus ex diuturna cohabitatione honesta inquirẽdus, ut non temere tententur, quod factum mutari non potest. Dæmonium autem istud quale fuerit, difficile est explicatu: uerũ ex nomine uastatorem significat & disperditorẽ. Radicem nominis uerbum habet שׁמד si Hebræũ habeatur. Vel apostatam significat & desertorem, quales apostaticos malos angelos nouimus, ad hoc à domino missos, ut gra-

Pudicitia uirginũ domino commendanda.

Asmodeus dæmonium.

uia dei iudicia expleant, & non nisi hominibus nocere delectet, sua quidem culpa, sed iusto dei iudicio ad hoc ordinati. Quod autem dicitur nomine Asmodeus, intelligendum cognomine, ne quis illud dæmonium quod Græcis æquiuocum est ad bonum & malum spiritum, ex ordine benignorum putaret, cum illud & ex nomine apostatam, & ex opere disperditorem fuisse spiritum intellexerit. De natura autem dæmonum si corporei sint aut incorporei, quibúsue affecti passionibus, apud Augustinum de Ciuitate dei discatur, & apud authores quos citat, nobis præter scripturæ authoritatem nihil tentandum erit. Additur autem mox occisos ab ingressu, ut uirginitatis periculo succurreretur. Simile quippiam & Ambrosius scripsit in uita beatæ Agnetis, sacræ nimirum uirginis, cuius stilum & prudentiam utinam etiam alij sanctorum & sanctarum uitas scribentes olim & adhuc hodie æmularentur, quæstuum ac superstitionis studium obmitteretur, & ad scripturarum sacrarum authoritatem & regulam omnia statuerentur, non ad mendaciorum persuasionem.

Dæmones si corporei.

Ambrosius de sancta Agnete.

9 Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non uideamus filium aut filiam super terram interfectrix uirorum tuorum.

10 Nunquid occidere & me uis ficut etiam occidisti septem uiros?

Sara castissima & beata uirgo in familia paterna suo iure non sine causa increpabat aliquando insolentiorem ancillam, & stolidum seruileq; ingenium ueritatis sermone & disciplina necessaria contristauit. Sicut olim Sara matriarcha fecisse legitur Aegyptiacæ ancillæ suæ, per insolentiam contemnenti dominam. Cui improba ancilla ignominiosam reddidit responsionem minime ferendam: respondit enim maledica uoce, & imprecata est diabolico instinctu sanctæ uirgini id, quod omnium minime ferre potuissent Israeliticæ fœminæ, sterilitatem nempe, quæ erat maledictio & habebatur inter matronas, & à uiris Israelitis ægerrime ferebatur, ob ingens desiderium multæ prolis & beatæ posteritatis, per quam omnibus gentibus benedictio accessura erat, & unius dei cultus & reuerentia orbem uniuersum repletura. Addit uehementi malignitate, Filium & filiam: quandoquidem non contemnendus sexus est muliebris, & desiderium filiarum non improbatur, sine quibus uiri subsistere & generari non possunt. Indigne enim agunt in authorem naturæ, qui fœminarum uel puellarum generationem abominantur, sine quibus deus humanum genus decreuit non esse durabile. Nominat minaci odio prouocata interfectricem uirorum, cum testetur scriptura, non uirginem, sed cacodæmonem fuisse authorem cædium illarum in tot uiros, impuros sanè, & tam sancta uxore indignos, quæ simpliciter parentibus paruit, odij fascinum nullum nouit. Orat autem improbè malefica, & optat in proprium suum caput, nihil à deo uel cacodæmone impetratura inauspicata imprecatione sua, quin suo tempore felicissimam

Sterilitatis opprobriũ.

De natis filiabus.

prolem acceptura erat domino uolente, ex digno sibi futuro marito. Non sunt timenda uota malignorum, sed nec preces talium nubes transcendunt: sed in altum coniectæ impiorum blasphemiæ contra pios, recidunt in propria ipsorum capita. Vt autem magis exasperet impia sacram uirginem Saram, addit simile ei quod olim impius Israelita Mosi dixerat: Nunquid occidere me quoq; cupis, ut alios septem uiros? Acris debebat esse maledictio, quæ patienter perlata, ac domino precibus commendata, copiosæ benedictionis causam adduceret, & feruentioris precis & desiderij ũm & deuotionem promoueret, ut uideamus ad quid ualeant maligna improborum uerba & facta in hoc mundo contra electos: nempe ut exerceantur, & contristati ardentius dominum orent, quod ipsum pijs præstare primo prædestinationis ordine ab æterno delectat.

Impro quid

11 Ad hanc uocem perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus & tribus noctibus non manducauit neq; bibit, sed in oratione persistens cum lachrymis, precabatur deum ut ab isto improperio liberaret eam.

Ad hoc profuit maledictio improbæ ancillæ, ut turbaretur animo uirgo sancta, turbata orationem funderet ad dominum dignam exauditione, eamq; ex integro desiderio & corde deuotissimo. Sic enim digne orandi dominus gratiam & uires administrat ac uotum, quando iam antea exaudire constituit. Non enim non exaudire potest deus preces idoneas, nec ut tales habeãtur gratiam præstat, nisi ab æterno idipsum fieri prouidentia diuina decreuerit. Exhorruit proba uirgo procacis ancillæ graue maledictum sterilitatis & infelicitatis perpetuæ, & ideo tanto ardentius & seriosius orare uoluit dominum, ne fieret quod fuerat imprecata, omnesq; conditiones dignæ orationis applicat, deuotissima diligentia cupiens diuinam bonitatem inuitis impijs omnibus emollire, ne quod imprecatum fuerat, eueniret. Primum enim aptum orationis cubiculum Christi spiritu iam edocta perquirit, quoq; id secretius inueniret, in superiora conscendit, quo esset ad penetrandum nubes propinquior, & minus impediretur. Sic Christus montana conscendit oraturus, sic Moses & Helias, non tam ob altitudinem loci, quàm ob secreti commoditatem, quo minus distraherentur sensus, qui toti in oratione deo coniungi debent, & serio, non ex more uel alia ueluti cogitando expediri: non tumultus carminum nec clamorum prosunt, sed secretum conscientiæ, in deum suspensa deuotio & amor filialis. Perseuerantiam unxit triduo durans, magno desiderio impetrandi, ne parum optare precata uideretur. Non enim indignatur dominus oratione prolixa, si adsit spiritus semper feruẽs, & non tantũ multiplicatio uerborum sine sensu. Quando & Christus insomnes duxit noctes orando, non raro: & sancti ad quadragesimas orationum se ieiunio religioso & uero præparabant. Sufficiebat triduum fœminæ oranti cum noctibus: nisi quis uelit intelligere eo triduo sese diligentius applicasse orationi, sæpius orando, &

Oran calio

Loc tioni.

Perse tia c

do, & quoties per necessarias occupationes suffurari sibi potuit opportunitatem orandi uerbis, sine intermissione cordis desiderijs inquieta ad dominum. Sic enim sancti orant sine intermißione. Non manducauit etiam Anna mater Samuelis, hoc est, parum nimis comedit, nimio desiderio & amore orationis ad dominum. Quandoquidem amor & affectio ingens desiderium adimit comedendi: fortius est enim anima ubi amat quàm ubi animat. Tentatio uehemens esuriem tollit, siue bona sit siue ad malum. Quanquam & triduo nihil edisse uel bibisse, si quis contendat, cedo: quarto requisitum ad orationem dignam non obmisit, ut cum lachrymis orarit, id est ex animo & ingenti desiderio, cupiens euadere maledictionem infœcundarum mulierum, cui grauiorem ancilla crudelis bonæ fœminæ precari non potuisset. Multum momenti apud dominum lachrymæ habent, quibus & Christus usus est fidelibus in exẽplum, quandoquidem huiusmodi oratio Hypocritica esse uix potest. Tandem orationi suæ scopum idoneum proposuit, non aliquem sanctorum patriarcharum quorumcunq; , qui non minoris merito esse debebant Israelitis omnibus, ante Christi aduentum, quàm nobis nunc Christianis esse possunt beata uirgo, Petrus, Paulus, Baptista Ioannes, & reliqui: taceo Rochos, Valentinos, Onofrios & similes, qui si sancti fuerint, uel certe qui fuerint ignoratur. Nihil nobis commune cum mortuis. Deus solus per Christum mediatorem nobis constitutum à patre orandus est, sicut & Christus docuit, Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum &c. Discamus orare dominum, quem si quid petierimus in nomine Christi exaudiemur. Sicut & hæc Sara, & hic noster Tobias, utrique suo loco, eodem tempore, simili feruore, æqualiter contristati, & iniuriam passi, orantes exauditi sunt, domino omnia agente in omnibus, qui quæ futura erant non solum præsciebat, sed & ante mundi constitutionem ordinauerat, & modum perficiendi per omnia decreuerat ceu per instrumenta.

Oratio cũ ieiunio.

Ex animo orare.

Orandus solus deus per Christũ

12 **Factum est autem die tertia, cum compleret orationem, benedicens dominum dixit, Benedictum est nomen tuum deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis, his, qui inuocant te.**

Exauditionis certitudo.

Compleuisse finem orationis tertia die, est in conscientia sua per dei nutum & gratiam spiritu sancto aspirante fuisse tandem certiorem redditam de exauditione precum, ut ab illo die, & ad orationis finem, de dei circa se bonitate desperare nequaquam potuerit. Sentiunt enim sancti sese exauditos nonnunquam, quando scilicet se legitime orasse credere possunt, quod sine dei gratia fieri non posse non ignorant. Si igitur deum ardenter constanterq; cum lachrymis per Christũ et de sancto orare potueris, non poteris dubitare te exauditum. Sic ergo per spiritum assecurata adiecit, quod reliquum erat, gratiarum actionem, nunquam intermittendam. Ideo dominum benedixit, id est collaudauit, & gratias uerbo retulit deo. Nomen autẽ domini benedici aliud non est, quàm gaudere ex animo de honoris diuini exaltatione et agnitione apud homines in mundo, ut scilicet sanctificetur à quamplurimis gratia dei, quam experiuntur sancti, & cupiunt agnosci ab omnibus. Nominat autem deum omnipotentem, unicum & uerum deum patrum nostrorum, quem scilicet coluerunt patres nostri Abraham & sequentes, qui & illos in suum elegerat peculium, pro quo semper multa passi fuerant, cum quibus testamentũ fidei pepigerat, ut esset ipsorum deus, præter quem nullum agnoscerent & colerent, & ipsi populus eius essent, & perfecte coram eo ambularent per innocentiam uitæ, quam lex syncere intellecta sufficienter exprimit & præscribit. Is dominus deus, deus quidem est omnium creaturarum, deus tamen dicitur patriarcharum, de quorum semine statuit plenitudinis tempore carnem sumere, & cum hominibus conuersando salutis hominum dispensationẽ perficere, quam primo homini per peccatum lapso promiserat. Quod uero hic addit ordinaria glossa de patribus, quos debeamus imitari, quorũ iuuemur meritis, neutrum probari potest ex scripturis. Quandoquidem nullus fuit patrũ, qui non peccauerit: & lucerna pedibus nostris non est actio patrũ, sed uerbum domini: & non hominum quorumcunq; meritis, sed gratia dei saluantur electi. Verum pia sentẽtia est, si pie intelligatur, ut patres sanctos imitemur, sicut ipsi uerbum domini sunt secuti. Et meritis ipsorum eatenus consolamur, quatenus promißiones habuerunt à domino, quæ ipsis dominus negare non potuit, quia noluit, scilicet de Christo qui solus est propitiatio & iustitia, meritum & præmium omnium electorum. Iratus dominus dicitur, cum aduersis uisitat, & probat tentationibus. Misericordiam facit cum largitur beneficia, & eximit à malis. Peccata autem in tribulatione remittit, quando per aduersitates admonemur transgreßionum, & instituimus per illius gratiam & auxilium uitæ emendationẽ, & dũ oramus, dicentes, Pater noster, remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, & ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo. Quantumlibet enim propensus sit dominus & pater noster ad filijs succurrendum, periclitantibus ad mortem, uult tamen inuocari à filijs corde ore & opere, id est ex animo, attente, humiliter, & perseueranter, ut hic discimus.

Nomen domini benedici.

Glossa ordinaria.

13 **Ad te domine faciem meã conuerto, ad te oculos meos erigo, peto domine, ut de uinculo improperij huius absoluas me, aut certe desuper terram eripias me.**

Alium quempiam deũ, quanquam inter idololatras constituta, non inuoco, non confido de aliquibus meis meritis, sed ad te dominum deum meum faciem mentis meæ, id est intentionem conscientiæ meæ, erigo, & ad te conuerto, oculis & manibus in cœlum, quod solium est gloriæ tuæ intentus sum, abs te solo consilium anxia quæro & auxilium. Peto insuper domine &c. Tautologia quidem est, sed decori orantibus ex animo filijs

Tautologia orantiũ.

patrem, & multa sollicitudine pressis, quam dominus boni consulit, sed non sine mente uerbositatem. Anxia erat, ne ancilla quamlibet improba afflata fortassis spiritu sancto illã ex nomine domini, sine cuius nutu nihil dicitur nec cogitatur, maledixisset, quæ comprobanda essent à domino, ueluti cum nõ raro maledictiones completæ uidentur, domino omnia dispensante, uota, uerba & cuĕtus. Ideo tanto ardentius orat, & instãtius etiam iam fiducia exauditionis consolata, iterũ uolens et iterũ precari, alioqui ad miserandum propensissimum. Peto, inquit, mi domine, ne me inuoluat nodus maledictæ sterilitatis, quem sequitur apud honoratas fœminas improperium, mihi minime ferendum. Cupio enim fieri mater in Israel, & effundere domino deo Israel idoneũ quĕpiã cultorem, quod ut tibi placeat, oro, fiatq; uoluntas tua circa me gratiosa & sancta. Sin minus placuerit, saltem hoc uelis, & placeat, ut desuper terram eripias me, ut cedam loco fœcundis ac sanctioribus fœminis, & non ut sterilis arbor locũ tantum occupem, nemini utilis, & tuæ gloriæ nihil inseruiens, quam ad tui nominis maiestatem condidisti ut spero.

14 **Tu scis domine, quia nunquam concupiui uirum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.**

Magnum est, dominum deum, cordis & renum indagatorem & inspectorem, inuocasse in testem, & testimonium puræ mentis. Vtinam hoc nostræ sanctimoniales potuissent, quod hæc Iudæa tam inclyta, prolis desiderio sancto correpta in matrimonij honestatem laudatrix potuit. Et tamen etiam honesta quælibet uxor, multo magis libidinis ignara uirgo, sic loqui posse debet: Nunquam concupiui uirum, nempe alium quàm maritum. Alioqui sterilitatis opprobrium non sic horrere potuisset, quando ne per somnium quidem unquam uoluisset scortatorem, unde prolem sustulisset. Concupiui quidem, sed desiderio defatigata, non uiri sed filij uel prolis. Id licuit omnibus, etiam uirginibus sacris, etiamsi aliam libidinem nunquam sensissent, quod soli uni uirginu matri beatissimæ proprium priuilegium seruabatur. Cæterum honestæ uirgines uerecundantur & abhorrent ingenue uirorum contubernium, lachrymis synceris testantur amorem castitatis. Quanquam aliquam uix inueniendam credas, quæ abhorreat uel ab infantuli cura, & proprij filioli delitijs, uel ab amore suauissimo sponsi, ad quæ natura etiam ante lapsum propensa fuisset. Libidinis autem, & spurcos complexus uera uirgo & honeste instituta à puero, non appetit effusius & inuerecunde. Videant ergo sponsi quales sponsas ducant, quàm castas, quàm uerecũdas, quàm synceras, quàm puras, disciplinatas, morigeras, prudentes, & solidas: hoc saltem certò sibi persuadentes, quod ubi carnis delitias & uoluptates ex animo quæsierint, & non multo magis animi candorem & prolem, difficile in pace cum laude & uoluptate syncera coiturum huiusmodi matrimonium, sed cum multa molestia propagandum in annos, si tamen unquam coalescere animi poterint, qui synceritatis glutino non fuerunt ab exordio illius consortij conglutinati. Carnalis enim amor, & prolis incuria, infelicissimum contrahunt matrimonium. Et inuerecundam uxorem necesse est esse incautam, & honestatis negligentem, procaciq; audacia facile dissoluendam. Mundam, ait Sara, animam meam seruaui ab omni concupiscentia. Non concupiui unquam illicitum uel amorem uel congressum: domini circa me uoluntatem expectaui longanimiter, quam sciui ab initio statuisse, ut crescant filiorum dei in mundo multa milia, & usq; quo numerari non possint, & multiplicentur homines in terra, dominum deum colentes. Huiusmodi autem propagationis ordinem uellem quàm mundissimum, & ab omni spurca uoluptate liberum, sicut & à dolore partum. Sed quum id non datur consequi, fiat in nomine domini quod euitari non potest, tantũ ut proles minime impediatur, religiose instituẽda. His se cogitatibus honestæ uirgines occupant, spurcas libidines, ut sunt amatores munditiæ, abhorrent: uirorum aspectus, multo magis complexus, detestantur ex animo, amant domi consistere, plateas ægre pertranseunt, & ueluciter, cum tremore quoq; : nullum noscunt de facie uirum præter consanguineos, & pauciss imos uiros, quibus cum rem familiarem prosequi coguntur. Tales uirgines seruare possunt animam suam ab omni concupiscentia, non effrontes, uagæ, audaces, loquaces, inuerecundæ. Tales enim solo nomine uirgines ex nomine norunt omnes masculos, maxime elegantes, & insigniter turpes, domi nihil agunt, corde & gressibus uagantur in foro, plenæ concupiscentijs & ardore, quæ & prima opportunitate obsequuntur ad libidines, erubescunt uerecundari: eas non necesse est petere, ultro beneuolentiam ingerunt, & anteuertunt solicitationem. Tales non erant Hebræorum uirgines, quia lex domini, saltem ad honestatem seruabatur politicam, etiam si pietas periclitaretur ad deum, nisi quantum abolitus dei timor cum tempore honestatis quoque reuerentiam auferebat.

15 **Nunquam cum ludentibus miscui me, neq; cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui.**

Religiose, et sine iactantia, cum deo loquẽs, in oratione, ex innocenti pro tanto conscientia loquitur: quæ dominum deum nosce certissime sciebat, humiliata ieiunio, & angustijs attrita: nihil superbiebat in conspectu domini, sed ut res erat, sic confitebatur. Ab honestis parentibus, & mature conuersantibus educata erat, in timore dei & hominum, ideo inuita procedebat in publicum. Gaudia platearum & fori solicita habebat, ne turpi fine clauderentur. Cupiebat honestatis fama commendari, non lusibus, non forma placere leuioribus. Pericula castitatis & famæ semper uitabat, & ut poterat fugiebat. Morum leuitatem interpretabatur mentis inconstantiam, qua nihil uirgini est periculosius. Curiosas enim cogitationes constat inducere uirginum corruptelas. Maxima autem & omnino uirili constantia indiget uirgo, quæ pudicitiam suam destinato sibi à deo sponso cupiat exhibere incolumen. Hinc est, ut inhonestas

& cum

Sanctimonialium nostrarum castitas.

Sponsi & sponsæ.

& cum petulantia ac leuitate chorcas uirgo honesta fugiat, ut lupanar. Inter affines autem cum honestis personis, in publico aspicientibus, maturis senibus & honestis, non est prohibitum ex dei lege saltatio honesta, & chorus puellarum: sed ubi promiscue certatur leuitate, uirgo honesta minime compareat unquam. Hoc est quod in oratione dicit Sara, Ambulantibus cum leuitate nunquam participem me feci. Sic enim instituta sum, ut honestatem seruem in omni conuictu & familiaritate, ut decet uerecundam & castam.

Mores uirginei.

16 **Virum autem cum timore tuo non cum libidine mea consensi suscipere.**

Non ambiui procum, non quæsiui sponsum, non me exhibui aspectibus iuuenum, non ingessi me choris ludentium, sed cũ à parentibus iuberer sponsum sumere, consensi quidem uolentibus, & parentibus obsequium putaui & necessarium, quos scirem mihi esse à domino datos uitæ magistros, & ordinatores. Sed tamen cum timore dei ipsorum & meo, quem intelligebam amare sanctos homines & pudicos, quibus & in hac uita solatia honesta præbet & felicitatem, impijs autem et insolentibus, carnis desideria sectantibus, grauia permittit pericula, & uitam amarulentam miseriis refertam imponit. Quid igitur nõ mihi timerem, ne quid præter dei beneplacitum admitterem, & iram dei incidere, sponsum inueniens infelicem, unde prolem susciperem maledictam? Non tam libidinem cogitaui, quàm dei formidinem, ne carnis amore superanda, timorem domini abijcerem, & mundo uiuerem, non deo creatori meo. Non igitur de sponso suscipiendo curam habui, sed parentum meorum solicitudinem de me precibus ut potui domino commendaui.

Modestia et timor uirgineus.

17 **Et aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan mihi non digni fuerunt, quia forsitan uiro alio conseruasti me.**

Prudens & modesta uirgo nihil de se magni præsumens, sed totam se domino commendans, dubium uoluebat in pectore, qui fieri potuerit, ut cum uoluntati parentum se per omnia accommodasset, & nihil libidinis intendisset, sed tantum desiderium filiorum, tanto tamen infortunio fuerit exposita, ut primo, secundo, tertio, & usq; septimo coniunctam, parentum uoluntate, nullus se obtinere morte præueniente potuerit. Reputanti igitur secum, tam horrendi fati mysterium, quid aliud occurrere potuit innocenti conscientiæ, quàm uoluntas domini? quæ si fuisset pro se, ut confidere poterat, duplex ratio uerisimilis occurrebat: aut quod illi uiri indigni fuissent ista coniuge, quod ultimo succurrebat humili: aut quod ipsa illis omnibus fuisset indigna, quod uerebatur in primis: aut certe quod uerius erat, & posterius occurrebat, alteri ipsa marito idoneo seruabatur. Vnum illud certa credebat, omnia geri diuina prouidentia, qua nec folium quidem ex arbore cadit, aut passerculus occiditur, multo minus anima & deo deuota persona, sese domino ex corde cõmittens, tot potest inuolui incommodis, & infortunijs. Hic nos quoq; discamus nihil temere desinere de malitia proximorũ, humiliter sentire de nobismetipsis, in dubijs meliora sectari.

18 **Non est enim in hominis potestate consilium tuum, hoc autem pro certo habet omnis qui colit te, quia uita eius si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam peruenire licebit.**

Nitendum dei prouidẽtiæ.

Tu solus nosti, quid qua ratione agas nobiscum, nos consilia tua ignoramus, nec est sortis nostræ, ut prouidentiæ tuæ ordinem curiose discutere tentemus, sed simpliciter agamus quæ iussisti, & patiamur longanimiter quæ imposuisti. Si enim cor hominis imperscrutabile est, quomodo non magis consilium tuum, quod necesse est esse sanctissimum, Ignorabimus nos homines? Impedire non præsumamus stulti ordinem suum, qui ab uniuersa creatura inuerti non potest. Tu solus nosti quare tot uiros mihi datos uiuere non permiseris, nec me illorum libidini exponi passus fueris, sed in præsens usq; defenderis à corruptione corporis. Fideles & electi cultores, per domini spiritus illustrationẽ eatenus docentur, ut sciant summũ bonũ nihil impium, & summe sapientem nihil irrationabile agere, uel etiã permittere posse, nisi pro fine optimo promouẽdo, nihil mali permittere. Certi sunt enim pij omnes, quod dominus ad probationem suorum aliquando mala immittit, ut persistentes in bono, & uincentes malum, à domino coronentur, ea corona quam ab æterno præordinauit electis. Probat autem non ut ignorauerit, sed ut ad brauiũ destinatũ uictores perducat, omnia autem sua electionis gratia. Quosdam uero sic tribulationibus exponit ad tempus, ut humiliatos conuertat, et conuersos liberet à malis, etiam in hoc sæculo. Sed & si nonnunquam destituere uideatur, non eripiens in præsenti, sed corrumpi sinat iuxta corpus & uitam animalem, eos tamen feliciter ad suam misericordiam peruenire faciet, & gloriæ pondus per momentaneas angustias restituet. Huiusmodi fide sese consolantur electi, quam & per dei gratiam accipiunt, & sese domini esse sciunt semper, etiam si grauia in hac uita ferenda contingant, nihil soliciti de salute sua, si tantum domino deo suo cum fide huiusmodi adhærere perpetuo posint, uel lapsi ab ea restitui citius. Vtcunq; ergo illa ancilla pessime mihi uelit, & acerba improperet, non tamen ab ipsius malignitate stat mea sors, sed à bonitate tua, cui me semper commendo, quam experiar semper, si tibi adhæreo syncera fide, propensiorem te sciens ad benefaciendum, quàm ad lædendum, maxime, tibi credentes.

Mala quomodo à deo

Fides solatur pios.

19 **Nõ enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum gaudium & exultationem infundis.**

Non ideo fideles calamitatibus exerces, ceu durus iudex & tyrannus, ut perdas: cui proprium est semper misereri & parcere. Cum enim summe clemens sis, non delectaris in nostris perditionibus, sed quia nosti nobis huius uitæ commoda non semper prodesse, sed in in-

Causæ calamitatum.

solentiam erigere, humiliatos uero proficere in uirtutibus, ideo nobis aduersa immittis, ut tempestatum procellas euadentes, tua gratia per humilitatem & resipiscentiam tibi magis placere possimus. Ideo contristas, ut profusius gaudeamus. Lachrymas nostras conuertis in iubilum, improperia nostra in laudem, sterilitatem in multitudinem filiorum. Sic mihi quoq; pro hac indigna exprobratione repones iusticiæ sempiternæ sortem, in hoc sæculo & futuro. Si itaq; æquanimiter dei circa nos flagella tulerimus, ipsius propediem gratiam & salutem experiemur. Post tenebras speranda lux est, & post pœnitentiæ tempestatem donat dominus tranquillitatem gloriæ. Oportebat Christum quoq; pati & sic in gloriam introire. Si commortui fuerimus & conuiuemus. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Sic mihi quoq; læta succedent post tristia.

20 **Sit nomẽ tuum deus Israel benedictum in sæcula.**

Pro tanta bontate & gratia tua ô deus Israel, qui solus dominus es & deus, quem coluerunt patres nostri, tua maiestas agnoscatur à toto mundo, ab omnibus gentibus magnificetur & colatur, cui soli debetur omnis honor & gloria, per tempora nunquam finienda, id est infinita sæcula. Hæc elegans est clausula orationibus adnectenda semper, ut desideretur gloriæ dei profectus, non tantum ad nostra sæcula, sed per omne tempus, ut aduenat regnum dei, et semper sanctificetur nomen dei inter homines, sicut incessabili uoce laudatur ab angelis. Hactenus orationes tam Saræ uirginis, quàm Tobiæ senis, quibus occasio data fuerat ex insipientia fœminarum, quæ ut sunt procliuæ ad maledicta, & infirmiores in fide, sic ferenda est ipsarum fragilitas, & à deo benedictionis uicissim beneficium expetendum, qui adest inuocantibus in ueritate.

Clausula orationis.

21 **In illo tempore exauditę sunt preces amborum, in conspectu gloriæ summi dei.**

Nunquã proximior est salus pijs, quàm cum in aduersitates inciderint, & improborum maledicentiam audire coguntur. Vno tempore contigit utrosq; adfligi: quia autem fideles erant ambo, ideo negligi nullatenus potuerunt, nec excidere à spe sua in dominum, ex qua prodijt orandi fiducia & institutum, non ex impatientia murmurantiũ, sed causas suas humiliter domino commendantium, qui filios pater negligere non potest. Preces autem fidelium exaudiri, est uotorum fieri compotes. Conspectus gloriæ dei, est prouidentiæ diuinæ ordo, qui infringi non potest, qui orandi gratiam non largiretur, nisi exaudire decreuisset. Summus deus dicitur, non quod secũ alios deos habeat, qui non sint illi superiores, nec sub se alios, quibus dominetur & præsit deos immortales & omnipotentes ac rerum creatores: non enim naturalis ratio fert, & conditio, ut sint duo omnipotentes, nec duo summi, siue negatiue intelligas siue affirmatiue. Sed summus dicitur, respectu eorum qui nuncupantur diui, idem in hoc mundo potentes, & in cœlestibus creaturis domino deo seruientes in maximis causis: unde & deus exercituum dicitur, id est omnibus quibuscunq; & qualitercunq; fortibus fortior, & à quo omnis fortitudo pendet.

Summus deus quomodo dicitur.

22 **Et missus est angelus domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore recitatæ sunt orationes in conspectu domini.**

Dominus deus summus, ut omnia agit in omnibus, sic omnia illi ministrant pro uoto, & agunt imperata non tantum boni angeli, dei nuncij, sed etiam mali & apostatæ: unde sicut Asmodeus ille, opus uastationis à domino ordinatum in tot uiros peregerat, sanctum dei beneplacitum sua iniqua uoluntate & nocendi libidine, sic nunc angelus bonus, ex allata medicina pijssimo Tobiæ Raphael dicitur, quod interpretatum ualet medicina dei. Sic idem angelus uel diuersi, nomen multiplex consequuntur ex multis functionibus, quibus domino ministrant, ad exercitium piorum & impiorum, quod sanctis proficit, impijs obest. Angelus autem domini dicitur, quia à domino missus nuncius ad ministerium sanctorum amborum. Idem enim & cæcitatem Tobiæ abstulit & sterilitatem Saræ ademit, utrosq; consolatus est, & sequester uisus amborum, quorum orationes dicitur humano loquendi more regi regum domino præsentasse, in aulam diuinæ maiestatis intulisse uota iusta amborum, et dei clementiam pro utrisq; impetrasse. Sic enim loquuntur angeli, ut ab hominibus intelligantur, quanquã deo nihil reuelari possit, qui omnia nouit semper, & omnia agit in omnibus.

Angeli &c.

Loca

CAPVT IIII.

1 **IGitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, ut mori potuisset, uocauit ad se filium suum, dixitq; ei:**

Cum senserint sancti inter orandum se ex animo & fide affici pie ad id quod postulant, & attente orandi gratiam intelligunt pro dei gloria, & sine turbatis affectionibus iræ & inuidiæ, statim quoq; se sentiunt per spiritum exaudiri à domino. Ideoq; & Tobias credidit certò se exaudiendum à domino. Orauerat autem, ut animam suam dominus susciperet in pace, cuperet enim dissolui & esse cum animabus sanctorum. Exaudit autẽ piorum uota altissimus, uel largiendo quod petitur, uel aliquid gratius aut melius supponendo. Sic enim sancti orant, ut suam domino uoluntatem resignent, & credãt dominum longe melius scire & uelle quod prosit, quàm ipsi optare possint. Et pater clementissimus nouit quid filijs conferat, & non quod uolunt, sed quod uel uelle debeant, uel quod datum audius sint suscepturi largitur, tantũ filiorum affectu ferantur ad dominum, & fide integra fruantur ad optimum maximum. Putauit se exaudiendum, & est exauditus: sic enim suo modo merebatur fidei synceritas. Lucrum autẽ putasset sibi mortẽ, sed ubi domino aliud placere pro se cognouisset, longæuior uita in hoc sæculo, sine præiudicio uitæ felicis cõsecuturæ, id feruẽtius et charius amplecti poterat. Mori turum

Quãdo orant sancti.

Tellus cõdem Pul

turum autem se sperans propediem, cæcus & senex, hæ rede post se probo relicto, de ordinando testamento so= licitus fit, primumq; curandum proponit, quod maxime necessarium erat & optimum, quod à domino curan= dum maximè susceperat, filium iuxta dei beneplacitum ordinandũ, amplectitur. Cœlestis benedictionis donum filium suum in dei gloriam instituendum proponit, quo cæterorum temporalium bonorum ordinatio fiat sub= inde auspicatior. Stultè enim agunt, qui de mammona so liciti, filios, cuius gratia thesaurizare mediocriter con= cessum est, negligunt imprudenter.

2 **Audi fili mi uerba oris mei, & ea in cor de tuo quasi fundamentum construe.**

Docturus filium de uirtutum uerarum exercitio, in quo domino deo suo placere posit, præmittit prolo= gum, in quo beneuolentiam captat, filium nominando, quo magis attendat, & uelit perfectius. Fili mi dicit, quem scilicet amo necessitate naturæ, quem deus dedit ad suam gloriam educandum. Audi, inquit, non tam au= ribus corporis quàm mentis, & animaduerte quid in= dulgentissimus pater filio proximè moriturus obseruan dum commendet. Oris quidem mei uerba exaudias, ea conditione, ut quod accepi à domino hoc tibi tradam. Hæc est enim uoluntas domini, ut quæ dixero corde percipias, animo uclis, & morum fundamenta tibi con= stituas. Fundamenta & quasi capita religionis propo= nit filio, præcepta pietatis, ut fiant ex fide in dominum, & ex fœdere, quod cum patriarchis dudum dominus pe pigerat, & toties renouauit. Illud quidem fœdus erat, dominum credere & colere, proximumq; amare: quod quomodo perficiendum esset decalogo postmodum le= gis proposuit clarius, sed per reliquos libros canonicos, perq; prophetas & uerbum dei, speciali explanatione commendauit.

Loc. Caput religionis.

3 **Cum acceperit deus animã meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus uitæ eius.**

Animæ rationalis cõditio.

Animam humanam, hoc est intellectiuam, ut solus deus infundendo creat de nihilo, de non præexistente natura, & creando infundit suo tempore corpori iam organizato: sic iuxta dei ordinem, mortis momento deus animam recipit, & ad consortium sibi similium destinat animarum ad felicem statum, siue ad miserias sempiternas. Immortalem enim eam condidit & in= corruptibilem spiritum, angelis similem, nisi quod ad humani corporis informationem ex naturali suo insti= ctu inclinatur, ad quod domino iubente die ultimæ re= staurationis omnium coniungetur, ut deinde uitam im= mortalem homo uiuat & æternam. Sicut & Christus dominus noster, qui ex mortuis resurgens, & nunquam amplius moriturus, perfectum restaurationis typum in seipso statuit, factus primitiæ mortuorum, sicut & erat omnium creaturarum primitiæ. Anima igitur redeunte ad dominum, qui dedit eam, receptura bonum siue ma= lum, prout gesit in corpore. Corpus ipsum resoluitur mandante domino in terram, unde desumptum fuerat, & in matris suæ uterum regredi cupit, & ueluti gau=

Corporis demortui sepultura.

det, à qua fuerat donec uixit nutritum, et conseruatum. Stultum igitur est horrere originem suam corpus, & extra naturalem locum suum loculis conseruandum constitui. Longè uero stultius est, in sacras ædes absque sepultura reponi, & luminibus perennibus illustrare, ut aspicientes iudicent stultitiam humanam, ut hacte= nus proh pudor uidere licuit apud Christianos. Sanctus Tobias filium docet, ut demortui parentis corpus sepe= liat, hoc est humo obducat, non addens ubi locorum, nec quibus ceremonijs, uel parentalibus, multo minus sacri ficia peragenda pro peccatis in hac uita commissis, uel orationes quascunq; pro defunctorum salute exigit siue docet, quod nunquam obmissurus fuerat, si in tanto pe riculo pœnarum, animas fidelium orationibus & sacri ficijs adiuuandas credidisset. Id uero non aliter circa se fieri cupiebat à filio, quàm ipse suis maioribus, à maio= ribus edoctus, fecisset. De quorum nullo legitur, offici= um pro defunctis celebratum quodcunq;, præter lachry mas & sepulturam, solatia magis uiuorum, & indicia charitatis, quàm mortuorum auxilia. Nihil aliud hic uel alibi in scripturis dominus mandat fieri, uel consuluit unquam circa defunctos, qui tunc sunt in manu domi= ni, cuius prouidentiam et bonitatem minime euaserunt. Est enim deus non mortuorum sed uiuentium, cui omnia uiuunt. Viuorum nobis uiuentibus curam magnam com misit, ut nihil minus illis exhibeamus quàm nobis ueli= mus exhiberi. In hoc domini mandato negligentissimi aliquandiu fuimus, de solis iuuandis mortuorum animis soliciti, uanissima cura, cum de hoc studio nec minimum canonicæ scripturæ apicem inuenerimus. In harum ani= marum ementitũ subsidium uix sufficerunt omnes Lai= corum diuitiæ, quos ut tutius deciperent sacrificuli, ipsi suis quoq; animabus huiusmodi obsequia thesaurizatis bonis Ecclesiasticis suis, imò non suis, sed pauperum di= uitijs prouiderunt: non sine intentione propagandi no= minis sui memoriam cum laude ad posteros, & fama pietatis uersæ in quæstum. Hac uanitate dæmon illusit mundo, ille nempe qui Mammona dicitur, & error tur pissimus eorum, qui alios ut sal mundi docere debue= rant, & doctrinæ suæ fundamenta non ex consilio quæ stus, sed ex uerbo dei suscipere debuissent, quod pietа= tem docet ad deum & parentes, & æquitatem ad pro= ximos. Quale est quod hic filium Tobias admonet, ut charius officium sepulto, & gratiores exequias perage re nequeat, quàm ut superstitem corporis sui partem, matrem in honore habeat, non tantum exhibitione fi= lialis affectus & honoris, sed & administrando uitæ ne cessaria, obsequendo pijs desiderijs, & seruitijs oportu nis omnibus modis iuuando. Id uero fieri uult omnibus diebus uitæ ipsius matris: multo minus eam contemnat, uel de uetula aut paupere erubescat, omnium autem mi nime maledicat.

Mortuaria sanctorum.

Viuentium nobis curæ non mortuo rum iniun= cta est.

Exequiæ piorum pa= rentum.

4 **Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te, in utero suo.**

Vt nullum ferè turpius uitium est ingratitudine pro beneficijs, sic longè detestabilissima est ingratitudo ea, quæ matri defertur, pro cui uel minimũ beneficijs quibus

Mater pijs= sime colẽda

filium gestauit cum labore & ærumnis in utero, multa passa incommoda propter fœtum. Quis uero enarrare possit angores parturientis, torsiones maximas, dum hora natiuitatis accedit? Et tunc primum angustiarum, solicitudinum, laborum & periculorum turba infestare incipit matrem die noctuq;, cum occupationibus & laboribus prouidendi uictui ac uestitui necessaria, quibus omnibus infantuli maxime indigent, ut nõ in mundo toto imbecillior creatura, nisi matris & altricis studiũ et sedulitas laboriosa succurrat. Id uerbum domini docet à filijs cogitandum & perpendendum, ut uicissitudinis uel minima particula matribus rependatur in primis: quanquam et patris necessitas filio sit semper curanda, ut eum honoret et colat. Verum ferentis tantum admonet filium, cætera maiora uolens indicasse studiosissime recolenda matrum officia.

5 **Cum autem & ipsa cõpleuerit tempus uitæ suæ, sepelies eam circa me.**

Sepultura coniugum.

Non est probabile institutum eorum qui prorsus nihil curare uolunt, ubi & quomodo parentum & maiorum corpora condiãtur. Ad pietatem pertinet, pariter à filijs superstitibus & pijs sepeliri si fieri commode potest utrunq; parentem pariter: cum olim gentilium fœminarum tanta fuerit charitas atq; fides, ut eodem cum defuncto rogo superstes & charior uxor desideranerit absumi. Obseruantia hæc quam hic Tobias docet, non est irreligiosa, sed pia, ut pariter parentes à filijs sepeliantur, in testimonium integræ charitatis & fidei, simili sicq; credulitatis, qua pariter resuscitandos se credunt. Sed hæc ridebuntur à procacibus fœminis, quæ uiuos uiros diligentius sectãtur quàm demortuos maritos, quam libet fideliter tractatæ & dilectæ. Iterum nihil de exequiarum pompa. Sufficit pio, exhortatio filij ad id, ut simul sepeliantur, quorum eadem erat in uita fides, eadem quoque fiat in morte requies. Verum hac in re nihil præscribit uerbum domini, non tamen exempla sanctorum sunt ridenda, sed quod fieri potest commode ab honestis filijs circa hanc legem non fuerit obmittendum.

6 **Omnibus autẽ diebus uitæ tuæ in mente habeto deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & præterimittas præcepta dei nostri.**

Pietas in parentes & deum.

Non sine causa præmisit cultum parentum cultui diuino, quãlibet magis necessario & nobili. Quia qui nõ diligit & reueretur patrẽ & matrem quos uidet, et naturali necessitate diligit, quomodo Deum quem non uidet amare digne poterit? Ideo præmisit studium circa amatissimos parentes, nunc cultum uerum dei ueri commendat filio, nempe ut semper sibi præsentem & omnia inspicientem dominum deum suum cogitet credat ac reuereatur. Non est pro quacunque re mundi, bona uel mala, dei timor & reuerentia obmittenda, à quo uiuimus omnes, mouemur & sumus. Quicquid agendum fuerit uel patiendum, obmittendum uel prosequendum, semper menti primum succurrat, si deo non displiceat, sed placeat magis. Id agũt fideles & electi. Qui hoc contemnunt, & ut equus & mulus sine dei timore uiuunt & moriuntur, minime curantes quid uel deo placeat uel hominibus prosit, mancipia sese esse ostendunt damnationis æternæ. Ad hoc autem fidem dei commendat filio, ut nunquam alicui peccato consentiat. Non quidem Pec. con. dum. *præueniri potest primus motus, etiam ad peccandum, sed curandum ne consentiatur malo, quin bonum quod domino placere ex ipsius lege didicimus, solicite est prosequendum, & minime prætermittendum. Sunt autem dei præcepta decem in decalogo non solum Iudæis tradita à Mose, & præter ea nulla addita alia à prophetis necessario ubiq; & semper obseruanda Iudæis, sed gentibus omnibus, si legitime & simpliciter intelligantur: sunt enim summa legis naturæ, quam neno ignorare potest, sentiens honestum & sanctum esse, deum creatorẽ omniũ super omnia diligi, proximo facere quod cupimus nobis fieri ab ipso, in quo pendet lex omnis & prophetæ, et tota sacra eruditio hũc scopũ proponit ubiq;. Ad hæc agenda necessaria quidem est gratia dei, quæ nulli negatur, qui eam humiliter inuocat, & se de resipiscentia patitur admoneri, ut cogitet quis sit & unde, quid uelit sibi deferri à reliquis. Quæ si quis nihilifaciat, & nolit cogitare etiam admonitus, excusatione carebit apud deum & homines, & intra suam conscientiam se condemnantem.*

7 **Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies domini.**

Eleemosyna.

Eleemosyna iuxta nominis sui rationem, est beneficentia quæ miseris potissimum exhibetur. Præstanda autem est proximo, id est ei quem dominus obtulerit tibi beneficio tuo fouendum. Certè eum quem carnis cognatio uel fidei societas nobis coniungit in primis curemus, idq; ad dei gloriam: quod qui spectarit, eum facilè docebit spiritus, quibus maximè commodũ sit eleemosynam præstare. Docet uero Tobias ex propria substantia dandam, non ex rapina uel usura, uel cum iniuria quacunq; collecta substantia, iuxta illud Prouerbiorum tertio: Honora dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarũ da pauperibus. Et Ecclesiastici tricesimoquarto: Qui offert sacrificium ex substantia pauperũ, quasi qui uictimat filium in conspectu patris. Auertere autem faciem à paupere prohibemur, quod est contemnere & despicere, nolle etiam animo permoueri ad fratris egestatem. Quin potius si manum exhibere non potes, animum saltem & compassionis signum ostende, de quo non te poteris excusare, neglecto officio. Quod autem addit, Ab ullo paupere, docet non facile de pauperum insolentia uel miseria iudicandum: si pius esse uidetur, frater est, & iuuandis à nobis: si non discernitur, declinandum est ad sententiam meliorem. Grauis est sarcina cogi ad mendicitatẽ. Quod si quis friuolè mendicare conuincitur, is magistratui præsentandus, ut corrigatur factio ualidorũ mendicantium. Nemo autem in otio fouendus, unde uitia complurima proueniunt & grauia nimis. Quanquam autem pauper sit, diligendus tamen

est

est ut proximus. Omni petenti te tribuendum Christus quoq; docuit. Ita autem fiet ut & tu quoq; misericordiã à domino consequaris. Iudicium autem sine misericordia fiet ei qui non fecit misericordiam. Date, ait, & dabitur uobis. Misericordes misericordiam consequentur. Eadem mensura qua mensi fuerimus, remetietur nobis à domino nostro.

8 Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri studeas.

In donatiõe discretio.

Dixerat non auertendam faciem ab ullo paupere, ne mentis ad pietatem procliuitas impediatur. Quia uero in donatione discretio habenda est, ideo addit, ut iuxta facultatem detur, ne recipientibus remissio contingat per abundantiam, aut etiam sufficientia, facientibus autem tribulatio per indigentiam. Quanto minus probabitur apud deum & homines omnia dare sine necessitate, ut postra facultatem habeat ab omnibus mendicandi in otio, & multo pluribus uti bonis, quàm hi qui labore se nutrire coguntur. Si quis uero omnia expendat ex charitate Christi ad proximos, & postra manuum labore uicitaret temperanter, id satis laudari posset. Quale institutum fuit primorum monachorum, qui de labore manuum sese frugalissime sustentabant, & residuum laboris uendentes, eleemosynas pauperibus erogabant. Longe dissimiliore instituto istis nostræ tempestatis hominibus otiosis, & optima in mundo absumentibus sine indigentia cum otio, nisi quantum cantillando laborare se putant: quem tamen cantum nusquam à domino cõprobatum uel mandatum scimus, sed contrarium. Exiguum quod habes diuide cum minus habentibus: magis enim apud dominũ affectus pensabitur quàm census. Sic enim saluator pluris reputata pronunciauit apud deum duo minuta oblata à paupere uidua, quàm diuitum munera magna, Marci 12. Subditur autem consequenter ratio faciendi eleemosynam.

Monachi primi.

9 Præmium enim tibi bonum thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

Eleemosynarum thesaurus.

Non se patitur dominus beneficẽtia superari, si quid ipsius amore pauperi dederis, domino mutuaßi, centuplum accipies, & uitam posidebis æternã. Retribuens enim est dominus, & septies tanntum reddet tibi, Ecclesiastici 35. Vnde Christus monet, Thesaurizate uobis thesauros in cœlo, &c. Dies autem necessitatis dici potest dies mortis, quando pro benefactis laudaberis, & benefactorem dominum ac patrem senties. Eleemosyna autem dicitur liberare à peccato, gratia enim dei mundatur à peccato, qui ex fide uerborum dei proximo benefaciendo obseruat quod dominus docuit: & Christus seipsum tradendo pro nobis exemplo est attestatus. A morte liberare dicitur, quia Christum conciliat iustum iudicem, qui pro peccatoribus mortuus est & resurrexit,

Liberat à peccato.

uitamq; æternam misericordibus repromisit & tribuet, stantibus ad dextram ouibus, non hœdis. Non patitur te nebras ingredi Christus eos qui se lucem sequuntur: uultq; esse secum seruum suum ubi fuerit ipse, nempe in gloria dei patris in paradiso cœlesti. In hunc sensum intelligendæ sunt scripturæ: Redemptio animæ uiri propriæ diuitiæ sunt. Et alibi: Peccata tua eleemosynis redime. Item: Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna extinguit peccatum. Fiduciam autem magnam præstat præsentando eam iudici Christo, si ex fide & charitate exercitasse se meminerit in præceptis diuinis. Gratia enim dei fruentur, qua & saluabuntur, serui & fratres Christi, & legis suæ amatores. Qui & dixit Lucæ 11. Date eleemosynam, & ecce munda sunt uobis omnia. Non q; opus eleemosynas largiendi iustificet hominem, quod raro uel nunquam perfecte datur, sed quia per Christi gratiam iustificatum testatur, cum qui ex fide deo obsequitur, & credit in filium dei, qui est electorum iustitia.

10 Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.

Castitas matrimonialis.

Ab auaritia ad eleemosynam reuocauerat filiũ, nunc à fornicatione ad castitatem: non uirginalem, quæ paucissimorum est, & plena periculis sineq; reliquis multis sacrosanctis exercitijs prorsus inutilis: quanquam in casu quietiorem reddere possit, si desit ustio & luxus naturæ. Castitas autem matrimonialis remedium est aptissimum, à deo institutum contra petulantiam carnis, habens diuina prouidentia ac sapientia annexas plures molestias, quo minus caro luxui sufficere possit uel uelit. Humiliatur enim luxus carnis uarijs ærumnis, quibus homines in hoc mũdo carere non possunt: quæ certe ærumnæ non tam peccata sunt quàm morbi & pœna perditæ originalis iustitiæ à primis parentibus. Sic ergo sancti filios instituũt, ut ab omni fornicatione, hoc est, Venerea quacunq; libidine caueant sibi. Hoc uero cũ suapte natura fieri nequeat, remedium certissimum & saluberrimum ostendit ac proponit, ordinatum à domino naturæ à benignissimo patre. Quod qui spreuerit, & per fornicationis spurcitias disperderit naturã & famam suã, inuolueritq; uehementer multis & grauibus tentationibus, ut requiem tam in carne quàm in conscientia nullam inueniat, sibi imputet, qui naturæ corruptæ opportuna remedia à natura deoq; instituta contemnit, & suæ inniti tur prudentiæ contra uerbum dei. Vnde ecclesiæ nostræ tam elegantes fructus produxerunt uota illa uirginitatis perpetuæ, etiam à puellis susceptæ, & inexpertis iuuenibus, antequam naturæ suæ uim & ferociam experirentur, & promissionem gratiæ diuinæ consequerentur, quam nescio si cuiquam unquam promisit. Alioquì diutissime castitatem seruare, & adolescentiæ ætatẽ in mentis & corporis puritate quoad fieri potest conseruare, honestissimum est & utile nimis, corpori sanũ & religiosum: ad quod uota nihil conducunt, sed obsunt magis, quod nitatur natura hominis in uetitũ, semperq; cupiat negata: cum & de uouenda castitate nec consilium domini habeamus, nec mandatum, nec apostolorũ

Virginitatis uota.

uel exemplũ uel dogma ex Canonicis ſcriptis, quod propter Legendam ſancti Matthæi apocrypham dixerim. Conſilium uero conſeruandi diuitias monachorum, & augendi numerum perſonarum, & cogendi inuoluntarios monachos ad obſeruantiã traditionum humanarũ excogitauit hos improbos nexus uotorũ perpetuorum, præter omnem doctrinam & exemplum ſcripturæ & ſanctorum omnium. Præter uxorem tuam, ait Tobias, nunquam patiaris crimen ſcire. Ineptior quidem dictio, ſed hunc habens ſenſum, ut ſit expoſitio iam dicti, Nunquam admittas aliquod crimen de genere incontinentiæ Venereæ, quam fornicationem nominat, experiri, ſed data tibi à deo uxore honeſta contentus ſis, & eam diligas, unam tecum carne & animo conſentientem, ſi uelis feliciter uiuere, & humano conuictu gaudere, non beſtialiter, imò ſupra multarum ferarum intemperantiam inſanire, turpiterq; commaculari & perire. Si tamen fœmineæ fragilitatis mores ferre uirili animo, ad hoc tibi dato, ſtudueris: quemadmodum & mulier æque multa non raro ferre cogitur in uiro: ubi autem omnino reclamat & repugnat natura, complexio, ingenium, animus & inſtitutum, præſtaret fortaſis repudio locum permiſſum, quàm adulterium uel peiora ferri, & ſine intermiſſione timere. Verum ad id prodeſt circumſpecte omnia fieri circa matrimonij exordia tentanda, ut non ex uehementia inconditæ libidinis inchoetur, ſed cũ timore dei, & humana circumſpectione, expertorumq; in talibus parentum uel amicorum conſilio.

11 Superbiam nunquam in tuo ſenſu aut in tuo uerbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.

Superbia humana.

Abundare quenquã in ſuo ſenſu, ſibi placere, et præferre ſe reliquis, ex amore proprio oritur, & ſuperbia eſt: quæ ubi mentẽ obſederit, excæcat protinus, ne infirmiora ſua quæcunq; intelligat uel attendat, ſed ſibi placens ex animo, uerbis quoq; effluit iactabundis, inſipientiam ſuam profundit & prodit, qui ſi tacuiſſet, potuiſſet ſapientior haberi. Hæc uero profunde innuxa naturæ ſuperbia ubi radicem egerit, non poteſt per omnia deleri uel eradicari: nemo unquam carnem ſuam odio habuit, & amor ſui imas radices fixit. Sed nec cum iubet in totum excindi, ſed ſic moderari philautiam docet ſapiens et pius Tobias, ut non permittatur dominari in homine, ſed compeſcatur cõſideratione propriæ fragilitatis, & multiplicis ignorantiæ & aliorum gratiæ, quam non raro maiorem deprehendere poteſt in alijs, ut ſeſe minus debeat erigere, & ſe melioribus præferre. Non eſt perfecta natura in aliquo, ſicut iſte in quibuſdam donatus à deo uidetur, ſic alius in alijs. Nemo eſt ex omni parte perfectus: nec quiſquam ſine omni dono dei & naturæ facile inuenietur. Diſpartitur dominus ſua dona in multos, nolens aliquem omnibus frui: ſed unum ſic, alium aliter exornat, & ad ſuum opus diſponit diuina prouidentia, quæ omnia bene fecit. Nihil autem pniciofius ſuperbia, quæ primũ peccatũ opata eſt in angelis & hominibus, quæ fons eſt omnis cõtẽptus præceptorũ dei et proprij amoris, unde ciuitas diaboli ſuum trahit exordium.

12 Quicunq; tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedẽ reſtitue, & merces mercenarij apud te omnino non remaneat.

Mercedem

Sufficiat tibi dei circa te bonitas, qua neceſſarijs rebus non indiges, & pauperum operas rependere potes, tibi pro mercede laborantium, qua indigent & carere diu ſine damno non poſſunt. Felicius eſt dare poſſe q̃ accipere cogi, laborantes præmiare, quàm pro mercede ſeruire. Cum igitur pro mercede conduxeris indigentẽ ad tuum obſequium, crudelitatis eſt ad proximũ, & ingratitudinis in deum, proximo indigenti non reddere quod obligaris, mercedem operis differre neceſſitatem habenti, & opprimere per iniuriam eum quẽ tibi dominus iuuandum commiſit. Non enim tibi abundantiam alia ratione concedit, quàm ut felicior cæteris, pauperioribus pro uirili ſuccurras. Non dicas amico uel proximo tuo: Vade nunc, & craſtino redeas debitum accepturus, cum ſtatim poſſis dare. Non morabitur, ait lex domini, opus mercenarij tui apud te uſq; mane. De quo abſq; iactantia ſe Iob defendens, contra amicos dixit: Nõ negaui pauperibus quod uolebant, & oculos uiduæ expectare non feci. Quaſi dicere uelit Tobias: Qui meruit operando, non mereat expectando.

13 Quod ab alio oderis fieri tibi, uide ne aliquando tu alteri facias.

Odium lex

Nolles tu quidem mercedis intuitu coactus laborare alteri, & carere præmio, ſic tu quoq; non facias alteri. Et in ſumma, ex hac ſententia pendent omnia iura diuina & humana, quæ ſola ſufficeret ad tranquillam politicam ſi ſeruaretur, ad pacem mundi, & ad amorem diuinum, ad impletionem omnium mandatorum dei ad proximum, ut illi faciamus quod uolumus nobis fieri. Dicta mentis naturalis hoc docet, & ipſa conſcientia reclamat ubi negligitur. Ferale eſt & crudelis ſuperbiæ et contemptus fratrum, exigere officium à proximo quod aut quale ubi indigeat & poſſis nolis præſtare uicißim, ſpernere ſcilicet dei opus, imò fratrem tuum tibi fouendum creditum à patre tuo cœleſti, & tuo inſup iudice, cuius gratia per omnia momenta indiges, quem contemniſſe exitiũ ſit & damnatio æterna. Qui mandauit ante omnia ut mutuũ diligamus, ſicut ipſe dilexit nos proprio filio ſuo nõ parcens, quo minus pro nobis eum traderet exemplum perfectæ charitatis, neceſſarium etiam hominibus omnibus nobis oſtenderet & commendaret.

14 Panem tuum cũ eſurientibus & egenis comede, & de ueſtimẽtis tuis nudos tege.

Elemosina

Non rapinis uel uſura cõgeſtum cibum, ſed tuum diuide cum eſuriẽtibus, nõ cum delicatulis uel otioſis, ſed cum egentibus & neceſſitatem patientibus. Qui enim laborare poteſt, mendicare non debet. Qui non laborat dum poteſt, non manducet: ad laborem enim ordinatus eſt homo, ut in ſudore ſui uultus ueſcatur. Beatus autem qui intelligit, id eſt, attẽdit clementer ad ſuccurrendum egeno & pauperi. Frange, inquit, eſurienti panẽ tuum, & egenos uagoſq; induc in domum tuam. Cum uideris nudum operias eum qui frater tuus eſt, quem deſpicere non debes: tantoq; magis & diligẽtius benefacias ſi poſ

ſis

sis egenti, quanto minus tibi reddere potest: sed à domino expectes præmium in præsenti sæculo & futuro. Pietas enim suum mercedem habet hic & alibi. Cum esurientibus certe dicit, non cum diuitibus: nam res pauperibus debitas dare diuitibus, sacrilegium est. Dispersit dedit pauperibus. Vacua uasa non plena Heliseus oleo implet. Cum facis conuiuium uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, hoc est, beatitudinis mercedē in cœlo domino largiente percipies.

15 **Panem tuum & uinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.**

Parentalia. Hæc exhortatio filij de cibis superponēdis sepulturæ, cū ex omnibus sacris & canonicis literis consequentiā & probationē nullam inueniat, non ex lege neq; exemplis, fortassis causa fuit maioribus non computandi hūc librum inter canonicos. Quandoquidem hic gentilium ritum qui parentalia agebant, & sacrificabant pro mortuis, approbasse uidetur. Et iuxta uarias nationes uariæ quoq; superstitiones susceptæ sunt, quæ usq; ad Christianos peruenerunt: & quia resipiunt quæstum, usq; hodie alicubi durant, dissimulantibus episcopis & auaris sacrificulis cum monachis, continuo augentibus huiusmodi census, & in suum quæstum utentibus. Sunt qui id sacrificium interpretātur pro animarum salute, hinc cupientes firmare officia pro defunctis, cum hic dicatur, Super sepulturam iusti, quasi non magis egeant peccatores. Verisimilius uidetur morem fuisse reficiendi pauperes circa sepulchra mortuorum, quo celebrior, diuturnior & sacratior esset apud eos & aspicientes memoria iustorum hominum, ut eorum exemplis & gestis uirtuosis ædificaretur posteritas, & merces aliqua uirtutis etiam in hoc sæculo superesset ad uiuētium disciplinam, & eruditionē moralē. Alioqui superstitio ista à sanctis improbata est, & legitur apud Augustinum in quodam sermone de Cathedra sancti Petri. Hortatur ergo Tobias filium, ut ceremonias honorificas & utiles hominū cum quibus uiuit non aspernetur, sed salua interim uera pietate: peccatorum autem & idololatrarum superstitiones magnopere aspernetur & fugiat, quorum conuictus & consuetudo obsit pietati ueræ & sanctis moribus: maximè autē declinet mores fidei ueræ præiudicātes, ut sunt parentalia, non ea quæ ad superstitum consolationem, ad testimonium honestatis defunctorū deferuntur, sed quæ nuper celebrari à clericis cœperunt, pro subsidio animarum in purgatorio flammas patientium, quas huiusmodi operibus extinguere cum suo quæstu docuerunt contra scripturas, à sanctis patribus prorsus huiusmodi ignorato tam subsidio quàm purgatorio.

16 **Consilium semper à sapiente perquire.**

Consilia piorum nō malorum. Vbi opus tibi fuerit cōsilio in agendis, noli homines affectibus seruiētes consulere, ut quæ libeant & prosint ad quæstum consulant, sed sapientes & pios, qui iuxta creatoris præcepta instructi, nō nisi sancta uelint & suadeant, fideles inuenti in uita & moribus, qui sibijpsis bene consulere norunt, timorem dñi habentes, & non sua tantum quærentes, auaros uel superbos. Alioqui qui huiusmodi multos interrogat, pernicioſius errat: præstat non consuluisse q̄ improbos & infideles. Quis in cœno fontem quærat? ait Ambrosius. Quis ex aqua turbida potum petat? Vbi luxuria, ubi intemperantia & uitiorum confusio, quis non horrendum æstimet? Quis non despiciet morum colluuionem? Quis utilē alienæ causæ iudicet, quem uidet inutilem esse suæ? Et quomodo iudicare potes eum consilio superiorem, quem uides moribus inferiorem? Supra me debet esse cui me committere uolo. An uero putabo idoneum, qui mihi det cōsilium, qui sibi non dat? Et mihi cum uacare credā, qui non uacat sibi?

17 **Omni tempore benedic deum, & pete ab eo ut uias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.**

Gratiarum actio deo reddenda. *Siue tibi in uita tua aduersa cōtingant siue prospera, scito proficisci ea ex dño deo tuo, cui si teipsum deuotū & fidelem intelligas, nihil mouearis ac turberis: quandoquidem illi curæ te esse credas, & custodem ipsum paterna fidelitate tibi esse non diffidas, qui filijs irasci pernicioſe non possit, ideo benedic dūm. Quod si te criminibus obnoxium, & ab omni disciplina dissolutū inuenias, scito te per aduersa commonefieri, & ad pœnitentiā arripiendā moneri: ideo resipiscere cito studeas, & de gratia paternæ disciplinæ dūm benedicas. Tutius uero fuerit ut tete domino & patri tuo studioſissime commēdes, ut sic uias tuas moderetur & dirigat, ut ab illius uolūtate & lege ne ad latū quidem unguem declines. Et quicquid unquā proposueris agendū uel obmittendum, magnopere cura ut secundum beneplacitū illius cūcta perficias, abhorreas ab omni eo quod à lege dei uariat aut abducit. Scopum instituti tui ponas uerbum domini dei tui. Hoc est consilia piorum permanere in dño, eligi scilicet & diligenter perfici domini uoluntatem.*

18 **Indico etiam tibi fili mi, dedisse me decē talenta argenti dum infantulus esses Gabelo in Rages Medorum, & chirographū eius apud me habeo.**

Instruxerat iam paucis multa dicens, filium suū Tobias de pietate & honestate morū, iam de facultate ordinanda sermonem facit ad filiū, cui uiuens & integer sensu de debitis illi diuitijs mandat repetendis iam tandē ab amico, q̄ diues iam factus fuerat, & uicißim ipse Tobias repetendi necessitate per pauperiem ex cæcitate urgebatur & resumebat contractū. Diu pecuniā tantam neglexerat, & extremam necessitatis causam expectauerat, nunc uero suspicatus mortis se beneficiū impetrasse, filio suo indicat quid uel obligetur alijs, quod prudentes semper cauent, uel ipsi ab alijs debeatur, orbato filio ne cessarium futurū. Sic enim expedit ante mortis periculū mature cōsulere rebus, ut hæredibus nulla permittatur ansa rixarum, ut suū ius cuilibet salua charitatis gratia largiatur. Gabelum simpliciter nominat familiariorē et notiorē ex amicis, q̄ ut cognomine gradus uocare uoluerit. Erat amicus ex tribu sua, non extraneus uel de longinquo stipite. Quanquam aūt cōsanguineus fuisset, tamen pro præuenienda occasione schismatis chirographum acceperat, similem ei quem Gabelo quoq; iuxta Chirographum in cō tractibus.

prouinciæ morem & maiorũ usum dimiserat ad ueritatis testandæ in futurũ testimoniũ certũ & efficax, quod negari non posset. Sic enim iusta media conseruata contractuum & formæ, amicis prosunt & inimicis, dissensiones impediunt consentientiũ. Non temere fides absoluta sufficiat: tempora enim mutantur, & hominũ fides cum temporibus euanescit. Sunt quoq; rationes contractuum & tabulæ creditoriæ diligenter etiam à posteris conseruandæ, ne quando secundũ tempus incidens necessitas, sine eis finiri commode non possit, & amicorũ controuersiæ difficilius expediantur.

19 Et ideo perquire quomodo ad eũ perue nias, & recipies ab eo supra memoratũ põdus argẽti, & restituas ei chirographũ suũ.

Cæcus pater erat, discurrere non poterat, filio incolumi iniungit solicitudinem abeundi, ad repetendũ debitum prolixi temporis. Sed nec cõsilio illi potest succurrere, uult autẽ ut alicuius ad hoc consilium quærat de itinere aggrediendo tam remoto, & periculo non carente.

Pondus argenti. Quia autem iam indigebat, & uxoris labore sustentari omnes difficile erat, repetendũ ducit argenti pondus, id est summã pecuniarũ, quæ olim non tam numero q̃ pondere mutuabantur, forsitan nondum excusis denarijs ut postea. Pondus argenti dicit, cum fuerint decem talenta, unde discamus quid tum illis fuerit pondus. Talenta autem quanta fuerint, ex Budæo & Bibliandro nostro discendum, alijs cõmitto rerum talium peritioribus. E re autem contractuum & solutionum erat chirographorum redditio, ne secundo hæredes fallerentur.

20 Noli timere fili mi, pauperem quidem uitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.

Paupertas sanctorum. Non est sanctis timenda paupertas rerũ sæcularium, cum sit longe tutior uita tenuium q̃ affluentiũ bonis. Voluit consolari filiũ, ne ex patris cæcitate & egestate consternaretur, perpendentẽ ex huiusmodi missione parentem peruenisse ad necessitatem repetendi ea quibus hactenus nondũ eguerat: nũc uero præter deposita, omnia ferè alia absumpta uidebantur. Vnde et loquitur: Pauperem quidem uitam gerimus, qui necessarijs tantum uitæ adminiculis cum labore sustentare nos cogimur, qui nuper ad alijs largiendũ eleemosynas, & argenti uim bonam amicis tanto tempore depositam permittere potuimus. Nunc uero pro hoc nihil timeas, sed tantũ dñm timeamus, & toti ab ipsius gratia & bonitate per fidem solidam pendeamus. Iactemus in dñm curam nostram, et ipse nos enutriet, & possessionibus prouidebit, non tantum ad necessitatẽ, sed etiam ad munificentiam exercendam ad pauperes, ad quod pius Tobias propensissimus erat. Quanquam autẽ exponi possit hæc futura opulentia de sufficientia beatorum, nẽpe omnium bonorũ participatione perfecta in cœlestibus, & de statu beatitudinis: exponitur tamẽ, ut uidetur, rationabiliter etiam de præsentis uitæ abundantia, quam spiritu prophetico ad huc futuram prædixit his uerbis, etiam si id absq; intellectu dixisset. Sic enim & Iob restitutus est pristinæ felici

tati etiam in hoc mundo, ut discant huiusmodi exemplo sancti sperare in dominum, qui fideles suos probat & tentat euentibus grauissimis non raro, ut Iacobum, Dauidem, Ioseph, & similes multos, quos aliquandiu miserijs fatigatos & patientia triumphantes, tandẽ felici successu est consolatus. Longe enim tutior uita est sanctorũ expositorũ periculis, & paupertate grauatorum quàm diuitum, & in hoc mundo sæculariter gloriosorũ. Si inquit, deum timuerimus, si regnum dei fideliter quæsierimus, ut ipsius uoluntati per omnia placere studeamus, et miserias paupertatis patienter, donec ipsi placuerit, perferemus, adijcientur nobis adhuc multa bona, domino uolente, cuius sunt omnia, cuius est adimere & adijcere, humiles exaltare, & diuites inanes dimittere. Timere autẽ deũ, aliud non intelligit, quàm semper cogitare eius uoluntatem, bonitatem & iudicium, nihil cõmittere contrarium suis legibus. Timor enim domini facit à malo recedere, hoc est, ab omni peccato: non enim sufficit quibusdam abstinuisse. Quandoquidem qui in uno offendit, factus est omnium legalium reus, offendendo legislatorẽ qui omnia præcepit seruanda. Non quod hoc homines etiam sancti posśint, sed quod annitãtur pro uiribus, implorent gratiam perficiendi iniuncta, uel deprecentur commissa. Nec sufficit recessisse ab omni peccato, nisi et benefacere sequeretur, cũ sint illius iustitiæ partes duæ, una declinare à malo, altera perficare bonũ. Timor domini, ait sapiens Ecclesiastici 1. expellit peccatum. Nam qui sine timore est dei, non poterit iustificari. Timor dei.

CAPVT V.

1 IVnc respõdit Tobias patri suo, & dixit: Omnia quæcunq; præcepisti mihi faciam pater.

Audierat iam filius uota parentis, & disciplinam qua instituerat eum in moribus sanctis et uera fide, nihil aliud miungens, q̃ quod ex lege dñi docere poterat obseruandum: nempe scopum fidei & charitatis, qua sibi dñs seruiri uult. Alioqui qui hinc exemplum obedientiæ patribus deferendæ sumunt & inculcant, benefaciunt, si addant secundũ Paulum, ut patrum imitatores simus, ut sunt ipsi legis & Christi, ne hinc statuãt iuxta humanas traditiones quippiã quod dñs nõ præcepit, nec sequitur certo & dilucide ex uerbis dei. Omnia quæ præcepisti pater, ait, faciam, tam quæ ad mores & pietatem pertinent, q̃ quæ ad iter suscipiendũ, & ad pecuniam repetendam à Gabelo. Decet filios parentibus obsequi in omnibus quæ non sunt contra deum, semper subintellecta conditione, iuxta doctrinam Iacobi, si licuerit per uoluntatẽ dei & gratiã, sine qua nihil possumus. Ita enim intendebat probus filius, ita uoluisset: sed nõ est homo super terrã, qui legem domini sic impleat ut non peccet. Alia autem habetur consolatio ex Ioannis epistola, ut peccantes per dei filium Christũ dñm reconciliemur ei, cui legis obseruantiam obligamur, uel humili oratione supplices misericordiam pro erratis impetremus, quam nulli negat resipiscere cupienti. Obed. patr.

2 Quomodo autem pecuniã hanc inquiram ignoro, ille me nescit, & ego eũ ignoro.

ro. Quod signum dabo ei? Sed neq; uiam qua pergatur illuc aliquando cognoui.

Iunior adhuc & rerum huius mundi inexpertior filius prudenter satis queritur, sibi uolẽti abesse potentiã obsequendi in ultimo, quod de Gabelo iniunxerat. Modum uero huiusmodi prosequendi inquirit à patre, cum nunquam Gabelũ uiderit & Medorũ terras, ideoq; & uisus non sit ab affine, nec uiam didicerit unquã. Rogat igitur certum signũ, quo internoscatur Tobiæ se esse filium, & pecuniam repetendi urgentem causam & certam. Sermo uidetur filij quasi recusantis, uel potius non uolẽtis hac in re obsequi ad utilitatẽ: sed is loquendi modus est, cum difficultas magni operis cum timore suscipitur, & aliud respondere iuuenis non potuit, sed modum implendi mandata à parente audire gestit. Ideo sequitur oppositа patris instructio de modo repetendi pecuniã, & de uia qua sit cum ductore fideli proficiscendum.

3 Tũc pater suus respõdit illi, & dixit: Chirographum quidẽ illius apud me habeo, quod dum illi ostenderis, statim restituet.

Propria manu scripta promissio dandæ olim uel restituendæ pecuniæ Chirographũ certum debiti signũ erat. Quanquam autem Tobias de Gabeli dexteritate confideret, mittit tamen chirographũ, notam fidelis internuncij qua filium agnosceret, & tuto ipsi reddendũ debitũ minime hæsitare cogeretur: uel si noluisset reddere, causam prætendere posset non redditi sibi chirographi. Sic cũ debitoribus pro huius mundi dubia in hominibus fide agendũ est, & non nimiũ quibuscũq; hominibus credendum in rebus ubi auaritia & quæstus suum habent morem, raro ab iniquitate immunem. Etiam inter cognatos & proximos imò fratres ob rem familiarem perfidia aliquando oritur, ut nusquam tuta fides cõsulat caute agendum cum creditoribus. Quod uero promittit statim restituturum, pertinet ad fidem inter probos homines, quales erant Iudæorum pars maxima, utcunq; de religionis obseruantia sese frequenter ostendissent frigide studere. Sanctiores tamẽ fuisse uidentur ut plurimũ exules inter gentes, quàm dũ essent hæreditatis propriæ possessores.

Quatenus credendum in contractibus.

4 Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem uirum qui eat tecum, salua mercede sua, dum adhuc uiuo, ut recipias eam.

Excusatione filij paterna synceritate susceptа, modũ statim ostendit commode prosequendi necessariũ institutum & pro tutela dulcissimi filij & unici pignoris, à quo pendebat uita & solatium omne parẽtum, non uult solum transmittere in tam longinquam regionem, sed inquiri iubet non quemlibet, sed fidelem, idoneum & notum aliquem itineris comitem, & bonu uiri filij minstrum ac custodẽ in uia. Non tamen aliũ internunciũ mittit, ne in re ardua & dubia falleretur, & carere cogeretur aliqua ratione necessaria pecunia. Vult aũt comitem esse & uirũ & fidelem. Nec id gratis petit sibi fieri, sed mercedem spondet, quo fiat alacrior atq; studiosior seruulus quicunq; tandẽ is esset futurus. Solicitat autem filium ad maturandũ iter, & ad inquirendum de comite, quia iam sese exauditũ confidebat de morte sua proxime

Dubia fides hoim.

imminente & sperata. Quod autem parẽtes circa hæreditatum causas pro filijs fieri cupiunt, non differãt alijs perficiendum, extraneis maxime, imò ne amicis quidem qui non raro ipsi quoq; per iniuriã suis potius lucris inhiant quàm propinquorum: tempestiue igitur dum sunt in uiuis peragant, quod suis cupiunt filijs aut hæredibus profuturum: nec etiam ad ultimũ differant morbũ, quod nihil incertius hora mortis, & hominũ quoq; fide, quæ raro sibi constat. Voluit debitum à filio se adhuc uiuo suscipi, securitatis gratia & necessitatis.

5 Tunc egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.

Orationis & obedientiæ meritum ostenditur, cũ pro salute tam Tobiæ senioris & Saræ uirginis dignæ preces exaudiuntur à dño, & iunioris Tobiæ obedientia prompta iuuatur ad prædestinatã à dño optimam fortunam, id est dñi uoluntatẽ circa omnes promouendã. Angelus utriusq; preces dño obtulerat, administratorius spiritus & natura incorporeus, nutu dei & uirtute propria à deo accepta, humanã induit formã, non quã ut anima informet et uiuificet corpus quod uidetur, nec in unitatẽ personæ suscipiat, ut uerbum caro factũ est, duplici natura assumpta in unitatẽ personæ, eius quæ & uerbi est, sed ut mouendũ corpus à motore ad placitũ, pro dispensationis diuinæ opere perficiendo. Cuius simile negotiũ legitur in Genesi, et aliâs nõ raro in canonicis scripturis, apparuisse angelos in figura humani corporis. Hic uero additur hanc talẽ personã splendidã fuisse, hoc est, eleganti & insolita faciei pulchritudine, & in omnium membrorũ constitutione decora, quod translator splendidũ dixit. Nõ quod instar faciei Mosis resplenduisse credẽdus sit, uoluit enim uideri nihil supra hominẽ, et humana defunctione agere inter homines quod iusserat deus. Iuuenẽ referebat aptũ obsequio & comitatui iunioris Tobiæ. Stantẽ, ueluti prostantẽ ad obsequiũ eius qui ipsius opera indiguisset. Præcinctus quoq; erat, paratus scilicet ad iter arripiendum, ad quod fuerat à dño missus. Est aũt præcingi eius qui uenit ministrare, nõ ministrari, sicut & Christus discipulis. Fiunt enĩ angelicæ apparitiones in assumptis corporibus ad eum modũ & figurã, qui conuenit operi ad quod mittuntur à domino.

Angelus in forma humana.

6 Et ignorans quod angelus dei esset, salutauit eum, & dixit: Vnde te habemus bone iuuenis?

Non mirũ ignorasse Tobiam angelũ, quem uidebat humana specie constitutũ per omnia: ignotũ tamen, pulchritudine insigni gratiosum, humaniter & amice salutat more gentis, ut erat ab ineunte iuuenta edoctus à patre, honeste alloqui oẽs ut decet: igitur resalutatus pro more ab angelo. Nam id necessariũ scriptura non erat, sed ab omnibus intelligi poterat, ideo rursum Tobias dicit sua locutione: Vnde nobis contigit aduentus tam elegantis & iucundi uiri & iuuenis? Tam Hebræis enim q̃ Chaldæis uel Syris bonũ accipitur pro iucũdo, pulchro & elegante, sicut et cæteris linguis. Cuperẽt alij Latine elegantius loqui hæc & alia, illi idipsum discant ex suo

Latinũ unde discẽdũ.

Terentio, nos simplicitate scripturæ uetustißima & sacrosancta magis oblectamur, quibus abunde sufficit si intelligi poßimus.

7 Atille respondit: Ex filijs Israel.

Ex responsione angeli apparet præfatam interrogationem uoluisse tantum, quasi dixisset: De qua gente ad nos huc ueneristi? Cuias es? & cuius generis? Noluisset enim Tobias omnem comitem de quacunq; gente, sed fidelem & ex Israelitis: ideo aliud angelus respondere non debebat, q̃ quod iuuenis cupiebat. Filij autem Israel ad hoc dicti sunt, quia ueri dei deuoti cultores esse debebant, & ad uotum ipsorum dominum deum per omnia propitiũ & clementem habebant. Tales quoq; sunt sancti angeli dei, nihil aliud cupientes quàm colere deum. Id autem agunt, electis secundum domini uoluntatem ministrãdo. Quasi uoluisset dicere: Talis sum, qualẽ optare pro tuo negotio poßis quàm maxime, & tibi pro carnis cognatione fidelißimus, & iam ut cernis paratus.

Filij Israel.

8 Et Tobias dixit ei: Nosti uiã quæ ducit in regionẽ Medorũ? Cui respondit: Noui, & omnia itinera eius frequẽter ambulaui.

Exequitur scite, fideliter ac expedite statim, obmißis otioßis, ad quæ agenda à patre fuerat mißus. Audiens Israelitam esse, contentus est pro tanto, de genere & tribu non erat posthac solicitus, sed si uiam sciret in Mediã percunctatur, quod proximum erat interrogandum, ut aptior instituto haberetur. Omnia dei nutu agebantur, ideo ordine omnia apta inueniebãtur et accõmoda usui. Respondit aũt angelus pro officio suo, iußus & mißus à dño: ideo quicquid loquebatur ad negotiũ pertinens, dei uoluntas erat & ueritas. Omnia nedum Medorũ, sed omniũ quoq; terrarũ itinera si uoluit sciuit angelus: hoc aũt uerbis aptioribus eloquitur, ut operi et instituto Tobiæ gratius fieri & dictum esse non potuerit. Omnia ergo uera, nihil hic deceptioni obnoxiũ, nulla fallacia, nullum mendaciũ, ubi omnia dñi dei nostri uoluntate gerũtur. Et erat tamen fortaßis hic angelus Israelitarũ dißperßorum in Media procurator constitutus à dño, per quam iam gloria dñi dei Israel non parum inclarescebat propter exiliũ miserorũ, quo deus abutebatur ad sui nominis exaltationem, ipßis quoq; inuitis & nolentibus. Sic enim prædictum fuerat per prophetas, ut qui intra suã terrã dñm colere nollent, in gentibus dißperßi dñm requirituri essent, et nõ manumittẽdos à dño quãlibet inuitos.

Exilij Israelitarum fructus.

9 Et manßi apud Gabelũ fratrem nostrũ, qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ posita est in monte Egbathanis.

Quid de Egbathanis Plinius in VI. & Ptolemæus memorent, facile nũc est legere multiplicatis exẽplaribus. Ciuitatũ ego nomina & montiũ cogor non morari, quæ toties mutata, & à pluribus uarie designata uideo. Rages Medorũ ostendũt in Parthia. Egbathana urbs prope mõtes Medorũ, ad gradum prope longitudinis ßs. iuxta montẽ Orontẽ. Mihi uerior hæc historia uidetur, quàm sit narrationũ aliarũ certitudo, quæ dicit hic, in montibus Ecbathanæ proximis sitã ciuitatẽ Rages, ubi Gabeli habitatio fuit, de quo hic Raphael loquitur, cũ legatur & alibi alia quædam Ecbathanis. Fratrem uero nostrũ nominat, quia Israelitis se angelus simpliciter loquẽs ad numerabat. Et familiares fuisse angelos patriarchis non raro legimus.

Egbathanis.

10 Cui Tobias ait: Sustine me obsecro donec hæc ipsa nuntiem patri meo.

Omnia ad uotũ Tobiæ acciderãt, & supra q̃ homini sperandũ fuerat, pro qua rerũ nimia fortuna admiratus fuit iuuenis, & credidit tantum rerũ successum nõ aliunde q̃ ex immenso dei munere fieri. Quod & religioso patri, & cæcitate alioqui miserο, magnũ gaudium allaturum erat, si illi nuntiaret beneficiũ tantum dei. Sed iuuenis sine patre sapientiore non debuit negotio tanto per omnia consentiendo colophonem imponere, patre non consulto. Aeque enim habenda est timoris & circũspectionis prudẽtia in rebus ualde gratis & fortuitis, sicut in ualde aduersis. Potuisset alioqui si res per hominem gesta fuisset, subesse fraus & mendaciũ, nimiumq; propera conuẽtio de re nõnihil periculosa. Nihil igitur sine patris consilio agendũ decreuit, qui cũ homine, ut putabat, & ignoto negotiũ inire periculo non carere putauit.

Patri uti cõ

11 Tũc ingressus Tobias indicauit uniuersa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogauit ut introiret ad eum.

Non irrationabiliter filius iuuenis obstupuit ad tam inopinatum successum rerum, quãdo & pater senior nõ sine admiratione accepit de opportunitate tanti boni rumorem. Videtur angelus commigrasse ad domũ senioris cum iuniore, sed honestatis gratia quasi noluisse ignotus ingredi domũ, sed expectare maluisse, ut à patre aduocaretur. Sic enim dñs per angelos quoq; agit, ut raro miracula ædat, & præter cõmunẽ hominũ & rerũ morem suam per omnia uoluntatẽ necesse est adimpleri, ut ad multiplicãda miracula non simus propensi, ut quæ iuxta naturã fieri possunt aliqua ratione, nos miraculosæ operationi malimus adscribere. Potentior est enim dñs et sapientior, q̃ ut omnium suorũ operum rationẽ homo sem per ualeat indagare, & ut naturæ operas ad suum opus applicare non poßit, qui est ipse naturarum dominus & ipsa rerum natura.

Mirari.

12 Ingressus itaq; salutauit eum, & dixit: Gaudium tibi sit semper.

Angelus erat, & cunctam Tobiæ anguſtiã perfecte sciebat, de mortis desiderio, & illius causis, uxore nõ nihil morosa, et impatiente de cæcitate et pauperie, de solicitudine amandandi unicum & probum filium in regionem longinquam: ideo tali eũ salutatione adorsus est minister dei glorioßi & benedicti, ut gratiã dei, futura beneficia, & insignem affuturã cõsolationẽ paucis uerbis explicaret, sed ea generalitate, ut clare intelligere non posset, nec tantũ bonũ sperare quantũ angelus ꝓmittebat.

13 Et ait Tobias: Quale gaudiũ mihi erit, q̃ in tenebris sedeo, & lumen cœli nõ uideo?

Audit cũ admiratione sibi de gaudio promittentẽ, salutatiõis nomine, de quo nihil amplius sperare poterat, sed mortem desiderabat optatiorem, ideo cogitabat qualis esset salutatio, & humano more cõquerebatur se tãti promißi

Solatia cæcorum.

promissi boni capacẽ non esse, qui ea careret consolatione, quæ omnibus uiuentibus solet esse omniũ gratissima, inspectione scilicet lucis, per quam de omnibus iudicare possit, refici & gaudere. In tenebris non gaudiũ est, sed horror tantũ et timor. Quo lumine priuatus, nihil de reliquis bonis syncere gaudere potest. nunquã extra præsens periculũ, nisi interno aliquo bono consoletur, ut fieri per naturã uidemus, cum capti oculis aliunde à domino cõsolentur non raro, ut Antonius ille magnus de Didimo Alexandrino cæco dicebat, non contristandum de cæcitate oculorum, qui mentis eruditissimæ serenitate illustraretur interius. Sic uidemus Musica delectari, qui coloribus & luce non possunt, & rerum iucundissimarum memoria. De sapientia spirituali alij exponunt lumen cœli, quæ iuxta Iacobũ apostolum est de sursum ueniens, primum quidem pudica sit, deinde pacifica, modesta, suadibilis &c. Hoc lumen qui non habet, uerum gaudium habere non potest: sed illud gaudium intendebat, quod maxime cupiebat homo cæcus.

Antonius & Didimus Alexandrini.

14 Cui ait iuuenis: Forti animo esto, in proximo est, ut à deo cureris.

Iuuenis nominatur ex forma, qui angelus erat, & diuinorũ mysteriorum pro tanto conscius, quia functionis suæ & missionis officium sciebat. Amandatus à domino fuerat, ut utriusq; personæ, Tobiæ & Saræ orationibus effectum exauditionis deferret: hoc per omnia se facturũ receperat, de uoluntate domini, cuius uelle est agere, sed cum tempore, & nõ semper subitaneo miraculo, sed mysterio nonnunquã naturarũ interueniente. Ait ergo, Longanimis esto, et fortiter spera in dominũ, à quo prope tempus, & illud non adeo longũ, curaberis à defectu luminis intuendi quẽ causaris: non ego te curabo sed dominus. Administratorij tantũ spiritus sunt angeli, nõ authores uirtutũ, quas deus agit in omnibus omnia, ideo soli deo accepta referri debent. Gratiæ sunt domino referendæ pro suis beneficijs, quæ per angelos uel homines largitur: ideoq; & angeli nolunt à fidelibus adorari uel inuocari, sed hortantur ad dñm deum suum per omnia glorificandum, cui soli honor debetur & gloria. Multo minus homines mortales, quamlibet sancti, sibi arrogabunt potestatem saluandi miseros & iuuandi.

Angelorum uirtus.

15 Dixit itaq; illi Tobias: Nũquid poteris perducere filiũ meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? & cum redieris restituam tibi mercedem tuam.

Nihil subinde Tobias loquitur de gaudio uel sanitate restituẽdis, non tunc illud animo uolutabat, cõmendauerat iamdudũ sanctus domino sortem suam, siue uiuũ illũ & cæcum ferre uellet bonitas dei, siue mori aut sanare, quod illi minus in mentẽ ueniebat, de condẽdo testamento & filio prouidendo attentus. Verba autẽ angeli, qui putabatur iuuenis, arbitrabatur & interpretabatur honoris & cõsolationis gratia pro hominũ suauiũ & pio rum more prolata. Ideo obmisso de eis responso, proquitur institutũ de mittẽdo filio ad Gabelum: qui ex huiusmodi modo loquendi uidetur nominatus & clarissimæ famæ fuisse uir, ad minus inter Iudæos, & solo nomine celebris & notus passim, nisi fortassis ex filio audierit, quæ angelus dixisset de Gabelo probo cognito, cum quo habitasset in Rages ciuitate, quæ in Media sita esset in montanis proximioribus metropoli & capiti regni Medorũ Ecbathanis, quæ ex hoc indicatur nõ esse Ragra, quæ iuxta Ptolemæũ assignatur ad Parthorũ regionem. Interrogat aũt, si possit, hoc est nouerit uel uelit filiũ ducere in Mediã, proximã Assyriæ ad Ortũ septentrionaliorẽ uel æstiuũ. Simulq; mercedẽ dignã promittit reuersuro atq; reducturo filium. Restituã, ait, Hebraico more, quibus retribuere est liberaliter præmiare, nẽpe fidẽ exhibendã unigenito, et fatigationis molestias in itẽ nere tanto, eundo & redeundo. Sic dño dispensante cuncta ordinantur circa electos suos, quibus tam iusti q̃ iniusti angeli & dæmones uelint nolint iuxta dei beneplacitum & ordinem deseruire coguntur in omnibus.

16 Et dixit ei angelus: Ego ducam & reducam eum ad te.

Quomodo de futuris loquendũ.

Simpliciter & absq; conditione loquitur angelus in forma humana, quia domini uoluntatẽ certò sciebat, imò & prædixerat futurũ, quod posterius fieret: acceptis à deo mãdatis incunctanter agit & loquitur, certus erat de felici reditu, pro quo à domino missum se sciebat. Nõ aũt nobis hominibus de incertis futuris negotijs sic est loquendũ, sed sicut apostolus Iacobus loquitur, cum adiecta conditione, de domini uoluntate, quæ in istis contingentibus rebus nobis certa sciri non potest. Ego, inquit, non alius, nulli alteri committã reducendum. Peruenimus ad locum quo mittimur, & pariter redibimus, si domino uolente, de quo dubito minime. Id certe quod ui debis cum gaudio. Quæ enim certa nouimus, cum dubio prædicere hypocrisim magis sapit q̃ religionem. Aliud angelus sciebat, quàm nos homines possumus adhuc miseri. Nobis crastinæ diei euentus ignotus est, ob rerũ instabilitatem, & dei nobis uoluntatem incertam, quam necesse est perfici, si instituat.

17 Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi de qua domo aut de qua tribu es tu?

Ex elegantissima forma & benigna uoluntate, uerbisq; tanta fiducia expressis, permouebatur ad miraculum personæ, & numium instituti sui successum admirabatur, & nonnihil, ut senes solent, suspicionis titillabat mentem, interim domini circa se prouidentiam non sine admiratione contemplabatur. Cupiebat scire quis esset cui amantissimum in mundo pignus unigenitum cõmendaret. Ne uero aliquatenus offenderet cunctando, obtestatur & rogat humiliter & amice, ut liceat sibi scire genus & familiam eius, quem Israelitam esse audierat. Pulchre enim uel hoc consolationis habebant exules, ut mutuum sese etiam remoti ex beneficijs ad peregrinos & fama probitatis internoscerent. Domus pro familia capitur, more Hebraico & ueteri. Satis hic ad mores in struimur, cũ ignotis personis in re ardua, qualis hic fuit tutela unigeniti, caute agendum, & diligentiã in inquirendo personarum statum & studia nõ obmittere, ne si per prudentiæ iudiciũ aliquid negligatur, postea excusari aliter nequeat, q̃ ut dicant, Non putabam. Allegoriam

Cautela ad extraneos.

de filio dei incarnato & ſaluante humanum genus, ac ad patrem in cœleſtia reducentem genus humanum, recipiat qui hac non ſit contentus.

18 Cui Raphael angelus dixit: Genus quæris mercenarij? an ipſum mercenarij, qui cum filio tuo erat?

Pulchre excuſat reſpõſionis neceſsitatẽ, cum elegãti reſponſione quærentis: Quaſi diceret: Cũ de filio tuo mittendo cogitas, nõ tibi generis aliqua nobilitas eſt inquirenda, ſed peritia uiarum, & fides ductoris. Non uelles operis mercedẽ reponere ad reſpectum generis, ſed operationis. Quærendus tibi fuerat ductor fidelis & ſagax, de quocunq; tandẽ genere natus, de mõribus potius & fide ſolicitus ſis oportet q̃ de cognatione. Sic nõ ſunt perſonæ reſpiciẽdæ, ſed officia. Non homines officijs iuuandi, ſed officia hominibus commendanda. Stultus eſt reſpectus generis, dũ de fide inquiritur actionis. Sic quoque indigne agunt, qui eccleſiaſtica officia quæcunq;, etiam prophana, ad nobilitatẽ generis reſpicientes diſtribuunt, & non magis conſiderant integritatem & circumſpectionem in uſu & functione peragẽda, ut quem idoneum in minoribus repererint, ſuper maiora officia cõſtituant, & officio proſpiciant potius q̃ perſonis. Ad hoc enim toties lex dei reſpectũ perſonarum interdicit.

Officia non perſonæ reſpicienda.

19 Sed ne forte ſolicitum te reddam, ego ſum Azarias Ananiæ magni filius.

Ad conſolationẽ miſſus fuerat à domino angelus, & ad medicinam, ideo anxiũ dimittere nõ uolebat patrem de ſalute filij, ſed ſolicitudine leuare uolens, dicit ſe filiũ eſſe magni cuiuſdã uiri in Iſrael nobilis & celeberrimi, unde & magnitudinis & gloriæ cuiuſdã inſignis uocabulum fuerat à ſua gente conſequutus. Hic aliã fortaſsis cauſam oboleo, quare Iudæi hunc librũ ad Canonẽ ſacrarum ſcripturarum iungere auſi non fuerint, uidelicet ne quis authoritate huius ſcripturæ contẽdere auderet angelos fieri homines, cum qui toties dictus eſt angelus, et Raphael, naturæ incorporeæ & ſpiritus, miſſus in dei miniſteriũ, hic ſeipſum nominet non falſe ſed uere filium cuiuſdam magni & celebris uiri, Hananias dicti, qui & nomen habeat Azarias. Maluerunt ergo librum habere dubiæ fidei, q̃ fidei catholicæ articulum dubium facere, admittendo animarum metamorphoſim, & iudicij diuini infringere ſtatutum ordinem. Quomodo enim ſtaret animarũ æterna felicitas, ſi quæ anima nunc corpus Heliæ uiuificat, deinde Ioannem baptiſtam, ut ethnicorum quidã, animã Pythagoræ cuiuſdã alterius ante Troiam occiſi corpus mouitaſſe fabulãtur? Sic qui filius eſt Ananiæ, Azarias dictus, quomodo angelus ſimul credendus eſt? Abhorrent autẽ Iudæi ſatis irrationabiliter & contra uſum ſcripturæ ab allegorijs ſumptis ex nominũ proprium interpretationibus. Alioqui uere hic dixiſſe et intendiſſe uidebitur angelus Raphael, qui ſe עזריה auxilium domini dixit eſſe, & filium חנניה qui gratia dei interpretatur. Re uera enim ex magna gratia dei ad Tobiam miſſus eſt Raphael angelus, ad auxiliandũ ambobus, Sarã liberãdo à ſterilitatis opprobrio, & Tobiã à miſeria cæcitatis, utrunq; ex clementia dei inſigni & maxima. Vt rationabiliter ſe uoluerit nominare filium hominis gratioſiſsimi, & nomen habere ab auxilio dei, pro quo miſſus fuerat legatus, medicus quoq; animarum & corporum.

Quare non canonicus.

Allegoria nominum propriorũ.

20 Et Tobias reſpondit: Ex magno genere es tu, ſed peto ne iraſcaris, quod uoluerim cognoſcere genus tuum.

Nouerat Tobias nobilem quendam Iſraelitam nomine Hananiam, magnum cognominatum, qui claram poſt ſe progeniem reliquerat, unde hunc angelum quem hominem uidebat natum credidit, perſuaſus his dictis, ſine alicuius iniuria ſiue damno. Ideo addebat reſpondẽs: Ex magno genere tu es, ſi inter maiores tuos ſupputas hunc Hananiam. Filius autem Hebræis dicitur, nõ tantum natus à patre, ſed nepos et pronepotes, & quotquot ex aliquo generationis olim ſeriem per ſucceſsionẽ ſunt aſſecuti: quod late patet ex libro Præteritorum. Officij aũt gratia ueniam orat, quod tam ſcrupuloſe natales ſuos inueſtigare præſumpſiſſet, quod certe non eſt tutum nec honorificum, quod poteſt honeſtiſsimus quiſq; obſcuros & impios habuiſſe parentes.

21 Dixit autem illi angelus: Ego ſanum ducam, & ſanum tibi reducam filium tuum.

Aduertens angelus anguſtias cæci Tobiæ pro filio tranſmittendo, & anxium de fide ductoris, iterũ ſpondet bonam fidem in commiſſum ſibi filiũ, de quo iubeat eum minime ſolicitum eſſe, iterũ abſolute promittens reducendum, quia de dei uoluntate certus erat. Seruat autem angelus ſtilum & modũ loquendi dei, pauciora promittentis ſemper, q̃ ſtatuere uelit & reddere. Reductu rum tantum filiũ promittit, cum amplis diuitijs honoratum, & ſancta uxore donatum reſtituerit, & inſuper uiſum genitori eſſet reſtituiturus, quod quidem iam ante ſed tẽclim prædixerat. Sic ſemper auguſtiora ſunt dei circa nos dona, q̃ nos expẽdere certò ualeamus: tam bonus enim eſt dominus, & ſanctus in operibus ſuis, ſicut fidelis eſt in omnibus ſermonibus ſuis.

22 Reſpondens autẽ Tobias, ait: Bene ambuletis, & ſit deus in itinere ueſtro, & angelus eius comitetur uobiſcum.

Satisfactionem ſuſcipiens, & plane credens uirũ bonum & fidelem, propter promiſſam iam toties fidẽ, abeuntibus beneprecatur & benedicit, ipſos domino deo ſuo commendans, cuius gratia cum incolumitate pergãt, & redeant cum ſalute, cuius gratiam & auxilium illis precatur ut adſit, non ignorans eſſe ubiq; deum, implere omnia, & diſpenſare: ſed orat ut cum ipſius fauore & felicibus auſpicijs pergant, & angelũ domini cuſtodem habeant, ueluti Iacobus patriarcha & ſancti, ſimiliter Helias & Heliſeus, quo protegente à nemine lædi poſsint. Sic enim benedicendi ſunt qui mittuntur fideles à fidelibus. Nihil ſine oratione inchoandũ. Non deſunt ſanctis ſui angeli, à deo ad hoc miſsi, ut in miniſteriũ adſint electis. Sic etiam in mitijs & uigiliarum & ſomni, domini protectio eſt poſtulanda. Non orandi ſunt angeli ut cuſtodiant, qui aliud non poſſunt q̃ quod deus iniunxerit, ſed deus ſolus orandus eſt, ut angelum mittat

ad

ad tutelam & auxilium.

23 Tũc paratis omnibus quæ erant in uia portãda, fecit Tobias Vale patri suo & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul.

Viaticũ nõ mẽdicitas.

Sic eos diuinæ commendauit prouidentiæ, ut studiũ & diligentiã non obmitteret prouisionis humanæ. Viaticum itineris opportunum parari iußit, pro difficultate itineris, ne grauarentur ipsi egestate annonæ & commeatus, uel in uia hospites grauarent: nolebat mendicaturos amandare, sed sufficienter prouisos, ut fieri poterat. Nihil de pecunia memoratur, quæ fortaßis tunc non dum in usu erat, uel pauperibus non aderat, sine qua uiuere commodius possent fideles, si fidem & charitatem mutuam perfecte seruarent. Sed ut nunc homines animati sunt, uix propediem etiam pecunia sufficiet, quarum indies æstimatio crescit, ut & perfidia contractuum augetur, decrescit charitas. Filius autem abiens felicia interim precatur in primis patri, ut maiori: deinde matri quoq;, quod ad obseruantiã pertinebat, & ad officium filiale. Sic enim sunt honorandi parentes factis ac uerbis. Post hæc feliciter uiam arripuerunt pariter.

Pecuniæ.

Filii mandã

24 Cũq; profecti essent, cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis:

Matris amor ad filium.

Sic morosum genus fœminarum, permiserat & minime reclamauerat dum abitus pararetur, habita ratione necessitatis, & recipiendæ pecuniæ, inde enim laboris sui necessitas minuenda sperabatur: nunc autẽ muliebri impatientia, & affectione materna urgetur ad lachrymas, indolet absentem filium, post abitum pericula itinerantium & ad suam interim uicem orbatorũ nunc plangit incõsolabiliter, & patrem quoq; turbat, illi causam improperat: iã pœnitet pristini cõsensus, nunc infectum uellet quod antea fieri placuit. More fœminarũ, Lege, modo, ratione caret, confinia recti Negligit, extremis gaudet, facit omnia uoto, Flet, ridet, sapit, insanit &c. ut est apud Mantuanũ. Et re uera honestus filius, parentibus est senectutis baculus, cui iam imbecilles et uiribus destituendi incumbant, si tamen non negligenter ac insolenter institui eum studuerunt. Hunc sibi baculũ fragilibus ademptum plangit mater intractabilis fœmina, quæ nuper improperijs suis uirum ad hoc cogitandum consilium coẽgerat importuna: nunc importunior clamitat, & periculũ filij & suum in caput reijcit Tobiæ mariti. Huiusmodi sunt incommoditates matrimonij, ut ferant se mutuum, & uxoris imbecillioris mores fortior animo maritus supportet, & fragiliori uasculo deferat, quod naturæ insertum est, non libera uoluntate. Pergit autem querelas nectendo querelis, & impatienter dicit:

25 Nunquã esset ipsa pecunia, pro qua misisti eum. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut diuitias computaremus, hoc quod uidebamus filium nostrum.

Facile à deo quoq; uenia donantur huiusmodi affectuum naturalium excessus, & quod ex fragilitate magis prouenit q̃ contemptu, & malitia præcogitata. Iam magis optabat carere pecunia, q̃ unigenito: iam diues

esset, si filij tantũ præsentia frui daretur. Nec prorsus irrationabiliter, quod nobilior illis thesaurus esset, et longe pretiosior filius q̃ argentum, et periculo exponi non debebatur pretiosius pro uili. Maritum sugillat auaritiæ uel negligentiæ, qui filium pro diuitijs prodidisset. Iam uolebat paupertatis ferre miseriam, si tantũ filij faciem contemplari liceret. Sic passiones obruunt rationem, sic mutant institutum, sic pulchrũ habetur & gratius quicquid uolentibus denegatur. Videbamus, ait, per excessum, cum pater illum præsentem uidere non posset, sed alijs modis sentire, & sese oblectare de eo. Visus enim sæpe capitur pro sentire, ut sensus illustrior.

26 Dixitq; ei Tobias: Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui uidebunt eum.

Consolatio in tristibus.

Animæquior senex hortatur uxorem, fletum mittat inutilem, & unam tristitiam de uno malo non duplicet, ut dum de filij præsentia gaudere non datur, saltem spes reditus consoletur mœstam. Sic enim de domino sperandum est in bonitate, & quod gratius fuerit cogitandum atq; sperandũ. Credebat diuina prouidentia insperato perfectũ, ut idoneus illi ductor contigerit, omnium tam itinerum gnarus q̃ personarum ad quas mittebatur. Sciebat promptiorem dominum ad saluãdum pios, q̃ pios ad dominum exorandum. Intellexerat inter orandum se exaudiri à domino, ideo cum fiducia maiore imbecillẽ consortem sustentat, promittitq; iucundiorẽ uxori reditum filij, quæ eundem aspicere poterit, q̃ sibi patri. Nondum credebat se sanãdum de cæcitatis morbo, quanquam id illi angelus promisisset, sed optandi magis modo q̃ prædicendi, ut uidebatur, addit:

27 Credo enim quoniam angelus dei bonus comitetur ei, & bene disponat omnia quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio reuertatur ad nos.

Credere deũ promissis.

Orauerat dominum pro salute euntium, & id ex fide, more sanctorũ, qui iusta ac pia orantes, sciunt se non posse non exaudiri per dominũ bonitatẽ, quam plerunq; experiuntur: & credentibus domino iuxta fidem contingit ipsorum. Sic domino placet in primis fidelium fiducia in ipsum, sine qua nullum bonorum operum cæterorum placere illi potest. Id nos homines experimur, cum maxime offendimur, quando intelligimus nobis promittentibus grata non credi, de nobis non bene sperari, multo magis id de summo bono tenendum. Credit à domino subordinatum hunc filio comitem, credit orationes exauditas, non esse uacuam benedictionem ultro citroq; delatam, non abesse illis prouidentiam dei propitiam. Angelum autem dei bonum nominans, subindicat se credere cacodæmones esse & asmodeos, quos admittendos non credit, sed aufugandos per angeli boni nuncium & tutorem. Non tantum confidit saluos ducendos & reducendos, sed filij sui causam à domino credit optime disponendam, per dei angelum, tam de pecunia restituenda, q̃ de alijs euentibus circa suum filium. Gaudium credit futurum de reditu filij, etiam si ipsum minus uidere contigerit. Sufficiet enim audiuisse, si ita domino placeat, qui

Fidei merces.

longe gratiora præstabit, q̃ ille credere tũc potuit. Tanta est enim fidei merces, ut fidem augeat, à fide in fidem proficiat deo credens, ut tandem fidei succedat uisio, et tentio spei. Discamus igitur confidere de domini bonitate, quia immensa est illius beneficentia. Cuius elegantissimum est hoc exemplum, quod illi fideles didicerant à Iacobo patriarcha, qui ueluti ex mortuis reuiuiscere uidebatur, filio conspecto Ioseph.

28 **Ad hanc uocem cessauit mater eius flere, & tacuit.**

Et hoc quoq; diuini beneficij erat, & merces idonea fidei in bonitatem dei, quod mulier acquiescere potuit persuasioni mariti, & à molestando sene conquiescere, domino committere curam, interim ferre patienter absentiam filij, & credere cum salute rediturum. Vt facile fœminæ irritantur, sic facilius se patiuntur persuaderi. Et nihil citius aresçit lachryma.

CAPVT VI.

1 **ROfectus est autem Tobias, & canis sequutus est eum, & mansit prima mansione iuxta fluuium Tigris.**

Canis Tobiam sequitur.

Describitur cõsequenter progressus Tobiæ iunioris cum angelo. Minus uideri poterat & indignius quod de cane sequente filium non tacetur, nisi ad hoc naturæ dominus animalium naturas ea ratione condidisset, ut & ministrarent suo nobis modulo, & dei gloriam & naturæ mysteria declararent. Nihil est in animalibus cane fidelius, quos, Plinio teste, non raro pro dominis contra latrones pugnasse compertum est, confectisq; plagis à corporibus non recessisse, abegisse uolucres et feras, percussores domini prodidisse & uindicasse. Soli dominũ nouere, et ignotũ quoq; si repente uenat intelligunt. Soli nomina sua, soli uocem domesticam agnoscunt. Itinera quãuis longa meminerunt. Memoria illis ingens, & amor fidelis, solertia & sagacitas præcipua, inauspicata præcognoscunt, & apud infortunatos non sponte remanent. Non igitur gratis domini sui filium dilectum canis dimittere non potuit, sed abeuntem est subsequutus: etiam eo ipso dei prouidẽtia præsente. Fluuius autem Tigris per Assyriam fluit, ad cuius orientalem plagam Media est, qua iter illud persequendum fuerat, de cuius fluxu alij uideantur. Ad cuius ripam primã ceperant post exitum mansionem. Dicitur autem Latinis Tigris, & Græcis: quem Hebræi חִדֶּקֶל nominant: de quo in principio Geneseos cum reliquis fit mentio fluuijs Paradisi.

2 **Et exiuit ut lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.**

Hospitiũ iuxta uada fluminis captatũ exijt Tobias, refrigerij gratia pedes abluturus. Ingresso autem aquas iuxta ripam, diuina prouidentia accessit eum ingens piscis, aperto oris rictu ueluti iuuenem arrepturus. Qui qualis fuerit & cuius generis non discimus ex scriptura. Quanq̃ esse in aquis bestias carnuoras naturales historiæ multis in locis docent, ut et Troglodytæ dicãtur.

3 **Quem expauescẽs Tobias, clamauit uoce magna dicens: Domine, inuadit me.**

Nõ sine scientia angeli hoc fiebat, sicut nec citra dei prouidentiam, ut bestia ista occurreret ad medicamina profutura. Sic enim deus cuncta administrat, quasi casu contingant, cum sint à domino præuisa, & simul ad suũ finem in dei gloriam ordinata. Ad insolitũ aspectum stupendæ bestiæ nimirum expauit, & iam quasi à ministro neglectus uidebatur, & periculo permissus, nisi clamasset: sed nihil minus fieri poterat, ab angelo dei custode necessario defendendus erat. Magna uoce clamauit in multa angustia. Dominũ autem appellat suũ, usu gentis & reuerentiæ gratia, cum quo iam primam confecerat dictam, nesciens angelum esse, sed tam spectabilis personatus uidebatur, ut non sine honoris usu illum sequeretur adolescens custodem, à patre commendatus. Pueriliter clamat & ut inexpertus, Inuadit me, scilicet bestia atrox. Permittebatur à domino periclitari, ut occasio esset saluberrimæ medicinæ.

4 **Et dixit ei angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eus.**

Pisces.

Eauces iubetur apprehẽdere piscis, post caput super corpus reliquum, unde suo modo pisces respirare solẽt, qua parte & arripi manu potuit, & tuto attrahi, iussu angeli: qui maluit opus iuueni perficiendum permittere quàm sua opera, quo de salute consecutura effusius sibi gratularetur, & de euasione periculi. Quem expauerat iubetur attrahere, fiducia & audacia confortatus ab angelo. Cuius nimirum occulta ui & cooperatione, tam immanem bestiam superabat eatenus, ut ante illius pedes palpitaret, aquarum indigua, & siccum exhorrens, nec tamen regredi potens. Hæc uero Tobias facere uidebatur suis uiribus, cum angeli per omnia uiribus niteretur, cuius non est corporalis potentia, sed spiritualis, ut & natura. Humanus enim personatus nihil addebat uirtuti angelicæ, sed impediebat magis, sicut & anima corpus impedit, & deprimit sensum multa cogitantem moles crassior & intractabilior menti. Faciunt hic ex Tobia Christum, ex pisce diabolum, quem crucis hamo cepit & occidit: quam allegoriam inuenies apud Bedam, unde trãslata est ad Ordinariam glossam, ut alia ferè omnia, parum tamen soliditatis habentia.

5 **Tunc dixit ei angelus: Exentera hunc piscem, & cor eius & fel & iecur repone tibi. Sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter.**

Hic alij piscem hunc faciunt Christum, squamas habentem et pennulas uirtutum, fel amarissimæ passionis, cor dilectionis, & iecur nescio quid comminiscũtur. Vt appareat inutile, imò perniciosum studium sic interpretandi scripturas, quo quodlibet faciũt ex quolibet, et authoritati detrahũt sacrosancto Canoni, quasi quorumlibet ingeniosorũ eloquẽtiæ et libidini subiacere uelit aut possit, cum humilem scripturæ sensum & utilem aspernãtur, quasi nõ hoc facto utiliter admoneri possimus ad diligentissime indagandum naturas rerum, quas omnes fidelissimus creator ad usum humani generis scribitur condi-

condidisse, & subiecisse imperio, ad commoditatem humanæ necessitatis, quã præuidit ex peccato hominis futuram. Intellectum quoq; dedit huiusmodi naturas indagandi, & otium interdixit corporis & mentis. Animalium quoq; studia aspectui nostro obiecit, ex quibus multarum rerũ naturas discere possumus. Non est in rerum natura aliquod otiosum. Araneus ipse & apis, minima animalcula cum formica proponuntur nobis in miraculum et usum, & ad reuerentiam creatoris omnium. Sic uidemus hic huius piscis, cuiuscunq; tandem speciei fuerit, cor & fel & iecur ab angelo ostendi utilia ad usum necessarium Tobiæ. Sic quoq; de alijs omnium aliorum animalium membris cogitandum discimus hic, & studiosissime inquirendum: quod & maiores nostri naturæ exploratores laudabiliter egerunt, & nondũ omnia ad plenum inuenta sunt, multa in obliuionẽ abierunt. Crassam nostram negligentiam digne & utiliter arguit damnatq; hic textus, quod certũ sit, has illius piscis partes utilitates suas habuisse, quales & interim alias habere medicæ artis gnari docent, & experiũtur quotidie. Excentera, ait, hunc datum tibi à deo piscem, id est in frusta conscinde, sed in primis capta tibi diligentius in præsentem usum cor illius, fel et iecur, sunt enim re uera medicamina opportuna tuis negotijs propediem occursuris. Non est mentitus angelus, similia uidemus in multis, interim facta & cognita. Obiter autem admonendus uidetur Lector, quod iam crebro meditanti succurrit, non esse hanc translationem Hieronymi, propter ualde dissimilem stilũ ipsius, qui ubiq; in suis comptior esse solet. Fieri enim potuit, quod & factum uidetur, ut prologi sui, prælati non raro fuerint non suis uersionibus, culpa librariorum, qui ut carius uenderent codices, Hieronymi olim nomen præposuerunt libris, & suos quoq; prologos. Id facile fieri potuit à scriptoribus in orbe tanto tempore.

Animalium naturæ.

Hieronymi prologi in sacra.

6 Quod cũ feciſſet, assauit carnes eius, & secum sustulerunt in uia. Cætera salierũt, quę sufficerent eis quousq; uenirent in Rages ciuitatem Medorum.

Fidei simplicitas.

Tantum apud deum & angelos pensi & gratiæ habet simplicitas fidei, & subiectionis domini uoluntati, ut proprio angelo misso cuncta cernat creata fidelibus deseruire. Hic piscis Tobiæ datur, agente angelo dei, ad non solum cibũ per iter & amplius, sed ad medelas quoque. Talem omnes & semper domini propensionem sentiremus, si illius uotis nos humiliter subderemus. Reposuit iunior hic dei seruus, socio obtemperans, in suum usum memorata membra: reliqua carnium frusta partim tunc edenda parauit, partim reseruãda tam itineri q̃ amicis saluit, domini dei benedictionem non tacendã intelligens. Et ex admiratione angelum alloquitur.

7 Tunc interrogauit Tobias angelum, & dixit ei: Obsecro te Azaria frater, ut dicas mihi quod remedium habebunt ista quæ de pisce seruare iussisti.

Felicissimum hic Tobias comitem nactus angelũ domini, non dubiũ quin in multis profecerit tanto itinere,

tanto tempore comitatus, nõ sine sanctis colloquijs. Hic narratur de causa repositorum membrorũ piscis. Et nominat angelum fratrem, quia ex filijs Israel se esse prædixerat. Azariam se appellauerat, quo illum consequenter nomine appellabat toto tempore. Synceriter autem & amice orat pro mysterio medicinæ desumptæ, & nõ sine maximo fructu edocetur ab angelo. Vtinam huiusmodi doctores medicinarũ cõsequi digni essemus. Essemus autem, si toto pectore semper nostrum creatorem reuereremur, & illius benenolentissimã inspirationem imploraremus, & pro proximorum tantum usu, nõ ad nostram uel auaritiam uel gloriam creaturarum dei naturas & uires humiliter & diligenter inquireremus. Dolendum maxime, nos miseros ignorare dei nostri tam magnifica dona naturæ, habitisq; & cognitis tam ingratissimos esse, deniq; et impijssimis affectibus administrare, ut non raro eligant plures mori priusquam experientias utiles rerum proximo cuicunq; uelint impertiri, & usum communium rerum tanti uendunt, etiam necessitatem habentibus, ut pauperibus ne gratis quidem accepta gratis libeat communicare. Luimus ergo iuste pœnas nostræ malitiæ, & infidelissimi serui domini nostri merito male perimus.

Medicinæ doctores.

8 Respondensq; angelus, dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à uiris siue à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.

Et hic quoq; locus uidetur occasionẽ Iudæis & Christianis dedisse, ut hunc librum ausi non fuerint connumerare canonicis, quia naturam mere intellectualem, & omnino incorpoream existimant à fumo quocunq; permoueri & fugari uel acciri non posse, quod agere non posit corpus in spiritum, corporali aliqua impressione. Ideoq; uel hæc figuraliter intelligunt, uel ut dubia relinquunt. Dicunt autem fumũ hunc fuisse signum orationis iunioris Tobiæ & Saræ, cuius merito angelus Raphael expulit dæmonem à Sara, unde postea dicitur non fumũ ipsum expulisse dæmonem, sed angelum Raphaelem. Vt cunq; uero scriptores illi bene intendant, ob hanc tamen rationem hunc locum nemo mirito calumniari potest, quando dæmonum natura & passio nobis hominibus incerta est, & ex scripturis non prodita sanctis, & apud philosophos maxime Platonicos uaria sunt disputata de eis. Nos quidem homines corpus aliud ferè nescimus, q̃ quod compositũ sit ex quatuor elementis, terrestre scilicet: cum non sit irrationabile sentire, etiam corpora esse aerea, & cœlestia quoq;, qualia & uidemus astra. Multa nobis hominibus ignota sunt, quorũ tamen ignorantiã scire possumus ex paucis cognitis per experientiã. Videmus magnetis naturã nonnihil pendere ex stella Aquilonaris poli, quo unico argumento reliquas omnes res naturales suas habere stellas nõ improbabile æstimamus. Videmus serpentes coniurari uerbis, quo quid mirabilius? Ignẽ accendi ex radijs solis et silice, uisum iuuari uitro per artẽ promoto, et multa huiusmodi, præter magiæ naturalis opationes mirabiles et multas, expimen-

Quare non canonicus hic liber.

Dæmonum natura.

ta quoq; Medicorum, quæ alioqui ratio naturalis nõ admitteret, nisi experientia doceret. Sic de dæmonibus nõ est nostrum exactam promittere scientiam, quos sensu nostro consequi non possumus, ideoq; nec plane intelligere. Vnde ingeniosissimo & pijssimo Augustino huius modi tractatus incertus uisus est de corporibus dæmonum, id est substãtia ipsorum, sine qua esse non possunt.

Dæmones apud Augustinum duplices.

Apud quem certum legitur, dæmones esse duplices, à scientia nomen habentes, ut & dicantur Calodæmones, quos non angelos, & Cacodæmones, natura quidem & eos bonos, sed uoluntate malos, quos Catholicissimus doctor admittit suo modo animalia esse, id est substantia quadam intellectuali constantes, animo passiua, mente rationalia, corpore aerea, immortalia quidem, sed subiectos quoq; passionibus libidinũ, alterius generis quàm nostra est, formidinum, irarum, & inuidentiæ, maxime enim hominibus saluandis inuident, & quibus possunt modis terrent, exercent, ac decipiunt, homines eos quos decipere apud dei iudicium altum iustum est, etiam nobis incognitum. Tumultuantur in aëre, quorum malitia pertinet ad pulchritudinem orbis. Non tamen possunt quod non sinuntur à domino: miracula facere possunt, illudendo hominum phantasijs: præuident futura per experientiã quorundam signorum. Sed multo maiora fieri posse per bonos angelos satis liquet, etiam ex scripturis.

Imagines gentilium.

Gaudent dæmones illi humanis erroribus, maxime autem suadent se coli, & imaginibus deo abominabilibus sese intromittunt, quibus assident ut illudant hominibus. Etiam naturas specietenus conuertere possunt, & non raro se transfigurant in angelos lucis. Non ualet ergo diuus Augustinus contendere contra eos qui aërei corporis suspicantur Cacodæmones, quin & huiusmodi corpora sibi confingere possunt & iungere, in quæ facile posit fumus, & alia quædam naturalia, ut odor & spiritualiora nonnihil agere. Possunt esse & diuersarum naturarum, generum & specierum: de quibus nihil ad nos, præter hoc solum, ut illos minime colamus, neque timeamus eorum potentiam, si fide & obedientia domino ipsorum & nostro adhæreamus, qui agit omnia in omnibus, qui sibi fidentes adiuuat contra aereas omnes potestates, & principatus huius mundi in cœlestibus, de quibus pauca significat scriptura dei.

Dæmoniæ multiplicia.

Quanquã & hic insinuet scriptura, multa esse dæmoniorum genera, quod & experientia docet, & Necromantici non negant, & homines uarijs in locis spirituum multas differentias didicerunt, quorum quidam nocentiores sint alijs, quidam gaudere apud quosdam uidentur, & secundum hominum complexiones, quibusdam familiariores esse deprehenduntur quàm alijs, quin & eorum spectra quibusdam frequentius apparent, quibusdam nunquam. Quibus omnibus non discrepat, quod hic dicitur de extricatione id est fuga dæmonum huiusmodi omnis generis à uiris & mulieribus, per fumum huius uel alterius speciei iuxta uarias naturas rerum. Nihil igitur hic contrarium dicitur scripturis diuinis, ideoq; nec Ecclesiasticis dogmatibus, ut propterea huius libelli ueritas suspecta haberi debeat.

9 **Et fel ualet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.**

Et hãc uim fellis naturalem esse potuisse quis neget? quod actionem naturarum mutuam quotidie sentiamus. Etiam si hæc omnia angelus sua uirtute à domino iussus peragere potuerit sine materialibus illis, sed uoluit nos docere scriptura diligentiam scrutandi magnifica dei opera per creaturas, quas ad salutẽ & usum electorum produxit & donauit, cui si deuotiores essemus, potiora nobis & maiora naturarum mysteria reuelaret. Vt est suspicio, non modicam partem naturalis Magiæ per angelos bonos reuelatam fuisse, quantum scilicet deo placuit, & quantum merebamur. Et fellis certe multa nobilia opera Plinus quoq; descripsit lib. 11. cap. 37. Vbi & auruspicum superstitionem ostendit, illud Neptuno dedicantium fel: & in medicinis usum fellis libro 18. capite undecimo.

10 **Et dixit ei Tobias: Vbi uis ut maneam?**

Non hic manifeste dicitur, quod in prima mansione hæc dixerit, sed ut ex prædictis patet de Sara, factũ totum hoc est in remoto aliquo loco à Tigri, & in ciuitate aliqua Medorum.

11 **Respondens q; angelus, ait: Est hic Raguel nomie, uir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum neq; fœminam ullam habet aliam præter eam.**

Ex præmissis patet, hunc locum fuisse in Media, ubi Sara dicta est dominum orasse capite tertio. Non ergo circa Tigridem hæc dicta sunt, uel in mansione prima à Ninue postergata, unde fortassis exierant. Iterum & nunc sæpe liquet, uel Ninuen aliquando accipi pro toto regno Assyriorũ, in quod dispersi sunt Israelitæ, uel non omnes de tribu Neptalim habitasse in urbe Niniue. Propinquus, ait, de tribu tua, qui iuxta morem ipsorum proxime agnatos matrimonio iungebant etiã in eadem familia ad patriarcharum consuetudinem. Vnde & Mariam beatissimam uirginem Iosepho proxime agnatam, & familia eadem genitam probamus. Diuina autem dispensatione contigit, ut hic Raguel unam tantum filiam haberet cum multis diuitijs, cui tamen iam multos inquisierat & iunxerat maritos, & Tobias senior unũ tantum filium à domino accepisset. Omnia enim diuino ordine disponuntur, maxime uero intelliguntur circa matrimonium. Sara hæc elegans erat fide & moribus. De forma nihil sancti curasse leguntur. Diuitias quoq; hic non iactat angelus, sed unigentã tantum memorat unigento aptam. Cæteris uero paribus commodius esse uidetur de eadem familia, salua honestate publica uxorem deligere, q̃ ex incognita uel remota gente, quanquam in casu id quoq; afferre utilitatem posit, sed non sine periculo multo.

12 **Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eã te accipere coniugẽ. Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi eã in uxorẽ.**

Debitum illud intelligi quidem potest dictum propter propinquitatem generis, secundũ gradus legitimos hæreditatis

hæreditatis accedendæ. Sed & simpliciter dici potest, angelum quæ futura esse præsciebat enunciasse, quicquid ille uir ditior posßideret, hoc ipsum possessurum legitima succeßione. Debebatur enim hoc nomine illi, quia propediem possessor eius futurus erat. Quod uero dicit: Oportet accipere te eam, intelligendum est, in itinere ex multa angeli collocutione Tobiã intellexisse eum sapientem, fidelem, & magnæ authoritatis, cui tuto consentire audeat quicquid is iusserit. Maxime cum patrem iam pauperem sciret, & hæreditatis non magnam ex parte patris portionem recepturum se confidere posset: ideoq; si hanc Saram postulanti pater eius consentiret, non id displicere seni suo patri arbitrari poterat. Iubet ergo angelus ut à patre illam postulet uxorem, facitq; ei spem non ipsum desiderio fraudandum uxoris. Omnia autem angeli ductu & diuina ordinatione fiebant.

Connubiũ inter propinquos.

13 Tuncrespondit Tobias, & dixit: Audiui quia tradita est septem uiris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmoniũ occidit illos.

Non poterat ignorare Tobias iunior quid contigisset in domo & familia proxime cognati: facile enim huiusmodi rumores peruadunt etiam prouincias, multo magis familiares. A parentibus tradita uiris erat, fortaßis non de cadẽ familia, uel nõ legaliter, nõ pro probata consuetudine, non similis fidei & probitatis uiris, non cum dei respectu, non ex honesta causa, quales multæ accidere potuerunt causæ, ideo domino displicuit, qui aliâs quoq; uirorum illorũ iniquitates dignas huiusmodi morte iudicauit, eamq; seruauit illæsam Saram, & eam destinato ab æterno consorti & proli generandæ probo uiro conseruauit. Dæmonium illos occidisse fama erat, spiritualis hostis Saræ, & ex odio quo contra pios dæmones permouentur, quod dominus sua prouidentia conuertit in bonum. Non enim dæmones omnia norunt quæ uellent, sed quæ illos dominus scire permittit: nec aliud agere possunt uel aliter quàm ut domino uniuersorũ placet, qui ideo exercituum dominus dicitur superiorum & inferiorum, angelorum & hominum, dæmoniorum bonorum & malorum.

Connubij Saræ rationes.

14 Timeo ego ne forte & hæc mihi eueniant, & cum sim unicus parẽtibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos.

Non solum sibi de uitæ periculo timet, si Saræ connubium amplectatur, exemplum subsequens aliorum qui perierant omnes, sed multo magis parentum infelicitatem & occasum, qui filij mortem ferre uiuentes non possent, & cum angustia spiritus & corporis infelicem essent animam efflaturi, si contingeret eos audire ablatum illis baculum senectutis, & lumen oculorum, unigenitũ filium suum. Probis filijs amarior morte est perturbatio parentum sua culpa imposita. Et temeritatis uideri poterat, prudentem ei sese lacui inijcere, in quo plurimi perissent, & sine mandato parentum ac præter institutum arduum id negotium obire. Sectatur autem loquendi modum, quo olim Iudas usus fuerat coram Ioseph in Aegypto. Septem hos uiros interpretantur philosophorũ uanitatem, qui occisi sunt à dæmone patrono errorum & superstitionum. De quo alij uideantur.

15 Tunc angelus Raphael dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sunt quibus præualere potest dæmonium.

16 Hi nanq; qui coniugium ita suscipiunt, ut deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita uacent sicut equus & mulus quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.

Tobiam filium recusantem ducere Saram ob periculum dæmoniacum fideliter instruit quomodo euadat periniciem, quomodo sacra obseruantia inchoandũ sit, quod per se sacrum est, & à domino ad necessarium statum mundi sapienter institutum: ut scilicet ratio habeatur præcipua ad prolis generationem, & educationem, ad cultum domini dei, qui omnia propter seipsum fecit, qui intendi debet præ omnibus à rationali creatura homine, cui ob id subdidit omnem reliquam creaturam, ut homini seruiat, ipse uero creatori. Ideo qui seposito timore & reuerentia dei, seipsos solos in omnibus quærunt, quiq; delectationes & insanas libidines tantum sectantur, hostes dei se statuunt, & de dei instituto & gloria nihil cogitant, nec amorem prolis legitime intendunt, in hos dominus deus angelos suos & spiritus ad mala inferenda promptos immittit, & potestatem dat male tractandi eos qui impie agunt. Est enim cum dei timore sacrum coniugium suscipiendum. Sin aliter, dei institutum contemnunt, ipsis dæmonium, id est, cacodæmones præualere sinuntur, imò pœnas à deo infligere iubentur. In omnibus siquidem actibus humanis in primis dei beneplacitum est intendendum, quid, quantum & quomodo placeat deo: hos tales sancti angeli dei erga sanctos ministri, à cacodæmonibus defendunt. Libidinosos uero & suas tantum delicias sectantes, nihil honestum intendentes, bestialibus tantum motibus uacantes, affligunt dæmones potestate à deo accepta: non raro funditus disperdendi, quod his septem Saræ uiris contigisse docetur. Hæc sunt igitur diligenter inculcanda nupturis, ut cum timore dei rem arduam & sacram incipiant, studiũ religiosæ prolis, & gratificandi domino in opere naturæ cum moderamine rationis proponant, si infinita reliqua coniugij incommoda uelint effugere. Meminerint se homines esse, ratione præcedere equos & mulos, qui solis naturæ instinctibus feruntur, intellectus & prudentiæ repagulis nullis continentur, alioqui insaniæ suæ pœnas luent multiplices.

Matrimonij status quomodo inchoãdus.

17 Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus uacabis cum ea.

Non tam ceremonias matrimonio necessarias præscribit, quàm modum comprimendi insanam & efferatam libidinem, ne tumultuosa concupiscentia animi coniugum obruantur, ut de nullo dei timore cogitẽt, de nullo honesto amore, sed de sola satianda spurcitie, nulla san-

Initium honesti matrimonij.

ctæ prolis habita ratione. Multum uero facit ad felicem prolificationem, & ad beatarum animarum infusionẽ, si initia honesti matrimonij à fide & oratione debita sumantur. Ideo cancellos præscribit insaniæ carnalis, ut oratione potius quàm libidinis studio initia consecrentur. Ad quod docet intrandum cubiculum, non tantum semel, sed bis & tertio uincendam libidinem si fieri potest, & non deteriora timeri cogantur. Mutuum sese exhortentur, uim amoris honesti & perpetuo durabilis beneuolentiæ, conuersatione magis & honesto conuictu confirmandam & statuendam ex initijs, quàm momentanea libidine carnis, quam sequitur nausea, nisi corda amborum synceritas amica præoccupauerit, ut ex animo sese diligant, & non solum libidinis gratia, sed animorum consensu placido. Alioqui non diu durabit pax & concordia, & plurimæ statim causæ subinde succedent iurgiorum & displicentiæ implacabilis, uitaq; molesta & impedimenta prolis cum zelotypia & querelarum plaustris.

18 Ipsa autem nocte incenso iecore piscis fugabitur dæmonium.

Fumus iecorinus. Siue uirtus iecorinu fumi dæmonũ fugarit, quod fortassis naturaliter fieri potuisset, siue angelica uirtus huic sacramento assistẽs, aut feruor deuotissimæ orationis, ad quam incitabat timor perpessi damni occisionis tot uirorum, certe cacodæmon facile à sancto connubio fugari potuit. Non enim contra dei gratiam sæuire dæmoni permittitur, sed à fortiore uirtute dei superatur, ab angelo dæmon, atq; à deo digna oratione malitia inimici.

19 Secunda uero nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris.

Quid hic uerius intelligi & rationabilius accipi possit non uideo, quàm ut secunda nocte matrimonij honestam copulam experiantur, in ordinem patriarcharum admittendi. Alijs dicitur, ut sic pariter quidẽ fuerit dormiendum, sed pro timore necis temperandum à carnali commixtione, qui timor hic specialem rationem habebat, alioqui non necessario ordine in sacro matrimonio seruandum. Honestas enim præcipuum in nouo matrimonio decus est, & animorum consensus potius fouendus quàm ardor libidinis.

20 Tertia uero nocte benedictionem consequeris, ut filij ex uobis incolumes procreentur.

Videtur tertia nocte speranda fuisse proles, & perfecta cõmixtio seminum, quæ in secunda nocte ob utriusq; uerecundiam poterat & alijs rationibus impediri. Nisi quis benedictionem istam intelligat, eam qua in cœtu amicorum & familiarium, solẽni oratione à presbytero uel seniore aliquo benedicebantur, cuius benedictionis summa erat, ut ex ipsis felix proles cum omni incolumitate generetur.

21 Transacta autẽ nocte tertia, accipies uirginẽ cum timore domini, amore filiorum magis quàm libidinis ductus, ut in semine Abrahæ benedictionẽ in filijs cõsequaris.

Intelligi potest sic, transacta nocte uirginẽ, quæ fuerat, coniugẽ agnoscere, & unam secum esse carnem & animam unam, deincepsq; non tam libidinis exatiandæ causa quàm filiorum amore cõcumbere, & matrimonualia facta admittere. Si uero aliud Lectori placeat, ut post tertiam noctem impleant copulam matrimonialem, non moror, mihi sanè difficilis hic sensus uidetur, & difficilior adimpletio doctrinæ, maxime cum tale aliquid scriptura non doceat, sed contrarium de patriarchis in Genesi cernitur non raro, perfectum matrimonij opus cum benedictione dei & citra peccatum. Fortassis & hæc præceptio sanctis olim non placuit, & ratio fuisse potuit ademptæ authoritatis huic libello, alioqui honestissimos mores docente cum fide. Potest in casu hoc dogma suscipi & laudabiliter, quo ad dilationem operis non mali, sed à deo & natura ordinati ad prolis enixionem: sed ut necessario talis ordo semper seruetur, præceptum domini alibi non inuenitur. Castitas autem matrimonualis hic certo commendatur, ut nõ furore libidinis, sed desiderio prolis congrediantur honesti coniuges: qualis honestas locum non inuenit in fornicatoribus & libidinosis, citra dei timorem omnia agentibus, quibus propter hoc beneficium prolis nõ raro negatur: uel si detur, cum multis id datur incommodis. Eligenda igitur uia commodior & honestior.

CAPVT VII.

1 INgressi sunt autem ad Raguelem, & suscepit eos Raguel cum gaudio.

Hospitalitatis ubiq; in scripturis gratia commendatur, cum fideles suscipiuntur à fidelibus in nomine fidei. Intelligebat Raguel eos esse Israelitas, ideo amice suscipit uenientes, quod ad solatium pertinebat exulantium inter inimicos in terra aliena. Cum gaudio autem suscipit adhuc ignarus qui essent, à quibus tamen agnoscebatur. Qui ergo prophetas in nomine prophetarum recipit, mercedem consecutus est prophetæ. Qui gaudium habuit ex bono opere, is gaudium suscepit ex fructu pietatis & fidei. Id utiq; scriptura testatur de Abraham, Loth, Sunamite, & alijs. Plurimum igitur commendanda fidelibus est uirtus hospitalitatis, unde in iudicio extremo commendabimur, & intra cœlestis beatitudinis præmia colligemur.

2 Intuensq; Tobiam Raguel, dixit Annæ uxori suæ: Quàm similis est iuuenis iste cõsobrino meo.

Post iam benigne & cum gaudio susceptos hospites ignotos, sine personarum acceptione, & ex solo studio complendæ charitatis & benefaciendi indigentibus, incipit intendere in ipsorum uultus aliquanto attentius, inq; uultum Tobiæ fixus aspectu, recollectis aliquanto sensibus, iudicat similem esse consobrino Tobiæ seniori, qui uel ex duabus sororibus nati erant, uel qui ex fratribus aut patruelibus, quos utrosq; uulgus communi appellatione consobrinos uocat. Anuam nomine uxorem habet hic Raguel, sic & Tobias senior consobrinus, cui dicit: Quàm hic iuuor adolescẽs ex facie similis est Tobiæ fratri & consobrino meo. Erat planè alter pater, et

nomine

nomine similis & mentis candore, quin & hic de facie similis inuenitur. Habet suas conditiones dispositio corporis ex animæ uiribus & ingenio, unde & aptimente inueniuntur qui subtiles sunt carne, & ex corporis lineamentis ostenditur animi promptitudo.

3 Et cum hæc dixisset, ait: Vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Neptalim sum°, ex captiuitate Niniue.

Dixerat priora ad uxorem, nunc sermone uerso ad hospites, quærit à iam susceptis qui sint & unde. Agnoscebat Israelitas & fratres esse per Iacob, & ideo amore syncero complectendos. Senior, ut apparebat, angelus, uidetur pro utrisq; respondisse, & sese adnumerasse captiuis Israelitis ex tribu Neptalim qualis Tobias erat. Captiuitatem more Hebraico nominat ipsos captiuos qui erant in urbe, uel proxime Niniue, de qua dictum est prius.

4 Dixitq; illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Nouimus.

5 Cumq; multa bona loqueretur de eo, dixit angelus ad Raguelē: Tobias de quo interrogas pater huius est.

Fratres Hebræis. Fratrem more Hebræorum & omnium nationū uocat proximum sanguine. Iam enim consobrinum uocauerat. Officij & charitatis gratia quærit si & quomodo uiuat, si norint, cupiens amicorū more audire læta. Sic decet humaniter conuersari consanguineos, & pauperes non erubescere, nec diuitibus inuidere. Postquam audiuit ipsos illum nosse, amice de eo loquitur, & bona de eo multa eloquitur: quandoquidem non poterat ab amicis iuxta carnem uituperari, qui in tota tribu multarum uirtutum fama iam antea fruebatur, cuius eximia religio, & amplæ generalesq; eleemosynæ & opera pietatis reliqua nota erant Israelitis & gentibus, multo magis consanguineis & fratribus. Si c ergo dispensatione dei uina Raguel uerbis suis sternebat uiā ad petitionē instutam ab angelo. Quanto enim magis Tobiam commendabat, tanto minus illi honestum officium amico negare posset. Igitur post auditas ad longum commendationes Tobiæ à Raguele, angelus intulit, cundē esse huius præsentis genitorem & parentem.

6 Et misit se Raguel, & cum lachrymis osculatus est eum, & plorans super collum eius dixit: Benedictio tibi sit fili mi, qui boni & optimi uiri filius es.

Mittere hic est demittere se, & inclinare ad amplexandum aliquanto forsitan staturæ breuiorem: uel etiam pro accedere capi potest. Erumpebantq; ex affectu syncere amicitiæ lachrymæ suauitatis & gaudij inexpectati: incalescebat enim animo ut Ioseph in fratres & parentem. Cum lachrymis osculari, est candide, pure & syncere impendere ueluti pietatis affectum, & amorem effundere ex oculis. Super collum fleuit, quia ruerat in amplexus, & non subito arescere lachrymæ poterant. Sed & quo cor erat plenum affectus, in linguam prolabitur, nihilq; potest plausibilius imprecari amico unge nito quàm domini benedictio, quam optat ueluti pro-

Lachrymæ honestiæ amantium.

prio suo filio. Benedictio, ait, sit tibi, nempe dei fauorabilis influxus per omnem uitam & operas tuas, non alterius, sit tibi, qui filius es certe uiri boni, imò optimi, cuius laus est apud omnes Israelitarum exules, quem colunt & laudant etiam infideles, imò infidelium gentilium reges usque ad inuidiam tam propriæ gentis quàm externæ: quin & propriæ domus familiares fidem uiri non probant, quæ domino deo est acceptissima.

7 Et Anna uxor eius & Sara filia ipsorum lachrymatæ sunt.

Decuit ut consobrini uxor, licet de alia familia, tamen pro mariti affectu, cum quo corpus unum habebatur & anima una, æque quidem gratularetur amici aduentum: sed quia mulier erat non ruebat in oscula, non complectebatur adolescentem honestæ formæ, multo minus Sara filia affectum charitatis quem fata urgebant prodere uel aliter ausa est cum matre quicquam ostendere quàm lachrymis, quæ non dedecent fœminas quacunque in causa. Lachrymatæ sunt, inquit, filia & mater præ gaudio, ex aspectu elegantis iuuenis, qui patris probum ingenium & faciem prætendebat. Honesta uerecundia mulierum.

8 Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuiū.

Non uerbis tantum & gestibus exhibenda amicitia erat, sed facto & beneficijs. Vtrinq; sermo factus erat charitate plenus, angelus domini pios homines omnes in affectus pietatis attraxerat, auxerat charitatem, animos conciliarat, quia sancti erant. Hinc inde locuti fuerant plura ex cordium exuberantia cum nouis hospitibus, tandem reuersi ad animum, de corporibus reficiendis cogitant honesti hospitum susceptores, arietem mactant, & parant conuiuio. Sic non tantum uerbis amicitiam testantur, non tantum uotis obsequuntur, sed factis disponunt hospitalitatis munificentiam ad hilaritatem animorum. Non ad uoracitatem conuiuium instruitur, sed ad hilaritatem. Omnia autem nutu dei, qui electionis æternæ ordinem huiusmodi euentuum necessitate prosequebatur. Necessitas erat consequentiæ cum singula antecedentia contingentia essent. Conuiuia amicorum.

9 Cumq; hortaretur eos discumbere ad prandium, Tobias dixit: Hic ego hodie non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.

Paratis omnibus, iussisq; ad exemplar Isaac & gestorum illius temporis discumbere hospitibus, non erat immemor Tobias instructionis suæ de petenda sibi uxore, propinquitatis iure: tantoq; id audebat magis, quanto animi propensionem Raguelis ad consobrinum clarius didicerat. Festinat autem petere ante refectionem, quando negotia ardua expeditius & prudentius expediuntur. Quod autem sine præfatione statim uxorem petit, dissimilior est seruo Abrahæ, qui pluribus agebat uerbis, quibus dei certam prouidentiam persuaderet deducenda Rebecca. Hic uero necessarium id non erat, cui erat enim iamdudum Raguel inueniri filiæ suæ dignū maritum, uerebaturq; ob damna uirorum, neminem fa- Petitio connubij.

cile inueniendum: ideo fiducia maiore iuuenis agit, & absolute sibi dari petit Saram, & cito antequam ad mensam discumbant.

10 Quo audito uerbo Raguel expauit, sciens quid euenerit illis septem uiris qui ingressi sunt ad eam, & timere cœpit ne forte & huic similiter contingeret.

Ex petitione territus est, quando perniciosam & fatalem ipsi timuit hanc sponsam, ut fuerat prioribus septem uiris. Consobrini boni uiri filium noluit periclitari, & adiuratus tam uehementibus uerbis, negare non poterat: maxime quod illi deberi uideretur propinquitatis priuilegio. Erat enim uir bonus, & amicorum obseruans, alioqui si malus fuisset & auarus, potuisset in mentem illi uenire cupiditas hæreditatis, quæ per mortem unguenti secundum tempus deuolui poterat ad se & ad hæredes suos. Ex præteritis inauspicatis cogitanda & formidanda sunt futura. Non nimis crebro tentandum infortunium. Inauspicatas personas præstat alioqui uitare, sed dei prouidentia cum ipsius timore est humiliter adoranda. Aliter deum timentibus agendum, aliter impijs. Bonis omnia bene cedunt, dei contemptoribus nihil tutum aut salutiferum. Cum dei timore, non sine oratione præuia sunt adeunda matrimonia.

Inauspicata matrimonia.

11 Et cum nutaret, & non daret ullum petenti responsum, dixit ei angelus: Noli timere dare illam isti, quoniam huic timenti deum debetur coniunx filia tua, ideo alius non potuit habere illam.

Cunctabatur & animo uacillabat, hinc periculum suspicans, inde gratiam illibenter amico negans: uoluisset consentire statim, nisi exitium pertimuisset: tacuit ergo, consultans quid facto opus in re tam ardua. Sed ad quod dei nuncius missus erat, id prosequitur diligenter atq; feliciter. Consolatus prius pro hac re fuerat Tobiã, nunc Raguelem eximit omni timore exitij, & ualidissimam notissimamq; rationem dicti adducit, simulq; docet quomodo ineundum sit coniugium, non sine timore dei, non cum incondita libidine, non sine præuia oratione, sed dei beneplacitum in omnibus est intendendum, ad finem legitimum aspiciendum, propter quem institutum est à domino. Seruata erat huic uiro, ideo ab alijs obtineri non potuit. Mater futura erat felicis prolis, ideo admittendi impij non erant. Non modicum & peccant & periclitantur qui filios suos uel filias nuptui dant impijs, uel de quorum pietate confidere non certo possunt. Probitas & honestas ante omnia attendenda, sicut & bonũ prolis quæ ex impijs pia raro generatur. Multum refert ex quo uentre filij procreentur, quibus nascantur parentibus. Nõ est obmittenda iusta diligentia in talibus, quod reliquum est domino commendetur; cuius nonnunquam iudicio fit, ut mali generentur ex bonis, sed hoc ut plurimum fit, si educatio negligatur, si societatem malorum incidant, alioqui bona arbor proferi fructus bonos, mala malos.

Nuptiæ nõ contrahendæ cum impijs.

12 Tunc dixit Raguel: Non dubito quod deus preces & lachrymas meas in conspectu suo admiserit: & credo quoniam ideo fecit uos uenire ad me, ut & ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi.

Sancti in fide orantes certiores redduntur de exauditis precibus, & consensum suscipiunt intra conscientiam. Iungendæ autem preces ad testimonium seriosæ intentionis, & non hypocriticæ orationis, quales transgrediuntur nubes, & conspectui diuino præsentantur, id est, approbantur & exaudiuntur. Superius tantum memoria facta est orationis Saræ, hic patrem quoq; fideliter orasse audimus. Vnde cõijcimus fidelem fuisse deo totam istam familiam, & deuotam domino, non tamen sine peccato & legis diuinæ negligentia, quandoquidem filiam suam locare iam toties tentauerat extraneo, & aliter quàm lex domini statuerat, fortasis gentili alicui, quod prohibitum lege erat, ideo domino uindicante occisi sunt. Nunc uero tandem recordatur diuinæ legis, secundum quam alter alterius consobrinorum semen suscitare debebat ad nominis quoq; cõseruationem, etiam si hæreditas terræ illis reddenda non esset. Non potest ergo mala esse uel illicita legitima cognationis propinquitas in iungendis matrimonijs, quæ lege fidelibus est commendata: licet necessaria non sit, quia ceremonialis, & non semper etiam à sanctis obseruata inuenitur. Non igitur potuit coalescere coniugij institutum quandiu libidinis agebatur causa, & timor domini locum minime inuenisset: nunc uero angelico beneficio pietatis studium reuocatur & proficit fides, & legis reuerentia, ideo omnia quæ fiunt salubria sunt, & prospere succedunt.

13 Et nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob sit uobiscum, & ipse coniungat uos, impleatq; benedictionem suam in uobis.

Statim sine consilio uxoris præsumpto, sine requisita uoluntate & consensu filiæ promittit se quod petebatur explere, intelligens domini uoluntatem, & allatam ueri similem causam sacri coniugij. Tobiam alloquitur, & ei ipsam Saram statim promittit, & præstat iliico. Ceremonias quoq; idoneas ad matrimonij sacramentum hic discimus priscis sanctis fuisse in usu, quas expedit neutiquam negligendas, modo felix coniugium optetur. Signa necessarij consensus amborum sunt, & tunc erant, manuum porrectio, ad fidei utrinq; contestationem. Fit autem per dexteram promissio, ne quid sinistri in corde subesse suspicetur, cum alioqui sinistra cordi sit uicinior, sed dextra potentior est & faustior. Verba quoq; orationis non desint, quibus domini fauor & benedictio imprecatur, sine quibus miseriæ multæ huic annexæ statui, pro mundi huius uaria calamitate ferri difficile possunt, imò non possunt. Deuote igitur orandum est coniugibus in primis, deinde parentibus: & cum dei timore & cultu inchoandum est, quod sine eius gratia perfici & transigi non potest. Procul hinc amouẽda est

insolentia

insolentia carnis, morum leuitas, gentilitius lusus, superbia ueſtium, ebrietas & comeſſatio. Quæ autem ad honeſtam lætitiam faciunt adhiberi poſſunt, tantumq; gaudij, ut honeſtatis & timoris diuini nulla admittatur iactura. Felicitas ſubſequi uera non poteſt, ubi ſine oratione & numinis diuini imploratione, uel cum libidinis nimiæ incentiuis inchoatur tam periculoſum negotium, quod ex mera dei prouidentia pendet, cum cuius timore auſpicandum ſit neceſſario, non cum luſu, cachinnis, impudicis uerbis & geſtibus tranſigendum. Orandum autem ut deus ille unus uerus & ſolus omnipotens, & ſua prouidentia cuncta ſciens & regens, ipſe corda coniungat ſyncerũ affectũ ingerendo, in cuius ſolius eſt cordis poteſtas, qui ſolus ſcrutator eſt cordis & renum, quo iungente nemo diſſoluet, quo benedicente nemo infortunabit, quo neglecto nihil perficietur, quo offenſo omnia perturbabũtur: adorãdus eſt igitur & inuocãdus in primis, & deinde honeſta conuerſatio inſtituenda atq; conuictus. Benedictionem dicit prolis beneficium, quod omnes ſancti magnopere deſiderarunt, & inter corporalia bona maius non eſt, quàm felici & honeſta prole ditari, quam qui non magnifaciunt, & dei donum non agnoſcunt, meliore non donabuntur. Suam certe cœlibes felicitatem iactare non poſſunt nec ſanctimoniam, niſi ſi ſpirituales toti ſint, quod rarius fiet, quàm ut toti infames & impudicitia corruptiſſimi euadant, & omnem dei timorem abijciant. Qui enim hanc benedictionem noluerint elongabitur ab eis.

Oratione inchoandũ matrimonium.

Benedictio matrimonij

14 **Et accepta charta fecerunt conſcriptionem coniugij.**

Veriſimile eſt hoc tertium ceremoniale adhuc uigere apud Iudæos, ut accepta charta conſcribantur quæ utrinq; promittuntur danda uel agenda, & ſic in duas diuiſa partes, una detur ſponſo, altera ſponſæ, in teſtimonium & rei perpetuam memoriam. Sic quoq; repudium non fiebat ſine libellis, quod fides præſentium non ſemper ſufficiat poſteris, & ſine teſtibus incerto res perficiuntur humanæ etiam domeſticæ. Conſcriptiones coniugij fortaſsis utrinque pactata continebant, etiam quo ad hæreditatum ſucceſsiones, & nonnulla alia, iuxta prouinciarum ritus & hominum ingenia, alijs & alijs ſæculis atq; locis.

Conſcriptiones.

15 **Et poſt hæc epulati ſunt, benedicentes deum.**

Vltimo ſequuntur epulæ, ut minus neceſſariæ huic ſacroſancto contractui, quæ tamen à carnalibus in primis curantur cum effuſione inepti gaudij. Et qui epulas legunt, aduertant quoq; quod ſequitur ſtatim, deum benedicentes, id eſt, gratias agentes & deprecantes de beneficijs præſentibus & futuris. Eſt autem benedicere deum, agnoſcere illius gratiam & beneficia cum fide de futuris bonis. Epulæ quoq; ſæpe capiuntur pro gaudio, quod uulgus ſine epulis gaudere neſciat.

Epulæ.

16 **Vocauitq; Raguel ad ſe Annam uxorẽ ſuam, & præcepit ei ut præpararet alterum cubiculum. Et introduxit in eum Saram filiam ſuam, & lachrymata eſt.**

Reuerentia obiter docetur uxoris ad maritum, quæ uocatur à marito, non acceditur: obtemperat ſtatim & coniugem accedit, auditum quid mandet. Expedit enim ut ordo eatenus obſeruetur, ut ſciat ſe parere debere marito uxor illi adiuncta à domino. Timuit loci intemperiem & infauſtum cubiculum, quod ſeptem uirorum exitio infamatum erat. Timuit illo congredi ſponſum ſponſæ, ideo uxori & matri ſponſæ commendat curam adornandi aliud felicius cubiculum. Totum autem agebatur cum timore domini, uexatione præterita incutiente religioſiorem intellectum. Eò filiam mater introduxit more gentis ubi à ſponſo inueniretur, non ſine uerecundia & reuerentia, quæ loco ſuo non deſtituantur, ut adſit honeſtas maximum ornamentũ coniugij & ſponſarũ. Quod uero lachrymata ſcribitur ſponſa, non otioſe fit uel dicitur, quæ iam octauo periclitabatur ad mortem: ſeptem enim uiros occidiſſe putabatur, & ſepeliſſe cadauera, cuius nunc quoq; fatum timebat ei quem ſyncere amabat: ex præterito enim infortunio arguebat futura damna mariti.

Reuerentia coniugum.

17 **Dixitq; ei: Forti animo eſto filia mea, dominus cœli det tibi gaudium pro tædio quod perpeſſa es.**

Mater fide fortior conſolatur flentem & trepidantem ob præterita incommoda filiam iuniorem ne timeat, ſed magnanimiter ſeſe credat domino deo cœli, qui ut omnipotens eſt & benignißimus, ita cultoribus ſuis & ipſum timentibus benefaciet, & gaudium præſtabit nũc ei, quã toties antea afflixit. Det tibi, inquit, quod exponi Hebraico more poteſt per dabit, ut conſoletur eam de futuro, ne timeat quod erat experta poſt futurum, ſed pro mœrore & tædio ingens ſit gaudium habitura de felici marito, & charis filiorum pignoribus, quos conſecutura ſit beneficio domini, cui ſe dignis precibus dudum commendauerat, quas deus ſpernere non poteſt.

CAPVT VIII.

1 **POſtquam uero cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam.**

Veſpere olim cœnas inſtruebant ueteres, non ante meridiem prandia frequentius peragebant. Sic loquitur præſens quoque hiſtoriographus, & ſcitè poſt cœnam peractam thalamum introductum iuuenem ſponſum commemorat ad ſponſam. Inſinuatur autem peractam hanc cœnam ſine lætitia & tripudio, ſed cum multo timore dei, oratione & ſolicitudine, formidantibus euentum ſimilem prioribus. Ideo de inuitatis uicinis & cognatis nulla fit mentio. In hac cœna parentes & angelus cum ſponſis tantum conſcij erãt huius inſtituti: ut ſi forte per iudiciũ dei caſus miſerabilis contigiſſet, ut prius, paucorum eſſet rei cognitio, & minor diffamia tantæ calamitatis & inauditæ prius infelicitatis in ineundo connubio. Vnde & ſecreto iuuenem introduxiſſe uidentur, ſine conſuetis tripudijs et epithalamijs, orationibus magis intendentes quàm inſolentijs quibuſcunq;.

2 Recordatus itaq; Tobias sermonũ angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitq; eam super carbones uiuos.

Supra dixerat de tribus, corde, felle & iecore. Fel pro oculis restituendis reseruandum patri commendauerat. Dixerat uero de fumo ex corde propagando, de iecore nihil. Hic uero de iecore loquitur carbonibus incenso, nihil de corde. Vnde liquet simplicitatem historiographi, qui de huiusmodi anxie conscribendis non fuit ualde solicitus, maxime cum ex descriptis Lector facile quod obmiserat scriptor coniectare posset: nempe simul cor & iecur incensum fuisse, & non tam uirtute fumi quàm angeli potestate actum esse quod hic fumo transscribitur, & acceptum refertur, cum solius uirtutis diuinæ opus fuerit quod angelo commendauerat. Quod de Cassidile. *cassidili prolatum dicit, alibi non me legisse hanc dictionem memini, & quid sit non pronuncio: uidetur diminutiuum à cassida, qua dictione olim cassiculum dicebatur, scilicet reticulum quo fertur piscis uel caro ne fœteat sine aëris recreatione: quasi à casse dictum, quod inde à casso & uacuo ad peram transumi hic uidetur: quasi dicere uoluerit ex cassicula uel perula extractum epar & cor. Partem uero dicit iecoris, non audens totum impendere, ne in posterum egens nihil haberet. Viuos carbones dicit Hebraico more, id est, succensos & ardentes, sicut uiuam carnem recentem dicunt.*

3 Tunc Raphael angelus apprehendit dæmonium, & religauit eum in desertum superioris Aegypti.

Ne totum negotium uincendi cacodæmonem Asmodeum, disperditorem, & hominibus ad nocendum malignitatem à domino permissam adscribatur fumo illi, hic additur, angelica eundem potius esse superatum uirtute, ut pro uoto & libidine sanctis obesse nõ posit. Quanquam enim praui sint dæmones uoluntatis, nihil tamen Angelus religatus in desertum. *sine domino iubente peragere ualent. Quibus quoque præfecit bonos angelos, qui succurrant pijs contra tam dæmones quàm homines. Religatus autem dicitur ab angelo, hoc est, diuino mandato illi assignatus est locus ab hominibus separatus, ut non tantum mali posit quàm uelit. Satis uerisimiliter dicitur, genus aliquod corporalitatis habere dæmones nobis ignotæ & insensibilis, de qua iudicare non possimus, sicut nec oportet. Cum Christus quoq; de spiritu immundo loquens, similia dicat, quod eiectus ex homine ambulet per loca arida, & per eos ingressus submerserit & præuocauerit. Vnde de dæmonum natura aliquid insinuatur, quod otiosioribus inquirendum relinquo Lectoribus. Superiorem Aegyptũ* Aegyptus superior. *esse puto superiores partes Nili, proximiorẽ lunæ montibus, & Nili paludibus, ultra cataractas, uersus æquinoctialem circulum, ubi sunt & per uniuersam interiorem Libyam latissima deserta loca, hominum inepta habitationi pro aquarum defectu, sine quo animalia multa non uiuunt. Propter quod & uacuam hominibus eam regionem ob incommoditatem aquarum & arenas authores tradunt.*

4 Tunc hortatus est uirginem Tobias, dixitq; ei: Sara exurge, & deprecemur deum hodie & cras, & secundum cras, quia istis tribus noctibus deo iungimur: tertia autẽ transacta nocte in nostro erimus cõiugio.

Non ex infidelitate & incredulitate ad uerba angeli hæc loquitur & agit post eliminatum dæmonium, sed ex obedientia ad angelum, qui matrimonium cum adducta triduo syncera charitate & pura inchoari debere docuerat, quæ potior est felicitas coniugum, nempe ut conuersatione honesta & humanitate syncera coalescat pedetentim amor coniugalis, & insanus feruor libidinis moderetur. Id fieri potest, si huic angelico instituto acquiescatur, si deus ob oculis habeatur omnia cernens & ordinans, à quo pendet non solũ prolis felicitas & iucunda honestas, sed etiam reliqua status illius omnis commoditas & fortuna, sanitas & sufficientia. Vt surgat hortatur è lectulo, ut cum eo orationi aliquousq; uacet, donec uidelicet se intra conscientiam sentiant exauditos. Id uero facturos se recipiunt non tantũ prima ista nocte pro timore dæmonij, sed reliquis quoq; duabus sequentibus, ut sic tribus uicibus carnis ineptias euincentes, spiritu & amore synceriore nectantur, ubi primas amoris partes deo suo dedicarint. Sic incœptum coniugium necesse est feliciter finiri. Id uero quàm raro fiat inter homines, testantur innumeræ calamitates miseriarum, quæ incidunt in familias inde prognatas, quando non nisi libidines cogitant, deum minime suspiciunt & uerentur, coniugium aliud non æstimantes, quàm licentiam libidinandi, nulla habita ratione prolis honestissime excolendi.

5 Filij quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicut gentes quæ ignorant deum.

Sanctorum hominum mos est & studium, animales motus regere per intellectum, quo donatos se sciunt præ cæteris brutis & animalibus omnibus, quo & quæ sursum sunt sapiant, non tantum quæ super terram. Animo deum cogitant, & illi in primis ex animo probari gestiunt & contendunt: præsentia non amant, sed futuram uitam inquirunt, ideo spiritualia magis meditantur, & quicquid ab his impedit ex animo odiunt. Corporalibus tantum intendunt ad temporis & corporis necessitatem, quicquid in carne aduersarium spiritui inueniunt & ferre coguntur, ex animo odiunt, & cum tædio corporis passionibus & non nisi coacti obsequuntur ad horam, ilico animi rationalis & religiosi studia resumentes. Tales erant patriarchæ & prophetæ sancti patres multi, qui & propterea multam & magnam à deo gratiam sunt assequuti, per quos dominus magnifica operatus est in mundo, quos familiares habuit, cum quibus loquutus est, & per angelos suos amplis affecit beneficijs. Non est abbreuiata manus domini, nec bonitas dei aut gratia imminuta. Idem ipse manet, sed nos procliui ad mala indies peiores sumus & magis atheinihil reputantes quicquid sacrum, religiosum, honestum & diuinum nobis proponitur, carnem uiuimus, spiritum uix nos habere credimus, diuina contemnimus, corporea tantum diligimus, & carnis pro omni uirili

delicias

delicias consectamur, non attendentes quod filij sancto
rum sumus, pietatem ab illis didicimus, eorum exempla
proposita habemus: degeneres nos esse filios nihil eru=
bescimus, eorum laudes & merita iactamus, simule nihil
tentamus. Omnis nunc hominũ cõsuetudo in carnalibus
est, cibo, potu, otio, fabulis, somno, auaritia, Venere, fa=
stu, rarus est qui sanctorum exempla admiretur, quin
potius ridentur: & uerbũ domini fabula & hominum
adinuentum habetur. Hinc tot in mundo incommoda et
calamitates, ut uix ferri possint. Tanta hominum mali=
tia, sua mundum mole ferè opprimit, ut timor sit, mun=
dum pro raritate fidei & ueræ pietatis subsistere diu=
tius non posse, ut Christi domini aduentum de proximo
imminere uerisimile sit, deficiente fide. Quis enim nu=
ptias celebrans hæc audiens non rideat, & summum si=
bi bonum non potius libidinem appretietur, & eam mi
norem esse non doleat q̃ cupiat? Vnde satis liquet gen=
tiles nos esse, & non aliter connubio iungi quàm gen=
tes quæ ignorant deum. De his uero qui matrimonium
spernunt, & cœlibatum mentiuntur, uel genteliter te=
nent, quid dicendum? imò quid hactenus uidimus? Illi se
sanctorum filios iactitant, quum nihil prorsus ueræ pie
tatis exhibeant, sed sunt illorum patrum abominabiles
spurij, dedecus illorum, & mundo toti scandalum, onus
terræ, pauperum tyranni, otij sentina, contaminati, &
monstra scelerum.

Hominum consuetudo iniquitia.

Ridetur hoc festas.

6 Surgentes autem pariter, instanterq; o-
rabant ambo simul, ut sanitas daretur eis.

Facile persuasa est proba uirgo, ut orare maluerit q̃
libidinari, nõ admodum similis nostris nunc uirginibus,
si tamen uirginitatis nomen merentur, quod inuite fe=
runt & cum tædio. Quanquam autem, ut uerum fate=
amur, timor hic locum haberet dæmoniaci exitij, supe=
rius tamen in oratione coram deo uere testata fuerat,
capite tertio dicens: Tu scis domine, quia nunquam con
cupiui uirum, & mundam seruaui animam meam ab o=
mni concupiscentia, &c. Ideo orationis studium admo=
nita à spõso cupidè amplexata est, multũ absimiles spon
si mores probans, q̃ habuerant priores omnes, propter
quod & occisi sunt, non indigne. Statim igitur surgens
postquam soli essent in thalamo, pari uoto & studio o=
rationi uacare cœperunt, id in primis pro articulo illius
temporis deprecantes, ut sanitas ipsis daretur, & inco=
lumitas tam corporum q̃ animorum quam habebant ser
uaretur diutius. Talis debet esse prior congressus con=
iugum, timor dei præponi omnibus oblectamentis, un=
de felix auspicari posit connubium, & incentiua libidi
num importuna moderari, ne prius odisse mutuum con
tingat sponsos, q̃ mariti fiant. De qua re experientia no
stri sæculi & populi complura suggereret admonenda,
si id generale uicium uerbis cicurari posset.

Congressus primus coniugum.

7 Dixitq; Tobias: Domine deus patrum
nostrorum, benedicant te cœli & terra ma
req; & fontes, & flumina, & omnes creatu
ræ tuæ quæ in eis sunt.

Sponsus prior orat, dein subsequitur sponsa eodem
spiritu, eadem gratia & fructu. Exordium legitimum

præmittit, uerbis, domini dei nostri clementiam uelut ob
lectantibus. Gaudet nanq;, ut ita loquamur, appellari do
minus deus patrum nostrorum, quibus uerbis comple=
ctuntur omnia beneficia patribus à deo præstita, simul
cum sanctissimo fœdere icto cum illis, cuius nunquam
pœnitebit: quibus & testatur se quales quales sint, ta=
men obligatos illi ad legitimum cultum, cuius transgres=
sionem pro tanto uel sufficiat agnouisse. Deinde tantum
dicit, quantum est: Sanctificetur nomen tuum, hoc est,
quicquid in omnibus elementis, & in cœlestibus uuit,
obligatur seruire tibi, & facto ostendere magnitudinem
potentiæ tuæ, qua omnia agis in omnibus. Eorum bene=
dicere est factis declarare maiestatem creatoris, secun=
dum illud: Omnia ossa mea dicant, Domine quis similis
tibi? Non cogitat is orator quomodo elegãter uerba or
dinet, quomodo discernat elementorũ ordinem, alioquì
curiosior fuisset exornator uerborum. Affectus oratio=
nem administrare debet, nulla curiositas inconsueta.
Quod si quis ex usu eleganter etiam cum deo sed ex ple
no affectu loquitur, non deo displicet eruditio, sed affe=
ctum amplectitur & fidem orantis æstimat: non uoces
adnumerat erudite orantis.

Deus patrũ nostrorũ dominus.

8 Tu fecisti Adam de limo terræ, dedisti q̃
ei adiutorium Euam.

Narratio breuissima est, sed sensu abundans. Tales
enim domino placent. Idẽ uero est quasi dicatur: Vtcũq;
nobis in hoc nostro coniugij instituto contingat, siue ui=
uamus siue moriamur, aliud in conscientia mea non aspi
cio, q̃ diuinæ tuæ iussioni parere, qui idcirco te teste, A=
dam illum primum plasmasti hominem de limo terræ, ut
cum adiutorio suo quod illi prouidisti infinita sapientia
tua, iuxta ordinem à te institutum posteritatem propaga
remus tibi acceptam & famulantem, qui nisi dixisses,
non esse bonum hominem esse solum, humanã ad Euam
illi sodalitatem non prouidisses, hunc usum propagandi
genus mortale hominum non tuo mandato decreuisses,
æque tibi facile fuisset ex arboribus nasci homines, &
ex solo uiro, imò ex lapidibus istis filios Abraæ. Sed hoc
tibi placuit, sic iussisti, sic bonum est, quicquid impij ca=
lumnientur. Qui coniugium interpretantur calamita=
tem, hij tibi non credunt, tui non sunt, non tecum par=
tem habebunt. Si cui gratiam speciali & rara causa con
cesseris, tibi soli & totaliter adhærendo seruire per uir
ginitatis donum, is qui tuo munere capere poterit, idi=
psum capiat. Ego interim speciale mandatum nõ habens
à te, generale tamen obligor non obmittere, ne periclita
ri malim q̃ proficere. Hoc mandatum crescendi & mul
tiplicandi per castum coniugiũ semel à deo datum, non=
dum audio retractatum.

Oratio coniugum.

9 Et nunc domine tu scis, quia non luxu
riæ causa accipio sororẽ meam coniugem,
sed sola posteritatis dilectiõe, in qua bene=
dicatur nomen tuũ in sæcula sæculorum.

Perfectæ fidei & iustitiæ est, si quis uere & ex cor=
de dicere posit: Domine tu scis quid boni cupiã. Vt hic
dicit cum fiducia: Tu nosti non me luxuriæ causa coniu=
gem uelle, sed amore tantum prolis. Rara admodum est

Castitas ra ra Saræ cõ paratur castitati D. Hieronymi.

sed sacratißima castitas qualis Saræ fuit, & Abrahæ, Iacobi & multorum ueterum, quam ausim præferre mille etiam Hieronymorum castitatibus, & Paularum uel etiam Eustochiorum. Esto laudatißimæ fuerint uirgines & uiduæ, non tamen tanta laude rarißimum exemplum celebrari, quod notum erat per multas occasiones uix paucißimis obseruabile, eo modo quo illud Christus dominus & saluator, ac fidelis apostolus Paulus, satis modeste & paucis consuluerunt. Videmus, & dudum mundus uidit, fructum immodicæ laudatæ uirginitatis, quem tamen non uideo, uel saltem iudicare non possum, quin maiorẽ cogar æstimare & plangere iacturã ecclesiæ ex uotis huiusmodi castitatis perpessam, q̃ commendare uel laudare fructũ tam late patentis in ecclesia cœlibatus, quo uidimus nihil fuisse, & adhuc esse nihil in mundo fœdius, & morum Christianorũ corruptelæ pernitiosius, deoq; pirißimo abominabilius. Hanc sententiam, si mihi Parisienses uetuli theologi scandalosam definierint, in promptu erunt exempla illorum ipsorũ & suorum statutorum pulchri fructus, & palpabilia argumenta, quibus illis respondebitur. Non autẽ sufficit posteritatis dilectio uel desiderium, nisi ut per prolem desideremus & studeamus benedici nomen domini glorioſum in omnia sæcula, sic instituendam curemus, ut ab infantia discant per omnia timere deum & colere.

Cœlibatus ecclesiasticus.

10 Dixit itaq; Sara: Miserere nobis domine, miserere nobis, ut consenescamus ambo pariter sani.

Exemplum orationis sponsi breuis, sectatur sponsa breuius, exemplum & hoc ipsum pudoris & fidei. Paucis explicat quod uolebat, cum isto sponso tam religioso diutißime uiuere, non diuitias uel honorem, quæ cum reliquis bonis sequuntur necessario uitam religiosam, & castum matrimonium consentientium, & deum timentium in ueritate & fide. Misericordiam implorat pro hoc felici sponso suo, ne unquam ei contingat quod sponsis uel procis prioribus. Discimus breuiter orare, sed cũ spiritus deuotione, fide & humilitate, nõ nisi dominum deum nostrum. Sanitatem intendit mentis & corporis, ut sit mens sana in corpore sano.

Breuis oratio.

11 Et factum est circa pullorum cantũ, accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierũt cum eo pariter, ut foderent sepulchrum. Dicebat enim, ne forte simili modo euenerit ei, quo & cæteris aliis septem uiris, qui sunt ingressi ad eam.

Cantum intelligit primũ pullorum, id est gallorum, tempus intempestæ noctis silentij, dum circa mediũ noctis fortius dormiunt homines, & nemo superstes communiter uigilat. Tũc familiaribus fidelibus solis et clam adhibitis, funestißimæ famæ suæ domus occurrere cupiens, sepulchrum parat, ut si quod nollet omnium maxime, octauo illi sponso infelicis filiæ contigisset ea nocte quod septem prioribus, statim omnibus ignorantibus uicinis lugubre funus absconderet, & diffamiæ tãtum incommodum hoc pacto declinaret. Ad hoc enim ad cœnam soli familiares & domestici admißi fuerant, sine apparatu & pompa. Ex hac ingenti trepidatione author historiæ ostendere uoluit effusius gaudium, consequens ex relatione incolumitatis amborum, de qua mox consequenter ait.

12 Cumq; parassent fossam, reuersus Raguel ad uxorem dixit ei: Mitte unam ex ancillis tuis, & uideat si mortuus est, ut sepeliam eum antequam illucescat dies.

Ad idem institutum hoc quoq; tendit ad quod priora. Diuitias interim amplas cernimus huius Raguelis, qui tot nititur seruis & ancillis, quarum unam mittit ipsa, honestatis gratia, nõ ipse seruum. Voluit, ut dictum est, clam omnibus Tobiam mortuum sepelire. Vt cernamus fidei alioqui non modicæ, non parum derogatum fuisse, per tentationes antea perpessas. Et in oratione nonnihil trepidasse, quamlibet prius dixisset: Non dubito deum exaudisse preces et lachrymas meas, &c. Semper enim quantumlibet perfectis orandũ est: Adauge in nobis domine fidem, & remitte nobis peccata nostra, quod nemo etiam sanctorum sine peccato uiuit.

13 At illa misit unam ex ancillis suis, quæ ingressa cubiculũ reperit eos saluos & incolumes secum pariter dormientes.

Tantum ualuerat orationis studium, & obedientiæ fidei, & timoris domini. Vere enim reliqui septem non occisi fuissent, si fideles & cum timore domini Sarã adijssent, si orassent prius. Hic uero Tobias per omnia angelo acquiescens, meruit dei gratia custodiri, & legis diuinæ obseruantia suis nunc profuit cultoribus, qui dudum neglecta lege, tantis fuerãt calamitatibus obuoluti. Nostra est culpa, si inobedientibus aduersa contingant. Reperit, inquit, saluos, uidens eosdem pariter honeste et cum decoro iacentes. Cuius certe ratio habenda est, etiam dormientibus, ut ante somnum honeste artus componantur, indicium honestatis, ne casu quopiam superueniens quispiam, cum ignominia cernat turpius, ut Noam filij, iacentes.

14 Et reuersa nunciauit bonum nuncium. Et benedixerunt deum, Raguel uidelicet & Anna uxor eius, & dixerunt:

Tempus iam erat cõsolationis, eis, qui in tribulatione dominũ cum fide inuocauerant. Bonum audiunt nunciũ, incolumes condormire, quos deus coniunxerat, qui domini dei gratiam imploraurerant, quos deus credentes non exaudire non poterat. Istis igitur ambobus dormientibus, parẽtes insomnes noctem ducentes, præ solicitudine dominũ deũ benedicere continuãt & laudare. Sic sine dilatione semper gratiarum actio consequi debet agnitum dei beneficium.

15 Benedicimus te domine deus Israel, q̃a non contigit nobis quemadmodum putabamus.

Humano more loquũtur etiã inter orandũ, sic enim solemus in plausibilibus ad utrunq; excedere. Prius Raguel dixerat: Non dubito preces exauditas: postea dixerat: Ne fortè simili modo euenerit ei quo & cæteris. Sic hoc loco dicunt, Putabamus, eos scilicet occidendos. Hiusmodi

iusmodi animorum trepidationes sicuti contigerunt, sic historicus descripsit ueraciter, & ob huiusmodi etiam si maiores essent contradictiones in hominum illorum quantumlibet bonorum uerbis, non tamen eò minor erit in libello ueritas & authoritas. Testatur enim uniuersa scriptura sicut ueritatem infallibilem uerbi dei, sic hominum omnium etiam iustorũ peccata & casus, in uerbis & factis: exceptis autem semper illis uerbis, quibus loqui iubentur prophetæ & sancti à domino, hic enim nullum mendacium inuenitur.

16 **Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequentem nos.**

Nihil meritis tribuunt suis boni homines, sed totum diuinæ misericordiæ reddunt acceptum, & quod legitimum generũ assecuti sunt filium sancti uiri, & quod ab Asmodeo illo liberati sunt, qui infamauerat non solum familiam, sed tot mortibus uirorũ consequenter funestã reddiderat, quem nũc statim intelligunt absciſſisse. Eam enim grandem tentationem meruerant legis diuinæ praeuaricatione, qui cum essent de bona prosapia, filiam suã, ut uidetur, gentilibus & alienigenis elocare toties, & quasi per contentionem tentauerant ethnicis subinde multis, tam tarde quoq; resipiscent, toties admoniti & puniti. Iuste enim ab hoste persecutionem patiebantur, qui dæmonibus potius q̃ deo seruire elegerant, & non resipuerant, nec legis diuinæ fuerant recordati.

17 **Misertus es autem duobus unicis. Fac eos domine plenius benedicere te, & sacrificium tibi laudis tuæ & suæ sanitatis offerre, ut cognoscat uniuersitas gentium quia tu es deus solus in uniuersa terra.**

Gratias agit pro duobus unicis, pro Tobia unigenito patri suo, et Sara unica filia suis quoq; parentibus, quos eripuisse uidebatur iam tunc à funesto dæmonio illo, tot hominum occisore, qui gaudet affligere homines: quantum sine iussu & iudicio dei nihil possit uel agat, non aliter quàm lictor iudicij diuini, qui impios quidem occiderat, sed iniqua sua uoluntate, & ex odio humani generis. Quo nunc per dei misericordiã effugato, & non habente potestatem in pios homines istos, subinde prosequitur orando, ut in pietate proficiant amodo coniuges illi, & felices sint dei munere, & gratias dignas referre possint & uelint pro tanto beneficio, quod sacrificij loco gratum suscipiat altissimus. Sacrificium fidelium. Est enim unicum sacrificium fidelium, quod ipsi offerre possunt, ceremonijs antiquatis, & templo destructo uel exulibus, scilicet gratiarum actio, quæ uerbis & animo exhibetur ex fide, sine qua ne sacrificia quidem magna dño placere poterãt. Fides uero in dei clementiã, quã olim in uerbo suo incarnando, & mundi peccata ablaturo habebant, ex benedictione promissa Israeli, & per ipsum omnibus gentibus. Orat quoq; ut beneficiũ sanitatis et incolumitatis huius suæ, deo soli grati acceptũ referant. Totũ aũt in dei laudem non propriũ commodum, ut cognoscant ex dei magnalijs & beneficijs omnes gentes bonitatẽ eius, & omnipotentiam, cui omnia sint subiecta, spiritus scilicet et

corpora. Iam enim dispersi Iudæi in gentes, sentiebant nihilominus uirtutem dei, intelligebantq; non tantũ in Iudæa regnũ dei uigere, sed ubiq;: quodq; uniuersæ aliquando gentes humero uno aliquãdo culturæ essent deum uerum, Meßiæ scilicet promißi temporibus, qui redemptor dicitur per antonomasiam, regnaturus quoq; regno incorruptibili & æterno in uniuersa terra.

18 **Statimq; præcepit seruis suis Raguel, ut replerent fossam quam fecerant priusquam illucesceret.**

Credebat nõ amplius Tobiã à dæmone occidendũ, si statim ad primũ tempus collocutionis & complexus nõ occidisset. ut alijs factũ fuerat septem uiris, statim arreptis antequã illam cõtingerent. Ideo ut diluculo sanos reperit, antelucanam iußit foueam deleri, ne à quopiam uideretur: quã intempesta nocte fõderant serui foueam, hanc antequã diluceſceret iubẽtur humo rursum implere, domino confidentes, ut post hac incolumes permanerent noui coniuges, & ex facto cogniti deo chari.

19 **Vxori autẽ suæ dixit, ut instrueret conuiuiũ, & præpararet omnia quæ in cibos erant iter agentibus necessaria. Duas quoque uaccas pingues, & quatuor arietes occidi fecit, et parari epulas omnibus uicinis suis, cunctisq; amicis.**

Statim Raguel eximio gaudio exhilaratus, cogitat de exhilarando etiam citius ut fieri posset suo consobrino Tobia seniore. Ideo cupit ut cito rediturus sit filius cum uxore ad parentes, ut tali solicitudine, qua ipse laborauerat citius eximatur, ne crederet dilato regressu filium periclitatũ de morte, ut scierat iamdudũ factum de prioribus sponsis. Fieri enim potuit, & uidetur non aliud cogitasse Raguelem, q̃ Tobiam iuniorem tantum ducendæ uxoris gratia destinatum à patre uenisse, et de residuo instituti itineris adhuc nihil cognouisse: ideo reditum festinatũ adornauerit per uiaticũ opportunũ, pariter cito & eodẽ die uel postero abituris. Hunc habuisse cogitatum litera indicare uidetur. Interim tamen conuiuium nuptiale instruendũ uxori statim commendat, iam de incolumitate amborum certior factus, pro more omnium nationum, quæ solenni gaudio connubia & epithalamiorum iubilũ prosequi consueuerunt, quod sine lautis conuiuijs & amicorum cœtu non cõficitur. Ideo pro amplis diuitijs suis celebre & pretiosum instrui iubet conuiuium pinguium & medullatorum boum uel uaccarũ, quæ Hebræis promiscue dicuntur. Erant enim spectatæ probitatis, & multos habuerant commiseratores prioribus infaustis nuptijs. Ideo nunc multos inuitat ad gaudiũ congratulatores uicinos & consanguineos. Cõuiuium nuptiale.

20 **Et adiurauit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud eum.**

Hic satis multa obmisit historicus, nõ studẽs amplificationi, ut aliquis sæculariter doctus fecisset: quomodo scilicet de sua incolumitate utriq; euigilãtes gratias deo dixerint, Tobias et Sara: quomodo tertiã usq; in noctem distulerint, iuxta conditũ, copulã matrimonialem: uel, quod non uidetur, mutauerint post agnitum dei benefi- Historici religiosi usus.

cium sententiam: & congratulationem inuitatorum ac multitudinem, & ceremonias reliquas, quæ dici poterãt quomodo institutum habuerit angelus cum Tobia progrediendi peregre, ad argentum repetendum, & id institutum nubendi per incidentiam domino sic annuente perfecerint, patre ignorante, & similia. His inquam omnibus obmißis, nunc, postquam uiatici subsidiũ parasse dictũ est, scribit simpliciter, & nõ exquisita nimium diligentia, quomodo adiurauerit, hoc est, cum amicabili imperio institerit ne illico abirent, sed duas nititur impetrare hebdomadas, quibus diutius collætentur gener & sponsus cum amicis cæteris, qui agminatim accurrerãt, & cum matre filia relinquenda.

21 De omnibus autem quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit hanc scripturam, ut pars dimidia quæ supererat post obitum eorum Tobiæ dominio deueniret.

Et hæc quoq; memoranda fuerant superius, cum de charta conscripta mentio haberetur: quanquam fortasse pro gaudij sequentis magnitudine facta tunc fuerint, de quibus historicus fidelis anxius non fuerit, ut sic huic libello tanto sit & habeatur maior authoritas, quanto minus curiose & exquisite sæculari diligentia peruidetur, quem sancti spiritus morem non fuisse multis in locis conspicimus. Simplicitatem in uerbis & dispositionem sectatur diuinus spiritus, & nimiam diligentiã humanæ loquacitatis abominatur. Prouidentia dei actum est, ut pro se & parentibus iunior Tobias diuitias assequeretur iustas, dimidium tantæ substantiæ Raguelis, cui medietas reliqua abunde sufficiebat, quam post soceri & socrus expirationem non diminutam acciperet suo tempore, cum iam prole amplificandus esset. Sic diuina dispensatione omnia ordinantur circa electos, in spiritualibus & temporalibus. Sic fortunate & feliciter habent, qui angelos domini consortes & beneuolos habuerint, unus ueri dei cultores, qui innocentiæ studeant, orationibus instant, à domino pendent, & in aduersitatibus patientiam & longanimitatem præstant, donec dei pietas ex angustijs producat suos in latitudinem, ex calamitate in iubilum.

Authoritas magna huius libri.

CAPVT IX.

1 IVnc uocauit ad se Tobias angelum, quem quidẽ hominẽ æstimabat, dixitq; ei: Azaria frater, peto ut auscultes uerba mea.

Satis apparet Tobiam acquieuisse precibus Raguelis ut abscedere non festinarit, utcunq; dictum sit parari iussos cibos pro itinere necessarios. Id quidem non egisse credendus est sine consilio & assensu angeli. Cum itaq; aliquandiu sese impediendum ab itinere cerneret propter nuptias, & consolationem parentũ Saræ post tantas perpessas angustias & timores pro filia elocãda, non potuit non esse solicitus de suis quoq; parentibus, ne si quacunq; de causa diutius abesset, & moram traheret in itinere, numium illos affligi contingeret, de unigenito filio anxios. Cogitat de negotio citius expediẽdo utroque, & ut ipse Raguelj acquiesceret, & pecuniam ob quam abierat pro uoto parentum assequeretur, & temporis constitui mora non notabiliter excederetur. Quia itaq; in hoc instituto hærebat, putans angelum illum ministrum suum esse mercenarium, uocare audet ad se Tobias angelum, quem ipse haud dubie accessisset honoris gratia, nisi hominem æstimasset. Amice autem alloqui incipit, & admodum, ut decebat, honorifice, ueluti sensatus & gratißimus iuuenis, probe perpendens quanta iam beneficia illius auspicijs obtinuisset. Fratrem nominat, Israelitam credens: & attentum facit, ut potest, simplici oratione, rogans patienter & clementer audiri, cũ alium non crederet nisi seruulum, quamuis magno genere & claro prognatum. Sic enim non raro seruuli uehementer prosunt dominis, ut non sint affligendi, sed humaniter tractandi, ne irritentur & cessent ab officio.

2 Si meipsum tradã tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.

Quasi uoluerit sic loqui: Tu quidem te mihi & patri meo exhibuisti mercenarium uatorem, & comitem tanti itineris, & hactenus sic meis usibus deseruisti, ut omni gratia tibi rependenda me cogar longe inferiorem putare, cuius circa me per omnia prouidentiam tuam nullis unquam possum officijs pro dignitate demereri, etiam si meme totum tibi mancipium præbuero, & in seruum ueluti emptitium uendidero, nihil egero, sic excedunt beneficia tua, omnia quæ exhibere possum unquam officia mea: id tibi ex animo fateor. Sed audi quæso, quid adhuc abs te beneficij audeam & cogar nunc exigere.

3 Tamen obsecro te, ut assumas tibi animalia siue seruitia, & uadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum, reddasq; ei chirographum suum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum uenire ad nuptias meas.

Vtcunq; acceptis beneficijs rependendis imparem me sentiam atq; profitear, aliud tamen cogor postulare, & nouum: nempe ut soceri mei animalia nũc mihi cum filia data, & seruulos quos uoles assumas, & dum interim hic gratificaturus tuo cõsilio maioribus meis debeo subsistere aliquandiu, tu pergere uelis in Mediam proficiam ad Gabelum quem nosti, ad quem perducendi me functionem suscepisti à parentibus, qui huiusmodi legationẽ æque peragere potes sine me ut mecum, qui tibi ut noto & chirographum patris præbente statim reddet quod obligatum se nouit, quin & si libeat adesse meis nuptijs, ipsum meo quoq; nomine inhorteris, ut ad me ueniat, rationem obmißi per me aduentus excusaturus pariter. Meminit autem animalium & seruorum, ut nõ pedes sed animalibus uectus festinantius abeat, & ministerium accipiat famulorum illi ministrantium: denique ut Gabelo uenire consentienti non desint itineris alleuiandi auxilia. Quod autem hic nodus habetur, qui fieri possit, ut in eadem urbe Gabelus hic habitare dicatur, in qua & nunc Tobias moretur cum Sara uxore, quæ superius habitasse scripta est capite tertio, in Rages ciuitate

uitate Medorum: Is sic explicari potest, uel ut in eadem prouincia urbes eiusdē nominis duæ tunc fuerint, quod sæpe fieri in omnibus uidemus prouincijs, uel quod error librariorum non inconsuetus aliàs sæpe, ut in libris Præteritorum & Neemiæ ostenditur, ita hic quoq; accideriit, maxime cum in tertio capite nostri quoq; codices uarient, ut quidam habeant scriptum non Rages sed Ragel. Ideoq; in huiusmodi proprijs nominibus locorum & personarum nolim funem contentiosum trahere, qui sæpe mutata legimus, & scribendo deprauari sæpius scimus, maxime in tam antiquis & toties rescriptis exemplaribus.

4 Scis enim ipse quoniam numerat dies pater meus, & si tardauero una die plus, contristabitur anima eius.

5 Et certe uides quomodo Raguel coniurauerit me, cuius adiuramentum spernere non possum.

Pius & prudēs adolescens parentum meminit, quos de sua absentia nollet, si fieri posset, diutius contristari: tempora adnumerantes dierum & horarum præsidio reditus, & timore periculorum, quorum augebitur solicitudo & animi perturbatio magis, si ultra præfitum tempus distulerint reditum. Hæc uero angelus ignorare non poterat, nec dissimulare pro sua fide uoluisset. Sed & adiuramentum tanti amici & noui soceri spernere non potuit, cuius unica filia sine multo dolore tam subito abstrahi commode non poterat. Sic Tobias eximia indole ornatus, à parentibus quoq; religiose educatus, & diligenter institutus, hæc omnia expendere rationabiliter potuit præter officium angeli, qui & ipse spirituali uirtute sua huiusmodi cogitatus & instinctus animo imprimere potuit, non enim corporis figura & spectro aut personatu angeli operas impediebatur, quin quod ore loqueretur, animo persuadere angelus potuit, & suo modo solicitare. Pertinet deniq; ad honorem & cultum parentum, à filijs debitum, ut ab omni offensa et turbatione sibi filij caueant, & præueniant pro uirili.

6 Tunc Raphael assumens quatuor ex seruis Raguelis & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit, & inueniens Gabelum, reddidit ei chirographū suum, & recepit omnem pecuniam.

Semel angelus personam hominis susceperat, quam cōsequenter semper repræsentat. Poterat sine omni huiusmodi apparatu operas suas præstitisse, si uoluisset: sed sic durare in officio susceptо uoluit, domino suo sic iubente, quod fortasis non raro contingit hominibus ex deo pendentibus, ut ubi illis humanum desinat auxilium, ibi diuinum ministerio angelorum suppeditari contingat. Quatuor seruos accipit, qui animalibus præsint, gestantibus personas euntes & aduehendas. Laboratur hic ab expositoribus quos hij quatuor serui significent, & cum ex gentibus prædicatores hos exponant, nónne consequens erit, ut quatuor mendicantium ordines habeantur hij quatuor Raguelis serui? Sed quid camelos faciemus duos? sine dubio possidentes & mendicantes.

Sic enim, si dijs placet, exponendæ sunt sacræ historiæ. Simpliciter potius suspicemur camelos missos pro baiulandis oneribus, uel necessarijs in uia, uel personis fœmineis. Sed & hæc otiosa quoq; occupatio fuerit. Cum apparatu certe magnifico pergit, qui uenerat ut egenus et gratis hospitiū susceperus apud Raguelem. Sic autem crescebat & gliscebat fideliū fortuna etiā in temporalibus, ut augeretur facultas seruorum dei, qui longanimiter pertulerant tentationem à deo impositam. Inuenit non casu, sed propria sua in domo, nō ignota angelo, Gabelum, qui & ipse Tobiæ amicus erat, & de eadem tribu pauper fuerat, nunc non solum ditatus, sed & iustus: qui nihil cunctatus non subterfugit officium reddendi commodata. Non causatur personarum se ignorare fidem, non negat chirographi characterem, non allegat quodcunq; impedimentum, sed argentum pleno reddit pondere ut acceperat. De iactura eius quod nos nunc dicimus interesse, de quo digladiari cōsueuimus, nihil hic dicitur. Simpliciter per pios homines omnia pertractantur. Non ibi hospes iudicio sistitur, non quittantia exigitur, non instrumentum conficitur, non literæ sigillantur, quæ omnia nunc ad perfidiæ medelam excogitata nihil sufficiunt, quandiu mentes uacuæ sunt timore domini, & simplicitate mentis domino placente, qua sola fieret ut est esset est, & non non. Omnem dicitur recepisse pecuniam sine tergiuersatione quacunq;, uerè enim amici & fideles erant. Nihil in mundo felicius esset, q̄ si ueritas inter homines & fides locū inuenirent. Facile esset & iucundū gratis mutuum præstare, & egentibus subuenire, si par pari in tēpore rependendū sperari posset: ut dum pro rerum uicissitudine abundans egenti commodat necessaria, idem posterius indigere incipiens, simile inueniret sine cunctatione & damno subsidium. Id uero fieret, si nemo otiosus, nemo luxui seruiens, nemo perfidus & ingratus inueniretur. Sed hæc in præsenti sæculo malitia humana non admittit.

Simplicem piorum contractus.

7 Indicauitq; ei de Tobia filio Tobiæ omnia quæ gesta sunt, fecitq; eum secum uenire ad nuptias.

Multa paucis exequitur, cum potuisset uerbis magnificis omnia describisse historicus, si effluere decreuisset, ut fecit is qui secundum librum Machabæorum satis humano spiritu descripsisse uidetur. Indicauit illi de cæcitate, egestate & afflictione ac senio Tobiæ senioris, deq; dei gratia et successu felici iunioris Tobiæ, qui nūc nuptias agens, ipsius aduentum exoptet, cum argento patri indigenti reddendo. Et omnino tanta circa Gabelum dixit et egit, ut facile consenserit morem gerere amicis, & accedere nuptias, fomenta amicitiarum iungendarum ad posteros.

8 Cumq; ingressus esset domū Raguelis, inuenit Tobiam discumbentem, & exiliēs osculati sunt se inuicem.

Angelus cum Gabelo inuenerunt gaudentes & epulis uacantes Tubiæ iunioris familiā totā cum amicis & uicinis, qui nihil cūctatus mensæ delicias, omnibus neglectis hospitē amicū suscipit, cū amoris signo et reuerētia.

Oſculum autem amicitiæ ſignum & ſymbolum eſt gentibus multis, quod nobis manuũ porrectio, quo & Chriſtus traditus eſt à diſcipulo traditore.

9 Et fleuit Gabelus, benedixitq; deum & dixit: Benedicat te dominus deus Iſrael, quia filius es optimi uiri & iuſti & timẽtis deum, & eleemoſynas facientis:

Amicitiæ & ſynceritatis erat ſignum fletus Gabeli, qui nunc primum fortaſsis optimi uiri egregium filium intuebatur ex facie, & ingenio ſimilem, quod inter felicitates huius mundi donum dei non minimum eſt, & parentibus gratum ualde, amicis autem iucundũ & plauſibile. De fletu Tobiæ non dicitur, qui nuptijs hilarior erat, & hypocriſim neſciebat. Verba autem prima à pijs hominibus fundebantur ſemper in laudes dei, cuius nomen benedictum ſemper cupiebant, & omnia in gloriam dei geri, qui unus eſt & uerus deus Iſrael dictus ab Iſraelitis, etiam iam tunc exulibus. Ex uirtutibus parentis glorificatur ſenſatus & non degener filius: alioqui dedecus infert parentibus & amicis filius inſipiens & ſtultus. Is uero filius agnoſcitur & commendatur, nõ ſolum boni ſed optimi uiri, ut patet ex dictis. Iuſti quoq; tenax et legis obſeruator ſedulus ſemper fuerat, etiã dum in Neptalim urbe adhuc degebat æmulator legis diuinæ. Et timentis deũ, hoc eſt digne & religioſe colentis, non tantum uerbo, locutione, peregrinatione, ſabbatiſmo, ſacrificijs ac decimis, ſed præter hæc omnia multus erat in dandis eleemoſynis, propter quas & toties ad mortem inter impios fuerat periclitatus. His ergo uerbis iunior Tobias à Gabelo benedicebatur, nunc uxor.

Filius ſenſatus honeſti parentis.

10 Et dicatur benedictio ſuper uxorem tuam, & ſuper parentes ueſtros, & uideatis filios ueſtros, & filios filiorũ ueſtrorum, uſq; in tertiam & quartam generationem. Et ſit ſemen ueſtrum benedictum à deo Iſrael, qui regnat in ſæcula ſæculorum.

Dici benedictionem eſt à multis & ſanctis hominibus alicui à domino exoptari bona uera et perennia. Id nunc imprecatur uxori nouæ iunioris Tobiæ ipſi Saræ. Nec id ſolum coniugibus nouis optatur, ſed utriuſq; parentibus: qua benedictione in hoc mundo & in hac uita maior non habetur corporalis, & in ſpiritu quoq; ad dei gloriam per ſanctos propagandam uix ſyncerior inuenitur, quàm ut ſanctis dei amicis ſuccedant religioſi & deo deuoti & legitimi filij & nepotes, non quidem ex habitu & ceremonialiter religioſi, ſed fide & integritate morum, quales habere filios, beatiſsimum eſt dei munus in hoc mundo. Sanctum quidem eſt habere filios fidei, doctrinæ, & religionis, quos in Chriſto genitos à nobis, gloriari in domino poſsimus. Nihil hoc certe ſanctius, ſed ſi inſuper poſt hanc à deo conſequutam gratiam etiam carnis filios & poſteros aſſequamur, qui domino deuoti ſint, & fidei profectu clari in dei gloriam: quàm hoc ſit expetibile ignorat nemo. Huiuſmodi patres & filios non paucos legimus in primtiua etiam Chriſtianorum eccleſia, de quibus Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica. In ueteri autem populo ſine numero ſcriptura cõnumerat. Quid enim felicius Zachariæ cõtingere potuit, quàm Ioannes Baptiſta? quo inter natos mulierum non ſurrexiſſe maiorem Chriſtus teſtatus eſt. Vt uero obijciatur infelicitas, quæ parentibus accidere ſolet ex improbis & degeneribus filijs, certe eam calamitatem non raro experiuntur ſanctiſsimi doctores, qui ex diſcipulis multa diligentia inſtitutis, patiuntur hæreticos & impios, nihil paternæ uirtutis & inſtitutionis præ ſe ferentes. Optat tertiam & quartam generationem uidendam feliciter à parentibus, quod ſane non uulgaris eſt benedictio, quæ ſi cui contingat, proſpiciat de ſolicita educatione talium in timore dei, & ſcientia legis diuinæ, de integra fama ſua & ipſorum ſolicite conſeruanda, ne inde confuſionem reportet unde gloriam ſperabat & gratiam.

Filij ſanctorum duplices.

11 Cumq; omnes dixiſſent Amen, acceſſerunt ad conuiuium, ſed & cum timore domini nuptiarum conuiuium exercebant.

Non antea conuiuium adeunt aliquot diebus durãs ad effuſius gaudendum, q̃ gratias domino de beneficijs egiſſent. Quæ gratiarum actio paucis quidem uerbis, ſed fideli corde expreſsis, fiebat omnibus audiẽtibus & intelligentibus quæ dicebantur, ut commode reſpondere pariter potuerint, Fiat fiat quod à domino petitur, quod eſt Amen. Lõge religioſiori ritu q̃ ſit hodie in multis eccleſijs, ubi ne uerbum quidem intelligitur eorũ ad quæ tamen eccleſia reſpondet Amen. Quæ priſcis conſuetudo ut aduerſa eſt apoſtolicis doctrinis, ſic apud primitiuam eccleſiam in uſu non fuit. Singulis eccleſijs ſua lingua intelligibilibus uerbis eccleſiarum miniſtri utantur, ſi uel fructum deſiderent in eccleſia, uel mercedẽ dignam ab eccleſia, quæ gratis ſua munera miniſtris dare nec uult, nec debet, quicquid Romanenſes de ſua quam ignorãt lingua deblaterent. Chriſtus omnia dixit et egit ea lingua quam uulgus in uſu habebat, quæ tunc fuit indoctioribus Syriaca, doctioribus Græca, ab aliquot iam annorum centurijs Latina. Ad hoc apoſtoli per ſpiritum ſanctum donũ ſuſceperunt linguarum, ut ſingulis nationibus ſua lingua prædicarent, & nullo in caſu cogerentur uti interprete. Et quæ ratio aſsignari poteſt rationabilis, propter quam Hebræis in ſua olim lingua officium eccleſiaſticum agere licuerit, poſtea Græcis in ſua, Syris in ſua, Aethiopibus quoq; in ſua, imò & Indis in ſua lingua, nobis autem Germanis non liceat Germanis præcinere uel prædicare ſacra in lingua Germanica? quæ certe cum quauis alia lingua certare poteſt, ſiue felicitatem compoſitionum, ſiue inflectionum diſtinctas locutiones attendas, & miram diſtinctiſsime loquendi omnia quæ cogitas uim & felicitatem habet cũ claritate, quæ à quouis optari ualeat. Idem de Gallorum & Vngarorum linguis dici poteſt, quæ ſcribi poſſunt non inelegantius q̃ uel Latina uel Græca. Sed hæc aliàs pluribus. Orandum, ut non ſemper Bardi ſimus uel habeamur. Conuiuium quidem cœnam ſignificat, ſed & lætum & iucundum cœtum quemcunq; & ſodalitatẽ, quæ cibo & potu moderatis & ad iucunditatem exhibetur, quæ & aliquot diebus olim exhibebatur, ut patet in libro Heſter.

Vnde

Vnde & conuiuium & epulæ sæpe pro communi lætitia capiuntur, quo minus admiremur quomodo tam diu durarit hoc conuiuium, donec is angelus iret & regrederetur. Omnia autem fiebant non ad lasciuiam & gaudium inhonestum quodcunq; sciebant enim se filios sanctorum, sed cum timore dei exercebãt conuiuium iuxta patriæ morem & probatum usum, sine quacunq; dissolutione pertinente ad lasciuiã, quæ iuuenibus & iuuenculis permittenda non est. Sed honesta tamen alacritas cũ honestis cãtionibus de uirtutibus, etiam si libeat nuptiarum qualia sint gaudia & conuiuia.
sica iucunda sine irritatione carnalium improbitatum, in præsentia maiorum, & senum permitti potest iuuenibus cũ testimonio honestæ sodalitatis, quã satius est in publico permitti, quàm in secretis peiora timeri. Omnibus autem modis ablegandi sunt impudici iuuenes & puellæ, potiusq; confundendi. Tantum abest ut choreæ cum impudentibus gestibus permittãtur unquam, quas si fieri contingat honesto more et ab honestis personis, gratia tantum hilaritatis & gaudij, non incitandæ libidinis, damnandas nescio.

CAPVT X.

1 Vm uero moras faceret Tobias causa nuptiarum, solicitus erat pater eius Tobias, dicẽs: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi? Putásne Gabelus mortuus est, & nemo illi reddet pecuniam?

Nondum tempus à deo destinatæ consolationis ipsi Tobiæ seniori aduenerat, quod tamẽ appropinquabat, sed interim angustijs animi dominus illum exercebat et pauoribus, donec gaudij quod promiserat angelus hora appeteret. Sic autem reditum differente filio post condictum diem, pater anxijs agitabatur curis, & in diuersos cogitatus raptatus, subinde cõtinuo alterũ cogitabat ex altero, & ut fit calamitosiora quæcunq; occurrebãt. Verebatur ne forte uel morbo afficeretur in uia, uel pro mortuo fortassis Gabelo pecunia non daretur. Bonæ aũt spei erat, superstite eo minime sine argẽto filium reditu rum pro insigni probitate Gabeli, qui fructu tam diutur ni mutui iam contentus erat. De angelo sodali nihil metuebat, de Raguele illi in mentem nihil uenerat, multo minus de ducenda uxore eiusdem filia Sara, quã quidem non ignorabat, sed sciebat affinem, et de infaustis toties tentatis nuptijs sciebat, à quo & filius didicerat, ut ex colloquio filij patuit cum angelo.

2 Cœpit autem contristari nimis ipse & Anna uxor eius cum eo, & cœperunt ambo simul flere, eo quod die statuto minime reuerteretur filius eorum ad eos.

Quanto diutius cogitabat moram filij uenire differentis, tanto magis affligebatur ex dilatione spei, donec augeretur dolor cordis, & resolueretur in lachrymas. Accedebat tristitia uxoris impatiẽtior, quæ cum senem consolari deberet, sua potius eum perturbatione commouit ad planctum, ut ambo deflerent absentiam filij, et periculum dilationis atrocius interpretabãtur quàm ut

mutuum sese consolarentur. Erat fortassis & remotior locus nuptiarum, quàm quod commode nuntius patri mittẽdus, cõsolationem afferre potuerit. Apparet enim non usqueadeo remotum esse locum Raguelis ab eo qui erat Gabeli, qui commode ad nuptias uenire potuerit. Qui tamẽ locus quomodocunq; nominetur, nõ remotus erat uel procul ab Egbathanis, quæ caput regni Medorũ erat, multum distans à Niniue usq; ferè ad decem gradus longitudinis, qui resoluuntur in multa miliaria.

3 Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis, atq; dicebat: Heu me fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium uitæ nostræ, spem posteritatis nostræ. Omnia in te simul uno habentes te non debuimus dimittere ire à nobis.

Permiserat nuper se desolatam ex recenti abitu filij mater consolari à patre, tunc enim ad flentem dixerat: Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui uidebunt illum. Credo quod angelus dei bonus comitetur eũ &c. Tunc enim fortius pater sperabat, & de salute filij non dubitabat, nunc uero nimia, ut uidebatur, dilatione permotus, & matris importunitate et impotenti animo fractus, uxorem denuo consolari nesciebat uel non poterat, unde & ipsa magis ac magis turbabatur, donec irremediabiliter fleret, & nullam reciperet ab aliquo consolationem. Nec tantum flebat, sed & eiulando increpabat imprudentiã patris, qui iudicasset dimittendum, quem nunc doleret dimissum. Patre uero comprimente fortius dolorem cordis, & feruẽtius desiderante, mater ipsa fœminea fragilitate erumpebat in querelas grauissimas, mentemq; mariti exasperabat atrocius. Heu me, inquiẽs, fili mi, quam obrem peregrinari te misimus in tam remotissima loca, qui unicum esse solebas & nunc esses lumen, refrigerium & recreatio oculorum nostrorum, qui cæco patri ductor esse poteras & minister, me propediem pariter cæcutientem cum ipso nutriturus. Iucundius speculum nobis non erat quàm tuus uultus patri similimus, & mihi amabilissimus. Sustentaculum esse uoluisses & poteras in decrepita olim & nunc calamitosa uita & ætate nostra, destitutis amicis & auxiliarijs rebus, personisq; fidelibus. Vnicum eras quantũuis pauperibus solatium nostrum, ex quo uitam nostram sperabamus prorogari, & in necessitatis nostræ periculis enutriri. Sperabamus per te uidendos olim nobis filios filiorum, nepotum turmam, et progeniei illustris & felicis seminariũ. Et quid multis dico? In te unico & unigenito filio nostro omnia pariter possidebamus, leuis erat paupertas nobis te superstite & præsente. Sine te nunc omnium sumus infelicissimi, & rerum omnium indigui. Vt quid igitur intantũ desipuimus, ut te nostra culpa amitteremus, et simul in te omnia bona? Matrũ querelæ.

4 Cui dicebat Tobias: Tace & noli turbari, sanus est filius noster, satis fidelis est uir ille cum quo misimus eum.

Tentabat consolari ut poterat uxorem Tobias, & inutilem planctũ cupiebat comprimi, persuadere fœminæ quod ipse ægre credebat, licet non omnem in deum suum spem deposuisset, quin crederet quod diuino nutu tam prospere incepisset, feliciter quoq; finiretur, maxime quod de sodalis fide & solertia multum sperabat. Fieri potest ut diuino instinctu cõsolaretur in animo, et idem angelus qui corpori præsens erat iuniori, cum uellet adesse posset suo modo cõsolator etiam seniori, instillans consolationis spiritualis opportuna remedia. Vtcunq; mortales omnes fragiles sint, & affectu mutabiles, infirmius tamen uasculum inuenitur mulier, & ideo à uirorum fortiori ingenio, & experimentis maioribus instructo necesse est eam pro tanto confirmari. Sic enim dominus ordinauit, ut fœmina marito auxilio sit, uir autem uxori director, instructor, consultor & consolator, & hoc ut in pluribus.

5 Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens, circumspiciebat & circuibat uias omnes per quas spes remeandi uidebatur, ut procul uideret eum, si fieri posset, uenientem.

Pulchre describitur impatientia muliebris, quæ semel irritata uel perturbata difficile reformatur, ut sunt uero rixosæ & pertinaces omnes ferè fœminæ. Sic hic describitur hæc Anna nimis feruẽter permoueri. Sed talis est affectus matrum ad filios, & quidam alij quoq;, quos præstat ferre maritum, quàm laterem laudãdo frustra conari. Feras necesse est patienter quod abijcere nequeas. Pro unico filio suo quid mirum si periculum uerebatur? quæ domi residens, externorum tam locorum q̃ hominum mores non didicerat, & omnia horribiliora suspicabatur quàm plurium rerũ experti uiri. Poterat dudum ferre hæc mulier maritum pergentem ad exules circunquaq; in regno Assyriorum, Medorũ, Persarum, parumq; timebat: nunc filium implacabiliter dolet, paucis absentem hebdomadibus. Exiliebat ab opere suo, impatiens desideriorum uisendi filium, deserto opere & domo circumcursabat per uias omnes, ut uenientem uideret. Vnde iuniores fidem & charitatem discant parentum quidem, sed maxime matrum, quarum pijssimis affectibus, anxijs curis, quotidianis laboribus, imò horarijs, nemo quamuis pius filius uicem aliquando præstare potest, ut discant multo minus perturbare, minime uero spernere, neutiquam autem odire aut persequi.

Filij matres diligant.

At uero Raguel dicebat ad generũ suũ: Mane hic, & ego mittam nuntium salutis de te ad Tobiam patrem tuum.

Hoc uideri potest satis à prudẽte uiro tẽpestiue fuisse dictum, & tentatum in initijs scilicet nuptiarum, sed hic tardius scribitur. Non enim minus grauatim dimittere poterant unicam suam filiam, quàm illi filium, nectere igitur morarum causas annitebantur ut fit, & expensarum parua apud bene diuites ratio habebatur, itineris quoq; prolixitas minus expendebatur quàm amoris uehemẽtia. Salutis nuntiũ promittebat, qui diceret omnia salua, sed expediebat magis iucunditatis amplioris cau-

sas differri ad solatium piorum. Quandoquidem post tam graues angores cordium amborum, immensum gaudium simul obuenuens, fuerant feruentius & iucundius susceptur.

7 Cui Tobias dixit: Ego noui quia pater meus & mater mea modo dies computãt, & cruciatur spiritus eorum in ipsis.

Insignus probitas & indoles nobilis, syncere amabat utrunq; parentem, quorum anxias curas non obliuiscei poterat, quamlibet multorum gaudio conuiuijs & noua uxore detineri uideretur. Iam constitutum tempus præsumpti reditus expirauerat, ante quod illum non poterant reuertentem sperare, sed ex illo tunc tempore supputare incipiebãt dies moræ nimiũ illis molestæ, quanto tenerius diligebant. Cruciatum autem spiritus ipsorum pius filius ferre æque non poterat. Non sunt negligendi affectus pij parentum, nõ sunt extra extremam necessitatem aliquatenus perturbandi à filijs probis, sed colendi proxime post cultum dei: sic enim dominus et natura præcipiunt.

8 Cũq; uerbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille nulla ratione eum uellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiã partẽ omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in uaccis, & pecunia multa: & saluum atque gaudentem dimisit eum à se, dicens:

Ex affectus ardore ad filiam amittendam rogabat socer generum: iste uero amore utriusq; parentis trahebatur, & uoto gratificandi maioribus, desiderio patriæ, instinctu angeli, impatientia moræ, prudentia hospitali, quæ docet citius acceptis officijs abscedendũ, noluit ergo obsequi precibus. Seruauerat socer filiam aliquãdiu, sine qua abscedere nõ poterat, uolentẽ aũt omnino non ultra moratur, sed magna cum gloria & diuitijs dimittit. Vt uideas quasi Israelem ipsum redeuntem de Mesopotamia ad Palæstinam, tantis hic Tobias diuitijs locupletatus redit ad patrẽ. Sic dominus agit cum sibi fidentibus. Vnde claret non omnes exules Israelis fuisse miseros, quia non omnes perfidi erant, quin et eruditi afflictionibus, ardẽtius domino adhærebant, religiosius colebant, quia sine ceremonijs, sed fide, spe & charitate. Ideo quærentibus regnum cœlorum, id est, iustitiam fidei, & dei timorem syncerum, omnia adijciuntur fidelibus æque in exilio atq; in terra hæreditaria, domini est enim orbis terrarum, ab eius nutu felicitas soli & elementorum temperies, felicitas & gaudium. Magna erat [illegible] medietas substantiæ Raguelis, qui tanta dare potuit, & non indigere domi. Sed habebant sancti illi multos seruulos & ancillas, magis ad prouidendum illis, & adregendum operas, & ad instituendum in fide & moribus, quorum etiam prolem domini nutriebant, & sic augebatur prouentus tam personarum quàm operum, quando nemo otiosus erat ab utili exercitio, quo fiebat, ut multi sese commode nutrire poterãt, quando nemo egere necessarijs permittebatur, & dispensabatur prouentus operarum secundum prudentiam sapientis & præbi uiri.

bi uiri. Qui modus uiuendi olim consuetus, amputabat eam quam nunc patimur auaritiam, luxuriã, perfidiam, otium, & omnium ferè rerum caristiam, dum nihil commune relinquitur, dum sibi quisq; omnes alios natos existimat, dum sibi soli prospicit qui potest, cæterorum omnium cura abiecta. Saluum & gaudentem dimittit ac diuitem, qui aduenerat pauper, anxius & unicus. Cum angelo autẽ domini uenerat, ideo omnia prospera erãt.

9 **Angelus enim domini sanctus sit in itinere uestro, perducatq; uos incolumes, & inueniatis omnia recte circa parentes uestros, & uideant oculi mei filios uestros priusquam moriar.**

Non tantũ donis accumulat generum suum Raguel, sed pariter eum cum filia benedicit, eisq; bene precatur secundum omnia quæ decent homines, nedum pios, sed etiã sapientes & humanos loqui. Discẽda esset hoc loco uel loquendi formula inter pios: solẽt enim sæculo et pra uis moribus initiati homines, siue sese inueniant uel dimittant, siue edant siue bibant, sedẽtes uel cõmigrantes, non nisi prophana, otiosa, turpia, pernitiosa uel imprudentia loqui, friuolos ac inutiles prorsus miscere sermones, leuitatibus delectari & risibus, si non etiam mendacijs ad minus otiosis: & si quis sensatior sensatiora loquatur ludibrio habetur, & inhumanior, si non etiam stultior. Hoc in libello ubiq; rationabilia, pia, honesta, grauia, utilia, sancta & gratiosa dicuntur, ut legis per totum, ut discas sanctimoniam ueterum, & simul nostri sæculi uanitatem inspicias insignem, & uix tolerabilem pijs, quin & impijs non fructuosam. Tobiæ huic semper imprecatur comitantem angelum dei bonum, siue abeunti, siue redeũti: nos sine intermissione cacodæmonem ad leuissimas occasiones sibi imprecantes audimus, & non paucos, sed millenos, quasi nesciatur uel non creditur dæmonum malignitas, & odium immane contra genus humanum, cum ad solius nominis auditum terror incuti deberet tam atrocis inimici. Amice optant peruentionem felicem, facile & iucundum iter cum incolumitate, quæ insuetis facile periclitatur in itineribus prolixis. Cupiũt ut omnia sdua apud parẽtes inuẽturi sint: omnium autem maxime optant, quod in primis in matrimonio est intendendũ, prolis ubertatẽ et felicitatẽ, quando nihil in hoc mundo parentibus potest suauius contingere quàm filij & nepotes, in quibus etiam in hoc mundo sese norunt post mortem supereesse & uiuere, & bis esse felices, si tamen in timore dei nutrierint quos genuerunt filios & nepotes. Priusquam moriatur optat uidere filios filiorum, sed sanos & felices. Sic loquuntur honesti homines, utilia nempe & grauia ad rem pertinentia, non ludicra uel obscœna, non rixas uel odia, non peierationes uel maledictiones.

10 **Et apprehendentes parentes filiam suã, osculati sunt eam, & dimiserunt ire, monẽtes eã honorare soceros, diligere maritũ, regere familiam, gubernare domum, & sei psam irreprehensibilem exhibere.**

Apprehendere istud, est uel amplexari uel manum

porrigere, pro more nationum: sic & osculari filiã honestissimum est. Quod autem addit: Et dimiserũt ire, sicut & superius dixerat: Non debuimus dimittere ire à nobis, facit ut dubitem hanc æditionem Hieronymi esse, qui non sic loqui consueuit: quanquã nihil obsit uel pietati uel sensui, quibus uerba seruire debent, non sensus uerbis. Non sunt patres sancti & ueteres offensi in sacris scripturis huiusmodi loquendi modis. Ludant alij in suis elegantijs, & singulis uerbis elegantias assignent, non damno, sed non quoq; exigo, nec magnifacio, dum sensui nihil decedat. Hãc simplicitatem spiritus sanctus ubiq; seruasse uidebitur attẽdenti, ut non affectetur nec elegãtia nec rusticitas: sed ut inciderit sine affectatione sermo intelligibilis, sic placuisse uidetur spiritui sancto & omnibus sanctis, quod Hieronymus non multum uitauit in sacris, utcunq; in epistolis studuerit elegantiæ, spiritu humano nõnihil inductus. Quod uero sequitur, breuis regula est uxorum iuuencularum. Primum, ut soceros honorent, hoc est, parentes mariti uenerentur, et sese filium syncere amare ostẽdant, si diligant eos, quos maritos omnium quàmmaxime amare norunt: liquido enim proditur fictus & insuauis amor consortis, si eiusdem parentes amare non potest, uel reuerentia non dignatur. Diligere maritũ iubetur, cum enim sine amore alicuius rei subsistere nõ possit iuuencula, constat neglecto sponsi amore aliud quippiam uel alium impense amare: cum dominus cõciliauerit sic naturas, ut inhumanum omnino sit, inter sponsum & sponsam desiderari amorẽ, sine quo fides necessaria nõ inuenitur, quæ grata esse possit. Regere familiam uxorum est, sed ex institito ordinationeq; mariti: alioqui patrisfamiliâs est totam gubernare domum: uxoris autem est commonefacere, ne quid negligatur quod præcepit maritus. Gubernare domum, est legitime dispensare quæ maritus importat, & sua acquirit industria, ut nihil perdatur, dissipetur, pereat, nec numis nec minus fiat, quàm ratio rei familiaris admonet et exigit, ut prospiciatur necessarijs domus in tempore, ne quid intempestiue procuretur. Tandem additur: Et seipsam exhibeat irreprehensibilem, ut uerbis, factis, incessu, ornatu, uestibus, domi & foris, honestatis semper habeat & seruet rationem diligentissime, ut ab omni inhonesto uerbo & nutu abhorreat, sensus corporis ad uerecundiã regat, maturitati assuescat, horreat omnem infamiam, periculum ubiq; castitatis & fidei inhorrescat, & speculum se præbeat in moribus & uerbis, ancillis & seruulis, filijs & filiabus: non tantum ne calumnia inuratur eidem, sed multo magis, ne uiro contumelia exoriatur & filijs, ne quod honestum habetur in marito, id inficiatur ab uxore insensatiore. Ante omnia ut loquacitatem uincat, ueritatem æmuletur, obloquia auersetur, & uicinorum improbitatem prudentia & taciturnitate euincat, ne inter uicinos simultas seminetur intemperantia colloquiorũ, ne odium ex æmulatione sequatur, ne causam foueat odij in marito ad proximos, ne urgeat eundem ad amandum quem amat, ad abominandum quem auersatur ipsa, ne opprobrio afficiat uirum, ut uideatur non tam uir esse quàm mulier,

Simplicitas stili in scriptura sacra

Regula iuuencularũ uxorum.

qui ad auram leuem moueatur ad odium, & dum ipsa efferbuerit, & sese mutauerit, maritum quoq; uelit per omnia conformari. Hoc est esse reprehensibilem fœminam, hoc est iniuria grandi affecisse maritum, & dehonestasse summo probro.

CAPVT XI.

1 CVmq; reuerterẽtur peruenerũt ad Charram, quæ est in medio itinere contra Niniuen undecimo die.

Tardius & difficilius ideoq; pluribus diebus redeunt plures cum impedimentis plurimæ familiæ & suppellectilis & annualium quàm uenerant duo soli, utq; satis uidetur negligentius prius fuisse scriptum iter peruenendi, quàm nunc redeundi. Nihil enim tunc de ciuitate Charra dictum est, quæ sita est in Mesopotamia, in prouincia Assyriæ, & hic dicitur medium itineris inter Niniuen & Rages, quod iter confecerant undecim diebus, & adhuc ferè tantundem restabat uiæ usq; ad Ninuen. Omnium ferè horum locorum nomina non solũ sæpe mutata sunt, propter uictorias subinde Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Medorum, Græcorum & Romanorum, imò & Aegyptiorum, sed etiam à Iudæis aliter iuxta suum morem nominata inueniuntur. Sic & Galli aliter nominant Germaniæ loca quàm Germani, & uicissim, ne de istis locorum nominibus anxij simus nimisq; curiosi.

Locorum nomina mutata.

2 Dixitq; angelus: Tobia frater, scis quẽadmodum reliquisti patrem tuum? Si placet itaq; tibi, præcedamus, & lento gradu sequãtur iter nostrum familiæ simul cum coniuge tua, & cum animalibus.

Angelus fratrem nominat Tobiã, cui beneficia multa contulerat, & sese ex filijs Israel esse dudum asseuerat, eiusq; ueluti minister illi datus consiliũ petit, & ob sequẽdi liberum facit officium Tobiæ. Modestiæ studẽt boni angeli semper & ubiq;, cum cacodæmones nihil spirent præter superbiam, etiam contra deum. Reliquerat patrem Tobias cæcum, pauperem, senem, desiderio fatigandum ex reditu filij, à matre sæpius imò continuo perturbandum, ob impatiens desiderium filij unici, & iam ambos insuper anxios ex dilatione nuptiarum, hos necesse erat, prout fieri poterat, consolari. Si, inquit, tibi placet, qui dñs es, & iam dies factus, cum sim ego mercenarius seruulus, præcedamus. Hoc uero præcedere intelligebat expeditiorẽ profectionẽ, qua duo simul festinare poterant, uirtute angeli Tobiæ præter naturæ robur ministranda. Sequi uolebat pedetentim uxorem, cum omnibus tot uiæ impedimentis, ne quid detrimenti inciderent ex uelocitate. Sicut & Iacob loquebatur ad Esau, cum eadem ferè uia de Mesopotamia ditatus uxoribus & filijs reuerteretur. Consilio enim opus est, non præcipitantia, & tamen in uia non nimis segnuter commorandum: hominum est habenda ratio & animalium.

3 Cumq; hoc placuisset ut irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piscis, erit enim necessarium.

4 Tulit itaq; Tobias ex felle illo, et abierũt.

Sanis acquieuit statim consilijs serui, tum quia fidem in omnibus angeli fuerat expertus & felicitatem, tum quia reditum pro consolatione parentũ maturari otius affectabat: iamq; disponebant ad abitum omnia, post se relinquendis uxore & diuitijs, quæ succederent opportunus. Tunc inter disponendum reculas pro itinere, admonet angelus de piscis felle secum ferendo, pro recuperatione uisus charissimo patri, ut plenus foret de omnibus per omnia gaudium omnibus, qui & diligenter obsequitur. Hanc fellis particulam alij interpretantur recordationem amaritudinis passionis dominicæ, quæ necessaria est, quia amaritudinem pœnitentiæ dulcem reddit: sic illis omnia ualent ad omnia docenda.

5 Anna autem sedebat secus uiam quotidie in supercilio mõtis, unde respicere poterat de longinquo. Et dum ex eodem loco specularetur aduentũ eius, uidit à longe, & ilico cognouit uenientem filium suum, currensq; nuntiauit uiro suo, dicens: Ecce uenit filius tuus.

Impatientia materna affectus ad unicum filium quietam non sinebat, nec domi considere poterat, nisi cum molestia mariti, cui imputabat periculũ filij, & utriusq; miseriam, qui maximo bono fraudati, infelicem nunc uitam agerent. Procurrebat solicita & inquieta mater ad campum, conscendebat montes, si uel de longinquo uenientem filium intueretur, neglecto interim domi marito, cui pro filio amisso irata uidebatur, montis supercilium petit, unde uideat itinera. Tandem misera consolatur, incipiunt tunc omnia melius se habere, & unã esse qui felicitatem post aliam, qui pij erant & deum timentes, ideo deseri non poterant, etiam in hac uita solatium recepturi, qui patienter domini manum post pietatis opera exacta tulerant, & domini dei sui circa se iudicia non blasphemauerant. Ilico cognouit filium uenientem, significante hoc ipso spiritu, angelico officio & beneficio consolata & pacificata animo cum marito: ideo tota nunc cõuersa, gratiosa facta, omnia bene loquitur ad uirum & amanter, illum quoq; consolando idoneis uerbis. Cucurrit statim sui gaudij participem cupiens maritum, & sine dilatione. Ecce, inquit, tuus filius nunc uenit, iam uidi uenientem per uiam, bono sis animo, statim aderit quem cupimus.

6 Dixitq; Raphael ad Tobiam: At ubi introieris domũ tuam, statim adora dominũ deum tuum, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum & osculare eum, statimq; lini sup oculos eius ex felle isto piscis quod portas tecum.

Adhuc in itinere cõstitutus angelus, plenũ seruis dei gaudium & magnum uolẽs instruere, in præsenti quoq; sæculo mercedem pietati dignum concedere per dei clementiã, incipit docere filium quibus modis felix gaudiũ exordiatur. Statim ut domũ ingressus fueris paternam, post tã laboriosam peregrinationẽ, nõ obliuiscaris mox ex sæculari gaudio beneficij dei, sed in primis gratus & diligenter

Gratiarum actio deo reddenda.

diligenter cogita, non me, sed eum dominum deum tuum, cuius beneficio tanta bona consequutus es, quam non sine ministerio meo: nihil mihi debetur gratitudinis, qui feci quod debui, sed deo tuo mox omnium bonorum gratiam dicas, illum adora, illum cole, illi gratias age ante omnia, cuius in prosperis & aduersis semper habenda est ratio, ille semper cogitandus, cuius prouidentia omnia disponuntur, cui soli acceptа referenda sunt omnia bona, quibus fruimur in hoc mundo. Præmissa igitur gratiarum actione, intra domum iam ingressam nihil de sacrificijs præcipitur, nihil de uotis, dominum adorare iubetur, & tunc tandem accedere patrem, & osculo excipiendum se præbere patri cæco, sed ut potuit fieri de reditu dulcissimi filij gratulanti. Tunc ut plenum uir sanctus & dei amicus gaudium assequatur, & fidelis inueniatur bonus angelus, qui ipsum sanandum prædixerat, iubet protrahere partem fellis, & isto oblinire oculos parentis cæci, ut ilico uisum recipiat, siue id futurum sit uirtute naturali illius fellis, huic cæcitatis morbo à deo inditæ, siue angeli peculiari uirtute, certe opus domini erat, qui omnia agit in omnibus.

7 Scias enim quoniam mox aperientur oculi eius, & uidebit pater tuus lumen cœli, & in aspectu tuo gaudebit.

Mira dispensatio consilij angelici, qua noluit citius filium de tantis futuris bonis & gaudijs ineffabilibus consolari, & ab initio commonefacere, quo fuisset in tota uia alacrior. Sed discimus longanimitatem in calamitatibus uitæ, ut semper de dei benignitate nobis affutura huiusmodi exemplis consolemur, & si moram fecerit, non tamen abfuturam. Non, inquit, citius dixi quod dico, sed nunc primum scire te conuenit, quod non post prolixam medicinam & per acerbos dolores, sed mox ut oculos illius oblinieris hac materia, aperientur sine difficultate oculi patris tui, & abigetur tota illa tristitia, quam ab exordio sermonum eius mecum flebiliter conquerebatur cæcus, & ilico lumen illud gratissimum solis huius uidebit, & hilariter intuebitur non tantum lumen gratum oculis, sed in tuo quoq; aspectu maxime gaudebit. Quid uero ingenuo & pio iuueni gratius & plausibilius dici potuisset? Hoc unum beneficium cætera cuncta accepta illustrabat, & pleno gaudio reddebat felicissimum Tobiam.

Longanimitas discenda.

8 Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in uia, & quasi nuntius aduenies, blandimento suæ caudæ gaudebat.

Minutulum id quidem de cane, sed tamen ad gaudium pertinebat electorum dei, & ad felicitatis futuræ antesignanum nuntium. Faciebat dei instinctu canis officium suum. Docet animal irrationale homines fidem, & fidele obsequium seruulos, ne simus bestijs peiores, quæ agnoscunt beneficia, incumbunt officio, non gratis panem comedunt, hominibus seruiunt, idipsum iussæ à creatore suo ut homines deo seruiant, fidem perfecte seruant, uigilantia sua prosunt, tuentur charos, amant beneficos, hostes auersantur, & monent in tempore, subindicant imminentia mala, & blandiuntur cauda, cum lingua non possint: imò linguam quoque suam salubriter adhibent uulneratis, lachrymas emittunt, dum sese & suos digne uindicare non possunt, dum gratis sibi ingratitudo refertur. An non ista creaturarum miraculosa mysteria homini sunt æstimanda? Peregerat in uia officium diligenter, nunc memor domini & ædium, gratificaturus seni domino & matrifamiliæ fideli, præcurrit citius hospitibus, & euangelium quasi reportaturus gestit, domino omnia dirigente circa fideles suos, quibus omnia seruiunt ad bonum, ut ipsi seruiant optimo.

Canis officium & ingenium.

9 Quapropter exurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere, & data manu puero, occurrit obuiam filio suo, & suscipiens, osculatus est eum cum uxore sua, & cœperunt flere præ gaudio.

Quanto amarior erat timor præteritus ex absentia & periculis, tanto nũc effusius gaudet pater. Quia uero senserat iam gaudentem canem, & blandientem intelligens lætum canculum, nõ potuit sibi temperare, sed statim exurgens de loco suo, quamlibet cæcus conatur accedere & amplecti filium differentem accessum, & in aliqua parte domus dominum orantem, iuxta angeli monita, & gratias agentem, paucis quidem uerbis & breuibus, sed tota mente & deuotione. Interim pater distractus gaudio, nescius alicubi consistere, progredi quidem nititur, sed cæcus offendit pedibus, ut festinatio casum minitetur & impactionem. Quapropter apprehendens ex seruulis quempiam, occurrit filio obuiam lætus, & amplexibus suscipiens, ruit in oscula pater primum, deinde mater quoq;, pariter omnes flentes ex gaudio. Omnia agens in omnibus, & author bonorum: nomine & iussu domini dei sui angelus Raphael uidetur dissimulasse omnia, nihil quoq; egisse scribitur, nihil de ipsius susceptione honorifica adsignatur: pleni erant omnes gaudio, ueluti musto nouo feruentes, circa filium occupati. Eum tamen angelum Raphaelem citius quàm dominum deum cogitauerunt, & eius per quem omnia habebant tardius pro tantis affectibus sunt recordati: sed ut primum subitaneo gaudio satisfactum est, mox resipiscentes omnes simul, pariter dominum à quo omnia bona agnoscentes glorificant.

Oratio redeuntium de uia.

10 Cumq; adorassent deum, & gratias egissent, consederunt.

Ante omnia glorificandus semper est dominus, & quæcunq; beneficia deo soli attribuẽda sunt, qui & solus est adorandus, hoc est gratiæ agendæ ei sunt uerbis & ceremonijs, ex fidei feruore proficiscentibus. Orandus quoque ut prospera quæ occurrunt auspicata quoque sint atque permaneant, & ut gaudium quod de illis suscipitur syncerum sit & honestum, & non nimis effusum, ut bene utamur prosperis, ne ingratitudinis & insolentiæ culpa repente resoluantur uel finiantur aduersis. In diebus enim gaudij non sunt omnino tristia excludenda, facilis est lapsus, & uolubilis rota fortunæ: quin & nunquam uiciniores periculo sumus, quàm quando sine timore dei fruimur nimium effuse prospe-

Regula in gaudijs.

vis. Potius semper cogitandus est dominus, cuius solius munere uenit, ut de suis donis gratulari possimus. Curandum est igitur, ne beneficum patrem insolentes filij offendamus. Post gratias deo dictas fidelium more de perceptis dei beneficijs tunc consedendum est, & plenus de susceptis auxilijs & beneficijs disputandum.

11 Tunc sumens Tobias de felle piscis, linuit oculos patris sui, & sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oui egredi, quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis eius, statimq; uisum recepit.

Post redditas deo gratias de præteritis beneficijs, statim nouum & grandius consequuntur beneficio angeli quem ignorabant. Illa uero linitio oculorum ex felle piscis, naturaliter quidem hoc genus cæcitatis potuit amouisse, sed & angelicum opus esse potuit, qui longe maiora possit domino iubente. Verum diuinæ potentiæ & bonitatis opus æstimetur, ut est, à quo omne bonum, qui suam prouidentiam extendit ad omnia, cui omnia seruiunt, in cuius potentiali obedientia, ut loquuntur theologi, sunt omnia. Quod uero dimidiam sustinuisse horam nunc dicitur, prius dictum fuerat mox futurum, sed longum tempus non est horæ dimidiæ dilatio tanto morbo, tam grandi defectui cæcitatis. Pelliculam aut membranam instar albuginis ex ouo protraxit, hæc medicina ab angelo ostensa. Vtrunq; autem albugo dicitur, & oui album, & macula oculi: hic uero aliud fuisse, & ueluti membrana, quod eductum est ex oculo, uidetur. Quod uero tunc reliquum erat, extractio materiæ uisum impedientis ex oculo, Tobias filius angeli instinctu exequitur, ut uisus subsequatur. Vtitur dominus ministerio creaturarum ad sua miracula, quas ad hoc ipsum produxit & ordinat, qui solo uerbo curat uniuersa, ut ex creaturis nos opificem indagemus, & dei mirabilia collaudemus, dominum ueneremur, qui propter nos condidit omnia, dominus uniuersorum.

Cæci illuminatio.

12 Et glorificabant deum, ipse uidelicet & uxor eius, & omnes qui sciebant eum.

Non mirum est si exuberant dei circa fideles beneficia, qui domino deo suo ad bona singula statim gratias dicunt & agunt, nihilq; aliud habent in animo, quàm ut domino probentur, à quo sibi bene fieri sentiunt, qui non ab alijs quibuscunque creaturis hærere didicerunt, sed sciunt se omnia bona desursum suscipere, ab omnipotente & benefico deo, qui nihil eorum odit quæ condidit, quem in omnibus glorificandum sciunt. Tales erant Tobias & uxor eius, quanquam homines & imperfecti, non tamen idololatræ erant, sed unius dei deuotissimi cultores, per quos etiam uicini & noti, id est, proxime uiuentes & familiares, ad dei cultum adducebantur, propter quod & propter peccata sua exilium ferre meruerunt, sed ad dei gloriam omnia tendebant.

Gratis hominibus omnia à deo bona.

13 Dicebatq; Tobias: Benedico te domine deus Israel, quoniam tu castigasti me, & tu saluasti me. Et ecce ego uideo Tobiam filium meum.

Pro beneficio receptæ uisionis iamdudum perditæ, digne sanctorum more domino gratias agit sanctus Tobias, intelligens se pro peccatis castigatum, & humiliatum hac pœna, denuo per dei misericordiam sine suis meritis saluatum. Quem alium deum nescit præter eum qui est deus Israel, Isaac & Abraam, qui percutit & sanat, occidit & uiuificat, qui solus sit colendus & adorandus ab omni creatura. In primis autem dei tantam gratiam prædicat, qua filium suum unigenitum nunc uidere potest, quem hactenus aliquanto tempore cæcus ex auditu tantum noscebat, & perpetuo non fuerat intuiturus, nisi dei beneficio illuminatus.

14 Ingressa est etiam post septem dies Sara, uxor filij eius, & omnis familia, & pecora sana & cameli, & pecunia multa uxoris, sed et alia pecunia quã receperat à Gabelo.

Vt nulla consueuit irruere calamitas sola, sic quoq; beatorum deo fidelium hominum felicitas subinde semel cœpta augetur, & ex uno semper beneficio cum gratiarum actione suscepto prodeunt plura. Ad hæc fortassis de omnibus simul & subito nihil dixisse leguntur, ut gaudium semper succedẽs gaudio, noua uirum sanctum lætitia afficeret. Ideo post septẽ dies, quos angelus cum Tobia sua festinantia præoccupauerãt, superuenit uxor iunioris Tobiæ Sara, cum multo famulitio seruorum et ancillarum, & ad eorundem curam & nutrimentum totius familiæ pecora multa subingredientibãtur, tanto itinere deducta, tanta fide & gratia dei circa suos, ut nullum ex tot pecoribus fragile & non sanum adfuerit, non paruo miraculo, continuis uigintiduobus diebus ad minus continuo deductis tot animalibus. Cameli aderant ad onera personarum, & suppellectilis plurimi, et pro adferenda multa pecunia, quæ singula bene iuuant ad feliciorem statum, si cum domini timore possideãtur, & dispensentur pro singulorum necessario usu & honesto, ut decet sanctos patres.

15 Et narrauit parentibus suis omnia beneficia dei, quæ circa eum fecisset per hominem qui eum duxerat.

Iam tunc omnibus acceptis cum gratiarum actione beneficijs, filius Tobias narrare parentibus incipit historiam itinerarij sui, & quanta ubiq; & semper beneficia à deo acceperit, ministerio illius Azariæ filij Hananiæ magni, ut putabat, hominis felicis & fidelissimi. Totum autem deo tribuere didicerat ab angelo, nihil angelo, sed deo referendo acceptum. Id nobis discendum & cogitandum semper, ut nihil nobis, domino omnia tribuamus.

16 Veneruntq; Achior & Nabath consobrini Tobiæ, gaudẽtes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis quæ circa illum oftenderat deus: & per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauisi sunt.

Turpe quidem dictu, sed si modo uera fatemur, Vul-

gus

gus amicitias utilitate probat. Donec eris felix multos numerabis amicos, Tempora si fuerint nubila solus eris. Sic prioribus iam lapsis calamitatis temporibus nullus nominatus uel lectus est amicus, sed manuũ labore uxor Anna maritum & filium educare cogebatur. Non erat ex amicis quem pro pecunia repetenda mitteret, peri clitari unicum oportebat filium. Nunc cum gaudendum conuiuijs est, quãlibet multis diebus adesse possunt ami ci. Verum congratulantur fidelibus, & pariter confi tentur, gratia dei omnia acta, cui & gratias agunt. Die bus autem septem ferias sibi statuunt ad gaudẽdum, non quod continuis diebus epulentur ad luxum, sed tot die bus gratulentur ad inexpectatam à domino concessam felicitatem. Istis conformia dixit Ecclesiasticus capite se xto: Est amicus secundum tempus, & non permanebit in tempore tribulationis: Est item amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Amicus autem fi delis fortis protectio, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio.

mici in osperis.

CAPVT XII.

1 Vnc uocauit ad se Tobias filiũ suũ, dixitq; ei: Quid possumus dare uiro isti sancto, qui uenit tecum?

Promiserat à principio Tobias Azariæ mercedem dignam se daturum, si saluum filium duceret et reduce ret, nunc uero territus magnitudine tantorum bene ficiorum, quæ contulerat in filium, cernensq; ex omni bus dictis & factis, quæ à filio pater iam audierat, ma gnam uiri sanctimoniam & dexteritatem, solicitus de digna mercede cœpit sermonem de eodem habere cum filio, ne quid indignũ committerent in uirum. Quid, in quit, possumus dare? Quasi diceret, Non est in facultate nostra compensare donis nostris quibuscunq; tanta in nos beneficia sua.

2 Respondens Tobias dixit patri suo: Pa ter, quã mercedẽ dabimus ei? aut quid di gnũ poterit esse beneficijs eius? Me duxit & reduxit sanũ, pecuniam à Gabelo ipse re cepit, uxorẽ ipse me habere fecit, & dæmo niũ ab ea ipse cõpescuit, gaudiũ parẽtibus eius fecit, meipsum à deuoratione piscis e ripuit, te quoq; fecit uidere lumẽ cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc dignum poterimus dare?

Nihil interim legimus angelum sua in Tobiam bene ficia commemorasse, agit bonum omnibus quod potest, nihil iactat, nec laboris & diligentiæ præmium exigit. Sed prudentiæ erat & probitatis & fidei, de remune randis beneficijs sermonem miscere patrem cum filio. Beneficia Raphaelis. Respondet autem prudenter & dextre honestus & sa piens filius, cum laude per singula recitans angeli be neficia, & ea tanta pronunciat, ut nihil dignum illis rependi possit ab aliquo. Primum me duxit ad locum ubi fortunæ meæ initium reperi, omnium bonorum quæ

nunc possideo. Reduxit secundo me ad patriam, ubi in columis sanos parentes inueni. Tertio negotium pro pter quod miseras ipse dextre peregit, pecuniæ talenta integra retulit. Quarto uxorem mihi dignam & san ctam prouidit, & eam quæ diuina mihi ex lege debeba tur, funestissimum illud dæmonium sua sanctitate com pescuit, eliminauit & profligauit. Deniq; quinto gau dium socero et socrui meæ ingens peperit, de incolumi tate mea et filiæ suæ. Sexto me quoq; à deuoratione pi scis in Tygride præseruauit. Nunc quoq; septimo te ui dere fecit insigni beneficio. Et tandem octauo tantis me opibus repleuit, ut mihi & tibi sufficiant, quo ad uixe rimus. Nos igitur omnia rependenda gratia inferiores illi esse fateri cogimur.

3 Sed peto te pater mi, ut roges eum, si for tè dignabitur medietatẽ de omnibus quæ allata sunt tibi assumere.

Intelligebat prudẽs iuuenis sibi parentibus & fami liæ tantæ necessariam esse mediam possessionis tantæ portionem. Ideo uolens residuam partem, ut tanto uiro dignam, impendere præmium aliqua ex parte respon dens, rogat patrem, ut intercedat ad eundẽ, ut boni con sulat tantundem mercedis pro immensis beneficijs. Sic decet magnificare beneficia eos qui susceperunt. Vehe menter trepidabat bonus filius, et tanti æstimauerat sin gula beneficia, ne aliquo pacto uel parte aliqua ingra tior deprehenderetur, ad tam insignem amicum. Ma gnam habẽt iacturam sapientes, si ingrati inueniantur, semperq; rependendo effluere cupiunt quàm accipien do. Contra uero, ignaui & futiles, toti semper sunt in ac cipiendo, qui nulli quicquam debere existimant, quic quid uero accipiunt iure sibi putant deberi. Beneficia agnoscẽda.

4 Et uocantes eum, pater scilicet & filius, tulerunt eum in partem, & rogare cœpe runt, ut dignaretur dimidiam partem om nium quæ attulerant acceptam habere.

Statim filij grati iudicio & consilio pater senex & minime auarus consensit, qui ab infantia didicerat largi tatẽ, & liberaliter rependere officia accepta, semperq; maluisset excedere dando quàm accipiendo. Delecta batur quoq; in simillimo sibi ingenio filij, qui iam simi liter didicissent abundare, et quæstum maximum existi mare pietatem cum sufficientia, quã sibi ex habitis non ex accipiendis æstimabat. Cogitabat iam tunc statim, non quantum habere posset, sed quibus carere uellet. Mediam partem cogitabat indignam tantis beneficijs. Ideo pater quoque consentiens, rogabat seorsum per tracto ad partem, ut tantundem recipere dignaretur, id est boni cõsuleret omnium medietatem. Et id cum ue recũdia loqui tentabant, ut rem nõ satis se dignã. Nõ po test fieri, ut tali ingenio præditi, si tamẽ otiosi nõ sint et criminosi, ut nõ sufficientiã inueniãt rerum accõmoda rum suis usibus honestis donec uixerint. Auaris autem deest tam quod habent quàm quod non habent. Semper prompti sunt corradẽdo: quicquid mercedis dare debẽt nimium arbitrantur, quod uero suscipiunt, hoc nullo ho norum respectu largiri dignantur. Amor diuinæ legis ta Diuites & felices.

les Tobias id est beneficos nutrit, & nullis patitur uel facit carere commoditatibus.

5 Tunc dixit eis occulte: Benedicite deum cœli, & coram omnibus uiuentibus confitemini ei, quia fecit uobiscum miseri cordiam suam.

Colẽdi quo modo sint angeli.

Aliud præmium beatus angelus non optat uel suscipit, pro omni ministerio, quo domino deo creatori & domino suo fidelissime seruit, quàm id unicum, ut fideles & electi, ad quorum mittitur obsequium, dominum deum suum sanctificent, ut proficiant in fide spe & charitate in deum, ut intelligant & gratulentur sibi omnia bona non aliunde contingere & donari, quàm à misericordia & gratia dei, cui soli confiteantur bonitatis suæ beneficia gratuita, non sua quæcunque iactent merita. Cui tamen per omnia obedire cupiant & annitantur pro uiribus, fidem ex uerbis dei discendo humiliter, & charitatem exercendo ad proximos, idq; ad gloriam dei referendo, & si quid in his peccatur ab ipsis, pro eo dei clementiam implorando. Hoc solum à nobis optant angeli nostri, hæc ipsorum merces. Nos quoque si ueri ministri dei summi esse contendimus, & angelicam uitam inter homines agere desideramus, studium teneamus proficiendi electis, ad ipsorum profectum, in fide & moribus, inq; illud cunctos uirium nostrarum neruos intendere uelimus, non in his nostram sed dei solius gloriam intendendo, ad cuius honorem amplificandum conditi sumus, à quo gratiæ suæ munera in hac uita abundanter recipiemus, & in futuro maiora.

6 Etenim sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem dei reuelare & confiteri honorificum est.

Secreta quatenus conseruanda.

Consueuerunt ut debent fideles quiq; seruuli, regum terrenorum consilia & quæcunq; secreta dominorum suorum fidelissime secreta tenere & abscondere, nihil quod uel prodesse possit uel obesse detegere, dum illis secreto abscondenda commendantur à dominis. Nõ enim tutò regere possunt, & salubriter populos multos gubernare reges, nisi secreta sua consilia cõtegant, ut non passim reuelentur. Magnifica autem dei opera, quæ pertinent ad dei gloriam agnoscendam, ad augendum fiduciam hominum ad gratiam & bonitatem dei, ut multi deum nosce, amare, colere, reuereri & sanctificare discant, non expedit abscondere: sed potius honorificum & laudabile est reuelare omnia omnibus, & confiteri misericordiam suam, quam fecit uobiscum multifariam. Quandoquidem ad hoc uos Israelitæ uolentes nolentes dispersi per mundum, domino deo uero nunc seruire cogimini, ut inter gentes idololatras exules, ut multorum falsorum deorum cultores, uerbo & facto doceatis unius solius dei immensam bonitatem, quam paratus est ostendere omnibus pijs hominibus, ipsum agnoscentibus & colentibus. Quo tandem præparetur mundus ad suscipiendum euangelium salutis per Christum, qui promissus est mundo, ut sit benedictio omnium gentium futurus, & expectatio non fallenda. Hæc ergo uobis facta

à deo magnalia, nolite abscondere, sed ad laudẽ dei quibus potestis omnibus prædicate. Hoc tamen saluo ne sanctum detur canibus, et margaritæ non proijciantur porcis. Vbi enim nulla speratur dei laudatio, ubi fides in deum nulla suscipitur, sed magis obstinatio contemptus et contumelia uerbi dei, ibi præstat tacuisse, & dei gloriã indignis non exponere ludibrio, sed sanctificandum tantum pijs proponere.

7 Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.

Intelligitis, ait angelus, ô uos amici dei, quid uobis profuerit oratio, quando in angustijs uestris non ad alios gentium deos recurristis, sed ad solum dominum deum uestrum, idq; per deuotam & dignam orationem, non quidem multorum uerborum & sententiarum coloribus dispositam, sed affectu fide & desiderio gloriæ diuinæ, & salutis animarum prolatam. Huiusmodi orationes dei clementia non solum exaudit, sed multo plura præstat quàm fideles sibi audeant postulare, uel possint sperare. Huius rei uos omnes nunc testes estis, quarũ orationibus actũ est, ut hæc uobis cuncta felicia contigerint, quæ uestrum nullus potuisset sperasse. Ieiunium quoq; bonum est, abstinentia scilicet à superfluo cibo, qui mentis exercitia sancta impedire possit, contemplationẽ uidelicet mysteriorũ et uolũtatis dei, uerbi dei studiũ, suspiria spiritus pro reformatione malorum, quæ uigere uidentur in mundo, ardentem orationem pro gloria dei sanctificanda, pro conuertẽdis peccatoribus, pro consolatione angustiatorũ in conscientijs. Quæ omnia pleno uentre & uino obnubilato cerebro, locum non habent. Venter autem quo distendatur cibo non interest, siue fabæ, lentes, pisces, carnes, aut radices id agant. Non est de ratione ieiunij, quo quis cibi genere satisfaciat gulæ uel detrahat, sed quantum sumat. Parum cibi sumere, est ieiunare, quod deo placeat, detrahere fomenta libidini, stomachum non onerare cibis & potibus, sed cibis qui opportune haberi possunt cum parsimonia uti, ut non grauentur corda & mentes crapula uel ebrietate iuxta scripturam. Carnem autem edere non ad crapulam, sed ad necessitatem naturæ, nõ est ieiunio detraxisse: Fabas & lentes, confectiones uarias, & species aromaticas, sine carnibus, præter parsimoniã edere, est ieiunium præterisse. In summa, ieiuniũ sanctorum est parsimoniam obseruasse in omni ciborum genere, à uino forti uel multo abstinuisse, non tam ad corporis castigationem pertinens, quàm ad spiritus eleuationem in deum, ad ea quæ dei sunt cogitanda et perficienda. Huiusmodi autẽ ieiunium perpetuũ sit oportet, nullo non tempore aptum. Multo magis autẽ temporibus istis, cũ ex ordine diuino uel ecclesiastico, orationi & auditioni uerbi diuini est insistendum, & sanctis alijs operibus proximis seruiendum in spiritualibus. Stultum est ergo uigilias solennitatũ etiã legitime ieiunasse, festo autem die crapulæ indulgere & potibus nimium delicatis, & ad gulam irritandam aptatis cibis, quod nunquam licet sanctis. Non est igitur tempori alliganda oratio, sed spiritui

rîtui & neceſsitati rerum. Sic ieiunium ſemper decet pios, abſtinentia ab omni crapula & ebrietate, quocunq; tandem ciborum genere ad neceſsitatem ſtomachus contentetur, dum interim nullo unquam tempore uel modo diſtendatur ad accidiam. Melior quoq; eleemoſyna eſt munus indigenti ex compaſsione donatum propter amorem dei, ut ipſe quoq; nobis miſereatur, quàm opes repoſuiſſe in theſauros. Eleemoſynam enim claudere in corde pauperis, eſt eam exorare deum, ut ab omni malo pius præſeruetur. Eccleſiaſtici uiceſimonono, & Prouerbiorum decimo: Non proderũt theſauri impietatis, iuſtitia uero à morte liberabit. Et Ezechiel: Argentum & aurum eorum non ualebunt eos liberare in die furoris domini. Ideo conſequenter dicit.

8 **Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & uitam æternam.**

Experientia didiciſtis ô Tobia et Sara, placuiſſe tantopere ueſtras eleemoſynas domino deo, ut toties de morte periclitatos ſua uos miſericordia eripuerit, et in medio magnarũ tentationũ uobis auxilio ſuo aſtiterit. Quanquam uero ſancti quoq; non careant peccatis, do nec ſpiritus contra carnem & caro contra ſpiritũ bella geſſerint, et in carne hac mortali peregrinamur à domino: boni tamen deus conſulit delicta ipſorum, ſi ex fide & charitate proximis ſeruire per eleemoſynas corporales aut ſpirituales ſtuduerint. Beatos enim pronuntiat ueritas miſericordes, quoniã miſericordiam conſequentur. Peccata aũt purgari aliud nõ eſt, quàm nõ imputari ad mortem, & participes fieri electos meritis unius ſacrificij, quo Chriſtus mundi peccata tulit. Habet quoq; huiuſmodi pietas & eleemoſyna promiſsionem felicitatis & uitæ, non modo in præſenti ſæculo, ſed multo magis etiam in futuro.

9 **Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hoſtes ſunt animæ.**

Qui offendunt dominum illius bonitatẽ contemptui habendo, & fidem ex conſcientia extirpando, hij odiunt eatenus ſuam animam, ut odium dei æternum ſuſtinere cogantur. Et iniquitatem in proximos contra charitatem exercentes, hij merebuntur iudicium domini, in ſuppliciũ æternum deſtinandi. Quod enim minimis dei fidelibus exhibetur contra æquitatem & miſericordiã, id ſibi iudex factum exiſtimabit. Talem ſe homini deus præſtabit, qualem ſe homo ſuis fidelibus.

10 **Manifeſto ergo uobis ueritatem, & nõ abſcondam à uobis ſermonem occultum: Quando orabas cum lachrymis, et ſepelie bas mortuos, & derelinquebas prandiũ tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, ego obtuli orationem tuam domino.**

Quandoquidem miniſter ego ſum, non regis in hoc mundo, uel Monarchæ terreſtris, ſed mundi totius opifi cis, moderatoris et regis, dei optimi maximi, ut quod ad ſui nominis honorem pertinet, & ueſtram ſalutem, qui ex electis eſtis rei peractæ ueritatem & myſterium cir-

ca uos dei non abſcondam, ſed ad illius gloriam & ueſtram conſolationem, ad multorum exemplum uobis manifeſtabo. Sic autẽ habet negotium. Filiorum Iſrael peccata plurima, grauia, & contra domini uoluntatem, pius Tobias iugiter planxerat, Apoſtolico enim more cũ infirmantibus infirmabatur, cum oppreſsis opprimebatur, ſi quem peccare uidebat, zelo amaro & duro urgebatur, cum ſcandalum patientibus urebatur, & totus clementia plenus, fratribus ipſis cõdolebat calamitoſis, proq; exulibus cum lachrymis deum iugiter interpellabat, non aliam ob cauſam, quàm quod gloriam zelabat diuinam, & iuſtitiam fidei cum ſuis fructibus uehementer cupiebat in fratribus: hoc domino non potuit non placere, denuq; benignitatis & commiſerationis opus, inſubtrahendis pro fide occiſorum ſanctis corporibus, ab impiorum ludibrio, ut ſepulturæ traderet, pietatis officium ultimum, domino probatur & angelis. Quando prætulit exercitiũ charitatis delitijs cibi et potus atque mundanis gaudijs, ex fide & charitate, domino deo gratum offerebatur orationis incenſum. Dũ, inquit, hæc & ſimilia per dei gratiam inuitatus agebat, ego qui tibi tuiſq; conſortibus deſtinatus miniſter eram, nõ poteram non gaudere, de officio meo bene collocato, & diuinæ bonitatis gratiã apud huiuſmodi electos commendare domino, cui alioqui nihil obſcurũ eſt atq; incognitũ. Nõ enim aliud eſt angelos fideliũ miniſtros domino orationes offerre, quàm de profectu ſui miniſterij gaudere, fructum pietatis aſpicere, & nomen domini ſanctificari uelle per electos. Alioqui in omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos. Et nihil abſconditum eſſe poteſt ab eo qui omnia implet, cuius tamẽ opera uult fieri miniſterio angelorum, quos condidit ad miniſtrandum ſibi, prout uoluit, quorum actiones ſentiunt homines, quidam familiarius quidam rarius. Quandoquidẽ tanta ſuperiorum locorum aëris, ignis, & ſphærarum uaſtitas, ſine creaturis rationabilibus & omnino otioſa eſſe non poteſt, quando tam admiranda uidemus in infimis, de quibus tamen poſt hanc uitam clarius inſtruemur. Erimus enim, dicente Chriſto, poſt hãc uitam ſicut angeli dei, quorum miniſterio dominus ſua ſic peragit, ut ſit ipſa prima omnium cauſa, ſicut & in terreſtribus per homines agit ſua opera, ad ſuum inſtitutum. De quibus tamen ſpiritualibus creaturis, & cœleſtem materiam participantibus, lex et prophetæ pauca memorãt, quod eorũdem notitia nõ adeo referat homines, qui quid agere debeãt diſcunt ex lege, quæ damnat inobedientes, & obſeruatoribus ingentia dona promittit.

Tobiæ apoſtolica pietas.

Angeli quo modo miniſtrant deo & hominibus.

11 **Et quia acceptus eras deo, neceſſe fuit ut tentatio probaret te.**

Ex fidelibus & electis à deo cum eſſes, & ad uitam prædeſtinatus æternam, & ut filius illi dilectus, ideo neceſſe erat te tentari. Corrigit enim omnem quem diligit filium, Prouerbiorum tertio. Quem diligit dominus corrigit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. Et Eccleſiaſtici tertio: Fili accedens ad ſeruitutem dei, præpara animam tuam ad tentationẽ. Et Iacobus: Beatus uir qui ſuffert tentationem, quoniã cum probatus fuerit &c.

Necesse est ergo sanctos probari, hoc est à deo sic est ordinatum tanquam utile, ut sancti tentationibus erudiantur ad salutem suam, & alijs in exemplum, ut gratiam dei ampliorem concelebrent. Acceptus autem fuisse dicitur, non ob merita operum, sed per electionem, uerum non sine operibus sanctis.

12 Et nũc misit me dominus, ut curarẽ te, & Saram uxorem filij tui à dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphael angelus, unus ex septem qui astamus ante deum.

Propter bonitatem suam & electionis gratiam, quã dominus prosequitur te & tuos, propterq; orationes, ieiunium, et eleemosynas, quia præposuisti charitatis officia cibo cuicunq; & potui, etiam fauoribus regis & amicorum: ideo misit me deus omnipotens, dominus exercituum, ut medicus fierem cæcitatis tuæ & nurus tuæ Saræ, quæ dæmonio crudeli affligebatur in uiris suis, quorum consequenter septem occiderat, sine ipsius culpa: Propter quod curationis & medicinæ ministeriũ, nomen istud in supernis consecutus sum, ubi iuxta singula ministeria & officia, singuli suas accipiunt cognominationes, ut Raphael appeller, quod interpretatũ ualet medicina dei. Sicut & angelus missus ad Esaiam, ad calculo igneo mundandũ labia prophetæ, Seraph dicebatur, ab ardore & flagratione: & Gabriel fortitudo dei. Vnus quoque dicitur ex septem, qui astant, iuxta illud quod in Apocalypsi dicitur: Et à septem spiritibus qui in conspectu throni eius stant. Septenarius numerus Hebræis est uniuersalis & innumerabilis: quasi dicatur, Multi ualde, ob multas rationes quæ septenarius comprehendit. Astare quoque hic non sumitur proprie pro immobiliter deo sic astãtibus, ut nunquam loco mouean tur, cum omnes sint ministeriales angeli, qui nihil agant nisi pro uoluntate dei, cui nunquam desunt, sed studio perpetuo semper inseruiunt, ad iussum uotumq; parati diuinum, cuius gloriam nunquam non aspiciunt, inter homines quoque conuersantes, cum ubiq; per suam immensitatem sit dominus, & in omnibus, cuius uisione et fruitione beati sunt semper: cui in Daniele dicuntur hoc modo astare deo decies millies centena millia, hoc est definitus numerus pro incerto. Sic hic quoque septem deo angeli astare dicuntur. De angelorum autem naturis, uirtutibus, distinctionibus, ordinibus, officijs, nominibus, multi multa scripserunt, ipsi uiderint quo spiritu, quàm solida, certa, & quibus scripturarum Canonicarum fundamentis probent & conuincant tam indubitata esse, quàm uideri uolunt probasse & docuisse in ecclesia.

Raphael medicus.

Angelos astare deo.

13 Cumq; hæc audissent: turbati sunt & trementes ceciderunt in terram super faciem suam.

Sic frequenter legimus ad apparitionem manifestam angelorum homines perturbatos, atq; cõterritos tremuisse, non autem antequam angeli esse cognoscerentur, ut patet de terribili uultu angelico, Iudicum decimotertio. Terribilem quoq; propter angelos locum esse dicebat Iacob patriarcha, Geneseos uicesimooctauo. Hic uero cecidisse per terrorẽ scribuntur. Verũ semper huiusmodi turbationem subsequitur consolatio in scripturis ueteribus, unde & hic statim subiungitur.

14 Dixitq; eis angelus: Pax uobis, nolite timere. Etenim cum essem uobiscũ, per uoluntatẽ dei eram: ipsum benedicite et cantate illi.

Visi sunt simul plurimũ territi, ut subsistere pedibus nõ potuerint, et simul dei nunciũ intelligentes, proni in facies lapsi, ipsum adorare uolebant, & gratias agere cum laudibus. Vtriq; occurrit pijssimus angelus, primũ promittens salutem illis & nihil male passuros, sed omne bonum post hac ut hactenus experturos, suo ministerio et diuina gratia illis præsente. Deinde non se dominum testatur & authorem bonorum tantorum, sed solum ministrum & seruum altissimi, cuius iussu aliquandiu cum illis fuerit, & iuxta illius uoluntatem omnia peregerit, cui soli debeatur honor, gloria, gratiarumactio, adoratio & benedictio, quæ fiunt uerbis, orationibus, inuocationibus, canticis, quæ soli sunt domino deferenda.

15 Videbar quidem uobiscum manducare & bibere, sed ego utor cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus uideri non potest.

Facile poterat se angelus fingere hominẽ, cuius personam circumferebat, & ex consequenti cibum & potum sumere, traijcere & masticare: imò si uoluisset alia quoque nonnulla agere angelus sua uirtute facile poterat, & hominum aspectui, quod non erat, imponere, sine aliquo peccato, quando in talibus domino obediens seruiebat. Cibus autem uerus angelorum & potus est, impletio uoluntatis diuinæ, sicut Christus dicebat, et iuxta prophetam: Panem angelorum manducauit homo, fruitio scilicet bonitatis et clementiæ diuinæ. Quoniam impensissime deum amantes suum creatorem, nihil dulcius & gratius ducunt, quàm domini dei sui gratiam & beneuolentiam, & obedientiæ cuiuscumq; iniunctæ adimpletionem, gratulationem maximam de profectu gloriæ dei, & salutis animarum. Huiusmodi cibo reficiuntur angeli, qui alioqui corpus ut immateriale habent & incorruptibile, sic cibo corporeo & materiali non indigent. Eiusmodi generis est animæ fidelis cibus, credere, amare, frui, memorari, gaudere, & gratias ex intimis agere, domino deo per Christum saluatorem. Alioqui spiritualis substantia, angelis similis, ut est anima humana, nec in præsenti uita nec in futura indiget refectione aliqua quomodocunq; corporea. Nec ad hunc modum de cibo animarum sanctarum Christus loquitur, carnem suam tradens in cibum, et sanguinem in potum: sed ut ipse seipsum multis declarat Ioannis sexto, ut clarius dicere ea de re non potuerit, quomodo & amplius dixit de manna Israelitarũ, et cõsequẽte eos Petra, secũdum quod id multis in locis explicat Augustinus catholicissimus. Is aũt loquẽdi modus, quo Christus locutus est, apostolus et pphetæ, cũ Augustino, itelligi clare potest, uerbis simplicibus proponi et pſuaderi ecclesiæ, ut certo credi possit. Scholasticus aũt is modus loquẽdi, imò magis

magis Parisiensis de hoc articulo, si tamẽ articulus est si dei necessariæ, & aliorum, qui corpus adesse cum pane uel in pane contendunt corporaliter et substantialiter, ne ab ipsis quidẽ qui sic loqui homines cogunt, intelligi potest, nec alicui persuaderi, nisi ad nostram sententiam declaretur. Nos clare prædicamus, eo modo animæ fideli in cœna manducari & cibum esse Christi corpus & sanguinem, quo modo anima fidelis illud desiderare potest, & capere, quo modo illi utile est, & gratũ, quo modo uere cibat uiuificatq; animam, & fidem fouet, et gratiarum actionis admonet, quæ sola est uere Christianorum sacrificium, unde et Eucharistia dicitur. Sic hoc mysterium intellexerũt omnes ueteres, ut claret ex Augustino, et alijs, quos secuti sunt secura fide posteriores, Rhabanus ut patet in libro de Institutione clericorum, & Bertramus nuper æditus, cui per omnia subscribimus, Philippusq; Melan. in Cathechismo suo.

cœna cristum manducari.

16 Tempus est ergo ut reuertar ad eum qui me misit, uos autem benedicite deum, & enarrate omnia mirabilia eius.

Hanc reuersionem angeli ad deum aliam non intelligamus, quàm depositionem formæ eius, in qua illis apparuerat, ad quorum consolationem ipsam assumpserat, in gratiam electorum: alioqui semper creatoris sui essentiam & bonitatem intelligunt, et intuentur nusquam absentem, omnia penetrantem, omnia sustentantem. Is tunc mittit angelos, quando iubet agere quæ ipse uult fieri per ministros, ad suam gloriam, quæ non aliunde clarius illucescit, quàm si electi & fideles homines dei magnalia uideant, agnoscant, admirentur, glorificẽt, ad multorum fidem excitandam, & ad profectum saluandorum, ad gloriam dei, & ad maiestatem regni cœlorũ. Vnde quod angelus hic Raphael maxime uoluit, hoc ultimo inculcauit ut arctius audientiũ animis imprimeretur, nẽpe ut mirabilia dei opera circa hos electos enarrentur per omnia sæcula, ut discant fideles confidere in domino, obedire legi diuinæ, inuocare gratiam dei in omnibus, & de beneficijs domini gratuitis collaudare dominum deum cœli.

ngelum deum re- rti.

17 Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorũ ablatus est, & ultra eum uidere nõ potuerũt.

Iam perfecta legatione, corpore resoluto in elementa, ex quibus angelica uirtus illud compegerat, spiritus angelicus suo loco definitiue constitit pro domini uoluntate, & corporeis simul accidentibus, coloribus, & lucis participatione uideri humano oculo non potuit, quanquam suos oculos habeant tam angeli quàm animæ separatæ, longe clariores caducis nostris oculis.

18 Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

Permoti sunt terrore, admiratione, studio gratificandi, timore illusionis, ne quæ acta essent in somnijs contigisse uideri possint. Benedixerunt quidem deum, sed tamẽ quæ acta fuerant omnia cũ admeratione ruminabãt, magnifica sanè circa se Dei opera: illuminationem patris, quæ recentior erat Dei gratia, dispositionem feli-

cem circa nuptias filij, dæmonij uictoriam, & profligationem, simulq; omnem affluentiam temporalium, per quam iam ad exemplum patris filius quoq; beneficentiæ multæ pauperibus exhibendæ materiam amplissimam fuerat consecutus. Vnde quæ iam circa se deus egerat, ad Dei honorem omnia narrabant, & proximos quosq; & remotos Israelitarum fratres ad dei cultum & ad reuerentiam exhortabantur cum diligentia.

CAPVT XIII.

1 APeriẽs autem Tobias senior os suum, benedixit dominum & dixit:

Plures fuisse pijssimos uiros in captiuitate Israelitarum, satis constat ex hoc & alijs libris sacris, per quos dei summi gloria illuxit gentibus cum tempore. Hic uero Tobias tota uita religiosus & Deo placens, mirum non est, si spiritu prophetico donatus est ad horam uel diutius, quo non solum pro beneficijs diuinis gratias ageret, sed & futura quædam prædiceret, non solum citius euentura, sed etiam pro temporibus & mysterijs Christi, quæ sancti omnes in illa gente ex lege & prophetis futura credebant. Quædam inseruit spiritu prophetico, dudum quoq; prædicta, & suis istis temporibus, ab Esaia quoq; & posterioribus multis. Hoc ipso uero sanctior hic Tobias uidetur ipso Mardocheo, quod pro tantis dei circa suam personam beneficijs, laudes cecinit gratulatorias, & in affectu commemorandi dei beneficia, spiritum quoq; futura dei dona prædicendi accepit satis clare. Qui hic dicitur aperuisse os suum, et dominũ pro tantis beneficijs benedixisse hoc modo. Tobias propheta.

2 Magnus es domine inæternũ, & in omnia sæcula regnum tuum.

Omnipotens est potestas tua, ò deus, & ubiq; diffusa per uniuersum sæculum istud: in omnem terram diffundis agnitionem bonitatis tuæ: non tantum in Iudæa uel Israel innotescens, sed omnia reples, quæ cœli ambitu continẽtur. Id uero es & ages semper, per omne æuum, sine fine, apud omnes creaturas. Ostendis enim regnum tuum propagari per omnia, posse te in omnibus rebus & temporibus quicquid uolueris.

3 Quoniam tu flagellas & saluas, deducis ad inferos & reducis, & non est qui effugiat manum tuam.

Tu me propter peccata mea uel propter iudicia tua non iniuste cæcitate puniuisti. Tu populum tuum Israel in gentes dispersisti, propter magnitudinem scelerum illorum, quia uerba prophetarum tuorum spreuerant. Sed sicut me rursum illuminasti, & redijsti ad gratiam mecum, sic cum populo quoq; tuo conciliari digneris, ut te syncere diligant, credantq; uel nunc & posthac semper uerbis tuis, cum uident clare, & suo malo sentiunt uerissima prædixisse prophetas tuos, quos cum in hæreditate sua paterna essent, spreuerunt, & omnibus modis sunt persecuti, etiam usq; ad mortem. Tu detrudere soles inobedientes ad maximas calamitates, sed resipiscentes reducis ad statum feliciorem, & ex inferis:

nec est uspiam in toto mundo creatura quæcunq; , quæ tuam possit effugere potentiam. Tu tyrãnos quoscunq; & maximos humiliare potes & uoles, dum id gloriæ tuæ & populi tui saluti opportunum conspexeris, iuxta rectissimum ordinem prouidentiæ tuæ.

4 Confitemini domino filij Israel, & in conspectu gentium laudate eum.

Pij nusquã deseruntur à deo.

Nondum manumisit dominus deus Abraam, Isaac et Iacob uos filios Israel, nondum infregit & annihilauit fœdus initũ cum posteris Israelis, quos elegit sibi in peculium: quãquam eiecerit uos è terra uestra, non tamen è terra sua, cuius est tota terra & plenitudo eius: adhuc etiam in terra aliena sentimus illius ad nos gratiam, adhuc respicit necessitates nostras, exaudit orantes, succurrit anxijs, & in se confidentibus propitiationẽ suam ostendit, beneficia multa et magna. Eius bonitatem nũc quoq; non minus, sed magis confitemini, & celebrate miracula uisitationis suæ, quanto magis nunc dispersi estis inter gentes, quæ hactenus ipsius gloriam nescientes, idola opera manuum hominum coluerunt & adorauerunt, has pro uirili instruite ad dei ueri cognitionem, ut & ipsæ discant agnoscere & collaudare suum conditorem, dominum deum nostrum.

5 Quoniam ideo dispersit uos inter gentes quę ignorant eum, ut uos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius deus omnipotens præter eum.

Mysterium exilij Israelitici.

Tantæ bonitatis dominus est, ut ex malis eliciat bona, ex peccatis hominum iustitiam, ut unam gentem impiam puniat ad emendationem alterius, utq; ab eis æquitas ipsius agnoscatur, qui clementiam eius contemnunt. Ideo Israelitas qui in tranquillitate & propria hæreditate domino deo seruire semper recusarunt, cogit in exilio duro in medio hostium deum se colere: & nõ solum hoc, sed & alios idololatras, quales ipsi dudum fuerant, ad dei ueri cultum adducant. Per translationes enim huiusmodi ingratorum Israelitarum propagata est ueri dei cognitio & religio sancta in totum orbem terrarum. Eoq; modo præparata est uia sancta subsecuturo euãgelio, ad benedictionem omnium gentium. Cognouerant quidem deum gentes, sed obscurius & negligentius, et sine affectu & uoto ueri cultus, non eum ut dominum deũ glorificaueriunt. Israelitæ autem ex lege quanquam neglecta, & uexationibus dignis pœnarum eruditi, mirabilia opera dei circa se enarrare iubentur ad magnificentiam eius, & ad orbis conuersionem ad creatorem suum, ut relictis idolis, operibus stultis manuũ suarum, ad unius dei omnipotentis solius cultum adigantur, ut uno humero colatur ab omnibus, & fiat nomen eius uni cum notum ubiq;.

6 Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras, & ipse saluabit nos propter misericordiam suam.

Verbum suum spreuimus, & legibus suis obsequuti non sumus, ideo in exilium deportati sumus, & in captiuitate iam positi agnoscimus transgressiones nostras & patrum nostrorum. Iustum esse circa nos iudicium tuum intuemur miserabiles, qui feliciores spreuimus missos ad nos prophetas tuos. Sed nunc si ad dominum toto corde conuersi fuerimus, conuertetur ipse quoq; ad nos, et saluabit nos, non pro meritis nostris, sed ex misericordia sua, ut uel inter gentes in umbra alarum dei nostri uiuamus, donec reduxerit nos ad terrã, & pacem cum tranquillitate conuersis restituerit.

7 Aspicite ergo quæ feci uobiscũ, & cum timore & tremore confitemini illi, regẽq; sæculorum exaltate in operibus uestris.

Cum admiratione recogitate causas miseriæ uestræ & iustitiæ suæ, qui disseminauit uos inter gentes, & tamen beneficijs multis & admirandis non uos prosequi cessat ipsi fidentes, & ipsius gloriam prædicantes: ideo cum timore filiali ipsum diligite, & ad exuberantiam bonitatis eius circa uos & iustitiæ tremiscite, ut ipsum quouis modo irritare & ad iracundiam prouocare nolitis. Bonitatem eius celebrate deuotissima confessione, qui est rex omnium sæculorum. Illius gloriam non commodius exaltare poteritis, quàm si illius cultores cum sitis & habeamini, inter gentes honeste, pie & religiose uixeritis inter eos, cum omni tranquillitate & pace. Omnium uirtutum exempla præbeatis secundum legem dei, ut ex bonis operibus uos considerantes, glorificent dominum deum uestrum, & sanctificent nomẽ eius sanctum, & ad similia exemplo uestro permoueantur operæ pietatis & modestiæ, cogitentq; solum uerum deum esse, qui uitæ innocentia & fide syncera colendus sit.

8 Ego autẽ in terra captiuitatis meæ confitebor illi, quoniã ostẽdit maiestatẽ suam in gentem peccatricem.

Etiam si nõ me restituerit hæreditati paternæ, sed in captiuitate permanere me uelit, non tamen impatiens murmurabo, sciens iusta esse iudicia sua, & gloriã suam non minorem esse in tota reliqua terra, indiesq; eandem augeri gratulor, quicquid de me agatur, qui suus sum ubiq; & semper, quem & inter impios saluum conseruat, & beneficijs multis accumulat, ut illius maiestatem celebrare compellar, quam & nondum hactenus peccatrici nostræ genti inuidit, sed multipliciter testatur, superbos humilians, & humiliatos exaltans: qui angelos suos ministros nobis mittit etiam in terras captiuitatis, ut uideamus nõ esse manũ illius circa nos abbreuiatam, plenam esse terram omnem maiestate gloriæ & gratiæ ipsius ad pios, & ad peccatores tam ex gentibus quàm Israelitis, quorum ex æquo deus est.

9 Conuertimini itaq; peccatores, & facite iustitiam coram deo, credentes quod faciat uobiscum misericordiam suam.

Resipiscentes igitur uerbo dei admoniti, et tantis beneficijs affecti etiam in terra captiuitatis, conuertimini ad studia sanctiora, patienter ferte debitã peccatis correptionem, agite pœnitentiã, & sanctis operibus à deo uobis præceptis insistite, cogitatũ uestrum in ipsum conijcite, de ipsius bonitate confidite, & pro uirili uestra dei gratia inuocata contendite placere illi per obseruantiam mandatorum eius ex fide, quæ sola placet, & ad iustitiam

stitiã imputatur. Nihil per hypocrisim simulãtes ei cui nihil incognitum, sed in conspectu ipsius digne conuersamini, humiles & obedientes, cum oratione, ieiunio, & eleemosyna ipsius bonitatem solicitantes, ut & consequenter credere ualeatis adfuturam uobis ipsius misericordiam, qua à malis omnibus uos sit liberaturus, qui ardenter orantibus & credentibus sese negare nõ potest.

10 **Ego autem & anima mea in deo lætabimur.**

Cupio quidẽ nedum fratres meos Israelitas, sed gentes quoq; reliquas, dei creaturas, benedicere digne maiestatem dei, & reuereri ex animo, deuote colere, & agnoscere quotidiana beneficia, deq; eius beneficentia lætari. Quod si illi negligant, & uocatione dei sancta se indignos constituãt, & in mundo malint gaudere, & sectari delitias huius uitæ, ego tamen quantus quantus sum, ex animo & fide mea me domino & creatori committam, eius circa me tantam gratiam gratus agnoscam, lætabor de insigni eius circa me cura et meos, qui me restituit ad tranquillitatem mentis & corporis, et restitutis filio, lumine, uisu, substantia, gaudio & fiducia, sese mihi indulgentissimum patrem ostendit, & conscientia insuper est consolatus.

11 **Benedicite dominum omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini illi.**

Non nisi electorum digna est laudatio dei, non autẽ peccatorum: illi enim soli ex fide agunt omnia, & deo gratias agentes, omnia bona deo referunt accepta, sibi uero nihil, nisi peccatorum miseriam. Electos autem se sperare debẽt omnes qui deum timent, & sibi ex animo propitium cupiunt, sibiq; ipsis displicent, & dei gratiam inuocant per Christum, deq; bonitatis dei iugibus beneficijs tales exultant, & grati benedicunt. Hos hortatur spiritus sanctus, ut gaudeant et lætentur de gratia dei, & quicquid boni assequuntur domino attribuant, & in conscientiæ serenitate perpetuum deo sabbatum agant, ex ipsius bonitate semper toti pendentes.

lecti qui & quales.

12 **Ierusalem ciuitas dei, castigauit te dominus in operibus manuum tuarum.**

Alius hic quoq; nodus notatur, difficile explicabilis propter tempus, quia scilicet etiam iunioris Tobiæ æuo adhuc templum & Ierusalem steterunt, & reædificari non poterat quod adhuc stabat. Sed obmissis temporum calculationibus, simpliciter dici potest, uel quod in spiritu uiderit destruenda propter malitiam operum & contemptum omnium prophetarũ, qui tunc sub Manasse uigebant, propter quod & iam prophetæ omnes à dño definitum sciebant, & prædixerant Hierosolymã diruendam cum templo, & in captiuitatem Babylonicã residuos auferẽdos. Vel quod iuxta stilum spiritus sancti plerunq; tempora confundãtur, ut præteritũ pro futuro accipiatur. Vel etiam quod libelli author uel trãslator iam factum scripserit in præterito tẽpore. Vel quod Hierosolymã intelligat regnũ Iuda, quod per Sennacherib totum fuerat dissipatũ, usq; ad unicã superstitem metropolim. Ciuitas autẽ dei dicitur, quia ceremoniali cultui dedicata, eatenus ut iuxta legẽ alibi sacrificijs coli deus noluerit. Castigasse eam dicitur, nõ occidisse, tum quia Tobia uiuẽte multa sustinuit, sed nõ desolata fuit: tum quia restituenda erat secundo, & nihilominus toto in mundo illustrissima futura. In operibus dicitur castigata, hoc est pro improbis et flagitiosis cõmissis in deũ et prophetas.

Ierusalem extruenda.

13 **Confitere dño in bonis tuis, & benedic deum sæculorum, ut reædificet in te tabernaculum suũ, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia sęcula sæculorũ.**

Multa quidem iamdiu & dudum à domino bona & magnifica suscepisti, non tuis meritis, quæ occidere soli ta es prophetas qui ad te mittuntur, sed propter dei gratiã & ueritatem promissam Dauidi & patriarchis: multo autẽ maiora suscipies, olim reædificãda & glorificanda per orbẽ illustrissima fama. Præsentia quoq; Christi domini nostri, & mysterio regni cœlorũ, illic transfigendo clarificaberis. Quamobrẽ age dominũ deum benedicas, qui est æternus & omnipotens, eius implorabis clementiam, ut immemor tot criminum patratorũ in te & perficiendorum, te reædificare dignetur aliquando, & tabernaculum gloriæ reædificet in te, templum resuscitet & cultũ, exulesq; filios tuos omnes Iudæos & Israelitas à captiuitatibus reuocet, & felici gaudio in perpetuum lætificet fideles.

Ierusalem glorificãda

14 **Luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.**

15 **Nationes ex longinquo ad te ueniẽt, & munera deferẽtes adorabũt dominũ in te, et terrã tuam in sanctificationẽ habebunt: nomen enim magnum inuocabunt in te.**

Satis constat de insigni celebritate Hierosolymæ urbis post reædificationem eius & templi à Zorobabel et Herode, de quibus multa prophetæ meminerunt, & Iosephus perfecta descripsit, quomodo ob unius dei cultũ locus honorificatus fuerit etiam à gentibus, regibus & populis, exornatum in ea templum supra modũ. Vt non solum Iudæi, id est Israelitæ omnes passim toto mundo dispersi, qui uno nomine semp deinceps Iudæi sunt appellati, sua munera honoraria miserint et detulerint Hierosolymam, sed etiã gentes, Græci & Romani summo honore dignum duxerint. Nomen quoq; magnum, hoc est, diuinã maiestatem summam, unũ omnipotentem deum in ea urbe adorauerunt, & uenerati sunt religioso cultu. Sed longe in infinitum glorioſior facta est Hierosolyma per Christum & apostolos, quam etiam destructam pro loco omniũ in mundo sanctissimo habent & inquirunt, uidisseq; & uisitasse sibi gratulãtur. Sed nihil hoc totum est comparatione eius Hierosolymæ, quæ est ciuitas sanctorum, credentiũ unum deum uerum, in spiritu et ueritate colentiũ in toto mundo, quæ est ecclesia ipsa catholica, dispersa in omnes fines terræ, in qua Christus dñs filius Dauid iuxta carnem regnat per omnia sæcula, in regno fidei et charitatis, quem omnes gentes adorãt, qui ecclesiam suam non deserit, sed per exercitia uaria illustrat in hoc mundo, donec expoliantur uiui & pretiosi lapides reponendi in cœlestem illã Hierosolymam. In qua ecclesia non inuocatur nomen aliud q̃ unũ solius

Ciuitas sanctorum & Christi regis.

ueri dei: cui sacrificium offertur, non uituli & hirci, nec uinũ & libamina cum panibus, sed gratiarum actio pro beneficio unicæ oblationis perfectæ & cõsummatæ per Christum in cruce, qua ablatum est peccatum mundi, et cõciliati deo patri sunt omnes electi. Huius sacrosanctæ ecclesiæ et templi et urbis latissimæ, cuius suburbia sunt imperia & regna omnia terrarum, typus exiguus erat illa Hierosolyma, toties ædificata & destructa, donec in æternum stabiliẽda per filium Dauid reædificaretur, nullas unquam ruinas perpessura in regno Christi, ubi solium Dauid, in quo Christus sedet rex omniũ dñorum.

16 Maledicti erunt qui contempserint te, & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te, benedictiq; erunt qui ædificauerint te.

Pro sancto et pio desiderio loquitur, ut peßime luãt omnes hostes Israelitarum, & uastatores Hierosolymæ, quod et satis constat impletum, qui iniqua uoluntate impugnauerunt & eliminare conati sunt cultum unius solius dei, qui erat deus Abraam, Isaac & Iacob, quem omnes circumpositæ nationes contemnebãt & persequebãtur, quoties data erat occasio, pro zelo impio in suos multos deos, et in idola sua multiformia. Quorũ omniũ maledictio constat ex historijs regnorũ, Chaldaici, Græci et Romani, quæ subinde destructa sunt & maledicta. Sed longe grauius maledicuntur ecclesiæ catholicæ & regni Christi contẽptores, & blasphematores diuini nominis, et æternæ ueritatis uerbi dei. Qui uero ad dei gloriam studeant syncere & fideliter, ad iuuandam et extruendam ecclesiam dei, iuxta gratiam dei, qui bonorũ est largitor et conditor omniũ, hi sine dubio benedicti sunt à domino, & uitam æternam posßidebunt.

17 Tu autem lætaberis in filijs tuis, quoniam omnes benedicentur & congregabuntur ad dominum.

Eadẽ ferè hic Tobias canit quæ Isaias cap. 60. Omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi, filij tui de longinquo uenient, et filiæ tuæ de latere tuo surgent, &c. Tunc uidebis & efflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, &c. Omnes enim ecclesiæ filij, id est, unius dei ueri cultores benedicentur à domino, & filij dei per regnũ Messiæ per Christum congregabuntur in unum, qui erant antea dispersi per uarios errores & cultus.

18 Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua.

Diligentes Ierusalem. Non ciuitatis Hierosolymæ amatores beatos optat, in qua erant occisores prophetarũ et apostolorum, imò ipsius regis Meßiæ, sed unius dei cultores, pios, credentes & sanctos, qui gloriã et sanctificationẽ diuini nominis optant, & pro omni uirili promotã cupiunt, qui diligunt ecclesiæ unitatem, concordiam, tranquillitatem, profectum ac pacem, unde pietas & religio crescat ad multiplicationem fidelium, ad ueritatis declarationem, ad hostiũ eius contritionem, ad abusuum extirpationẽ, ad reformationem ueræ fidei & morũ, qui non diligunt tantum prouentus sacerdotiorũ & censuum, sed doctrinæ & pacis prouentum atq; iustitiam.

19 Anima mea benedic dñm, quoniã liberauit Ierusalem ciuitatem suã à cunctis tribulationibus eius, dominus deus noster.

Sub typo terrenæ Hierosolymæ canit de ecclesia tam militante quàm triumphante. Nihil autẽ mẽtes piorum enixius cupiunt, q̃ ecclesiæ profectum in præsenti, adauctum electorũ numerũ, & dei gloriam in cœlestibus. Id unum Tobias toto corde desiderat, pro quo & benedicit & sanctificat nomen domini. Vbi iterum pro certitudine prophetiæ & prophetarum more præterito utitur pro futuro. Liberauit, inquit, dominus Ierusalem ciuitatem suam à cunctis calamitatibus suis. Nisi fortaßis aspexerit ad liberationem Hierosolymæ ab incursione Sennacherib sub rege Ezechia, ex quo miraculo Tobiæ tẽporibus facto, facile diuinare potuit posterius quoq; liberandam ciuitatem dei, id est, diuino cultui dedicatã sic & ecclesiam catholicam.

20 Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad uidendam claritatem Ierusalem.

Id fortè de ædificatione futura dictũ putari posset sub Zorobabel, cui sine dubio interfuerũt cum tempore posteri Tobiæ, quorum tamen nomina nõ notantur, nec familiæ in libris Ezdræ & Neemiæ. Quanquã & Tobias ille de quo Iosephus loquitur, qui fuit pater Iosephi, qui auus Hircani fuit, qui uxorem habuit filiam Oniæ sacerdotis sui Simonis filij, de hoc semine fuisse credi posßit. Sed de ecclesia catholica sacrosancta Hierosolyma, in qua Christus regnat potius est intelligendũ, in quam ex tribu Neptalim & Galilæa uniuersa multi collecti sunt fortaßis ex posteris Tobiæ. Saltem ut id fiat aliquando, multum cupit & optat, reliquias sui seminis uisuras claritatem ecclesiæ congregandæ ex Iudæis, id est, Israelitis et gentibus, super terram militantis, quæ tandẽ consummabitur in cœlis triumphatura. De qua manifeste intelliguntur ea quæ nunc sequuntur.

21 Portę Ierusalẽ ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso oñis circuitus murorum eius: ex lapide candido & mundo omnes plateę eius sternẽtur, & per uicos eius alleluia cantabitur.

Aliud intendere non uidetur q̃ Hierosolymam illam nullo carere ornatu quamlibet pretioso, qui ad splendorem urbis pertinere putatur, ut non ex uulgaribus & protritis lapidibus extruẽda sit ecclesia, sed ex gemmis pretiosis & raris. Ad ecclesiam enim uere sanctam quæ hic quidem militat, postea triumphatura in cœlis, non pertinent laruæ personarũ, sed ueritas omniũ uirtutum & charismatum, fidei scilicet ueræ ornatus, spei & charitatis, & qui ex his fructus prodeũt sanctitatis: quales ad ecclesiam pertinent, non auro, argento et holoserico ornatæ episcoporum laruæ, & sacri à Christo institutis officij dehonestamenta potius. Quando huiusmodi pompam Christus nec uerbo docuit nec exẽplo, quin potius damnauit. Quin et portæ per quas ecclesia intratur, nõ sunt sancti, sed unus Christus dñs, qui uia est qua penitur ad patrem. Ipse est ostium, per quod si quis non introierit, sed aliũde, fur habebitur et latro. Per Christum

solum

solum ascenditur in supernã Ierusalem, qua Christus præ
miat electos, ascendens & iter pandens ante eos: nõ me=
rita quæcunq; sanctorum, quæ sanctos non sanctificant,
qui sola dei gratia saluati sunt omnes. Plateæ, hoc est ui=
ci uel fori urbis illius sunt ecclesiæ uniuersalis membra,
& particulares conuentus ecclesiastici, in quibus locum
habent aspiciente deo & dijudicante, non atri & uarij
uel maculosi, sed candidi per fidei claritatem & morum
innocentiam. In omnibus autem huiusmodi catholicis ec
clesijs aliud non canitur q̃ mutua exhortatio ad laudan=
dum deũ, hoc enim ualet הַלְלוּיָהּ laudate deum, non
laudate inuisibilem. Beati enim qui habitant in illa domo
dñi, in sæcula sæculorum laudabunt, non patres, non ma
tres, nõ seipsos, sed deum solum, ei soli debetur omnis ho
nor & gloria. Non ibi locũ habet inuocatio sanctorum
& glorificatio, quorum quidem exempla & studia con
formia uerbo dei commendari possunt, sic tamen ut in=
telligantur ex gratia dei fuisse quod fuerũt, & gratiam
dei non fuisse in illis otiosam. Dominum laudate canta=
bunt, non angelos uel sanctos adorate.

anctí quo
modo lau=
andi.

22 Benedictus dñs qui exaltauit eã, ut sit re=
gnũ eius in sæcula sæculorũ super eã, Amẽ.

Soli deo accepta referri debent omnia quæ in eccle=
sia catholica exaltanda & extruenda studia sancta ha=
bentur, ipse agricola est huius uineæ, Christus caput cum
membris uitis est, palmites sunt sancti, si in Christo per=
manserint. Iste benedicendus est, à quo omne bonũ desur
sum descendens à patre luminũ, qui cum filio & spiritu
sancto regnat in ecclesia dei per omnia sæcula sæculorũ,
Amen. Hoc autem ecclesiæ regnũ & omnem potestatem
pater Christo post resurrectionẽ dedit in cœlo & in ter=
ra duraturũ per omne æuum, & in hoc mundo tribula=
tiones habiturũ, satanam inuestatorem semper passurũ:
semper tamen Christus qui ueritas est triumphabit, &
regnũ durabit in hoc mundo in ecclesia, cuius hic quoq;
caput est solus, cuius ministri sunt & præfecti ecclesia=
rum homines sancti, eruditi, pij, qui sibi familiarem ha=
bent spiritũ timoris domini, sapiẽtiæ & ueritatis, odien
tes auaritiam, pompam & omnem luxũ, assidui in uerbo
dei, & uigiles ad animarum profectus.

CAPVT XIIII.

1 ET consummati sunt sermones
Tobiæ.

Dupliciter potest intelligi, ut scilicet
cantici sui & gratiarũactionis ac prophe
tiæ hic finis sit: uel ut sermones accipiãtur Hebraico mo
re pro actis. Quasi dicere uelit: Hæc omnia scripta, sum
ma sunt gestorum Tobiæ, conscripta ad ædificationem
fidelium syncero studio legentium.

2 Et postquã illuminatus est Tobias uixit
annis quadraginta duobus, & uidit filios
nepotum suorum.

Quartam ergo generationem uidit sanctus Tobias.
Facile enim fieri potuit ut intra quadraginta annos Sara
genuerit seniori Tobiæ nepotes, quorũ iam decrepitus
filios non breui tempore solatium uitæ senilis habere po
tuerit, quod admodum magnæ felicitatis etiam in hoc

mundo donũ existit. Verisimile est enim optime instituis
se totam familiam suam, tam iuniorem q̃ seniorem To=
biam, & uirtuosissima uita non minus post dei tanta be=
neficia conuersatum fuisse inter suos quàm antea.

3 Completis itaq; annis centũ duobus, se
pultus est honorifice in Niniue. Quinqua
ginta nanq; & sex annorũ lumẽ oculorum
amisit, sexagenarius uero recepit. Reliquũ
uero uitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono
profectu timoris dei perrexit in pace.

Qui tam officiosus semper fuit in sepeliẽdis fratrum
corporibus ab infidelibus occisorũ, is quoq; dei prouidẽ
tia honorifice sepelitur, hoc est, non sine titulo & loci si
gno, ad memoriam sancti uiri, non ad eruendum ossa, ut
pernicioso more & impio honorentur. Huiusmodi enim
ritus non sine satanæ consilio & fraude incœptus est,
quod sequentia tempora declararunt. Id uero in primis
cœptum à monachis legitur, instigatis certe non solũ dæ
mone, sed etiam superbia & auaritia. Hoc enim conse=
quenter factũ uidemus ab inuentione capitis sancti Ioan
nis Baptistæ, si non est ementita historia, & postea Ste=
phani martyris, deinde aliorum quoq;, ut hæc uana &
pernitiosa superstitio in errorem duxerit electos uiros
sanctos & doctos. Quorum exempla sectati sunt nigri
monachi, ut uix monasterium illorũ inuenias, ubi non uel
fundatorem colere cœperint, uel ex monachis aliquẽ no
bilem uirtute, uel eruditione, aut miraculorũ gloria, quã
timor est nõ raro figmentis & mendacijs auctam: uel ad
minus ubi hæc cessãbãt, à Romanis pontificibus alicuius
sancti martyris ossa, non sine impostoris, pro cõcursu po
puli sic concitando inuenerunt. De eiusmodi impostura
reliquiarum lege ubi poteris in uita & actis sancti Gre=
gorij Papæ, quam olim aliud quærẽs, legi in monasterio
Castellensi prope Ambergam, notatu certe dignã stulti=
tiã. Cum gaudio uixit residuum uitæ post receptũ uisum,
non uano & insolenti, sed cum profectu assiduo in timo
re dei, semper crescens de uirtute in uirtutẽ, donec per
mortem ab hac corruptibili uita perrexit, naturæ deoq;
concedens, in pace cum beatis animis expectare cœpit
tempus, in quo uideretur deus deorum in Sion, id est, glo
rificatum Christũ ascendentẽ in cœlos, speculũ omnium
animarum sanctarum.

Sepultura honorifica.

Inuentio ca
pitis S. Io=
annis Bapti
stæ.

Monacho=
rum canoni
zari.

4 In hora autẽ mortis suę uocauit ad se To
biam filiũ suum, et septẽ iuuenes filios eius,
& nepotes suos, dixitq; eis:

Vltimo serioſa quædã filijs loquutus est, ut fortius me
moriæ inhæreret. Horã mortis dicit, ut intelligatur usum
rationis & sermonis in tanta ætate usq; ad extremum
mortis articulũ singulari dei gratia cõseruasse, & zelum
pietatis in deũ & proximos in ipso nunquã finitum. Se
ptenarius numerus ut plurimũ pro indeterminatæ multi
tudinis numero accipitur. Iuuenes erãt et integra ætate,
qui & nepotes habebãt iuniori Tobiæ, ut uix felicitatẽ
maiorem legere sit apud ethnicos, de hac re curiosè scri=
bentes, cum tamen inter captiuos haberetur & seruos:
sic potest dominus ubiq; & semper consolari suos.

5 Prope erit interitus Niniue. Nõ enim ex

cidit uerbum dñi, & fratres nostri qui dispersi sunt à terra Israel, reuertentur ad eam.

Denuntiauerat aliquando Ionas propheta ad mandatum dñi secũdum, magnæ Niniuæ urbis excidiũ, sed quia pœnitentiam agebãt in cinere & cilicio cum rege, ideo subuersio dilata fuit. Cum uero reuersi fuissent ad uomitum, et posteriora prioribus peiora egissent, ideo per Naum prophetam denuntiatur destructio eximiæ urbis & regni, quæ tandem facta est à Chaldæis. Quam tunc proximo imminentem hic Tobias filijs denuntiat, & simul de Israelitarũ in Media & Assyria licentia redeundi suo tempore permittẽda à Cyro ac Dario monarchis totius imperij Assyriaci, quod ad Chaldæos deuolutum primum, postea peruenit ad Persas & Medos, qui omnibus Israelitis liberũ fecerunt redeũdi ad cultũ sui dei in Iudæam, quorũ tamen pauci reuersi sunt comparatione eorum qui fuerant relati uarijs temporibus in Assyrios.

6 Omnis aũt deserta terra eius replebitur, & domus dei quę in ea incensa est, iterũ reędificabitur, ibiq; reuertentur omnes timentes deum.

Simplicitas sacræ scripturæ.

Mira in totis literis diuinis simplicitas inuenitur, cum nihil minus sancti dei homines spiritu sancto inspirati cogitauerint q̃ decipere quempiã uel mentiri, ideo nõ magnopere curauerunt scribere ad intelligentiã curiosorũ magis q̃ simplicium. Ideo pijs & spiritu dei afflatis omnia quadrãt, cum scrupulosis & nimiũ curiosis non raro nodi occurrant, qui illos faciant uanores. Cum huius historiæ scriptor aliquandiu uiueret, & elucubraret hũc librum, post mortem tam iunioris Tobiæ q̃ senioris, eo scilicet tempore cum iam ruinæ templi essent & urbis, parum referre putauit describere factũ uere, quod Tobias moriturus futurũ propediẽ prædixerat, ut parenthesis quoq; loco legi posit. Reuera enim tunc Iudas captus erat, & destructa Hierosolyma, templumq; combustum, prout tam hic Tobias q̃ reliqui prophetæ prædixerant. Eandem igitur moriens Tobias reædificandam, & captiuitatem restituendam prophetat, & terrã replendã hominibus, quæ nunc cum hæc scribuntur deserta est, sicut & Israelitica iamdudũ uastata, sabbata sua iam agebat. Reuersuros autem prædicit non tantum Iudam, sed & Israelem, omnes scilicet timentes deũ, qui dñi dei sui cultum ex animo zelabant, hi redituri essent, licentia danda à Cyro, sine exceptione omnibus Israelitis dei ueri cultoribus. Quod si qui redituri non essent, proculdubio tales erãt qui deum non timerent, uel maiorẽ dñi dei gloriam, fructum pietatis allaturi erant in gentibus.

7 Et relinquent gentes idola sua, & uenient in Ierusalem, & habitabunt in ea, & gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israel.

In regnis Chaldæorum & Medorũ Nabuchodonosor & Cyrus agnouerunt deum, & pro gloria dñi dei Israel multa egerunt, à quo tempore ualde creuit gloria & agnitio unius omnipotentis dei, quæ ab illo tempore semper increuit, & aucta est postea ædificato templo, et per Christi euangeliũ & apostolorũ prædicationes impleuit totũ terrarũ orbem, donec tota idololatria prorsus concidit & euanuit. Venerunt in Ierusalem ad colendum deum uerũ, non tantũ Israelitæ, sed etiam gentes et Alexander ille magnus, Romani quidã, teste Iosepho & cæteri. Ibi quoq; initiabantur doctrina ueritatis, & sese sacrificijs & donis dño commendabant. Quod & in Actis apostolorũ de principe Candacis reginæ Aethiopũ memoratur. Habitabant in terra Israelitarum tempore Iosephi historici & Titi, incredibilia millia Iudæorũ, omnes Israelitæ dicti, ex quacunq; tribu fuissent. A quo tempore uerorum Israelitarũ nomen, fides & confessio repleuit non solum Iudæam totam & Israeliticã terram sed totum orbem, super quem regnum accepit propter perpessam ex charitate mortis ignominiã Christus dñs noster: quem ut uerum deum & hominem incarnatũ dei uerbum adorant omnes reges terræ, cuius solius regnum propagatum est & uiget toto terrarũ orbe, qui solus potest non secundum faciem iudicare, sub cuius imperio lupus pacifice cohabitare potest agno, qui corda filiorum hominum nouit, regit & iudicaturus est, idq; in sæcula, sicut locuti sunt prophetæ.

8 Audite ergo filij mei patrẽ uestrum, seruite domino in ueritate, & inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi.

Vltima præscripturus mandata filijs exordiolo utitur, deprecans ut filij legitimi & fideles diligenter auscultent ad ultima uerba pij parẽtis, quæ memoriter semper conseruanda, multam illis pietatem sint allatura, ut ante omnia unius domini dei sui cultum sectentur, cum aliter per cerimonias legales non datur, saltem uerum & deo ubiq; & semper gratiorem cultum deferre non negligant, adorando ipsum in spiritu & ueritate, sacrificando sacrificia gratiarumactionis & laudis, operibus iustitiæ, æquitatis & pietatis ad proximũ deo complacere ex animo studeant, & de illius uoluntate ac beneplacito scrutentur diligẽter, ex lectione legis & prophetarum, quæ de dñi dei sacrosancta uoluntate per omnia testantur & lucide. Et cum didicerint quid illi gratum impendi uelit, id summo studio efficere contendant. Huiusmodi enim sacrificijs promeretur deus, et tales cupit cultores omnipotens.

9 Et filijs uestris mãdate, ut faciãt iustitias & eleemosynas, ut sint memores dei, & benedicant deum in omni tempore, in ueritate & in tota uirtute sua.

Magno desiderio cupiebãt maiores & sancti omnes beneficium prolis, non ad uanam gloriam uel famã, sed ad diuinũ cultum, ad gloriam dei, cuius honorem propagari cupiebant per suos posteros in immensum, & pietatem à parẽtibus edocti transfundi desiderabãt ad omnes gentes. Ideo morituri nihil illis studiosius commendarũt q̃ pietatis studiũ, ut & ab idolis omnimodis cauerent sibi, quæ deus maxime odiret, tanquam uenena mortifera pietatis ueræ, & iustitiæ fidei in unum solũ & uerum deum, à quo omnia sint bona tunc petẽda & desideranda, qui gaudet benefacere credẽtibus: quod est facere iustitiam, & innocẽter uiuere ad proximos, memorem esse dei,

dei, eleemosynas agere, deo credere, & proximis benefacere, omnia beneficia huius uitæ soli deo referre accepta, in prosperis & aduersis dominum benedicere, et iustum dñm & clementissimum patrẽ agnoscere, syncero corde coram deo conuersari absq; hypocrisi, quod est in ueritate ambulare. Hoc docuisse filios et obtinuisse à posteris huiusmodi uiuẽdi regulam, est legitimũ condidisse testamentũ, est filios feliciter genuisse, nõ frustra uixisse in hoc mundo, dominum deum religiosissime coluisse.

Testamentum legitimum.

10 Nũc ergo filij audite me, & nolite manere hic, sed quacunq; die sepelieritis matrem uestrã circa me in uno sepulchro, ex eo diri gite gressus uestros, ut exeatis hinc. Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.

Creuerat iam iniquitas regni & urbis supra modũ, & magnitudine suæ molis præmebatur, ut seipsam sustinere non posset. Hoc senex sapiens & sanctus uidebat, decq; iusto dei iudicio proxime imminente dubitare nõ poterat, maxime cum semel & secundo à deo admoniti, nihil emendarẽtur, & uerbi dei ueritas à prophetis dicta, falli non posset aut fallere: ideo serioſe mandat posteris, ut prima nacta opportunitate excederent, gentẽ corruptissimam in maleuola urbe desererent, & iudicium dñi aufugerẽt tempestiue. Hoc autem commode fieri & non ante posset quàm cum mater quoq; naturæ concedens, & uiam uniuersæ carnis post patrem ingrediens, in pace defungeretur, & cum patre pia honestate sepeliretur, pariter in die iudicij resuscitandi, & communi loculo humandi, qui huius uitæ prospera & aduersa consimili sorte sustinuissent in timore dei.

Verbium fas.

Sortuaria.

11 Factum est autẽ post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Niniue cum uxore sua & filijs & filiorũ filijs, & reuersus est ad soceros suos, inuenitq; eos incolumes in senectute bona, & curam eorum gessit.

Religiosus filius usq; in finem curã habuit parentum, & coluit studiose per omnia studia pietatis, tandẽ sepeliens suo loco in Niniue urbe gentiliũ, quam & uastandam non ignorabat. Tam nihil curæ sanctis erat quo in honore sepulchra maiorum essent, quibus insignijs nota bilia. Nihil de exequijs, nihil de anniuersarijs & lampadibus memoratur, quæ ignorata fuerunt fidelibus. Post sepultam matrẽ cum patre, abscessit, iudiciũ dei impẽdens fugere cupiens ex testamento parentis. Quò uero fugeret commodiorem locũ non habuit, q̃ ad uxoris adhuc superstites parentes & auos filiorũ, ut illis quoq; grandæuis seruiret per omnia, ut suis fecerat, & cum simili pietatis studio uitæ finem excoleret, & prosequeretur dignis beneficijs, quos & insigniter gaudere fecit, & in suauitate seniũ peragentes. Ad quorũ suamq; felicitatem & gaudiũ pertinet, quod eos in senectute bona incolumes inuenit. Hæc enim sanctorũ sors, & domino toto corde adhærentium, ut post perpessas modeste miserias domino seruientes uitã præsentem in pace finiant, uel cum insigni huius mundi uictoria auferantur.

12 Et ipse clausit oculos eorũ, & omnem hęreditatẽ dom⁹ Raguelis ipse ꝑcepit, uiditq; quintã generationẽ, filiosq; filiorũ suorũ.

Officium ultimũ exhibuit quatuor auis suis, non modica felicitate donatus, quod paucis contingit, & hæreditates suscepit maiorũ cum usu & fructu. Nõ facile defutura necessaria posteris coniectare potuit, et nõ modicũ gratulari, uidens tot nepotes, & interim uitæ necessaria illis suppeditanda cũ honestatis et pietatis religiosissima hæreditate, cũ timore dñi, & sanitate ad operas dignas sufficiente, cum fama honesta & bonorum fauore.

13 Et completis annis nonaginta & nouẽ, in timore domini cũ gaudio sepelierunt eũ omnes cognati eius.

Tardius morientes.

Non sibi promittãt superstites longæuitatẽ maiorũ, quã semper in scripturis legimus breuiorem fuisse, etiam si hic admodum modicũ, raro autem non multũ detrahitur. Nec laudanda annorũ prolixitas, nisi addi posit: In timore dñi, ut hic dicitur. Quod uero cum gaudio sepelitur, quid mirũ, cum nihil certius sit q̃ pios non tam mori quàm ad uitã feliciorem transferri? Multaq; felicitatis haberi debet bonis uiris, tam diu bene uixisse, feliciter clausisse studia uirtutũ, & in innocẽtia perseuerasse, postq; se reliquisse bene institutã posteritatem, per quam non solũ dominus colatur, sed etiam fama honestatis propagetur ad posteros, ut in uiuentibus uiuere uideantur, & cum domino præmiari.

14 Et oñis generatio eius in bona uita & in sancta conuersatione permansit, ita ut acceptа essent tã deo quàm hominibus, & cunctis habitatoribus terræ.

Hæc sunt in primis curanda parentibus, ut tales post se filios relinquãt, unde glorificetur dñs, ad quod filij postulantur, et filijs quoq; honorificũ est maxime, si sanctorum parentũ non degeneres filios sese exhibeant, et laudabilia parentum facta, & gloriam uirtutis magnopere æmulentur, & suorũ quoq; posterorũ curam solicitã gerant, ut ipsi sese institutos meminerunt: hoc est nobilitare prosapiã, & ingenuos haberi. Tota, inquit, cognatio pietatis studiũ semel apprehensum diligenter seruauit, bona uita excoluit, pietatem in deum, charitatẽ ad suos, beneficentiã ad omnes. Sancta cõuersatio est, quæ secundum legẽ dei instituitur, quæ in timore dei perpetuo stabilitur, et per dei gratiã ad finẽ perducitur. Non mirum si deo accepti sunt & hominibus, qui deũ colere, et proximis fauere semper inueniuntur, uitã suam consecrant officijs bonorũ atq; egentiũ: qui innocentiæ fama probitatis inuidiã superant detractorũ, ut nemo audeat oblo qui eis, quorum uita probata fuit ab omnibus, à dño deo per manifesta beneficia cõmendata, & continuata feliciter, & ab hominibus minime potuit uere et probabiliter infamari. Quod additur: Et cunctis habitatoribus terræ, intelligendũ cõmuni modo loquendi & intelligẽdi, proaffinibus & gentilibus in ea regione degentibus. Quotquot illius notitiã habere potuerũt, istis accepta erat cõuersatio posterorũ Tobiæ, & grata familiaritas, qui nihil nisi syncerũ et honestũ didicerant à maioribus, & se tantorũ uirorũ legitimos posteros factis & moribus declararunt.

FINIS.

COMMENTARIVM IN LIBRVM IVDITH.



SATIS constat diuum Hieronymum aliter Hagiographa intellexisse dici libros Tobiæ & Iudith in ipsorũ prologis, quàm in Galeato. Ibi enim Hagiographa nominat libros canonicos, eos qui Hebræis כתובים dicũtur, quarta pars Biblicorum uoluminum & posterior: qui scilicet non sunt de numero legis & prophetarum, nec priorum nec posteriorum, ut sunt Psalmi, Iob, Salomonis, Threni, Ruth, Daniel. Sunt enim reuera libri isti sacrosancti, & paris authoritatis cum prioribus, cum quibus constituunt unum corpus sacrorum canonicorum librorum, quibus etiam in fidei articulorũ tractatibus & disputationibus contradixisse, uel fidem aliquatenus abrogasse nefas duxerint semper sancti dei homines. Hi uero libri alia ratione dicuntur à catholicis Hagiographa, nempe qui in numerum sanctarum scripturarum computantur ex authoritate synodi Nicenæ. Non obstantibus Iudæorum reclamationibus, qui hos tantum libros habent canonicos, quos Hebraice scriptos olim à prophetis susceperunt. Hi uero libri sine dubio non aliunde ecclesiæ catholicæ obuenerunt quàm à Iudæis, qui ante Christi tempora sacra scripserunt, plena fide, & sancti spiritus instinctu, ad ædificationem fidelium. Qui & hodie Syra lingua scripti inueniri fortassis possent apud eos qui curam librorum exactius subirent. Vnde & Hieronymus suo tempore transtulisse se asserit officio interpretis periti Chaldaicæ linguæ. Multum autem differt hæc trãslatio à Græca, non dissonantia sensuum, sed parcitate uerborum. Multis enim superfluis utuntur Græci, quæ Latinus amputauit non inconsulte, cui & malui accedere & eo esse contentus. Ideoq; ob scriptorum illorum sacrum usum & fructum hactenus lecti sunt ab omnibus Romanæ ecclesiæ pijs clericis. Proq; huius libri Iudith lectione assignata est hebdomada quarta mensis Septembris. Quæ utinam sacrosancta ordinatio à religiosis seruata fuisset, non hodie tot Legendæ futiles obtrusæ ecclesijs, sacrarũ scripturarum studium unice necessarium impedissent.

Hagiographa dicta uarie.

CAPVT I.

1 ARphaxat itaq; rex Medorũ subiugauerat multas gẽtes imperio suo, & ipse ædificauit ciuitatẽ potentissimam, quam appellauit Egbathanis.

Fecit nominum uarietas in personis & locis, non solum apud Hebræos, sed in omnibus quoq; gentiliũ historijs & geographijs confusissima, ut incertior habita fuerit hæc historia Iudith, quæ gesta ostẽditur post reditum Israelitarum de captiuitate Babylonica per Cyrũ relaxata rege Persarũ. Cuius tempore apud Medos rex Arphaxat hic dictus regnabat, quomodocunq; ab alijs historicis appelletur. Is pro more omnium impiorũ regum non tam curauit salubriter prodesse subiectis, q̃ de pluribus triumphasse. Subiugauerat multas gentes, Parthiam scilicet & Hircaniã, cum reliquis ad mare Hircanũ attinentibus. Is alio nomine Arbactus dicitur, ex præside Mediæ prouinciæ factus rex, diuq; regnauit. Medorũ autem caput constituit Egbathanam urbem maximã, quam Seleucus uel Diocles rex Medorũ condiderat amœnissimo in loco. Hanc uero Arbactus uel Arphaxat reparauit, et inexpugnabilem reddidit, metropolimq; statuit, inde sibi concilians proximas quasq; gentes uel uincens, tandem toti Mediæ & reliquis illius tractus gentibus imperans. Ibi quoq; Mausolcum constitutũ regum Medorũ & Parthorum, & insuper Danielis, scribit Iosephus, non mihi sanè certus author, lib. Antiq. 10. cap. 24. Potentissimam autẽ ciuitatem dicit, quia robustissimã, & ex omni parte inuincibilem extruxit modo qui sequitur, ad tyrannidem conseruandam more priscorum.

2 Ex lapidibus quadratis & sectis fecit muros ei⁹ in altitudine cubitorũ septuaginta, & in latitudie cubitorũ triginta. Turres uero eius posuit in altitudine cubitorũ centũ.

Ad aliorum ædificiorũ discrimen significandũ, quæ coctili opere perficiebantur hoc dicit, quemadmodũ & Babylonis structura, iuxta loci conditionẽ in campo Sennaar ex lateritio lapide et luto parabatur. Hæc uero Egbathanis iuxta montẽ Orontã cõmodius quadris extrui potuit. Altitudo murorum ad magnificentiã, spissitudo quæ dicitur latitudo ad robur. Turriũ altitudines ad prospectus iactantiã erectæ sunt, triginta cubitis superantes murorũ altitudinẽ, ad pulchritudinẽ operis et tutelã, ex abundanti murorũ, pro uetusta consuetudine. Cũ reuera urbiũ fortitudo, nõ tam robore molis consistat q̃ iustitiæ cultu, unde pax est & concordia, procul ablegatis seditionibus intestinis sceleſtorũ ciuiũ, et factionibus improborũ, quibus labefactãtur res publicæ quamlibet fortes.

3 Per quadrũ uero earũ latus utrunq; uicenorum pedum spatio tendebatur.

Exemplaria quæ nouenorũ habent ferri possunt, nihil pernicioſi erroris importãtia. Protendebãtur autem ædificia turriũ non tantũ sursum, sed in latus quoq; ultra latitudinem muri foris et intra bis uiginti uel bis nouem pedibus, ut fuerit turriũ crassities per quadrum ferè quadraginta cubitorum ampla certe.

4 Posuitq; portas eius in altitudinẽ turriũ, & gloriabatur quasi potens in potẽtia exercitus sui, & in gloria quadrigarũ suarum.

Magnificas statuit portas ad miraculũ ingredientiũ, & terrorem hostiũ, altitudine cubitorũ centum, et iustæ amplitudinis introitũ. Quod scriptũ est de ædificio urbis ferri posset uteunq; in huius mundi moribus, nisi tyrannidis terrorem protenderent huiusmodi. Sed gloriari in talibus impiũ est, quod cõtra hominũ perfidiã nihil prosint, qui sunt beneficijs cõciliandi, et iusto regimine conseruãdi, si absit pcul auaritia et æmulatio stulti honoris.

Quin

Quin potius in domino gloriandum non in principibus, et fauore suorum, unde ipsi quoq; per sapientiam regnare reges possint. Agnoscenda dei bonitas est, à quo omne bonum. Ieremiæ nono: Non glorietur sapiens &c. A deo est potentia omnis, non in curribus & equis, quos proiecit dominus in mare, cũ exercitu Pharaonis, quia se contra dominũ erexerũt, quos solo nutu adobruit uniuersos. Olim uero eius regionis principes, ut & orientales omnes ferè curribus præliabantur.

3 Anno igitur duodecimo regni sui, Nabuchodonosor rex Assyriorũ, q regnabat in Niniue ciuitate magna, pugnauit cõtrà Arphaxat, & obtinuit eũ in campo magno, q appellat Ragau, circa Euphratẽ & Tigrim et Iadason, in campo Erioch regis Elicorũ.

Locorũ istorum nomina nemo miretur apud Ptolemæũ & alios fortassis non inuenri, quæ eatenus didicimus mutata, ut uix unum & alterũ in Germania priscũ recognoscamus, eorũ quæ prisci memoriæ tradiderunt. Quanto minus toties illorũ regnorum urbes confractas, & raro reconditas, ex nominibus ad libitũ hominũ mutatis, agnoscere uelimus. Cui accedit, ut longe aliis uocabulis Iudæi scriptores personas & loca nominarint & nominent, quàm authores sæculares. Quin & Nabuchodonosor hic rex Assyriorum, nusquam legitur, quod meminerim, qui tamen dicitur à quibusdã fuisse Cambyses, Cyri filius, qui mortuo Cyro successit pluribus annis. Et in eadem urbe Niniue, dudum temporibus fortassis Oziæ regis Iudæ destructa, sed lõgo post tempore restituta est. Verum pro confusione historiarum illius temporis, nihil hic affirmare ausim, propter quã discordiã putatur is liber non susceptus in Canonẽ sacrum. Simpliciter igitur accipiendũ est, donec certiora prodantur & probentur circa huiusmodi temporũ historias, et cõcordantiã ipsam ad sacras literas. Non est autẽ uerisimile tantã urbem omnino irreparabiliter fractã, sed fortassis alio sub nomine restitutam per Romanos & alios. De rege quoq; Elicorum nihil certi inuenio, potuit fuisse obscurior aliquis regionis rex uel urbis, ut olim ciuitatũ consules reges appellati sciuntur.

6 Tunc exaltatũ est regnũ Nabuchodonosor, & cor eius eleuatũ est, & misit ad omnes qui habitabãt in Cilicia & Damasco & Libano, et ad gẽtes quę sunt in Carmelo et Cedar, & inhabitãtes Galilæam, in campo magno Esdrelon, & ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem, usq; Ierusalem, & omnem terrã Iesse, quousq; perueniatur ad montes Aethiopiæ.

Veteres scriptores quoties difficilis per historiã passus occurrit, moralem arripiunt explanationem. Sic hoc loco factum uidemus, uerũ præstat circa literalẽ sensum persistere, & Labyrinthos Historicorũ doctioribus & magis otiosis explicandos relinquere. Ad exemplũ primi Nabuchodonosor, qui monarchiam Babylonicã obtinuit, & per superbiam peccans deiectus est, & pœnitẽs restitutus, is quoque Assyrius Nabuchodonosor dicitur

Iudæis, æquè superbus, et similiter humiliandus, quocũq; alio proprio nomine appellatus fuerit. Discimus proximum ruinæ omnem impensius superbientem, præstareq; humilem & paucis esse contentum. Vicimiores Assyrio isti erãt, Cilicia ad occasum, Damascus & Libanus mons ad Austrum ipsi situs, sicut & Carmelus maritimus. Galilæa quoq; ultra Libanum montes ad ripã Iordanis, cui campus adiacet duplex, unus per tractum Iordanis, alius occidentalior prope Galilæam gentium, & montem Tabor, uel Legionis urbem, postea dictam à Romanis. Samaria quoq; restituta hic legitur, quæ & floruit Christi domini temporibus, & Apostolorũ, quamlibet in totum destructa olim à Salmanasar. Trans flumen Iordanis intelligi potest ad utrunq; latus, orientale & occidentis. Ierusalem autem ultra progredientibus ad Austrũ, & montana occurrebat. Terra autem Iesse uidetur nominãda Gosen, non quidẽ illa Aegyptiaca colonia Iacob & filiorũ patriarcharum, quæ Thebaida postea dicta memoratur, sed ea quæ in tribu Iuda ex nomine urbis regio appellatur, Iosue 10. & 15. Montes autẽ Aethiopiæ intelligumtur attingere Arabes Petreos uel Deserti, haud procul Aegypto siti. Dicuntur enim alicubi etiam felicis Arabiæ colonu Aethiopes.

7 Ad hos omnes misit nuncios Nabuchodonosor rex Assyriorũ, qui omnes uno animo contradixerunt, & remiserũt eos uacuos, ac fine honore abiecerunt,

Odiosa omnibus sit & infausta quoq; insolens et nimia superbia, deo & hominibus non ferenda diu. Vno iussionis interuntio credebat omnes mandatis parituros. Quod uero etiã Samaritani numerantur inter rebellantes Assyrio isti, nihil mirũ, iam enim à tempore Salmanasar plura tempora & regũ regnorũq; mutationes acciderant. Omnes quidẽ contradicunt, sed non simili sorte, necdũ tanta erat illius uel Cambisis uel aliter nominati regis potẽtia, ut omnes adhuc ipsum timere possent. Proinde communicato consilio pariter contradicunt mandatis, & sine muneribus uel tributis legatos remittunt, contemptui habentes & legationem & principẽ, qui et illi ipsi superbiæ suæ pœnas daturi erant, ne qualiscunq; superbia uel iniuria putetur utilis cuicunq;. Præstaret bona uerba dedisse, & rebus paucis redditis sponte tyranno, q̃ pariter cum rebus omnibus amissis uitã quoq; prodere. Principũ insolentia nõ irritanda est, sed caute, ubi fieri poterit, declinanda. Sedendũ prius & cogitandum si possit resisti malo, ex uerbis Christi, alioqui legatio instituenda, & paci opportunitas apparanda citius. Non sunt abiiciendi sine honore uel cum contumelia legati, etiam malorum principum, sed cum legitima modestia alloquendi, tractandi, cum tranquillitate remittendi, & in bono, quantum in nobis est, malum uincendum. Principum insolentia.

8 Tũc indignatus Nabuchodonosor rex, ad omnẽ terrã illam, iurauit per thronum & regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.

Superbia semper sibi iunctam habet ignorantiã, imò cæcitatem. Putant tyranni nihil sibi à quoquam negan-

dum. Indagationẽ ſuam furian faciunt, modum ſeruare inſipientes & ſuperbi non poſſunt. Contra omnes iſtos populos actionem inſtituit ſine iure, apud quos eſt pro ratione uoluntas, cui refragari piaculum tenent & inexpiabile. Seſe deos eſſe perſuadent, ideo hic thronum ſuum deum habet, hoc eſt gloriam ſuam unice reueretur & attendit, plane idolum ipſe ſibi. Regni gloriæ omnia poſthabent, iuſtitiam & omne honeſtum, faſtum ſolum ſectantur. Iuratur per id quod deus creditur, is per ſuum genium iurat et fortunam, aliũ enim deum non agnoſcit. Statuit ſe defendere de his regionibus, quarum nulla ſibi bellum ingeſſerat. Omnes ſibi repugnãtes arbitrabatur, qui ſibi non ilico obſequebantur. Sic ſuperbi interpretantur iniurias quicquid negatur, uolunt ſibi eſſe omnes obnoxios. Tales haberi cupiunt ab omnibus, quales ſe ſibi ſtulti ac cæci fingũt. Putãt auferri ſibi quicquid negatur. Leui occaſione offenſi, multarũ gentium calamitatẽ nihili faciunt, modo libidini ſe ulciſcendi ſatisfaciant. Iuramento inſtituens tantũ negotium, nihil addit de dei uoluntate, quin ne deorum quidem mentionem agit. Quia humiliandus erat, ideo nihil præter impia ſinitur cogitare. Sic ſinit deus impios homines ſibi conſulere, et proponere excidij ſui inſtituta, quo minus ſint in iudicio dei et hominum excuſabiles.

Gloriares gnorum.

CAPVT II.

1 ANno tertiodecimo Nabuchodonoſor regis, uiceſima & ſecunda die menſis primi, factũ eſt uerbũ in domo Nabuchodonoſor regis Aſſyriorum ut defenderet ſe.

Deſcripta eſt occaſio belli inſtituendi admodum leuis & indigna, cuius ratio cum nulli ſenſato ſufficiens uideri poſſet, nullumq; ius allegari ſuſcipiendi belli, ſtatim pro ſtultorum captando conſenſu, fingitur non cauſa ut cauſa, allegatur defenſionis ratio, cum ſola libido inuadendi impium regem titilaſſet. Sic faſtuoſi reges conſultant de bellis, ſic uane permouentur, ut nulla non ſit ſufficiens ratio inuadendi quos oderis. Si hic Nabuchodonoſor Cambiſes fuit, adnumerantur anni regni eius cũ regno patris, quo uiuente regnare inceperat, per ſe autem tantum duodecim annis regnaſſe dicitur. Tam diligẽter dies & locus conſcribitur, ut omne illud quanquã impiũ inſtitutum populos opprimendi augurũ & duinorum conſilio et inſtantia ſuſcipiendũ fuiſſe decretũ uideatur. Menſis primus ſecundũ Hebræos capitur, ut Marcius indicetur, idoneus educendis exercitibus. Iuſtus uero titulus prætexitur, ut animus militum & principũ ſolicitetur, quia defendendam ſuſcipiunt æſtimationem regni et regis, cuius maieſtatem læſam interpretantur hoc ſolo, quia non ſe gentes iſtæ pronos illico libidini ſuperborum obiecerunt, & omnia ſua.

Reges bellaces.

2 Vocauitq; omnes maiores, omnesq; duces bellatores ſuos, et habuit cum eis myſterium conſilij ſui.

Verbum in domo regis factum eſt, dum ira ſuccenſus, irreuocabiliter ſecum ſuperbus quoq; ſtatuit, ſeſe ut dictum eſt, defendere de immorigeris gentibus. Quo conſilio captato, iam uel pro more regni uel pro concordiã principum curanda, omnes maiores uocat in conſilium iam præconceptum in ira & faſtu, ut conſortes eos temeritatis inueniat, & belli duces conſentaneos uotorũ, quæ nemo audeat infringere, quamlibet inconſulte inſtituta, & per iracundiam. Myſterium pro ſecreto capitur, non ſpirituale, ſed tamen ſacroſanctum, quia regis propoſitum inuiolabile, & ut diuinum oraculum coli & reuereri uolebat, cui nemo reclamaret. Nihil norunt impij de dei optimi maximi inuocatione in magnis cauſis, qui & ſi audiant uel credant nihil tamẽ reuerentur. Carnem ponunt brachium ſuum. Conſentiunt facile primores & bellaces duces ad oppreſſionẽ populorum, quo euadant potentiores, cum quæ ad pacem ſunt potius rogare conſilia deberent.

3 Dixitq; cogitationem ſuam in eo eſſe, ut omnem terram ſuo ſubiugaret imperio.

Conſilium principum & ducum anteuertit ſuo iam ſecum decreto inſtituto. In hoc totum ſe eſſe imperioſe magis quàm conſilio obtemperaturus prædicit, & quid fieri uelit præſcribit potius quàm conſultat. Semel enim proposuit ſeſe defendere ab iſtis qui illum contempſerant gentibus. Proceſſu autem ambitionis poſt furiam, eò perducitur præſumptionis, ut audeat uelle totius orbis ſibi ſubijcere potentatum. Non metas habet iniuriæ uel faſtus. Omnẽ terram cupit opprimere, quo ſe ſuoſq; efferre, ditare, beare, & glorificare ſtulta opinione ſtudeat & opera. Nihil moderatum cogitant ſtulti reges, ſed maxima ſibi ſomniant fata, prouinciam prouinciæ regnum regno iungere nituntur, donec totum amittant.

4 Quod dictũ cum placuiſſet omnibus, uocauit Nabuchodonoſor rex Holofernem principẽ militiæ ſuæ, & dixit ei: Egredere aduerſus omne regnũ occidẽtis, & contra eos præcipue, qui contempſerunt imperiũ meũ. Nõ parcet oculus tuus ulli regno, omnẽq; urbem munitam ſubiugabis mihi.

Aulicorũ diſcimus corruptelã, quibus ſingula placẽt, quia regis gratiã ambiũt: omnibus aridẽt quia oẽs impij, auari et ambitioſi, regno quoq; et regi infideles magis q̃ ſibi, alioqui ſaniori conſilio pacẽ conſuluiſſent, & paucorum potius iniuriam uindicaſſent, quàm toti terræ bellum indicere ſtulta principũ inſania præſumpſiſſent. Periculum negotij Holoferni cõmendat, ipſe interim partis & rerũ gloria perfruiturus, rex in otio et libidine. Omnibus regnis faceſſere uult negotiũ, propter paucos detrectatores imperij ſui. Nec ſufficit Auſtrũ uerſus procedere ad præſcriptos populos, ſed et Occidentẽ uerſus mittitur, ubi & Cilicia & Aſia minor, & his iunctæ regiones ſubiugandæ ſuſcipiũtur: quãquã et Palæſtina et Phœnicia occidentales dicantur Aſſyrijs, et partim ſint. Parcere prohibetur regnis, uel quod ſanguinis effuſioni nõ temperet, uel quod nulli libertatẽ permittat urbi, ſed & munitiſſima loca quamlibet periculoſo certamine aggrediatur, tantũ in hoc, ut omnia regi pareant, ſubijciãtur, non ut beneuolus profit rex & conſulat, ſed uel inuitis omnibus dominetur. Quid autẽ aliud molirẽtur impij reges,

ges, dei timore uacui, et uerbũ domini non credẽtes, uitæ futuræ præmia nõ credentes, mũdo immersi, & quæ suæ sunt tantũ in omnibus quærentes, neminẽ parcẽtes, tantũ ut libidinentur, & suspiciantur à stultis, timeãtur ab omnibus. Egredi Hebræis est exercitũ ducere contra hostes. Oculũ parcere, est misereri uel dissimulare aut præterire. Non, inquit, tibi subiugabis, sed mihi, tuo periculo & meorum, mei solius gloriam propagabis, cum populi pastores secus animentur.

3 Tunc Holofernes uocauit duces et magistratus uirtutis Assyriorũ, & dinumerauit uiros in expeditione, sicut præcepit ei rex. Centum uiginti millia peditũ pugnatorũ, & equites & sagittarios duodecim millia.

Necessarius est ordo in omnibus, tam urbiũ in pace, quàm exercituũ in bello, cũ militari disciplina, obedientia, patiẽtia, circũspectione, fide, et labore. Ad hæc tanto exercitui præsint plures duces, sub uno principe militiæ, quibus magistratus & manipulorũ ac legionum capitæ præponãtur, ut omnia cũ tranquillitate agãtur, in re turbulentissima bello, quod est malorũ summa, & tamẽ sine legitimo ordine et sapientia digne nõ geritur. Numerus ingẽs et cõgruus destinatur, ut singulæ myriades peditũ adsistẽtes sibi habeãt mille equites et sagittarios. Nondũ erant tot & tanta portenta crudelissima tormentorũ & bombardarũ, quibus obruitur omnis tum ratio et consilium, tum uirilis fortitudo, & audacia compugnantium.

6 Omnẽq; expeditionẽ suã fecit præire in multitudine innumerabiliũ camelorũ, cũ his quæ exercitibus sufficerẽt copiosè, boũ quoq; armẽta, gregesq; ouiũ, quorũ nõ erat numerus. Frumẽtũ ex omni Syria in trãsitu suo parari cõstituit. Aurũ uero et argentũ de domo regis assumpsit multũ nimis.

Expeditionẽ uocat necessariã ad bellum annonã cibi & potus, cum impedimentis bellicis, ut secuturo tanto exercitui nihil necessariorũ desit, quæ more gentiũ illarũ ac terrarũ camelis gestabantur. Curribus autẽ & equis militabant. Syria dicitur regio ista amplissima usq; ad Tigrim, à mari Mediterraneo uel Phœnitio, frumento uino oleo reliquisq; uitæ necessarijs apprime laudata, unde & præ reliquis terris uelut media cõtinuis prælijs obnoxia fuit semp, ab Aegyptijs Chaldæis Arabibus Persis, Medis, Græcis, & tandẽ Romanis, nunc Soldano & Turcæ succẽsiue direptoribus oppressa. Vt uero neruus bellorũ pecunia est, sic huius abundantia multa causam præstat malorũ, et quietos hoĩes manere non permittit. Præstat reges nõ nimiũ diuites sed nec egenos esse, ut moderatius regãt subditos et quietius. Domus regis erogabat stipẽdia. Nõ prodest militia, quæ fit proprijs bellatorũ expensis, nõ enim subibũt spõte pericula suo malo, uolẽt citius redire domũ, parcere impẽsis, inuidere mutuũ, et eis quos credũt belli authores. Sed si honorũ et præmio rum magnificorũ allectamẽtis liberaliter extimulentur. Quanquã & ipsa quoq; præmia de raptu pauperũ & miseria subiectorũ colligantur, ut uideatur quantũ malorũ mundo importet auri sacra fames, & q̃ longe felicior

pecuniarũ abundãtia.

uita sit, habere uictum & amictũ, hisq; esse contentum.

7 Et profectus est ipse & oĩs exercitus cũ quadrigis & equitibꝰ & sagittarijs, qui coo peruerunt faciem terræ sicut locustæ.

Ex locustis nihil expectatur nisi frugum omnium & fructuũ pernicies, ad nihil utilibus, q̃ ut sua multitudine obturbent omnia. Sic longe perniciosior est militum tantus exercitus, ubi ferè plura disperduntur quàm iusto usu absumantur. Proficiscitur in primis dux exercitus, quem sequuntur audaciores stipendiarij, circũdati ducibus & equitibus, muniti quadrigis et sagittarijs, tãta quoq; multitudine suorũ freti, minime de domini dei auxilio uel fauore soliciti, nihil enim de hoc uspiã scribitur, cum sit omniũ præcipuũ, gratia eius, et auxiliũ, qui est dominus deus exercituũ, nõ solum angelicorũ, sed et inferiorum. Hyperbolicæ autẽ locutiones maxime locũ habent in historijs bellicis, quo minus numerorum obseruatio exactior scrupulosius inquiratur tam militum q̃ desideratorũ, qui pro studio partiũ uarie æstimantur, etiã in sacris literis. Hyperbolæ militares.

8 Cumq; pertransisset fines Assyriorũ, uenit ad magnos montes Angæ, qui sunt à sinistro Ciliciæ, ascenditq; omnia castella eorum, & obtinuit omnem munitionem.

Quanquã à principio sedẽ regni iste Nabuchodonosor habuerit in Nino, sed post uictoriã de Medis superbior statim factus, et bellũ auspicatus tbidẽ, collecto exercitu ex Medis et Partis, ad Occidentẽ proficiscens, Assyriam peragrauit, per fines scilicet Mesopotamiæ, Syriæ, cuius Damascus metropolis erat, ad læuam obmissa ad dexterã habens montana Tauri. Ciliciam recta pergebat, cuius statim occurrentia montana huius Historiographi tẽporibus uulgo Angæ dicta sunt. Quibus in montanis omnia sita castra uel arces occupauit, & omniũ obtinuit munitiões ne quis resistere præsumeret. Obtinuisse dicitur non uastasse, quanquam & id quoq; subintelligi possit. Tãto regis exercitui obstabat nihil. Sic tyrannorũ fortalitia cedũt improbioribus, et contra hostes instituta præsidia reuoluta uictoriarũ fortuna, prosunt hostibus.

9 Effregit aũt ciuitatẽ opinatissimã Melothi, prædauitq; omnes filios Tharsis, & filios Israel, qui erant contra faciẽ deserti, et ad Austrũ terræ Cheleon. Et trãsiuit Euphratẽ. Et uenit in Mesopotamiã, & fregit oĩes ciuitates excelsas, quæ erant ibi, à torrente Mambre, usq; quo perueniatur ad mare, & occupauit terminos eius à Cilicia usq; ad fines Iaphet, qui sunt ad Austrum.

Vt omnia ferè propria nomina hominũ nobis ignota, et aliter quàm in diuinis reliquis uel sæcularibus scriptis pronuntiata sunt: sic locorum quoq; descriptiones confusius annotatæ uidẽtur: quæ tamẽ omnia, ad authoris institutũ minus pertinẽt, & à sanctis patribus neglecta cõspiciũtur, Geographiæq; gentiliũ alijs utuntur nominibus. Quæ enim fuerit Melothi, opinione omniũ famatissima, et ubi sita nõ cõstat: alij opimatissimã legũt quasi gentiũ spolijs ditissimã. Filij Tharsis in sacris dicũtur mediterraneæ urbes, insulæ & mare ipsum: quanq; et Ciliciq Tharsis in sacris.

Tharsum urbem habeat, Pauli apostoli patriam. Filij Israel, alij legunt filios Ismael, qui Edomitæ sunt, & ad Austrum respectu Iudææ è regione deserti Arabici. Terra quoq; Celeon alio aliquo nomine in scripturis nominatur haud dubie, quando nomina pro bellorum tumultibus continuo, & lapsu temporum uariantur. Transitus Euphratis & aduentus in Mesopotamiam, sicut & alia sine ordine Historico recitantur. Siquidem nõ instituit tam historiam scribere, quàm prouidẽtiæ diuinæ gratiam circa sibi deuotos, durum autem iustumq; iudicium ad improbos tyrannos docere. Fregisse dicitur omnes excelsorum murorum urbes, & castella sita in collibus. Sic tyranni persequuntur tyrannos, & munimenta ciuium non ferunt, sed permitti sibi uolunt licentiam grassandi in quoslibet. Id sibi impij gloriosum ducunt & iucundum, pluribus nocuisse, dei aduersarij. Quis dicatur torrẽs Mambre nõ uideo, potuisset transtulisse torrentẽ generaliter illustrẽ. Mare quo peruenit hic Holofernes, intelligi non potest nec Hircanum nec Sodomiticum, nec Rubrum, sed quod alluit Ciliciam. Fines quoque Iaphet ad Austrum sitas doctior interpretetur quispiam, nondum enim capio.

Scopus scriptoris.

10 Adduxitq; omnes filios Madian, et præ dauit omnẽ locupletationem eorum, omnesq; resistentes sibi occidit in ore gladij.

Quomodo adduxerit filios Madian nõ uidetur, quàm quod Madianitarum regione uastata, & mandata recusantium partẽ occisa, residuos bellicosos militiæ suæ adiecerit, rapinas prouintiarum perfecerit, & cunctas sibi illarum partium gentes subiecerit, tributo grauauerit, imò diripuerit illorum possessiones cunctas.

11 Et post hoc descendit in cãpos Damasci in diebus messis, et succẽdit omnia sata, omnesq; arbores et uineas fecit icidi, et cecidit timor illius sup omnes inhabitantes terrã.

Post terminos Iaphet Australes cum Madianitis subiectas, & bonorum omnium & diuitis Arabiæ depræda tionem, cum denuo ascendisset secundum Iordanis tractum ulteriorem, donec superasset montes Hermonios et Libanum, tunc in subiectam Campaniam Damascenam descendit, & segetes ad messem iam maturas crudeli malitia succendit, hominibus et iumentis inuidens dona dei, et contra naturæ legem à Mose repetitam arbores fructuosas succidit & uineas. Vt sic immani crudelitate merito omnibus & formidolosus esset & odiosus, omnibus illarum gentium terris onerosus & intolerabilis.

CAPVT III.

1 VNc miserũt legatos suos uniuersarum urbium ac prouinciarum reges ac principes, Syriæ scilicet & Mesopotamię, & Syrię Sobal, & Libyę, atq; Ciliciæ, qui uenientes ad Holofernem, dixerũt: Definat indignatio tua circa nos.

Quæ circa hunc librum & alios ob Geographiam dubia uel notatu digna uidebuntur, studiosus Lector inueniet in nuper ædito nobiscum compendio trium terræ partium, eruditissimi pissimiq; uiri Ioachimi Vadiani Heluecij, Sangallensiũ prudentissimi consulis, cuius longe celebrior est dignissimæ gloriæ fama, quã ut uel modicam eius portionẽ assequi confidã. Hunc lege de Syriæ prouincijs & Asiæ, qui præcipuo studio prosecutus est ea loca, quæ sacrarũ scripturarum commemoratione celebriora sunt mũdo. Syria Soba scribẽda uidetur, nõ Sobal, nisi secundũ tempora mutato nomine. Sic et pro Libya quæ secus Aegyptũ est in Africa, fortassis Lidia legi deberet, quæ regio est Asiæ minoris, non longe distans à Cilicia, quam subinde nominat.

2 Melius est enim ut uiuẽtes seruiamus Nabuchodonosor regi magno, et subditi simꝰ tibi, quàm morientes cum interitu nostro ipsi seruitutis nostræ damna patiamur.

Implorant gratiam hominis, qui in deũ omnipotentẽ & omniũ prouisorem fiducia nulla consolabantur. Seruitutẽ eligunt, qui spiritu filiorũ dei & libertate sancta caruerunt, prudentiores in simili casu Iudæis, qui omniũ calamitatũ genera potius experiri cupiebant, q̃ similia suadenti Ieremiæ de Babylonico Nabuchodonosor suscipiendo, acquiescere. Mala quidem est seruitus, sed peior longe mors est, cuius cõparatione bonũ dicitur uiuere et seruire. Seruunt quidẽ regi magno tributa pendentes et obsequia, sed Holoferni sese submittunt sponte, ne coacti simul uitã cum diuitijs amittant. Huiusmodi angustijs dominus in tempore uindicat peccata populorum, ut tyrannide opprimantur, qui naturæ leges transgrediuntur.

3 Omnis ciuitas nostra, oñisq; possessio, omnes montes & colles, & cãpi, & armenta boũ, gregesq; ouiũ & caprarũ equorũq; & camelorũ, & uniuersæ facultates nostræ atq; familię in conspectu tuo sunt. Sint omnia sub lege tua. Nos etiam & filij nostri serui tui sumꝰ. Veni nobis pacificus dominꝰ, & utere seruitio nostro sicut placuerit tibi.

Verba sunt populorum sese totos dedentium & regi deuouentiũ & seruitutis iugum amplectentium pro se & posteritate, unde nata est seruitus in gentibus & tyrannis regum, ut quiduis audeant in subditos. Discimus ueterum diuitias & facultates in primis fuisse usum animalium, quorũ laboribus & fructu fruebãtur. Nihil hic de auro & argento, quæ sine clementia rapiebantur in bello. Legibus subijci consentiunt uincentiũ regum, ipsi & seruuli, sine quorũ seruitio abundãtia armentorũ & pecorũ administrari nõ potest. Optãt quidẽ dominũ, sed pacificũ, sub quo quiete uiuere liceat et partis gaudere. Seruitiũ pollicẽtur, sed quod homines deceat et principi clemẽtia exigere cũ gloria possit et laude uirtutis, quod pulcherrimũ sit dominari liberaliter et sp̃ote parẽtibus.

4 Tũc descẽdit Holofernes de mõtibus cũ equitibꝰ in uirtute magna, & obtinuit oẽm ciuitatẽ munitã, & omnẽ inhabitãtẽ terrã. De uniuersis aũt urbibus assumpsit sibi auxiliarios, uiros fortes & electos ad bellum.

Est inter alias Syrias duplex, quarũ una cãpestris alia tur et plana, alia alta et montana. Videtur aũt in primis occupasse

occupasse exercitu suo altiores montes et arces, nempe munitiora loca, quibus captis, humiliora consternata se dederent promptius. Vnde nunc cum exercitu dux descendit ad humiliorem Syriã, facile potitus dominio urbium & ciuium: unde instaurauit exercitum, & militem elegit pro uoto, quo continuo increscente exercitu cum annona inuincibilior & terribilior cæteris immineret. Hæ sunt enim artes uincentiũ, & miseriæ uictorũ, prouinciarum calamitates, ex his, quos in pace omnia gubernare, & patres patriæ pauperumq; tutores esse oportebat.

5 Tantusq; metus prouintijs illis incubuit, ut uniuersarũ urbium habitatores principes et honorati simul cũ populis exirent in obuiam uenienti, excipientes eum cum coronis et lampadibus, ducentes choros cum tympanis & tibijs.

Tanta rerum uicissitudo inter homines fit ob tyrannidem, tantæ clades sine dei timore uiuentium, ut cogantur impios timere & ferre. Nedum populorum uulgus mobile sponte se subdit, sed & principes & nobiles potentiori subduntur uel inuiti. Simulant amorem & cultũ eius, quem perisse mallent. Sic enim omnia in mundo plena sunt simulationum & hypocrisi, rarissima fides & synceritas. Excipiuntur impij triumphatores, & in superbia firmantur, ut sibi placeant, ut deos se credant, & omnibus meliores, sicut & fortunatiores. Sed tunc proximius appellit illis lapsus, dum altius despiciunt subiectos. Dum honores nimios admittunt & amant, proximius imminet interitus. Describitur pompa triumphantium, ubi coronæ uariæ commilitonibus tradebantur. Lampadibus ornabatur processio, ueluti uidimus in nostris solennijs diuorum. Non tamen chori desunt puellarum, et gaudium profusum ad speciem, propter illum quem perditum conspicere mallent. Musica adest ad oblectamentorum plenitudinem uanam.

6 Nec ista tamen facientes, ferocitatẽ eius pectoris mitigare potuerũt. Nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit. Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terrę exterminaret, uidelicet, ut ipse solus diceretur deus, ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subiugari.

Vetus insania gentilium tyrannorum, non solum timeri uelle in uita, sed & post mortem, unde diuinitatem quandam sibi arrogare et tribui cupiuerunt, & pro omnu uiribus conati sunt præ alijs et supra mortales honorari. Et uicissim omnium gentium studia erant, deos suos quos semel suscepissent colẽdos, mordicus defendere, et pro aris focis & lucis sese exponere. Sic illæ gentes, mã suefacere cupiebant omnibus officijs suis, pro salute quidẽ patriæ & suorũ, sed maxime, ne idola sua frangerentur, ne diui dehonestarentur, & auita religione spoliarentur. Ideo occurrebant duci, sed nequicquam. Timeri maluit tyrannus existens quàm amari. Pertulit autem illius nebulonis insolentiam omnipotens deus, quamdiu

exercere tentauit crudelitatem suam in idololatras, & impias nationes, quamdiu diuis & imaginibus facesse-bat negotium, & falsos deos cum illorum cultoribus eliminabat: aliud propediem acturus, cum tetigerit pios, & pupillam oculi sui, cultores ueræ pietatis. Exemplum acceperat hic impius rex ex primo uel secundo Babyloniorum rege, qui sese adorari præceperat, sed à domino castigatus resipuerat, quam hic tamẽ resipiscentiã non æmulatur. Fortassis ea potissimum & sola ratione hoc nomine Nabuchodonosor appellatur rex Assyriorum, quocunq; alio nomine dictus fuerit. Nam de nominibus parum curæ fuit huic pio Historiographo, sed magis de exemplo docendo, & cultu unius ueri dei, deq; eliminatione, contemptu, & nullitate idolorum & gentilitiæ religionis uel superstitionis. Hic enim scopus est huius libelli, ut religio uera doceatur, & fides uera in uerum deum. Ideo hic meminit de exterminio deorũ falsorum, & de blasphemia perfidi regis: qui ut sese erigeret contra deum, idola quoq; contra dei cultum erecta dudum cupiebat non extare, ut ipse solus coleretur, sed subito de solio præcipitandus. Libelli scopus.

7 Pertransiens autẽ Syriam Sobal, & omnem Apamiam, omnẽq; Mesopotamiam, uenit ad Idumæos in terrã Gabaa, accepitq; ciuitates eorũ, & sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit uniuersum exercitum uirtutis suæ.

Insignia loca Syriæ multa sunt & territoria, habentia nomina sua ab urbibus maioribus, qualis hic quoq; dicitur Apamia. Vt sunt quoq; Damascus, Antiochia, Hemathia, Sidonia, Samaria, & cæteræ. Mesopotamia autem alio nomine dicitur Syria fluuiorũ, quia media inter Eufraten & Tygrim. Idumæos quoq; recenset alio nomine, filios olim Esau, ubi mons Seyr, id est montana australia, quæ hic Gabaa dicuntur, quod excelsum interpretatur. Sæpe autem capitur pro colle, quando & non pauca oppida collium nomine uocabantur, quod & in nostris fit regionibus. Sedit in obtentis ac direptis oppidis, & cum calamitate uictorum quieuit, ad redintegrandum exercitum, ut amplius subinde rapere posit et perdere. Sparsus enim fuerat exercitus, pro inuasione populorum, quem contrahi oportebat.

CAPVT IIII.

1 IVnc audiẽtes hæc filij Israel, qui habitabãt in terra Iuda, timuerũt ualde à facie ei⁹. Tremor etiã et horror inuasit sensus eorũ: ne hoc faceret Ierusalẽ & tẽplo domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus & tẽplis earum.

Describitur consequenter bellum gestũ contra Iudæos, qui & ipsi aliorum exemplo populorum uicinorum rebellauerant regi tyranno. Quanquam nuper reuersi essent, & non admodum uirtute creuissent, fiduciam tamen habuerunt in dominum, qui si illos disperdi uoluisset, non tam clementer nuper ad propria reditum or-

Reuersio Israelitarum.

dinasset. Dicuntur autem filij Israel habitatores Iudææ, quia de omnibus tribubus plures redierant: nec aliud unquam postea nomẽ assecuti sunt, quàm ut pariter Iudæi nominarẽtur, usq; ad secundam Hierosolymæ destructionem, & in hunc usq; diem. Quandoquidem & iuxta prophetarum oracula, tota gentium multitudo, ad dei unius cultum cõuersa, Israelitarum nomẽ sacrosanctũ, dignumq; uocabulum sunt assecuti. Hic uero dicuntur filij Israel, quia de duodecim tribubus nati sunt, nuperq; reuersi, gratia regum Persarum. Timuerunt uero consecij sibi de infirma manu, qua tanto regi, sicut & aliæ tot nationes, resistere sine miraculo dei non ualebant. Formidabant autem & illi tyrannidem, quam exercebat in homines, ob religionis odiũ, & quia uix iam multis angustijs Hierosolyma restaurata fortassis erat, et tẽplum cum religione uera, quam ubiq; impius tyrannus persequebatur, et in primis exosos Iudæos habebat, more prisco et omnium gentilium. Græcus hic addit, Quia recenter fuerant ascendentes de captiuitate, & nuper omnis populus congregatus fuerat ex Iudæa, & uasa et altare & domus à prophanatione sanctificata erant.

Additio.

2 Et miserunt in omnẽ Samariam per circumitum usq; Iericho, & præoccupauerũt omnes uertices montiũ. Et muris circundederunt uicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ.

Videtur iuxta historiam hanc denuo inhabitatam fuisse ab Israelitis terram multam, quando & Samariæ regio passim incolas habebat Iudæos, beneficio Darij et aliorum Persarum. Vnde & sese tueri parabant tempestiue, in opportunis locis et naturaliter tutioribus. Vnde & montiũ uertices, & itinera difficiliora præoccuparunt, & quæ ad rebellionem parandam proficerent prouidentia humana non obmiserunt interim, quæ sunt munitio oppidorum, prouisio annonæ et armorum cum similibus, sine quibus hostilis impetus non sustinetur. Vtcunq; enim religiosiores iam effecti, & unius dei cultores, in dominum confiderent, quicquid tamen humano consilio fieri ad gentis tutelam poterat, obmittere non debeant, exemplo sanctorum Ezechiæ & Dauidis. Non enim tentandus est dominus, etiã à fidelibus. Quin & pugnam detrectaturi nõ fuerant, si sic dominus ordinasset. Tantum abest, ut otiosi homines et pij sese impijs ad libitũ semper subijcere teneantur. Et hic quoq; Græci addunt Bethoron & Belmen & ad Choba & Esora & uallem Salem: & addunt rationem, quoniam recenter erant campi eorum demessi.

Deus non tentandus.

3 Sacerdos etiam Eliachim, Græci Ioachim, scripsit ad uniuersos qui erãt contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni, iuxta Dothaim, & uniuersis per quos uiæ transitus esse poterat, ut obtinerent ascensus montiũ, per quos uia esse poterat ad Ierusalem, & illic custodirent ubi angustum iter esse poterat inter montes.

Legimus quidem alicubi, Ezriel, Asriel, Estoel, sed Esdrelon hic tantũ inuenitur. Dothaim autem in Genesi, & quarto Regum sexto habetur. Nomina sunt locorum, hic uero urbium esse conijcitur. Et campus magnus uel uallis amplissima inter montes Gelboe & Hermon cognomento minorem, qui fortè campus etiam dictus est Esdrelon, cum sit pars Aulonis. Dothaim uero quæ & Dothan Septentrionalior est ipsa Samaria, duodecim milibus ab ea distans. Non procul à montibus Gelboe. In quibus & alijs locis, ubi transire poterat hostilis exercitus, præsidia posuerunt cum custodibus, ne montium accensus occuparẽtur. Ne si obtinuissent montana, haud dubiũ, quin montes Effraim dicti, inter quos sunt Acrabitenæ regionis montana, in quibus Bethulia tunc dicta ciuitas erat, fortassis ab hoc qui hic scribitur euẽtu nouãter appellata, Domus diuinitatis, quia ab hostibus obsessa, per dei auxilium fuerit liberata in manu fœminæ.

4 Et fecerũt filij Israel secundũ quod constituerat eis sacerdos domini Eliachim.

Obedientia populi ad præfectos semper quidem laudabilis, sed maxime necessaria bellorum periculis, quando oratione & circumspectione opus est piorum et sapientum, quales esse debent sacerdotes, ut hic Eliachim summus pontifex, qui regimen populi in temporalibus quoq; administrasse uidetur. Alio nomine Ioachim dictus, ut ferè omnes nomina plura sortiebãtur etiã pontifices. Alioqui de Eliachim sacerdote summo, nihil apud Iosephum legitur hoc tempore. Nec tamen hic additur summus pontifex, sed dominu sacerdos dicitur, pius & sanctus, fideliter gentis Iudaicæ incõmodis prospiciens, dei spiritu afflatus.

5 Et clamauit omnis populus ad dominũ instantia magna, & humiliauerũt animas suas in ieiunijs & orationibus, ipsi & mulieres eorum.

Quæ secundum humanam prudentiam & ad mandatum fidelis pontificis fieri poterant, nõ obmissa sunt. Sed quia dominus illorum uolebat misereri, & glorificari nomen suum, ac superbissimum Holofernem cum suo rege damnare, uincíq; turpiter, ideo nunc gratiam populo largitur, & sacerdotibus, digne, feruenter, humiliter et perseueranter ex fide orandi et clamandi, nõ ad aliũ quàm unũ suũ uerũ et omnipotentẽ deũ et dominum, communibus uotis et desideriorum feruẽtibus studijs, hoc est, magna instantia. Nec tantũ uotis et uerbis, sed & ieiunijs & animarum humiliatione, ut nubes oratio penetret. Simul cum mulieribus, non sine paruulis, exemplo Niniuitarum. Vult quidem huiusmodi pios deus succurrere, sed & orare calamitosos & periclitantes uult & mandauit.

6 Et induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerunt contra faciẽ templi domini, & altare dñi operuerunt cilicio.

Non quidem moueri dominus potest huiusmodi cerimonijs ciliciorum et cineris, sed pro hominum conditionibus affectionibus permouendis ad humilitatem & feruorem orationis, ut mutuum huiusmodi signis homines animentur ad pietatis affectum, non sunt obmittenda in loco tempore & causis. Veruntamen hæc animorum humiliatio

ypocrisis
o inuisa.

miliatio ſuapte anguſtia promouetur, ut non ſit locus hypocriſi: quæ ſi adſit, omnia confundit & reddit inania. Nihil enim deum offendit magis quàm hypocriſis, & ſimulata pœnitentia duplo peccatur apud ſcrutatorẽ cordium, cui omnia patent, & qui corda exigit, duplicitatem maxime auerſatur: Contra faciem templi non ſolum Hieroſolymis procumbebãt orantes uerſus templum ex atrijs plebis & Leuitarum, ſed & in urbibus cæteris, uicis & domibus orantes uultus conuertebant ad Hieroſolymam oraturi, ut Daniel quoq;. Aram autem domini operiri cilicio, uidetur humiliationis cuiuſdã ſigna prætenſa eſſe, & in ſacrificiorum eſu non ſolennibus ſed ſordidioribus ueſtibus fuiſſe amictos, ut ara intelligatur pro menſis, ubi ſacrificia edebantur à ſacerdotibus. Omnia enim prætendebant pœnitentiam cum luctu.

7 Et clamauerunt ad dominum deum Iſrael unanimiter, ne darentur in prædã infantes eorum, & uxores eorum in diuiſionem, & ciuitates eorum in exterminium, & ſancta eorum in pollutionem, & fierent in opprobrium gentibus.

Cõcordia in uotis & orationibus pijs à domino eſt, & non poteſt non exaudiri. Ad dominum deum ſolum dirigenda eſt oratio digna, qui ſolus omnia nouit & moderatur, qui patrem ſe nobis ſemper affuturum promittit, ſi toto illi corde ſupplices fuerimus. Sine inuidia & ſimultatibus uel diſcordia orandũ eſt. Allegant quod maxime mouere poſſet mobilem, prædã infantum: & certe patitur dominus ſe affectibus hominum conuenuri, qui eſt cognitor figmenti ſui. Quid autem atrocius infantium præda uel occiſione? Vxorũ diuiſio, eſt diſtractio illarum à marito, cum quo ſunt ut unum corpus & anima una. Ciuitas exterminatur, dum uel diripitur uel euacuatur ciuibus, uel ſubuertitur ut ſit inhabitabilis. Sancta pollui, eſt contra legem & fas ab impijs & prophanis adiri uel rideri, aut diripi in blaſphemiam ſanctiſanctorum: in oraculum enim ſanctum non niſi ſummus ſacerdos, & in anno tantũ ſemel ingrediebatur ad incenſi oblationem. Quam ſanctificationem ſanctiſſimam à pollutis gentibus contaminari indigniſſime ferebant, quia in blaſphemiam dei cedere dolebant, & in gentis religioſæ contemptum & ipſius quoq; religionis.

ncta pol-
.

8 Tunc Eliachim ſacerdos domini magnus circumiuit omnẽ Iſrael, allocutuſq; eſt eos dicens, Scitote quoniam exaudiet dominus preces ueſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiunijs & oratiõibus in conſpectu domini.

Siue ſummus fuerit pontifex populi rector, ſiue religioſior quiſpiam ſanctus, populi amator, & diuini cultus zelator, opus certe egit dignum domini ſacerdoti: omnem Iſraelem qui tunc ex omnibus tribubus non pauci conuenerant de benignitate regum Perſarum, & loca ſibi opportuna extruxerãt, paulatimq; uires reſiſtendi recuperaſſe uidebantur, quemadmodũ & iuxta tempus plurimum auctiſunt uſq; ad Antiochos & Herodes, hortatur nempe ad perſeuerantiam in oratione & ieiu-

nio, quæ continuari ſine fide non poſſunt, nec placere deo. Non quod aliud nihil agant quàm procumbere, ſed animo deuoto ſemper domini efflagitare clementiam, et nihil ardentius deſiderare quàm gratiam circa ſe dei, et interim aduti ad uoluntatem domini iuxta legẽ dei explendum, id quod eſt orare in conſpectu domini, ipſo ſcilicet approbante. Additur autem: Scitote, ut certos reddat & fide firmos in dei gratiam, de qua ut uere fideles minime dubitent. Non enim exauditur ſine fiducia exauditionis interpoſita oratio: uult enim bonus dominus & haberi & credi à fidelibus, & ſine cunctatione accedi.

9 Memores eſtote Moyſi ſerui domini, qui Amalec confidentem in uirtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibꝰ ſuis, nõ ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit: ſic erunt uniuerſi hoſtes Iſrael, ſi perſeueraueritis in hoc opere quod cœpiſtis.

Exemplo utitur ad perſuadendum fidem exauditionis, quia non defecerit nec gratia nec uiribus ad ſuos fideles, per omnia immutabilis fideliũ pater. Moſen orantem toties exaudiuit, Samuelem, Ezechiam & Iſaiam contra hoſtes piorum, in ſuas tantum potentias confidentes, cum ſolius dei ſit uictoriæ alea, quam dat humiliatis, non præſumptuoſis. Diſcant quacunq; ratione bella gerentes, etiam ſi iuſta credantur, ut non ſuperbiant, uel iactitent ſe, uel præſumant de armis & impedimentis bellicis quibuſcunq;, non de multitudine uel fortitudine exercitus: etiam inter belligerandum ſeſe domino committant, & corde fidant & orent. Maxime uero id noſtris temporibus non fuerit ſummopere humanis uiribus adnitendum, cum omnia ferè fato accidere uideantur, id eſt, ſola domini gratia, quia bombardarum inuicta iacula nulla poſſunt uel fortitudine uel prudentia ſuperari, domino non ſeruante ac multum propitio. Proinde non tam armis & robore pugnandum hic docemur, quàm ſanctis precibus, quibus intermiſſis & neglectis certum habetur indicium cladis & infortunij. Id ſi minus fieri poteſt generaliter in exercitu, domi tamen non eſt intermittenda continua oratio fidelium, qui nunc ſacerdotes haberi debent omnes, quorũ grata eſt oratio penes deũ. Exemplum uero Moſis ſolis precibus militantis, non eo rapiendum eſt, ut nihil armis decertatur, quando Ioſue tunc quoq; manibus rem agebat cum ipſo populo dei, bella fortiſſime gerente & urgente. Sed non expedit ſenes & conſiliarios duces, multo minus ſacerdotes congreſſuum aciebus periculoſiſſimis obijci, ſed foris conſilio prodeſſe & exhortationibus, domi orationibus & obſecrationibus deuotiſſimis. Id ſi fiat nihil ualebunt hoſtes fidelium: quod ſi obmittatur, nihil certius quàm impendere exterminium, fidei adeſſe detrimentum, orationibuſq; non fidere uel gratiæ dei, ſed temeritate quadam tentare fortunam, dominum non ſuſpicere ſolum. De Amalechitarum ſtrage, ad mandatum domini perfectam, & de orationis fortitudine & neceſſitate in bello, habes Exodi 17.

Bella quomodo gerenda à fidelibus.

10 Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes dominum, permanebãt in conſpectu domini, ita ut etiam hi qui offerebãt domino holocauſta, præcincti cilicijs offerrent ſacrificia domino, & erat cinis ſupra capita eorum.

Supplicationes quo modo faciendæ.

Quæ hic ſacrificia facta ſcribũtur, intelligenda ſunt de loco Hieroſolymorum, ad quem pius pontifex quos poterat conuocauerat, & ſupplicationes ibidem generales inſtituerat cum legitimis ſacrificijs et ceremonijs, ad animorum humiliationem opportunis, cum exhortatione eximia & religioſa, ut non niſi dominum deprecarentur, nõ aduocarẽt interceſſores patriarchas, ſanctos prophetas, & reliquos, quales non inacceptiores habuerũt tunc quàm nunc nos Chriſtiani, qui præter Chriſtũ dei filium & Meßiam regem nullum agnoſcere debemus interceſſorem, cui id officij ſoli & uni commiſſum eſt, ut unico ſummo & perpetuo ſacerdoti, cui nihil pater negare poteſt, in quo officio ſibi alium præferre, uel magis confidere de alterius exauditione, non poteſt non Chriſto ut blaſphemia in ſuum officium & amorem in homines diſplicere. In conſpectu domini permanebant ſacerdotes domini deprecando, donec ad alia quoq; peragenda rerum neceßitate, & conſilio ſpiritus diuini mitterentur, quod non ſit tentandus dominus. Cilicijs indui ſacerdotes intelligendum eſt de humiliatione animorum, ut non tam gratulatoria tunc fuerint quàm deprecatoria, non tamen obmißis ceremonialibus ueſtimentis illis, qui ſecundum legem in loco ſacro ſacris uti debebant. Quanquam & in illis diſpenſatio locum habebat, ſecundum iudicium fidei & ſpiritus prophetici, qui nunquã deerat fidelibus & digne orantibus, quorũ ſpiritus contritus & humiliatus domino ſemper placuit in ſacrificantibus.

11 Et ex toto corde ſuo oẽs orabant deum, ut uiſitaret populum ſuum Iſrael.

Orationes pro quibus & quales.

Certißimũ ſalutis ſignum erat oratio idonea de corde fideli, toto affectu domino ſupplicantis, communi uoto & deuotione. Omnes, inquit, orabant deum ex toto corde, non pro uictoria, non pro regno, non contra hoſtes, ſed ut ſanctificaretur nomen domini dei ſui, ut conſueta ſua gratia & clementia uiſitaret populum ſuum Iſraelem, conuerſum toto corde ad dominum. Viſitaret, inquam, modo & medio ſibi complacito, qui ſolus nouit quid proſit fidelibus ad ſanctificationẽ nominis dei, quam ut deus unice intendit, ſic fideles eam præponunt omnibus deſiderijs. Illis autem orantibus dominus ordinat opportuna media optatæ ſalutis. Multum hoc loco diſcrepant Græca exemplaria à noſtris Latinis, ut uidere eruditiores poſſunt, ſimpliciores quibus ſcribo nihil deſiderabunt.

CAPVT V.

1  Vnciatumq; eſt Holoferni principi militiæ Aſſyriorũ, quod filij Iſrael præpararent ſe ad reſiſtendum, ac montiũ itinera occluſiſſent, & furore nimio exarſit in iracundia magna:

Nunquam deſunt fidelium obtrectatores, quia ſemper mundus plenus eſt perfidis, pietatem & pios odientibus. Qui domino ſeruire percupiunt, obnoxij ſunt malorum delationibus. Curiæ principum inſipientium uel uanorum plenæ ſunt aſſentatoribus. Accuſator fratrum non dormit. Circuit ſatan ſemper ad dei populũ affligendum, ſed non poteſt quantum uellet mali in electos. Illuditur à domino ſatanæ illuſori: uelit nolit obſequi cogitur creatori, & contra ſe uertuntur quæcunq; contra fideles ſubornat. Holoferni ſtudia communia ſunt omnibus impijs & ſuperbis huius mundi amatoribus, & ſatanæ regnis ſubditis. Præparant quidem ſe fideles ad reſiſtendum, non tantum fortalitijs, ſed orationibus, ieiunio, cinere & cilicio: ſic enim contra ſuperborum regem ſatanam filij lucis & fidei ſe tutantur. Sunt enim filij Iſrael, qui in domino poſſunt omnia, quibus deus nihil negat, ſed ut pater filijs inuigilat, reſiſtunt dæmoni armatura uirtutum omniũ. Maxime autem humilitate uincitur hic hoſtis, & montium ſuperborum itinera præcluduntur, dum de ſe ſuisq; uiribus nihil fidunt fideles, ſed tantum murũ in domino tranſiliunt. Non putauerat faſtuoſus dux exercitus impij quicquam quenquam poſſe contra uirtutem Aſſyriorum, mirabatur fiduciam Iſraelitarum, quia dominũ deum Iſrael ignorabat. Neſciunt dei fortitudinem, qui infirma ſua non agnoſcunt. Dei gratiã non põderant, qui ſuis meritis nimis tribuunt. Superbia contẽpta in furiã uertitur. Dei gratia impij cõfundũtur.

2 uocauitq; omnes principes Moab & duces Ammon, & dixit eis: Dicite mihi quis ſit populus iſte qui montana obſidet: aut quæ, aut quales, & quantæ ſint ciuitates eorum: quæ etiam ſit uirtus eorũ, aut quæ ſit multitudo eorum, uel quis rex militiæ illorum: & quare præ omnibus qui habitant in oriente (aliâs in occidente) iſti contẽpſerunt nos, & non exierũt in obuiam nobis, ut ſuſciperent nos cum pace?

Subiugauerat iam populos infideles, quia auxiliatorem dominum ignorabant, iactati de ſeruitute una in aliam, iam Palæſtinorum, iam Aegyptiorum, iam Babyloniorum, nunc Aſſyriorum. Iam conſilium conuocat uiribus oppreſſorum, & pariter impiorum, inter quos tamen non omnes reperit impios: ubiq; enim gentium ſuos agnoſcit & ſeruat, ne temere iudicemus. Fidelibus etiam perfidi ſeruiunt & proſunt, & aliquando contra inſtitutum ſuum mali ſancte conſulunt, ſicut & Caiphas. Non erant hoſtiliores uicini Iſraelitis q̃ Moabitæ & Ammonitæ, qui ad omnem occaſionem proſtabãt ad faceſſendum negotium Iſraelitis, quorum regiones olim ab impijs ablatas ipſi Iſraelitæ domino iubente poſſederant. Ab illis requiſiuit conſilium, quod ut uicini & hoſtes maxime iniquum & pernicioſum reſpondere poterant, niſi dominus meliora prouidiſſet. Montana de quibus intẽdit erant Iudaica, Acrabitena, Ephraimitica, uſq; ad Galboe & illis finitima, quæ oĩa olim plena fuerant florẽtiſſimis urbibus, nuper aliqua ſui parte reſtituta, & populoſiora facta & robuſtiora. Interrogat autẽ

Gentilis religio or quàm dæorum

tyrannicos

tyrannicus dux, quibus nominibus appellarentur urbes, qualibus præsidijs & fortunis munitæ essent, quantæ in multitudine & uiribus ciuium, si exercitu ualeant & quanto, si regem aut duces habeant illustri consilio uel fortuna, quibus omnibus freti ausi fuerint præ omnibus Orientalibus reliquis detractare obsequium & dominium tanti regis, & oblatas pacis conditiones reijcere. Reliquæ autem regiones, Syrorum scilicet & Mesopotamiæ, Moabiticæ & Ammoniticæ cũ alijs, Orientales dicuntur, & sunt respectu Iudæorum. Pacem tyrannus interpretatur quicquid sibi prodest, quæcunq; iniuria si ue sanguinaria uindicta perferenda, pax nempe amarissima.

3 **Tunc Achior dux omnium filiorũ Ammon respondẽs, ait: Si digneris audire domine mi, dicam ueritatem in cõspectu tuo de populo isto qui in montanis habitat, & non egredietur uerbũ falsum ex ore meo.**

Defecerat iamdudum regnum Ammonitarũ, ducesq; susceperat à Babylonijs & Persis, qui fideles essent regibus, & iuramento obstricti, ut non tam populo subiecto prospicerent, quàm prouentibus & gloriæ regum, qui tamen ob uiciniam nõ poterant ignorare magnalia dei, facta dudum & semper cum Israelitico populo: qui ad hoc uidetur à domino deo positus in eam Palæstinæ uel Cœlosyriæ prouinciam, ut terra & mari facile innotesceret dei omnipotentia & bonitas omnibus habitatoribus orbis habitabilis, in cuius meditullio consistit, siue longitudinem terræ spectes, siue latitudinem. Captat pulchre beneuolentiam, ut dignetur audire, dominũ uocans & ueritatem promittens, nempe breuissimis, à persona auditoris, dicentis, & re ipsa. Quod addit: In conspectu tuo, idem est quasi dicat: Vbi falsum habere nullum locũ debet, & sine omni timore mendacij prodendi in uerbis meis. Addit repetitionem, ad asseuerationis rationẽ pertinentem. Decet enim non nisi uera audire principes, cum nulli sæpius falsis assertionibus fallantur, quod aulæ plenæ sint assentatoribus, & ad gratiam dicentibus cuncta. Hic uero Achior spiritu dei impulsus, uera loquitur, quæ & ab asina dici possunt domino iubente.

4 **Populus iste ex progenie Chaldæorum est, hic primum in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi deos patrũ suorum qui erant in terra Chaldæorum.**

Decantata erat per omnium ora historia omnium rerum quæ dominus fecerat cum Israelitis, nec mirum si recentiori memoria tenerẽtur dei magnalia à gentilibus q̃ ab ipsis ingratissimis Iudæis: quando & arca domini in maiori habita fuit reuerentia à Philistinis quàm Bethsamitis, Leuitici generis hominibus: & Sareptana deuotior Heliseo fuit, quàm aliqua Israeliticarum fœminarũ, & religiosior Nabucho donosor Babylonius, & Cyrus cum Dario fuerunt in cultum dei Israelis quàm plures et ferè omnes Israelitarum reges. Sic Achior iste nimirum gentilis non ignorat, sed audita credit de uocatione dei facta ad Abram, ad unus dei cultum, de Vr Chaldæorũ egressum recitat, & causam pulchre addit, deorum uanam multitudinem quam iste colere prohibebatur à domino deo uero, ut habetur Gen. 11. Addit errorem patrũ idololatriam iam tunc mundo imposuisse. Est enim uetustissimus error à diabolo introductus ad exercitium electorum, quo minus argumentum à uetustate & temporis præscriptione errori cuicunq; patrocinetur. Primus enim Abram uocatione dei electus, ausus est per dei gratiam contradicere communi errori totius orbis, & patrum suorum diuis & religioni. Est autem Mesopotamia late patens regio, amnibus Euphrate & Tigri clausa. Quanquam & ea pars Chaldææ, in qua Vr oppidum erat, etiam Mesopotamia dicatur hic huic Achior: sicut & Stephano martyri in Actis. De quibus uide Vadianũ nostrũ de Chaldæa & Mesopotamia uel Interamnia erudite, & ad theologiam necessario et utiliter disputantẽ.

Error uetustissimus idololatriæ

Vadianus Ioachimus.

5 **Deserentes itaq; cerimonias patrũ suorum, quæ in multitudine deorum erant, unum deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis ut exirent inde, & habitarent in Charran.**

Ceremoniabant ueteres multis dijs, & legitimum fidei, fiduciæ, adorationis, inuocationis, oblationis, confessionis, gratiarum actionis, & orationis cultum uni deo soli & uero debitum, mortuis hominibus, et impijssimis quibusdam hominum pestibus in deos relatis publico errore detulerunt contra dei legem, non solum naturæ inditam, sed publice toti mundo promulgatam in monte Sinai, & contra admonitionem susceptam ab uniuersa creatura mundi, ut non nisi omnium creatorem dominũ & gubernatorem colere debeat rationale animal homo & mortale. Huic errori quamlibet communi resignauit Abram ad primam reuelationem & uocationem dei, ob missso patre, & tota maiorum familia, unum deum cœli coluit, & familiam suam amplissimam colere docuit, & est deuotissime exhortatus, pro quo omnia resignare paratus fuit, etiam non parcere unico filio, & hæredi benedictionis promissæ toti mũdo, quia deo credidit. Qui & præcepit Abrahæ ut cum sua familia inde exirent et habitarent in Charran. Quæ urbs erat non quidẽ Chaldææ sed Mesopotamiæ, finitima tamen & proximior Syriæ, cuius pars est Palæstina. De qua nominatim uide Vadianum. Quam scriptura Gen. 12. Haran uocat. Cui proxima iacet Nisibis, quæ eadem & Migdonia dicta est & Antiochia. De quibus & alijs uide etiam si placet Zieglerum sacræ geographiæ peritissimum.

6 **Cumq; operuisset omnẽ terram fames, descenderũt in Aegyptum, illicq; per quadringentos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus.**

Historiam sacram fideliter homo gentilis didicerat atq; crediderat, & semina pietatis susceperat in corde spiritu dei præparatum ad gloriam dei, quam æque ex gentibus propagauit in orbem atq; ex Iudæis, quod non sit penes deum ulla acceptio personarum. De fame autem oborta in terra Chanaan legitur Gen. 46. A primo autẽ ingressu Abrahæ propter famem in Aegyptum, usq; ad exitum filiorum Israel sub Mose, fluxerunt anni hic nu-

Gentilium religio maior quàm Iudæorum.

merati quadringenti. De populi autem multiplicatione ſcribitur Exodi primo. Vt diſcamus hæc omnia, ſicut & alia ſimpliciter legenda, & uulgari loquendi modo, quo figuris uarijs homines omnium linguarum utuntur, accipienda, non logico rigore. Dicitur hic non potuiſſe numerari exercitum, cum nõ ſemel numeratus legatur, ſed ſine præciſione, & quia uehementer magnus & multus erat.

7 Cumq; grauaſſet eos rex Aegypti, atq; in ædificationibus urbium ſuarum in luto & latere ſubiugaſſet eos, clamauerũt ad dominum ſuum, & percuſſit totã terram Aegypti plagis uarijs.

Quibus modis Aegyptius rex Iſraelitas poſt exceſſum Ioſeph grauauerit, ad longum ſcriptura proſequitur Exodi primo, & ſequentibus uſq; ad 11. caput. Donec ad dominum non clamarent, nondum ſcilicet reſpecti oculis diuinæ gratiæ, ſed idola colentes, nihilq; ſcientes de domino. Opprimuntur enim luto & latere, ædificareq; compelluntur regi perfido urbes, & miniſtrare per ſordida officia impijs Aegyptijs. Orantes autem ad dominum per Moſen admoniti, in plenitudine temporis deſtinati dudum ante quadringentos annos, cum tam Aegyptiorum quàm Chananæorum uel Amorrhæorum crimina completa prope fũrent, tunc exaudiuit eos dominus, & ſemper exaudit ad ſe reuerſos per fidem. Tam periculoſum eſt autem dei cultores flagellari à regibus, ut ad uindictam iniquitatis huiuſmodi pertineat neceſſario exterminium & caſus maximus, non regis ſolius & aulicum, ſed totius regni populorum in malitiam conſentientium & adiuuantium, qualis fuit & uſu uenit iuſto dei iudicio, in totam terrã Aegypti, effuſis uarijs plagis.

8 Cũq; eieciſſent eos Aegyptij à ſe, & ceſſaſſet plaga ab eis, & iterum eos uellent capere, & ad ſuum ſeruitium reuocare, fugientibus his deus cœli mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quaſi murus ſolidarẽtur, & iſti pede ſicco fundum maris perambulando tranſirent. In quo loco dum innumerabilis exercitus Aegyptiorum eos perſequeretur, ita aquis coopertus eſt, ut non remaneret uel unus, qui factum poſteris nunciaret.

Diu uiolenter retentos & captos nec aliqua ratione dimittere ſalui Aegyptij uolentes, nunc tandem plagis grandibus diuexati, non modo nõ liberum faciunt egredi cupientibus Aegyptum, ſed eijciunt potius pro periculo quod in mora ſenſerant, & grauiora timebãt. Tũc uero ceſſaſſet plaga, niſi deſiiſſent bene uelle. Iterum uero capere cupientes & occidere, & ad ſuũ tam atrox & inhumanum ſeruitium mancipare parantes, ipſi capti ſunt, domino agente, illis irato, ad unum omnes occiſi in mari rubro: quod uirtute diuina fidelibus uiam præbuit tranſeuntibus, impios autem & de exhibita nudius tertius beneuolentia pœnitentes, & ad mortem perſequentes, occurſu ſuo cunctos abſorbuit & prævocauit, Exod. 14. Hoc uero totum iuſſu & potentia dei cœli per

fectum eſt, cui omnia ſeruiunt ad ſalutẽ electorum. Quibus hinc inde aquæ quaſi murus conſolidatæ ſteterunt, ut pede ſicco fundũ maris rubri perambulando tranſirent, Aegyptijs ſubinde perſequentibus omnibus, cum rege & uniuerſa militia: equis & curribus, & toto uallo Aegyptiorũ obrutis & extinctis, innumerabili exercitu. Quis ergo tam terribilem impijs dominũ credens & timens, ſibi ab impietate non caueat? Quis tam patientem dominũ non reuereatur? Quis eiuſdem dominũ fideles ſeruulos perſequi, opprimere & illudere præſumat? Ita uero in uniuerſum exercitus tantus inſani odij & rationis præcipitio adacti, inſequuti ſunt pios, nulla habita ratione præſentis miraculi, ut ne unus quidẽ remanſiſſet in littore. Sic itaq; in uniuerſum pariter obruti ſunt & ſubmerſi, ut non remanſerit uel unus, qui rem geſtã tantã domũ renunciaſſe potuerit: ſed altera die in littore oppoſito, omnes ſpoliandi in terra iacentes, gaudium fidelibus, & carminis digni occaſionẽ gratulabundis præſtiterint, uidentibus Aegyptios mortuos ad littus hoſtes, quos tanto tempore tulerant oppreſſores.

9 Egreſſus etiam mare rubrum, deſerta ſũna montis occupauerunt, in quibus nunquam homo habitare potuit, uel filius hominis requieuit.

Egreſſorum Iſraelitarum de Aegypto proceſſum & manſiones non per ſingula recenſet, non enim debebat, ideo de Sinai deſerto tãtum loquitur, & de reliquis quibuſdam locis magnis miraculis illuſtratis, quæ pertinebant ad incutiendum timorem duci cui loquebatur, ut dominum deum Iſrael metueret, & non pergeret irritare, ne ſimilia Pharaoni pateretur. Ad miraculum pertinet tantam multitudinem tanto tempore potuiſſe in tam deſerto loco nutrire & paſcere. Vt enim ibidem homines aliquando uixiſſe potuerint, ſed non ſine multa anguſtia & penuria & paucis licuit, ideo dicitur non ibi filium hominis quieuiſſe. Tanta autem potentia dei & benignitate perfruiti ſunt tot homines, & tanto tempore in tam deſerto loco, ut liquido conſtet toti mundo ſuo uor & potentia dei ad fidentes ſibi, & ſuis parentibus legibus. Dolere deum.

10 Illic fontes amari obdulcati ſunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cœlo conſecuti ſunt.

Nulla poterat illic colonia deſignari, nec hominũ quiſcunq; ciuitas uel multitudo ibi uiciitare ualuit propter aquarum defectum. Quæ cum ibidem alicubi amariſſimæ inuenirentur, & inepti fontes pro animalibus et hominibus, is tamen talis & tantus deus, cui ſimilis nullus eſt in cœlis uel alibi, huiuſmodi fontes ſua gratia dulcorauit, & ad bibendum idoneos reddidit ac ſalubres, donec populus per deſertum illud tranſiret, nempe quadraginta annis. Id enim factũ eſt cœleſti miraculo, nullis retro ſæculis ab hominibus uiſo uel audito. De quo lege Exodi caput decimumſextum. Sanctos cultura

11 Vbicunq; ingreſſi ſunt ſine arcu & ſagitta, & abſq; ſcuto & gladio, deus eorum pugnauit pro eis, & uicit,

Aliud

Aliud miraculum recitat impio paranti excidiũ gentis iam conuersæ ad dominum & credentis. Dominus, inquit, deus ipsorum tanto illis fauore iungitur, & propitius adest periclitantibus, ut quamlibet non instructos quacũq; armatura bellica, ipsos propugnare assuetus sit, & de omnibus hostibus eximere sine difficultate. Semper enim pugnat pro illis, & uincit quamlibet fortissimos illorum hostes. Id liquet ab initio factum de Amalechitis, qui nõ tam armis quàm Mosis precibus succubuerunt: & reges Chanaan debellati sunt per Iosue non solis armis, sed magis lapidibus grandinis, quando & sol stetit donec uictoria compleretur. Vnde liquet potius diuina potentia & gratia quàm armis quibuscunq; Israelitis partas esse suas uictorias, etiam si armis non abstinuerint, iussi à prophetis domin.

12 Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu domini dei sui.

Statum orationis subindicat & sani consilij, si impij acquiescere possent, & non potius impenderet tyrannis iustus domini gladius, qui peccatis demerentibus impediri non potest, quo minus suo decidat articulo. Nemo, ait, unquam magnorum principum & monarcharum prævalere huic dei populo potuit, si domino deo suo adhærebant, et in legitimo ipsius cultu persistebant. Id longum esset serie historiarum comprobare per singula, quæ legentibus sacra ubiq; occurrunt. Quin tangere uisi sunt pupillam oculi diuini, qui hunc deo obsequentem populum aggressi sunt, ut fecerat Sennacherib cum suo insultatore Rabsace, cuius ludibrij in deum & populum sacrumq; regem statim imminens pernicies à sæculis inaudita, una nocte absumpsit.

13 Quotiescunq; autem præter ipsum deũ suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobriũ. Quotiescunq; autem pœnituerunt se recessisse à cultura dei sui, dedit eis deus cœli uirtutẽ resistendi.

Colere solũ deum.

In genere commemorat historias Iudaicas ex temporibus Iudicum & Regum, ut discamus præter hunc uerum deum neminem diuorum colere & adorare quouis adorationis genere, quæ multa sunt. Vnde & colere uerbum generale est ad omnem opis postulationem, & donorum perceptorum quamcunq; agnitionem uel gratitudinem, sed sciamus omne bonum desuper fluere nobis à patre luminum. Non sunt enim dij gentium, & Christianorum patroni & tutelares, quanquam longo interuallo hi distent honore ab illis: illi enim culturam huiusmodi ambierunt, ipsi quoq; idololatræ ut Iuppiter, Saturnus & reliqui: hi uero sancti martyres, apostoli & episcopi, nihil in omni uita minus cogitauerunt uel desiderarunt quàm haberi saluatores & indulgentiarum largitores, & uirtutum operatores suo nomine, sed solum unum suum deum unice & maxime amari & coli uoluissent, & cupierunt, pro cuius honore uni asserendo quicquid habere in hoc mundo potuerant, unà cum uita deseruerunt, & deo accepta gratissimi retulerunt. Sic satis claret recensentibus historijs etiam Christiano

Sanctorum cultura.

rum, eo primum tempore impeditum euangelij cursum, & Christianum orbem à Turcis inuasum & abstractũ, quando primum cœpit sanctorum cultus in locum abrogatorum idolorum restitui, ab eo tempore nos quoq; dati sumus in prædam, in gladium, & in opprobrium. Simul autem cum pœnitentibus illis, & ad unius dei ueri legitimum cultum redeuntibus, præstabitur uirtus resistendi uitijs, donabitur eruditio sacra, ad conuincendũ errores, fides infundetur qua perfidos uerbo & exemplo reuocabimus.

14 Denique Chananæum regem, & Iebusæum, & Pherezæum, & Hethæum, & Heuæum, & Amorrhæum, & omnes potentes in Hesebon prostrauerunt, & terras eorum & ciuitates eorum ipsi possederunt: & usque dum non peccarent in conspectu dei sui, erant cum illis bona. Deus enim illorum odit iniquitatem.

Narrat in speciem fata Chananæorum, Iebusæorum, Pherezæorum cum reliquis, qui resistere dilecto dei populo non ualuerunt, quamlibet fortissimi essent, gigantео genere, arces altissimas ac robustissimas possidentes. Omnes dei sui potentia & fauore uicerunt, subdiderũt, deleuerunt, occiderunt, tam ultra Iordanem quàm intra uel citra. Dederat ei dominus hanc terram in hæreditariam possessionem, quam & seruarunt & seruabunt, quando leges domini dei sui non relinquunt. Non est enim deus illorum ut idola gentium, qui bella, cædes, Venerem, ebrietatem, auaritiam, & cætera crimina in suis probabant cultoribus, quibus se coli postulabant immundissimi dæmones, sed odit omnem iniquitatem, qui æquissimus est, puritatem amat sanctissimus, pacem optimus, liberalitatem magnificentissimus, charitatem ipsissima charitas. Iosue duodecimo legimus datas fuisse Israelitis huiusmodi possessiones deuictorum tyrannorum, ac deinceps fermè per totum librum.

15 Nam & ante hos annos cũ recessissent à uia quam dederat illis deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam.

Quandoquidem gens illa quantumuis dilecta à domino deo suo, si aliquando declinasset à lege accepta, et ad idololatriam quamcunq; lapsa fuisset, ut factum est lapsa præterita ætate, nunquam illis pepercit deus iustitiæ, qui odit iniquitatem. Sed cum recesserunt à legitimis suis primo quidem capti sunt Israelitarum multi per Teglatphalasar, quarto Regum decimoquinto. Deinde per Salmanasar, 4. Reg. 16. Sed & regnum illud Iudaicum in montibus in quibus nunc habitant, primo tempore Ioachas filij Iosiæ, deinde tempore Ioakim & sui filij Ioachin capti sunt, 4. Reg. 24. Tandem tempore Zedechiæ toti destructi sunt propter perfidiam suam in dominum deum suum, & in prophetas quos illis mittebat, quos & occiderunt, donec implerent Hierosolymã usq; ad os, propter quod & exules dati sunt residui à cæde, in uniuersam terram, & hæreditate exuti.

16 Nuper autem reuersi ad dominum deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Ierusalem, ubi sunt sancta sanctorum.

Reditus Israelitarum.

Nuper Cyri temporibus conuersi ad dominum, & idolorum culturam abijcientes, reuersi ad legem domini dei sui seruandam, reuersi quoque sunt per dei gratiam ad suas hæreditates, quas nunc possident: extructa quoque urbe, quam dominus elegit, ut in ea colantur, quæ ipsis habentur Sancta sanctorum. Nihil hic distinguitur de tribubus, quandoquidem ueri similius est, non quidem ab initio eum Zorobabel, sed postea temporis successu multos rediisse, uigore prioris relaxationis factæ per Cyrum, & postea per Darium, quam aliorum regum nullus retractasse legitur. Non enim tanta seruitute postea oppressi sunt à Persis, Medis & Græcis, quanta à Romanis tandem principibus, à quibus negata est terræ illius & præcipue Hierosolymæ toties exasperatricis in deum habitatio, omnibus Iudæis: quando & tribuum facta est permixtio. Ergo ante Antiochi tempora & Herodorum de omnibus tribubus multi Israeliticam terram possederunt, sed simul cum gentilibus, sicut & ante Da uidis tempora.

17 Nunc ergo mi domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu dei eorum: & ascendemus ad illos, quoniam tradens tradet illos deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ.

Institutum inducit & concludit, orando ut sibijpsi rex consulat, & nihil inconsulte tentet in hanc gentem montana habitantem, sed studiose inquirat de ipsius pietate & moribus, de timore dei si uigeat apud illos, uel neglecta iaceat. Prudenter autem præmittit alteram partem quæstionis, si inueniatur iniquitas populi illius in dominum deum suum, tunc audeat aggredi tuto superaturus eosdem, & sese socium spondet, quia dicit: Ascendemus, quando Ammonitæ propensissime Iudæis semper imminebant, sola formidine confusionis absterriti. Vere enim & absq; periculo nostro ipso tradente obtinebimus eam gentem & locum: puniet enim iniquitatem ipsorũ ut antea, tibiq; uel nolentes subiugabis & opprimes.

18 Si uero non est offensio populi huius coram deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium uniuersæ terræ.

Non uult hæc dicendo absolutos esse ab omni peccato, in multis enim offendimus omnes, sed scandalum intelligit impietatis in deum, idola colendo, & legem domini & uerbi dei prædicatores detestãdo, quæ sunt peccata in spiritũ sanctum, & diuinorum omnium contemptus, & ipsa perfidia, qua sola sic offenditur dominus, ut populum alioqui electum abijciat, id est, qui uidebatur electus, & ex professione dei populus habebatur: tales enim sic offendunt dei gratiam, ut absq; digna uindicta non absoluat. Vtcunq; uero per ignorantiam aut fragilitatem peccent, non tamen deseruntur à deo, qui noluit figmentum suum, sed defendit dominus fideles suos etiam peccantes, & confundit omnes hostes fidei, ut opprobrium fiant omnium sæculorum. Sic reuera nihil possunt impij contra electos uel pietatis cultores, etiam si peccent in alijs, quanquam non raro ad exercitium deseruntur, ut fortius persistant in fide & patientia.

19 Et factum est cum cessasset loqui Achior uerba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum: Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor & exercitibus eius, homines inermes, & sine uirtute, & sine peritia artis pugnæ?

Concluserat non posse Iudæos humana uirtute superari, si à domini fauore penderent, si domino fide uera hærerent, si legem domini amplecterentur, si unum deum uerum colerent. Id uehementer offendebat omnes impios, & fastu mundano superbientes, de suis uiribus præsumentes, idololatras multorum diuorum cultores. Hi adulici nebulones duci suo placere cupientes, irascuntur magnopere, crimen læsæ maiestatis interpretantur præconium pietatis, & diuini cultus, adeoq; ipsius ueritatis et innocentiæ. Sic periclitantur sana cõsilia, sic offenditur fastus pietate, & error ueritate, & nequitia abominanda innocentiam ferre non potest. Cogitant statim occidere consultorem fidelissimum, qui ueritati aliter contraire non poterant. Contrarius tantum erat operibus & studijs ipsorum, ideo tolli eum cõsultant, mutuum adhortantur ad blasphemiam, cupientes uideri fortiores deo Israelis, & suos deos, ut alter Rapsaces, præferri summo & uero deo. Regem suum maligna assentatione contra conscientiam ex sola perfidia & fastu super omnem aetatem humanam fortitudinem exaltantes. Quis, inquiunt, est iste quamlibet magni populi dux, qui Israelitas resistere posse contendit tanto nostro regi, cum sint inermes, nuper remissi ex gratia ab exilio, uix nuper urbem sibi parare permissi? Quid illi nunc auderent nihil peritiæ armorum contra hactenus inuictum exercitum?

20 Vt ergo agnoscat Achior quoniã fallunt nos, ascendamus in mõtana: & cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transuerberabitur: ut sciat omnis gens quoniã Nabuchodonosor deus terræ est, & præter ipsum alius non est.

Confundi & perire debebat impietas & fastus mundi, ideo ad blasphemiam præcipitantur sua sponte, post auditam rationabilem persuasionem aures incantati occludunt. Iam enim semel statuerant negare diuinitatem, & alium deum non credere nisi potentiam cum fastu, se vi culari. Ignorare non poterant principes acta maiorum, maxime quid priori Nabuchodonosor superbienti monarchæ contigerat, decretum Cyri & Darij de deo Israelis audierant: sed quia impij erant, & in corde sentiebant deum non esse, ideo abominabiliter corrumpuntur & falluntur impietate sua, cum falli à ueritate se clamant, & ideo in perniciem suam statuunt ascensuros montana

montana, capturos se Israelitas inuito cœlesti gubernatore & omnium domino quæ geruntur in mundo. Ascendent autem, sed non redibunt. Captum Achior signum statuunt suæ blasphemiæ, nunquam intermorituræ. Morti addicunt ob confessionem ueritatis, qui turpiter confundendi sunt à mundo toto, & apud semetipsos. Scit interim mundus unum esse deum, & humero uno colitum, illis baratro perpetuum damnatis & dæmonum sodalibus.

CAPVT VI.

1 Factum est autem cum cessassent loqui, indignatus Holofernes hemēter, dixit ad Achior, Quoniam prophetasti nobis, dicēs, quod gens Israel defendatur à deo suo, ut ostendam tibi quoniam non est deus, nisi Nabuchodonosor, cū percusserimus eos omnes sicut hominem unum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis, & omnis Israel tecum perditione dispериet: et probabis quoniam Nabuchodonosor dominus sit uniuersæ terræ: tuncq; gladius militiæ meæ trāsiet per latera tua, & confixus cades inter uulneratos Israel, & nō respirabis ultra, donec extermineris cū illis.

Prophetarum cōtemptus.

Alioqui superbum & fastu superatum irritauerāt, & adhuc magis iratum accenderant uerbis suis principes duces, ut nunc sibi omnino excidens, primo uerbis deinde factis reddat malum pro bono innocenti consiliario & fideli. Sic ueritas odiū parit. Talis aulicorum sors, tanta perfidorum principum licentia, & oppressorum sub illis miseria, quanquam ueritas tandem quamlibet opprimi uisa, emergit. Diu tumultuati notantur magnates, tandem fine admisso uehemetior indignatur Holofernes, quanto id sibi consensu ducum licere magis existimat. Non autem contumelia uacat quod prophetam nominat Achior, contemptibili nomine apud omnes impios. Iam non amplius ignorabant prophanæ quoq; gentes, aut ad minus illarum primores, de dei ueri prophetis, quos tamen æque ut uerum deum ridebant, unà cum Israelitarum tota gente, quæ toto orbe male audiebat, non alia magis ratione, quàm quia unum tantum deum prædicabant, & prophetarum sanctorum prophetias, quas contra gentes istas dudum scripserant, nonnunquam recitabant, unde & magis contemptui habebatur ab impijs, tam deus ipse omnium conditor, quàm illius uerbū, cum prædicatoribus prophetis. Quanquam in omni gente erant non pauci electi, qui unius dei prædicationem à Iudæis libenter auditam amplectebantur, & euangelio in gentibus per apostolos prædicando parabantur, & in fide futuri Messiæ qui prædicabatur expectatio gentium saluabantur. Huiusmodi ueritatis prædicatorem irridēdo uocat prophetam. Quid autem prophetiæ contemptum aliud sequeretur quàm eiaculatio blasphemiæ in dominum prophetarum? Frustra in primis clamat fideles sperare in deū, qui nullus sit. Nullam concedit esse potentiam, diuinitatem nullam, nisi regis

Fideles in omni gēte.

alicuius terreni, cui maiorem nesciens suum Nabuchodonosor prò superbia sic cognominatum deum promulgat, contrarium asserentes damnat, & id tam serio & infallibili signo ut uelut alter Caiaphas ueritatem loquens, ab ipsa damnetur. Tunc Nabuchodonosor deus erit, tunc Israelitarum deus ab impijs nō credetur, dum ille Holofernes cum tanto exercitu omnes domini dei confessores omnes Israelitas occiderit sicut unum hominem. Tunc quoque fidelis Achior Assyriorum gladio cadet, tunc omnis Israel peribit, tunc facto probatur contra dei uerbum, quod permanet in æternum, hominem mortalem esse deum æternum, & regem stultum dominari toti mundo, tunc gladio impiorum regum & principum excidentur electi. Si antecedens uerum fuerit, colligentur & hæc in uera consequentia. Sed est & erit semper hæc conditionalis uera, quanquam partes ambæ sint falsæ. Sequitur enim ad impossibile quodlibet. Plura hic dici possent ad nostra sæcula, sed satis nota sunt pijs, impijs nihil uerum prodest, sed reddit improbiores continuo donec pereant.

Ad impossibile sequitur quodlibet.

2 Porrò aūt si prophetiā tuam ueram existimas, non cōcidat uultus tuus, & pallor qui faciem tuā obtinet, abscedat à te, si uerba mea hæc putas impleri non posse.

Secundum uerbum domini loquutus fuerat, ex scripturis exempla produxerat pro gloria diuini nominis, & de fidei & obedientiæ merito prophetarat, iudicium domini dei iustum impio explicauerat, ideo non confundendus erat. Spiritu enim domini imbutus fuerat, ut gentilis quoque ueritatem non taceret in loco. Non tamen adhuc perfectus erat, sed proficere ad maiora poterat, ideo deprehenditur nonnihil uultu concidisse, & pallorē uultum obtinuisse, quem abscedere iubet impius ipse secum in corde confusus, quamlibet facie impudēs, more omnium qui deo non credunt, imò deum non credunt. Manet autem illos æterna confusio & gemitus spiritus, dolorq; infructuosæ aliquando pœnitentiæ, de irrisione seruorum dei. Si, inquit, uerba mea hæc putas impleri non posse. Implebuntur quidem uerba impij, sed longe secus atque fuerat meditatus, ad confusionem ipsius ad gloriam dei & electorum Israelitarum donec sæterit mundus. Verbum enim domini manet in æternum. Tandemq; eius ueritas aspicietur ab impijs, cum confusione æterna, ut satius fuerit hoc tēpore, dei uerba cum reuerētia credidisse, dum tempus est in luce ambulasse, ne à tenebris comprehendantur.

3 Vtaūt noueris quia simul cum illis hęc experieris, ecce ex hac hora illorū populo sociaberis: ut dū dignas mei gladij pœnas exceperint, ipse simul ultioni subiaceas.

Facit dominus cum tentatione prouentum, ut sustinēri potuerit. Eripitur ex furiosorum manibus, & à crudeli mortis periculo eximitur, quin et cuadit carcerem, iungitur sanctorum ecclesiæ. Sed omnia per infidelitatem impiorum, cui dominus illudere nouit, & stabilire seruum suum ex malitia reproborum. Cui omnia bona sunt, quia ad finem sanctum ordinata à domino. Iam

Impijs illudit dominus.

uoto damnauerat pios omnes. Simul ait, cum illis gladium militiæ meæ experieris, lateribus transfodieris, confixus iacebis, non respirabis ultra, donec exterminēris cum illis, & ultioni subiacebis. Sic semper impiorum cogitatus in hoc sunt, ut mala multo plura uelint quàm possint.

4 Tunc Holofernes præcepit seruis suis ut comprehenderent Achior, & ducerent eum in Bethuliam, & traderēt eum in manus filiorum Israel.

Dixit, & quod agere à deo permittitur tyrannus, hoc tantum agit, non quod uoluisset. Comprehendi quidem iubet, & duci ad mortis discrimina Achior, bene agitur secum interim, quod frendentes principes euadit incolumis, eximitur periculo præsentī, populo dei coniungitur. Ducitur autem ad Bethuliam, quæ בתוליה interpretata sonat nobis uel domum parturientis dominum, uel pro domino grauia perferentis, uel etiam uirgo domini, quæ etiam ecclesia fidelium in hoc mundo. Filij Israel, qui ueritatem confitentur, & zelum habent gloriæ diuinæ & bene cōsulunt omnibus fratribus, imò & hostibus, nullum cupiunt perire, sed saluos fieri omnes, saluo tamen honore diuino. Hæc Bethulia alio quoque nomine prius est dicta, & postea, quādoquidem hoc ipsum nomen alibi non legitur. Nihil enim communius in scripturis tam sacris q̄ prophanis, q̄ mutatio proprio rum nominum pro studio superborum.

5 Et accipiētes eum serui Holofernis, profecti sunt per cāpestria: sed cum appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundibularij. Illi autem diuertentes à latere montis, ligauerunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic uinctum de restibus dimiserunt eum, & reuersi sunt ad dominum suum.

Campestria illa quæ fuerint, sicut & alia quædam dubia, ad historiæ fructum non pertinet, uidētur tamen fuisse ea quæ subiacent montibus Gelboe. Campus scilicet magnus iuxta Dothaim, de quo capite quarto dictū est. Montana aggrediuntur, loca fidelium tentant, sed cum salute non pertingunt. Exeunt enim pij, non lāceis & gladijs utentes uel assueti, quia adhuc sub potestate gentilium seruientes, qui illis armis interdixerant, sed ut patriarcharum filij, quia pastores erant in montibus, eisdem armis abigunt perfidos, quibus feras bestias ab ouili uel grege, quibus sancti perfidos aggredi solent, quibus Dauid Philistæorum ducem & gygantem occiderat. Audaces enim facti per spiritum domini, post orationem & ieiunium, prodeunt cum fiducia, nihil ueriti numerum impiorum, quem & diuertere cogunt ad latus montis, impetum fundarū sustinere minime ualentes. Agunt tamen quod iussi fuerant & possunt, ut Ammonitam illum, sed diuini nominis confessorem alligent arbori restibus, nihil enim atrocius agere diuino consilio permittuntur. Sic sunt iustorum animæ in manu dei, sic periculis eruuntur, sic glorificant nomen dei sanctū, & prædicant fidem unius ueri dei uerbis & factis. Sicut impius hic tyrannus à uerbis cœperat blasphemiam dei, & in crudelia facta permouetur, sed ad suam perniciem & sanctorum salutem.

6 Porrò filij Israel descendentes de Bethulia, uenerunt ad eum. Quem soluentes duxerunt ad Bethuliam, atq; in medium populi illum statuētes percunctati sunt quid rerum esset quod illum uinctum Assyrij reliquissent.

In monte sita Bethulia dicitur, unde descendunt contra hostes, permoti diuino instinctu, quasi hostes persecuturi, & Achiorem inueniunt, pro uerbo domini patientem & expositum hostibus, nimirum Ammonitas Israelitis, sed dei est cordium & perscrutatio & immutatio. Benigne soluitur, ad ecclesiam Neophitus perducitur, in medium humiliati populi & ex domino solo pendentis statuitur, ubi longe felicius dei gloriam & ueritatem prædicare auditur, quàm apud tyrannos superbissimos, de suis tantum uiribus præsumentibus, & ueritatem odientibus ex animo. Percunctantur hic Iudæi quid rerum sit, ut illum sic uinctum Assyrij reliquerint, & exposuerint internecioni & hostium suorum uoluntati.

7 In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeō, & Charmi, qui & Gothoniel.

Nō erat hic Ozias totius populi Israelitici princeps, sed eius de qua hic agitur urbis Bethuliæ. Dicitur enim illic: sicut & Charmi qui & Gothoniel, quorum nomina alibi non leguntur. Liquet autem de Simeonis tribu hunc filium Micha rediisse Oziam, non certe solū, aliquos populis alterius tribus in principem suffectus uide esset. Redierant multi de omnibus tribubus post eum reditum, qui describitur in Esdra: & non ad suas quasque hæreditates, sed ut ferebat personarum & locorū commoditas. Quandoquidem hæc ciuitas Bethulia non erat in sorte Symeon ad Austrum intra Iudam, sed ad Aquilonem respectu Ierusalem, in tribu scilicet Ephraim. Videtur pareat omnia mutata fuisse post reditum è Babylonico exilio & aliter costituta. Est uero hic uersus incidentalis historiæ, & ueluti parenthesis non otiosa.

8 In medio itaq; seniorum, & in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus: & qualiter populus Holofernis uoluisset propter hoc uerbum interficere eum, & quemadmodum ipse Holofernes iratus iusserit eum Israelitis hac de causa tradi: ut dum uinceret filios Israel, tunc & ipsum Achior diuersis iubeat interire supplicijs, propter hoc quod dixisset, Deus cœli defensor eorum est.

Conuenerant seniores cum populo ad orationem post labores, & insuper legitimum non superstitiosum ieiunium & lamenta. Ideoq; nunc consolantur ex uerbo & opere domini, audientes gratiam dei inter gentes, & à principe Ammoniticæ gentis gloriam dei prædicari,

dicari cum admiratione gratulantur. Omnia enim proponebat quæ dicta fuerant & acta circa se, quæ multum referebat scire fideles, ut tanto feruentius orarent & fortius sperarent in dominum, hac nunc primum consolatione percepta. Audierunt ergo ueritatis cultorẽ & testem gloriæ diuinæ mirabiliter ereptum ex frendore insantentis uulgi, & principum exercitus, quem occidere maluissent, sed reseruatum dei gratia ad prædicationem diuinæ bonitatis, cuius potentiam adserens, defensionem quoq; expertus est & beneuolentiam. Talis enim perpetuo nobis est dominus, qualis creditur à nobis. Amat & non deserit præsumentes de bonitate sua, non enim nimiũ de deo & patre nostro considere possumus, benignior est enim q̃ ut de eius quicquam seueritate formidare nimium aut desperare debeamus, uerum timendus quoq; est, ut uult quoq; à filijs humiliter coli, impios autem & blasphematores condemnat.

9 Cumq; Achior uniuersa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem, adorantes dominum, & communi lamentatione & fletu unanimes preces suas domino effuderunt, dicentes: Domine deus cœli & terræ, intuere superbiam eorum, & respice ad nostrã humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende, & ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te: & præsumentes de se, & de sua uirtute gloriantes, humilias.

A domino fuit, ut hæc omnia recensenti hosti, qui fuerat, crederent, & non putarent impostura: cuius tamen nulla occurrebat ratio: sed erant uerisimilia omnia. Ideo omnis ipse populus credulus statim erupit, pro religione quæ ex periculis creuerat, in gratiarum actionem, humiliteréq; in faciem procidunt, dominum adorantes, cuius gratiam agnoscebant, & de periculo tanto eximi postulabant. Quia uero imbecilliores fide erant, & à tanto exercitu trepidabant, multiq; ipsorum imò pars maxima infidelium erat, uel delictorum suorum conscientias uerebantur, ideo lamentis & fletui indulgebant, sed non tamen sine unanimi prece ad dominum effusa cum humili & fideli confessione, fidei suæ & gloriæ diuinæ. Confitentur contra impiorum suorũ hostium blasphemiã deum suum quem colerent esse deum, id est conditorem & gubernatorem cœli & terræ, quorum omnium dominus sit, in cuius potestate sint omnia. Orant id quod dominum exaudire delectat, & quod illi est proprium præstare, exosos habere superbos, & de sede demino donante susceperunt, & quoad uult retinent. Humiliationem autem suam, & mentis ac fortunæ imbecillitatem suscipi benigne precantur, non humilitatis suæ uirtutẽ, hoc est sanctæ modestiæ, quæ deo placeat, commendant: quod est non omnino humilium. Non intercessores pro se statuunt patres sanctos, non inuocant patronos, sed de suis meritis desperantes, & sese pro peccatis suis indignos cernentes, orant dominum, ut non tam suis meritis q̃ patrum fidei merito secundum promissa sua,

& propter Christi mysterium, quod sancti credebant, ipsis in hac tanta angustia succurrere dignaretur, ostendat quoq; in facto suæ bonitatis & ueritatis indicia, ad eos qui fidei certissimæ pietate præsumunt de domini beneficentia ad credentes: qui superbientes deprimit, iudicat, disperdit & damnat, alijs in exemplum. Est autem præsumptio hic duplex significata. Vna sancta de domini bonitate, quæ non erigit in fastum & contemptum, sed humiliat, dum omne bonum nostrũ illi resignamus, & de infinita clementia quam à nobis uult credi munime dubitamus. Non enim nimij esse possumus sperando in dominum, quando excedit omnem proportionem beneuolentiæ diuinæ bonitas, nostram necessitatem & egestatem opulentia illius. Præsumptio altera hominis de seipso ostendit filios satanæ, qui ab initio similitudinem dei ambiebat sine meritis, & suadet idipsum omnibus cultoribus & subditis suis, quibus propria est præsumptio spiritus, ut uicissim filij dei mites sunt & humiles corde, in sola dominì sui gratia & beneficijs gloriantes. Præsumptiõ sancta & mala.

10 Finito itaq; fletu, & per totam diem oratione populorum completa, cõsolati sunt Achior, dicentes: Deus patrũ nostrorum, cuius tu uirtutem prędicasti, ipse tibi hanc dabit uicissitudinem, ut eorũ magis tu interitum uideas.

Ex corde processerat fletus pro tanti timore periculi, proq; blasphemia diuini nominis, quam audierant de gentilium ducibus procaciter dictam, unde scandalizabantur infirmi, periculũq; erat desperationis & lapsus à fide, nisi dominus sua bonitate succurreret. Ideo diutius perseuerabant flentes. Accepta autem spiritus consolatione ex oratione deuota & diuturna, sic edocti à sacerdotibus pijs, etiam Achiorem consolantur, & bene sperare iubent de domini dei sui potestate & beneuolentia, qui non sinat inultam suam tantam iniuriam, & ad se conuersis non possit abesse, uel orationes spernere contritorum spiritu. Cuius exempla creberrima teneant, patres suos. Eius cuius tu prædicasti uirtutem omni potentem sine dubio experieris: non pœnitebit te laudis diuinæ & præconij super omnem mensuram, qui digne tractaturus sit suos fideles, posthac ut semper consueuit, quod testantur omnes, maxime tyranni & hostes pietatis, oppressores sanctorum, & blasphematores nomunis diuini. Oculis, inquiunt, tuis cernes dominì uindictam ad illorum interitum, qui tanta nobis arrogantia cædem, tibiq; minantur.

11 Cum uero dominus deus noster dederit hanc libertatem seruis suis, sit & tecum deus in medio nostri: ut sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conuerseris nobiscum.

Bene sperantes de salute domini, iubent etiam Achiorem bono ut sit animo, quem honesto sint habituri loco, dum euadere dei gratia contigerit minas improbi tyranni. Dominum spondent futurum secum, hoc est dignam fidei mercedem collaturum in spiritualibus et temporalibus, dum populo dei agglutinandus, libertate on-

tata & ſalute donandus erit. Et fauorem populi experturus pro ſe & familia ſua, quo minus pœniteat eum ſuæ ſortis amiſſæ, penes incredulos Ammonitas, quorum conditionem ſit iuxta legem minume laturus, ſed cum honore & gratia populo dei & eccleſiæ fidelium adnumerandus. Poterant huiuſmodi polliceri extraneo Ammonitæ, cuius iam fidem & conſtantiam in dei gloriam perpendebant, & in ceremonialibus diſpenſare, more omnium ſanctorum, ſiquidem acceſſoria eſſent, & præter rationem decalogi, cuius ſolius obſeruantia domino approbabat fideles ex omnibus gentibus, ſine perſonarum acceptione, dicente Paulo ad Hebræos, Accedentem ad deum oportere credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit: qualem eſſe Achiorem nunc dubitare non poterant.

12 Tunc Ozias, finito conſilio, ſuſcepit eũ in domũ ſuam, & fecit cœnam magnam. Et uocatis omnibus presbyteris, ſimul expleto ieiunio refecerunt.

Neophitæ honeſte tractandi.

Principes ciuitatis Ozias pro honore ſuo decenter ſuſcipit & amplectitur, tractatq; hoſpitem, & dignum deo confeſſorem, ex gentilitate aduenam, & in fide Neophitum, quales decet honeſte tractari, ut glorificent deum in ſuis cultoribus, & non ſcandalizentur de profeſſione fidei in uerbis, ſi charitatis fructum nullum conſpiciant uel experiantur. Presbyteri dicuntur, non ſacerdotes & Leuitæ, ſed ſeniores populi, & primores gentis, de quacũq; eſſent tribu: quod ſeniores ætate præſumuntur etiam uirtutibus & prudentia prouectiores euaſiſſe per experientias, quod non ita de iunioribus ſperari poteſt, quanquam ſenectutis honor & ætas uita ſit immaculata. Refectio ſumitur poſt ieiunium. Non tunc tẽpus erat conuiuijs opiparis incumbendi, ſed de gratia domini promerenda & euadendis periculis ſolicitudo gerebatur neceſſaria tempori.

13 Poſtea uero conuocatus eſt omnis populus, & per totã noctem intra eccleſiam orauerunt, petentes auxilium à deo Iſrael.

Conuocatio populi fit poſt diuturnas operas, ad uigilias & orationem, in aliqua Baſilica, quales habebant ſingulæ urbes, ad conuenticula religioſa, ad audientiam uerbi dei, ad cõmunes cœtus peragendos, ad orationem præcipue, & gratulationes religioſas, qualis hic dicitur Eccleſia, intra quam orauerint, & tota nocte petierint auxilium à deo Iſrael. Periclitabantur enim de uita, libertate, religione, & rerum omnium rapina, ut euadendi tanti mali remedium nullum præter orationem inuenerint. Fideles enim cum eſſent, fide & oratione dominum uenerati ſunt, qui ab impijs blaſphematus eſt & contemptus, ſed non abſq; digna uindicta ſubſecuta.

CAPVT VII.

1 HOlofernes autem altera die præcepit exercitibus ſuis ut aſcenderent contra Bethuliam.

Quanquam nihil proſperum ſperare debuerit blaſphemus Holofernes, qui dominum deum cœli imò totius mundi adminiſtratorem offenderat, & ſine aliqua diuinitatis reuerentia uiuebat, nihil in preſentia æſtimando, deum alium credidit non extare niſi eum qui cædibus & tyrannide plurimos oppreſſiſſet mortales, tamen exercitum mouet, imò multos exercitus, ut obmiſſo campo magno qui contra proſpectũ Dothaim ſubiacebat, ad montana conſcenderet contra Bethuliam. Quam, ut dictum eſt, alibi non legimus, cum uideri poſſit Hebraico uocabulo Bethel dici potuiſſe, quæ lis non una fuit in Iſrael domus dei.

2 Erant autem pedites bellatorũ centum uiginti millia, & equites uigintiduo millia, præter præparationes uirorũ illorum quos occupauerat captiuitas, & adducti fuerant de prouincijs, & urbibus uniuerſæ iuuentutis.

Iterum recenſetur ingens multitudo exercitus, quo fidebat homo atheus, qui potentiam nullam ueriebatur niſi regis ſui. Centum uiginti millia peditum dicuntur fuiſſe. Græci legunt centum & ſeptuaginta millia. Sed ſi non eſt in litera, ut fieri poteſt, menda, equitum uigintiduo millia nunc ſcribuntur, cum ſuperius ſecundo capite duodecim millia leganter, ſicut & hic Græci habent. Poteſt fieri ut continuo auctus ſit equitum numerus, ſicut & reliquus exercitus, ex uiris quos occupauerat captiuitas: & de multis prouincijs adducti fuerant idonei ad bellum uiri iuuenes, audaces ac fortes. Carnem ponut brachium ſuum, qui dei fortitudinem non credit, ei prouidentiam non ueretur.

3 Omnes parauerunt ſe pariter ad pugnã contra filios Iſrael, & uenerunt per crepidinem montis uſq; ad apicem, qui reſpicit ſuper Dothaim, à loco qui dicitur Belma uſq; ad Chelmon, qui eſt cõtra Eſdrelon.

Multi contra paucos parantur, imò ſeipſos parant, ideo nihil perfecturi ad pugnam contra filios Iſrael, qui domino propitio ſemper fuerant inexpugnabiles. Filij enim ſunt dei excelſi, ſub cuius alis tuti cuſtodiuntur a miluis tyrannicis quantumuis ferocibus. Venerunt hoc eſt uenire decreuerunt per montis crepidinem, & uias anguſtas, ſed ut poſtrius nunc dicetur non ualuerunt. Belma quæ hic legitur, fortaſsis Helma legendum: Græci Belmaim. Chelmon uero locus eſt inter Helma & Bethuliam. Venerunt autem Aſſyrij iſti de regione Scythopoli, per crepidinem montis, uſq; ad apicem qui conſpicitur ex campo Eſdrelon. De quibus locis indicet certiora qui poteſt, uel ſine aliqua pietatis iactura, ſi uidebitur, negligat.

4 Filij autem Iſrael, ut uiderunt multitudinem illorum, proſtrauerunt ſe ſuper terram, mittentes cinerem ſuper capita ſua, unanimes orantes ut deus Iſrael miſericordiam ſuam oſtẽderet ſuper populũ ſuum.

Terrore concutitur caro, quamlibet mens fide firmetur, caro tamen fit etiam in Chriſto infirma. Quomodo enim gens parua & uix à perpeſſo nuper exilio reſpirans & confirmata, non à uiſa tanta hoſtium crudelium multitudine terreretur? Sed ad ſolatium orationis recurrentes

rentes procumbunt, & humilitatem contriti cordis cineris aſperſione proteſtantur non ficte. Concordibus uotis unum ſuum uerum deum, & dominum omnium exercituum, cuius toties uirtutem experti ſunt, precabantur, ut ſuam illis miſericordiam oſtenderet, qua ſola ſalua rentur.

5 Et aſſumentes arma ſua bellica, ſederũt per loca quæ ad anguſti itineris tramitem dirigunt inter montoſa, & erant cuſtodientes ea tota die & nocte.

Quamlibet fidei orationem iungerent, in tanta tamen anguſtia prouiſionem humanam non intermittunt. Non tentant deum, non otio torpent, ſed patrum exemplo in ſimilibus cauſis aſſumũt arma bellica, pro patria, uxoribus & pueris, pro animabus ſuis aſſerendis, & pro paternis legibus, proq; gloria dei contra blaſphemos armantur ad bellum, cætera euentus totius fata domini uoluntati permittunt, à qua omnia pendere nõ dubitant. Sed & occupant anguſtias itinerum & uallium, quæ ad ſuprema dirigerent montium, eas noctu & interdiu obſeruant totis uiribus quoad poſſunt, ne firmo ſatis loco poſita ciuitas, naturaq; munita, facile ab exercitu obtineatur. Sed niſi dominus cuſtodiat ciuitatẽ, fruſtra uigilant qui cuſtodiunt eam, quo ſeruante perire non poteſt.

6 Porrò Holofernes, dum circumit per gyrum, reperit quod fons qui influebat, aquæductũ illorum à parte auſtrali extra ciuitatẽ dirigeret, & incidi præcepit aquæ ductum illorum.

Mirum uideri poterat, tanto exercitu ciuitatem capi non poſſe uiribus, ſed ſola penuria aquarum arcendam. Dicitur Holofernes circuiſſe urbẽ per gyrũ, quod id per miniſtros peregerit. Et fontis uenas & cannalia præſcindens, obſidionis calamitatẽ augebat. Quod certe cœlorum dominus & influentiarum gubernator facile compenſare imbribus poterat, ſi ad gloriam ſui nominis pertinere nouiſſet.

7 Erant tamen nõ longe à muris fontes, ex quibus furtim uidebãtur haurire aquã ad refocillandum potius, quàm ad potandum.

Breuiore ſtilo conſcribit hiſtoriam, q̃ quiſpiam ſæcularium authorum feciſſet, alioqui modũ & cauſas clancularij aditus, circundante tanto exercitu urbem curioſius deſcripſiſſet, quomodo licuerit urbem exire inuitis hoſtibus ad aquas hauriendas. Vt enim fuerint proxime muris fontes, tamen extra urbem fuiſſe dicuntur, ubi omnia plena erant hoſtium, ut periculo capitis adierint. Sed quis omnia quæ fiunt in caſtris cõſcribat? Certe ingens inopia aquarum erat urbi ſitæ in montibus.

8 Sed filij Ammon & Moab acceſſerũt ad Holofernem, dicẽtes: Filij Iſrael non in lancea nec in ſagitta confidũt, ſed montes defendunt illos, & muniũt illos colles in præcipitio conſtituti. Vt ergo ſine congreſſione pugnæ poſſis ſuperare eos, pone cuſtodes fontium, ut non hauriant aquã ex eis, & ſine gladio interficies eos, uel certe fatigati tradent ciuitatem ſuam, quam putãt in montibus poſitam ſuperari non poſſe.

Ex uicinioribus populis & perpetuis hoſtibus Ammonitis & Moabitis maxime omnium diuexantur, & proditione eorum qui familiares inimici erant grauius perturbãtur, à quibus fuerant potius conſolãdi. Et quia non prorſus abſq; fide erant, ſed infirmi, qua & abutebantur in proximorum damna: fatentur quidem Iſraelitas non lancea uel ſagittis uincendos, ſed locorum fiducia tutiſſimorum poſſe ſe tueri, ſi tantum potus non abſit, cuius uſus, in bello potiſſimum, maxime deſideratur. Hoc ergo præſidium aquæ amputandum conſulunt, poſitis cuſtodibus ad aquarum fontes, ut ſiti fatigati maturius ſe hoſti dedant. Diſcimus præter ſenſus allegoricos dubios, etiam ex hoc loco, uicinos conciliandos nobis officijs charitatis, ſiue boni ſint ad mentes arctius adunandas, ſiue iniqui & perfidi ſint, quo minus nocere uelint etiam ſi poſſint. Et ut urbibus de potu & aquis opportunis alijſq; neceſſarijs in tempore prouideatur, dum licet per pacem, ne bellorum tempore nequeant dum uelint.

9 Et placuerunt uerba hæc corã Holoferne, & coram ſatellitibus eius, & conſtituit per gyrũ centenarios per ſingulos fontes.

Diſplicuerat Ammonitarum principis conſilium pium & iuſtũ, quo poterat perſtitiſſe in uita, ſi dominum credidiſſet, et fideles ſine prælio ſubdere cogitaſſet. Sed horum iniquum conſilium placet, quod ex odio pernicioſo & inhoneſto procedebat. Sed utile erat ad tyrannidem exercendam, ad innocentes perdendos, ſi dijs placuiſſet.

10 Cũq; iſta cuſtodia per dies uiginti fuiſſet expleta, defecerũt ciſternæ, & collectiones aquarũ omnibus inhabitantibus Bethuliam, ita ut nõ eſſet intra ciuitatem unde ſatiarentur uel una die, quoniã ad menſuram dabatur populis aqua quotidie.

Aggrauatur malum obſidionis ex importabili ſiti in urbe, ubi iam domini dei benignitas ceſſaſſe uideri poterat, ad tentationem fidei haud uulgarem, quæ in anguſtijs probatur: quas & idcirco immittit, ut arctius inuocetur, & fideles ab infidelibus ſecernãtur, probenturq; electi, & perfidi producantur in lucem, & confundantur corã hominibus, ſicut et in cõſcientijs ſunt ante conſi. Facile perſuadetur obſidionis prolixitas, per uiginti nanq; dies, legentibus Samariam & Hieroſolymam tertio obſidionis anno tandem obtentas. Eiuſmodi locorum conditio eſt, & temporis illius ars & modus bellandi, cùm nondum tot tormentorum genera haberentur ut modo.

11 Tunc ad Oziam cõgregati omnes uiri, fœminæq; iuuenes, & paruuli, omnes ſimul una uoce dixerunt. Iudicet deus inter nos & te, quoniam feciſti in nos mala, nolens loqui pacifice cũ Aſſyrijs, & oportet hoc euendidit nos deus in manibus eorũ,

Et ideo non est qui adiuuet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna.

Fidelium imbecillitas.

Nihil sit noui, semper fidelibus mixti sunt imbecilles, qui tentatione superantur, & in fide stabiles non subsistunt. Si id apostolis contigisse cogitamus, & patriarcharum sanctorum filijs, non tam nobis mirabile uideatur quod nunc murmurant, q̃ ædificare debet, quia tot diebus obsidionem sunt æquanimiter passi. Miseria non ferenda erat, paruulos & fœminas, fortesq; iuuenes deficere omnibus uiribus, & de morte præsente periclitari ex siti. Ideoq; ad exemplum maiorum, quod Moses pertulit, nunc omnes pariter conciurrunt ad principem, qui huius calamitatis author uideri poterat, & ijsdem clamoribus obstrepunt, quibus olim Israelitæ in solitudine & Aegypto. Vindicet, inquiunt, crudelitatem uestram in nos, qui æquanimiter cernere uoletis tam importabile malum, in quod uos coniecistis miseram plebem, dum humiliari nõ uultis principi, & sapientiores esse cupitis & uideri omnibus reliquis per circuitum nationibus, qui sese Assyrijs dediderunt.

12 Et nunc congregate uniuersos qui in ciuitate sunt, ut sponte tradamus nos omnes populo Holofernis,

Vbi hic orationum & ieiunij fructus? ubi prælatorum uigilantia? ubi fides in dominũ toties confessa? Non hic discenda murmuratio est, ut similiter in necessitatibus murmuremus, sed discamus potius magnanimiter ferre aduersa, expectare manum domini, quia uenendo ueniet, sed tempore acceptabili. Et ut similia his committentes, non desperemus, nec ab oratione cessemus, si tardauerit exaudire, certi dominum in se sperantes desere nõ posse. Non facile nos dedamus impijs illis, qui nos à dei cultu impedire conantur, quos hostes domini dei nostri scimus, & blasphemos in uerbum domini & in sanctos illius.

13 Melius est enim, ut captiui benedicamus dominum uiuentes q̃ moriamur, & simus opprobrium omni carni, cum uideamus uxores nostras & infantes nostros mori ante oculos nostros.

Deditio sæpe periculosa.

Affingunt sibi causam deditionis utilis, per errorem credentes sub tam impio tyranno diuinitatis hoste deo seruire se posse: quamlibet captiuos, uiuentes tamen dominum benedicere. Quibus uerbis fidei certamen discimus cum carne. Nolunt deficere à domino, sed cedere malo. Probrosum ducunt, insipienterq; fieri putant, detrectare imperium, malle quoq; mori quàm parere regibus. Id autem uere putarent, nisi dei sui contemptum uidere cogerentur, & ad impia mandata compelli, & nihilominus parentes cum filijs mori, uel perpetua seruitute, quæ ciuilis mors est & grauissima, onerari.

14 Contestamur hodie cœlum, & terram, & deum patrum nostrorũ, qui ulciscitur nos secundum peccata nostra, ut iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, ut sit finis noster breuis in ore gladij,

qui longior efficitur in ariditate sitis.

Sinit dominus uehementer tentari pios, & ad articulum usq; desperationis nonnunquam adduci, sed si fidem non prorsus abiecerint, etiã si delinquant ex fragilitate humana, quam nouit qui condidit, non tamen imputat, sed ad profectum aliorum & suam gloriam abutitur hominum delictis. Ne quis hæc audiens uel desperet de dei clementia, uel de propria uirtute superbiat, intelligens se nihil boni posse, nisi per eum qui omnia agit in omnibus. Fidem in dominum deum cœli & terræ non abijciunt, sed fatentur: deum patrum suorum reuerentur, & iustum prædicant, seseq; peccatores iuste tractari. Sed ciuitatis tutelam resignare malunt, quàm diuinitus propugnare infirmos, & protinus morituros, si non gladio, quod eligunt, saltem duriore siti.

15 Et cum hoc dixissent, factus est fletus & ululatus magnus in ecclesia omnibus, & per multas horas una uoce clamauerũt ad deum, dicẽtes, Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Tu quia pius es miserere nostri, & in tuo flagello uindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo qui ignorat te, ut non dicant inter gentes, Vbi est deus eorum?

Non deficiunt à fide, nec abijciunt spem, sed impatientia quadam carnis adiguntur ad querelas & conclamationes, quibus dominus parcere nouit, si nos ancheram fidei non prorsus etiam fluctuãtes abiecerimus, si humiliter causas tantorum malorum, non in dei iniustitiam, sed in peccata nostra reiecerimus, ut eorum exemplo discamus orare ad dominum. Peccauimus nosipsis sicut & patres nostri, iniustitias multas frequẽter egimus. Quandoquidem nobisipsis permisi nihil nisi peccauimus. Sed tu clementior es, q̃ ut iuxta peccata nostra nos tractare, & iniuriam tuam uindicare decreueris in nobis. Agnosce potius quod à te flagellati & obruti calamitatibus, nomen tamen tuũ non negamus, sed confitemur tam tuam gloriam, gratiam & bonitatem, q̃ nostra peccata & crimina. Isti autem populi, hostes sunt nominis tui populi & salutis nostræ ac libertatis, quàm tuæ gloriæ & sancti nominis tui, quod blasphemare non timent. Illis impijs dominis si nos tuos filios & confessores in seruos tradideris, si uinci & subdi permiseris, & contumeliose tractari tuum populum, non id solum cedet in miseriam nostram, ac fortasis in delectionem nostri nominis, qui hæreditas tua appellamur & sanctus, sed in nominis quoq; tui glorioſi ignominiam & contemptum. Dicetur enim in gentibus alioqui impijs, Vbi est deus Israelis? ubi gloria populi electi? ubi illius omnipotentia & gratia quam iactauerunt? ubi uetera præclara illa gesta, quæ de illo narrabant homines illi & patres ipsorum? Si deus & pater illorum fuit, quare non seruauit? Mendacij arguent uerbum tuum, & omnium prophetarũ tuorum oracula. Obscurabitur nomen tuum magnũ, quod iam in gentibus omnibus inclarescere cœpit, ex captiuitate nostra Babylonica & Assyriaca, ex

redita

reditu tua nobis gratia permisso, & ex ædificatione no-
ui templi tui, quod tanta difficultate nostra & gratia
tua nuper restitutum est.

16 Et cum fatigati his clamoribus, & his fle
tibus lassati filuissent, exurgens Ozias infu
sus lachrymis, dixit: Aequo animo estote
fratres, & hos quinq; dies expectemus à do
mino misericordiã. Forsitan enim indigna
tionem suam abscindet, & dabit gloriã no-
mini suo. Si autẽ transactis quinq; diebus
non uenerit adiutorium, faciemus hæc uer
ba quæ locuti estis.

Vsq; ad fatigationem orauerant promiscuis quere-
lis, & feruentibus orationibus, quas minustrabat calami
tatis immensitas. Mala enim quæ nos hic premunt, ad do
minum redire compellunt. Tandem uero cessantibus et
finẽ facientibus clamori & eiulatui, Ozias princeps, &
ut uidetur sacerdos, et ipse lachrymis irrigatus, illos pie-
consolaturus pro uirili, exurgens loquitur pro officio
& causa. Humanũ quidem aliquid passus, sed non absq;
fiducia in deum, hortatur ut perseuerent in expectatio-
ne & oratione adhuc tantum quinq; dies, & tantisper
domini adiutorium præstolentur, uel pro tanto, sperã-
do ad tantum temporis ex inimicis salutem. Quo lapso
tempore, deinde non comparente auxilio, permittant fie
ri quod impedire non possunt. Intra tempus illud si in-
dignationem suam qua nos prosequitur non resciderit,
sed perrexerit irasci, & tantis malis non dare finem, su-
amq; gloriam neglexerit uindicare, tunc non indigne ui
debimur posse cedere hostibus, & salutem deditione re-
dimere.

CAPVT VIII.

1 IT factũ est, cum audisset hæc uer-
ba Iudith uidua quæ erat filia Me
rari, filij Idox, filij Ioseph, filij O-
ziæ, filij Elai, filij Iamnor, filij Ge
deon, filij Raphaim, filij Achitob, filij Mel-
chiæ, filij Enã, filij Nathanię, filij Salathiel,
filij Simeon, filij Ruben: & uir eius fuit Ma
nasses, qui mortuꝰ est in diebus messis hor
deaceæ: instabat enim super alligãtes mani
pulos in campo, & uenit æstus super caput
eius, & mortuꝰ est in Bethulia ciuitate sua,
& sepultus est illic cum patribus suis.

Collabascentibus præ angustia uirorum cordibus, &
ad extremam redactis disperationem, ut iam de dei iusti
tia & gratia excidere se oportere decreuerint, suscitat
illis ab oratione non cessantibus, & lachrymis cõtinuis
dei clementiam implorantibus, non iam fortissimum ali-
quem heroem, sed delicatam mulierem uiduam, nomine
Iudith de tribu Ruben, ut iterũ commixtionem tribuum
agnoscamus, ut & non soli Iudæi & Beniamitæ cum Le
uitis redierint de Babylonica captiuitate, ut interim sem
per mentiuntur Iudæi. Glossa ex Rabano hic iterum ut
semper allegorias numerorum comminiscitur, ob quin-
denarium numerũ progenituræ, quasi à tempore Iacob
& Ruben usq; ad Iudith tempora quindecim tantũ ge-

abani alle
oria.

nerationes extiterint, & non potius hæc nomina sint ce
lebriorum patrum, & nominatorum inter alios: ut ad
quindecim Psalmorum gradus applicare illa nomina nul
la ratio uideatur. Multo alienius est, quod Carnensis pro Hugo Car-
pter hoc quod Iudith confessionem interpretatur, & nensis.
eam sacramentalem illam solitam à suo tempore fieri sa-
cerdotibus, ut habeat quindecim conditiones quas ex his
nominibus Hebraicis interpretatis desumit. Sic quodli-
bet illi facere potuerunt ex quolibet. Sed his religiosior Lyranus
Lyranus, exponit rationẽ tot nominũ simpliciter ad cõ- simplicior.
mendationẽ Iudith, quia fuerit de nobiliore familia gen-
tis Israeliticæ, à quorum uirtutibus non degenerarit, cu-
ius maritus Manasses mortuus fuerit ante triennĩ mes-
sis tẽpore, cum laboraret in hordeacea messe, & manipu
los non otiosus, sed sedulus utiliter laborando alligaret,
quamlibet dies fuisse subinde declaretur, exemplũ pijs,
qui & honeste tumulatus fuerit in Bethulia ea urbe.

2 Erat autem Iudith relicta eius uidua iam
annis tribus, & mensibus sex. Et in superio
ribus domus suę fecit sibi secretũ cubiculũ,
in quo cum puellis suis clausa morabatur:
& habens super lumbos suos cilicium, ieiu
nabat omnibus diebus uitæ suæ, prẽter sab
bata, & neomenias, & festa domus Israel.

Vidua iam erat tribus ab annis, & honestatis specu- Iudith ui-
lum cæteris se mulieribus uiduis exhibebat, non ilico am dua religio
biens secundas nuptias, quamlibet id potuerit honore sal sa.
uo, sed iam apostolicũ ordinem obseruabat, domino ser-
uiens in obsequijs pietatis, orando, laborando, eleemosy
nas faciendo, proximis inseruiẽdo, bene dispensando do-
mum & familiam, regendoq; ad timorem dei et cultum,
etiam extra monasterium, in domo propria, ubi sibi fa-
miliare orationis domicilium parauerat, quo cum puel-
lis patrem in abscondito quotidie adoraret. Sic aũt clau-
sa morabatur, non ut non progrederetur in publicũ cœ-
tum festis diebus, ad audiendum uerbum dei, nec se per-
petuo uoto intra cancellos obstrinxerat, cuius nullũ ex-
tat in sacris historijs probabile exemplum, sed quia non
sine grandi utilitate progredi consueuerat, apud se ma-
nebat, lectioni & orationi cum mentis & corporis casti
tate incũbebat, ad quod sibi proderat parsimonia uictus,
& parcitas cibi & potus, præter solennes dies quando
pro communi gaudio quod habebant in domino, etiam
aliquanto lautius conuescebantur & collætabãtur fide-
les, sine tamen omni luxu uel comessatione. Cilicium ha-
buisse indumentũ, est nullam prorsus in uestium ornatu
admisisse luxum, uel ostentationem elegantiæ, quando-
quidem à nemine optabat cõcupisci, semel propositũ ha-
bens castitatis, donec id domino placere cognosceret.

3 Erat autẽ eleganti aspectu nimis, cui uir
suꝰ reliquerat diuitias multas & familiã co
piosam, ac possessiones armentis boum &
gregibus ouium plenas.

Quanquam non deesset honestarum uoluptatũ ma-
teries, & occasio insignis huic fœminæ glorioſæ et san-
ctæ, omnia tamen stercus æstimauit, ut domini dei sui fa-
uorem lucrifaceret, cui soli placuisse sufficiebat. Aspectu

nimis elegans erat & decora, digna honesto amori, & nobili uiro, sed nequidquam. Diuitias sibi maritus reliquerat, quibus fastum & luxum prosequi ut aliæ mulieres potuisset. Familia copiosa aderat ad obsequia honoris & uoluptatis, armenta possidebat & ouium greges, ut hæc omnia sine marito cõmode administrari non posse uideri possent. Certe mirabilis mulier, & rarum honestatis exemplar, sed ualde commendabile, & probis fœminis minime negligendum, si cætera quoq; paria sint, ut scilicet usionẽ superare possint, quod facile fiet, si similiter ut hæc uitam instituerint, & habeant unde commode apud semetipsas habitare possint: sin minus, iubet Apostolicus spiritus iuuores uiduas nubere, & filios procreare, quos ad dei timorem nutrire, non ingratam domino reputent religionem & cultum. Nõ enim omnibus in exemplum rapienda sunt omnium sanctorum omnia facta.

Exemplum fœminarum Iudith.

4 Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat dominũ ualde: nec erat qui loqueretur de illa uerbum malum.

Optimam famam obtinuerat hæc sancta matrona inter ciues, quod habeat suum honorem uirtus, & iactatores etiam eos qui eam assequi non possunt. Non autem est instituenda uita sancta ad aucupandum honorem, ne mercedem hic suscipiendam æmulentur, sed ut sic domino placere conentur, ut hominibus quoq; exemplo prosint, & diffamiam ac scandalum declinent. Timebat dominum, hoc est, uenerabatur, & iuxta legem domini colebat, & seruiebat illi per omnia iuxta uires humanas gratia domini adiuuandas. Superabat honesta conuersatione sua omnem iniquorum inuidiam, ut de ea uere nemo quicquam mali diffamare auderet, uitæ enim integritate & famæ maledicorum ora nullo negotio præcludebat, ut quieta consisteret, rebus suis & familiæ legitime gubernandæ cum honore, intenta. Huiusmodi mulier deum timens laudabitur, & laudabũt eam in portis opera eius.

Fama sanctimoniæ.

5 Hæc itaq; cum audisset quoniam Ozias promisisset, q̃d transacto quinto die traderet ciuitatem, misit ad presbyteros Chabri, & Charmi. Et uenerũt ad illam, & dixit illis: Quod est hoc uerbũ, in quo consensit Ozias, ut tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinq; dies nõ uenerit uobis adiutorium?

Non fuerat calumniæ obnoxium, si non ualentes omnino resistere hosti, & domini auxilium nullum sentientes, urbem resignassent, & uitam tantæ multitudinis redemisset, quod Ieremias propheta in simili casu ex uerbo domini consuluerat, deiq; iudicium huiusmodi si sic placuisset humiliter suscepissent, maxime tanto tempore iam obsessa urbe, uiginti scilicet diebus & amplius in maxima aquarum indigentia, quæ diutius ferri potest à nemine. Sed hoc peccatum erat, & minime admittendum, tempus determinare bonitati & misericordiæ dei, intra quod si non succurreret, deficiendum decernerent ad hostes, quod alioqui minime credebant licere. Si enim sine peccato licuisset, tandiu tanta pati non debebant: si peccatum crederent, nullum tempus admissionis decernendum erat. Ideo iuste à sancta fœmina arguuntur non tam ob institutum dedendi urbem, quàm pro temeritate in dominum, cuius bontatem alligassent ad quintum diem, ultra quam dei clementiam non putarent præstolandam. Ad presbyteros misit uidua, ad templum domum magnæ familiæ, quæ ad illorum domus minus conuenienter transisset. Presbyteri iuxta Græcæ linguæ proprietatem senes dicuntur, uel senatores urbis, non soli sacerdotes aut Leuitæ secundum gentis Iudaicæ morem.

Clementiæ dei non ponendus est terminus.

6 Et qui estis uos, qui tentatis dominum? Non est iste sermo qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis uos tempus miserationis domini, & in arbitrium uestrum diem constituistis ei.

Ex his liquet uerbis, non alia potius ratione redargutos, quàm quia contra legem domini dominũ deum suum tentare concorditer statuissent, quasi iure obligaretur in tempore & pro nostro uoto obsequi & iuuare, cum dominus sit, & nos indignissimi seruuli longe grauioribus afflictionibus digni & tentandi. Et qui estis uos, ait, qui tentatis dominum? Non est hoc uestrum, ait, instituere tum tale, quo ueniam peccati & hostis excidium commereamini, sed contrarium deo agitis, & uobis salutem huiusmodi cunctatione uel potius negatione derogatis, terminum præfigendo omnium domino, in quo ab ipso omnino uelitis iuuari. Rotundis uerbis peccatum principis & consentientium senatorum totiusq; populi depingit: Posuistis, inquiens, uos tempus miserationis domini, & in arbitrium uestrum diem constituistis ei, quum potius prophetæ admonitionem obseruasse debuerit, dicentis: Dominus dissipat consilia gentium, & reprobat cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. Beata gens cuius est dominus deus eius, &c. Non saluatur rex per multam uirtutem, &c. Ecce oculi domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame &c.

7 Sed quia patiẽs dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lachrymis postulemus: nõ enĩ quasi homo, sic deus comminabitur: neq; ficut filius hominis ad iracundiam inflammabitur.

Sapienter & pie post correptionis uerba subiungit consolationis remedia, ne pro tanto peccato infidelitatis in tanta miseria desperent de dei circa se bonitate & indulgentia, longanimem esse dominum, ut pœnitentibus ex animo clementer indulgeat, ex infirmitate uel ignorantia salua fide peccantibus: non esse crudelem & intractabilem dominum, si cum fusis lachrymis reconciliare studuerimus. Comminatur quidem deus uindictas & pœnam delinquentibus, sed non ex ira & odio, ut solent homines qui non nisi irati percutiunt, & irrationabiliter sæpe feriunt ac occidunt. Non autem dominus uult peccatoris mortẽ, sed magis ut conuertatur ac uiuat. Denique non habens homines in arbitrio suo iram & furiam, sic dum

dum uelint deponere poßint ſemper, ſed ſæpe uincuntur affectibus iræ, & in punitione fiunt nimij, ut tandem pœniteant. Non ſic dominus, qui dum irascitur & uindicat, miſericordiæ tamen ſuæ recordatur, & multus eſt ad ignoſcendum, ſi humiliter deprecetur.

8 Et ideo humiliemus illi animas noſtras, et in ſpiritu conſtituti humiliato, ſeruientes illi dicamus flentes domino, ut ſecundum uoluntatem ſuam ſic faciat nobiſcum miſericordiam ſuam: ut ſicut conturbatum eſt cor noſtrũ in ſuperbia eorum, ita etiam de noſtra humilitate gloriemur.

Sanum in angußtijs conſilium hoc eſt, & apprime præſens remedium, ſi in animo humiliato & contrito pater miſericordiarum rogetur à pœnitentibus & in fide, ſi de noſtris uiribus deſperantes, totos nos domino et patri noſtro cõcredamus, illius nos uoluntati & beneplacito ſubijciamus, & ex animo bene ſperante, & lachrymas excutiente, uoluntatis ſuæ ordinem grati & reſignati complectamur, uiſcera pietatis paternæ ſupplices imploremus, tantum ut miſericordiam & non iudiciũ nobiſcum operetur. Sitq; uel ea nobis certa conſolatio propitiũ nobis futurum, imò nunc eſſe deum noſtrum, quia gratiam de nobis humiliter ſentiendi, errata noſtra deprecandi, & ardenter orandi, beneq; ſperandi de eo, nobis conceſſiſſe uidemus: hoſtes autem noſtros eatenus induraſſe, ut ſeſe præferant omnibus: dominum deum uerum audeant ſine timore blaſphemare, & conculcare ſacroſanctũ nomen eius. Hæc enim utrinq; certo certius oſtendunt, & ſigna ſunt ſaluationis noſtræ, & illorũ exterminij. Adorant illi quod neſciunt, imò ſolos ſeipſos admirantur, iam ſæpe edocti idola nihil eſſe uel poſſe, ſupra alios cunctos homines ſuperbiunt, & laudem putant plurimos occidiſſe, ſpolijs impleſſe arces ſuas & palatia, ſubito ruituri.

9 quoniam nõ ſumus ſecuti peccata patrũ noſtrorum, qui dereliquerũt deum ſuum, & adorauerunt deos alienos: pro quo ſcelere dati ſunt in gladium, & in rapinam, & in confuſionem inimicis ſuis: nos autem alterum deum neſcimus præter ipſum.

Quanquam in multis omnes quotidie deum offendamus, & peccatores ſimus, nomen tamen domini dei noſtri non abnegauimus, à fide unius dei ueri non excidimus, idola adhuc nulla adoramus. Id quod noſtri patres olim agentes dure puniti ſunt, & in uaria exilia deportati per orbem, ut teſtatur hodierna dies. Traditi enim ſunt immorigeri ipſi uerbo domini, per prophetas eis prædicati in reprobum ſenſum, & ſpiritu uertiginis ſic rotati ſunt, ut in criminibus huiuſmodi, maxime autem in infidelitate perſeuerantes, & prophetas domini perſequentes, ceciderunt iuſto dei iudicio in gladium, & in rapinam & in confuſionem corã omnibus inimicis ſuis, & in blaſphemiam diuini nominis, quod nos horremus q̃maxime: quia alterum deum neſcimus, præter dominum deum exercituum, qui Pharaonem in mari rubro, Amorrhæos ad Gabaon & alibi, Sennacherib ante Hieroſolymam, & omnes ſemel tyrannos occidit uerbo uirtutis

ſuæ, qui potens eſt & hos noſtros hoſtes delere, & iuſta blaſphemorum uindicta exterminare.

10 Expectemus humiles conſolationẽ eius, & exquiret ſanguinem noſtrũ de afflictionibus inimicorum noſtrorũ: & humiliabit omnes gentes quęcunq; inſurgunt contra nos, & faciet illas ſine honore dominus deus noſter.

Noſtrum interim eſt dum ſic tentamur à domino, non uicißim dominũ ipſum tentare, ſed longanimiter & humili ſpiritu expectare conſolationem, quæ certißime nobis aderit, ſi illi toto corde nos crediderimus, & in oratione perſeuerauerimus. Quod nunc pro nomine eius ab impijs idololatris patimur, abunde rependetur illis in ſinum. Sanguinem noſtrum de illorum manibus iuſtus & ſeuerus illis maledicis iudex exquiret, & præſentis noſtræ angußtiæ pondus propediem immenſam nobis iucunditatem operabitur. Gratulantur de ſuis fortunis iſtæ gentes perfidæ, & nos dei noſtri adoratores & cultores ridենt ac ſubſannant, improperijs diuexant ut inſanos: ſed humiliabit eos & opprimet deus noſter omnipotens & ſolus, iſtos, inquam, & omnes alias gentes, quicunq; contra unius dei cultores inſurgent. Venict enim tempus, cũ intra ſemetipſos confuſi confitebuntur errores, & ignorantiam cũ perfidia deprecabuntur: ſi tamen prius quod & propediem fiet, pro blaſphemiarum ſuarum demerito fuerint digne tractati, afflicti, exciſi ac perditi, alijs omnibus in exemplum.

11 Et nunc fratres quoniam uos eſtis presbyteri in populo dei, et ex uobis pendet anima illorum, ad eloquiũ ueſtrum corda eorum erigite, ut memores ſint quia tentati ſunt patres noſtri, ut probarentur ſi uere colerent deum ſuum.

Sermonem uertit ad præſentes presbyteros ſenores populi dei, ipſos commonefaciens ſerioſe officij ſui, quos fratres nominat, ut non ſeſe cæteris præferant, ut nõ tam dominos ſe norint quàm miniſtros eccleſiæ, quibus fideliter ſeruiant, in donis naturalibus & gratuitis à domino deo ornati ad hanc functionem, ut ſint fideles domino ſuo & creditæ eccleſiæ, pro qua olim cœleſti iudici reddituri ſint de ſingulis rationem. Ex uobis, inquit, qui ſapientia, iudicio, ætate & authoritate prælati eſtis, pendet illorum uita & ſtatus, proſperitas & religio. Eſt ergo ueſtrum, ut animo & fidei imbecillitate deiectos, ut ſi humanũ aliquod peccatum puſillanimitatis deſignarint, iterum uerbo dei & ſalutaribus monitis erigatis, ut reſumpta fide fortius adhuc ſperent in dominum, utq; intelligant præſentes angußtias non eſſe niſi tentationem fidei ipſorum. Quo modo olim quoq; patres ſui non ſemel à domino ſunt tentati, ut appareret ipſorum uel fides uel perfidia, ſi firmi domino adhærerent, & digne per fidem colerent eũ uel ne. Sic hodie quoq; nos putemus tentari, & nunc proditam ex parte eſſe noſtram in fide hæſitationem, quia decreuiſtis poſt quintum diem deſerere dominum, & de illius clementia deſperare.

Seniores ecclesiarum quales ſint.

12 Memores eſſe debẽt, quomodo pater no

ster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses: & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.

Mulier sacerdotibus prædicans.

Pergit exemplū inculcando presbyteris sensata et sancta mulier, quo suadeāt populo, ut memores sint eius tentationis, qua pater generis & fidei suæ Abraham summus patriarcha in filio suo tentatus est grauissimis incommodis & non paucis nec subitaneis, ut testantur sacræ literæ: sic Isaac quoq; in Palestina, sic Iacob à filijs & cognatis, sic Moses à toto populo annis quadraginta & duplo pluribus, sic Dauid, Ezechias, Iosias, & Elias cum reliquis omnibus. Quid enim plures commemorem? Summatim dicam: Omnes qui per omnia sæcula & in omni gente domino placuerunt, per multas tribulationes processerunt ad fidei perfectionem, qua tandem domino placuerunt, et amici facti sunt, uel potius declarati, quandoquidem amicitia dei non ex operibus uel passionibus, sed ex electione constat. Quæ tamen non solum ordinauit finem peruenendi fidelibus ad suam assequendā electionem ac coronam, sed & media quibus illac peruenitur, quæ sunt uocatio, iustificatio, fructus gratiæ & fidei.

13 Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suę cōtra dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.

Tentationes ferre.

Suscipere tentationes, est ferre eas æquanimiter, & credere eas non aliunde ingruere uel imponi, nisi à prouidentia pientissimi patris cœlestis, qui nihil mali electis & fidentibus sibi permittit inferri, sed udt ut omnia cedant eis in bonum, qui solus ex malis nouit elicere bona, et gratiosius exaltare eos qui se dolent grauius cecidisse. Impatientes quidem fuimus, & calamitatum pertesi, & in fide nutabundi, non sine murmure quod exaudiuit dominus, & non probat, paratus uindicare ut olim in solitudine contra Mosen domini famulum murmurantes, quos & ab exterminatore iussit exterminari, & à serpentibus occidi. Sed nobis citius resipiscentibus, & clementiam diuinam implorantibus, non minus miserebitur quàm olim aspicientibus serpentē æneum exaltatum, idq; in fide eius, quem ipse eo tempore designabat uere fidelibus & electis, qua & nos fide nitamur.

14 Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quę patimur, sed reputātes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella domini, quasi serui qui corripimur ad emendationem, & non ad perditionem nostram eueniisse credamus.

Quanquam fortassis hæc culpa hæsitationis Oziæ impingi posse uideatur à plebe, cui & ipsa quoq; importunius instetit querelis & murmure contra deum: utrinq; enim peccatum est, tamen nulla pars de alia conqueratur, ultionis nulla inter eas sit mentio, discordia nulla sit in ciuibus, qui tot nobis crudeles hostes imminentes feri-

mus. Nemo tantæ calamitatis causas alteri cuicunq; adscribat, non est in ciuitate nostra malum, quod non dominus fecerit, idq; nos pro peccatis nostris ferre iuste utilius credemus & confitebimur. Quæ & ex hac eadem nostra affidentia satis ostenduntur maiora esse quàm ut condigna eis sint aduersa cuncta, quæ in hunc usq; diem sustinuimus & patimur. Interim tamen bene fidamus, sciētes nos seruulos esse dei optimi maximi, qui pro continuis insolentijs nostris talia promeremur flagella domini nostri, à quo non alia ratione quàm ad nostram emendationem corripimur, ut citius emendati à perfidia nostra insignem dei nostri clementiam, & gloriosum redemptionis beneficium aspecturi simus. Artificium orationis tractandum alijs permitto, sed non in ecclesiasticis contionibus, ne auditores artem potius quàm spiritus sancti energiam in sanctis contionatoribus & cōnonucis authoribus admirentur. Quando & artem dicendi rhetores quoq; sæculares docent dissimulandam. Verum ad claritatem sensus et scopi ipsius certitudinem ostendendam sæpe ordinis rationem ostendisse necessarium uidebitur, & non solum utile aut eruditi contionatoris uel doctoris officium.

15 Et dixerunt illi Ozias & presbyteri: Omnia quæ locuta es uera sunt, & non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & timens deum.

Agnoscere hoc loco discamus, ueritatem honorare & amplecti à quocunq; dicatur. Non nouum est fœminas spiritu diuino imbutas uiros docuisse. Iubetur Abraham audire Saram, & facere quicquid præcepisset. Et Dauidi profuit & Nabalo eloquium sensatum Abigail. Hic igitur princeps populi & seniores, qui populum docere debebant, non inuite patiuntur se redargui à muliere, & sese peccasse per infidelitatem & præcipitantiam ingenue & humiliter recognoscunt. Quia uero gratiam dei satis resplendere in ipsius eloquio & in sancta conuersatione perspiciebant, & amicam dei non poterant dubitare ex fide quam docebat & præstabat simul cum resignatione mentis in deum & constantia. Ideo precantur ut oret pro ecclesia tota, pro rectoribus, ne in tentationes inducantur, ne à fidutia excidant, ne ab hostibus uincantur, ne blasphemetur nomen domini. Multū enim ualet oratio iusti, cuius exemplum patet in Abraham, Moyse, Iosue, Dauide, Ezechia, & multis alijs. De mortuorum autem quantumlibet sanctorum oratione peteenda, prorsus nihil docet omnis canonica scriptura. Multo minus ualere potest oratio uel intercessio ad deum eorum pro ecclesia, quorum est uita scandalosa, & plena criminibus & præsumptione, quum tantum humiliantis oratio cœlos petat. Et dum ad intercessionem qui displicet mittitur, animus iudicis magis ad iracundiam incitatur. Veruntamen etiam peccatores orare possunt & debent, sed intercessiones suas alijs uendere, planè impium esse nemo dubitat, nisi planè iniquus. De se tamen humiliter sentire, et confratris sui gratiam à domino pluris existimare quàm propria merita, indeq; moneri ad

ad petendum eius quem putat uirum bonum intercessionem ad dominum, pium est & religiosum, minimeq; refutandum. Omnes enim pro se & alijs orare docemur à Christo & apostolis.

16 Et dixit illis Iudith, Sicut quod potui loqui, dei esse cognoscitis: ita quod facere disposui, probate si ex deo est: & orate, ut firmum faciat deus consilium meum.

Religiosissime sentit et loquitur spiritu sancto edocta, primum omne bonum etiam uel minimum sermonem utilem desursum esse & dari non humano arbitrio. Est enim omnis nostra sufficientia ex deo, sine quo ut nihil uelle boni possumus, nec intelligere & operari, sic nec eloqui. Hortatur autem, ut institutum quod spiritu diuino impulsa aggredi instituit, qui in tam sancta fœmina otiosus non fuit, isti seniores non exquirant, sed hanc auditam orationem sanctam pignoris uice interim teneant, se nihil sine deo auspice tentaturam, nisi quod in gloriam dei & patriæ gentisq; totius salutem cedere debeat. Ne quippiam sinistri suspicentur ex tam insolito processu honestissimæ herois, orat igitur ut operum futurorum ratio nulla ab ipsa exigatur, donec dominus opus suum in illa compleuisse uidebitur. Orationes autem & obsecrationes postulat, ut quod dominus uelle indidit, largiatur & perficere, ut consilium à spiritu reuelatum sancto fine claudatur.

17 Stabitis uos ad portam nocte ista, & ego exeam cum Abra mea: & orate, ut sicut dixistis, in diebus quinq; respiciat dominus populum suum Israel. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum: & usq; dum renuntiem uobis nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad dominum deum nostrum.

Soli hi principes & presbyteri pro tanto consilij illius conscij fiunt, quo id secretius maneat, & minus imprudentia humana impediatur. Nihil enim temere agũt sancto spiritu instigati ad opus domini. Decreuerat superbissimum tyrannum, & impijssimi exercitus duces toti mundo & omnibus sæculis infamatissimos reddere, & uirtutem suam exerere magnifice, ideo inspirat fœminam, & ea utitur instrumento ad gloriam suam: humilia suscipit, ut fortia quæcũq; confundat: infamat perfidiam, ut fidem commendet. Abram ancillam suam sociat sibi, cuius in multis opera necessaria futura erat, & ut honestius incedens, tutior ad principis præsentiam penetraret. Nihil autem tentat temere, ideo orationes pro se fieri postulat, & tamen solatium quinq; dierum optat faustum esse, quod illi temere & peccando sanxerant, omnia domino ordinante.

18 Et dixit ad eam Ozias princeps Iudæ: Vade in pace, & dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum. Et reuertentes abierunt.

Tantæ honestatis & fidei habebatur Iudith, ut absq; disquisitione alia à presbyteris permissa sit agere quod agebat. Verisimile est eam nihil penitus de instituto suo presbyteris reuelasse: hoc enim tutius erat. Orationem autem assiduam sciebat minime frustrandam, quam et isti futuram pollicentur, & optant salutem fœminæ, & domini dei gratiam, quam ut fideles & humiliati sperare incipiunt, iam confirmati oratione mulieris, ut non dubitarint diuinitus geri quicquid tam sancta mulier prosequendum statuerat.

CAPVT IX.

1 QVibus abscedentibus, Iudith ingressa est oratorium suum: et induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum: & prosternens se domino, clamabat ad dominum, dicens:

Interdiu locuta fuerat uiris prædictis aduocatis in domum Iudith, quibus redeuntibus domum, & uesperam expectantibus, ipsa institutum quod domino impellente & reuelante conceperat, domino ardentissimis precibus ut necessarium erat, commendare proponit, & ad id se disponit, ut quàm humiliter sese deo animo & corpore præsentare possit, quem nouerat ubiq; præsentem, omnia intuentem, & humilium orationem spernere non ualentem. Oratorium suum domi ordinatum secretissimum locum ingreditur, non publicam ecclesiam, quo minus frequentia populi inter orandum distrahatur, & ceremonijs ad humilitatem & feruorem incitantibus commodius insistat. Siquidem & Christus dominus huiusmodi orationis locum docet esse tutissimũ, maximeq; idoneum. Communibus indumentis presbyteris sese obtulerat, ne de cilicio superbire uideretur, quando superbia spiritus nullam etiam humilitatis speciem non tentat: de quo multa in Vitis patrum non absurda. Intelligitur autem cilicium neglectissimus aliquis uestitus, & procul ab omni fastu, & à distractione mentis immunis, ut nihil nisi dei excellentiam bonitatemq; ac suam humilitatem, hoc est, tenuitatem et peccata in mentem admittat orantis, angustiam gentis, & urbis præsens periculum. Vnde & cinere caput aspergit, quo sit humilior, propter quod & humi se prosternit, ut non tam uocali eiulatu quàm mentis angore & feruida cordis oratione clamet ad dominum. Orationes in secretis

2 Domine deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionẽ alienigenarum, qui uiolatores extiterunt in coinquinatione sua, et denudauerũt femur uirginis in confusionẽ: & dedisti mulieres illorum in prædam & filias illorũ in captiuitatẽ: & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerũt zelum tuum: subueni quæso te domine deus meus mihi uiduæ.

Omissis aliorum disputationibus, de eo quod Simeonem patrem suum appellet, cum fuerit, ut dictum est, de tribu Ruben, simpliciter id acceptũ, nullam prorsus habet difficultatẽ. Fuerant Simeon & Leui fratres Ruben. Cum igitur incongruũ putaret dicere: Domine deus fratris mei Simeon, maluit dicere: Patris, quia patriarcha erat de suo genere, quod ex Iacob traxerat. Qua autem

ratione deum Simeonis dixerit, & non Ruben, in promptu est, quod & continuo indicat: quia non Ruben, sed Simeon huiusmodi zelum uindicandi Dinæ opprobrium induerat, & cum Leui perfecerat, cuius facinoris specimen nobile, ipsa ad gloriam dei sese peracturam recepisset, & omnino statuisset occidere blasphemum principem, & impurum Allophilum cum toto exercitu confundere. Auorum subijt exemplum maiorũ suorũ, quod licet ab initio pater Iacob nõ probarit, uidens tamen domini uoluntatem, æquanimor sustinuit. Sic audax facinus tentatura sese domino committit, et orationem à gratiarum actione inchoat, quandoquidem sine domini instinctu & donata fortitudine, duo fratres, quorum Simeon senior erat, tantum facinus aggredi & conficere minime potuissent. Igitur orat: Domine unuersorum conditor & gubernator, qui teipsum Deum patriarcharum nominasti, & nominari uoluisti, inter quos Simeon quoque non ignobilis est. Tu domine dedisti illi gladium quo defenderet sese ab hostibus, quos ob intollerabilem contumeliam aggredi statuerat. Violauerant enim sororem filiam Iacob illicita coinquinatione, in perpetuum dedecus omnium filiarum Israel. A domino quoq; factum est, ut pro una constuprata uirgine uindicanda, aligenigenarum plures filiæ traditæ fuerint tunc in prædam & captiuitatem, & tota Sichimitarum possessio in prædam cesserit Israelitarum. Id magnifici operis olim, ait, ô domine, factum est mirabiliter à paucis, sed tuo auspicio & auxilio, ac sacrosancta prouidentia, cuius ratio non sit inquirenda. Certe aliud non tunc intendebant quàm zelum honestatis læsæ uindicandæ, exemplo omnium fœminarum & uirginum. Qui ergo auxilium & fauorem præbuisti patribus, mihi quoq; tui spiritus instinctu inflammatæ, quamlibet fœminæ et uiduæ, subuenire digneris, ut quod dedisti uelle tam insigne & sacrosanctum facinus in tui nominis gloriam, id quoq; facies tua assistentia & uirtute perficere, quia deus meus tu es.

Auorum probitatis exempla.

3 Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est quod ipse uoluisti. Omnes enim uiæ tuæ paratæ sunt, & tua iudicia in tua prouidentia posuisti.

Omnia magnalia opera maiorum nostrorum tu egisti. Qui fieri potuit enim, ut Abraam primus noster patriarcha quinq; simul reges potentes & uictoriosos, simul & cum paucis assequeretur, uinceret & depræderetur? nisi tuo fauore adiutus atq; directus. Post illa alia quoq; mirabilia perfecisti cum patribus in Aegypto sub Ioseph & Moyse, quæ prolixum fuerit narrare. Omnia autem ideo peregisti, quia uoluisti, & ante mundi exordium & constitutionem alia post alia futura ordinasti, secundum inobliquabilis uoluntatis tuæ sanctitatem & potentiam. In quibus omnibus tuis factis utcunq; hominibus uideantur imperscrutabiles earum rationes, certum tamen habent fideles cuncti, nihil errare te posse, nihil peccare, probatissimas esse et iustissimas omnes uias tuas, ex æterna prouidentia tua ordinatissime dispositas & procedentes.

4 Respice castra Assyriorũ nunc, sicut tunc

castra Aegyptiorum uidere dignatus es, quando post seruos tuos armati currebãt, cõfidentes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum.

Exordiolum præmiserat, gratiarum actione beneuolentiam dei captando, nunc orationem subdit: Respice iusto iudicio tuo super blasphemum & impijssimũ exercitum illum Assyriorum, & castra illius, ea ad nos gratia tua, & in illos iustitia, digna sanctificationi tui nominis, sicut olim castra respexisti Aegyptiorum rebellium, cum ducti pœnitentia, sponte dimissos & expulsos per insignem iniuriam, reuocare uiolenter tentarent, quando armati persequebantur inermes, in suis tantum armis, quadrigis & equitibus confidentes. Quotquot enim huiusmodi sunt ex animo odisti, persequeris, humilias, & prosternis, quando dominus tu solus es dominorum, & nomen tuum est, ut dominus omnium exercituum & fortissimus per omnipotentiam nõmineris, & te esse totus ostenderis & semper.

5 Sed aspexisti supra castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos. Tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos.

Respexeras etiam iam ante filios Israel in luto & lateribus fatigatos ab improbis, sed per clementiam & paternam gratiam exaudiendo calamitosorum gemitus & singultus. Non sic oro respicias hunc Assyriorũ exercitum, sed eo modo quo tunc aspexisti, quando defatigauerunt Aegyptios tenebræ palpabiles, quando absorpti eatenus sunt à rubro mari, ut sese explicare non possent, sed in profundum demergerentur uelut plumbũ, & operuerunt eos aquæ. Tale tunc in impios blasphematores tui nominis iudicium exercuisti iustissimum, omnium seculorum tyrannis formidandum.

6 Sic fiant & isti domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur, & nesciunt quia tu ipse es deus noster, qui conteris bella ab initio, & dominus nomen est tibi.

Sic nunc fiant, ô domine, illi impij & sine deo miseræ creaturæ & crudelissimi homicidæ exemplum generibus cunctis, quæ in sola sua fortitudine, pertinacia, crudelitate & superba multitudine confidunt, instructi armis carnalibus, & nihil contra tuum exercitum potentibus. Rident illi omnia iudicia tua, imò te ignorare & nihil posse fatentur & iactant. Hactenus sese putauerunt aliquid esse, te uero contemnere nihili duxerunt. Non crediderunt te esse dominum deum nostrum, qui in tantis nos angustijs dereliquisse uidebaris. Tu uero in nobis es domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, qui ab annis antiquis bella conteris, & uictoria donas eos quos diligis uel exerces, quia sortes militantium pro tua uoluntate moderaris, dñs unuersorũ existens, et dominus omniũ dñorum, cui non est difficile superare fortissimos exercitus per paucos uel plurimos, non est qui resistere possit uolũtati tuæ, qua omnia facta iam sunt ut primũ uolueris: cuius posse est unucũ uelle: et uelle, factũ iam esse.

Erige

7 Erige brachiũ tuũ ſicut ab initio: & allide uirtutẽ illorũ in uirtute tua: cadat uirtus eorũ in iracũdia tua, qui promittũt ſe uiolare ſancta tua, & polluere tabernaculũ nomiſ tui, & deĩcere gladio ſuo cornu altaris tui.

Tu ergo quem talem & tantum eſſe credimus & experti ſumus, erige & declara nunc fortitudinem tuam nouo miraculo, qualia ab antiquo magna & plurima patribus oſtendiſti. Gloriantur illi in ſua fortitudine, qua & tibi præualere præſumunt, nos in alio gloriari non ſcimus neq; poſſumus præter quàm in te, uno domino exercituum. Cadat igitur uirtus illorum per omnipotentiam tuam. Iram tuam ſentiant, qui ſauorem ſpernunt. Perſuaſerunt ſibi calcare pedibus ſuis poſſe gloriam tuam, ſanctuarium & quicquid ſanctum haberi uoluiſti & honorificum. Impuriſſimi porci polluere decreuerunt tabernaculum, ſancto tuo nomini ſanctificatum. Et ſubuertere nituntur aram, quam tuo nomini ſacram extrui præcepiſti in gloriam & bonitatis tuæ memoriale, ubi gratiam pœnitentibus promiſſam inuenirent iuxta legem Moyſi offerentes ſacrificia pro peccatis, quæ uix nuper reſtituta nouimus tua diſpenſatione gratuita.

8 Fac domine ut gladio proprio eius ſuperbia amputetur, capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex labijs charitatis meæ.

Quid pro dei gloria deſideret & orare conetur, ſpecialiter explicat, ut tam ſuperbus diuinæ gloriæ blaſphemator proprio ſuo gladio iuguletur, qui aliorum ceruicibus imminere cupiebat, et iam pro infallibili fortuna aggrediebatur. Non orat ut peccet in dominum, ſed ut tam criminoſus & diuino iudicio damnatus incidat in iudiciũ domini. Non deſiderabat ſancta mulier libidinem ſuam ex eo ſatiandã, ſed mortẽ dignã pro tantis ſuis criminibus non tantũ contra deum ſed etiam contra proximũ, quandoquidem nihil libidinum obmittebat, quamcunq; per fas & nefas contingere potuiſſet. Orat ergo ut aliquando ſic peccet, ut à peccando uelit nolit ceſſare cogatur, iuſto dei iudicio occidendus. Orat, ut ſic decipere impium poſſit, ut tyrannum & crudeliſſimũ fidelium hoſtem, & dei Iſrael, tollat è medio, ſine periculo uitæ & peccati in dominum, ut fortunetur & proſpere dirigatur cõſiliũ, quod ſpiritus pietatis & fidei ingeſſerat, ut qui hactenus tantopere ſorduit, adhuc magis ſordeſcat, & oculis libidinoſis capiatur ad interitũ, ne manus lauare poſſit in ſanguine innocentiũ. Labijs charitatis ſuæ percutiendũ optat, ut antequã admoueat labia ſua ex illicito amore, percuti poſſit à fœmina, ut ſic ferueter inhiet ad opus libidinis, ut tutius occidi poſſit. Meæ inquit charitatis, hoc eſt amoris quẽ ad me ſit cõcepturus, animo ſatisfaciẽdi cupidini.

9 Da mihi in animo conſtantiã, ut contemnam illum: & uirtutem eius, ut euertã illũ, quoniam ſuper me edificauit ſuperbiam.

Puſillanimitatem fœmineam ſollicitam habet, ideo animum ſacra conſtantia confirmari precatur, ut horribilem tyranni aſpectum, uirili audacia à domino inſtigata fortiter contemnat, inuictumq; tot gentibus robur ducis impij, ſuperare diuina uirtute præualeat, utq; gloriam tam ſplendidi ducis & exercitus, dum fortiſſime ſtare præſumit, fœminea imbecillitate euertat, ad gloriam dei, cui infirma huius mundi firmiſſima ſunt.

10 Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus fœminæ deiecerit eum.

Nomen domini non proprium glorificari cupit ex huiuſmodi ſuo opere, quandoquidẽ & id agere diuinam maieſtatem agnoſcit, cuius tamẽ diuinu operis memoriale in tam illuſtri uictoria piorum ad magnificentiam dei perenniter duraturum deſiderat ſancto zelo, ut in toto orbe terrarum & per omnia ſæcula diffametur fama miraculoſi triumphi, quem dominus egit per manum fœminæ, ut tanto maiori ludibrio tam ſuperbus exercitus contemnatur & confundatur.

11 Nõ enĩ in multitudine eſt uirtus tua dñe, neque in equorũ uiribus uoluntas tua eſt.

Sententiam religioſam & claram addit cũ laude dei. Non eſt enim dominus ut dij illorum. Non ualet apud dei prouidentiam quæcunq; exercitus multitudo, uel robur hominibus inſuperabile, quandoquidem uirtus diuina eſt ipſa omnipotentia, quæ ad ſuas functiones, neceſſarias non habet quaſcunq; equorum & equitum uires, ſola enim uoluntate ſua oĩa agit, omnibus adminiſtrat potentiam, ſecundum menſuram donationis, quæ illi placet, ſine quo nulla creatura quicquam poteſt uel agit.

12 Nec ſuperbi ab initio placuerunt tibi: ſed humilium, & manſuetorũ ſemper tibi placuit deprecatio.

Alia ſententia. Ab initio rerum & ſemper domino diſplicuerunt omnes ſuperbi, ut angelicis quoq; ſummis ſpiritibus ſuperbientibus non pepercerit, ſed ad ima de ſupernis præcipitauerit, primorũ parentum ſuperbiam in poſteris puniverit, Babylonicæ præſumptionis ædificium diſturbauerit, Saulis ſuperbiam digno & duro iudicio iudicauerit, Pharaonis, Senacherib, & Nabuchodonoſoris niniam ſuperbiam ferre minime potuerit. Sed humilium illi & manſuetorum ſemper placuit deprecatio. Sedes enim ſuperborum deſtruxit dominus, & ſedere fecit mites pro eis. Abiecit Saulum, & benigniſſime exaudiuit Dauidis humiliati deprecationem.

13 Deus cœlorũ, creator aquarum, & dominus totius creaturæ, exaudi me miſerã deprecantẽ, et de tua miſericordia preſumẽtẽ.

Orationis feruor ãdat eius.

Augetur per gradus orationis feruor in proceſſu more piorum, dum dominus orationem exaudire decreuerit: decreſcit autem & confunditur, nec ex corde deuoto procedit oratio etiam piorum, cum dominus aliud quàm precetur agendum ſtatuit. Hic quaſi de nouo inciſpiens, ex affectu eloquitur dei Laudes, & confitetur dominum creatorem & gubernatorem omnium, cœli id eſt omnium cœleſtium tam corporum quàm ſpiritualium ſubſtantiarum à corporibus ſeparatarum, angelorum ſcilicet & animarum. Aquarum nomine intelligit quicquid corporeum eſt, & ſine aquarum natura ſubſiſtere non poteſt. Et addit generaliter includendo omnia: Dominus, inquit, totius creaturæ, exaudi pro bonitate tua me fragilem fœminam, pro tua gloria ſolicitam, & tua

inſpiratione nunc quoque precantem, quia ſic placet, ut de tua clementia præſumant amici tui, & tuam uelint ſemper ex animo promotam gloriam, quam iſte impius homicida blaſphemare non timet.

14 Memento domine teſtamenti tui, & da uerbũ in ore meo, & in corde meo conſiliũ corrobora, ut domus tua in ſanctificatione tua permaneat: & omnes gentes agnoſcant quia tu es deus, & non eſt alius præter te.

Ex teſtamento quod ſanxiſti cum noſtris patribus, daturum te nobis, & promiſiſti glorificandos patriarchas & ſemen Dauidis glorioſiſſimo regno, populo tuo fideli deuinctus es, ut ipſum perire non ſinas, opprimi & deleri non permittas, quod ille impius molitur totis uiribus. Memineris ergo fidei parentum ſanctorum, & ueritatis promiſſorum tuorum, ut eo me dirigas medio ad internetionem impiorum, quod animo indidiſti. Da ergo idoneum uerbum ad extinctionem tanti tui hoſtis in os meum, ut decipiam artes & potentiam tam crudelis tyranni. Et conſilium quod reuelaſti confirma, ut ſolus potes, ſi uelle dignaberis. Omnia autem ad gloriam nominis tui, & ad conſeruationem legitimi cultus tui Hieroſolymis, quem iſte gentilis ſubuertere & impedire conatitur, & nuper reſtitutum templum ad ſanctificationem tui nominis iterum conflagrare intendit. Non obſecro id fiat, ſed ipſa domus tua in ſanctificatione tua permaneat, & ex opere tuo per me perficiendo, omnes cæteræ nationes agnoſcant tuam potentiam, & conuertantur ad colendum te ſolum, ut promiſiſti per prophetas iamdudum, quod hac uia perfici & compleri poterit. Solus enim tu es deus, & nõ eſt præter te alius, cuius nomen digne ab omnibus colatur.

CAPVT X.

1 Actum eſt autem, cum ceſſaſſet clamare ad dominum, ſurrexit de loco, in quo iacuerat proſtrata ad dominum.

Facile ſe à domino exauditam intelligere ſpiritus ſancti teſtimonio potuit, ideoq; cum iam tempus ad opus ſeſe accingendi in nomine domini attigiſſet, à clamore orationis mentalis ad dominum ceſſauit, & de loco ubi coram domino & in conſpectu maieſtatis omnia replentis & aſpicientis ſurrexit, cinere & ſacco humiliata & precibus, abſentem uocauit famulam Abram, & de oratorio quod in excelſioribus parauerat, ad exemplum Danielis, deſcendebat ad inferiora, ut quæ penes homines gerenda eſſent expleret, poſtquam propitium ſe obtinuiſſe dominum minime ambigebat.

2 Vocauitq; Abram ſuam, & deſcendens in domum ſuam, abſtulit à ſe ciliciũ, et exuit ſe ueſtimentis uiduitatis ſuæ, & lauit corpus ſuum, & unxit ſe myrto optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe ueſtimentis iucunditatis ſuæ, induitq; ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitq; dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe.

Cilicium in oratorio exuerat, inferius autem ueſtimenta honeſta quidem, ſed quæ humilem uiduam & maeſtam decerent exuit. Et ut placere poſſet uiro alioquin puro & prompto ad libidines, ſic aptauit corpus alioquin pulcherrimum, ut præ alijs eximiæ formæ pellicibus, quarum illi copia non deerat, placere & pulchritudine excellere cunctas poſſet, non alia ratione, quàm occidendi perfidum tyrannum, ad gloriam domini dei Iſrael & ad gentis & patriæ ſuæ liberationem à præſenti maximo periculo. Corpus pro more lauit, quod ut uiduitatis & luctus tempore neglexerat, unxit pro patrio more, optimo myrto, diſcriminauit capitis ſui crines & cæſpillos, mitram impoſuit, iucunditatis ſigna omnia aſſumpſit, contra conſuetudinem, ut ſandalia quoque non obmiſerit, & reliqua id generis, ut in litera. Excuſatione non indiget factum fœminæ, quæ etiam ſi peccaſſet in talibus extra hominum ſanctorum ſortem non fuiſſet, quando in multis offendimus omnes. De genere mala haec operatio non erant, & ad finem ſanctiſſimum ahibebantur, muliebribus armis uincere cupiens, quem uirilia armamenta non poterant, cuius tamen occiſio neceſſaria erat ad dei gloriam, & ad fidelis populi propugnationem.

3 Cui etiam dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex uirtute pendebat, & ideo dominus hanc in illam pulchritudinẽ ampliauit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.

Ornato corpori dominus ſplendorem addidit ſuo dono, ut apta fieret ad opus domini, non ad libidinem ſatiandam, ſed ad iudicium dei iuſtum exercendum. Nihil enim libidine ſancta uidua tentabat, ſed ex fide in dominum & charitate ad patriam. Inde proficiſcebatur tota illa corporis caſtiſſimi compoſitio. Hinc decuit dei bonitatem & iuſticiam ut pulchritudinem ampliaret, ut omnium oculis incomparabili decore appareret. Eſt etiam corporis pulchritudo donum creatoris, quo qui ad dei gloriam bene uſus fuerit, domino in ſuo opere miniſtrabit.

4 Impoſuit itaq; Abræ ſuæ aſcopam uini, & uas olei, & polentam, & lapates, & panes, & caſeum, & profecta eſt.

Videtur ſatis in quem uſum Abram ſuam aſſumpſerit, ut nunc quidem ferret aſcoperam uini cum cæteris. Eſt autem Græce ἀσκοπήρα Latine pelliceum ſaccus, nempe compoſito nomine ex ἄσκος utre, & πήρα ſaculo. Vas olei, pro condimento cuius nos uice butyro utimur. Polenta autem dicitur perfuſum aqua hordeum ſiccatum nocte una, & frixum altera, deinde mole confractum, ut in dies ſeruetur quàm plurimos. Lapates alui uentris eſſe uacuatorium, genus holeris. Quæ omnia cũ panibus accipiebat & caſeo, ad quinq; dierum annonã, qua iuxta domini dei ſui legẽ Iudaico more utebatur religioſe, ne ut Daniel de menſa pollutorũ idololatrarũ piſſima fœmina cibũ ſumere cogeretur. Ancilla ferebat haec omnia, dominã ſecutura quacunq; perrexiſſet. Quæ ſiue ſecreti huius conſcia fuerit ſiue minus, æque religioſam uirginem

virginem fuisse credi potest, parata simul de uita periclitari pro gente sua & gloria domini.

5 Cumq; uenissent ad portam ciuitatis, inuenerunt expectantem Oziam, & presbyteros ciuitatis. Qui cum uidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem eius. Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire dicentes:

Sub noctis initium peruenens cum Abra sua iuxta conductū ad portam ciuitatis Bethuliæ, operientē Oziam & presbyteros inuenit, qui pro insolito habitu admirati sunt, quem deus illi contulerat splendorem pulchritudinis, & pro reuerentia integerrimæ semper famæ omnia consuluerunt quàm optime, nihil interrogantes de consilio, quod illi dominum inspirasse credebant. Vnde uerisimilius putatur, neminē fecisse eam sui secreti participem. Magnum ornamentum & authoritatis prærogatiuam habet spectatæ famæ integritas, in muliere præcipue, pro qua nunc in tanto periculo ciuitatis, illi bene confidentes, eam emittunt, totius gentis salutem cōmendantes in manum unius fœminæ: quæ ut dextre rem egit, sic pro sexus mutabilitate quisquā potuit dubitasse, sed omnia dei nutu & prouidentia moderabantur.

6 Deus patrum nostrorū det tibi gratiam, & omne consilium tui cordis sua uirtute corroboret, & glorietur super te Ierusalem, & sit nomen tuum in numero sanctorum, & iustorum. Et dixerunt hi, qui illic erant, omnes una uoce: Fiat fiat.

Sacerdotis autem pontificis erat benedicere dei famulam, & pro illius salute & prospero instituto dominum precari, ut sua illi gratia in tam periculoso negotio non deesset. Potuit intendisse, ut gratiam largiretur fœminæ tantam, ut ad sæuissimum principem ut alter Ahad sine offensa penetraret, & placeret uxor futura, donec ut altera quoq; Hester, gentem suam aliqua conditione redimeret à præsenti periculo. Det inquit consilium tui cordis dominus, cuius hoc est negotium, pro sua bonitate ad populum, & clementia ad tam humiliter, feruenter & perseueranter orantes pro dei auxilio confirmet & absoluat, ut aliàs sæpius. Vnde tandem et propediem glorietur super te non sola Bethulia, sed ipsa quoq; per te seruanda Hierosolyma. Ominaturq; certo futurum, & quasi spiritu prophetico inspiratus prædicit nomen Iudith in sanctorū numero perpetuo laudandum. Et insuper omnibus mulieribus solatium & honor futura, etiam si non in exemplum. Rara sunt enim huiusmodi negotia & exempla, neq; pro regula & sequela passim ab omnibus usurpanda: ut & speciales regulæ nō sunt ad latitudinem generis extendendæ. Quia uero unus hæc intelligibili alijs sermone loquebatur, sanctas imprecationes, ideo cæteri respondebant statim Amen, & ad asseuerationis & desiderij sancti confirmationem addebant secundo Amē, id est fiat. In nostris uero ecclesijs quid fieri potest insanius, quàm ut populus respondeat Fiat, post dicta uel lecta quàm plurima, quorum prorsus nihil intellexit, utpote Germani Latinam linguam minime capientes? quod in

men re-
ondetur.

Græcia, Italia, Syria, India populi Christiani non faciunt, quibus in sua lingua intelligibiliter recitantur, ut dicant ad petita religiose Amen.

7 Iudith uerò orans dominum, transiuit per portas ipsa & Abra eius.

8 Factum est autem, cum descenderet montem, circa ortum diei, occurrerūt ei exploratores Assyriorum, & tenuerunt eam, dicentes, Vnde uenis? aut quò uadis?

Non obliuiscebatur sancta fœmina orationis in deum, ut fides non deficiebat, sed subinde augebatur. Orabat ergo nocte illa ad dominū, & per non unam portam, sed portas munitissimæ urbis transibat, cum eius Abra, cuius illi nomen fidei perfectissimæ in patriarcha Abram uel Abraam memoriam refricare poterat, ut esset pro huiusmodi iusticia domino deo tanto charior. In montanis Bethulia extructa erat, & ad planiora pedemontana exercitus castrametatus fuerat: quia per arctiores semitas et ualliculos, tantus numerus bellatorum ascendere non poterat, ideo designauerant uigiles, qui fontes & itinera obseruantes, prospicerent ne exirent obsessi, uel sese aquarum potu confirmarent. Illi uero custodes circa ortū diei tandem illis occurrūt, cum fine diligenti uigilia pernoctassent temporis reliquum. Obuiam ergo illis factam fœminam capiūt, et percunctantur per singula pro more militantiū in castris, sed dño ordinante imponitur impijs.

9 Quæ respondit, Filia sum Hæbræorum, ideo ego fugi à facie eorū, quoniā futurum agnoui ꝙd dentur uobis in depredationē, pro eò quòd contemnentes uos, noluerūt tradere seipsos, ut inuenirēt misericordiā in cōspectu uestro. Hac de causa cogitaui mecum, dicens, Vadā ad faciem principis Holofernis, ut indicem illi secreta illorum, & ostendam illi quo aditu possit obtinere eos: ita ut non cadat uir unus de exercitu eius.

Sine peccato ut non uiuunt homines, sic nec hæc mulier à mendacio ueniet defensanda. Opus quidem domino erat, qui superbissimo tyranno impositurus erat per fœminam, qui nutu & uoto minimo occidere dudum potuisset impissimum: sed in astutia sua sic nunc uult dominus astutum comprehendere, & in manū fœminæ tradere uirorum fortissimum. Ad hoc utitur personis & rebus, ut illi placet, qui quod & quantum uult imputat ad peccatum: cuius ratio uoluntatis ut non nobis reddenda est à domino, sic nec ab hominibus inquirenda. Mentitur quidē, sed in caput damnati & blasphemi hominis, ad illius & complicum dignissimū & à deo præordinatū exitiale iudicium. Superbis & crudelibus loquitur quæ conueniebant. Quid enim aliud loquens ad ducem peruenire potuisset, nisi miraculosè? Non autem nisi rarissime miracula dominus agit, ubi naturali rerum progressu res arduæ & necessariæ confici non possunt. Naturale est autem fœminis pusillanimitatis & inconstantiæ uitium, unde mendacium propagatur. Id quod tam sapientes & rerum periti uiri ignorare minime debuissent. Mendaciū non excusandum.

10 Et cum audissent uiri illi uerba eius, cōsi-

derabant faciem eius: & erat in oculis eorũ stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis.

Auertere non poterant oculos à forma mulieris, quia nolebant, carnis enim delitias per omnia sectabantur, ideo carnis incommoda inciderunt. Quid illis eo tempore & muliebri formæ? Procul è castris abesse debet omnis luxus, si uictorijs gaudere delectat. Timor & solicitudo semper adsint, maxime uero uigilibus. Vinum et mulieres animum inuertunt, et uiriles ausus opprimunt, & reddunt effœminatos. Sed mirabantur eius pulchritudinem, & stupebant ad illius aspectum. Hanc illis deus decipulam posuerat, qua illos capere decreuit. Sic capiuntur uulpes.

11 Et dixerunt ad eam, Conseruasti animã tuam, eò quod tale repperisti consilium, ut descenderes ad dominum nostrum. Hoc autem scias, quoniam cum steteris in conspectu eius, bene tibi faciet, et eris gratissima in corde eius.

Statim uerbis alienæ fœminæ credunt uiri militares. Laudant eius sapientiam, persuasam habentes proximo illis impendere uictoriam. Vitam tuam conseruasti huiusmodi consilio, aiunt. Prudentiam interpretantur descensum ad principem suum. Scientes illum mulierosum, nihil huiusmodi pulchritudini posse negari, unde addunt, assecurando eam de gratia ducis, qui illam sit humanissimè susceptus et tractaturus, dum illi fuerit præsentata. Non autem insipienter Salomon principibus uinum interdicit & multitudinem fœminarũ, quia plerunq; hinc pericula incidunt in regnorum perturbationem.

12 Duxeruntq; illam ad tabernaculum Holofernis, annuntiantes eam.

Non sibi rapiunt, sed duci offerunt pro officio illi præter necessarium etiam officium plurimum gratificaturi. Non autem subito inducunt, id enim nec licebat, nec fieri poterat corporis custodibus circumsepto pro more magnorum principum. Sed nihil potest quamlibet fortis murorum uel castrorum custodia, dum dominus cœperit indignari. Innocentia tantum & benignitas magnos uiros tutos conseruare potest.

13 Cumq; intrasset ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes.

Præcipites eunt in uitia impij, nullo dei timore retracti. Statim quod libet interpretantur licere tyranno: sed aliquousq; ineptiunt, & petulantia sua insaniunt. Hoc huic nunc contigit Holoferni, quem tot gentium fortissimarum exercitus uincere non potuerunt, illum fœminæ unius species per aduersum traducit. Huiusmodi sunt præmia libidinum, quæ libidines præmia quoq; sunt non obseruatorum sensuum. Id expertus Dauid admonendo cunctos canit: Auerte oculos meos ne uideant uanitatem. Statim ut introducta est fœmina talis, captus est in suis oculis Holofernes.

14 Dixeruntq; ad eum satellites eius, Quis cõtemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut nõ pro his merito pugnare contra eos debeamus?

Qualis dux erat exercitus, tales collaterales et satellites homines sine deo & disciplina. Quis inquiunt contemnat populum Hæbræorum, qui tam decoras possident mulieres? Quis alijs populis subiugatis non cupiat etiam Hebræos uinci & opprimere, qui quum in reliquis sint parũ utiles, & non onusti diuitijs, fœminas tamẽ habeant quas in spolijs excellentissima mancipia nobis rapiendo inueniemus? Nihil spernũt milites, nisi pauperiem natum, & ubi nihil spoliorum speratur: quasi unicam litium & bellorum causam sufficientem ducunt, si quid diripiendum speretur. Merito se pugnare dicunt & fortiuntubi plurimum nouerint spoliorum qualiumcunq;

15 Videns itaq; Iudith Holofernem sedentem in conopœo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextũ: & cum in faciem eius intendisset, adorauit eum, prosternens se super terram. Et eleuauerunt eam serui Holofernis, iubente domino suo.

Sedebat tyrannus truculentissimus in uelo uel tentorio aut papilione, quod Græcis dicitur κωνώπιον, quod circundatur ad arcendum pulices. Erat uero, ut dicitur, hic conopœus ex purpura & auro & smaragdo lapidibusq; pretiosis, quibus sanè qui delectantur & magni hæc faciunt, non diu strennue militabunt. Quid enim faciunt hæc cuncta in milite? quid fortitudini corporis & animi conducunt? quem non huiusmodi admixtem effœminant? Quomodo Romani uicti sunt ad Cannas? Nónne similiter nostris temporibus Burgundionum horribilis bellator & potentissimus princeps Carolus talibus delectatus perijt, cuius adhuc opima spolia in templis Heluetiorum cernuntur? Ferrum decet militem, & aurum in crumena non in clypeo. Iudith uero instituto suum belle & feliciter prosequitur, intuetur oculis tyrannum, corde domini misericordiam & fortitudinem inuocat. Adorat prostrata super terram ante hominem propediem moriturum, sed cordis & conscientiæ detectione omnipotentem dominum omnibus præsidentem adorat, ueneratur & inuocat. Non aderat quispiam, qui scandalum pateretur ex hac adoratione, omnes Satanæ mancipia erant, omnes impij, & sine deo. Vtcunq; uero crudelissimus esset & atrox, ad aspectum tamen fœminæ mansuescit, & superbissimus princeps iubet adorantem leuari, & ad mulieris gratiam promerendam studet, animo iam effœminato & exuto uirilis constantiæ fortitudine. Sic fiunt fœminæ regibus fortiores.

CAPVT XI.

1 IVnc Holofernes dixit ei, Aequo animo esto, & noli pauere in corde tuo: quoniam ego nunquam nocui uiro qui uoluit seruire Nabuchodonosor regi. Populus autem tuus, si non contempsisset me, nõ alleuassem lanceam meam super eum.

Loquitur tyrannus ad gratiam mulieris placentia, ut metuat sibi inter hostes populi sui. Non uult contrister-

ri eam,

ri eam, sed animo esse hilari. Mansuetudinem iactat & clementiam, ut mereatur adamari à fœmina, quemadmodum ipsam iam deperibat. Non nocui, inquit, uiro, hoc est iuxta Hebraicam locutionem, alicui uel cuicunq; homini. Alioqui potuit timuisse sibi, ut fœmina. Vult autem omnes homines seruire regi Nabuchodonosor, quem supra dixerat deum esse, & coli deberi, non dominum deum Israel, quem nihili ducebat, & non timuit horrendis blasphemijs dehonestare. Populum tantum ait, id est Iudaicum cogor pro peruicacia sua castigare, Qui si humilietur, & obsequatur principum mandatis, & à tanta rebellione desistat, poterit humanitatis nostræ gratiam reportare, & in pace consistere, & à potentissimo principe ab hostibus defendi. Huiusmodi loquitur ad captandam benevolentiam fœminæ, cum longe alia dixerit contra Achiorem.

2 Nunc autẽ dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, & placuit tibi ut uenires ad nos?

Credens pauore liberatam, familiarius loqui pergit fœminæ, disquirendo causam aduentus sui. Iam autẽ cœperat resolui fortitudo animi, per concupiscentiam solicitatam ex specie, & periclitari de iudicio, ut quod uere ageretur à fœmina internoscere nequiret. Sic enim tam odium quàm amor excæcat oculos sapientum, quando & munerum desiderium amor est, æque ut adulterinus, qui proximi uxorem elegantiorẽ persuadet propriæ uxori. Sic periclitatur iudicium rationis ex passionibus carnis. Tanto autem pernitiosius, quanto qui præsunt prudentiores sint & circumspectiores necesse est. Vnde hic unius stultitia imposuit tot milibus uirorum. Sic una fœmina exercitũ prostrare potis est, domino indignante.

3 Et dixit illis Iudith, Sume uerba ancillæ tuæ: quoniã si secutus fueris uerba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet dominus tecum.

Non unus aderat dux exercitus, sed passim accurrerant ad miraculum speciosæ fœminæ, quibus uti exercitus totius ducibus primarijs, à domino corroborata Iudith magnanimiter loquitur, simul & prudentissime, ea certe rhetorica usa, quam spiritus in ea loquens dictabat, nonnihil inferendo ex humani spiritus imbecillitate, qui & in sanctis atq; adeo in ipso Christo secundum hominem loquebatur in Oliueti monte. Vera loquitur fermè per omnia, sed tectim, ut deprehendi non posset negotium quod agebat. Si inquit, secutus fueris uerba ancillæ tuæ, hoc est ad uotum mihi responderis, & acquieueris instituto meo, ut amore scilicet capiaris mei nimio, & stultescere incipias, ut uino opprimaris præter tuum morem, perfectam rem dominus tecum faciet, hoc est, ponet te in exemplum omnibus perfidis, superbis, luxuriosis, & ebrijs. Id non expressit, non enim proderat negotio hæc explicasse.

4 Viuit enim Nabuchodonosor rex terræ, & uiuit uirtus eius quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solum homines seruiunt illi per te, sed & bestiæ agri obtemperant illi.

Nominat caute Nabuchodonosorem regem terræ, & uirtute omnibus terrigenis præstantẽ confitetur, qui potestatem habeat corripere insolentes, gladium gestet ad uindictam malorum, laudem autem bonorum, cui non tantum homines seruiant, sed & bestiæ agri obtemperent. A potestatis eminentia laudat non falso, sed ea temporali & terrestri. Id quod ut uere loquebatur, sic placere poterat & placare: de cœlestibus enim tyrannus nihil curabat, & deum se cœli non arbitrabatur, tam stolidus non erat, sed in terris uolebat sibi præferri neminem. Sic enim stulta sed tyrannica ingenia alloqui possumus, donec incidat commoditas iustè agendi ad illorum excidium, & gentium redemptionem.

5 Nuntiatur enim animi tui industria uniuersis gentibus, & indicatũ est omni sæculo quoniam tu solus bonus & potens es in omni regno eius, et disciplina tua omnibus prouincijs prædicatur.

Adhuc ab industria laudat, & insigni prudentia Holofernem, quæ per omnes diffametur gentes, cum iustitiæ insigni, ob quam tantopere honoratus sit à rege, tanquã felicissimus triumphator unicus, præ omnibus cæteris seruis regis, & militaris disciplinæ laudes non tacet. His enim delectantur laudibus exercituum duces heroici.

6 Nec hoc latet, quod locutus est Achior, nec illud ignoratur q̃d ei iusseris euenire. Constat enim deum nostrũ sic peccatis offensum, ut mandauerit per prophetas suos ad populum, quòd tradit eum pro peccatis suis. Et quoniam sciunt se offendisse deum suũ filij Israel, tremor tuus super ipsos est. Insuper etiã fames inuasit eos, & ab ariditate aquæ iam inter mortuos cõputantur.

Poterat cogitare fœmina, non obmissurum Holofernem colloquium de Achior, cuius uerba irritauerant ipsum. Ideo præoccupat oportune, ut quæ loqui cum ueritate non posit non cogatur eloqui, uel inquirenti respondere, & de nouo concitari uirum. Ideo eleganter idem quidem loquitur quod Achior, quo ad ea quæ ad domum dei honorẽ & dignitatem pertinebant. Vere ait, locutus est ille Achior, constat enim dominum irasci nobis, quotiescunq; peccauerimus. Id enim lege data nobis promisit, sicut & beneficia multa largiri consueuit, quæ promisit obsequentibus. Nunc uero certum est nos multipliciter deliquisse in dominum, & commusisse in ipsius legem. Idipsum negare Iudæi non possunt, sed fateri coguntur. Ideoq; certum est instare illis calamitates grauissimas, quarum una est trepor & pauor ad tuam potentiam, cui resistere se posse non confidunt: alia est, omnium rerũ penuria, qua non premerentur nisi dominum offendissent, & defectus aquarum, uitæ perquam necessariarum.

7 Denique hoc ordinant, ut interficiãt pecora sua, & bibant sanguinem eorũ: & sancta domini dei sui, quæ præcepit deus non contingi, in frumento, uino, & oleo, hæc cogitauerũt impendere, & uolunt consumere quę nec manibus deberent contingere: er-

go quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur.

Hactenus & nunc quoq; nondum mentitur, sed id quod res erat eloquitur. Nihil restabat præter pecorum occisionem pro cibo, & sanguinis effusionem pro potu, defecerant enim omnia esui accommoda. Sanguinẽ autẽ bibere contra legem grauissimum peccatum erat, & tamen in tantum periculum impulsi, illud obmittere non possunt, quamlibet inuiti adigerentur obsidione ista ad omnem credulitatem, nisi à te crudeliter mactandos sese præbuerint, ut est illis iamdudum per Achior denuntiatum, cui credunt per omnia, & imaginem mortis quaqua uersum se uertant ubique aspiciunt omnium miserrimi.

8 Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis: & misit me dominus hæc ipsa nuntiare tibi.

Incipit ex ueris inducere falsa, quia truculentissimũ hostem dei & fidelium decipere in uotis habet, ubi parum refert uerbis id feceris hostis, an factis & insidijs, quas etiam dominus in suorum amicorum prælijs non se mel docuit, & à sanctis non est obmissum, ubi salus id fidelium & dei gloria exigebat. Reuera tamen sic erat, ut loquebatur, Calamitates uiderat populi illius, senserat, optabat euadere, fugit in periculum, à domino se nõ dubitabat huc missam. Hæc uero duci nuntiasse non erat contra deum.

9 Ego enim ancilla tua deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo deum, & dicet mihi quando eis reddet peccatum suum, & ueniens nuntiabo tibi, ita ut ego adducam te per mediam Ierusalem, & habebis omnem populũ Israel, ficut oues quibus non est pastor, & non latrabit uel unus canis contra te, quoniã hæc mihi dicta sunt per prouidentiam dei.

Quandoquidem omnia hactenus prædicta uidebat Holoferni non displicuisse, contentum se haberi ducem egregium, potentissimi regis inter homines, ideo nunc se aperit ancillam quidem se esse & subditam duci tanto, sed tamen domini dei cœli cultricem esse, etiam nunc apud Assyrios, ut obineat liberum exitum extra castra, die noctuq;, ut pro sua deuotione & consuetudine iuxta ceremonias legis dei, illi seruiat, nihilominus gratificatura duci in honestis & placitis. Orabo, inquit, deum (nõ dicit ut, sed) & dicet mihi quando eis reddet peccatum suum, et ueniens nuntiabo tibi. Reuera uentura erat, & ostensura tyranno, quid de illo & de suo populo dominus statuisset. Sed & quod sequitur, uere dicit, Ego adducam te, id est caput tuum per mediam Ierusalem, & habebis tunc populum Israel, sicut rex aliquis, qui populum non habet, & sicut oues quarum pastor est occisus, ut illum posthac sequi & uereri minime obligantur. Nõ latrabunt cõtra te canes, nõ enim uiues, sed potius illis cibus abijceris, quod exedẽt carnes tuas sine latratu, uerum cum uoluptate & gaudio. Et hæc omnia addit, mihi dicta sunt per dei inspirationem, cui legitime

Cautissimus sermo mulieris.

seruio, & quem semper ob id colere debeo, prout consueui. Hæc uero omnia uere dicens, stultus pro se interpretabatur, quasi per fœminæ illius tradimentũ, oppidum assecuturus esset, cum ingenti tranquillitate & gaudio totum dominium assecuturus populi Israelitici, ut nec ... nis quidem contra se auderet mutire uel suscitare quam... cunq; seditionem.

10 Et quoniam iratus est illis deus, hęc ipsa missa sum nuntiare tibi.

Iratus dicitur sæpe dominus, cum angustijs tentat & erudit, etiamsi ut filios dilectos multa interim gratia prosequatur. Id nunc omni populo Israelitico uidebatur, dominum deum suum sibi omnium maxime offensum, ... quidem tot malis terram Israeliticam opprimi permittebat, ut imbecilliores in fide trepidare potuerint, et ... dere se fuisse omnibus modis abiectos, & hostes habere deo quibus neutiquam uelit propitiari. Hæc, inquit, ... sa sum nuntiare tibi. Videmus igitur tota oratione ... isse decipere impium, sed tamen anniſa est ut maxime ... tuit uera loqui ad sanum intellectum, quæ tyrannus ... telligere non debebat, quia occidendus.

11 Placuerunt autem omnia uerba hæc coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur ad sapientiam eius, & dicebant inter ad alterũ, Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu uerborum.

Nihil non placere potuit ex dictis ad gratiam & ... dem, insuper à tam egregio oratore, qui displicere ... poterat. Omnia pro se interpretabatur, et eidem tam ... ci quàm fœminæ reliqui principes applaudebãt, ut ... omnia in aulis principum plena blanditijs & applau... dominus quoq; parabat omnes ad confusionem & ... teritum. Non poterat non procedere feliciter negotium ... fœminæ, pro qua tota interim ecclesia impensissime & ... deuotissime cum lachrymis deprecabatur in urbe. Pueri ... dicuntur serui & subditi, qui ad manum ministrant & ... adstabant. Miraculo illis erat fœminæ tanta fortitudo ... animi, sapientia in uerbis, elegantia in uultu, pulchritudo toto in corpore, & ornatus conspicuus. Facile dono... no est imponere suis hostibus, qui quanto se sapientiores ... & fortiores existimant, tanto leuiore momento pr... tantur, iudicio domini propinquante, quod æque facile per fœminas exercetur ac uiros, cum sit omnis fortitudo ab omnipotente solo.

12 Et dixit ad illã Holofernes, Benefecit deus, qui misit te ante populum, ut des illum tu in manibus nostris, & quoniã bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc deus tuus, erit, & deus meus, & tu in domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum nominabitur in uniuersa terra.

Acquieſcit agnitioni & culturæ dei ueri, et facile ad ... fictam huiusmodi fidem conuertitur, dum audit id ... utile futurũ, ad suæ potestatis & magnificentiæ augmentum, dum multos sibi populos subdat, dum quod cupit per omnia assequatur, dum tam elegantis fœminæ gra... tiam

tiam & fauorem assequi per hanc fidei confessionem detur. Sperat Iudaicum populum dari in suas manus, ideo acquiescit colere & credere Iudæorũ deum, ut nõ tam dei cultor quàm suijpsius gloriæ sit. Non enim dominum sed se diligunt & obseruant impij. Gratulatur sibi per sapientiam fœminæ subijciendum hunc populum, fidem per omnia habet uerbis mulieris ad suum intellectũ, qui iam cupidine errabat diuino iudicio. Sub cõditione promittit se futurum unius dei cultorẽ, si promissa assequatur si in dominio suo proficiat, alioqui dominum ut antea impie blasphematurus. Pro inepta lætitia & spe fruendi cupitis, promittit fœminæ maiestatẽ & gloriam, delicias & potẽtiam in toto imperio Nabuchodonosor. Hic si in domini timore sanctissima Iudith solida nõ fuisset, & in amore ad patriam, tantis pollicitationibus & successibus suis concidisset à fide, perq; superbiam animo alienata, gentem & dominum negasset, coniugium tanti regis uel ducis amori diuino prætulisset.

CAPVT XII.

1 TVnc iussit eam introire, ubi repositi erãt thesauri eius, & iussit illic manere eã, & cõstituit quid daretur illi de conuiuio suo.

Honore maiore eam tractare non potuisset, quàm quod in loco suorum tantorum thesaurorum eam habitare iußit, penes se manere, & de suis epulis oblectari, quo tandem & reliquis frueretur desiderijs. Cupiebat sibi maxime familiarem & amicam, quam & uxorem ducere cogitabat, ut illis omnia licebãt principibus, multis etiam uxoribus frui. Infamis alioqui, ut semper fuit, uagus concubitus & fornicarius, quamlibet impijs alioqui gentibus, multo autem inhonestius erat & probrosius adulterium: ut impijssime agant hodie, qui adulteros tantum rident, non toto corde crimen morte dignũ detestantur & horrent.

2 Cui respondit Iudith, & dixit: Nunc nõ potero manducare ex his quæ mihi præcipis tribui, ne ueniat super me offensio: ex his autem quæ mihi detuli, manducabo.

Exemplo Danielis & diuina lege erudita, abnegat cibi consortium, extra uidelicet necessitatem, quandoquidem sibi prospexerat de uictu, ne committere cogeretur in legem. Non potero, inquit, id est, non mihi edere per religionem licet de omnibus cibis, ne in dominum deum meum peccans, orationibus meis apud ipsum nihil efficere possim, ne offensionem dei mei incurram. Domi parauerat quibus licite uesceretur escas, ad quatuor uel quinque dies. Sed & idipsum iuuare poterat ad deceptionẽ impij, qui utcũq; malignus erat religionis contemptor, non tamen improbare ausus fuit fœminæ religiosum institutum, & obseruantiam legum paternarum, quatenus eidem ardentius faueret, & crederet certius.

3 Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi ista quæ tecũ detulisti, quid faciemus tibi? Et dixit Iudith: Viuit anima tua domine

meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat deus in manu mea hæc quæ cogitaui.

Pro fauore omnia loquitur & agit iam amore cæcatus, interim uero Iudith omnia prudenter perpẽdens fit audentior, & dei circa propositum suum prouidentiam & auxilium certius agnoscit, & cordis deuotione magis excitatur ad fiduciam & orationes. Iurat autem pro hominum more etiam sanctorum, non ut diuinum illi honorem impendere uelit, sed à non illicito more non abhorrere. Perinde enim erat ac si dixisset: Vt certissime nunc te uiuere sentis, sic certe dominus infra paucos dies implebit quæ cogitaui: ea scilicet quæ pro dei gloria perfectura erat, dum ille interim miser, mancipium diaboli de sua tantum gloria omnia interpretaretur. Religiose denique deum confitetur, qui omnia agat in omnibus, nihil de suis uiribus uel actibus superbiendo, sciens sine dei uirtute & opere per se nihil perfici posse, agere autem opus suum per manus electorum.

4 Et induxerunt illam serui eius in tabernaculum quod præceperat. Et petijt dum introiret, ut daretur ei copia nocte & ante lucem egrediendi foras ad orationẽ, & deprecandi dominum. Et præcepit cubiculariis suis, ut sicut placeret illi, exiret & introiret ad adorãdum deum suum per triduũ.

Præstruxerat sapiens Iudith præmißis sermonibus de religione sua opinionem honestam, & fidelem parauerat in æstimatione principis & seruorum, ut nunc cum fiducia multa orare licuerit, quod maxime necessarium erat instituto operi perficiẽdo, ut scilicet liberum illi fieret exeundi & ingrediendi institutum, idq; aliquot noctibus, donec omnia exploratiora eidem fierent ad conficiendum opus periculosißimum, & sine exemplo aggrediendum. Sponte uero permittit princeps persuasus de integritate & ueritate fœminæ, cuius nimium illi facies & eloquium placuisset. Quæ omnia etiam eò nobis referri possunt, ut discatur quanta cura agendum in castris, quàm nihil credendum ignotis, quàm uafrum ingenium fœminarum, quàm periculosum contubernium mulierum ducibus exercituum, quàm nihil impietas ualeat contra prouidẽtiam dei. Triduum tantum petierat, intra quod absoluere negotium pro quo uenerat cogitabat, pro quo & se iuramento astrinxerat, fortasis prolixius tempus non fuerat impetratura, & ciuitas diutius famem non ferre potuisset. Religio Iudaica.

5 Et exibat noctibus in uallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ. Et ut ascendebat, orabat ad dominum deum Israel, ut dirigeret uiam eius ad liberationem populi sui. Et introiens, munda manebat in tabernaculo, usquedum acciperet escam suã in uespere.

Secundum prædicta fontes erant in pede montium Bethuliæ, frequentes uero erant Iudæi in baptismatibus, idq; non latebat etiam gentiles istos, ut dolus latere tanto tutius potuerit. Noctibus exibat, ut experiretur sta-

tum & solicitudinem situmq; exercitus, & asuefaceret illos de sua consuetudine, ut tandem quarta nocte tutius præteriret confecto negotio. Sed & ante orationem olim tam Iudæis quàm gentilibus mos fuit abluere se, uel aqua aspergi, quod & in ecclesiam Christianorum irrepsit, ad aquam bene dictam gentilitatis & Iudaismi reliquias, quod ferri posset, si in baptismi semel suscepti rememoriale, & in professionis nostræ refricationem cessisset, & non in ablutionem peccatorum, ut & alia plura in abusum intolerabilem cum tempore processerũt. Orabat autem sine intermissione ad dominum, maxime autem no ctu, ut dominus dirigeret & feliciter prosequeretur negotium fidelis populi, & diuinæ gloriæ. Rediens uero ad suum locum minime se cuiusdam exponebat conspectui, sed seorsum & in secreto loco & clauso ieiunium conseruabat, quod Iudæis diuturnum erat, ut ante stellarum intuitum & uesperam cibum ieiunantes non caperent. Hoc uero erat legitimum ieiunium, tota die sobriũ perseuerare, & idoneum ad orationes, lectiones & studium diuinæ legis, & ad sana consilia cogitanda.

Aqua bene dicta.

6 Et factum est in quarto die, Holofernes fecit cœnam seruis suis, & dixit ad Vagao eunuchum suum: Vade, & suade Hebræã illam ut sponte consentiat habitare mecũ.

Specie religionis huiusmodi etiam sancta fœmina potuit sapientem sed carnalem decipere, multo magis id possunt hypocritæ, qui pietatem quam foris simulant, in corde minime tenent, talesq; uideri eligunt quales non sunt, ut uideatur quantum malum hypocrisis. Hæc sancta eadem utitur ad opus domini, spiritu sancto instigante perficiendum per fœminam. Maturuerat amor, & feruentior flagrabat subinde ex cohabitatione, & ad libidinem ardebat quotidie magis. Quem suum furorem augere uult illustri conuiuio, cœnam parari iubet opiperam, & uinum aptum insanæ uinculũ iubet adesse. Sed nihil iucundum putat satis sine socijs fœminis, unde & eunuchum iubet ut suadeat consuetudinem fœminæ, ne duci tanto tam humaniter illam tractanti dignum neget amorem et familiaritatem. Discant hic Christiani quàm uerecunde loquantur impijssimi alioqui nebulones de opere coniugali uel etiam Venereo, quod hic intelligit & eloquitur pudicissime per uerbum consentiendi habitare, quod & toti scripturæ sacræ in more est, ut maxime pernucioſum scopulum uitare uerba turpia. Erubescant indisciplinati Christiani, qui risu excipiunt turpissima uerba, quæ sic in consuetudinem traxerunt, ut quæ turpissima sunt frequentius habeant in ore, ut si quis uerecundior hæc increpet superstitiosius proclametur. Sed harum causa fuit hactenus ignorantia uerbi dei, quam subsequitur semper morũ tandẽ non ferenda corruptio.

Caste loquuntur etiam gentiles.

7 Fœdum est enim apud Assyrios, si fœmina irrideat uirum agendo, ut immunis ab eo transeat.

En Laudem eximiam Assyriorum idololatrarum, qui fœdum & non satis uirile putant, si patiantur sibi quicquam à muliere negari. Verbis pudicitiam simulant, facto turpes, interpretantur irrisionem uiri, si roganti negent amoris symbolum, & non acquiescant libidini. Sed quidem & re uera fœdum est, mulieris in honestatis proposito constantiam firmiorem reperiri, quàm uiri uirtutem & prudentiam: qui quanto natura perfectior, tanto uirtutibus omnibus præstare deberet, fitq; digna confusio libidinem magis domare fœminam quàm uirum. Vtinam hæc quoq; laus non etiam peruasisset Christianos, & hos quoq; principes.

8 Tunc introiuit Vagao ad Iudith, & dixit: Non uereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem eius, & manducet cum eo, & bibat uinum in iucunditate. Cui Iudith respondit: Quæ ego sum, ut contradicam domino meo? Omne quod erit ante oculos eius bonum & optimum, faciam. Quicquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus uitæ meæ.

Eunuchus erat Vagao, ideo sine suspicione ingredatum est illi pro more principum, qui cordium peccata nihili ducunt, & sensuum aliorum, si tantum operis perfectio obmittatur: cum adulter à domino decernatur, qui uel uiderit mulierem ad concupiscendum eam, & decalogum diuinæ legis legamus etiam concupiscentiam uetuisse. Bonam puellam nominat, Hebraico more, id est, elegantem, iucundam, gratam, & formosam. Honorem magnum suadet esse, quod à tanto domino suo principe uniuersorum populorum petatur ad amicitiam singularem. Iterum introire ille intelligit concumbere. Illa autem assentit ut ingrediatur cubiculum, de reliquo quid fiat domino cuncta committit, cuius gratiam adeptam se sibi minime dubitabat. Sed & prudenter respondet. Quæ ego sum, ait, ut contradicam domino meo? Quæ Holofernes & suus eunuchus de se dictum intelligebat, ipsa uero totum sermonem ad dominum deum suum referre potuit, ut prorsus non liceat in aliquo domini de institutis & ordini contradicere. Et quod sequitur uere loquitur: Omne quod ante oculos domini mei (quem solum deum intelligit & intendit, quicquid alius cogitet eo nomine indignus) bonum est & optimum, faciam. Quicquid autem illi domino deo meo placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus uitæ meæ. Veritate ipsa uincitur falsitas, & fœmineus dolus, qui sanctæ fœminæ non imputatur, sed ordinatur ad bonum fidelium, domino deo optimo maximo cedit ad gloriam. Quod si quis simili in causa simili fide & charitate, constantia pro patria propugnanda similia dixerit & gesserit, fœminæ, sanctimoniæ laudem apud deum & homines non amittet.

9 Et surrexit, & ornauit se uestimẽto suo, & ingressa stetit ante faciem eius. Cor autem Holofernis concussum est: erat enim ardens in concupiscentia eius.

Aggreditur in nomine domini opus homini non indignum, quod ad dei magnificentiam ordinandum erat à domino. Nihil negligit eorum quæ ad damnati hominis perditionem faciebant: ornat se suis uestibus, ingredi

tur ueluti gratificatura, stat & intueri se patitur ad concupiscendum, quæ eum minime concupiscebat. Cumulum peccatorum ipse sibi iamdudum adauxerat, totũq; se inuoluerat omnibus flagitiorum generibus, cui nunc improba cupiditas finem uitijs impositura erat. Concussum est ex aspectu fœminæ cor Holofernis, & exarsit in illius concupiscentiam inordinatam, quando iam tempus erat prospiciendi tanto exercitui, cui regis tanti nomine præerat.

10 Et dixit ad eam Holofernes: Bibe nunc, & accumbe in iucunditate: quoniam inuenisti gratiam coram me.

Hilaritatem quærit ex uino, persuadetq; mulieri ut accumbat alacrior, tutam reddit & omni pauore immunem, ut fiat ad opus domini perficiẽdum audentior. Gratiam quidẽ ipsa refert duci, quæ illi cedet in perniciem. Multis obfuit gratia mulierum, sed & uinum Veneri adiectum insanorem promouet cupidinem: friget enim Venus sine Baccho. Fuerat ergo principi necessaria maior prudentia, ut non una uice duplici se periculo exponeret, cum una superando se iam sentiret non sufficientem. Sed peccatum peccato obtruditur, & non una tantum calamitas perdit incautum.

11 Et dixit Iudith: Bibam domine, quoniã magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis.

Consentit bibere, sed non epotare. Dominum nominat, quia princeps erat, sed à fœmina domandũ. Et quod addit, ambiguum quoque est ad principis intellectum, et ad sanctæ fœminæ intentionẽ. Hodie, inquit, anima mea magnificata est magis & glorioſior ex hac die æstimanda, domino deo quoq; gratior, quàm fuerit unquam omnibus diebus uitæ. Iam enim instabat redemptio celeberrima fidelium, & clarificatio diuini nominis toto orbe, & ad omnia sæcula duratura.

12 Et accepit, & manducauit, & bibit corã ipso, ea quæ parauerat illi ancilla eius. Et iucundus factus est Holofernes ad eam, bibitq; uinum multum nimis, quantũ nunquam biberat in uita sua.

De suo potu accepit & cibo, quem ancilla parauerat non numium delicatum, & iam ad uesperam processerat tempus, cœna parata erat, & post cœnam paratus accubitus. Coram ipso dicitur comedisse, nõ de ipsius esculentis, sed in conspectu ducis iam bono animo existentis, sperantis frui optata cupidine. Sic decipiuntur in tempore domini contemptores. Iucundus fit in suam perniciem impius Holofernes, & dum se felicissimum putat, exitio fit proximior. Excesit potu, ut præter morem bibens, profundiore somno opprimeretur. Discimus exemplo, quod Sapiens quoq; docuerat: Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes. Fortissimum quidem uinum esse Ezdras explicuit, sed longe fortissimas mulieres. Hic quoq; ueritas & iustitia dei in impium inualescunt. Quomodo enim non miser fortissimus alioqui regis capitaneus, tot fortibus hostibus aggressus procumberet, in quem conspirauerant simul iudicium dei, mu-

lieres & uinum?

CAPVT XIII.

1 VT autem sero factum est, festinauerũt serui illius ad hospicia sua, & conclusit Vagao ostia cubiculi, & abierant autem omnes fatigati à uino.

Quandoquidem duce genio indulgente, & ex crapula ac ebrietate somnolente, non poterant ministri inanes esse. Verisimile est id quod scribitur, seruos ad hospicia festinasse, æque omnes uino grauatos fuisse, & ad cubicula festinantes, omnem militiæ disciplinam semel obmittentes, urgebat enim ipsos diuinum iudicium. Eunuchus officio suo fungebatur, ut curam haberet cubiculi ducalis, ut clauderet illud, & ipse quoq; fatigatus à uino. Hic uidetur quàm uini potus exercitui prosit, quum nunc illi potissimum sortes habeantur, qui calicibus potandis uincere se putant, cum nihil æque prouidentiæ et uigilijs aduersetur ac uinum immodice admissum. Temulenti serui.

2 Eratq; Iudith sola in cubiculo. Porrò Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus. Dixitq; Iudith puellæ suæ ut staret foris ante cubiculum, & obseruaret.

Sola in cubiculo fuisse dicitur, scilicet cum Holoferne, eunuchus enim functus claudendi officio cubitum ierat, Abra uero ancilla intra cubiculum non erat, sed uigilabat à foribus intenta quid à Iudith iuberetur, quæ solæ duæ fœminæ ebrietatem cauerant, & strenue operam suam nauabant, domino omnia moderante, ut & illi ebrij sterterent, istæ uero uigilarent ad opus domini perficiendum. In lectum composuerat se Holofernes, sed nimia ebrietate grauatus, diutius uigilare non poterat, occludente illi oculos, & aggrauante caput, qui non dormit neq; dormitat custos Israelis.

3 Stetitq; Iudith ante lectum, orans cum lachrymis, & labiorum motu in silentio dicens:

Accincta ad opus domini sancta Iudith illustris & in domino fortissima fœmina, non accumbit impio, sed ante lectum stat non sine fœmineo horrore aggressura inauditum hactenus facinus, in inuictissimum nuper imperatorem ingentis exercitus. Non ignorat autem quid facto opus, quem pro uiribus confortandis inuocet, non in uictum Herculem, non Iahelem simili fortitudine insignẽ fœminam sanctam inuocans, sed dominum deum solum, cum lachrymis orans ex animo & toto affectu, cogitans angustias gentis suæ, & periculum diuini cultus, suum deniq; maximum in quo stabat periculum. In silentio autem orat, ne uel dormientem suscitaret, uel ab alijs audiretur. Nihil sine oratione præsumendum. Inuocãdus solus deus.

4 Confirma me domine deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut sicut promisisti, Ierusalem ciuitatẽ tuam erigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam.

Imbecillitatem fœmineam, ô deus Israel dominus ex-

ercituum, tua omnipotẽti uirtute confirma, ut euincere ſexus fragilitatẽ hoc in opere ualeam. Reſpice clemens & confortator fidelium ſine diſcretione ſexus, cuius ex æquo utriuſq; es conditor, ad hoc opus manuũ mearum, & non pro meis meritis, multo minus pro mea qualicunq; gloria, ſed pro ueritate tuarum promiſſionum quas patribus feciſti, nunc & in hac hora adſiſtas, & per gratiam & potentiam tuam hoſtes omnium fidelium tuorum contere, qui Hieroſolymam noſtram urbem conculcare ſatagunt, eam potius ex omnibus anguſtijs ereptam tu erigas & exaltes, & inſtitutum illud meum quod tibi placere non dubito, tua bonitate exoratus à pijs, plauſibiliter abſoluas.

5 Et cum hæc dixiſſet, acceſſit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit. Cumq; euaginaſſet illum, apprehendit comam capitis eius, & ait: Confirma me domine deus in hac hora: & percuſſit bis in ceruicẽ eius, et abſcidit caput eius, & abſtulit conopœum eius à columnis, & euoluit corpus eius truncum.

Proprio tyrannũ gladio iugulat, uirile facinus, quod ubi horror facti fœmineos artus concuteret inter ferien dum, dominum inuocat, cuius id auſpicijs & robore con ficere detur. Ita fit ut pugionis præſentia, quem pro ſui defenſione contra omnes appenderat, cederet in exi tium impio, ſic domino omnia ſanctiſſime ordinante. Co mam capitis apprehendit altera manu, ut certius altera

Conſtantia fœminea. percuteretur. Bis uero percuſſit pro fragilitate ſexus, quando ſemel accepto uulnere, periculum metui pote rat, & decorum fœmineæ uirtutis obſeruabat. Reſoluit inſuper uelum lecto impendentem, quod conopœum no minat ſcriptor. Truncum corpus inuoluit, non in cono pœum, ſed in tegumenta lecti, ne ſtatim mortuum ingre dientes inſpicerent. Omnia autem hæc agebat inſigni fortitudine animi, uidens dominum aſtitiſſe tutorem & au thorem operis ſui, ut minime ſibi formidandum cre diderit.

6 Et poſt puſillũ exiuit, & tradidit caput Holofernis ancillæ ſuæ, & iuſſit ut mitteret illud in peram ſuam.

Non ſubito exiuit, ne tumultum qualemcunq; bis fe riendo præmiſſum, tertio fragore oſtij apertione & re cluſione ſolicitum aliquem è ſomnis expergefaceret, & ad perquirendum quid ageretur permoueret. Interiecta igitur morula, non dubium quin domino gratias ex ani mo cũ lachrymis egerit, ſeſe pro euaſione domino com mendans, caput Holofernis ancillæ reponendũ in peram ſuam tradidit, auferendum in urbem, & pro certiſſimo

Allegoria. victoriæ ſigno fidelibus oſtendendum. Qui hic ex Iu dith faciunt beatam uirginem, quæ caput abſciderit ſa tanæ, uiderint quid agant, unum Chriſto domino debi tum honorem uirgini deferendo, quod nedum probare non ſuſtinent, ſed falſa laude glorioſam uirginem dedi gnabundam onerant, qui dei quidem mater digne dici tur: ſed rapinam ſine dubio arbitratur filio ſuo & cœlo

rum domino, ei ſoli debitã gloriam ſibi tribui. Sic quoq; de multis alijs ſtultis laudibus agunt, quaſi digniſſimas proprias laudes nimium paucas atq; modicas, filio do nante poſſideat.

7 Et exierunt duæ ſecundum conſuetudinem ſuam, quaſi ad orationem, & tranſierunt caſtra: & gyrantes uallem, uenerũt ad portam ciuitatis.

Triduo ſibi fidem religionis parauerant, & à duce libertatem egrediendi & ingrediendi impetrauerant, ſic domino diſpenſante, qui cor regis habet in ſua manu, qui quæ uult fieri, nemo impedire poteſt. Ambæ pariter exeunt quaſi ad orationem. Certe non modica mala nõ raro committuntur ſub ſpecie boni. Et non ſine optima ratione eccleſiaſticæ uigiliæ in martyrum memorijs uel paſchæ, aut natalis Chriſti uigilijs olim conſuetæ, poſ quam deprehenſæ ſunt occaſionem præſtitiſſe multorũ malorum, abrogari debuerunt. Hic uero domini ordina tio & inſtitutum locum habent. Tranſierunt caſtra, cer te non pauca nec modica, donec extrema exceſſiſſent: tunc enim non recta proximã adeunt portã, ubi hoſtiũ uigilias attigiſſent, ſed uallem potius gyrantes, ad aliam ciuitatis portam peruenerunt ſaluæ & incolumes, non ſine multa trepidatione, & diuino fauore pijſſimas in deum & in patriam fœminas proſequente.

8 Et dixit Iudith à longe cuſtodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiſcũ eſt deus, qui fecit uirtutem in Iſrael.

Iam commode ſeparatæ ab Aſſyriorum caſtris, & uigilijs, & extra periculum diuina protectione poſitæ, acclamatione feliciſſima Bethuliæ oppidi cuſtodes allo quuntur, ut portas ingreſſuris aperiant, & beneficium domini euangelio iucundiſſimo audiant, & de grauiſſi mis anguſtijs ſubito inæſtimabile gaudium conuertan tur, de uirtute non tam fœminea quàm diuina gratulatu ræ. Non enim obliuiſcitur honoris & muneris diuini, unde tanta ſibi fortitudo animi & corporis prouenif ſet. Non erat fatua mulier, quæ ſibi quicquam gloriæ ar rogaret. Dominus, ait, nobiſcum eſt, cum fidelibus ſuis, cum populo Iſrael, in cuius fauorem, non ob mea merita, hanc ſalutem & magnificam uirtutem exercuit: cui ſoli debeatur omnis honor & gloria.

9 Et factum eſt, cum audiſſent uiri uocem eius, uocauerunt presbyteros ciuitatis. Et occurrerunt ad eam omnes, à minimo uſque ad maximum: quoniã ſperabant eam iam non eſſe uenturam.

Sine dubio totis quinq; diebus uel quatuor, pro abſente Iudith totus populus informatus à presbyteris, mul ta ſolicitudine orauerunt ad dominum, & ne quid ad uerſi pateretur, ſed proſpere ageret conſilium domine infatigabili affectu, tot anguſtijs preſſi, ipſam precibus domino commendarunt. Vnde & ſtatim ex uoce loquen tem uigiles agnoſcunt & audiunt lætiſſima indicantem. Sed uocauerunt in primis ſenores ciuitatis, quos uocis author ubique presbyteros, qui rei geſtæ conſcij erant. Sed fama uigilantibus patefacta, omnes concurrunt à

minimo

minimo usq; ad maximum. Quando uero plurimi fragiles erant à fide, & à tanto malo se redimi arbitrabantur fieri non posse, sed potius fœminã perisse quàm perdidisse tyrannum. Sperabant, id est, timebant iam non eam esse reuersuram, sed ab hostibus iamdudum trucidatam. Tanto ergo nunc effusius gratulantur sibi & honestissimis fœminis, quanto desperatius de eis timuerãt.

10 Et accendentes luminaria congyrauerunt circa eam uniuersi: illa autem ascendens in eminentiorem locum, iussit fieri silentium.

Quis calamitosissimorum hominum insperatum gaudium exprimat dignis sermonibus? Nostrum potius fuerit discere misericordiam domini, non deserentem in se sperantes, & orationis perseuerantia humiliter dominum inclamãtes. Sed læta quidem subesse sperabant, sed quid contigisset ingenti desiderio flagrantes, circumstrepebant omnes & singuli, fœminam ambientes, ut eo uicinius narrantem optata audire ualerent. Noctem uero luminaribus illustrabant, ipsa uero iam animo roborata, ut magnifica audeat, alioqui uidua simplex & uerecunda ab omni hominum concursu abhorrens, iam in domino uirilitatem induta, in gratiam populi de maxima angustia consolandi, iucundissimo nuncio, conscendit in suggestum, ut audiretur commodius, & oculis applaudentium conspiceretur ab omnibus.

11 Cumq; omnes tacuissent, dixit Iudith: Laudate dominum deum nostrũ, qui non deseruit sperantes in se: & in me ancilla sua adimpleuit misericordiã suam, quam promisit domui Israel: & interfecit in manu mea hostem populi sui in hac nocte.

Conciona-trix fœmina.

Indicto silentio, cum tacuissent omnes, iubentur laudare non fœmineam sapientiam uel fortitudinem, sed dominum deum Israel, qui pro perpetuo more suo, quem et uult credi ab omnibus, non deserit sperantes in se: fidelis est enim in sermonibus, & sanctus in omnibus operibus suis, à quo solo omne bonum. Ancillam se domini uocat, quam per suam clementiam direxit in sancto opere, ad perficiendum misericordiam, qua suum populum humiliatum, & fideliter orantem, & de domino deo suo sperantem saluare dignatus est. Qualis autem facta sit misericordia, & quàm admirabile beneficium dei domui Israel, non solum tribui Iuda uel Beniamin, explicat confidenter, & sine iactatione uana, sed ut res erat clarissima: Interfecit enim dominus deus noster, non ego, per manum tamen meam, hostem populi sui in hac nocte. Quid paucis uerbis aptius, plausibilius & modestius & utilius dicere potuisset? multa paucis complectitur: Laudandum dominum, sperantes non deserit, terror hostilis ablatus est, idq; manu fœminæ. Non narrat seriem prolixe, & ad longum historiam, ut effluere solent insipientiores fœminæ atq; uiri: summam negotij explicat integrã breuibus, quod est eloquenter dicere.

12 Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum. Et ecce

conopœum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, ubi & per manum fœminæ percussit illum dominus deus noster.

Astruit facto uerba, ne quid insolenter & uane narrasse putetur. Ex pera producit caput improbissimi Holofernis, illisq; ostendit mortuum, quem uiuentes usq; ad mortis terrorem horruerant. Sic dum cunctus exercitus Assyriorum uino sepultus procumbit, domini clementia fideles consolatur, & è somno calamitatum expergefacit ac mirifice consolatur. Non tantum factis, sed iterum magnifice uerbis recreat, addens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorũ. Et adhuc alacrius: Ecce conopœum, uelum scilicet cui caput inuoluerat, sub quo recumbebat in ebrietate sua, ubi & manu fœminæ occisus est. Hæc domini dei facta pro salute uestra magnalia, & noua uirtutis suæ miracula nunc audita & uisa, fidem præteritorum beneficiorum & operum Dei ad patres nostros nunc confirment, ut fortius per fidem & charitatem domino adhæreatis. Triũphus fœmineus.

13 Viuit autem ipse dominus, quoniã custodiuit me angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, et inde huc reuertentem: & non permisit me dominus ancillã suã coinquinari, sed fine pollutione peccati reuocauit me uobis gaudentẽ in uictoria sua, in euasiõe mea, & in liberatiõe uestra.

Pro sancta uerecundia & honestissima sua fama defensanda, ne quid turpius uel carnalius cogitarent, & castitatis honorem prostitutum crederent & labefactatum, prudenter & ucre adnectit, loquens se per dominum gratiam ab angelo domini præseruatam ab omni pollutione mentis & corporis, hinc euntem, & ibi cum militaribus Ethnicis commorantem, et inde huc reuertentẽ. Id certe quod sine speciali dei gratia, & præsentissima angelica custodia fieri minime potuisset, nihil sanctimoniæ & integritatis sibi arrogat, sed totum dei beneficio acceptum refert. Pollutionem peccati intelligit fornicationis dedecus, & commixtionem carnalẽ, à qua se deus immunem seruauerit, & à reliquis peccatis, unde domini ira incurritur. Sperat enim cuncta se egisse tali fide et dei assistentia, ut dominũ deum suum sibi pro uerbo uel facto iratum non metuat, utcunq; homines sine delictis in huius mundi negotijs non uiuant, ideo merito illis bona conscientia & illæsa fama possit congratulari. Pollutio peccati.

14 Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniã in sæculũ misericordia eius.

Omnibus igitur his nunc sic se habentibus, restat ut in primis more sanctorũ, tantum dei beneficiũ cum gratiarum actione celebremus, & confiteamur illi pariter plena fide, & fideli deuotione, quomodo ipse bonus est, suauis & clemes, qui misericordiam suam nunquam intermittit ad suos fideles. Hoc est enim præconium dei in populo sancto, ut agnoscantur esse sancta & optima omnia illius opera, ut in humilitate nostra domino referamus acceptum, quicquid in hoc mundo felix, iucundum, utile & honestum suscipimus. Erat autem ut uidetur hæc sententia sic in usu fidelibus Israelitis, ut non aliter Præconiũ dei.

carminibus ſuis & gratulationibus hanc adiunxerint, quàm nos ſolemus pſalmos finire per Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto: Sicut erat in principio & nunc & ſemper, &c.

15 Vniuerſi autem adorantes dominum, dixerunt ad eam: Benedixit te dominus in uirtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros.

Non tam ſyncera hæc eſt oratio, ut fuerat ſanctæ Iudith, ipſa enim omnia laudum præconia in deum retulerat. Iuſſerat confeßionem domino deo fieri, illum cuncta patraſſe magnalia, illum collaudandũ ſummopere: plebs uero turbulentior, & ad oculum ſeruiens, & ſenſibus magis quàm fide dedita, effunditur in laudes Iudith, quã dominus quidem benedixit, & non uirtute fœminæ, ſed diuina ad nihilum redegit inimicos noſtros. Potuit ab hiſtoriographo fortaßis aliquid obmiſſum fuiſſe, ſed nõ eſt incõſueta ingratitudo Iſraelitico populo, qui nunquam non fuit dura ceruice, nunquam non ſenſibus parens magis quàm ratiom & fidei. Quem humanum defectum et lapſum Chriſtiani quoq; admiſimus hactenus, nimis impie, ut beneficia dei accepta per ſanctos dei homines, æque in ſanctos retulerimus atq; in deum, ſi non ſæpe magis: quando & longe feruentius commendauimus nos diuis & patronis, quos elegimus colendos. Diuini cultus ceremonias diligentius quibuſdam ſanctis impendimus, quàm ſi quid in gratiam conditoris noſtri agere, loqui aut pati debuimus. Antiqui delicti reliquiæ ſunt hæ, hominum etiam alioqui proborum ſuperſtitiones & reliquiæ, ſed uerbi dei miniſterio quotidie & inſtanter re purgandæ. Non fuit hæc ſola etiam eius populi eo tempore imperfectio, quẽ ſuperius legimus in æque grauioribus delictis dominum offendiſſe.

Ingratitudo Iudæorum & Chriſtianorum in deum.

16 Porrò Ozias princeps populi Iſrael dixit ad eã: Benedicta es tu filia à dño deo excelſo præ oĩbus mulieribus ſuper terram.

Princeps Iſraelitici populi Ozias dicitur, quia oppidanis Bethuliæ Iſraelitis & territorio fortaßis præerat. Is ſuo & populi ſui nomine quæ ſequuntur dicebat, aliquanto ſaniore ſpiritu: quanquam ſibi quoq; præſens facies tanti miraculi in fœmina ſtupẽda id ſibi extorſerit, ut primum fœminam collaudarit, deinde dominũ deum ordine inuerſo. Filiam nominat, pro officij ratione & ætatis, quum eſſet ex ſenatoribus ſummus, Iudith uero puellari ætate uel iunior. Eam benedici optat à domino, hoc eſt, adhuc maioribus beneficijs donari, commendari, honorari, & in fauore dei proficere plurimum. Hoc eſt enim benedici à domino, beneficia accipere. Dominum autem benedicere, eſt referre gratiam uerbis & officijs nobis iniunctis, intuitu ſuæ bonitatis gratiæ & beneficentiæ. Addens autem: Præ omnibus mulieribus ſuper terram, intelligit nuſpiam in toto tunc orbe extare glorioſiorem fœminam, quæ magnificis factis ſuis æquauerit fortißimos quoſq; triumphatores, multo magis mulieres cæteras omnes, quarum nulla in ſacris legitur ſimilia patraſſe opera.

Benedicere dominum.

17 Benedictus dominus qui creauit cœlum & terram, qui te direxit in uulnera capitis principis inimicorum noſtrorum, quia hodie nomen tuum ita magnificauit, ut non recedat laus tua de ore hominum qui memores fuerint uirtutis domini in æternum, pro quibus non pepercißti animæ tuæ propter anguſtias & tribulationem generis tui, ſed ſubueniſti ruinæ ante conſpectum dei noſtri. Et dixit omnis populus: Fiat fiat.

Conſequenter non obmittit quod primum fuerat expediendum. Glorificetur & ſanctificetur nomen domini dei noſtri ab omnibus creaturis, quod eſt dominum benedici. Epithetum autem maximum eſt, eſſe creatorem omnium quæ ſunt in cœlo & in terra, imò quod maius eſt, ipſius cœli, & ipſius terræ, quod nemo unquam gentilium tribuere auſus eſt deo cuicunq;, niſi illi quem unicum ſupremum, & optimum ac maximum credidiſſet, quem proprio nomine Iouem uocari, non niſi ex ſacris quondam literis diſcere potuerunt. De quo Theodorus noſter in Nahum prophetam ſcripſit minime cõtemnenda. Ab illo ſolo uero & unico domino, omnium moderatore, directa eſt manus tua, & confirmatum eſt pectus tuum, ut principis hoſtium noſtrorum improbum caput ademeris trunco, id tibi cedet in laudem nunquam interituram apud omnes homines, qui non tam uirtutem tuam quàm dei in te celebrabunt gratiam, ut memores ſint uirtutis domini dei in æternum. Id uero memorabile facinus conſecrabitur in omnia ſæcula, ut fœmina delicata & modeſtißima cũ ſis, pro generis tui hominibus ſaluandis, et à mortis faucibus eruendis, pro ulciſcenda blaſphemia in nomen domini, pro uindicanda & aſſerenda gloria dei, non pepercißti animæ tuæ, propriæ uitæ tuæ, ſed periculo maximo oppoſuiſti te plena fide in dominum, & charitate in patriam. Et quis ex tota gente non iucundißima acclamatione dixiſſet: Amen, amen? Quid enim glorioſius hac fœmina eo tempore occurrere potuiſſet tam uehementer humiliatis & conſternatis?

18 Porrò Achior uocatus uenit, & dixit ei Iudith: Deus Iſrael cui tu teſtimonium dediſti quod ulciſcaĩ ſe de inimicis ſuis, ipſe caput omnium incredulorũ incidit in hac nocte in manu mea. Et ut probes quia ita eſt, ecce caput Holofernis, qui in contemptu ſuperbiæ ſuæ deum Iſrael contempſit, & tibi interitum minabatur, dicens: Cum captus fuerit populus Iſrael, gladio perforari præcipiam latera tua.

Ammonites erat Achior, & dubia fortuna, ut Ethnicus humiliter ſe gerebat uſq; in illam horam, ueritus periculum urbis & ſuum. Non enim ignorabat fortitudinem exercitus Aſſyriaci, ut citra diuinum miraculũ extremi ab excidio urbem & gentem exiſtimauerit non poſſe ſperari, ideo non ſuapte curioſitate auſus eſt eccleſiæ Iſraeliticæ ſeſe ingerere, ne cui offendiculo eſſet & deſpectui. Nunc autẽ uocatur ab eccleſia gratulante. Eidẽ gaudenti præ reliquis ſacra fœmina Iudith ſic loquitur

Achior monitus iſſimus

ſuo

suo more, ut decuit religiosissimam perfectęq; fidelem. Omnem hanc gloriam nulli nisi deo optimo adscribit, interim tamen laudat fidem quoq; Achioris, in qua minime sit confundendus, sed dei misericordiam & potentiam ipsis suis oculis intuiturus, & de perfecta salute, pro qua trepidabat, synceriter gauisurus. Et hæc dicens protulit probe illi agnitum caput Holofernis ingenti miraculo superbissimis hostibus fatale.

19 Videns autẽ Achior caput Holofernis, angustiatus præ pauore cecidit in faciem suam super terrã, & æstuauit anima eius.

Quanto timore præstolabatur in horas uictoriã crudelissimi hostis, & sibi interminatam mortem euadere non posse: quanto inquã, formidolosius expectabat, tanto nunc effusiore gaudio completur, ut illud ferre uix potuerit humana fragilitas, nempe tã subitaneas affectuum & sanguinis transformationes, ideo ad mortem pauido similis æstuauit, & ex pauore cecidit pronus in faciem. Aspiciebat enim tremendũ sibi caput infestissimi sui hostis, & uix sibi mortuum persuadere potuit, quem nimium formidabat, Neophitus in fide potentiæ domini dei Israel: nec id mirum, cum & Israelitæ tardiores erant ad credendum uirtutis diuinæ miraculum circa se redimendos à tanto hoste.

20 Postea uero quàm resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes eius, & adorauit eam, & dixit: Benedicta tu à deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniã in omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te deus Israel.

Affatu gratulario circumstantium recreatus, resumit spiritum, ut æquanimior sit, & intelligat quid agatur, dei potentiam aspicit clarius, & sese tutum aspicit, attentius considerat, & credere incipit. Tum quoq; ad pedes procidens adorat ut ethnicus, & suo more. Et ad formam reliquorum collaudat fœminam, sed tamen à domino optat illam glorificari: quod illa non agnoscit, sed omnem deo transcribit gloriam, ut in suo patebit cantico. Tabernacula autem Iacob nominat tribus Israeliticas, pastorum sanctorum filios, qui in hoc mundo magis ut peregrini habitant transeuntes de loco ad locum, q̃ ut urbes extruere olim uoluerint, & palatia gloriosa. Achior Ammonites pius. Non ignorabat Is Achior quamlibet Ammonita magna dei Israelis & patriarcharum acta, sed tamen uniuersa ferè gens illa ex animo Israel odiebat, & illis tantam dei gratiam præ se & alijs gentibus inuidebat, ut nõ ex ignorantia, sed contemptu & data opera tam Ammonitæ q̃ Moabitæ et Syri populum domini oderint semper, & ubi potuerunt fuerint persecuti. Hic uero Achior illorũ princeps, singulari dei electione directus est, ut dei gloriam confiteri potuerit, atq; tam gloriose uoluerit, alijs in exemplum. Vt fuerit autem præ multis Israelitis hic Achior in fide perfectior, uel ex his uerbis relucet quæ subiũgit: Magnificabitur super te deus Israel. Quid enim aliud sentit, qui sic loquitur, q̃, Non domine, non nobis, nec fœminæ tibi ò Iudith magnificentia quæcunq; detur, sed dominus deus tuus, propter te in omnibus gentibus sanctificabitur, is glorificabitur per te, cuius solius est magnitudo & maiestas: Non enim honor dei propter homines expetendus, sed homines propter dei gloriam sunt commendandi, à quo solo est quicquid sit gloria dignum.

CAPVT XIIII.

1 Dixit autem Iudith ad omnẽ populum: Audite me fratres, Suspẽdite caput hoc super muros nostros: & erit cum exierit sol, accipiat unusquisq; arma sua, & exite cum impetu: non ut descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes.

Sapientia fœminæ. Non solum fidei deuotionem in deum, & fortitudinem animi ad maxima peragenda, sed etiam insignem sapientiam dominus fœminæ contulit, ad solatium gentis Israeliticæ, apud quam uiri fortes & magnifici, quin & prophetæ domini cessauerant, nempe post tempora Esdræ & Neemiæ, quando hæc historia facta creditur. Nunc ergo attonitis uiris & stupentibus ad tantum facinus mulieris, & præ admiratione insperatæ salutis, non cogitantibus quid consequenter agendum, Iudith plena spiritu sapientiæ & fortitudinis, docet quomodo uictoria obtinenda sit. Ad dei gloriam, populi consolationem, & ad terrorem hostium, præcipit in conspectu hostium obsidentiũ urbem caput Holofernis suspendendum super muros, ut citius in urbe mortuũ uideãt suum ducem, quàm id noscant custodes cubiculi in quo occisus est. Ad ortum quoq; solem iubet cum impetu ualido incurrere in castra minime sibi timentia, qui nihil certius credebant, quàm dedendam urbem esse, & animis ciuium deiectissimam, ut prodire nequaquam timeantur. Nunc uero subito cum alacri impetu adorientes exercitum, perterrendi hostes sint, & sine consilio principis nihil tentaturi, quem mortuũ uisuri duplici sint contritione conterendi.

2 Tunc exploratores necesse erit ut fugiant ad principem suum excitandũ ad pugnam. Cumq; duces eorũ cõcurrerint ad tabernaculũ Holofernis, & inuenerint eũ trũcum in suo sanguine uolutatũ, decidet super eos timor. Cumq; cognoueritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam dominus conteret eos sub pedibus uestris.

Sentientes hostes audaciam Iudæorum, minime expectatam eruptionem ad pugnam, excitabunt mortis sopore obrutum principem, quem truncum inuenient: tunc consilij inopes & confusos animo, & perterritos adoriantur impios hostes, quos in ipsorum manus dominus sit traditurus uirorum, non infelicius quàm in manus fœminæ principem dedit. Rerum mundanarum mutabilitatem discimus: fœmina docet uiros: semiuiui ciues fortissimum aggrediuntur exercitum: uincunt qui eo die certo putabantur uincẽdi. Cœnam lætissimam sequitur ientaculum umbra mortis impletum. Blasphemum tyrannum pia uidua iudicat, & occidit sua manu. Gentilitas confunditur, fides syncera tripudiat. Rerum mundanarũ mutatio.

3 Tunc Achior uidens uirtutem quàm fecit deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit deo, & circuncidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis eius usq; in hodiernum diem.

Crediderat prius & prædicauerat Achior omnipotentiam dei Israel, & clementiam ad suos cultores, ueritatem & iudicium in suo regimine: nunc oculis aspicit ueritatem, inexpectatissimum beneficium accipit, & omnia secus fieri quàm expectauerat, experitur. Viuũ deum & unicum agnoscendo adorat, eidem soli posthac seruire statuit. Gentilitatis errorem in suis uanis idolis, & nihili diuis detestatur & abiurare incipit. Totum se deo credit, & ut alter Abraam cum profectiore ætate carnem præputij circumcidit, in ecclesiam dei recipitur contra quidem legis literam, sed non contra spiritum legis & domini uoluntatem.

4 Mox autem ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis, accepitq; unusquisq; uir arma sua, & egressi sunt cum grandi strepitu & ululatu.

Seniores uiri & ciues oppidi, consilio iunioris fœminæ, & eidem uiduæ acquiescunt per omnia, ut & suspendant in muros caput Holofernis, & ualido impetu sine cunctatione confusos & incurios exercitus adoriantur, ad ortũ solis irruentes in eos, qui uespertinæ crapulæ merum nondum decoxerant, sed inermes sine duce & ordine passim iacebant fatigati uino & somno, insuperq; subitaneo horrore facti cõfusi. Quia uero sine ducis auspicijs & iussu bellum committere prohibebat disciplina militaris, quandoquidem & apud Romanos non solum bellare, sed etiam uincere sine duce indecorum fuisset: ideo sequitur, quid gestum ab Assyriorum exercitu.

5 Quod uidentes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt. Porrò hi qui in tabernaculo erant uenientes, & ante ingressum cubiculi perstrepentes excitandi gratia, inquietudinem arte molie-
bantur, ut non ab excitãtibus, sed à sonantibus Holofernes euigilaret.

Qui ad obsidionem urbis exploratores constituti fuerant, eruptionem sentientes ciuium, dum non uacabat aspicere ad muros ubi principis caput fuissent intuiti, consilij alterius inopes, concurrunt ad tabernaculum Holofernis, cõsilium requisituri à duce, quid facto opus esset. Post quos expergefacti accursu uigilũ somnolenti custodes tabernaculi ducalis, ueniunt excitaturi ducem, primum quidem perstrepentes curialiter, ne offenderẽt cum pulcherrima fœmina ludentem, uel post diutinam uigiliam ad tardiorem horam dormientem. Id enim intenderant dux & serui. Sine cura aduersitatis transegerant noctem illam, uino grauati capita, & nihil minus quàm ad auroram militaturos se putantes. Tutos omnes uinum fecerat, & promissa illius diei uictoria, & pullcherrimarum fœminarum rapina sperata eo die. Sic in

Vigiles negligentes.

medijs cogitationibus & actionum criminum, diuinum iudicium anteuertit impios contemptores dei & legum sacrarum, ut qui totam uitam transigerunt in uitijs, tandem turpissimam uitam nefanda morte concludentes, iudicio dei & hominum iustissime damnari cernantur.

6 Nullus enim audebat cubiculum uirtutis Assyriorum pulsando aut intrãdo aperire.

*Nominatur Holofernes gentium domitor, non tantum tyrannus & fortis, sed ipsorum Assyriorum uirtus. Posuerant carnem brachium suum, ideo confundun-
tur. Beatus autem populus cuius dominus deus eius, qui est dominus exercituum, qui non solum fortis est & omnipotens, sed ipsa omnium quæ creata sunt ipsissima fortitudo: quem talem fideles agnoscunt, cum Dauide dicentes, Domine refugium nostrum & uirtus. Hic uero nullus custodum audebat cubiculum miseræ uirtutis & imbecillis Assyriorum pulsando aut intrando aperire: stultissimo consilio, in rebus, statu, locis, & causis bellicis, ubi nemini certa quies promittenda erat uel permittenda, maxime autẽ ducibus & primoribus. Sed uinum & mulieres, totum consilium, exercitum cum duce confuderant & uicerant.*

7 Sed cum uenissent eius duces ac tribuni & uniuersi maiores exercitus regis Assyriorum, dixerunt cubicularijs: Intrate & excitate illum, quoniam egressi mures de cauernis suis, ausi sunt prouocare nos ad bellum.

Ne duces quidem bellum iam inchoatum à prouocatoribus prosequi audent sine regis Assyriorũ duce exercitus, equidem non arbitrabantur quicquam serio agitati in utranq; aurem dormierant, hostem spreuerant, præsumpserant nimium de uirtute sua. Veniunt tamen duces exercituum, tribuni, centuriones, & qui rectores constituti fuerant tam magni exercitus: cubicularios mittunt tentatum fores cubiculi: sine multa instantia satagunt, quæ erant peragenda maxima solicitudine. Parum sibi timebant tanto exercitui à semiuiuis tam diu obsessis ciuibus, cũ potius ultimæ desperationis uires in exercitu hostium suspectas habere conueniebat. Mures nominant & habent uilissimum animalculum, solis pedibus conculcandum, inerme, humile & paruum. Præsumptioni tribuunt ausum aggrediendi tantum exercitum, tot populorum uictorem & dominum.

8 Tũc ingressus Vagao cubiculum eius, stetit ante cortinam, & plausum fecit manibus suis: suspicabatur enim illum cum Iudith dormire. Sed cum nullum motum iacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam.

Eunuchus cui Iudith commissa fuerat, ingreditur cubiculum Iudith, quod & ducis erat, ubi thesauri repositi ad corpus ducis seruabantur, unde & si uoluisset Iudith pretiosa quæque auferre potuisset, sed nihil horum uenerabat in animum, uitam tantum tyranni in spolium abstulisse sufficit. Reuerẽtia interim uidetur etiam gen-

tilibus

tilibus affuisse circa opera carnis, unde accedere propius non ausus est, ne indecenter iacentes uideri contingeret. Manibus complosis applaudebat, genio fauens utriusq;, nihil aliud suspicatus, quàm uotis compotes euasisse utrosq;. Siquidem cum Iudith ducem dormire putabat. Iterum condormire illis est honesta usus locutione, quæ decet sanctos & honorabiles, quoscunq; etiam infideles & ethnicos, cum hodie nulla habeatur turpitudo de impudicis loqui rebus impudicissime, siquidem pudicitiæ honorem minus atq; conueniat reuereri placet hominibus impudicis. Aduertens animum & aures adcortinam proximãs, deprehendit non adesse uocem neque anhelitum, sed umbram mortis. Iam enim tyranni fœuitia conquieuerat, iam Veneris libidines frustratæ, pœnis inferni transmiserant.

9 Et eleuans eam, uidens q; cadauer absq; capite Holofernis, in suo sanguine tabefactum iacere super terram, exclamauit uoce magna cum fletu, & scidit uestimenta sua, & ingressus tabernaculum Iudith non inuenit eam.

Cortina circundederat totum stratum ad iustam amplitudinem, sic enim expedit torum non solum immaculatum seruari, sed etiam uerecundia decorari penes omnes, præter corporis alias molestias, quæ nudis & aere nocturno obtingere possunt. Eam eleuans ad uidendum accumbẽtes, super pauimentũ pone stratum uidet truncum capite cadauer, ducem exercitus tanti. Deuictum à fœmina subito cogitauit, unde & protinus exclamauit, eiulans & flens usq; ad uestium pro more scissuram. Perquirens uero in thesaurario loco Iudith nõ inuenit. Hic apparebat iudicium domini dei Israel. Iam causas intelligebat tumultum in exercitu. Iam tantorum principum stultitiam intelligebat, qui terrarum orbis gubernacula ambiebant, & unius mulieris astutiam non præsenserant. Omnis enim sapientia & prudentia à domino est, quem illi blasphemare tam impie non horruerant. Et hostilem populum, cui pro uita & patria militandum erat, merito suspectum habuisse debuerant. Non cadit ignorantiæ prætextus in tanti exercitus moderatores. Vel unus ex tot sapientibus dolum timuisse & subesse scire debuerat, sed diuinum ordinem & mandatum hominum circumspectissimus inuertere, ne dicam intelligere, minime potest.

10 Et exiliuit foras ad populum, & dixit: Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor. Ecce eñ Holofernes iacet in terra, & caput eius nõ est in illo.

Tarde sapuerant hac uice etiam Assyriorum principes. Exilijt foras cubiculum, & non iam duces tyrannos tribunos & centuriones appellat, defecerat enim uirtus omnis & sapientia, ideo nunc populus dicitur, quum essent optimates exercitus, quãquam & statim totus id exaudiuit exercitus. Tot myriades adclamat fortissimo rum militum nobilissimi regni Assyriorum: Vna mulier, non dicit uirago; & eadem deniq;, de despicabili & o-

Fœmina uirtutem uirix.

mnibus odiosa natione Hebræa, totam domum & magnificentissimam aulam tanti regis confudit. Nunquam hanc confusionem abolebit quæcunq; uetustas, semper hæc insignis stultitia canetur ad ignominiam regis regni & omnium suorum optimatum, quomodo sapiẽtia paueris fœminæ omnium fortiorem & fortissimorum ducem prostrauerit. Ecce, inquit, tantus heri Holoferneis stupor omnium gentium, hodie truncatus iacet contemptibiliter & ignominiose occisus à fœmina: quod ut maxime probrosum olim Abimelech subterfugere nitebatur.

11 Quod dum audissent principes uirtutis Assyriorum, sciderunt omnes uestimenta sua, & intolerabilis timor & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum ualde, & factus est clamor incomparabilis in medio castrorum.

Dum instatur ad expergefaciendũ Holofernem, tardius euigilantem, quia tardius irrumpere audebat clauicularius eunuchus, interim ad munia sua abierunt uoluntate prospiciendi rebus & ordinandi insultus, contra occurrentes ciues Bethulienses, ideo ad tempus istius recogniti casus sui ducis, adesse iam non potuerũt. Ideo dicitur hic, post populum uiciniorem castris ducalibus, fama tandẽ peruenisse ad duces, quia qui exercitus moderatores erant & fortissimi in regno, ideo hic dicuntur uirtus Assyriorum. Vt enim cor est in corpore, sic circũspectio & fortitudo exercitus est in ducibus. Territi autem, uestimenta nunc scindere cogũtur ad luctum & exitium, qui nuper blasphemiam summi dei domini exercituum cœlestium & inferorum, ex ore ducis effutitam, cum cachinno & uoluptate exceperant. Quid ni uero membra principaliora tremerent, quando cordis uigor & uita cessat? Nihil sine capite membra ualent. Confusio necessario sequitur casum rationis. Valde turbati sunt, quia suam ignauiã, temulẽtiam, libidinem, & negligentiam uiderunt excusationem nullam admittere coram rege & exercitu atq; semetipsis. Talis potestas domini in cœlo & in terra. Sic deponit potentes de sede, sic de suis uiribus præsumentes humiliat. Clamor intra castra leuatur duplici ratione, tum quia alacritatem audiebãt irruentis exercitus ex Bethulia descẽdentium, & iam extrema castrorũ inuadẽtium, tum ob amissum tam turpiter ducem, tum quia consilij rationem principes nullam inueniebant subito confusi.

CAPVT XV.

1  Vmq; omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt, ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, euadere festinabãt Hebræos, quos armatos super se uenire audierant, fugientes per uias camporum & semitas collium.

Satis clara quidem est litera, sed confugientibus alijs

ad allegorias inde exhauriendas, nos ex hoc loco discamus amorem domini, ut in tempore metuamus offensam illius non nimium sero. Ne quis contra dominum sese eleuet quamlibet magnus, qui solo nutu prosternit superbos: nihil esse quantumcunq; ingentem exercitum sine ordine: ordinem non constare sine idoneo capite. Quantum periculum regni & communitatis cuiuscunque est princeps malus uel imprudens: quanta circunspectio ducis necessaria sit exercitui: quid pauor subitaneus malorum importet: quomodo cõsilio opportuno obsit timor numius, uel gaudium ineptum, magis autem incondita libido & amor turpis: quàm deceat principes modestia, castitas, temperantia, in Venere & uino potissimũ: nullum relinqui sanum consilium, ubi inualescit libido, & insuper sequens metus & turbatio: fugæ præsidium proximum esse ubi defecerit fiducia uincendi: ultionẽ fuisse diuinam, ut alterum alter nec consolari nec ad resistendum animare potuerit. Hebræos territi fugiunt, quos muribus comparauerant, & ut panis buccellam deuorandos statuerant. Sola adhuc fama perculsi trepidant, statim turpiter prostrandi, qui per plana cõglobati conuenerant, iudicio domini per multas semitas, per auia & ualles aufugiunt. Talis mutatio rerum fit dextra excelsi, ut mundus discat timere & uenerari cõditorem suũ, & domini orbis intelligant se subditos domino deo. An non hæc cuncta hoc loci disci possunt, ut allegorijs subtilioribus sit opus?

Perícula regnorum.

2 Videntes itaq; filij Israel fugientes, secuti sunt illos, descenderuntq; clangentes tubis & ululantes post ipsos.

3 Et quoniam Assyrij non adunati in fugam ibant præcipites, filij autẽ Israel uno agmine persequentes debilitabant omnes quos inuenire potuissent.

Citius fugisse impios designat q̃ Israelitas insecutos. Sapienter expectauerant, donec totum Assyriorũ exercitum pauor inuasisset & trepidatio, ex agnita morte summi ducis, ex cuius auspicijs uictorias suas pependisse crediderant tanti triumphatoris, qui manum domini dei exercituũ non credebant nec metuebant. Ad primũ autem fugæ quorundam aspectum, Israelitæ addunt horrorem clamoris, & classicum alacriter canebant, quod hic ululatũ uocat, ut incitarẽt fideles ad persecutionem impiorum. Vt uero confidentia & fortitudo exercitum agglutinat, sic pauor & desperatio dissipat fugitiuos. Assyrij à domino confusi præcipites aufugiunt & incõsulti, salutem sibi pedibus procurãtes: Israelitæ uero pauciores, bene adunato exercitu sibi cõsulunt, ne unita fortis uirtus soluatur, ubi dispersa fuerit. Non est etiam in uictoriarum fortuna relinquenda disciplina militaris.

Horror in castris.

4 Misitq; Ozias nuncios per omnes ciuitates & regiones Israel. Omnis itaq; regio omnisq; urbs electam iuuentutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladij, quousq; peruenirent ad extremitatem finium suorum.

Mature significanda fuerat fama salutis & bonitatis diuinæ ad suos fideles, ut ubiq; locorum trepidi hactenus ob magnitudinem Assyrij exercitus, nunc consolati euangelio lætissimo, statim hostibus insisterent persequendis, fugientibus & post se pretiosa quæq; abijcientibus et obmittentibus, occasionem diuinæ assistentiæ minime negligentes. Ex quibus satis patet, iam late fuisse inhabitatam Iudæam, imò Israeliticam terram ab Israelitis, qui reuertentes nuper de Persidis imperio redierant ad suas terras, & resarcierant ciuitates post Hierosolymam reparatam. Modum quoq; seruarunt in prosperis, ut non abuterentur uictoria, nec in persequendis hostibus proprias excederent regiones. Imponenda auaritiæ frena sunt, & sanguini parcendum, ne ex sola uindictæ auiditate hostis cedatur, sed in propria fugientes sinamtur, dum desinunt facessere negotium.

5 Reliqui autem qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam quam fugientes Assyrij reliquerant abstulerunt, & onustati sunt ualde.

Exierant mane quotquot fuerãt uiri militares ad cõsilium Iudith, ut in fugam agerent perturbatos, nec tempus & otium permiserunt sese expediendi, & ad arma confugiendi, uel equitatum ante currus abigendi, & castra resoluendi: sed urgebantur ad fugam, donec excederent è terra Israel, & suam Syriam appetissent. Interim qui in Bethulia erant, superstites pueri senes & mulieres, prodeunt ex monte & Bethulia in subiacentẽ campum, plenũ rebus & impedimentis pretiosissimis, quid quid erat auri & argenti & uestiũ, omnia pretiosa abstulerunt, ut numium ditati redirent. Decreuerat enim dominus consolari abundantia omnium bonorum, eos qui pro suo nomine pertulerant tam insolitã egestatem, & cibis uoluptarijs saturati sunt esurientes, quos sibi infelices diuites & crudeles hostes ad comessationes suas & ebrietates parauerant.

6 Hi uero qui uictores reuersi sunt ad Bethuliã, omnia quæ erant illorũ abstulerũt secũ, ita ut nõ esset numerus in pecoribus & iumẽtis & uniuersis mobilibus eorũ, ut à minimo usq; ad maximum omnes diuites fierent de prædationibus eorum.

Iam pretiosiora quæq; ex castris uicini Bethuliam abstulerant: sed qui primi exierant, & Assyrios usq; ad terminos hostiles fuerant persecuti, numerũ abstulerunt quicquid in uniuersa regione repererũt, pecora, iumenta, & mobilia bona omnia, quæ proculdubio ipsi quoq; Assyrij alijs rapuerant. Non sunt enim diuturnæ diuitiæ per rapinas acquisitæ atq; reconditæ. Maxima autẽ eorum copia fuit bonorum quæ in castris tanta multitudo militum, equitum & principum reliquerant, ut uno & altero die nõ potuerint cuncta auferri. Sic consarcinata à latronibus, dei gratia non raro à pijs hominibus confiscantur, ut sapiens Salomon loquitur. Omnes autem fectos diuites intelligi potest, per censuum multitudinem, non pro affectuum mediocritate, qua fit ut abunde dives sit qui plura non cupit, & dives non raro egeat tam habitis quàm his quæ non habet. Alioqui omnes pariter homines

homines diuites esse, ut non diu possibile est, sic nec ad felicitatem hominum in hac terra proficere plurimum potest. Tam necessarios enim diues habet obsequiorum labores ex pauperibus, q̃ pauperes sine diuitibus communiter uel diutius subsistere nullatenus possunt.

7 Ioachim autem summus pontifex de Ierusalem uenit in Bethuliam, cum uniuersis presbyteris suis, ut uideret Iudith. Quę cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una uoce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti uiriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post uirum tuum alterum nescieris. Ideo & manus domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus fiat fiat.

Vt multa sunt in hoc libro Iudith plurimum apta ædificandis fide & charitate, conformia diuinis mãdatis in operibus descriptis & sermonibus, maxime autem sanctæ illius Iudith uiduæ, qua diuina prouidentia usa est ad magnificandum suam gloriam, & electorum fidem firmandam: non pauca tamen in præcedentibus hominum uerbis & moribus descriptis, sicut & hoc loco legimus non probanda, nec etiam consectanda. Homines enim sunt, & humanis circundati affectibus, infirma fide notatis, & nõ assumendis fidelibus in exemplum. Propter quæ & similia dignissime arbitror sanctos patres tam ueteris instrumenti quàm noui, & sacrosanctam Synodum Nyceam, hunc quoq; librum non inter Apocrypha quidem numerasse, ut euangelia Petri, Thomæ, Bartholomæi & Pastoris, quæ prohibita sunt legi in ecclesijs, sed ut sacras scripturas, quas Hagiographa dicere possumus, non quidem ut Dauidis & Salomonis libros, quos cum quibusdã alijs Hieronymus Hagiographa appellat, cum de Canone sint sacro, & indubitatæ autoritatis & ueritatis, ut prophetæ & Mosis libri: sed sic Hagiographa dicantur, quia sacræ scripturæ assumptæ in ecclesiam, ut publice legi possint & debeant. Quanquam contineant non ubiq; in exemplum sumenda piorum opera & uerba, sicut nec in Canonicis libris, in quibus tamen doctrina ubiq; est infallibilis, & ad roboranda dogmata ecclesiastica eorum ualet authoritas. Non autem in hoc libro & similibus, qui tamen sic Biblici sunt, ut non sint tamen proprie Canonici. Itaq; quis hic fuerit Ioachim summus pontifex Hierosolymis hoc tempore, non satis ex historijs cõstat, quæ desinunt in Canonicis huius temporis scriptis. Et Iosephi authoritas non multum mecum ualet, nisi ubi reliquis uel sacris uel certis alioqui historicis sæcularibus concordat. Idem tamen nomen esse uidetur cum Eliachim ex libris Regum, ubi ambo uni tribuuntur, sicut & Ozias, Azarias & reliqua. Quomodo autem decuerit pontificem summum de Hierosolymis uenire cum presbyteris, quos intelligo hic sacerdotes et Leuitas cum senioribus populi, ut Iudith uideant, quid hoc enim ædificat uel pietatem commendat? Satius pro officio statuisset fieri oblationes & salutaria sacrificia Hierosolymis in templo secundum legem, & gratulatoria toti genti, ut fecerant alij sancti reges, Ezechias, Iosias & alij, de quibus nulla fit mentio in isto libro. Hic quoq; multi paßim codices habent perperam scriptum: Quæ cum exijsset ad bellum, cum uetusti & correctiores impreßi codices melius habent Ad illum. Cum enim posterius ut antea elegisset sancta fœmina domi consistere, ad iussum tamen & reuerentiã pontificis summi, & tam spectabilium personarũ processit ad illos. Qui cum dominum deum authorem tantæ gratiæ & salutis in primis & solum laudare debuissent, cui soli debetur omnis honor, gloria, gratiarumactio, pro exemplis omnium priscorum sanctorum, ipsi tamen modicæ religionis homines, & negligentes sacræ lectionis clerici, illam quidem omnibus istis meliorem & sapientiorem, omnes una uoce benedixerunt, ea laudum inconsultarum magnitudine quæ minus decebat. Tu, inquiunt, gloria Ierusalem es, quasi non potius dominus deus Israel solus sit & fuerit semper sanctus Israel, & Hierosolymæ urbis sanctificatio. Solium domini sanctum est, arca domini, ara reconciliationis, Christum significans, & templum sanctificantia. Templum autem & legitimus dei cultus sanctificatio urbis erat, inde gloria domini procedebat, quæ erat gloria Ierusalem, non Iosias, non Ieremias, non Ezechias, non Isaias, multo minus Iudith, quæ non Hierosolymis dominum glorificauit, sed Bethuliæ in monte Ephraim, non Syon, quæ non tunc merebatur. Quanquam ad pium sensum admitti posit suo locutionis modo, quia per illã steterit quo minus deuicta Bethulia minore, Ierusalem quoq; à tyrãno Assyrio fuisset uastata. Verum non est huiusmodi gloria homini adscribenda, Hyperbolicus excessus nõ decet in talibus locis. Seruandus & uindicandus est domino suus honor, sua gloria, non eam alteri cedit. Sic id quoq; quod dicitur: Tu lætitia Ierusalem, in qua quidẽ lætari poterat, sed religiosius, ut Anna mater Samuelis, Lætata sum in salutari tuo, Exultate iusti in domino, Non est sanctus ut est dominus &c. Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, Dominus est qui pauperem facit & ditat, humiliat & sublimat. Sic quoque in cantico Mariæ sororis Moysi. Sequitur excessiua oratio: Tu honorificentia populi nostri: cum ibi non tam suum deus honorem uindicauerit, quàm Israelitici populi, cui deus est gloria, non contra, nisi gloria cum confusione, quandoquidem propter eum toties blasphematus est deus in gẽtibus. Quia, inquiũt, fecisti uiriliter, bene quidem & uere, sed non sua uirtute, sed tantum dei, cui soli acceptare referri debet omnis potentia robur & gloriatio. Castitatem canunt causam tantæ suæ uirtutis, cum potius fidem & charitatem, ut patuit agnoscere in ea oportuit. Laudanda quidẽ uiduitas, qualis emicuit in hac Iudith, sed si charitas effluat in opera legis spiritualiter intellectæ. Alioqui ut secũdæ nuptiæ nusquam in scripturis improbantur, sic nec sola uiduitas sine uero dei cultu coassumpto laudabitur. Rationalis uel causalis nota, minus apte causaliter intellecta adijcitur, quanquam posit accipi cõsecutiue. Non enim ideo dominus fœminam confortauit, quia amauerit casti-

Quomodo liber hic Iudith.

Iosephi authoritas.

Stultitia clericorum.

Immodica laudatio.

Castitas uidualis.

tem, quia glorioſe egerit: ſed ideo caſtitatem amauit, & ſeruauit, quia manus eam domini confortauit: hac quoque ratione et non alia benedicta erit ſanctiſſima Iudith in æternum. Laudandi quidem ſancti ſunt, ſed in domino, imò potius laudate, ait, dominũ in ſanctis eius. Quod uerò dicta confirmat populus, acclamando Fiat fiat, ſatis id conſequenter fiebat. Erat enim ſicut ſacerdos, ſic populus fide inſynceriori utriq; prædita quàm par erat.

Errores ſæculorum.

Fert tamen errores patienter, ſed non libenter, donec uerbo ſuo per prophetas docuerit meliora, ut deinde nullũ inueniat locũ excuſatio. Similibus pontificibus gubernata eſt aliquoties & Chriſtianorum eccleſia, qui inter laudandum homines exceſſerunt, ut Gregorius quoque felix Adæ peccatum cantari iuſſerit in eccleſia, qui tamen addit, quod talem meruit habere redemptorem. Et his multo abſurdiora cantantur hactenus.

8 Per dies autẽ triginta uix collecta ſunt ſpolia Aſſyriorum à populo Iſrael.

In exercitu centum uiginti millium & uiginti millium equitum & curruum ſine numero non mirabile uidebitur, ſed in primis plauſibile tãto tempore continuo fidelem populum rem ſuam familiarem auxiſſe, diſtribuiſſe, mundaſſe & oſtentaſſe, tanto dierum numero lætificatos, qui uigintiquinq; diebus in ſumma omnium rerum penuria, tantum non animam egiſſent, ut ſecũdum plagarum modũ fuerit, & iubili, & gratulationis menſura. Sic dominus nouit conſolari quos fideles ſeruare uoluerit.

9 Porrò autem uniuerſa quæ Holofernis peculiaria fuiſſe probata ſunt, dederunt Iudith in auro & argento & ueſtibus & gemmis & omni ſuppellectili, & illi tradita ſunt omnia à populo.

Ex ſpolijs hoſtium populo uniuerſo ditato, uidua Iudith gratitudinis prætextu ea præcipue pretioſa ſuſcepit, dono populi, quæ fuerãt Holofernis caſtris illius uel tabernaculo erepta. Cum nihil tale concupierit, quem ex odio impietatis tanto minus diligere potuit, quanto magis blaſphemum in dominũ recognouit. Non pro auro, argento & gemmis ſeſe periculo tanto expoſuit, ſed pro uindicanda dei gloria, pro ſeruãdo populo ſuo, pro Hieroſolyma conſeruanda, & pro cultu unus dei liberando à gentili ſacrilego. Populus quidem gratificari eidem talibus uoluit, ſed ſancta fœmina non legitur ſuſcepiſſe cum multa gratia, ſiquidem uirilia ornamenta, & res nullo ſuo uſui neceſſarias. Sed tamen ſuſcepit ea non diu poſſidenda, ſed ut opima ſpolia domino Hieroſolymæ offerenda, & ad diuinum cultum pro anathemate uertenda. Erat tota domino religioſe deuota, ſpeculum pietatis, honeſtatis, ſapientiæ & omnium uirtutum, ſummis etiã pontificibus et principibus admirãda, quos ipſa magis docuit et direxit: exemplo ſuæ parſimoniæ et modeſtiæ, doctrinæ et timoris dei redarguit magis q̃ uerbis, ſiquidem iam denuo collapſa uidebatur uera ſyncerag; religio, cognitio amorq; diuinorum, & in ſolam, ut uidetur fœminam coniecta, ſicut & Hulda fuerat, tempore Ioſiæ dum regno Iudæ immineret calamitas.

Iudith non appretiatur diuitias.

10 Et omnes populi gaudebant cum mulieribus & uirginibus & iuuenibus in organis & cytharis.

Hæc quidem populus, qui altiora non capiebat, quiã ſuis ſacerdotibus non alia docebatur. Gaudebant quidem pro ſuperata anguſtia, & diſtributis ſpolijs: de gratiarumactione & ſacrificijs, de pſalmo ædito uel cantato nihil dicitur, fœminæ gratulabãtur ſeſe ſemel per domini miraculum in Iudith fœmina glorificatas, de ſuo honore geſtiebant, cũ domino deo ſolo totis pectoribus gratias egiſſe debuiſſent. Nõ moratur deus muſicam illam, ſed fidem pietatem & opera charitatis.

CAPVT XVI.

1  Vnc cantauit canticum hoc domino Iudith, dicens: Incipite domino in tympanis, cantate domino in cymbalis.

2 Modulamini illi pſalmum nouum, exultate & inuocate nomen eius.

Cum occupatos uideret ſancta fœmina, & ſpiritu ſancto plena, ſummum ſacerdotem, principes & populum, fœminas & uirgines circa laudes ſuas, hoc eſt triumphatricis Iudith, parum autem ab omnibus iſtis cogitari de domino, de illius miſericordia & longanimitate, de eius operibus et donis, uerſari omnes circa laudes & encomia fœminæ, quæ ſuis uiribus nihil poterat efficiſſe, ſciens interim omnem gloriam deo referẽdam, qui quicquid boni contigerat, totum ipſe ſua gratia & uarietate fuerat executus: non quidem uiros huiuſmodi corrã populo corripit uel accuſat facto uel uerbo, ſed quod fuerat ab initio ab illis neglectum uſq; nunc, ſuo ſtudio patefacit. Incipit enim & proſequitur non proprias ut illi laudes, ſed domini dei ſui, domini exercituum beneficia commemorat, inculcat, laudat, prædicat, & pſallit, nõ cytharis et organis, ſed plectro eruditiſſimæ linguæ, & deuotiſſimi cordis, quando exercitatiſſima erat in laudibus dei, quæ ut ſancta uidua totam ſe contulerat in contemplationem diuinæ legis, & ad orationes domino deo & ſuæ fidei dignas. Hortatur autem omnes, ut non ſe & ſua facta commemorẽt, ſed dominũ deum uerum, illius gratiam & bonitatem. Seruat autem morẽ, quem ex Pſalmis Dauidicis didicerat. Verũ qa noua erãt dei magnalia, & miraculum redemptionis nouæ, ideo ad nouum hortatur canticum, quod ipſa de plenitudine deuotionis & fidei dictat, & canendũ uirginibus & populo uniuerſo, imò ſacerdotibus in talibus tunc craſſa negligentia laborantibus, commendat. Incipite tandem, inquos, ait, Iſraelitæ, non ſemper attoniti ſtate, mea opera commendantes, quæ mea non ſunt, domino potius incipite gratias agere, et in muſicis Dauidicis inſtrumentis, illius exemplo, pro nouo beneficio & portento, nouum illi ex fide pſalmum modulamini. Exultare quidem nos omnes oportet in ſalute quam ſuſcepimus, ſed interim nõ ignorare, cui accepta omnia beneficia referre debemus. In domino exultate, pro ſanctificatione illius, & pro exaltatione ſui nominis. Eius nomen inuocate, non meum, quod facitis hactenus, celebrate. Quæ enim ego

ſum

ſum, quæ tanta auſa ſim, & tam feliciter geſſi, nihil plane meum agnoſco, totum eſt gratiæ diuinæ, quam ſecundum promiſſiones patribus factas, hodie quoq; oſtendere non ceſſat, neq; deſinet poſterius, ſi boni legis & beneplaciti illius æmulatores fueritis.

4 Dominus conterens bella, Dominus nomen eſt illi.

5 Qui poſuit caſtra ſua in medio populi ſui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum noſtrorum.

Quid domi o canendũ

Quid domino canendum ſit breuibus primum & in genere commemorat, quod omnibus temporibus factum accipi debeat. Ab initio enim exeuntibus de Aegypto, per columnam nubis & ignem aderat caſtris Iſraeliticis, & poſt eos, ſe ut hoſtes præcederet tranſtulit, ut rubro mari fidelium patrum hoſtes ſubmergeret. Deinde quadraginta annis tabernaculum ſuum, myſterium gratioſæ præſentiæ ſuæ in medio tribuum collocauit, & à cunctis hoſtibus ſemper inuictos ſeruauit. In medio terræ Iſraeliticæ ſanctuariũ ſuum poſuit, ut ibidem inuocatus & honoratus iuxta ſua inſtituta, omnibus adeſſet fidelibus pugnator, & hoſtium omnium iudex & impugnator, dominus exercituum. Ipſe dominus eſt, non ego, qui bella ſuſcepta contra nos, & bellorum uim, & authores conterere non iam incipit, ſed nunquam non contriuit. Vnde & illi ſummæ maieſtatis nomen conuenit ſoli, ut Dominus deus Sabaoth & exercituum uel fortitudinum exiſtat, & à nobis maxime nominetur. Ipſe nunc quoq; angelorum ſuorum caſtra ponit in medio noſtrum, ut nos eripiat de furore, & crudelitate omnium inimicorum noſtrorum.

6 Venit Aſſur ex montibus, ab Aquilone, in multitudine fortitudinis ſuæ,

7 cuius multitudo obturauit torrentes, & equi eorum cooperuerunt ualles.

8 Dixit ſe incenſurum fines meos, & iuuenes meos occiſurum gladio.

9 Infantes meos dare in prædam, & uirgines in captiuitatem.

Tam Ninus quàm Egbathanis capita regni Aſſyriaci ad Aquiloẽ ſunt Iſraeliticæ regionis reſpectu, à montanis Tauri maximi, & qui pro longitudine ſua multa ſortitur nomina, unde atroces prodierunt ſemper milites & bellorum fomenta in maxima multitudine, ut ſolẽt montes uaſti & horribiles etiam populos propagare, ac nutrire terribiles & bellicoſos. Tantus autem ſæpe fuit Aſſyriorum exercitus, ut tota operuerint montana, flumina uix cum fontibus ſufficerint ad annonam & potum, ualles capere non potuerint homines tot cum tanto bellico apparatu. Dixit, id eſt, propoſuit non raro hoſtis Aſſyrius, nunc autem maxime, ſeſe incenſurum urbes, oppida, uillas, uicos et caſtra omnia uaſtare inſtituit, occidere homines, maxime idoneos armis, iuuenes electos, firmamentum & robur patriæ & populi. Nihil niſi rapinas & prædas meditati ſunt, non tantum poſſeſſionum auri & argenti, ſed & hominum, quos in ſeruos et ancillas uendere ſtatuerunt, abuti ad ſuas cupidines, &

ſeruitutes, unde & infantibus ſtatuerant nõ parcere nec fœminis, omnibus uero frui & uti ad ſuas libidines, infantibus ad prædas, & uirginibus in captiuitatem abducendis. Hæc nanq; fuerat huius Holofernis intentio, id ſe confecturum iurauerat.

10 Dominus aũt omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confudit eum.

11 Non enim cecidit potens eorũ à iuuenibus, nec filij tyrannorũ percuſſerunt eum.

12 Nec excelſi gigantes impoſuerunt ſe illi, ſed Iudith filia Merari in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum.

Superborũ humiliatio.

Longe aliter atq; tyrannus uoluerat ſtatuit omnipotens dominus exercituũ. Illi enim decreuerant obtentos ciues omnes gladio tranſuerberare, omnes filios Iſrael diſperdere, exterminari: ut cognoſceret omnis gens, quoniam præter Nabuchodonoſor alius nõ eſſet deus in terra. Sed tradidit eum dominus nõ in poteſtatem iuuenum aptiſſimorum bello, filiorum gigantum uel fortiſſimorum tyrannorum & heroum, à quibus cum aliquo honore occidi potuiſſet, ſed ad perpetuam per omnia ſæcula confuſionẽ tradidit eum dominus in manus mulieris uiduæ, quæ eum occidit ſua manu, prius tamen ſenſuum impuriſſimorum ſuorum concupiſcentia & libidine, in animo turpiter ſuperatum, qui pro ſapientia, officio & profeſſione ſua omnibus proſpexiſſe debuerat. Qui ſe domino deo prætulerat, qui orbis domitorem ſe exhibuerat, is muliebri forma eneruatus occubuit, & diuinæ maieſtatis potentiæ, quam uiuens blaſphemauerat, turpiter mori iuſſus, atteſtatus eſt. Non ergo ego Iudith illi nocui, ſed omnipotens dominus manu fœminæ confudit. Quæ enim ſuperbo principi maior ignominia accidere potuiſſet, q̃ muliebri potentia ſuperari? qui mundo imperare contendebat, & ſua ſtrenuitate regi ſuo impio impius imperator triumphatoriam gloriam reportare cogitabat, cuius opima ſpolia non Ioui Olympio ſtrenuus bellator detulit, ſed cœlorum domino, domino exercituum imbecillis uidua exuuias tyrannorum obtulit, & pro anathemate deuotiſſime dedicauit.

13 Exuit enim ſe ueſtimento uiduitatis, & induit ſe ueſtimento lætitiæ, in exultatione filiorum Iſrael.

14 Vnxit faciem ſuam unguento, colligauit cincinnos ſuos mitra ad decipiendum illũ.

15 Sandalia eius rapuerũt oculos eius, pulchritudo eius captiuam fecit animam eius, amputauit pugione ceruicem eius.

Studia Iudith.

Fœminea ſtudia commemorat, quibus diuino iudicio ſuperata eſt uirilis potentia, fortiſſimorum militum fortiſſimus imperator, & glorificata eſt omnipotens dei uirtus in imbecillitate fœminea, ne quis ſapiens poſt hac glorietur in ſapientia ſua, nec fortis in robore, ſed cum gloriatur in domino glorietur, cui par eſt & æqualis facilitas uincere quamcunq; humanam ſuperbiam per triumphales duces, & per muliebris ſexus imbecillitatem. Tempus fuerat lugendi ſancti mulieri in cinere & cilicio,

tempus uiduam profitendi, & instandi orationibus. Illi sese prudens & religiosa aptauit. Cum tempus suaderet & opportunitas saluti patriæ prospiciendi & diuinæ gloriæ, tunc oblita fœminei sexus, uiduitatis humilitate & luctu exuit se & semicinctijs humilitatis: lætitiæ autem uestimentis induit se ut filios populi sui fideles Israelitas calamitosos & anxios exultatione perfunderet. Ad quod uirile negotium perficiendum nihil obmisit quod operi seruiret, & gloriam domini promouere putaret. Contra morem & animum, contra genuinam humilitatem & modestiam, in qua sibi magis cõplacebat, faciem suam unguento unxit, ut placere posset ei quem ex animo totisq; odiebat præcordijs, quem & domino abominabilem minime nesciebat. Vincit carnem & sanguinem: quæ maxime abominabatur assumpsit, superbiam cincinnorum, & mitram sibi non sine insigni uerecundia imposuit: quandoquidem iamdudum omnia ista reputauerat ex animo ueluti stercora, ut & erant probissimæ mulieri & religiosissimæ. Non autem hæc agebat ad offendendum dominum, ad carnis concupiscentiam confouendam, sed pro uindicanda blasphemia dei mulier accingebatur, ad quod principes & pontifices negligentes connuebant, & pro fidei imbecillitate desperabant uel parum dolebant. Ad illum decipiendum omnia faciebat, non ad se oblectandum, gloriam dei solam cogitabat, & sanctæ gentis salutem, quæ sine impij hostis deceptione & occubitu promoueri humanitus commode non ualebat. Decipere tyrannum aliud non credebat, quàm rempublicam à tyranno liberasse. Sciebat stultitiam herois fœmineis sandalijs posse solicitari ad libidinem, qua superaret ferocitatem: & oculos truculentos fascinauit decore uestigiorum muliebrium, ut patesceret animi stultitia in robustissimo uiro, dei fauore destituto, quatenus humiliter post hac sentirent primores gentilium, & domini dei prouidentiam agnoscerent circa pios. Non modo salutem intulit fidelibus huiusmodi suis ornatibus, sed dogmata quoq; uirtutis ædidit inexpertis, ut animam capi & perire posse discerent ex oculis impudicis, animum deprædari honestate ex aspectu uano, mortemq; ingredi in mentem per sensuum parum custoditorum uenestras. Cuius stultitiã animi sequuta mox est ceruicis ademptio, & mors corporis iniuriosa plenaq; ignominia, casus ducis celeberrimi: ut discant uiri uiriliter agere, ac sensuum lenocinijs non parere.

Vestes Iudith.

16 Horruerunt Persæ constantiam eius, & Medi audaciam eius.

17 Tunc ululauerũt castra Assyriorũ, quando apparuerũt humiles mei arescẽtes in siti.

18 Filij puellarum compunxerũt eos, & sicut pueros fugientes occiderunt eos.

19 Perierũt in prælio à facie domini dei mei.

Quem fortissimi gentium horruerunt aggredi, hunc fœmina superauit. Aeque enim dominus quos uult impios opprimere potest per mulieres & paruulos, sicut per uiros omnium fortissimos, ne quis in uiribus proprijs glorietur. Tunc uero cum occisum suum imperatorem summum audirent Assyrij, præ stupore & dolore ululauerunt in totis castris, desperantes de fortitudine sua, pœnitentiam infructuosam agentes de præsumptione sua ad uersus populum domini dei exercituum. Contra autem humiles, hoc est, usq; ad extrema mortis pericula humiliati, deducti usque ad portas mortis obsessi in Bethulia, quorum præsiti corpora aresecebant. Et qui adhuc per ætatem imbecilliores erant, hoc est, filij puellarum, attonitos fortissimos milites compunxerunt, hoc est, gladijs strinxerunt, & fugitiuos persequuti occiderunt. Hæc uero omnia non mea sed domini uirtute, qui pro suo populo prælium exercebat. A facie non mea, uel alicuius de populo meo, sed domini dei mei fugierunt.

Timer eum.

20 Hymnum cantemus domino, hymnum nouum cantemus deo nostro.

21 Adonai domine deus magnus es tu, & præclarus in uirtute tua, & quem superare nemo potest.

Hortatur religiosa fœmina non ad se laudandum, sed ad cantiones gratulatorias domino exercituum cantillandas, ut pro recenti & insolito beneficio nouum quoque canticum ædant: illud scilicet, quod nunc sibi cogitanti & gestienti gratias agere, his uerbis succurrat animo: Omnipotens domine, qui omnium dominaris, & in cuius potestate sunt omnia, hoc est enim adonai, & qui magnus es perfectione & uiribus, immensus & excelsus, præclarus uirtute, cuius scilicet opus & sapientia relucet ubiq;, sine quo nihil est ualidum, nihil sanctum, dominus exercituum omnium, quem superare nemo potest, cuius uel unicus minister, quorum habet quàmplurimas legiones, una uice & strage prosternere potuit centum & octoginta millia bellatorum de Assyriorũ exercitu, quem isti dominum nunc quoq; metuere debuissent aliquanto pauciores.

Benus ahæ.

22 Tibi seruiat omnis creatura tua, quia dixisti & facta sunt, Misisti spiritum tuum & creata sunt, & non est qui resistat uoci tuæ.

Cum omnis creatura à deo suo pendeat essendo & operando, sine quo nihil est, & nihil potest, in quo autem uiuimus, operamur & sumus, neminu alteri creaturæ cultum & obedientiam obligatur. Vno solo uerbo, hoc est, uoluntatis nutu condita sunt omnia atq; creata: uerbo enim domini cœli firmati sunt, & spiritu oris sui omnis uirtus eorum. Sicut enim spiritu omnia uiuificantur, sic uoluntate domini omnia conseruantur: nec est usquã quæcunq; creatura quæ resistere possit uoluntati diuinæ, quæ simili potestate & opera omnia perficit in omnibus, ut nihil uirium in mundo comparetur omnipotentiæ suæ, quam exercet per mares & fœminas.

23 Montes à fundamentis mouebũtur cum aquis, petræ sicut cera liquescẽt ante faciem tuam.

Ad domini potentiam, quæ fundatissima sunt & maxime stabilita, loco mouentur & contremiscunt. Nec illi difficilius est orbis concutere fundamenta, quàm aquæ proijciuntur à spiritu: & durissimæ petræ dum ille præceperit, liquescunt ac defluunt, & subsistere nequeunt. Quando in se immobilis semper existens, dat cuncta mouri

ueri. Vsus est autem uerbo futuri temporis pro præterito imperfecto optatiui. Et aliter, ut non sit necessario exponendus de futuro iudicio hic uersus, & de igne conflagrationis, quæ longe aliter ante finem mundi contiget, quàm ut hactenus docuerunt etiam Iudæi, de quindecim signis ultimum diem præcessuris.

24 Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.

Timere dominum, est ut omnium dominum reuereri, fide spe & charitate colere, ex illo pendere per omnia, contra eius prouidentiam non murmurare, bonu consulere ordinem regiminis sui, cogitare quomodo illi placeatur, quid iubeat ille, in omnibus gratias agere, & in patientia possidere animam suam, ab omni cauere offensa, non tam timore uindictæ quàm amore iustitiæ. Qui tales per suam sunt gratiam, illi magni sunt, si non apud mundum, saltem, apud dominum, in quo solo gloriandum, si quis illi probetur, à quo totus per omnia pendet.

Timere eum.

25 Væ genti insurgenti super genus meum, dominus enim omnipotens uindicabit in eis, in die iudicij uisitabit illos.

26 Dabit enim ignem & uermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant usq; in sempiternum.

Intelligunt Iudæi huiusmodi sententiã de seipsis, quasi soli sint qui domino curæ sic sint, ut hostes ipsorum non sinat inultos. Genus dei, uel Iudith, uel Abrahæ, soli sunt electi fideles, & qui dominum timent, & magni sunt apud eum: quales sunt qui credunt dominum, & totos se illi credunt, de quacunq; regione uel gente nuncupentur. Non est acceptio personarum apud deum. Persecutores autem fidelium atq; piorum, expertes scilicet fide & charitate, hos dominus suo tempore iudicabit ac puniet, sic ut rebelles domino, & procaces uoluntatis suæ osores, ex contemptu constanter & sine penitentia peccantes, igne uel supplicio æternæ damnationis punientur, de quo Isaias ultimo, ubi de ferme loquitur nunquam morituro, & de carnium exustione, hoc est, damnatione corporis & animæ.

Genus Abrahæ.

27 Et factum est post hæc omnis populus post uictoriam uenit in Ierusalem adorare dominum: & mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, & uota, & repromissiones suas.

Mature domino gratias agere debuisset totus populus, sed ad exhortationem & exemplum sanctissimæ Iudith commonefacti, id quod pontifex imprimis solicitasse debuerat, nunc deliberant agere, & facto prosequuntur, iuxta legem domini sacrificia offerentes gratulatoria, tamen legali purificatione præmissa. Quandoquidem ex bello & spolijs gentilium sese pollutos credentes, sacrificia pro peccatis offerebant, primum tunc demum soluentes uota & pacificas oblationes. Id uero nõ nisi Hierosolymis licebat in templo, ubi dominum ceremoniali obseruantia colere tantũ obligabantur, qui in spiritu & ueritate est ubiq; adorandus.

28 Porrò Iudith uniuersa uasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopœũ quod ipsa sustulerat de cubiculo ipsius, obtulit in anathema obliuionis.

Vt gladius Goliad & similia memoracula uictoriarum cœlitus obtentarum seruabantur ad dei gloriam, nec alicui usui aptabantur, sed in publicum suspendebantur: sic hic quoq; ad perpetuam tantæ rei memoriam opima Holofernis spolia, uasa bellica à Iudith oblata sunt in templum, ne unquam in obliuionem uenat dei beneficium, & uictoria tam illustris. Ideo dicitur Anathema obliuionis, hoc est, opimum spolium, & domino dicatum munus, ne obliuio gratiæ intercidat, sed omnibus ad locum affluentibus recens beneficium agnoscatur.

Anathema Iudith.

29 Erat autẽ populus iucundus secundum faciẽ sanctorũ, & per tres menses gaudium huius uictoriæ celebratum est cum Iudith.

Intelligi dupliciter potest. Vel ut ea quæ sanctos deceat dei cultores lætitia, gauisæ fuerint Israelitæ cum Iudith in Bethulia uel Hierosolymis. Vel aliter, ut ante faciem templi, quod sancta dicitur, sicut & sanctuarium, in atrijs domus domini lætati sint, ueluti in diebus Paschæ & tabernaculorũ. Quod uero tres menses continuant, simile est prioribus imperfectionibus, magis quàm legalibus obseruantijs, quando propensior subinde fiebat populus Israel ad ceremonias, quàm dominus ordinasset ex lege. Quandoquidem & facile est populum maxime iam ditatum ex hostium spolijs, induci ad ferias & otium suscipiendum, quæ domino placere non poterant. Et tamẽ huiusmodi à Christianis nobis longe studiosius sunt in exemplum pertracta, quàm quæ serioſe nouimus dominum præcepisse, & nobis conciliare. Non gratis dominus ceremonias nimias interdixit.

Feriæ populorum.

30 Post dies autem illos unusquisq; rediit in sua, & Iudith magna facta est in Bethulia, & præclarior erat uniuersæ terræ Israel.

31 Erat enim uirtuti castitas adiuncta, ita ut nõ cognosceret uirũ omnibus diebus uitæ suę, ex quo defunctus est Manasses uir eius.

Magnitudinem Iudith non tantum in Bethulia intelligamus, sed in tota terra, non solum Iudææ & Israel, sed & quocunq; diuulgatum fuit ingens facinus fortissimæ mulieris. Quæ si gentilibus, Græcis aut Latinis contigisset, multis eam poematis & carminũ libris celebrassent. Non enim huiusmodi uirtutis exemplar tam absolutum alibi legitur ante eam inter gentes uel Iudæos. Longe autem clariora uirginum & fœminarum certamina legimus apud Christianos, quæ si quis à fermento auarorum monachorum expurgaret, & tantarum uirtutum historias puras, & iuxta uerbum domini emaculatas conscriberet & ederet, sancte proculdubio laboraret. Quanquam uerbum domini abunde sufficiat fidelibus, non tamen essent fraudanda sua apud pios homines gloria tam illustria uirtutum magnarum exempla. Qualia si quis credere renuat, in promptu sunt mille nostrorum temporum fortissima facta, pro pietate certantium fidelium utriusq; sexus. Qualia contra gentiliũ idola olim certantes sanctos exercuisse sancti & ueridici patres conscri-

Christianarum fœminarũ exempla & acta non negligenda.

bere religiosum putarunt, ut est Agnetis, Ceciliæ, Luciæ, Agathæ & multarum similium uita conscripta à sanctis. Sic quoq; Laurentij, Sebastiani, Adriani & aliorum illustris non est negligenda memoria talis, ut omnia non ad illorum merita & intercessiones referantur, ut contigit impie, sed ad dei gloriam, & ad fidei constantiam exemplis fouendam, ut credamus non nobis negandam similem gratiam, quam tam magnifice sanctis collatam legimus, & negare nõ possumus. Habuit apud omnes gentes omnibus sæculis laudem plurimam uiduitatis castimonia, & fides seruata etiã defunctis: sed ut Pauli apostoli & Petri de uiduarum conuersatione religiosa regula conseruetur, ne dum castitas fingitur in oculis dei & hominũ, fœdior quàm sit matrimonialis pollutio incidatur, & scandalum succedat irremediabile. Satius est licitis frui, quàm periculosius delinquere sub specie sanctitatis, quã non nostris uiribus & uotis assequimur, sed per solam dei & rara gratiam nusquam promissam. Qui uero per gratiam huiusmodi capere poterit, capiat, & in domino glorietur, non abstinentia carnis, sed in uigore spiritus ad sanctiora opera, quàm sint præesse familiæ, et marito subesse, quod cum dei fauore fit, & nõ raro præcepto subiacet seriosо.

Gesta sanctorum & martyrum.

32 Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria.

33 Mansitq; in domo uiri annos centũ quinque, & dimisit Abram suam liberam,

34 & defuncta est ac sepulta cum uiro suo in Bethulia, luxitq; illam omnis populus diebus septem.

Intelligendum hoc est de gloria, non quam quærebat de fama uel fortitudinis uel castitatis, quæ sine gratia Dei adesse possunt, sed de uirtuosissima illius conuersatione & operibus pietatis, de exemplo quod omnibus præferebat fœminis, propter quæ omnia non gloriam intendebat humanam, didicerat enim non in se sed in domino gloriari: sed gloria illa fuit æstimatio magnifica, quam habebat ab omnibus de conuersatione sua qua ædificabat, & indies augebatur fructus sancti exempli. Non enim auro & gemmis redimita procedebat in synagogam, sed pudicitia & uerecundia, qua se cæteris notabilem esse dolebat, tantoq; procedebat rarius, sed festis diebus urgebat religio, ut quamlibet inuita hominum se aspectibus committere cogeretur. Grandis est autem ætas centum quinq; annorum in fœmina, quanto tempore uixit. Nec domum mutauit semel possessam, cõstantiæ & illud exemplum ut sit, & perpetui fauoris in maritum demortuum, ut non tam facile obliuiscantur uiduæ defunctorũ, nec cupiant ædes mutare maritis. Libertatem Abra magnifice emeruerat tam perpetui amoris merito quàm tantæ constantiæ dominæ suæ tam fideliter adhærere satagentis. Omni enim honore & charitate digni sunt fideles seruuli & ancillæ. Commendatur & institutũ illud, quo iuxta mariti corpus elegerat sepeliri, ut in fide sanctorum ad immortalem uitam gloriosam pariter resurgant, de quo & Tobias non fuit incurius. Tribus dudum mensibus ob recens gaudium congratulabantur, sed post tot annorum curricula demortuis qui miraculum uiderant, non quidem parua, sed minor erat collachrymatio & planctus.

Gloria dei & humana.

Sepultura coniugum.

35 In omni autem spatio uitæ eius non fuit qui perturbaret Israel, & post mortem eius annis multis.

Simpliciter intelligere malo quàm ex Iosepho & aliis historicis dubiæ fidei authoribus, siquidem in multis plurimum dissidentibus, huius dicti ueritatem per historias comprobare. Fieri potest ut huius libelli finis aliquando augmentum susceperit à Iudæis uel etiam Græcis, quale & istud quoq; uidetur esse quod sequitur, & quo finis imponitur historiæ huic.

36 Dies autem uictoriæ huius festiuitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore usq; in præsentem diem.

Videtur hic uersus non à Iudæo scriptus, quando dicit hunc diem uictoriæ quo Iudith Holoferni caput abscidit, ab Hebræis acceptum in numerum sanctorum dierum, id est, festiuitatum sanctarum. De quo quandoquidem cum Iudæis nullam unquam habuerim consuetudinem, nec de ea re quicquã solicitus requisiui, quippe qui illorum synagogis cantionum suarum horis nunquam adfuerim, nõ tamen memini me apud quenquam Iudæorũ legisse quicquam de hac solennitate. Sed & in Calendario suo Monsterus noster de huiusmodi rebus solicitior, nihil de Iudith solennijs memorat, cum Hester festum adsignet. Facile ex his inducor additamentum esse hunc uersum ab aliquo Græcorum uel Latinorum, pro sua prudentia perperam additum. Quandoquidem & additi: Et colitur à Iudæis ex illo tempore usq; in præsentem diem. Expediret potius exemplo Græcorum abijci hunc ultimum uersum, ne Iudæis ipsis materiã ridendi, & hunc librum Ecclesiasticum contemnendi præberemus. Plurimi peccatum est olim à scriptoribus, qui sacris libris alicubi quædam assuisse deprehenduntur, unde facile potuit aliquando dubium oboriri de reliquis, quæ alioqui sancta & habentur solidæ ueritatis. Hoc modo libro Hester non pauca adiecta sunt à Græcis, quæ in Hebraico non habentur. Satis habuerunt solennitatum Iudæi, si eas in laudem dei & pietatis profectum celebrassent, et non interserunt & periculosum otium, unde carnis incentiua crebriùs oboriuntur, & corporis uana recreatio per symbola, comessationes, & choreas, unde & præstaret omnia eorum non pauca. Sicut & longe in hoc errore & sceleratione imò leuitate Iudæos hactenus superant Christiani, qui otium sanctis delatum uertunt in uitium, & compensationem criminum, ad quæ operarijs diebus commode peruenire non datur. Faxit deus, ut huiusmodi & maiores abusus studio pietatis quantotius auferantur, & ad uerbi dei puritatem Christiana religio reformetur & crescat, Amen.

FINIS.

COMMENTARIVM IN LIBRVM SAPIENTIAE.



SALOMONem sapientißimum regem locutũ fuisse tria millia parabolas, & carmina quinq; millia, uenisse quoque de cunctis populis sapientiæ amatores ad audiendum sapientiam eius, & de uniuersis regibus terræ, legimus 3. Reg. 4. Vnde minus dubitari posit, aulæ quoque suæ sapientes pios non ea spreuisse, sed ut margaritas pretiosissimas collegisse: unde posterius ex multis collectaneis collecti sunt libri Parabolarum, Ecclesiastes & Cantica, quæ cum huiusmodi numerum non æquent, fieri potest ut & hunc librum ex eisdem collegerit quispiam eruditus, & sapientiæ ueræ studiosus, quisquis tandem is fuerit. Ecclesiasticus is liber est, & ab omni falsitatis suspicione alienus, quamuis ob collectoris incertitudinem non habeatur de Hebraico Canone, ut ad dogmatum ecclesiasticorum assertionem adhiberi debeat, cum tamen ad morum & fidei institutionem aptißimus sit. Quia uero Græcam resipit phrasim, putauerunt ueteres quidam Philonis esse dissertißimi Iudæorum, qui tamen inter eius dem libros in ecclesiastica historia nõ numerantur. Egesippus quoq; & Irenæus Salomoni adscribunt, sententia rum ueritatem solidam potius attendentes quàm collectoris studium. Nos certius credemus diuini spiritus doctrinam esse, per quoscunq; organũ tandem scribi contigerit, & in ordinem librorum ecclesiasticorum sancta ratione assumptũ. Sapientiæ autem titulum habet, quia de origine, dignitate, fructibus, necessitate, actibus et differentijs sapientiæ tractat fusius, sed non multum exacto ordine, sicut nec Parabolarum liber ac cæteri, quod collectitius sit ex multis.

Margaritæ Salomonis

Philo Iudæus dous.

CAPVT I.

1 DIligite iustitiam qui iudicatis terram.

Iustitia diligenda.

Sapientiam docturus Salomon, à iustitia incipit diligenda, iuxta illud Ecclesiastici 3. Fili concupiscens sapientiam, serua iustitiam, & dominus præbebit eam tibi. Iustitia autem hoc loco intelligitur, qua unicuiq; quod suum est tribuitur, dum domino deo pietas & fides, proximo charitas & officiũ, sibijpsi sobrietas, modestia ac disciplina. Huiusmodi iustitia omnibus quidem necessaria est hominibus, maxime uero regibus & principibus, qui alios gubernandi gratiam & potestatem sunt assequuti. Nec tantũ habeant, sed diligant quoq;: ex animo illis placeat quicquid iustum intelligunt: quam & studiose discant prius, quandoquidem ex officio incumbit moderari subiectas plebes, & in terra habitantes, terrena sapientes, ac iuxta carnis desideria uiuere desiderantes. Qui sese regere non possunt, quibus spiritus infirmior datus est, qui imperium carnis euincere nequeunt: hi tales iudicandi sunt ac dirigendi ab his qui amant iustitiam, ut præter illam nihil placeat, iuxta quam omnia agere delectet, quamq; omnibus cupiant persuadere, ne ignorantia, negligentia uel auaritia abducantur ad iniustitiam, uel acceptione personarũ, uel timore odij, uel incommodi cuiscunq;. Huic iustitiæ adnexa est clementia atq; discretio. Quandoquidẽ iuxta Ambrosium iustitia uirtus est, quæ unicuiq; quod suũ est tribuit, alienum non uendicat, utilitatemq; propriam negligit, ut communem custodiat æquitatem.

2 Sentite de domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum:

Querendus dominus in simplicitate

Non uobis persuadeatis, ô iudices hominũ, iudicia uestra iniusta posse deum latere, multo minus placere, uel non uindicanda, optimus enim cum sit, seruos suos quos inter homines constituit, nã potestas ea à dño est, iniquos ferre nõ potest, uniuersorum scientiam habet, inique iudicata iustißime iudicabit, & uiolentiam potentũ potenter per tormenta puniet. Hoc ergo de domino non tantũ scitote, sed & sentite intra conscientiam de dño in bonitate, hoc est, digne & iuste, ne dominũ patronũ iniustitiæ credatis, sed assertorẽ studiosißimũ. Diligit enim sibi simile, & iniustitiam inferri eis qui sui sunt non patitur. Non est immuti ingenio, non æquo animo aspicit quamcunq; iniuriam admissam in proximũ, pater est orphanorum & uiduarũ, hoc est omnium indigentiũ, patrocinio dei. Hoc uos iudices cogitate frequentius, ut omnem malitiam horreatis in opere dei. Quæ dño placita sint quærite iugi meditatione & lectione uerborũ eius, & ea sola curate, in omnibus factis, illius respicite beneplacitũ: non putate quicquam posse latere deũ, omnia suo tempore in iudiciũ adducentur. In simplicitate, inquit, quærite, non sinistra intentione quicquam tentate, cordiũ ponderator est dñs, illud sibi uult simplex, integrum, promptũ & constans offerri, ut columbinus sit oculus, & iudiciũ rectum secundum dei uerbum. Illum, inquam, quærite in iudicijs uestris, eius gratiam & fauorem, non uestrũ commodum.

3 Quoniã inuenitur ab his qui non tentãt illũ: apparet aũt eis qui fidem habẽt in illũ.

Tentare dominum.

Tentant dominum, qui insyceriter agunt in commissis, qui non simpliciter attendunt quid domino placeat, sed aliud uerbis dicunt & factis agunt, aliud autem intra conscientiam cogitant, quasi illa dominũ lateat. Tentant qui malitiam suam non timent puniendam à domino, qui sine suo auxilio connituntur ad ardua, qui in pijs actionibus domini auxilium non implorant, qui temere periculis sese exponũt, qui in peccatis diutius perseuerant, qui fide firma in illum non feruntur. Ab omnibus istis dominus non inuenitur, sed qui tota ab illo fiducia pendent, & ad illius uoluntatem suspensi sunt iugiter, illis apparet dominus, accurrit fideliter inuocatus, consulit rebus dubijs, auxiliatur indigentibus, & toto sibi pectore fidentibus. Quandoquidem nihil gratius ipsi rependimus pro beneficijs, quã si fiducia in illius bonitate continuo proficimus, & de eius fauore apud nos persuasi gaudemus.

4 Peruersæ enim cogitationes separant à deo: probata aũt uirtus corripit insipiẽtes.

Si contra fidem uerborum dei, si contra diuinam uniuersalem prouidentiam, aut de iniustis iudicijs non uindicandis, deq; promißionibus dei non complendis, de non futuro iudicio uniuersali omnium hominum homo cogitet, & in conscientia sua huiusmodi uenena infidelitatis conuouerit, is subinde magis ac magis deum contemnet, uerbum ridebit, peccatis indulgebit, per contemptum transgredietur omnia mandata dei. Sic Isa. 59. Iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & deum uestrum, & peccata uestra absconderunt faciem eius à uobis. Non solum impediunt à domino obtinendo, sed auferunt fauorabilẽ.

Probata uirtus.

Probata autẽ uirtus, id est, fides operans per dilectionem, expellit insipientiam istam, quæ malitia est, & corrigit, suadendo de amore & timore diuino, quod ueram complectitur sapientiam. Probata, inquit, bene exercitata fides, & uerbo dei confirmata, aptum fit instrumentum ad corrigendũ insipientes in rebus diuinis, ad increpandum impios. Quanto autem perfectior est uirtus, tanto aptior ad docendum, arguendũ & hortandum ignaros, & fide infirmiores. Verũ certa malitia peccantes, & data opera, uix aut nunquam emendantur.

5 Quoniam in maliuolam animam nõ introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

Habitaculũ spiritus sancti.

Cui malitia placet, qui non ex errore, sed data peccat opera, quæ uerbum domini spernit, quia non credit, qui iudicium domini non formidat, sed libidini tantũ obsequitur, is sapientiam dei aspernatur, odit, nullo studio dignatur, delicijs uacat, otio resoluitur, nulli doctrinæ salubri acquiescit. Et qui inquinamentis corporalium uitiorum subijcitur, qui brutorũ more tantum sectatur corporea, fastidit diuina. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, stultitia enim est ei. Non igitur habitaculum spiritus sancti solum est anima, sed & corpus. An, inquit Paulus, nescitis quoniam membra uestra templum sunt spiritus sancti, qui in uobis est? Soli ergo mundi corde, & à uitijs alieni corporalibus, gula ac luxuria, ac spiritualibus, superbia, inuidia, auaritia, & odio, sapientiæ diuinæ capaces esse possunt. Quem enim docebit scientiam, nisi ablactatos à lacte, auulsos ab ubere? hoc est, delicijs, non assuetos & temporalium curis non immersos. Sapientia enim primum pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis. Auersatur ergo contraria illis uitia.

6 Spiritus enim sanctus disciplinę effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.

Hypocrisis deo odiosa.

Spiritus sanctus qui dator est omnis scientiæ, eruditionis ac disciplinæ, is abominatur & auersatur omnem insyncritatem, omnem hypocrisim: delectatur autem ueritate, qui est ipsa ueritas. Ideo enim sanctus est, quia iniquitatẽ odit, qualis est simulatio: imò duplex est iniquitas simulata sanctitas, dum quis impius cũ sit, uult tamen sanctus haberi: cum longe clementior deus sit ad peccatores, humiliter sua peccata confitentes. Melior est enim humilis peccator, quàm iustus de sua cupiens probitate laudari. Cogitationes quæ sunt sine intellectu propriæ fragilitatis, quibus sibi mens inflata placet, quæ malum proprium cui obnoxia est non aduertit, istæ expellunt spiritum sapientiæ et timoris domini. Quid enim timerent? quid desiderant, qui nõ intelligunt quibus careant bonis? Corripiuntur autem tales, & à spiritu tandem compunguntur, dum in peccata prolapsi sentiunt se non fuisse quod uidebantur sibi, tandem uexatione carnis & spiritus dante intellectum, restituunt animum humiliatũ sibi, qui superbus fuerat sine cognitione suiipsius. Quanto enim humilius de se anima sentit, tanto corã deo gratior fit & dignior habebitur, qui humiles respicit è uicino.

7 Benignus est enim spiritus sapientiæ, & nõ liberabit maledictũ à labijs suis: quoniã renum illius testis est deus, & cordis illius scrutator est uerus, & linguæ eius auditor.

Spiritus ille sanctus, qui ueræ sapientiæ author est & largitor, imò ipsamet sapientia, sic odit fictionẽ, ac sic diligit ueritatem, ut pro sua infinita benignitate, qua omnibus bene uult, & ueritati fauet maxime, detestetur maledicos, eos scilicet qui ad detrahendũ proximis falso propensi sunt, qui de seipsis per stultitiã bene sentientes, rigidi sunt censores aliorũ, utiq; seipsis meliorum. Ideoq; minime dißimilabit labia impiorũ maledica, sed digne puniet et traducet, hypocrisim protrahet, palamq; ostendet omnibus, longe peiorem esse illũ qui proximo maledicit quã sit is cui maledicitur. Benignor est enim dñs, quàm ut impunitum ferat promptũ ad male loquendũ de alijs, cum mandatũ quisq; habeat de seipso discutiendo & condemnando, de humiliter sentiendo de seipso, de alijs uero benigne interpretãdis uerbis & factis. Ipse enim spiritus benignus deus est, testis secretißimarũ rerum quales sunt renũ delectationes, cordis cogitationes, & linguæ elocutiones: omniũ enim absconditarũ rerum certißimus aspector dñs est, & auditor omnium sermonũ qui dicuntur in aurem. Nihil spiritui diuino ignotum est, qui pro sua benignitate quàm maxime abhorret omnẽ hypocrisim, & labia maledicti, hoc est, linguã maledicã, et hominẽ male sentientẽ de proximo, cũ de se diligentius considerato peiora confiteri cogatur, ut aliorũ erratis ignoscat merito.

8 Quoniã spiritus dñi repleuit orbẽ terrarũ, & hoc q̃d cõtinet oĩa, scientiã habet uocis.

Is spiritus dominus, qui & dñs est, omnium scrutator & conscius, sua maiestate & immensitate incircumscripta penetrat & implet omnia, cœlũ scilicet et terrã, quæ ipsius sapiẽtia et benignitate firmata sunt. Homines quoque pios, uel ut pij sint replet multiformibus donis gratiæ suæ. Alij enim per spiritũ datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij gratia sanitatũ, alij operatio uirtutũ, alij genera linguarũ, & interpretatio sermonũ, quæ oĩa operatur unus et idẽ spiritus, diuidẽs singulis prout uult. Et hoc quod omnia, idem ille spiritus, summũ bonum omnem in se perfectionẽ comprehendens, in quo ueluti in exemplari causa omnia relucent & consistunt. Is scientiam habet uocis, omnia perfecte nouit quæ per linguam proferri

proferri possunt, qui & loquendi facultatem & notitiam intelligendi omnia quæ dicuntur repente concedere potest, ut fecit Apostolis. Cauendũ igitur nobis quibus delectemur, quæ meditemur, qualia loquamur, in conspectu iudicis & magistri nostri. Magna nobis indicta est necessitas probitatis, cum omnia ante oculos agimus iudicis omnia cernentis: prope est etiam, quem pro quacunq; gratia imploremus.

9 Propter hoc qui loquit iniqua, nõ potest latere, nec præteriet illũ corripiens iudiciũ.

Quia igitur omnia implet spiritus domini domunus, ideo qui impia loqui non ueretur, nõ poterit latere in iudicio dei. Vnde ad Dauid loquitur propheta: Tu fecisti abscondite, ego uero faciam uerbum istud in conspectu omnis Israel, in cõspectu solis huius. Quomodocũq; enim in præsenti latere peccator conetur, in iudicio dei nõ occultabitur. Tũc latere erit impossibile, apparere impios intolerabile. Iudex enim iustus huiusmodi maliloquiũ dissimulare non potest, qui iudiciũ corripit, qui districte exquirit oĩa, nõ relinquet impunitũ. De oĩ uerbo otioso reddẽt homines rationẽ in die iudicij. Cuncta quoq; quæ fiunt, adducet deus in iudiciũ, siue bonũ sit siue malũ, Eccle. xi. ultimo. Impij uero cõtra sentiunt, secundũ Esaiam: Flagellum inundans quum transierit nõ ueniet super nos.

10 In cogitationibus enim impij interrogatio erit: fermonum aũt illius auditio ad deũ ueniet, ad correptionem iniquitatũ illius.

Cum uero longe occultiores sint intra animũ cogitationes hominũ, quæ tamen à domino cognoscuntur, multo minus ipsum latere possunt uerba, de quibus interrogatio erit, id est exacta examinatio, quid cogitauerit homo & quid sit locutus. Cogitatio, inquit Dauid, hominis confitebitur tibi, id est iudiciũ tuũ latere nõ poterit. Reddet illis testimoniũ propria conscientia, inuicẽ cogitationibus accusantibus ac defendentibus, in die illa, cũ dominus iudicabit occulta hominũ. Ideo dixit Iob: Quid faciã cũ surrexerit ad iudicandũ deus? &c. Sic quoq; & multo magis auditio sermonũ ad deum peruenuet, utiq; ad ultionem uel correptionẽ iniquitatũ, quam pœnitens pertimescens dicat: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Sic clamor Sodomorũ uenit ad deũ, & uox sanguinis Abel clamat ad cœlũ, ut disperdat et puniat impios. Vere autẽ sermonum illius auditio ad deum ueniet.

11 Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationũ non abscondetur.

Ex zelo immenso quẽ dominus gerit ad animas saluandas, & contra uitia, nihil negligere potest. Hinc et zelotes dicitur & fortis, hoc est animosus, qui pro obseruatione quoq; suæ legis solicitus est, ut transgressores punat, & rebelliones murmurantiũ grauiter ferat, quamũlibet nunc nesciri credantur. Nihil enim opertũ quod non reueletur, nec absconditũ quod non sciatur. Non igitur filius contra patrẽ murmuret, qui consiliũ patris scire non potest, maxime cum domini benignitatẽ in creaturas immensam experiamur, ut omnia eius circa nos opera & iudicia sancta sint, & pijs hominibus utilia, pariter & felicia, si illi nos tutos crediderimus, & bonũ cõsulerimus illius circa nos paternam prouidentiam.

12 Custodite ergo uos à murmuratione, q̃ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniã sermo obscurus in uacuũ non ibit: os aũt quod mentitur, occidit animã.

Hactenus in genere disuasit linguæ insolentiam, nũc in specie quædã explicat uitia. Et primo murmurationem, quæ est querela iunctã habens impatientiã, in his quæ æquanimiter sustinenda forent. Quæ intolerabilior est, si contra deum assumatur, qui ut solus nouit quid expediat omnibus, & nihil eorũ odit quæ condidit, sic bona consulenda nobis sunt omnia, quæ illius dispensatione circa nos aguntur, ut diuinæ uoluntati se homo conformet, cui resistere uel quod mutare nõ potest. Optimũ itaq; est pati, quod emendare non possis. Nihil murmurasse prodest contra deum, sed obest plurimũ exemplo Israelitarum in eremo, de quo Apostolus: Neq; murmurauerit is, &c. A detractione quoq; linguæ parcendum est, quæ gladius est biceps, occidens non solum animã detrahentis, sed & audientis, de qua in prouerbijs: Cum detractoribus ne commiscearis, &c. Quoniam sermo obscurus in uacuum non ibit, Sophisticus scilicet, fallax aut falsus sermo sine culpa, & sine inferenda à deo legitima uindicta non profertur, uel etiam otiosus, qui caret intentione utilitatis, aut iustæ necessitatis. Os autẽ quod intentione nocendi profertur, animam occidit, imò anima ipsa abusu linguæ seipsam occidit. Vena uitæ est os iusti, os autem impiorum operatur iniquitatem. Et qui custodit os suum & linguã suam, custodit ab angustijs animam suam, Prouer. xi. Potest quoq; intelligi sermo obscurus, qui clam & in occulto profertur contra quemcunq;: quandoquidem periculo talis non caret, ad minus timorẽ proditionis post se relinquit. Et mendacium quoq; infamat mentientem, ut ueritatis idoneus testis non habeatur.

Vitia linguæ.

13 Nolite zelare mortem in errore uitæ uestræ, neque acquiratis perditionẽ in operibus manuum uestrarum.

Nolite sic uiuere insolenter, errando à uia iustitiæ & mandatorum dei irritando creatorẽ, et uitam criminibus conspurcando, ut mortem mereamini, non solũ animæ, sed & corporis. Sicut enim per mandatorũ dei obseruantiam uita acquiritur, sic in præuaricatione mors. Expedit magis ueritatem sectari doctrinæ & morũ, qua uita paratur æterna. Errant qui operantur malum, & est à deo aliena uia hominis peruersi. Stipendium quoq; peccati mors est. Et Oseæ xiii. Perditio tua ex te est, &c. in manibus ergo nostris est operari mala, quæ cum dei gratia uitare possumus, ut in fauore domini per fidem & obedientiam ambulantes æternæ uitæ præmia assequamur.

14 Quoniam deus mortem nõ fecit, nec lætatur in perditione uiuorum.

Nunquid uoluntatis meæ est mors impij, & non magis ut conuertatur ac uiuat? Quanquã uero mortem dominus ordinauit, & peccati pœnam instituerit, non tamẽ eam per se intendit, sed uult esse semitam iterq; salutis et uitæ. Peccatum quoq;, necessariã causam mortis dominus non fecit, sed prohibuit: uult enim omnes homines saluos

Bonitas domini ad hominis salutem.

fieri, neminemq; perire. Nihil enim ad hominis salutem perpetuam cõmodum uel expediens obmisit, strauit uiam illi ad uitam, legibus & doctrinis, gratia & mediatore Christo, rationem & conscientiam iusti ac probi indidit, ut post hac nemo nisi sua culpa perire possit. Gaudet in salute piorum, perditionem autem uiuorum prohibuit, unde & homicidium tam graui mulcta punuit. Hominem ab initio condidit, qui per obedientiam semper uiuere debuisset, qui sua culpa mortem incidit, & prolem secũ in mortẽ adduxit. Statim aũt dolentibus et confusis, uitæ authorem Christũ promisit, et in tempore exhibuit.

15 Creauit enim, ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.

Omnũ quæ in mundo sunt & ipsius mundi creator est dominus, quæ sicut uerbi sui uirtute fecit, sic et cõseruat in esse, sic actionum quoq; singulis rebus uires ministrat et actionẽ conseruat, sine quo nihil sunt nec possunt. Quanquã mors in mundũ introierit cum peccato, quanquã calamitatibus multis homines premantur, & in maligno mundus positus sit propter peccatum primorũ parentũ, & corruptionẽ institutæ naturæ, non tamen destituit mundum deus et homines remedio, sed sanitatis media constituit animabus, legem suam & doctrinas, Christi gratiã & indulgentiã, medicamina spiritualia gratiarum multiformium. Sic et corporibus è terra creauit medelas omniphariã, & medicũ ipsum creauit altissimus, cui ingenium applicandi naturalia largitus est, ut licet malũ nõ sit in mundo quod nõ fecerit dominus, sic nec medicina deest quibuscũq; malis, si tantum sapientia non negligatur, qua dominus colitur, & creaturæ legitimo usui applicentur. Non quidem corruptelis cæteris remedium deest, sed exterminiũ mortis in hoc mundo aut medicamentũ nullum inuenitur: mors enim cõmunis est omnibus generatis ad uitam, nec medela quacũq; præueniri potest, uel ne tandẽ obtineat impediri. Nec regnum inferorum dæmonũ scilicet, qui in infimis partibus mundi habitant regnum obtinent in terrestres creaturas, quæ omnes nutui creatoris subiacent, in cuius potentia obedientiali sunt omnia, ut inferorũ potestates quoq; plenæ illius uoluntati subiectæ sint, ut famuli suo domino, ut nõ quod pro iniqua uoluntate cupiunt prosequantur, sed quod regulæ totius iustitiæ, quæ diuina est omnipotentis uoluntas et immutabilis quadrat & conformatur. Hæc quoq; inferorum potestas non è terra est, sed ex cœlo & super cœlesti sapientia, ac bonitate qua omnia gubernantur sanctissimo ordine.

Medicina mundi Christus.

16 Iustitia enim perpetua est, & immortalis: iniustitia autem, mortis est acquisitio.

Iustitia uera non est aliud quàm immutabilis & sacro sancta summi dei & optimi uoluntas & beneplacitum, ideoq; & perpetua est, & destrui non potest, quin & hominũ & angelorũ iustitia, est conformitas uoluntatis eorum ad dei beneplacitũ, ut nõ aliter uelint & operentur, quàm prout dominus eos uult uelle & agere. Vult autẽ, ut toti ex illo pendeãt, illius se per omnia uolũtati submittant, & ad hoc spontaneã ipsius gratiã optent ac precentur, quã certo largitur. Si uero in huiusmodi iustitia perseuerare nõ detur, sed contingat in multis homines offendere cunctos, saltem gratiam & clementiam dei optent humiliter, & in fide orantes indulgentiam per mediatorem dei & hominum, denuo iustificabuntur, ut non imputetur illis peccatũ ad mortem, sed humilitas ac fides ad ueram iustitiam acceptetur. Contrario intelligitur quid sit iniustitia, rebellare deo, nolle obedire mãdatis, uoluntatem domini contemnere, beneplacito dei aduersari & non conformari, cuius iniustitiæ præmium mors est, non præsentis uitæ ademptio tantũ, sed & æternæ beatitudinis, quæ habetur à deo. Stipendiũ enim peccati mors, peccatum autem est infidelitas & iniustitia.

Iustitia quid.

17 Impij autem manibus & uerbis accersierunt illã: & æstimantes illam amicã, defluxerũt, & sponsiones posuerũt ad illã: quoniã morte digni sunt q sunt ex parte illius.

Impij autẽ per infidelitatẽ in animo factis et operibus manuum, atq; uerbis mendacibus & falsis blasphemisq; iniustitiã sibijpsis accersunt, & per iniustitiã ipsam certissimã mortẽ. Nolunt enim acquiescere deo, corde uerbis et factis domino aduersantur, ideo dignam factis perfidiæq; mercedem reportant. Quotquot uero iniustitiam, hoc est inobedientiã mandatorũ dei elegerũt, & non tantum non oderunt, sed ut amicã & charam assumpserũt, ut primi parentes, & quot ex eis filij iræ nascuntur, ut diligant iniustitiã, illi subsistere in suo statu non possunt, sed continuo defluunt, concidũt, pereunt, & fiunt sibijpsis subinde peiores, donec deueniant in dei contemptũ, & despondeãt animũ ad omnes iniquitates, à timore dei prorsus excidentes: unde & morte sempiterna digni fiunt, qui uitam in deo non magnifaciunt, qui uitæ sortem respuunt, qui se creatori non gratos reddunt, & domino non obsequuntur, hi sunt ex parte mortis, cuius digni sunt, ad quam damnati, quam in æternum perferent.

CAPVT II.

1 Dixerunt enim impij cogitantes apud se non recte:

Consequẽter ad iam dicta de impiorum iniustitia in factis ac uerbis, nunc erroneas quasdam impiorũ opiniones describit et argumenta, quibus ad impiam suam uitã permouentur, ut etiã fœdus & sponsionem cum morte statuerint, et toti desperati de sectanda iustitia, & præmio iustitiæ assequendo, intra conscientias suas se persuaserint, & stultitia aliqua permoti audeant ea nonnunquam apud sui similes effutire, & impias suas cogitationes prodere, timorem dei prorsus abijcere, & nullam uerbo dei fidem habere, sed nec de eum quoq; credere: quod si credant, tamen in supernis ipsum habitare, nihil cogitare nostra, nullã esse decretam mercedem pijs, nec uindictam omnibus uirtutũ desertoribus. Sed credunt post hanc uitam corpoream, nullam restare uitam animæ, bestiarũ instar morituros se, simul in anima & corpore, ut sic immortalitatẽ animæ non credant, ut omnia non recte sentiant, & pernicioſius eloquantur, quod à pijs æquanimiter audiri non possit, nec à pio magistratu debeat impunũ ferri, quod corrũpant huiusmodi gen-

di gentilium uerba mala, bonos fideliũ animos & mores.

2 Exiguum & cum tædio est tempus uitæ nostræ, & nõ est refrigerium in fine hominis, & nõ est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam si non fuerimus:

Verum hoc quidem loquuntur, ut solent falsis misceri ueræ doctrinæ, & ueneno dulce aliquod prægustandum propinatur, Vt sæpe ueneficium solet inter dulcia poni, Vt lateat uicium proximitate boni. Exiguum, inquiunt, & cum tædio est tempus uitæ nostræ. Sicut & Iob loquitur: Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs. Et Iacob Pharaoni dicebat: Dies peregrinationis meæ pauci & mali. Hoc uero non sic impij intelligunt ut pij, quando et Paulus dicebat: Grauati sumus super uirtutẽ, ita ut tæderet nos uiuere. Sed ad hunc sensum: Cum breue sit hoc tempus, expedit ut illud cum oblectamentis et gaudio quantum fieri potest exigamus, si enim tardauerimus, infeliciores erimus. Et cum alioqui tædia multa accidant, consultius erit, ut nobis asciscamus corporis qualescunq; delitias, ut si diu uiuere non possumus, saltem tantundem temporis quod conceditur, in concupiscentiarũ experientijs transigamus. Deinde addunt, nullum homini superesse post hanc uitam refrigerium. Hoc uero ut plane impij, mentiuntur, cum Ieremias dicat: Si in uia bona ambulaueritis, inuenietis refrigerium animabus uestris, &c. Et Daniel: Multi de his qui dormiũt in puluere terræ euigilabunt, alij in uitam æternã, alij in opprobrium sempiternum. Et Lazarus in hac uita miser, in sinu Abrahæ consolatur: & in euangelijs multa ad hanc sententiam. Sic quoq; impij loquuntur. Nulla est sperandæ resurrectio mortuorum. Non est enim qui agnitus sit reuersus ab inferis, ideoq; nullus alibi locus erit uel consolationis uel pœnæ. Ex nihilo quidẽ uere dicunt se natos, communi modo loquendi, qui de immundo & modico semine secundum corpus, sed & per creationem animæ de nihilo producti sunt per deum, qui rex est spirituum. Secundum quam quidem animã perpetue durat homo, diuinaq; uirtute & promissione resuscitando corpori reunietur, prout Iob dixit, et Christus promisit, nullusq; sanctorum unquam de eo dubitauit, sed ut communem articulum uniuersalis fidei, sapientes omnes credide runt. Impij uero & Athei qui nil nisi corporea credunt, & quæ sentiunt tantũ sibi persuadere sinunt, hi dicunt: Olim ut nihil fuimus, sic post mortis resolutionem statim in nihilum redigemur, & erimus tunc ac si prorsus nunquam fuerimus, nõ secus atq; quæcunq; bestia alia. Quibus ut principia scientiæ salutaris & catholicæ doctrinæ negantibus, nihil est respondendum, sed domino deo suo cõmittendi, qui illũ falsitatis arguere nõ timẽtes, ueritatem experientur in pœnis, et abiecti sunt à facie domini.

3 Quoniam fumus afflatus est in naribus nostris, & sermo scintillæ ad commouendum cor nostrum:

Hæc est sic loquentium impiorum sententia. Vita nostra, inquiunt, aliud non est, sicut & secundum Heraclitum, quàm aer quidam, flatus aut fumus, qui inspiratione & respiratione uitam dat corpori, & est ipsa uita, quæ si cesset continuo mors est. Sermo scintillæ Hebraismus est, quasi dicatur: Vita nostra aliud non est, nisi paruum aliquod negotium, & res parua, scintillæ in morem, hoc est naturalis quidam & modicus calor, ueluti scintillæ, cuius uirtute mouet se cor, & motum influit membris omnibus per uitales spiritus. Est enim cor fons ipse caloris, primum uiuens & ultimo moriens.

4 Quia extinctus cinis erit corpus nostrũ, et spiritus diffundetur tanquam mollis aer, & transibit uita nostra tanquã uestigiũ nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radijs solis, et à calore illius aggrauata:

Aliam de corpore nostro fiduciã aut spem nullam habemus, inquiunt impij, cum aliud non sit futurũ unquam, quàm ut cinis extinctus, nunquã resurrecturus ad uitam. Ideoq; hic nostri ipsius cura habenda, non enim tunc licebit, non aliter quàm bestiæ cuiuscunq; cadauer, quod eo nobis felicius habetur, quia cibus fit hominum. De anima uero hominis nihil aliud credimus, quotquot uerbo domini fidem nõ habemus, & deum ignoramus, quàm ut spiritus sit, qui collapso corpore & mortuo, diffundatur in mundum, ueluti mollis aer, & sicut nebula aliquandiu durans, donec à uento dispersa euanescat, & nusquam appareat, uel à radijs solis dispulsa, aut calore solis annihilata, ut superesse nihil æstimetur.

5 Et nomen nostrũ obliuionẽ accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum.

Quantumlibet ex genere factis, dictis, et fama nomen glorioſum multis laboribus assecuti uideamur, & nobiles facti in hominibus, omnis tamẽ ille conatus & honor. nomen quoq; & merita, secundum lapsum temporis aliquando profundam obliuionem incident, nemoq; hominum uiuentium in terra, operum nostrorum memoriam conseruabit. Ideoq; non est nobis à uoluptate carnis abstinendum: sicut nec timore pœnarum post hanc uitam, nec amore præmiorum, quæ non credimus, sic nec timore infamiæ cuiuscunq; uel laudis respectu, cito enim peribit nostri memoria ab hominibus post mortem.

6 Vmbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostrit quoniam consignata est, & nemo reuertitur.

Tempus uitæ humanæ ut umbra transit, & in eodem statu non magis manet, quàm sol ipse continuo motus, cumq; maxima esse uidetur umbra, subito fit nihil. Sic transit continuo uita nostra, & proximior fit morti, nec unquam quiescit uel tardatur cursus iste, donec tandem omnino euanescat per mortem ut nihil supersit, quemadmodum in libro Præteritorum: Dies nostri quasi umbra super terram, & nulla est mora. Non est reuersio finis nostri, post uitæ finem non est quispiam reuersus, non tunc iterum uiuere incipiemus, non redibimus in hunc mundum, sicut nec unquam in præteritis sæculis fuimus, unde & sepulchra molibus lapidum prægrauantur, ne quis denuo reditum sibi audeat polliceri. Reuersio ista

per clausurã impediri significatur, ne quis speret aliquando ex hominibus reuersurũ, uel post longissima tempora. Intelligi quoq; potest consignatam esse uitam ipsam morituro rum, hoc est sub certo termino signata, quo durata sit & nõ diutius. Est enim à domino constituta certa periodus, quam nemo præterire potest.

7 Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter.

Conuersatio impiorum.

Impiissimorum hominum errore descripto, nunc qualis inde conuersatio & uita sequatur, describit sapiens. Quales enim homines habent opiniones, tales & sectantur actiones, eligunt enim quod intelligunt. Quid enim sic sentientibus aliud in mentem ueniat, quid magis placeat, quàm ut non perquirantur in præsenti uita nisi carnis delitiæ, & desiderabilia quæ in hoc mundo contingere quis possit? Venite inquiunt, mundum colentes non dominum, uenite fruamur bonis huius temporis, quæ consequi quomodocunq; possumus per fas & nefas, nulla enim alia nos uita manet post istam. Fama honestatis citissime nobis peribit, nulla pœna post hanc uitam afficiemur, non enim erimus. Si tantum in hac uita declinare possimus uerbera et plagas, ne nobis uoluptas intercipiatur à rigidioribus disciplinæ exactoribus. Bonis quæ nũc ad manum sunt fruamur, de futuris nihil soliciti. Vtamur creatura omni ad nostram uoluptatẽ, idq; sine mora, ne temporis prætereat iuuentutis, ne si nunc fraudamur delitijs, dum frui licet, olim illis potiri ad uoluptatem non possimus. Hæc carnalium sententia est, & carnis consilium, uerbo dei non credentium.

8 Vino pretioso, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.

Ebrietas impiorum.

Non quolibet uino ad sitim tantũ extinguendum apto utamur, sed ad irritandũ gulam, ad exhilarandũ animum, ad æquales potus, ad libidinem gustus, optimo uino ingurgitemur, ad oblectamenta, non ad usum simplicem, sed ut nos impleamus, nihilq; parcamus: nulla nobis cura de pauperibus infirmis uel indigentibus reliquis sitientibus, de quibus nihil ad nos, nos nobis consulamus, quicquid de reliquis agatur. Vnguentis quoq; foris ad luxum carnis & odoris ad refrigerium exterius utamur, ut uinum interiora oblectat, ut luxuriã sectemur intus ac foris. Non prætereat nos flos temporis, optimum uitæ nostræ tempus, quæ uoluptati accomoda est, non nobis sine iucunditate depereat, non pœniteat nos alicuius neglectæ uoluptatis, quam in tempore commode assequi potuimus: toti potius effundamur ad oblectamenta uitæ præsentis, quando futuram nullam quærimus. Quicquid quolibet tempore iucundũ est, hoc studiose cõplectamur, ne excidamus ab aliqua uoluptate, quæ in tẽpore haberi possit.

9 Coronemus nos rosis, antequã marcescant, nullum pratũ sit quod non pertranseat luxuria nostra.

Nullum oblectamenti genus negligamus, semper iucundi & hilares appareamus, & alios ad gaudium incitemus, diligamus & diligamur, complacere studeamus mulierculis, ornemus nos rosis, & cæteris corporum ornamentis, delitijs carnalibus fruamur in iuuentute antequam destituamur illarũ fructu, dum possumus libidinemur, nõ differamus in senium, sed mature inchoemus gaudium, ne si in senium distulerimus tardius, nõ nisi grauamina nos apprehendant. Nullũ quoq; locum obmittamus amœnum, in quo non exerceamus oblectamenti aliquid, in locis uirentibus & amœnis exerceamus libidinem nostram. Ipsa enim locorum amœnitas uoluptatem promouet, & adauget luxum omnis generis.

10 Nemo uestrum exors sit luxuriæ nostræ: ubiq; relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.

Luxu nostro consolentur & alliciantur quicunq; æstimatores huius mundi: socios se nobis præbeant, qui gaudium cupiunt & bonos dies, qui deum non timent, nec de proximi cõmodo anxij sunt, sed qui suauiter uitã suã instituere malunt, quàm continuis disciplinis constringi ad ea quæ sunt contraria carni & sanguini. Exemplũ potius esse cupimus eorũ, qui absq; timore uiuunt, & luxui sectantur quoad possunt. Vbiq; relinquamus post nos signa lætitiæ. Sic enim sobrie loquũtur, lætitiã nominantes cum reuera uoluptatem inconditamq; libidinẽ intendãt, ebrietatem, comnessationes, stupra, adulteria, clamores, lusus, turpes cantilenas, choreas, et omne genus leuitatis, sine aliqua solicitudine honestatis & pietatis, quæ nihil momenti habet apud huiusmodi luxuriosos, id est omnis generis luxui deditos. Hanc illi sibi sortẽ statuerunt, unum cum id uolunt, ut luxui seruiat tota illorum uita, et ut multos sibi consentaneos iungant, omni timore dei postposito, relegata omni cura futuræ uitæ, quã prorsus non credunt. Talis est autem contio & prædicatio impiorum, qui & auditorium amplum consequuntur, & studiosos discipulos habent, prompte in talibus proficientes, cum prædicatores uerbi dei, Christus dominus, & Moses longe alia docentes, paucos & tardos inueniant discipulos. Vocant enim isti ad planctum, luctum, pœnitentiam. Et Prouer. 23. Noli esse in conuiuijs potatorum, &c. Sic Ecclesiastes 7. Melius est ire ad domum luctus &c. Esaiæ 24. Cessauit gaudium &c. Amos 6. Væ qui opulenti estis &c. Væ qui dormitis in lectis eburneis &c.

11 Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus uiduæ, nec ueterani reuereamur canos multi temporis.

Carnales isti homines uitijs & perfidia in deum excæcati, nullum iniquum abhorrent, tantum ut suam explere ant uoluptatem: præcipue uero odiũt eos, qui absterrere conantur ab impietate, hos pro omni uirili persequuntur, mutuumq; sese iuuant, qui huiusmodi sunt, ut dicant ac faciant: Opprimamus per fas & nefas eos qui nobis dissentiũt et aduersantur, quales sunt pauperes, ideoq; molesti & iusti timentes deũ et pœnas quod nõ oportet, illis pro uoto dominemur et abutamur ad nostram libidinem. Quia nõ potest quia pauper, uel nõ optat quia iustus, nobis resistere, illorũ nobis possessiones rapiamus, eorũ mobilia destitia abutamur, cogamus ad nostra mandata faciendã, adimamus libertatem, redigamus in famulos atq; subditos. Nec uiduis parcamus, sed bouem auferamus illi pro pignore

pignore, asinumq; pupillorum abigamus, non enim habent tutores ac uindices, miserabiles sunt personæ, nemo illas uolet uindicare de illata iniuria, non enim habent amicos cum sint pauperes, & solatio amicorum destitutæ, dominum adiutorem se habere iactant, sed is super cardines cœli habitat, non illa considerat. Nulla nobis reuerentia sit ad ueteranos, quibus studia nostra non placent. Canos multi temporis contemnamus, sapiunt enim sibi, non nobis. Assumamus nobis socios, quos similia delectãt, qui non coarguant, quos timere non cogamur.

12 Sit autẽ fortitudo nostra, lex iniustitiæ: quod enim infirmũ est, inutile inuenitur.

Viribus & imperio nostro utamur pro iustitia, nihil, nobis & iustitiæ publicæ, priuatis potius nostris commodis consulamus, sit nobis pro iure uel ratione uoluntas, infelicior nobiscum habeatur qui est impotentior, nullis legibus astringamur humanis uel diuinis, sed lex studiorum nostrorum sit libido, totum hoc nobis liceat quod libet, id est tyramos agamus, & subijciamus nobis quos possumus. Quamlibet illicitum aliquid habeatur, tamen nobis iustitia sit, si placeat, & iucundum esse posit uel utile. Nullam enim nos iustitiam appretiamur, sed libidinem sectamur, & uires obtinendi quod uolumus. Nihil turpius ducimus quàm alicui cessisse, succubuisse, ferre dominium: beatũ uero reputamus dominari ac præualere. Contrarium uero loquitur uerbum dei, infirma mundi dominus eligit, ut confundat fortia, multoq; salubrius est iniurias pati quàm inferre. Sed hæc nõ audiunt impij, sed dicunt potius:

13 Circumueniamus ergo iustum, quoniã inutilis est nobis, & cõtrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinę nostrę.

Et hæc quoq; quæ sequuntur de impijs exponenda sunt, secundum præcedentia, qui omnibus modis pios persequuntur donec euincant, & si dominus permittat occidant. Non alia ratione quàm quia pij sunt, & pietatem multis persuasam cupiunt, quam ex animo odiunt impij, ideoq; omnibus modis instant persequi iustos, & non desinere donec morte si posint turpissima condemnent, ut liberi ab omni correptione, libidinu uacent, & non audire cogantur meliora monentes. Cum itaq; iustorum omnium rex caput & exemplar sit Christus dominus, in uita, passione & morte, ideo non indigne exponitur de capite, quod dictum est de membris. Longeq; uiuacius & expressius omnia hæc pessima studia Iudæi impij exercuerunt in Christum, quàm aliquis alius damnatissimus honestatis negator unquam admisit, in quemcunq; pium & dei amicum. Facile est ergo consequenter prædictis hæc de omnibus impijs interpretari iuxta intentionem literalem, qui aliter nec loquuntur nec agunt. Sed æque expeditũ est id quoq; per propriam certissimamq; Allegoriam intelligere, expletũ totũ esse ab impijs Iudæis circa regem iustitiæ omniumq; iustorum. Circumueniamus ergo dolis & uiribus nostris, soliditateq; nostra infirmitatis iustum, qui id ratione, iustitia, iureq; non possumus.

Non refert qua ratione, sed tantũ ut circumueniatur innocens et iustus, ut ipsum fallamus si fieri posit, uel mendacijs obruamus eum, qui iustus habetur & bonus, authoritatem habens inter homines tantum, ut æquo ueritatis marte cum illo contendentes, ipsum superare non possimus. More ergo nostro agendum, ut qui iuste nihil possumus obtinere, dolis & circumuentionibus tentemus. Est enim non nobis tantum inutilis, quando nihil iuuat uel probat eorum quæ molimur, societatem nostram nõ tantum auersatur sed etiam impugnat, & contrarius est nobis: nos enim negatores uerbi dei, libidinosi, crudeles, luxum & quæstum sectantes, superbi, & amari: ille uero totus intentus est prædicandæ & propugnandæ ueritati, pro qua ueritate paratus est extrema subire & pati. Castitatis & pietatis zelator integerrimus est, totus est benignitas & clementia. Luxum omnibus auersatur modis, ieiunio oratione et disciplinis corpus castigans. Paupertatis amator, ut non habeat ubi caput reclinet. Humilitatis studiosus, ut uilis haberi uelit, esse humilitatis extremæ exemplar. Auaritiam insectatur sacerdotum, & scribarum quàm maxime. Nec tantum operibus aduersatur, sed etiam publice accusat ac traducit mores & malitiam nostram, & transgressiones diuinæ legis improperat audacter & strennue. Diffamat nos quoq;, quod disciplinam nostram, quam seruandam suscepimus, & religionem quã iactamus, minime obseruemus, sed hypocriseos nos accusat, & quæstum obijcit, ac impostoras nostras, quibus populum decipimus, non tacet.

Piorum mores impijs aduersi.

14 Promittit se scientiam dei habere, & filium dei se nominat.

Iactat uerbum dei se scire, & sequi, ad quod homines uiuere obligentur, alioqui in hac uita impios, & post hanc uitam perpetuo damnandos ad pœnas esse. Quam dei scientiam nec credimus nec suscipimus, sed falsum existimamus, quia contrarium est omnibus studijs nostris. Filium quoq; dei se nominat, id quod Christus dixit et egit. Et fideles omnes sperantes in dominum sibijpsis promittunt, ut domino deo suo non aliter curæ sint, quàm unicus filius sit indulgentissimo patri. Sunt enim omnes fideles & pij, ueri filij dei per adoptionem, ut ex animo & fide clament, Abba pater. Christus uero unigenitus ab æterno per naturam, & unicus natus ante omnia sæcula, deus de deo, lumen de lumine, consubstantialis patri, per quem omnia facta sunt.

Christus & pij omnes.

15 Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.

Non tantum facta nostra damnat & uerba, sed cogitationes quoq; nostras protrahit, accusat ac damnat, ut nos confundat, tam coram conscientijs nostris quàm coram audientibus & attendentibus. Dispicit ex facie & oculis quid malarum cogitationum alamus in animo. Conatus nostros interpellare & impedire studet assidue, ad uersatur omnibus studijs nostris. Et Christus quoq; sciebat quid esset in homine, nemine reuelante.

16 Grauis est nobis etiam ad uidendũ, quoniam dissimilis est alijs uita illius, & immutatæ sunt uiæ eius.

Tanto ſtomacho odimus contrarium nobis in omnibus iuſtum, & iuſtorum omnium caput, iuſtitiæ authorem Chriſtum nos Iudæi, ut æquis illũ oculis dedignemur aſpicere. Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes, Pectora felle uirent, lingua eſt ſuffuſa ueneno. Nihil ardentius quàm ſublatum in crucem deſideramus. Tolle aiunt, tolle eum. Singularem uitæ tramitem ſeruat, omnibus aliis diſſimilis eſt, facto ſuo oſtendit ſe nobis minime conſentaneum. Longe diſcrepant uiæ eius à uijs noſtris. Vt igitur ſimilitudo conciliat, ſic diſſimilitudo morum trahit in odium. Alia litera habet, In ueritate ſunt, hoc eſt irreprehenſibiles ſunt uiæ eius. Chriſtus enim peccatum non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius. Eſt enim uita ueritas & uita, qualia odiunt, perſequuntur, & exterminant, ſi poſſint omnes impij: nullis amici niſi ſibi ſimilibus, nequam & friuolis nebulonibus.

17 **Tanquã nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à uijs noſtris tanquam ab immunditijs, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur patrem ſe habere deum.**

De Chriſto domino iuſtorum exemplari facile eſt totum exponere, qui Iudæis dixit: Vos ex patre diabolo eſtis, qui mendax eſt ab initio. Si dixero me ignorare deum patrem meum, ero ſimilis uobis mendax. Redarguit hypocriticas traditiones patrum, auaritiam ubiq; ſacerdotum inclamat, expellit flagello de templo, & ſubuertit menſas numulariorum, & cathedras uendentium columbas, tanquam pollutiones templi: prædicit nobis ciuitatis & templi noſtri ruinam, & male malos perdendos, ſe uero & diſcipulos iudicaturos in duodecim ſedibus, duodecim tribus Iſrael. Nec minus uero queruntur impij ſeſe nugaces æſtimari à pijs, quandoquidẽ contrarij ſunt uerbo dei, & ueritatem odiunt, quia eligunt caduca, & probant præponuntq; præſentia futuris, temporalia æternis, corporalia ſpiritualibus, uitia uirtutibus. Sed & ſanctus per dei gratiam abſtinet ſe pro omni uirili ab omnibus immunditijs impiorum, abominatur improbas uias, hunc mundum colentium, & ſua tantum iuxta carnem quærentium, ſine omni timore dei uiuentium, præfertq; felicitatis pondus in ſupernis, momentaneis rerum temporalium uel damnis uel delitijs. Theſaurũ ſuum reposuit in cœlos, ubi nulla illum tinea arrodit, paratus uitam & terrena omnia perdere, potius quàm amore dei deſtitui, & illius gratia in præſenti uita & gloria in futura. Sine etiã cunctatione credit patrem ſe habere in cœlo, omnia ſua ordinantem, ſine cuius nutu nihil contingat, quem iugiter inuocat, dicens, pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum &c. Hos tales ac illorum ſtudia ſacroſancta impij ſemper deteſtantur ac perſequuntur, etiam ſi per uires liceat ad mortem. Id enim Iudæi quoq; in Chriſtum admiſerunt, & dæmones non quieſcunt, omnesq; qui ſunt ex ipſo, ſed omnia gratis. Chriſtus enim reſurgit ex mortuis, & ſancti quoq; cum illo reſurgent.

Chriſtus cõtra impios.

18 **Videamus ergo ſi ſermones illius ueri ſint & tentemus quæ uentura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt nouiſſima illius.**

Quomodo hæc Chriſto domino fecerint impij Iudæi, facile ex litera intelligitur, ad Euangelicam hiſtoriam collata. Collegerunt enim Phariſæi concilium, cum uidiſſent feciſſe cum ſigna multa. Et quia ſe filium dei dixerat, experimentum capere uoluerunt, ſuſpendentes in crucem, dicentes: Si rex Iſrael eſt, uel ſi hic eſt Chriſtus dei electus, deſcendat nunc de cruce, et credimus ei. Sic multis ſanctis uiris ueteris & noui teſtamenti ab impijs illata ſunt aduerſa propter odium pietatis, ut Dauidi, Eſaiæ, Ieremiæ, Machabeis, apoſtolis in Actis, ſimiliter & martyribus: ut experimentum iniqui ſumerent de prouidentia dei circa ſanctos, ſi uerbum domini quod teſtabantur uerum eſſet, ſi de rerum cœleſtium fide loquentes non fallerentur, ideoq; terroribus, uerberibus, perſecutionibus, & ipſa morte experimentum ſumpſerunt de ea, quæ in ſanctis erat fide & ſpe: cupiebantq; ſcire, ſi propter eos dominus miraculum aliquod faceret, & ſi firma eſſet expectatio futurorum bonorum, in illis qui doctrinam fidei profitebantur. Sic ergo impij loquuntur ad ſeſe de fide & ſancto. Multa nobis de deo loquitur, & uita beata, pro qua hæc corporalia relinquenda ſint. Experimentum ſumamus, ſi uere loquatur, & per aduerſitates illi inſtantes tentemus, quid illi eueniat tantopere in deum ſperanti, & uideamus ſi ſit in inſtituto ſuo perſeueraturus, ſi aliquod deus miraculũ ad illius ſalutem uel prædicationem confirmandam ſit operaturus.

19 **Si enim eſt uerus filius dei, ſuſcipiet illũ, & liberabit illum de manu contrariorum.**

Ad literam uerba Iudæorum ſunt, Chriſtum crucifigentium, dicebant enim: Si uerus filius dei eſt, non permittet eum pater occidi, ſed Heliam mittet, qui eum liberet de manibus noſtris. Quod ubi contigerit, ſcimus uere eum filium dei eſſe. Reuera autem pater illum ſuſcepit, reſuſcitando ex mortuis, & aſſumendo in cœlum, collocansq; in dextram ſuam. Sicq; liberauit de Iudæorum manibus, ut ſanguinem eius requiſierit de filijs filiorum ipſorum, uſq; in præſentem diem. Sed & uidentes mirabilia in morte Chriſti facta, in cœlo & terra, compuncti ſunt, & confeſſi uere dei filium hunc eſſe. Sic quoq; ſemper impij deum tentant in ſanctis ſuis, cupiuntq; experiri opinionis ſuæ ueritatem, de negata uita futuri ſeculi, ſi pro uerbo dei mortui non liberentur per miraculum a domino, ſi non ſuſcipiat uiſibiliter, ſi de ſuis manibus non liberat eos. Tunc enim uane ſperaſſe eos credunt & lætant, unde aiunt:

20 **Contumelia, & tormẽto interrogemus eum, ut ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius.**

Contumelijs & tormentis atrociſſimis perſcrutati ſunt impij Iudæi & ueritatis ac fidei perſecutores tyranni Chriſtum & membra eius ſanctos ueteris & noui teſtamenti, ut explorarent quali reuerentia digni eſſent, quãto fauore deus illos proſequeretur, ſi aliquod pro eis portentum fieret, & ſi uere ex animo crederent ſe deo, pro cuius amore tanta ferrent patiẽter. Hæc enim cupiebant ſcire, ſed ſola curioſitate, ſicut & Herodes: ſed digni non habiti ſunt, quin mirabilia uidentes, non acce-

perunt

perunt gratiã attendendi et glorificandi nomen domini.

21 **Morte turpissima condemnemus eum, erit enim ei respectus ex sermonib⁹ illius.**

ors sanrum.

Quæ turpior mors Christo domino contingere potuit quàm inter latrones latronum more & iudicio crucifigi? Et quam compassionem tyranni habuerunt Antiochus, Herodes, & Romani Cæsares & præsides cum sanctis martyribus, pro sola iustitia ueritatéq; fidei in unum deum morientium? De quibus Paulus Apostolus ad Hebræos: Alij ludibria & uerbera experti, insuper & uincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, &c. Quibus, inquit, dignus non erat mundus. Et de Christi morte dicitur: Male dictus qui pendet in ligno. Concludunt autem: Ex uerbis eius & actis posterioribus conspiciemus & perpendemus quid habeat ueritas: si enim extinguere illum poterimus, patebit falso iactasse se quod filius dei sit, uel in dominum deum sperauerit, à quo sit derelictus.

22 **Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum.**

Tam impij erroris & malitiæ in deum & homines causam tandem Salomon addit: Hæc, inquit, omnia dixerunt & fecerunt crudelissimi homicidæ & impij tyranni, uoluntarie & per contemptũ crasséq; errantes, quia excæcauerat eos malitia eorum. Non enim solum non desiderant scire, sed magis desiderant nescire. Cuius tanti mali causam præstant improbæ uoluptates, iniustitiæ, & affectus ad criminosam uitam, qualis fuit & causa ignorantiæ ludaicæ in morte Christi. Excæcauit eos malitia eorum, contemptus enim sciendi, & uoluntas impie uiuendi, & non credere domino gratiam uel iustitiam, tales necessario impietatis fructus proferunt.

rorum uiæ.

23 **Et nescierunt sacramenta dei, neq; mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum.**

Quomodo ij tales impij capaces essent sacramentorum dei & consiliorum suorum, quæ habet de suis electis? Quomodo in tam maliuolam animam ingredi posset sapientia dei, uel de medijs redimendi genus humanum, uel de beatitudine sanctorum, quam reposuit dominus amicis suis & diligentibus se? Merito ergo Iudæi in hanc quam tandiu ferunt, ignorantiam scripturæ incidunt, ut prophetarum promissis toti exciderint. Quandoquidem sola terrena amantes, nullas dei promissiones magnifaciunt, quàm si temporaliter illis implendas crederent, de cœlestibus & spiritualibus nihil curantes nec à deo postulantes. Nec mercedem aliquam isti impij sperant iustæ conuersationis suæ: non enim deum credunt remuneratorem bonorum, nec impietatis & criminum uindicatorem, ideo à nullo malo abhorrent. Quorum impietatem etiam Plato damnat, docens conseruatores iustitiæ immortaliter præmiandos, & transgressores similiter puniendos. Nec iudicauerunt aliquẽ restare honorem sanctis animabus in sæculo animarum, quale nullum credunt: nihil enim apud illos quicquam momenti habet, nisi solum corporale & uoluptuosum in corpore. Quod enim non uident uel tangunt, hoc nihil esse cre-

ilæorum citas.

dunt: ideóq; se animam à domino deo creatã habere non credunt, toti animales & diabolici.

24 **Quoniam deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum:**

Iam tam pernicioſi erroris incipit ostendere falsitatẽ spiritus sanctus, diuina authoritate loquens. Dominus, inquit, omnipotens creator, qui primum produxit hominem, fecit eum inexterminabilem, & nisi peccato cecidisset ab obedientia dei, semper uixisset, potuissetq; non mori. Nam & animam illius condidit immortalem, ut finem habere non posit, quia non constituta ex materia, sed à deo infundendo creata, & creando infusa. Eandẽq; condidit ad imaginem similitudinis suæ, hoc est, ad imitationem quandam, ut per intellectum, memoriam ac uoluntatem esset capax rerum diuinarum ac spiritualium, contemplando, amando ac inhærendo, iuxta illud: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ad imaginem scilicet filij sui, quem ab æterno decreuit corpus aliquod humanum assumpturum, ad cuius æternæ imaginis similitudinem deus hominem condidit ac formauit.

Anima immortalis.

25 **Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illũ qui sunt ex parte illius.**

Cum inexterminabilem deus hominem condidisset, non sine prouidentia dei, per inuidiam diaboli, non sine consensu malo hominis primi, mors introiuit in orbem terrarum: testante quoq; Apostolo, per hominem intrasse mortem. Sicut, inquit, per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, ita et in omnes homines mors pertransijt. Mors enim culpæ per suggestionem diaboli intrauit in primos parẽtes, & per illam mors corporalis in omnes posteros, qui originali iustitia, ad quam destinati erant, destituti nascuntur, ut caro aduersus spiritum, & spiritus contra carnem semper prælietur. Isti autem impij & carnales sic tam pernicioſe corrupti mente, diabolum istum imitãtur, de quibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere. Is enim diabolus ab initio mendax fuit & homicida, suosq; seruitores inducit ad similia, ut odiant deum, & nihil iustum operentur nisi coacti & inuoluntarij, ideoq; & non iuste. Hi sunt ex parte eius, quia eidem magis seruire eligunt quàm deo, ideoq; & præmia criminibus debita cum diabolo socio in igne æterno luent & perferent. Idem enim supplicium æternum paratum est impijs & diabolo.

Mortis inĩtium peccatum & diabolus.

CAPVT III.

1 **IVstorum autem animæ in manu dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.**

Sicut impietas & satan, ratioq; carnalis persuadere conata sunt animæ mortalitatem & exterminium, subindeq; inuitarunt uerborũ lenocinijs ad uitæ uoluptatem, & ad iniustitiam sine dei timore exercendam: sic nunc sacrosancta catholica fides & ueritas, imò spiritus dei loquens in Salomone absolute definen-

do decernit, non per argumenta rationis humanæ, quæ quodlibet deducere potest ex quolibet, ut omnia inuoluat incertitudine. Sed diuina authoritate docet iustam futuram post hanc uitam bonorum operum remunerationem, præsuppositā fide, sine qua deo placeri non potest, nec bona domini sperari in terra uiuentium. Sic ergo dicit: Impij quidam dicunt & sentiunt, nullum esse hominī post hanc uitam refrigerium uel solatium, & animam interire cum corpus exierit. Id ita impium est et falsum, ut nihil peius. Quin spiritus sanctus sic dicit: Iustorum animæ à corpore exeuntes non pereunt, sed in protectione diuina, & sub illius cura & gratia sunt, qua & conseruantur in æternum, consolanturq; fauore diuino, & aspectu gratissimo in cœlestibus, ubi nunc Christus est in dextera dei sedens, ubi & paradisus domini est, et regnum felicissimum animarum sanctarum, & beata societas angelorum. Nec id solum intelligendum de martyrum animabus, qui uiolenta morte pro dei gloria & ueritate occisi sunt, sed de omnibus sanctis. Quandoquidem nullus sanctorum in hac uita uiuit sine cruce, sicut & Christum sanctorum caput & principem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. Iusti igitur credentes deo curæ esse animas suas, & in societatem angelorum transferendas, non multum terrentur memoria & horrore mortis, cupiunt enim dissolui, & esse cum deo, cum Christo, cum animabus sanctis in paradiso. Mors illis non ut tormentum habebitur, sed ut dulcis obedientia, & ut laboris consummatio, applicatio ad portum, omnium periculorum euasio, & reditus ad patriam diu desideratam. Et ut doloribus atterantur, non tamen sic tanget eos, ut à statu rationis & à fide dimoueat uel spe.

Remuneratio bonorū post hanc uitam.

Mortis cōmoda.

2 Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum.

Tyranni impij & sine fide futurorum uiuentes, existimant pios pro iustitia, ueritate uel fide morientes uel occidi, sine omni fructu & præmio immortalitatis mortem obire corpoream, ideoq; & uanos credunt, qui dum cum impijs uiuere possent, ab illis potius interfici maluint, & futura bona cum præsentibus malis compensare: Nihil enim tale credunt homines sæculares, reuera insipientes, & sine sapientia, quæ ex deo est: æstimāt enim exitum piorū pro deo morientium nihil aliud esse quàm afflictionem, quam nulla subsequatur consolatio, sed tenebræ sempiternæ, & lux nulla, nulla beata uita, quam non credunt.

Insipientia malorum.

3 Et ab itinere iusto abierunt in exterminium, & quod à nobis est iter exterminij: illi autem sunt in pace.

Impij quoque non aliud credunt quàm exterminium incidere eos, qui iter iustum ingrediuntur & incedunt: cum ipsi potius impij exterminium incidant, non solum corporis, quod commune habent cum iustis, sed multo grauius malum, mortem scilicet animæ æternam, & horrores perpetuos cum dæmonibus & socijs suis, cum salutis desperatione, & hoc usq; ad reunionem animarum cum corpore, quando utrisq; contingent pœnæ, cuius sunt capaces, & de iusto iudicio dei. Abierunt quoque iusti secundum opinionem impiorum per iter exterminij. Sic enim dicunt & sentiunt: iusti illi insipientes, & nimium creduli deo, abierunt à nobis, id est, ab hac nostra uoluptuosa uita, non in felicem statum, quem frustra sperant, sed plane in exterminium corporis sui, quo destructo anima perseuerare non potest. Sic, inquit, impij loquuntur ac sentiunt, sed falsissime & impudentissime, non enim sic est, aliud dominus omnium creator disposuit, promisit & reddet. Sed sic potius loquendum et sentiendum: Illi iusti quantumcunq; contemptim occisi, uel pro iustitia mortui secundum corpus, anima tamen eorum est, uel secundum animam sunt in pace, in tranquillitate, in felicitate & beatitudine ea, quam dominus præparauit diligentibus se. Sicut in Apocalypsi asseritur: Beati mortui qui in domino moriuntur. Amodo etenim iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.

4 Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

Pulchræ antitheses sunt iustorum & impiorum, quibus utrorumq; status eleganter describitur. Coram hominibus quidem, humana tantum curantibus, & quæ foris patent sensibus credentibus, sancti dei homines uaria tormenta pati cernuntur, imò à tyrannis ipsis ferri coguntur etiam ad mortem usq;, non enim à fidelibus persecutiones pij patiuntur, sed ab impijs: tamen non solum non decidunt à spe beatitudinis suæ, & à fauoris diuini beneficio, sed plena est & minime uacua fiducia & spes illorum, non enim confundit pios, immortalitate enim beata donantur, & sine omnis boni defectu uel desiderio. Spes, inquit, illorum, id est, præmium ab illis speratum, in nullo deficit, lætitia enim sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus, aderunt autem omnia quæ desiderari possunt à sanctis. Contra uero impijs continget, quorum spes est plena mortalitate. Oculi impiorum deficient, & refugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio animæ, Iob undecimo.

5 Et in paucis uexati, in multis bene disponentur: quoniam deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.

Sancti uero in hac uita præsenti in paucis uexati, cōparatione retributionis in uita æterna modica patiuntur: quia secundum Apostolum, non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Itemq;: Id quod in præsenti est leue & momentaneum tribulationis nostræ, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. In multis bene disponentur, copiosa præmia consequentur, in anima & in corpore glorificabuntur. Quod enim oculus nō uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit deus his qui diligunt eum. Ideo Saluator noster in cœna, Ego, inquit, dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, &c. Quoniam deus tentauit eos, non ad fallendum uel de nouo aliquid recognoscendum, sed ad exercitationem tentati, & per aduersa exercitauit, approbauit, purgauit, alijsq; manifestauit. Et inuenit illos dignos se, fideles scilicet

ſcilicet & conſtantes in fide uerborum dei & in charitate, nõ tamen ſine gratia præueniente, ſine qua nihil poteſt humana fragilitas, ex qua confortati aduerſa omnia æquanimiter pertulerunt ad gloriam dei. Quo contra, impij hic ſua ſuauiter diſponere ſtudent, in futuro duriter tractabuntur, iuxta illud Lucæ decimoſexto: Fili recordare quia recepiſti bona in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu uero cruciaris.

6 **Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum.**

entat fide s deus ad ſtis.

Quomodo autem tentauerit & probauerit dominus fideles, ſequitur: Vt aurum in fornace probatur, ſi dignũ ſit ac iuſtum, ſi ſeculentum uel purum, ſplendidiusq; efficitur: ſic deus aduerſitatis igne examinat & probatos monſtrat, purioresq; effectos ad ſplendorem æternæ ſalutis perducit. Sicut uaſa figuli probat fornax, ſic homines iuſtos tentatio tribulationis. Sic dominus per Zachariam prophetam: Ducam eos per ignem, & uram eos ſicut uritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum. Et Iudith: Omnes qui deo placuerunt per multas tribulationes tranſierunt fideles: et quaſi holocauſti hoſtiã accepit illos. Sicut holocauſtum legale ad diuinæ maieſtatis gloriam totum incendebatur, ut offerentem oſtenderet ſe deo totum deuotum, fide & charitate: ſic ſancti dei fideles totos ſe domino deo ſuo deuouent, & offerũt corpus & animam per fidei ſyncritatem, charitatis feruorem, & deuotionis fragrantiam, dominum colentes ſpiritualiter, & ſi opus fuerit, etiam corpora ſua tradendo ad ſupplicia & mortem. Quorum tamen reſpectus erit in tempore opportuno, & à deo præordinato tempore ſanctos clementer ſuſcipiet & complectetur, & ex omni moleſtia tentationeq; ereptos, glorioſe exaltat & beatificat. Eſto, inquit, fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et qui nunc in perſecutionibus contemnuntur, in die iudicij glorioſi conſpicientur & triumphabunt. Ideo ſubditur:

anctorum ulgor in eatitudine

7 **Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.**

Non ſolum hic ſancti fulgent uita innocente, doctrina ueritatis & utili, famaq; ſanctitatis, ſed etiam in futuro poſt iudicij diem in glorificandis corporibus in cœleſti paradiſo dote claritatis donati in ipſo lumine gloriæ diuinæ, cuius intuitu beatiſſime fruentur. Hinc dominus quoq; aſſerit: Fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorũ. Et ſicut ignis correpto arundineto ſubito abſumit totã calamorum ſyluam ſine impedimento: ſic ſancti per agilitatis donum celerrime ad nutum domini mouebuntur, & nihil impedimenti inueniẽt. Et ſicut glorioſe reſplendebunt in corpore, ſic terribiliter impios iudicandos inuadent, abſq; mora uel difficultate quacunq;.

8 **Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit dominus illorum in perpetuum.**

Iuſti cum domino ſaluatore ſedebunt ſuper ſedes, & iudicabunt duodecim tribus Iſrael, imò omnes nationes, id eſt, reprobos cunctos. An neſcitis, ait Apoſtolus, quia ſancti de hoc mundo iudicabunt, & per ancipites gladios uindictam facient in nationibus? nullusq; reſiſtet eis, tyranniq; crudeles qui fuerant in hoc ſæculo, ibi ſubiecti erunt ſanctis, qui dominabuntur in populis, & iudices erunt omnium iniquorum. Hinc Malachias: Egrediemini & calcabitis impios. Et in Apocalypſi: Qui uicerit, & qui cuſtodierit uſq; in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringentur: & regnabit dominus illorum in perpetuum. Dominus cum ſanctis regnabit, & ipſi cum domino. Hinc in Daniele: Regnum & poteſtas dabitur populo ſanctorum altiſſimi. Sancti iudices mundi erunt.

9 **Qui confiduntin illo, intelligant ueritatem, & fideles in dilectione acquieſcent illi: quoniam donum & pax eſt electis eius.**

Qui tota fide domino adhærent, unus ſpiritus erunt cum ipſo, ideoq; eodem ſpiritu inſtituentur, & erudientur de omnibus quæ pertinent ad ſalutem, ille reuelabit eis omnem ueritatem, non mendacij ſpiritu decipientur. Quis enim inuocauit illum & deſpexit eum? Vnde accedite ad eum, & illuminamini. Et qui fideles ac conſtantes fuerint in dilectione dei, adhærebunt ei perfecta obedientia, ſuumq; intellectum humiliter ſubdent authoritati uerbi dei, & ſacræ ſcripturæ, redigentq; in captiuitatem, ut Chriſto obſequantur quem diligunt. Donum, hoc eſt, dona diuini ſpiritus adſunt diligentibus deum, omnia neceſſaria pro beatitudine conſequenda, Chriſtum ſcilicet & cum ipſo omnia. Pacem quoq; pectoris in præſenti uita, in Chriſto qui eſt iuſtitia & pax noſtra, qui fecit utraq; unum, qui patri reconciliauit peccatores, ſed per fidem iuſtificandos, & electos ante mundi conſtitutionem, de quibus dicit: Non uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos.

10 **Impij autem ſecundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt iuſtum, & à domino receſſerunt.**

Non ſolum facta & opera impiorum correptionem habebunt, hoc eſt, diuino iudicio punientur, ſed etiam cogitationes, propoſita, deſideriaq; ipſorum mala uenient in iudicium, & uerba ipſa otioſa. Multo enim plura mala cupiunt quàm proſequi poſſint, quibus improba uoluntas reputabitur pro facto, ſicut & fidelibus uotum ſanctum pro bono opere, ſi perficere illud non poſſunt. Iuſte igitur corripiuntur, quia non ſolum dominum deũ iuſtum, ſed & quicquid iuſtum fieri poterat ex contemptu & data opera obmiſerunt, quia à domino deo receſſerũt, ipſius cultum & reuerentiam odiendo, non eius dominium egrediendo. Cogitationes impiorum iudicabuntur.

11 **Sapientiam enim & diſciplinam qui abiicit, infelix eſt: & uacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inutilia opera eorũ.**

Vt nulla felicior uita quàm in lege domini meditari die ac nocte, & inſanas concupiſcentias ſenſuum refrenare, & iuxta rationis recte dictamen inſtituere uitam, Felicitas hominum & infelicitas.

facere proximo quod fieri tibi uelis uel uelle debeas. Sic satis infelix est, qui domini uoluntatem scire, & uerbū domini spernere pergit, & sapientiam ueram abijcere, simulq; concupiscentijs frena laxare nō dubitat. Is enim in conscientia propria & in sensibus continuo secum conflictatur, multa desiderat semper quæ consequi cum honore & quete non potest. Vacua spes est stultorum, non enim assequuntur quod insipienter desiderant, in hac uita semper auari, semper pauperes, quia multa desiderant: in futura quoq; prorsus miseri & perditi erūt. Multum laborant, & operis sui ordinem, causam & fructum perpetuo ignorabunt, quia sapientia carent, & sensui parent, uana sectantur, et operam ludunt. Mirum quomodo hic exemplaria ferè omnia habeant: Et inhabitabilia opera eorum, quod difficulter exponunt, cum correctiora habeāt: Inutilia. Vt sit clara sentētia: Quando sapientiam & disciplinam abijcientium omnia opera careant fructu, et sint inutilia ad felicitatem, & ad politicam uitam.

12 Mulieres eorum insensatæ sunt, & nequissimi filij illorum.

Coniuges insensatæ et infelices.

Quando alioqui ad uitia procliuiores sunt fœminæ ob impatientiam disciplinæ, & inopiam sensus & sapientiæ, qui fieri posset, ut impio & uoluptuoso coniugi copulatæ non longe insensatiores fiant & irreligiosiores? scilicet sine timore dei, sine fide uerborum dei, sine uerecundia, modestia, humilitate, castitate, temperantia, & totius disciplinæ inimica. Non enim timebit maritum illi similem, multo minus deum timebit, quem non uidet, quia non credit, nec præmium uirtutis curat, nec pœnas ueretur turpitudinis uel inhonestatis aut criminis cuiuscunq;. Facile sibi similes applaudent, maxime uero in malis & carnis concupiscentijs atque operibus. Tales sibi per omnia similes generabunt filios, genium parentis utriusq; relaturos, qui & per educationem meliores fieri nequeūt, quibus sufficiet, si fiant parentibus similes, quin & per naturæ ad malum procliuitatem longe erunt pestilentiores.

13 Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum,

Impiorum coniugum infelix posteritas.

Quicquid à tam maledictis, impuris, impijs, & insipientibus personis nascitur, omnis eorum posteritas, nisi speciali miraculo emendata, necessario erit maledicta. Optandum igitur in primis est, ut tale matrimonium sterile sit, non minus quàm si ambo parentes leprosi essent, uel contagione pestifera contaminati: sic præstat tales uel citius mori, uel non habere prolem, unde contamine tur hominum societas. Nihil enim in orbe pernicioſius quàm fœcunditas impiorum, dum pacis & honestatis impatientes & odiosi familiam amplam procreant, & stultorum ingens sit numerus, qui sese tueri, promouere, & multitudine corroborare poterunt ut uolent. Felix igitur erit & utilis reipublicæ horum sterilitas, & hac parte non coinquinata coniunctio. Non enim tales uerbum domini de propagandis hominibus ad cultum dei et ad pietatem educandis implebunt, sed potius polluti tot uitijs, longe pollutiores progenerabunt. Satius est longe torum huiusmodi nescire naturales istas delicias, et ad prolis gloriam sanctam minime pertingere. isti uero coniuges qui sancte uiuunt, & ad gloriam dei cupiunt sibi nasci prolem sanctam, felices sunt & benedicti à domino generali benedictione & speciali, si huiusmodi sanctos filios assequantur, ut erant parentes Mosis, Samuelis, Dauidis & similium. Qui uero sanctam prolem non assequi possunt, longe feliciores erunt, steriles si perstant, quàm si malitiosæ prolis fœcunditate fruerentur. Hoc enim in casu felix est sterilis, & quæ cum impio marito copulari non cogitur, quæ sine delicto ob inordinatam nimiam concupiscentiam torum participare non potest. Talis si filios non assequatur, habebit tamen nihilominus suum fructum, profectum scilicet pietatis & fidei, si se ab impio marito quantum licuerit custodierit, remunerationem scilicet, ex respectu diuinæ benignitatis in patria.

14 Et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus deum nequissima: dabitur enim illi fides dei donum electum, & sors in templo dei acceptissima.

Fructum quoq; suum assequetur eunuchus uel spado, hoc est, respectionem diuinæ benignitatis, etiam si filios non generauerit carnis: non enim omnibus hominibus prodest filios genuisse carnales, ut dictum est. Non maledicitur deo sterilis per naturam, si alioqui sese à uitijs carnis, & ab impijs cogitationibus mentis, & à desiderijs adulteriorum, à sensuum reliquis lenocinijs immunem seruet, & se cum dei gratia in sensuum omnium disciplina continuerit, ut & corporis & animæ mundiciam conseruet, & in deum nullam impietatem committat, mente, ore uel opere: hoc est, ut sapientiam & disciplinam sectetur, & non uacua spe permoueatur in dominum, & fructus operum bonorū salutares operetur, tanto commodius quanto onus uxoris & quotidianas instantias non patitur cœlebs. Alioqui corporis castimoniam seruasse, & tamen in alijs mente, uel ore, uel opere à peccatis non abstinere, neq; in religiosis sese exercere officijs, & uere sanctis operibus à domino probandis non tanto studiosius intendere, apud deum gloriam uel meritum neutiquā habebit. Magis enim instrumentum uirtutum esse debet castitas uirginalis uel uidualis, quàm ut tanta uirtus æstimetur caruisse marito & præterea nihil. Nobilis est autem status, si cætera sanctitas non desint: nobile matrimonium, si in gloriam dei concepta proles finis principalior statuatur. Pro filijs carnalibus per dei gratiam reddi à domino poterit & uberius detur uirgini tam præclarum internæ puritatis munus, & profectus in externis, ad quæ per fidem attinget, si in lege domini sese exerceat, & illam alijs pro dei gloria amplianda docendo communicet, filios fidei & morum, sibi & ecclesiæ dei progerminet, & post huius exilij ærumnas tutior à miserijs gloriam in supercœlestibus assequatur, & sortem non infimam, sed gloriosam in ecclesia

ecclesia, quæ templū est domini, in præsenti uita obtineat, & gloriam æternam in futura.

15 Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidit radix sapientiæ.

eunuchi non sint otiū. Non uult laudabilem eunuchum aut sterilem otiosum esse, & de se solo rationem habere, corpori suo inseruire, sed in sanctis operibus tanto negotiosiorem esse, quanto minus carnis delicijs obnoxius est, & ab illis minus impugnatur, ut serena mente sancta cogitare, agere & loqui possit: gloriam dei promouere tanto diligentius, & multis prodesse, quanto minus ad familiam propriam negotiosius curandam astringitur. Longe contrario instituto eorum qui cum castitatis prærogatiuam sibi uindicant, nec alteri cuiquam publice uel priuatim prosunt, nec opportunitate sacra meditandi utuntur, toti in sua commoda intenti, & sese reliquis nihil obligari, sed omnes sibi opinantur, Christi se sectatores profitentes, cum nihil eius exemplo ecclesiæ proficiant. Huiusmodi bonorum laborum, ait, quæ ex charitate proceduntur & fide, ad quæ cœlibatus non parum in talibus promouet, qui continentiæ salutaris gratiam sunt consequuti, ab importunis ustionibus liberati, gloriosus est fructus, felix & copiosa retributio. Vnde & Apostolus: Stabiles estote, abundantes in opere domini semper, scientes quod labor uester non est inanis in domino, erit merces operi uestro si manus non dissoluantur. Radix quoq; sapientiæ non concidet, exercitium fidei in uerbum domini non redibit sine fructu, cõtemplationis sanctæ studium cum actione à domino adiuuanda abunde in dei laudem proficiet.

16 Filij autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo toro semen exterminabitur.

adulterorũ filij pernitiosi. Cum itaq; melius sit mori sine filijs, quàm relinquere post se filios nequam, ideo matrimonij unum bonum est, ut ad religiosam prolis institutionem fideliter sibi mutuum consentiant, & dei cultum dignum in filijs pro omni uirili promoueant. Si uero in adulterio filios generari contigerit, illos patientur turpiter educatos turpius quandoq; finiri, & cum ignominia, quam non horrerunt, exterminari. Omnino enim proles impia ab impijs parentibus neglectim educata, tandem cum generis totius contumelia finietur. Sed & prolis fœcunditate adulteri priuabuntur, quæ suam in lege habebat laudem insignem, & ualde plausibilem. Nihil enim à sanctis fœminis ardentius optabatur quàm prolis multiplicatio, qua maritis gratificari cupiebant, quod eis non ueniisset in mentem, nisi uiros suos prolis desiderio teneri cognouissent.

17 Et si quidem longæ uitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum.

Si adulterorum filios contigerit aliqua ratione senescere, quod fieri potest, sine tamen honore erunt apud bene institutas ecclesias & ciuitates: & si paternorum scelerum sectatores extiterint, ut fieri solet, etiam si aliquandiu ferantur, tandem tamen ignobili fine desinent, & inhonestam senectutem uiuent: quanto enim diutius uiuent, tanto genij sui corruptionem minus emendabũt, sed semper recident in educationis inhonestæ damnum. Quomodo enim senes honeste uitam instituerent, qui iuniores exemplo prauorum parentum fascinati sunt, & fœtorem infamiæ contraxerunt à puero? Seruabunt enim odorem diu, quem ut recens testa ab initio assumpserunt. Quin si adolescentes reueriti non sunt inhonesta, quomodo iam decrepiti erubescent ab illicitis uerbis et moribus?

18 Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.

Impiorum mors qualis. Si uero turpibus progenitoribus nati filij, & impie educati celerius defuncti fuerint, quum sine fide & charitate, sine timore & in deum fiducia uitam instituerint, maximo horrore mortis fata excipient. In istis maxime implebitur, quod Bernardus scribit: Dolor erit in exitu, horror in transitu, pudor in conspectu gloriæ domini, impatienter dolores perferent. Iudicium domini durum, iustum & certum conscientia propria ostendet impio, & cum adiget in desperationem, in qua moriens perseuerabit in omnia sæcula, quæ & maxima inferorum pœna non irrationabiliter dicitur. Non, inquit, tales habebunt spem, nec in die agnitionis, hoc est, discussionis uniuersalis & districti iudicij, poterunt aliquam pro se reddere rationem. Nec sententiam approbationis audient, qua dicetur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis paratum est ab origine mundi. Hæc erit enim iucunda sanctis allocutio, dum post sponsum in thalamum æternitatis beatæ fuerint, ut amicissimi introducti, & in secretum colloquium charitatis.

19 Nationes enim iniquæ diræ sunt consummationis.

Omnes autem impiæ gentes deum ignorare uolentes, & nihili timentes, sine lege & ratione uiuentes, blasphemi, crudeles & iniusti, hi crudelem finem experientur, damnationem asperrimam, dicetur enim illis: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Vt enim nati sunt filij iræ, ita fidem in deum per Christum blasphemantes, & mandata domini contemnentes uiuunt & morientur filij iræ, & dirum exterminium patientur. Hæ ergo iniquæ generationes uel nationes dire iudicabuntur: non quia de iniquo toro sunt generati, sed quia nequiter conuersati. Dira fuit consummatio nationum impiarum sub Noe, in Sodoma, in Chananaica terra, in Iudæa Titi temporibus & Adriani: quanto enim diutius expectantur, tãto inclementius iudicantur.

CAPVT IIII.

1 Quàm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud deum nota est, & apud homines.

Castitas cõtinentiæ cõiugalis.

Iam de fœditate adulterinæ generationis Salomon quædam dixerat, sequitur de honestate generationis castæ. Habet autem & coniugalis status continentiã suam, & uerißimam castitatem, sicut & tutißimam: habet laudem creatoris & primariam, ut humana laude non egeat. De qua omnium maxime uerificari potest, quod etiam homo dei Cyprianus dixisse adducitur, de pudicitia qua matrimonium carere non debeat. Est, inquit, ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo deformium, solamen mœrentium, augmentum totius pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, amica creatoris uniuersorum, & soror angelorum. Hæc omnia de pudicitia coniugali certius affirmantur, sicut & quod hic dicitur de alia intelligi non debet. O, inquit, quàm pulchra & deo placens, sancta & iucunda est ea generatio filiorum, quæ fit intra cancellos matrimonij, à deo instituti, laudati, & ad mundi conseruationem ut necessaria ordinati. Sicut enim impia generatio filiorum, id est, insolentes filij, maledicta dicitur parentum creatura: sic sapientum & deum timentium proles & generatio castorumq; coniugum posteritas, pulcherrima erit, splendida, clara & per sæcula laudata. Viuent enim religiose, pacifice & amanter cum omnibus, sic à parentibus exemplo & uerbo instituti legitimi filij, & post se relinquent uirtutum & pietatis perpetuam memoriã. In memoria æterna erunt iusti. Memoria iusti cum laudibus, nomen autem impiorum putrescet. Quæ tamen memoria quanquam ut omnia huius mundi bona tandem finatur, apud deum autem immortalem semper nota erit, & illic quoq; apud felices. Approbabitur piorum hominum institutum & uita apud deum & homines, perpetua commemoratione digni habebuntur.

2 Cum præsens est, imitantur illam: & desiderant eam cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat coinquinatorum certaminum præmium uincens.

Sanctorum posteritas.

Sanctorum religiosa posteritas & sancte enutriti filij, dum uiuunt in hoc mundo, speculum sunt honestatis & exemplar fidei in deum & homines: ædificantur enim plurimi ipsorum conuersatione, uerbo & exemplo prouocati. Cum sancto enim sanctus eris. Præsentiam honestorum diu & auide cupiunt, unde proficiunt & consolantur. Si quando per negotia temporalia uel morte locum mutauerint, si creator illorum ex hac uita de corpore mortis huius illos eduxerit, desiderantur ab omnibus bonis, plangunt absentiam, seq; destitutos dolent solatio sanctorum, propter quos etiam paucos, dominus beneficere multis malis non grauatur. Iustorum enim uita salus est mundi. Veruntamen non pereunt, sed in perpetuum in cœlis & in conspectu dei pro uirtutum suarum strenuitate, in qua per dei gratiam sunt seruati, coronantur & accipiunt palmam uictoriæ, triumphantq; in cœlis, præmium uirtutũ insignium à sæculis æternis à deo istis destinatum percipientes, qui sese in hoc mundo in maligno posito, fauore diuino immaculatos custodierunt, & puras manus & mundam conscientiam creatori suo iugiter obtulerunt, & uirtute ex alto prælia mundi carnis & satanæ euicerunt, & sese coinquinatos, uel per fidem emendatos domino præsentarunt.

3 Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.

Sic ut prædicitur se habente casta generatione, & sanctorum sanctis filijs, longe aliter erit cum filijs adulterorum, hoc est, cum geniminis uiperarum. Vt enim nemini utilis est multitudo impiorum filiorum, sed magis molesta & odiosa, est enim multigenis uitijs contaminata, proximis intolerabilis, & pernicioſa in exemplo, uerbo & facto: sic dei gratia ad sanctos etiam in hoc mundo non diu proficient, quia ceu adulterinæ plantationes non firmiter agent radices suas in terra uiuentium, nec altius fixæ diu stabiles firmabuntur, sed præmaturi carpentur & eradicabuntur: in mundo enim stare uoluisset, qui transit & concupiscentia eius: non enim plantatio dei erat, sed inimici hominis. Omnis autem plantatio quam non plãtauit pater meus cœlestis, eradicabitur, Matthæi 15.

4 Et si in ramis in tẽpore germinauerint, infirmiter posita, à uento commouebuntur, & à nimietate uentorum eradicabuntur.

Etiam si ad tempus in sobole sua & in diuitijs impij floreant in hoc mundo, & prospere agant, honorati & felices habiti, quia tamen debili radice fundati sunt, & caducis uiribus nituntur sine iustitia & probitate, quæ confirmat homines, ideo facile tentationũ uentis impulsi si decidunt funditus eradicati. Non enim patientiam in aduersis didicerunt, non solatium habent fiduciæ sanctæ in dominum, cuius gratiam non implorant tempore opportuno, ideoq; corporaliter & spiritualiter deficientes, carentes fide, exuti rebus. Sic enim in istorum persona dicitur Isaiæ sexagesimoquarto: Cecidimus quasi folium uniuersi, iniquitates nostræ quasi uentus abstulerũt nos.

5 Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.

Propagines & rami talium impiorum dum nondum consummati sunt, in dimidio annorum suorum, antequam adolescant in suis criminibus & insolentijs, de media auferuntur iudicio dei, dum se fortiter subsistere, & continuo in sua impietate proficere cogitant: sed fructus operum suorum uenenati & corrupti sunt ac scandalosi. Vua eorum uua fellis, & botri amarißimi. Qui comederit de uuis eorum morietur, & quod confotum fuerit, erumpet in regulum, ideoq; ad nihilũ apti erunt. Quanquam enim per diuitias ac improbitates aliquando proficiant ad temporalia bona & commoda, hoc autem illis ad damnationem grauiorem cedet.

6 Ex iniquis enim omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua.

Interrogatio in hoc libro frequenter iudicij inquisitionem & damnationem significat. Filij, inquit, iniquo-

rum

rum parentum facto & uerbis testantur se impiorũ uel negligentiam pertulisse, uel exempla criminum incessisse. De patre iniquo conqueruntur filij, quum propter illum sunt in opprobrio, Ecclesiastici quadragesimoprimo. Et Christus clarius: Non potest arbor mala fructus bonos facere, ideoq; excindetur & in ignem mittetur. Sunt enim tales impiorum filiorum parentes similes stulto, qui ædificauit domum suam supra arenam. Descendit autem pluuia, uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domũ illam, & facta est ruina eius magna. Exponant alij de hæreticis, ut omnia. Hæc est expositio simplex.

7 Iustus autẽ si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Iustus est qui fauorem domini dei sui ardenter cupit, & assequitur per fidei donum, uerbo dei obediens, cui tota uoluntate immoratur. Huiusmodi nõ raro etiam celeriter & quasi adhuc iuuenes morte præoccupantur, cum impios uideamus aliquando diutissime superesse. Sed de hoc sic sentiendum docet uerbum domini. Si, inquit, inopinata morte uel immatura ætate iustus morte præoccupatus fuerit, non illi nocebit, sed ut bonum maximum illi fauendum erit, quia in dei charitate & gratia transfertur ad refrigerium salutis perpetuæ, in sæculum animarum sanctarum, fide & fauore dei per mediatorem mundatus à delictis.

8 Senectus enim uenerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis: & ætas senectutis, uita immaculata.

Senectus præsumitur habere ex multarum rerum experientia & ex auditu sapientum, honestatem, prudentiam, consilium, iustitiam, longanimitatem, quæ inuenis communiter non assequitur. Virtuti autem impenditur honor & reuerentia, ideo uenerabilis dicitur senectus, non ex temporis diuturnitate, sed ex profectu sapientiæ & omnium uirtutum, ideo additur, Non diuturna, neq; annorum numero computata. Non enim ætas corporis, sed maturitas mentis, & morum honestas laudem meretur. Cani sunt sensus hominis. Decus & ornamentũ canitis non crinium est canicies, quæ iuxta naturæ complexionem increscit tardius quibusdam uel citius, nihil habens reuerentiæ per se, sed maturitas sensuum, iam à passionibus iuuenilibus liberati hominis, qui non affectibus regitur, sed uirtute & prudentia. Id etiam ætate minoribus non negatur bene à puero instituti. Aetas quoq; senectutis uita est immaculata. Bene senex est, qui irreprehensibiliter uiuere didicit. Senectutem commendat in sensu sapientia, & in conuersatione probitas & innocentia.

9 Placẽs deo factus dilectus, & uiuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.

Impijs nihil boni sperandũ, siue diu uiuant siue citius moriantur. Iusto omnia contra accidunt: si morte præoccupetur, refrigerium manet: si diu uixerit, uenerabilis erit, & hoc coram hominibus. Deo autem placet uel potius quia deo placet, & gratiam dei assequutus est, ideo iustus dicitur, ideo ex donis ostenditur dilectus, quia tota deuotione spiritus ex deo pendere didicit & ex uerbo domini. Qui talis est, sic nonnunquam domino gratus est & placet, ut statim transferatur de huius mundi ergastulo ad cœleste palatium, de improborum consortio ad sanctorum ecclesiam, per mortem translatus ad uitam. Raptus est in cœlum, & ex præsenti uita sublatus est, repente abstractus, ne ex perniciosa societate malorum deterior redderetur ipsius animus & conuersatio. Id quod facile usu uenire solet innocentibus, & etiam dextro ingenio præditis hominibus, qui alios proprio pede metiuntur, & secundum aperta iudicant, hypocrisim nesciunt, sed sunt aperti, illis facile imponitur fictitia bonitate malorum.

10 Fascinatio eñ nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.

Simplices & pij, qui bona tantum sectari cupiunt, illi facile ab impijs per hypocrisim fascinãtur, cum magis decipiunt eum qui ueritatem tantũ credit & loquitur: sic enim dolis & mendacijs bona obscurant, ut mala uideantur: & contra pessimis rebus induunt optimam formam, quibus dolis fascinatur simplicitas piorum. Similiter sunt homines quidam sine malitia, natura ipsa non mali, sed creduli & fideles, illi tamen per concupiscentias & carnis oblectamenta sic transuersaliter agũtur, ut resistere non facile possint malo, sed per inconstantiã fragiles & incircumspecti præuaricantur, & impetu quodam libidinis & deliciarũ feruntur. Sic quoq; bonos mores corrumpunt colloquia mala. Et mendacia non raro induunt formam ueritatis, & nugacitate decipiunt, quos malitia manifesta non uincerent: quandoquidẽ constantia rara est uirtus, & necessaria pijs in hoc mundo.

11 Cõsummatus in breui expleuit tempora multa.

Tempus uitæ felix.

Hæc tantũ tempora nobis adnumerãda sunt, quibus utile aliquid & honestum peregimus. Ideoq; otiosi à bonis perdunt dies suos, studiosi autem bonorum diutißime uixisse censentur, quia fructus operũ diuturnos propagarunt. Non ergo iusti curant q̃ diu, sed quàm bene uiuant in hoc mundo. Ideoq; stultus centum annorum maledicitur: & iuuenis uirtute intentus, ab institutione parentum diu uixisse putabitur, si dies suos non otiose à bono opere exegerit. Consummari in breui, est mori immatura ætate. Explere multa tempora, est arduis negotijs ac sanctis magnopere insudasse.

12 Placita enim erat deo anima illius: propter hoc properauit educere illũ de medio iniquitatum.

Mors præmatura.

Non semper signum iracundiæ diuinæ est mors intempestiua & præmatura, quanquam aliquando impios quoq; subito arripiat ac damnet: sed properat aliquando pios deus educere ex hac uita mortali & periculosa, ut statim eripiantur ab hoc infelici & maligno sæculo, quibus dignus non est mundus, quos charißimos habet

& ad suam gloriam citius uocat. Eos quorum opera ad aliam in hoc mundo dei gloriam uti non statuit, qui in breui expleuerint tempora multa, quosq; deus fragiliores nouit, q̃ ut grauiora sustinere possint, quos tamen pro singulari fauore non patitur periclitari. Varie enim deus operatur cum suis electis, semper autem sancte, qui summe bonus est, & omnia opera eius iusta & optima, etiam nobis ignota. Et hæc quidem iam prædicta ad literam. Quidam exponunt de Enoch, qui omnium sui temporis patriarcharum iunior obijt, & secundum Iudæos ea ratione raptus est, ne in sæculo nequam inficeretur, & à suis concupiscentijs uinceretur. Sed generaliter accipi potest de operibus prouidentiæ diuinæ circa electos & sanctos.

13 Populi autem uidẽtes & non intelligentes, nec ponentes in præcordijs talia, Quoniam gratia dei & misericordia in sanctos eius, & respectus in electos illius.

Commune autem uulgus hominum hunc mundum & quæ in mundo uident solum admirantium, hæc quidem dei iudicia uident, nonnunquam scilicet sanctos citius ex hac uita eripi, & non intelligunt causas: sed ut ipsis maximum malum habetur mors propera, sic ante tempus morientes iudicant fuisse malos, & à deo punitos propter peccata. Non enim quæ iam prædicta sunt, uel etiam dicentur, reponunt in sua præcordia, non aduertunt iustitiam & ueritatem dei, de sæculo futuro parum soliciti uel creduli. Non enim capere didicerũt gratiam dei & misericordiam, qua propensissimus est deus in sanctos suos qui illi credunt, & sese committunt totos, domino esse cupientes tam uiui q̃ mortui. Sentiunt enim in omnibus manum domini bonam super se, & gratiosum respectum prouidentiæ diuinæ in suos electos, quos pro bonitate sua negligere non potest, sed ut gallina pullos tutatur semper sub alis.

14 Condemnat autem iustus mortuus uiuos impios, & iuuentus celerius consummata longam uitam iniusti.

Non multum diligunt iusti hanc uitam, sed futuram inquirunt, cupiuntq; dissolui de corpore mortis huius, meliusq; ducunt citius mori, si sic domino placeat. Condemnant ergo & stultiores iudicant amatores huius uitæ, qui tantis malis obnoxiam uitam tanti faciunt, iudicantes eo ipso parum illis adesse fidei & spei in dominum. Itaque condemnare illud, intelligitur iudicare de perfidia & desperatione uitæ futuræ. Et bene instituta iuuentus in timore domini, & in scientia uerbi dei, credensq; promissis dei, si celerius uocetur ad immortalitatis brauium, sponte obsequitur & sine murmure. Longam enim uitam iniustorum non appretiantur, sed detestantur potius, quod eam accumulationem malorum intelligant, quæ pro peccatis post hanc uitam sunt perlaturi. Nihil morantur impiorum longæuitatem iusti, scientes sibi meliorem repositam conditionem statim post hanc miseriam.

15 Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo deus, et quare minuerit illum dominus.

Vident quidẽ iniusti & increduli sanctos, & in uerbo domini sapientes uitam finire differmiter, aliquando uiolenter occidi contemptui habitos, infelicibus auctibus cijs prægrauari, & ut infelices abijci à tyrãnis. Causam autem quæ ex diuina propendet prouidentia non capiunt, quia uerbo dei non credunt, non intelligũt nisi quæ sentiunt. Consilium domini circa electos suos non sunt digni intelligere impij, quomodo scilicet deus cogitauerit pium liberare de huius uitæ malis multiplicibus, & festinato beare, abbreuiare cursum, & citius præmiare, perq; gratiam fidei constantem facere in mortis tolerantia, & illustriorem aliquando reddere mortem, pro ueritate & iustitia succumbendo, eius qui præter hoc propediem iuxta naturam obscuriore mortis & laudis formæq; genere fuerat moriturus: ut quanto dies uitæ minuerit magis, tanto gloria maiore adauxerit.

16 Videbunt enim, & contemnent eum, illos autem dominus irridebit: & erũt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum.

Impij male iudicant de iustis, & sanctam illorum uitam & fidem irridebunt. Putant enim stultum esse omnem eum qui deum timet, & disciplinam domini custodit: nihil enim præmij uel pœnæ credunt post corporis uitam. Dominus aũt in cœlis irridebit eos. Prospicit enim quod ueniat dies eorum, quando sentient quod credere noluerunt. Dominum ridere impios, est irrisionem piorum ac etiam dæmonum exponere, frustrare desideratis. Illi enim ut uitam diuturnam optant, & delicias duraturas: sic illi dimidio dierum ipsos præcipitat in mortem, & non sinit incolumes diu, rebus, fama & corpore. Nouit enim humiliare superbos, & hostes suos comprimere, de honoribus quos concupierunt deijcere, contumelijs in præsenti afficere superbos, & uitam diuturnã abrumpere lon[illegible] gæuitatem affectantibus. Quamuis etiam in medio pro[illegible] pinquorum expirent, & magnifice sepeliantur, animæ tamen eorum infelicissime tractabuntur. Exemplum sit diues epulo in Euangelio.

17 Quoniam dirumpet illos inflatos sine uoce, & commouebit illos à fundamentis, & usq; ad supremum desolabuntur: & erunt gemẽtes, & memoria illorum perit.

Cum superbe egerint per contemptum contra deum impij, subito dum non timebunt inflabit eis angustias animi, & dolores ac inflaturas corporis, grauissime afficiet toto corpore, & animam uiolenter inuitam & adhuc non compunctam propter peccata abripiet & euelet. Nec locus dabitur excusationi cuicunq;, obmutescet enim ueluti sine ueste nuptiali confusus in conuiuio: non excusabiles enim sunt, quia cum dominũ cognouissent, non sicut deum glorificauerunt. Omnibus creaturis, diuitijs, amicis, quibus innitebãtur impij destituentur omnino. Sublati sunt, inquit Iob, ante tẽpus, & fluuius subuertit fundamentum eorum qui dicebant: Recede à nobis. Maxime quoq; desolabuntur tam in morte inuoluntaria & dolorosa, q̃ in conscientia scelerata, sicut & post

post mortem æternæ salutis desperatione, & dæmonum societate. Hæc autem omnia patientur sine aliqua consolatione cum gemitu sempiterno, ut nec guttam quidem aquæ impetrare ualeant in tormentis. Interim nulla erit illis apud bonos memoria, cõparabitur enim cineri, quia laus impiorum putrescet.

18 Venient in cogitatione peccatorũ suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.

Remorsum acerbissimum conscientiæ tunc sentient illi impij, horribiliq; timore turbabuntur propter grauissima peccata sua, quæ tunc tandem apparebunt & terrebunt aperta conscientia, apertis ut noctuæ & talpæ oculis nimis sero. Tunc illis dici poterit illud Apostoli: Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Tunc angustia uallabit impium, sicut regem qui paratur ad prælium. Timere enim tunc incipient iudicium domini, quod sam & incolumes minime crediderunt. Tunc etiam nolentes & inuiti rapientur ad cogitationes pessimæ anteactæ uitæ suæ, quando & iniquitates illorũ sese impijs opponent & accusabunt, ex aduerso traducent, ut insuperabiles inimici, qui dominum deum factorem suum offendere pro nihilo duxerũt, & ipsius cultores non solũ riserunt, sed & fatali odio prosecuti sunt, & ubi potuerunt occiderunt. Iam ergo impietatis suæ fructum sentient & dolebunt.

CAPVT V.

1 Vnc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.

Impijs hominibus dominũ deum creatorẽ suum contemnẽtibus, & illius cultores fideles omnibus modis persequentibus in hunc modum qui dictus est, in mortis articulo & in utroq; iudicio, priuato & generali, sic antixijs & desperabiliter dolentibus: tunc contra stabunt iusti in magna constantia, hoc est, iudicis tribunalibus cũ multa fiducia & alacritate astabunt, & immobili securitate, insuperabiliq; fortitudine animi, de diuina erga se bonitate præsumentes contra suos in hoc mundo perpetuos persecutores, à quibus angustiati sunt & adflicti, promouendi zelo iustitiæ diuinæ, & pro dei gloria, & diuinæ maiestatis honore, nõ zelo uindictæ uel odij. Magna autem dicitur constantia, certitudo perpetua beatitudinis semper duraturæ, & nunquam in peccata relabendi uel dominum offendendi. Et qui abstulerunt labores illorum, id est, inutiles, stultos & superuacaneos semper existimauerunt, & irriserunt labores fidelium, patientiam, passiones, mortes, disciplinam, ex timorem dei in omnibus huiusmodi sanctis, & in quibuscunq; pijs exercitijs pro omni uirili sua impedire conati sunt: sed possessionibus fraudauerunt, quas multis laboribus acquisierunt, & omnino uane laborantes crediderunt.

nstantia ctorum.

2 Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus, di-

centes intra se, pœnitentiã agentes, & præ angustia spiritus gementes:

Continuo per antithesim uel uicissitudinem elegantem, nunc sanctorum laudes & gloriam tractat, nunc impiorum exitium & demerita. Tunc, inquit, uidebunt impij irati domini dei sui iustum iudicium, conscientiam suam strenue accusantẽ, & omnes sanctos aspicientes, iustitiam petentes omnipotentis dei. Quid ergo mirum si turbabuntur timore horribili, contra se iam damnationis sententiam irretractabilem audituri? Horrendum est enim incidere in manum dei omnipotentis. Mirabuntur quoq; in subitatione insperatæ salutis, quia scilicet electi dei, quos hic habuerunt pro stultis & infelicibus hominibus, tam repente & de improuiso illis apparent in tanta gloria tantam salutem consecuti & gratiam. Tũc impijs tempus erit congemiscendi præ angustia spiritus, iuxta illud Isaiæ 6. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis. Hinc quoq; Apostolus: Repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in utero habẽtis. Talis erit gemitus desolationis extremæ, procedẽs ex dolore seruili & desperante mœrore. Ideo sequitur: Dicentes intra se, hoc est, cogitantes intra afflictas & miseras conscientias suas. Pœnitentiam quidem agentes, sed nimis seram, quia infructuosam, ex seruili tantum timore sensuq; pœnarum, ex sui improbo priuatoq; amore proficiscentem. Et præ angustia spiritus gementes. Repetit angustiam & gemitum, pro obmissione bonorum, & commissione malorum, uel pro corporis & animæ cruciatibus perferendis.

Pœnitentia infructuosa.

3 Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij.

Qui tunc nobisipsis uidebamur sapientes, quia præsentibus fruebamur, & futura ridebamus, nos beatos putabamus, illos autem sanctos infelicissimos, nunc cernimus nos plane insensatos fuisse, & spiritu scientiæ salutaris omnino destitutos, quia carnales eramus, non sapientes ea quæ dei sunt. Sic principes Israel insanum dicebant filium prophetarum ab Heliseo missum: sic apostoli habiti sunt & martyres. Similitudo improperij dicitur prouerbium aptum ad alicui improperandum & exemplum maledicendi. Sic enim ludibrio sunt & opprobrio sancti in hoc mundo improbis, & deum non timentibus, sed usq; ad suũ tempus: sic & Christus sanctorum summus factus est impijs Iudæis in parabolam.

4 Nos insensati uitam illorum æstimabamus insaniã, & finem illorũ sine honore.

Nos omni salutari sapientia destituti, nihil nisi carnalia sapientes, mundi amatores & concupiscentiæ eius, diuina minime capientes, sed odientes, uitã iustorum illorum deum timentium æstimabamus insaniam esse, sicut & ad Corinthios Paulus queritur: Tanquã purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema, usq; adhuc. Nos uero contemptores diuitiarũ et deliciarũ mundi uelut stercora, stultos putabamus & insanos. Rideba mus eos qui contumelias, molestias & paupertatem pro thesauro amplectebãtur. Et existimabamus finẽ illorum

absq; honore, post mortẽ illis nihil extare, multo minus honor & gloria. Non enim uerbo dei credidimus, carnalibus desiderijs toti immersi eramus, ideo tantum præscientia curabamus.

5 Ecce quomodo computati sunt inter filios dei, & inter sanctos sors illorum est.

Nunc mirabile uidetur, quod nobis in maxima miseria & ignominia constitutis, de qua conqueri pro nostra malitia non possumus, illos computari uidemus inter filios dei, hoc est inter dilectißimos amicos suos, & felicißimos angelos, quibus nihil fauoris & gloriæ deesse potest, qui nobis erant despectißimi, & nimium exosi. Et nunc sors illa felicitatis erit ipsorum hæreditaria portio, quia cum sanctis perpetuò lætabuntur. Nũc uidemus illorum felicißimã sortem, qui gratißimi creatori suo, feliciter illum laudant & laudantur. Nos uero omnium infelicißimi, confusioni & damnationi æternæ deputamur.

6 Ergo errauimus à uia ueritatis, & iustitiæ lumen nõ luxit nobis, & sol intelligentiæ non ortus est nobis.

Nos nunc fateri cogimur, sed nimium tarde & infeliciter, errores nostros, qui in tempore sapere noluimus. Errauimus à uera sapientia uerbi dei, à uia qua ad deum uenitur, à fide in deum & charitate in proximum, à ueritate ipsa, qui falsum elegimus, & mũdana caduca carnaliaq; sectati sumus. Et lumen iustitiæ, intellectus ueri & æqui, pietatis & fidei, sacræ scripturæ authoritas non luxit nobis: hoc est, ad lucem illius ambulare noluimus, oculos intellectus nostri occlusimus, fenestras obturauimus, sponte falsi sumus. Et sol intelligentiæ non est ortus nobis, in tenebris enim ambulare maluimus, ideo errauimus, impegimus, corruimus, damnati sumus.

7 Lassati sumus in uia iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus uias difficiles: uiam autem domini ignorauimus.

Vitiorum & cupidinum curis studijs & laboribus annexæ sunt multæ angustiæ, afflictiones & tædia, iuxta illud Ecclesiastes: Homini bono dedit deus sapientiam scientiam & lætitiam, peccatori autem afflictionem & curam superfluam. Via iniquitatis est ira, inuidia, amarulentia, impatientia, furtum, rapina. Et uoluptatibus quoque ipsis multa accidunt incommoda. In hac uia usq; ad lassitudinem laborauimus, & ad perditionem peruenimus, & uias difficiles ambitionum, cupidinum & curarum superfluarum ambulauimus, uiam autem domini, quæ est fidei & charitatis, Christi mysterium mũdo promissum & exhibitum ignorauimus, pœnitentiam horruimus, & mandatorum dei obseruantiam detestati sumus, ideo nunc dolemus.

8 Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?

Superbia fuit qua sensum & industriã nostram uerbo dei proposuimus, diuinis mandatis obedire recusauimus, sapientiores nos sanctis dei existimauimus, futura bona credere noluimus, præsentia tantum elegimus. Omnia hæc in nostram nos damnationem egisse nunc cernimus. Id nobis profuit, quod superbiæ patri dæmoni, ut præcipitati iaceamus in inferno, qui uocati noluimus beati esse in cœlo. Omne nostrum studium erat diuitias aggregare, & ex illis deinde superbire et libidinari. Quid id profuit nobis? Nedũ non profuit ad salutem, sed multum impediut & nocuit. Humilitas ad deum & homines, & liberalis diuitiarum cõtributio profuisset magis. Contulit nobis diuitiarum amor laborem in acquirẽdo, timorem in posidendo, dolorem in deserendo. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis?

9 Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est uestigium inuenire, neq; semitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis quæ trãsuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum uerberans leuem uentum, & scindens per uim itineris aerem, commotis alis transuolauit, & post hoc nullum signũ inuenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aer continuo in se recluſus est, ut ignoretur transitus illius:

Quid prosint homini iniquo diuitiæ & honores huius mũdi, ostendit quinq; similibus. Primum. Vmbra quæ lucem abscondit, & nullã habet stabilitatem, sed velociter transit: sic instabiles incertæ & ex alijs pendentes sunt, tam diuitiæ q̃ honores. Secundum. Nuncius est uelociter currens, moram non patitur, nusquam in uia subsistit. Ideo Iob dixit: Dies mei uelociores sunt cursore, transierunt quasi naues poma portantes. Hinc & tertium simile hic quoq; sequitur. Et tanquã nauis quæ pertransit aquam fluitantem continuo, nullo post se relicto uestigio. Quartum est. Auis aerem transuolans & nusquam uestigij signum post se relinquens, proscindendo uolatu suo subito aerem. Quintum est. Sagitta emissa in scopum, nullum in aere sui relinquit uestigium. Istis quidem quinque signis notatur mundana felicitas, ut euanescens umbra, nuncius præcurrens, nauis transiens fretans, auis uolans, sagitta penetrans. Habent tamen istiam exempla ista peculiaria significata uitia, quibus mundan subiacent, ut significare possit umbra uanitatem lasciuiæ, nuncius præcurrens humanam circumspectionem ad mala perficienda, nauis auaritiam mercatorum & instabilitatem, auis sublimitatem superbiæ, sagitta autem malitiosam innocentium diffamationem. Sed satis claret authoris institutum ex sequentibus, quid hõ signis intenderit.

10 Sic & nos nati cõtinuo desiuimus esse, & uirtutis quidem nullum signum ualuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus.

Omnibus his exẽplis admonemur nostræ instabilitatis, in quãtislibet nostris fortunis. Ab exordio enim subsistentiæ nostræ statim deficere cœpimus & corrumpi, consu-

consuti ex elementis contrarijs. Sicq; totius uitæ humanæ decursus instar instabilissimarum rerum & pernitiosissimarum, omnino instabilis est & incertæ subitaneæq; durationis. Sic & Iob dicit: Dies mei uelocius transierunt, q̃ à texente tela succiditur. Et omnis caro fœnum Isaias dicit, et gloria eius quasi flos fœni. Vnde discamus aspernari transitoria, & sectari perpetua & spiritualia, diuinaq; toto corde complecti.

11 Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt: quoniã spes impij tanquam lanugo est, quæ à uento tollitur: & tanquã spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus qui à uento diffusus est: & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.

impio uana.

Adhuc quatuor similibus docet impiorũ uanissimam spem, qua se in malitijs suis tutos credere non debeant. Dicũt ergo impij apud inferos, quo proijciuntur ob perfidiam suam, unde omnia peccata oboriuntur, ibi infelicissima confessione crimina sua sic agnoscunt, ut doleant quidem sed sine aliquo fructu, & cum æterna desperatione salutis: nulla enim ipsis ibidem spes succurrit, sicut in uita fide caruerunt & charitate: Spes impij tanquam lanugo est, flos scilicet tribuli, qui desiccatus leui motu fertur in aerem dissipatus, sic uana est & fallax in rebus mundanis & caducis. Et tanquam spuma gracilis uel bulla, ex aquæ inundatione consurgens, talis est uana gloria in mundo. Et tanquam fumus à uento circumfusus: ambitionis typum præ se fert, deijcitur enim & euanescit dum alleuatur. Et ut memoria hospitis unius diei prætereuntis, statim enim ut uenerit, & peregerit nuncium recedit: sic fortunæ rota continuo uoluitur, & transeunt cum ea qui illi fidunt.

12 Iusti autem in perpetuum uiuent, & apud dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum.

Descripta reproborũ uanitate, instabilitate & ærumna, subditur nunc de sanctorum perpetuitate, felicitate & gloria. Iusti, inquit, in hoc sæculo in fide & charitate uiuunt, cui in patria succedit uisio et certa possessio charitatis perfectæ & summæ beatitudinis. Qui enim in dominum credunt per Christũ, nõ morientur in æternum. Et qui sermonem Christi seruat, quod iusti cupiunt ex animo, non gustabunt mortem in æternum. Et apud dñm est merces iustorum. Vere enim merces dicitur, quam ex gratia detur beatitudo, quandoquidem non datur, nisi ex fide agentibus quæ deus præcepit, & quia promisit æternam uitam credentibus & obedientibus. Non quod sint condigna opera nostra felicitati promissæ ut mercedi, sed quia sic deus per gratiam tanquam mercedem dat & nominat. Insuper in nobis eadem gratia electionis operatur ea opera pro quibus præmiũ largitur, ut sua deus in nobis opera coronare sciatur, & sit omne bonum desuper descendens à patre luminum salutare electis. Et cogitatio iustorũ apud altissimum. Nihil anxius desiderant, proponunt & agunt, q̃ quod domino deo suo placere sciunt, pro quo agendo, eundem anxie implorant, à quo nullam mercedem postulant, nisi ut illi placeat uotum suum, & ut gratiam bene cupiendi non subtrahat: ut sic toti pendeant à domino, à quo se sciunt creatos, saluatos, & beatificandos, omnia ex gratia. Hæc est illa iustorum sanctitas etiam in hoc mũdo, ut se certò credant post hanc uitam perpetuo uicturos, & mercedem æternæ beatitudinis accepturos. Ideo omnis ipsorum cogitatio circa deum uersatur altissimum, non circa ea quæ mundi sunt.

13 Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu domini, quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.

Non potest deus negligentior esse & inclementior ad fideles suos, q̃ ipsi cupiant, orent siue credant, omnino enim uotis ipsorum respondebit sanctissimis. Ideo à deo dante per gratiam, propter Christum accipient regnum cœlestis gloriæ, & ornamentũ perfectissimæ speciei, id est tentionis eorum bonorum, quorum hic spem gerunt, & promissiones retinent ex uerbo domini, tunc possidebunt magna felicitate utriusq; hominis post iudicium, interim una stola quantum ad animam illustrandi. Donec uero assequantur cœlestem felicitatem ab omnibus eos malis defendit, ne obsint, sed omnia huiusmodi aduersa illis proficiant ad sanctitatem & gloriam. Ideo potentia sua diuina, sancto brachio suo per omnia iustos defendit, ne à dæmone, mundo uel carne superentur, sed in regno fidei & charitatis fiducialiter agant & feliciter, donec perfecta beatitudine quam sperant, in cœlestibus coronentur. De cuius regni cœlestis claritate dicitur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi. Dicitur q̃; decor domus domini, & locus habitationis gloriæ tuæ, ubi nõ est necessaria lux solis, uel splẽdor lunæ, sed dominus ibi erit lux sempiterna.

14 Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturã ad ultionem inimicorum.

Hostiũ dei ultio.

Vt iustos suos dominus consolatur, adiuuat & remunerat gloriosissime: sic iniustos & impios hostes suos ac perfidos contemptores bonitatis & promissionum eius digno zelo & iusto iudicio terret, persequitur & damnat, humano more loquendi, ut intelligatur ab hominibus. Amor, inquit, iustitiæ diuinæ armabit se, & zelo indignationis digne procedet cõtra huiusmodi iniquos, armis potentiæ diuinæ, & seueræ ultionis: quæ accipere dicitur, dum punire impios aggreditur. Vnde & sancti orant: Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutoriũ. Et omnes creaturas suas armabit in ultionem inobediẽtiæ & contemptus hostium. Vtetur ad afflictionem impiorũ omnibus elementis, aeris impressionibus, cœlorum & astrorum uiribus, bestiarum iris, & hominum quoq; malorũ crudelitatibus. Omnia enim hæc seruiunt domino, & præsto sunt ad uindicandã iniuriam, etiam nolentes uel impie intendentes, quæ tamen & illa punietur pro sua in deum inobedientia, & prauæ uoluntatis ministerio.

15 Induet pro thorace iustitiã, & accipiet

pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem, acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Diuina iustitia sua utetur pro thorace deus, galea eius erit certum iudicium & infallibile, quod & declinari nequeat, & clarissima æquitate sua conspicuũ ab omnibus necessario approbetur, etiam ab his qui puniuntur. Scutum dei est inexpugnabilis æquitas, temperata clemẽtia et pietate, quia uniuersæ uiæ domini misericordia sunt & iudicium. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, ait Abacuk. Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Sententiam damnationis stringet, ueluti diram lanceã, sine misericordia liberante, in perfecte impiũ contemptorem. Egredietur gladius de uagina dei irreuocabilis contra insensatos, de quibus est dictum: Omnis creatura dei cupiet persequi impios cõtemptores creatoris sui, terra excutiet eos, & cibum negabit, aqua non potabit, sed submerget & præuocabit, aer inficiet, ignis torquebit, animalia persequẽtur, &c. Sol & Luna retrahent lumen suum, grandines & tonitrua ædent æthera, excandescet omnis creatura in tormentum aduersus inustos.

Iudiciũ dei in impios.

16 Ibunt directe emissiones fulgurũ, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabũtur, & ad certum locum insilient.

Coruscationes diuinarũ uindictarum atq; terrorum, emissionesq; fulgurum rectissime immittentur, & certissime illos inuadent & tangent, qui hostes dei esse maluerunt, quàm suo obsequi domino & creatori. Non solum autem rectissime dirigentur iacula dei, sed etiam fortissime & inuincibiliter. Sicut à bene curuato fortissimo arcu fortissime infigitur iaculum, quod non possit ab aliquo excuti uel dispelli: sic fulmina dei è nubibus excutiuntur, ab irato conditore & moderatore mundi, ad exterminium certissimum & horrendum impiorum hostium dei & suorum electorum. Ad certum locum hæc dei iacula & fulmina insilient sine aliquo errore, ut ea nemo quamuis fortissimus uel maximus hominum possit declinare uel superare.

17 Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.

Iram quoque suam in impios ostendet per grandines, quæ ueluti si à petra sumantur & excindantur. Sic multam & horrendam uindictam mittit deus in suos inimicos, ut se multitudine sua defendere non possint: quin ab acutis, duris & magnis instar petrarum grandinibus prosternuntur impij, dum illos deus aggredi decreuerit, ut Chananæos & Assyrios, omnesq; alios osores dei, et persecutores fidelium amicorũ dei. Potest etiam aquas fluminum assumere creator earum ad se uindicandum contra insensatos, quas ubi uult facit excurrere durissimo cataclysmo, ut inundẽt & inuoluant inimicos suos, ut fecit in mari rubro Aegyptijs, fidelium oppressoribus. Eandem potentiam habet usq; in præsens, & semper tenebit, à nemine impediendus, quo minus æthera, aerem, nubes, maria, pro suo conditore armentur contra iniquos.

18 Contra illos stabit spiritus uirtutis, & tãquam turbo uenti diuidet illos: & aderemum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet sedes potentium.

Adhuc contra insensatos & iustorum hostes stabit insuperabilis uirtus & uehementia uentorum, quibus ædificia, arbores, naues, & altissimi turres deijciuntur, dum mãdat dominus, ut diuidantur & dispergantur inimici dei, ne coadunati plus noceant. Et tanquã turbo uoluet & disijciet impios iudicium dei, ut nusquam consistere ualeant: terrasq; ipsorum propter impietatem rediget in solitudinem, ut fame & siti conficiantur. Et in summa, quicquid malorum in hoc mundo obtingere potest atq; grassare in hominum exterminium, quicquid horrendum timeri potest & nocere, maxima & insuperabili uehementia, id totum in sedes potentium, & in turrium arces ac castra incidet, omnia euertendo & prostrando. Impietas enim & abusus potẽtium, causas præstabunt necessariæ euersionis & expulsionis earum, quam dominus suis facile artibus procurabit.

CAPVT VI.

1 MElior est sapientia quàm uires: & uir prudens, quàm fortis.

Qui olim robusti & fortes præ aliis hominibus erant, per tyrannidem cœperunt opprimere imbecilliores, & qui astutiores erant, decipiebant simpliciores, quãdoquidem pro sua tantum gloria & utilitate soliciti erant, ad subditorum cõmodum nihil respiciẽtes, ut de Nemroth in Genesi legitur, qui cœperit robustus esse uenator corã domino. A quo tempore fortitudo hominum æstimari cœpit magis q̃ ratione uel charitas, interimq; semper potentiores sese beatos ac meliores putant, illi quàm maxime, qui de uerbo dei, unde habetur uera sapientia, nihil curant, sed abijciunt potius, & non credunt. Tales hic sapiens Salomon corrigit & instruit, dicens: Melior est, & quæ desiderari magis debet, etiam à regibus & mundi gubernatoribus, quin & ab omnibus in communi hominibus, sapientia quàm fortitudo: scientia scilicet uoluntatis & beneplaciti diuini, quæ discitur ex uerbo dei, unde docetur homo iustus contemptũ rerum caducarum, desiderium æternorum, odium uitiorum, beneficentiam in proximos, fidem in deum, humilitatem & temperantiam ad seipsum. Hæc & similia docet uerbum dei, & sapientia quæ desursum est, quæ uere est sapientia: & non solum intelligentem, sed etiam bonum iustum & sanctum facit & deo gratum, & ad ueram gloriam ac beatam uitam perducit in præsenti & futuro sæculo. Melior quoque est uir prudens quàm fortis. Felicius proficit homo in studijs suis, qui prudenter agit & circumspecte, cum timore dei & sapientia diuina institutus, quàm qui uiribus suis nititur, & ponit carnem brachium suum, nescit quid debeat sed quid possit agens, & non pro iustitia proximis uiribus suis utitur, sed pro opprimendis, ut à multis

multis timeatur, & commodum sortiatur, nemini uero sit utilis. Melior est sapientia quàm arma bellica: domino enim uolente peribit fuga à ueloce, & fortis non saluabit animam suam. Et Prouerbiorũ 19. in eandem sententiam dicitur: Melior est patiens uiro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Est ergo inprimis inquirenda sapientia, & tunc fortitudo proderit.

Sapientia principium.

2 Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ.

Sine sapientia consistere iustitia non potest, quæ tamen maxime necessaria est rectoribus & primoribus: & per disciplinam, hoc est, auditionem uerbi dei, & repressionem carnalium affectionum obtinetur. Ideo primum hortatur Sapiens reges ipsos, id est, principes populorũ, ut audiant, scilicet, quid dominus per spiritum suum loquatur in Salomone uel sacris literis: est enim id ante omnia commodũ, ut qui docere & docti esse debent, primum audiant, & insuper quid dicatur uel à docente intendatur, clare intelligant, ad quod ut plurimũ præ alijs intellectum, ingenium ac iudicium ex dono dei & naturalitatis prærogatiua susceperunt, quod non tam communiter seruis contingit, & ruri colendo tantum ordinatis. Vos, inquit, qui cardines terræ, angulos atq; fines, mores hominum in regionibus uiuentium iudicatis, officio uobis demandato cœlitus.

3 Præbete aures uos qui cõtinetis multitudines, & placetis uobis in turbis nationũ: quoniam data est à domino potestas uobis, & uirtus ab altissimo, qui interrogabit opera uestra, & cogitationes scrutabitur.

Modestiam ostendite uel in hoc, ut libenter aures adhibeatis uestras ad fructuosas exhortationes, pro regimine honesto uel glorioso, & subditis consolabili & grato: auscultate auribus, & cordibus perpendite, quæ à sapientia uobis reuelantur agenda. Vos, inquam, commissas uobis hominũ multitudines pascere, docere, defendere, & regere debetis, ex officio à domino deo uestro uobis commisso, ut iuxta uocationis uestræ exigentiam, digne coram pastore pastorum domino dominorum ambulare positis, non uos tam dominos quàm patres esse intelligatis subiectis hominibus. Qui uobis quidem secundum humanum ingenium placetis, & de delato tanto honore gaudetis, ut tot uobis nationum turbæ sponte & cum humili subiectione obediant, seseq; patiantur doceri, dirigi, regi, & ordinari, ad uestram uoluntatem. Placere uero uobis poteritis, si me audieritis, uel in hoc ut multis prodesse uelitis: & nõ tam formidari uel odiri studeatis quàm amari & commendari, si pro accepta gratia meliores, prudentiores, ditiores & uirtuosiores reddantur, ut in tranquillitate sub tam iusto principe diu uiuere delectet. Ad hunc enim finem commissa uobis à deo est potestas in homines deo amabiles, quos condidit, amat, nutrit, & zelat, ut filios indulgentissimus pater. Illius uos summi imperatoris præfectos agnoscite, ut non solum cogitetis uos hominibus prælatos esse, sed etiam deo uestro subiectos uos esse. Non propter uos condidit illos deus, sed propter eos uos instituit, & uirtute illustriore exornauit, ut quod ex ipsius uoluntate & ordine expedire debetis, illud sua gratia ad publicum bonum positus. Non ex uobis ipsis habetis potestatem hanc in populos, sed à domino uobis data est, & auferri potest dum ille uult, si in depositio infideles eritis, si gloriam uestram, fastum & luxum, nõ subditorum profectum, in pietate & tranquillitate rerum inquisieritis & intenderitis. Vtcunq; alti situs & potentes, est tamen altissimus, à quo pendet & potentia uestra & altitudo. Is ubi uolet, deponet superbos de sedibus, & humiles exaltabit. Illo altissimo domino uestro rationem facietis de commissis & obmissis, de datis et acceptis, de uobis & subditis, de salute ouium commissarum & perditione. Hoc est enim interrogare, hoc est in quæstionem uenire uerba & opera magnatum: nec solum hoc, sed & cogitationum inquisitor est & recognitor, quas usq; ad minimum discutiet, & fidem exquiret in commissis: quæ omnia simplici ex corde, & synceriter peracta uolet, fidelemq; in modicis deprehensum, super multa constituet.

4 Quoniã cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legẽ iustitiæ, neq; secundum uoluntatem dei ambulastis.

Hæc quidem posthac audire, intelligere, agere, & absoluere edocemini, quod hactenus neglexistis, quia sapientia uera, quæ habetur per fidem uerborum dei, caruistis, creatoris uestri uoluntatem ignorastis, uel agnitum neglexistis, solum quæ uestra erant curastis, non quæ domini uestri & subditorum uobis commissorũ. Existimastis uos dominos esse populorũ, de quibus quæ uobis tantum seruirent, ordinastis, ut magni tantum essetis, quum aliud nihil sitis quàm ministri regni illius iuste administrandi, adeoq; ipsius iustitiæ salutis & pacis idonei conseruatores ac uindices, ideoq; gladium accepistis à domino commissum ad laudem bonorum uindictamq; malorum. Vos uero ob uestrum commodum & libidinem iudicium deprauastis; non syncera intentione, sed ad fauorem uel odium pro uoto iudicastis; ad auaritiã, pompam libidinemq; sententias dixistis, & legẽ iustitiæ de seruanda tranquillitate & pace, de uindicandis iniquitatibus, de defensandis uiduis & orphanis, de proximo supportando & iuuando à quolibet, ut quisq; uelit & adiuuari & ferri. Hæc & huiusmodi ad legem iustitiæ pertinentia non egistis, neq; secundum uoluntatem domini conuersati estis, sed secundum traditiones uestras, quas ad uestrum commodum, gloriam & honorem contra uerbum domini excogitastis, personas attendendo, non causas, uestras quoq;, non meas, nec populi mei uobis creditι & commendati.

5 Horrende & cito apparebit uobis: quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet.

Iudiciũ dei cõtra tyrannos.

Qui nunc sine timore dei & sapientia uera regitis, & dominamini populis, ac ueluti malus seruus in absentia domini percutitis, oneratis & calcatis familiam domini, tanquam emptitios seruos contemptim tractatis & tyrannice, non ut ministri, sed ut domini & tyranni. Cito horrendum iudicium domini uestri sentietis, appare-

bit iustissimus iudex uester, in hora dum nõ cogitatis, horrenda facie & graui decreto importabili pœna & ira irreuocabili. Id uero fiet tantum in extremo iudicio generali, quod forsitan non creditis: nec tantũ in hora mortis, quam non præcogitatis, sed etiam propediem completa crudelitatis mensura, subito dum non timetis, crudelior uobis exactor me iubente superueniet, qui uobis pœnas restituet, quando per libidinem dominandi uobis excideratis, & ministros uos dei & populi esse minume cogitastis. Quoniam durissimum iudicium fiet in his qui præsunt: quanto enim gradus altior, tanto lapsus grauior. Et qui in hunc finem à domino naturarum conditore & gratiarum dispensatore, eo loci & dignitatis ac officij profecti sunt, ut alios doceant, regant, defendant, consolentur & diligant, illi longe durissima uindicta digni habebuntur, & iudicium horrendum incident, si eosdem seduxerint, negligant, odiant, opprimant, et factis scandalizent. Et qui dei uices gerere debuerant, hi sese satanam exhibeant & latrones. Cui plus committitur, ab illo plura exigentur. Quo plus insolescunt humana iudicia, eo horribilius inciditur in diuina. Et qui nunc per tyrannidem punit subditorũ uitia, paulò post per seipsum percutiet insolentiam prælatorum.

6 Exiguo enim conceditur misericordia: potentes aũt potenter tormenta patientur.

Facile parcitur exiguis hominibus ab homine, multo magis à deo qui ex ignorantia, fragilitate, uel tentatione ardua præuaricantur in legem, quibus pauca uel modica commendata sunt, qui & in leuioribus delinquunt, et plura in hoc mundo aduersa ferunt, parumq; officiunt. Potentes autem, uiolenti, superbi, uani, & dominum deum suum non cogitantes, & pro potestate agentes quæ libent, non quæ licent, alijsq; exemplo sunt delinquendi, suaq; potentia abutuntur: hi grauiter & multum uapulabunt, quanto magis domini uoluntatem sciunt uel scire debent. Hæc si cogitarent potentes, non sic de superioritate certarent, non summum pontificatum sibi arrogarent, & non tam de subditorum salute quàm de propria prærogatiua soliciti forent. De quo iuuat Bernardi uerbum adscribere ad Eugenium Papam secundum: Audi, inquit, canticum meum minus suaue, sed salutare. Monstruosa res est gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & uita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: cultus grauis, & actus leuis: caput canum, & cor uanum: facies rugosa, & lingua rugosa: ingens authoritas, & nutans stabilitas.

Bernardus ad Eugeniũ

7 Non enim subtrahet personã cuiusquã deus, qui est omniũ dominator, nec uerebitur magnitudinẽ cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.

Nemo tam humilis modicus & neglectus est inter homines, quem ignoret deus, uel quem sibi subtrahi patiatur, quo minus uniuersali prouidentia sua illum moderetur. Nemo tam priuatus, ut eximi possit, uel excludi iudicio dei. Dominus enim est omniũ, in cuius manu & prouidentia cuncta consistunt, qui ait: Quis similis mei? aut quis sustinebit me? aut quis est iste pastor, qui resistat uultui meo? qui non uerebitur magnitudinem cuiuscunq; qui sit omnibus potentibus sine proportione aliqua potentior, qui pariter una uoluntate & potentia condidit æquæ pusillum & magnum. Pater est omnium, & se talem esse haberi & nominari uoluit, & inuocari præcepit, nihil odit uel negligit eorum quæ condidit, æqualiter illi cura est de omnibus, una prouidentia, circumspectio, agnitio & uoluntas illi adest de omnibus, omnes hominũ uult saluos fieri, omnia moderatur.

8 Fortioribus autẽ fortior instat cruciatio.

Qui à domino gratiam & munus fortitudinis acceperunt, illo quoq; uti iussi sunt ad salutem proximorum, ad pacem publicam, ad gloriam dei, non ad tyrannidem & oppressionem imbecillium: qui igitur abutuntur [illo] no tanto, non mirum si ingratitudinis uitio graui obnoxij sunt, & grauiori cruciatu non tantum in futuro seculo damnandi, sed etiam in hoc mundo à domino puniendi. Cuius exempla quotidie cernuntur, si libeat de singulis cogitare: maxime uero si tyrannorum conscientia perscrutari posset, illi sciunt quibus compedibus à domino colligati ducantur, non quò uolunt: nõ enim tantum mali possunt, quantum anxie cupiunt, sed quantum dominus permittit, non sine illorum quoq; infelicitate.

9 Ad uos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis.

Omnibus quidem hominibus necessaria est sapientia, qua quid sint, à quo sint, quid deo debeant, quid proximo, quid credendũ, quid sperandum uel operandũ sciant. In primis tamen aliorũ hominũ rectores & pastores dei spiritum appellantur, & per uerbũ dei qui & reges dicuntur, non à coronis, equis, diuitijs, honoribus uel cubilibus, sed ab officio regendi, ut regant sibi à domino commendatos, ad domini dei sui beneplacitũ, ideo hos nũc scribendos sermones iubentur discere, ut discant sapientiam, ad alios docendum atq; regendum. Ne si rerum diuinarum & legis dei ignari fuerint, excidant tam à sapientia quàm à salute cum illis quos instituendos & regendos susceperunt.

10 Qui enim custodierint iustitiam, iuste iudicabuntur: & qui didicerint iusta, inuenient quid respondeant.

Postquam sapientiam edocti fuerint, iustitiam quoq; facere scient, & quod iustum est deffinire, & iudicare, & mulq; & agere uel tutari in se & in alijs, & in eo scient summum deo cultum, & acceptissimum exhibere, si scilicet æquabilitatem doceant, & uindicent inter homines, & fidei iustitiam ad deum conseruent. Hi nanque à domino iuste remunerabuntur, clementem & pium iudicem experientur, tale iudicium auferent, quale alijs prouexerunt. Iuste iudicabuntur, hoc est, præmium iustitiæ illis tribuetur. In qua enim mensura mensi fuerint, in eadem remetietur uobis. Qui uero didicerint iusta, hoc est, iustis, æquis, sanctis & pijs rebus studuerint, uerbo dei, iustitiæ iuribus, fidei articulis, & charitatis officijs sese exercitauerint, & illa didicerint unde iustitia proueniat, mouetur: hi semper ad manum habebunt rationem [fidei] doctrinæ

doctrinæ & uitæ, non confundentur, non superabuntur, nõ fallentur. Paratus talis erit semper ad satisfactionem omni petenti rationẽ de ea quæ adest fide & spe. Talis ut sit episcopus Paulus docet, Potens sit exhortari in doctrina sana, & eis qui contradicunt resistere.

11 Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.

Sapientia hæc regibus necessaria & perquirenda, non tantum assequi potest, sed id etiam faciliter: uerum si ea diligatur, appetatur & inquiratur. Primum ergo hortatur sapiens, ut concupiscantur sermones eius, qui diuino loquitur spiritu, sacrarum scilicet literarum peritia appretietur, ut est pretiosissima, quia certe constans & utilissima. Ex eis enim sermonibus disciplina salutis discitur, & quicquid ad pietatem ac honestatem pertinet. Id autem fit si diligatur, si appretietur, si cæteris disciplinis sæcularibus præferatur ueluti diuina.

12 Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facile uidetur ab his qui diligũt eam, & inuenitur ab his qui quærũt illam.

Diligenda est & studiose inquirenda sapientia, quia clara est, sine tenebris falsitatis: sed si simpliciter à simplicibus legatur, non fastuoso animo tumentibus, non ut sancti fiant sed ut docti habeantur, & nectere nodos studeant, circa singula dubitare, & pro contrario eius defendendo æque esse instructos. Qualis iam aliquot sæculis sapientia potius impostura dicẽda uel sophistica ostentatio uisa est, de qua extant uolumina sine numero. Ea enim clara nõ est, sed Scotica potius, & stupenda, secundum Thomæ & Scoti nomina. Vera sapientia, de qua hic loquitur, clara est, & quæ nunquam marcescet, sed floret pulchre, & utiliter fructificat, pascitq; feliciter animas, non omnium quia non uanorum & superborum sed piorum atq; humilium. Sophisticam autem marcescere quis non uidet? Eadem sapientia uera facile discitur, quandoquidem intellectui humano ueritas clara maxime arridet & naturaliter placet, ideoq; intelligitur, quum falsitas & error persuaderi quidem possit, sed intelligi certo non possit. Sed tamen non intelligitur uera sapientia uel uidetur, nisi ab his qui diligũt eam, ut facilia sunt amanti omnia. Ego, inquit, diligentes me diligo: & qui mane uigilauerint ad me, inuenięt me. Inuenitur quoq; ab his qui illam quærunt assidue, humiliter & fideliter. Sic enim sapientia dei loquitur Christus: Quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuent, &c.

13 Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.

Concupisci etiam uera sapientia non potest, nisi præoccupato per fidem animo, quæ & ipsa est sapientia, & per præuenientem dei gratiam, quæ longe propensior est ad se nobis communicandum, quàm nos simus ad exorandum eam. Ego, inquit, sto ad ostium atq; pulso. Et in Canticis: Aperi mihi soror mea sponsa. Præoccupat sapientia studiosos, dum per dei gratiam ardor sciendi sancta confertur, dum authores idonei & præceptores à deo donantur, dum libri utiles & ad pietatem apti proponuntur, in quibus sese ostendit prior, & fructibus salutaribus ostensis allicit, & à spiritu sapientiæ animus studiosi solicitatur.

14 Qui de luce uigilauerit ad illam, non laborabit: assidentẽ enim illam foribus suis inueniet.

Non omnes etiam ingenioſi & intellectu ualentes sapientiam ueram inuenunt, sed tantum illi qui de luce ad illam uigilant, qui antelucanis desiderijs, orationibus uel studijs illam inquirunt, qui desides & somnolenti non sunt, quos non pœnitet laborum, & olei ad lucernam, qui pro ea consequenda negligere possunt delicias carnis, & concupiscentias corporeas, qui studium præferunt otio, qui quæ mundi sunt & uitiorum eius non amant, non auari uel superbi, aut alijs criminibus inodati. Non enim habitat sapientia in corpore subdito peccatis. Is uero dignus ei discipulus & assiduus sine molesto labore eam obtinebit, studendo lætabitur, et delectabiliter operando proficiet. Inuenuet huiusmodi humilis & assiduus sapientiam, ipsum expectantem, assidentem illius foribus, ultro sese illi offerentem. Prouerbiorum octauo dicitur: Qui uigilat ad fores meas quotidie, inueniet me. Vere enim nobis sedendum est ad fores sapientiæ, ut illa quoq; assideat foribus nostris, ut diligentes eam, diligamur ab ipsa. Vigilare ad sapientiam.

15 Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus: & qui uigilauerit propter illam, cito securus erit.

Cogitare de sapientia, est illam cupere, & secundum illam uitam suam instituere uelle, nõ negligenter sectari, sed per media opportuna illam inquirere, dominum scilicet orando desiderijs ardentibus, audiendo scripturas, & ipsius interpretes, uel legendo, de ipsius scopo & fine cogitando, non ut eruditio habeatur, sed conscientia dirigatur, & operatio formetur ad illius præscriptum. Hoc qui egerit facile consummatus erit sensu: statim enim ueram sapientiam intuebitur, si falsa & arrogans non possederit conscientiam. Vigilare propter sapientiam, est solicitum aduertere domini uoluntatem, ad iustitiam fidei qua domino probemur, & ad charitatis fructum, quo proximis consulamus. Qui his rebus studuerit, cito securus erit, in protectione enim dei cœli commorabitur, à quo plurimum amatur, & à proximorum iniurijs non timebit: neminem enim offendet, & offensus non facile irritabitur, sed tutior consistet & felix. Sapientiam cogitare.

16 Quoniam dignos se ipsa circumit quærens, & in uijs ostendet se illis hilariter, & in omni prouidentia occurret illis.

Sapientia dei plena est omnis machina mundi: qui illam diligunt & sectantur, ubiq; eam inuenient. Non est creatura uel minima, quæ non sit uestigium aliquod sapientiæ & bonitatis diuinæ: sanctus ex omnibus proficit creaturis. Sapientiæ ueræ studiosus ubiq; eruditionis suæ negotiationẽ exercet, siue sursum aspiciat, siue deorsum, plena est terra maiestatis gloriæ dei, quam reuereri, aduertere, & pie inuestigare uera est sapientia. Circuit illa quærens idoneos discipulos, imò stat in plateis Sapientia plena totus mundus.

& clamat, quærit ut quæratur, uocat ut audiatur, instigat ad se inquirẽdum. Si quis eam diligit, pater cœlestis eum diliget, & ad eum ueniemus, ait sapientia patris, & mansionem apud ipsum faciemus. Dignu autem sunt, qui humiles & studiosi, non desides & uani. Si quis per uias uitæ incesserit, quas docet sapientia, id est, in diuinis mandatis, illi hilariter ac prompta occurret. Qui uero deserta rationis humanæ pererrarit, per philosophorum opiniones, raciocinia, disceptationes, & problemata, nõ sine magno labore labyrinthos euadet, si non potius aberrabit, ut abscedat insipientior. In omni prudentia occurrit studiosis indagatoribus sapientia, hoc est, ex omni studio quo prudenter incumbunt agendis, & prospiciunt quid facto opus, nunquam destituentur, semper sapientiores euadent, tam ex malis quàm bonis, ex erroribus & ex ueritate: studiosus enim sapientiæ ex omnibus semper proficere poterit. Sicut sancto omnia cooperantur in bonum: sic sapienti omnia ad profectum.

Sapientia digni & indigni.

17 Initium enim illius uerissima est disciplinæ concupiscentia.

Sicut pars sanitatis est, uelle sanari, & iustitiæ portio desiderare iustitiam, pars quoq; sapientiæ agnouisse suã insipientiam: sic felix sacræ eruditionis initium est concupiscere disciplinam, amare ueritatem, appretiari sapientiam, etiam dum minus habetur, impigre tamen concupiscitur. Sed id fiat necesse est à non pigris, qui uolunt & nolunt: non à curiosis, qui ad fastum, & ut tantum appareant scire desiderant: nec ab auaris, et ob lucrum, quod sapientiæ præferatur, quum melior sit acquisitio sapientiæ negotiatione auri uel argenti. Tales enim non uere disciplinam, hoc est sapientiam, concupiscunt, multo minus ueriſime: sed qui eam concupiscit feruenter, pie & pure, iste iam assecutus uidebitur.

Initium sapientiæ.

18 Cura ergo disciplinæ, dilectio est: & dilectio custodia legum illius est.

Principalis cura, finis, scopus & fructus totius sapientiæ, quæ discenda est studiosis fidelibus, est ipsa charitas & dilectio, ut dominum deum nostrum propter seipsum, & homines propter deum diligamus. Similiter omnium legum diuinarum, & humanarum, quæ iustæ sunt, finis & absolutio est charitas. Qui enim charitatem seruat, totam legem impleuit. Et qui fratrem diligit, legem seruauit. Dilectio malum nõ operatur. Charitas enim patiens est, benigna est, charitas non inuidet, charitas non est procax, non inflatur, &c.

Sapientia cum charitate.

19 Custoditio autem legum, cõsummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum deo.

Perfecta sanitas mentis, & affectionum reformatio, fructus sunt conseruationis legis. Ad hoc enim lex datur, ut corruptio naturæ per primam præuaricationem aliquantisper redarguatur, reprimatur, timeatur, ac reformetur: sic enim suo modo naturæ corruptio restituitur in integrum, hoc est, consummatur, si mandata domini obseruentur. Sunt enim quasi remedia quædam naturæ destitutæ mandata dei, sed si ex fide & dilectione seruentur, non ex solo timore pœnarum: & ubi ex transgressione præceptorum pro imbecillitate nostræ conscientiæ remorsus damnauerit, sciamus unde gratiam & indulgentiam consequamur, non ex operibus legis & sacrificijs, sed ex fide in Christi perfectum sacrificium & illius merita, qui est & iustitia nostra, & sapientia illa, de qua hic dicitur, quod sit incorruptionis scilicet restitutæ consummatio. Incorruptio autem quæ proximum deo facit, alia non est quàm sapientia illa dei Christus, & ea qua sic sapientes per fidem sumus, ut in illo solo spem nostræ incorruptionis ponamus, qui liuore suo sanauit nos, et corpus fregit suum, ut nostras saucias animas reformaret atq; iustificaret. Proximus denique deo est, qui perfectioni studet, & quotidie bellum gerit cum imperfectionibus suis. Et si quid minus succedit pijs huiusmodi uotis, nouit Christum, ad quẽ profugiat, in quo sibi deum placatum non ambigit.

20 Concupiscentia itaq; sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

Concupiscentia sapientiæ est amor, affectus & desiderium assequendi ueram sapientiam, quæ non est nisi a sancto spiritu, donum dei, quod electis datur, scilicet desiderium per omnia deo placendi, auscultandi uerbo domini, & de diuinis rebus necessaria & digna cognoscendi, scire in quibus domino complacere possit, & creatori suo obedire. Talis autem amor sapientiæ ueræ, desiderium intelligendi domini uoluntatem, arra est felicitatis æternæ, signum gratiæ non perdendæ. Non enim uanum erit hoc desiderium, sed ad sancta continuo impellet animum, & sapientiæ illius scopum recta semper attingere conabitur, & non deflecti, secundum quod scribitur Ecclesiastici sexto: Cogitatum tuum habe in præceptis dei, & in mandatis illius maxime assiduus esto, & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. per quam, ut hic dicitur, regnum assequeris perpetuum.

21 Si ergo delectamini sedibus, & sceptris ô reges populi, diligite sapientiã, ut in perpetuum regnetis: diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis.

Singulis quidem necessaria est sapientia electis, maxime tamen regibus & prælatis, ideo frequentius admonendi, ut ipsam non negligant, sine qua non soli, sed cum omnibus subditis periclitabuntur, de salute temporali nunc & post hanc futura. Dicit ergo: Quamuis quidem uos ô reges & præsides, & qui populos subiectos tenetis, delectat eminentia, potestas & regnum, et in solijs gloriæ sedeatis, & omnia uobis subesse consideretis, & in turbis nationum uobis placetis, cogitate de assequenda sapientia uera, ut domini dei uestri uoluntatem & beneplacitum sciatis, & diligenter obseruare desideretis: diligite saltem sapientiam, & eos qui sapientiæ student, ut sic regere subditos possitis, quomodo domino placeat & prosit ipsis: alioqui sedibus ejicieminu, si uestra minu, si inique egeritis, & sceptris priuabimini, si uestra potestate abusi fueritis. Qui enim pro uoluptate & fastu regnant, et timorem dei, qui est sapientia uera, postponunt, ut nihil prosint subditis, sed exosi fiant, & tyranos agant, hi diutius ferri non poterunt, sed cũ ignominia

minia propediem, hoc est, ad primam opportunitatem eijcientur. Non enim diu subsistit, quod cum uiolentia sola sine fauore asseruatur. Omnes ergo qui feliciter populis præesse cupiũt, sapientiæ studeant, quæ docet modestiam, clementiam, pietatem, timorem domini, subditorum profectum, & gloriam dei.

22 Quid est autem sapientia, & quemadmodum facta fit, referam: & nõ abscondam à uobis sacramẽta dei, sed ab initio natiuitatis inuestigabo, & ponã in lucem sciẽtiam illius, & non præteribo ueritatẽ, neq; cum inuidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.

Post hac & in sequentibus docebo, quæ debeat dici & haberi uera sapientia, cuius scilicet consummatio regnum adducat æternum, et prosit populis, deumq; promereatur & colat, quomodo detur hominibus pijs, ad quem finem, quibusq; medijs. Sacram doctrinam dei, & mysteria salutis à deo promissa & donata hominibus non abscondam, sed clare exponam quid uera sapientia doceat, & quomodo contingat sanctis à iuuentute et prouidentia dei, & qua de causa regibus & prælatis donetur inquiram diligenter, & quid de uera sapientia dici, sentiri, iudicari, & scribi possit patefaciam ponamq; in lucem: id autem cum omni ueritate & certitudine. Nec pro quacunq; inuidia quippiam de illa relatione dignũ, & quod ab hominibus carpi possit abscondã, aut reticebo. Nullum est enim mihi commertium cum inuidia uel perfidia quacunq;, quæ enim domino liberaliter docente assequutus sum, illa nõ grauabor auditoribus palàm facere, & fideliter docere. Qui enim gratiã spiritus sancti pro dei fauore abunde consecutus est et sine meritis, is si eam consortibus & fratribus inuideat, impijssimus iudicabitur. Quæ enim gratis à domino accipiuntur, ea & gratis alijs indigentibus communicentur & sine inuidia. Sapientiæ ueræ particeps non erit, qui illam non propagauerit in electos. Et indignus sapientiæ habebitur, qui eandem fratri communicare noluerit: ideo liberaliter communicabo proximo donum dei, quod non abscondendum suscepi à domino.

23 Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum, & rex sapiens populi stabilimentum est.

Sapientes qui deum timent & religiose uiuunt, gloriam dei zelant, orantq; deum pro salute multorum, hominibus prodesse cupiunt pro uirili: hi sanitas sunt orbis terræ, propter eos dominus fert mundi delicta, & benefacit etiam indignis multis propter paucorum fidem & orationem. Illi enim ut poterunt, alios ædificant, corripiunt, purgant, illustrantq; uerbo et operẽ. Sicut enim sanitas corpori inducitur ex proportione humorum & integritate membrorum: sic per sapientiam prælatorum ecclesiæ totius corpus bene ualet, et aptatur ad actus uitæ & salutis. Pretiosi enim spiritus est uir eruditus, & labia sapientum eruduint plurimos: Sic rex sapiens, qui sapientia sua prodesse cupit subiectis pro officio & fide, is erit stabilimentum tranquillitatis & pacis, honestatem enim & pietatem ad homines & ad deum fideliter propagabit, conseruabit, & suis omnibus hostibus præualebit: unde & felix respublica quæ sapiente uiro regitur & paret.

24 Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit uobis.

Sapientiam ergo discite quam docebo. Ideoq; disciplina nominatur, quia à discipulo suscipitur, uel suscipienda proponitur sapientia. Per sermones meos, nomine Salomonis dicitur à Philone, uel sic in libellis derelictis à Salomone reperitur, quæ tandem collecta sunt in iusta uolumina. Et uobis legentibus proderit docenda sapientia, si illam docueritis alios, & per exercitium perpetuam eam in profectum ecclesiasticũ ordinaueritis. Ex qua discetis quid faciendum uel quid uitandum, ne qui ignorat ignoretur.

CAPVT VII.

1 SVm quidẽ & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius qui prior factus est, & in uentre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamẽto somni conueniente.

Salomonis uerba uidentur tandem relata in hunc librum & alios, quibus reges instruit, ut humiliter & uere de se sentiant, non se omnibus meliores iudicent, nec deos uocari permittant, multo minus ambiant more tyrannorum, quum sint mortales & subiecti creatori suo, sola domini uoluntate assequuti hunc ordinem summum inter homines, & de illorũ consensu spontaneo siue extorto. Sum, inquit, ego quamlibet nunc rex, & per gratiam dei insignem præ alijs hominibus sapientiam consecutus homo, tamẽ alijs similis & mortalis, & pariter ut alij natus ex primo Adam, unde nos omnes descendimus propagatione seminis & naturali ordine. In uentre matris figuratus sum, caro concreta ex seminibus uiri & mulieris intra matricem, quod iuxta Augustinum libro 83. quæstionum, primis sex diebus totum quasi lactis aut spumæ formam accipit, sequentibus tribus incipiunt lineæ & puncta uesicularum, postea diebus sex in totum sanguis penetrat, sequentibus duodecim solidatur in carnem, & extenditur humiditas nuchæ. Deinde post dies nouem separatur caput ab humeris, & extremitates à lateribus & uentre, & usq; ad perfecta membrorum lineamenta formatur, ut quatuor sequentibus diebus singula discerni possint. Primum tamen membra principalia formãtur, quæ sunt cor, epar, cerebrum, & illis seruientia umbilicus, stomachus, testiculi: de hinc his propinqua, ultimo manus, pedes, & reliqua. De quibus uide potius naturales. Quod uero ait decẽ mensibus se in sanguine coagulatum, intelligit intra secundinam fuisse se inclusum usq; in decimum mensem, quo qui nascuntur perfectiores sunt & uitaliores, cum interim aliqui nono nascantur mense, alij octauo, alij septimo. Delectamen-

Reges seipsos nouerint.

Augustinus

tum somnij caste & uerecunde nominat libidinem coitus, quam dominus ordinauit ad productionem, sine qua non fit, sicut nec aliæ naturales emissiones: nec diu manet, sed subito euanescit ut somnium. Quin et nonnunquam sentitur in somnis, quæ dominus ad peccatum imputat, si præter à natura institutum ordinem & à Deo mandatum matrimonium contingat, & ex sola libidine procuretur, non tantum amore prolis, quam natura & deus intendunt.

2 Et ego natus accepi cõmunem aërem, & in similiter factã decidi terrã: & primam uocem similem oibus emisi plorãs: in inuolumentis nutritus sum et curis magnis.

Mox ut natus sum cœpi per aëris respirationem uiuere, actus quoq; uitales exercere, non secus ac cæteri. Similiter enim ut miserrima creatura decidi in terram, hoc est, fueram casurus, nisi obstetricis alicuius beneficio susceptus fuissem. Instarq; omnium aliorum infantum in uocẽ lamentationis erupi statim ut uentrem exiui, quasi ipso ploratu contestans me uallem lachrymarum ingressum, & in exilium relegatum ob transgressionem primorum parentum, paradyso destitutum, ob quam nascimur filij iræ & exules. Vtq; alij infantes panniculis inuolutus sum ob teneritudinem ac mollitiem, diu & solicite custoditus et educatus, multisq; periculis & angoribus parentum ac curis. Vt intelligamus miserias humanæ natiuitatis, immunditiam in conceptione, onus matris in portatione, dolorem in parturitione, & solicitudinem in educatione. Non est autem modica sapientia, sæpe memorem esse suæ natiuitatis hominem, ne superbe de se sentiat, alios sibi in talibus similes non spernat, creatorem ut admiretur, et de fragilitate carnis citius morituræ sese recolligat.

Miseria cõditionis humanæ.

3 Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium.

Non fuit ex regibus quisquam etiã potentissimis, qui non huiusmodi natiuitate prodierit in lucem. Mors dominum seruo, mors sceptra ligonibus æquat. Dissimiles simili cõditione trahit. Rabanus: Omnis homo terrenus ex uiri & mulieris semine ortus, temporalis uitæ sortitur exordium, & per mortem de mundo transit: sed cœlestis Adam, id est, Christus, qui sine semine uirili de matre uirgine natus est, proprium habet natiuitatis modũ, qui et mortis suæ ordinauit occasum. Decimo mense post Conceptionem Christi natiuitas eius celebratur à Christianis, & ab octauo Calendas Aprilis, quando conceptus creditur, usq; ad octauas Calendas Ianuarij, quando natus traditur, numerantur ducẽti septuaginta sex dies, qui faciunt nouem menses & sex dies. Et ita uerum est quod dicitur Ioannis secundo: Quadraginta sex annis templum corporis sui ædificatum est, id est, ducentis septuaginta sex diebus, qui quadragies sexies senarium habent, qui est numerus perfectus. Hæc Rabanus, quæ et in laudibus crucis pertractat.

Rhabanus de Christi cõceptione.

4 Vnus ergo introitus est omnibus ad uitam, & similis exitus.

Vna miseria conditionis & fragilitatis humanæ excipit omnes homines: nõ unum dignatur maiori honore, quamuis monarcham futurum, quàm filium molcmis ad molam. Omnes mundum ingrediuntur nudi, fragiles, imbecilles, flentes, & minimis officijs indigentes, longe duriore conditione, quàm aliquod animalculorum, tanto tempore edere non potest, multo minus incedere. Sic quoq; similiter exeunt, non quidem uno mortis genere, quandoquidem uariã incedũt uiam mortis, sed ad unam animæ & corporis separationem, propter corruptam corporis harmoniam, idq; fit modis uarijs: et quia pariter terrena relinquunt, & in angustia anima corpus deserere cogitur.

5 Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & uenit in me spiritus sapientiæ:

Quia igitur in tanta miseria, & omnium rerum egestate natus sum, & in omnium rerum ignorantia et imbecillitate, ut omnes cæteri, ideo hanc meam sapientiam quam non quidem iacto, sed tamen ad gloriam bonitatis diuinæ abscondere & negare non debeo: non sum assequutus proprio ingenio, studio uel labore aut uiribus: nihil enim boni ex nostra assequimur natiuitate: sed ex dei gratia accepi, cum prius illam humiliter & cum deuota instantia postulassem, ut patet tertio Regum, & secundo Paralipomenon. Orandus est igitur dominus prosapientia, sed syncere ad sanctum finem, non ad uanitatem sæcularem, ad ostentationem, cum omnis de sapientia gloriatio ad deum sit referenda, qui eam dat solus. Non solum orandus, sed etiam labor adhibendus discendi: humiliter à magistro, & tunc à domino datur sensus, id est illuminatio intellectus, cum eius legitimo usu ad gloriam dei & ecclesiæ profectum, qui est declarare ueritatem, persuadere atq; defendere. Et inuocaui spiritum sapientiæ, & sine mora uel parsimonia datus est mihi quantum datori omnium munerum placuit, quantum electis suis prodesse cognouit. Non est enim dominus parcus dispensator gratiarum, si nos fuerimus seduli oratores & humiles, nec quid de nostris uiribus præsumeremus.

6 & præposui illã regnis & sedibus, & diuitias nihil esse dixi in cõparatione illius.

Eam sapientiam quæ docet uerum dei cultum, quæ fide, spe & charitate defertur, præposui, & nobilibus meis duxi potentiæ, honoribus & diuitijs. Regnis, inquit, mundanis, quibus homines honorantur, & quæ maxime placent sapientissimis quibusq;, & sedibus præsidentium & magistratuum sub regibus in statu utroq; spirituali & temporali. Et diuitias nihil esse dixi, hoc est nihil uilius pretij, honoris uel utilitatis, si comparentur sapientiæ. Nihil enim sunt, quia in maxima necessitate non iuuant, non in morte, non in iudicio, nec satiant hominum appetitus, sed irritant magis, in manu fortunæ sunt, non nostra: nec faciunt hominem meliorem, sed ut plurimum superbiorem, & ad magna perducunt pericula. Omnia autem contra de sapientia dicuntur, quæ docet mortem non timendam, pœnitentia iudicium præuenendum, bonis contentum esse, in caducis rebus nihil sperare, deo gratum reddit, & hominibus utilem atq; spectabilem.

Nec

7 Nec comparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.

Sapientiæ excellentia.

Non tantum honoribus & potentiæ præponit sapientiam, sed etiam gemmis, auro, et argento, sine quibus humanum genus, si sapientiam ueram uere coleret, commodius consisteret, ut de aurea mundi ætate narratur. Et Boetius: Heu primus quis fuit ille, auri qui pondera tecti, Gemmasq; latere uolentes pretiosa pericula fodit. Edebant arborum fructus, latices bibebant fontium limpidorum ad sitim & refrigerium, in pratis dormiebant, et sub umbraculis, lanis utebantur naturaliter coloratis, pannorum ignorabant tincturas, & mixturas liquorum, dolos mercatorum, crudelitates belligerantium: quæ omna ab insipientia & cupiditate sumpserunt exordium. Vnde quæ hominum usui necessaria non sunt, sub terra latere uidentur, ut sunt aurum, argentum, & gemmæ. Necessaria aũt & utilia prostant generaliter omnibus, & in abundantia, si boni perseuerent. Aurum id est pecunia comparatur arenæ maris, quia sterilis à bonis operibus est auarus, iñõ enim capit ex eis fructum. Dissoluta est etiam, quia inter amatores pecuniæ nulla est cohærentia charitatis. Grauis est quoq;, quia deprimit à cœlestibus ad terrena amor diuitiarum. Luto quoq; argentum comparatur, quia contaminat possidentes, non modicis uitijs, quamlibet alioqui sit creatura bona, tamen maculam affert amor nummorum. Vt Abacuk dicit: Væ qui multiplicat nõ sua, usquequo aggrauat contra se densum lutum? proq; fiscositate sua retinet quos arripuerit, difficileq; dimittit semel captos amore.

8 Super salutem, & speciẽ dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius.

Excellẽtia sapientiæ.

Præfertur sapientia uera sanitati corporis, & temporali prosperitati, pulchritudini quoq; corporis & fortitudini, & quicquid elegans & pulchrum habetur in corporalibus, eam si quis diligat & appretietur, omnibus illis bonis bene utetur, quia per eam perficiuntur & prosunt, si ipsa desit omnia ista nihil utilitatis adferent, Apostolo dicente: Existimo omnia detrimentũ esse propter eminentem scientiam domini nostri Iesu Christi, propter quem omnia arbitror ut stercora. Pro luce habere eam, est sapientiam ductricem sequi, secundũ illam sentire, loqui, & agere. Lux exterior dirigit quæ foris sunt, sapientia autem uerborum dei intus animum docet in agendis. Quoniam inextinguibile est lumen illius, non corrumpitur per se, uel natura sua, semper enim manet, etiã dum sensus exteriores langescunt: in patria quoq; nõ excidit sicut nec charitas, sed magis tunc perficitur, quod nunc est ex parte.

9 Venerunt aũt mihi omnia bona pariter cũ illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in oĩbus: quoniã antecedebat me ista sapiẽtia, & ignorabam quoniam horum omnium mater est.

Cum syncero corde sapientiam postulassem à domino, ad salutem mihi commissorum fidelium, & ad iustitiam conseruandam in regno, sponte & affluenter dominus eam mihi contulit, & insuper de sua liberalitate, quæ nõ oraueram adiecit, famam, gloriam, honorem, & opulentiam. 3. Regũ 3. Honestas quoq; copiosa et abundans, cum sapientia mihi data est, probitas, modestia, fortitudo, & uirtutum multarum chorus. Sapientiæ enim quæ donum est dei connectuntur aliæ quoq; uirtutes, facit hominem probatum, constantem, & disciplinæ subditum. Quærite, inquit Christus, regnum dei, hoc est uera sapientiam ex uerbo dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Et lætatus sum in omnibus siue prospera mihi contigerint siue aduersa, semper est me consolata huiusmodi mihi data sapientia, intellexi enim domini uoluntatem, qua causa mihi uel contraria immiserit, uel prosperis fuerit prosecutus. Ea enim instruente sciui abundare ac penuriam pati, diuitijs uti, & paupertatem ferre. Antequam sapiẽtiam assequerer, nesciebam honestatem & fructum eius. Ignorabam quod mater esset pulchræ dilectionis & honoris sanctæ spei. Mater, inquã, est omniũ cæterarũ uirtutũ, quæ suos cultores ad uitã præparat felicissimã. Et ueluti mater nutrit, dirigit, docet, solatur, ditat, glorificat, & exhilarat, defendit, et nunq; deserit, sed se superimpẽdit pro filijs. De omnibus istis docuit me experientia, sicut & alios alumnos suos.

Sapiẽtia uera regnum dei.

10 Quã sine fictione didici, & sine inuidia cõmunico, & honestatẽ illius nõ abscõdo.

Cum essem syncerus, integer & probus, illam discere potui spiritu illustrante, ex reuelatione diuina, & studiosa meditatione uerborum dei, legis & traditionum paternarũ piarum. Eam quoq; liberaliter edoctus à domino, sine inuidia communico omnibus illam desiderantibus, uel nõ contemnentibus, docendo, exhortando, dirigendo, consolando, corrigẽdo. Id uero iuxta apostoli Petri admonitionem fecit, qui hortatur, ut unusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrando. Honestatem, fructũ scilicet & usum honestissimum sapientiæ cunctis aperio per uerba & scripturas, ut intelligatur à multis salubritas ueræ sapientiæ, ut & Iacobus: Quæ desursum est sapientia primum quidem pudica est, dein pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis.

Sapientia docenda.

11 Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo q usi sunt, participes facti sunt amicitiæ dei, propter disciplinę dona cõmẽdati.

Inexhaustus & inexhauribilis est & affluentissimus fons sapientiæ salutaris, quia infinitus thesaurus omniũ bonorum, non bestijs & insanis, non dæmonibus uel crudelibus, sed hominibus & humanis, credentibus & pijs, inapretiabilis illis thesaurus est. Quo sapientiæ thesauro qui usi sunt, secundum ipsam uitam instituendo & fidem, facti sunt amici dei, & præcipue chari, conformes, & domino per omnia placentes. Dicit autem notanter, quo qui usi sunt, hoc est in usum uerterunt scientiam salutarẽ, ea scilicet agendo, quæ uerbũ domini docet consulit & mandat, quæ non est sola illa contemplatio diuinorũ, sed et attentio assidua diuini beneplaciti in oĩbus,

Thesaurus sapientiæ nobilis.

quæ uenerunt exercenda, ut omnũ primo occurrat nobis dei uoluntas, si quid agendum loquendũ uel cogitandum instituerimus, ut dominu gratiam conseruemus, qua amici dei nostri nominemur & simus. Et hoc est quod sequitur, propter disciplinæ dona commendati, hoc est laudabiles facti, à deo & hominibus probati, per fidem & opera, & communicatam liberaliter indigentibus disciplinam.

12 Mihi autem dedit deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum, quæ mihi dantur: quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator.

Sapientia cum eloquentia.

Adiecit per liberalitatem suam dominus sapientiæ, quam intellexi etiam donũ gloriosum utile & necessarium, ut eloquenter quæ sentirẽ & apte eloqui possim. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eũ qui lapsus est uerbo. Ex sententia, inquit, hoc est ex cordis synceritate, & pio affectu, quod proprium est eorum, qui de deo ex scripturis loquuntur, sicut dicitur: Cor sapientis erudiet os eius, & labijs eius addet gratiam. Dedit quoq; mihi hanc gratiã, ut non numiũ pusillus sim animo et loqui nõ audeam, uel docere: sed animum apposuit audendi, pie præsumendi, ac uiriliter, ea ad quæ perficiendi gratiam accepisse me sensi, ut præsumam secundũ mensuram gratiæ mihi donatæ à domino, sicut nec aggredi præsumo altiora quàm uires gratiæ mihi concessæ permittunt. Ipse enim dominus non solũ donat sapientiã, sed etiã usum instruit, deducit, ac dirigit ad finem honestum et sanctũ, ne se donis huiusmodi dei misceat præsumptio, pusillanimitas, indiscretio, negligentia, ingratitudo, insolentia, aut uana gloria. Est & sapientiũ emendator. Nihil est enim in hoc mundo perfectũ, etiam in sapientibus. In multis enim offendimus omnes, ideo disciplina nobis necessaria est. Ideo deus emendat suos quos beneficijs prosequitur, ne inde superbiant, ne se homines & fragiles esse nesciant, Quos enim amat castigat. Emendat quoq; semper ad meliora ducendo, quod imperfectum in se sentiunt, gratiose indulgendo, & in suis charismatibus perficiendo semper.

13 In manu enim illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientiæ disciplina.

Sapientia omnis à manu dei.

Insignis propositio, & maxima theologalis: Ex nostris uiribus nil ualemus bonu prorsus. Nosipsi secundũ corpus & animam, uerba nostra & cogitationes cordis nostri, documenta sapientiæ nostræ, uerba & opera, consilium & doctrina, in manu dei sunt, in omnipotentis constituta sunt potestate, quando et influxus gratiæ & opus naturæ pendet à domino, in fieri & esse. In manu inquit, dei nos sumus, corpus & anima, uiui & mortui. Et sermones nostri, ut ne loqui quidem possimus ut uolumus, sed ut dominus dederit, uel ut uoluerit audire auditores. Sæpe enim indigni sunt qui audiunt sancta, apud istos proficere loquens nihil potest, & non ita ut uellet succedit sua elocutio. Omnis quoq; sapientia nostra in domini potestate est, ut in ea permaneat sapiens, ea salubriter utatur, ex dei conseruatione constat, et adiutorio, ne quis de sua sapientia aut eloquentia superbiens diguconfundatur. Scientia quoq; operum, hoc est artificiales industriæ ac mechanicæ, non sunt nisi à deo, dona namq; dei sunt, ad consolationem hominum. Et utiles disciplinæ quæcũq; omnia in manu dei sunt, hoc est ipso donante suscipiuntur, & negante eo assequi non possunt, multo minus prodesse.

14 Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam ueram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & uirtutes elementorum, initium & consummationẽ & medietatem temporũ, uicissitudinum permutationes, & mutationem omnium morũ, mutationes & diuisiones temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, uim uentorum, & cogitationes hominum, differentias uirgultorũ, & uirtutes radicum, & quæcunq; sunt absconsa & improuisa didici.

Non de sapientia glorior quasi non eã acceperim, sed ingenue fateor per quẽ profecerim. Dominus mihi dedit ueram scientiam eorum quæ ab hominibus sciuntur, non enim infusa scientia subiecta est falsitati et opinionibus, ut scientiæ acquisitæ studio philosophico, quæ penes autores non raro uariant, & inuoluunt studiosos. Didici enim dispositionẽ orbis terrarũ, hoc est mundi huius partium situs. De quibus philosophi multa tradiderunt, quis proportio sit aquarũ ad terram, aëris ad utrũq;, stellarũ motus & ornamenta cœlorũ, stellas erraticas atq; fixas, corporum quoq; influxus per solem & lunam, elementorum quoq; uirtutes, secundũ primas qualitates & earũ mixtiones, ut ex illis elementata producantur, nec sine influxibus corporũ superiorũ, qualia ex terra aquis & aëre animalia producantur, cum omnũ usu & prosprietatibus, ut non ea nobis gratis dominum produxisse credamus, sed ad ministeriũ electorũ. Scientiã quoq; dedit mihi initij, & cõsummationis, & medietatis temporum, quomodo tempus simul cum mundi creatione cœperit, et cum motu cœlorũ & astrorum continuetur & procedat, sicut cum eis sumpsit initium, nec ante mundi finem defiturũ sit tempus. Item didici in quas particulas tempus diuidatur, secundũ motũ solis et lunæ per dies et noctes, horas & minuta, annos & lustra, nouilunia & oppositiones luminariũ. Vicissitudinũ quoq; permutationes, quomodo per tempora mutatur annus, & quarationẽ nunc contingat hyems, nunc æstas, aliquando uer, aliquando autumnus: nunc tempus sit serendi, nũc plantandi, nunc eradicandi, nunc metendi, nunc agricolandi: & sic de reliquis omnibus, hominũ uictui & nutritioni necessarijs, quorũ sufficientẽ notitiam Salomon est assecutus, per diuini spiritus reuelationem, ad sufficientiam magis quàm ad uanitatẽ uel apparentiã inimicã spiritui. Mutationes morum, quomodo per uarias corporũ bonorũ complexiones, uarijs quoq; afficiantur passionibus & perturbationibus homines et animalia quædã, ut uim promptulum aduertamus ad iram, aliũ ad inuidiã, & sic de lætitia, tristitia, musica, et arithmetica, ubi uarios usus

mus ab infantia multipliciter proficere, unũ alteri præire, et facilius promouere. Diuisiones temporũ in horas, dies, hebdomadas, annos, solares lunares, &c. quorum omnium scientia donũ dei utile est & necessariũ regentibus, & alios docentibus. Anni cursus quomodo duret, fluat per quatuor suas partes, secundũ motũ solis in obliquo circulo, per tropicos Austri & Aquilonis intermedio Aequinoctiali, quem in anno bis perficit. Stellarum quoq; dispositiones didici, discrimen scilicet fixarum ab erraticis, & secundũ magnitudinẽ earum differentem, quod sint aliquæ primæ magnitudinis, aliæ secundæ minores: & sic de reliquis. Omnia hæc ad sufficientiam Salomon sciuit, sed non perfecte. Id quod deus solus, qui stellas solus numerat, quorum nomina solus & potestatem nouit. Signa, potestates, locum, cursum, tempora nouit. Naturas animalium, hoc est uires, proprietates, & ingenia nouit, de quibus Philosophi multa experientia didicerunt, & studio laborioso, quæ Salomon spiritu diuino perdidicit. Iras bestiarum dicit affectiones & ingenia. Vim uentorum, hoc est unde moueantur, & quæ illorum natura & causæ, uel effectus, qui utiles terræ nascentibus uel aduersi, qui cauendi uel fugiendi, timendi uel desiderandi nauigantibus, uel rus colentibus, frugibus uel fructibus. Hominum cogitationes, id est desideria, affectiones, naturas, & inclinationes, quas coniecturaliter homo scire potest per exteriora quædam indicia & gestus, uerba & mores, de quibus in Prouerb. Quomodo in aquis resplendent uultus prospicientium: sic corda hominum sunt manifesta prudentibus. Et Ecclesiasticus: Ex uisu cognoscitur uir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Differentias uirgultorũ, omnium quæ uirent, crescunt de terra, ut arborum genera, & arbustorum fructus, semina, formæ, & uires: uirtutes radicum utilium ad medicinas, & ad uarias naturæ operationes mirabiles atq; utiles. Hæc & alia multa reliquis hominibus abscondita, & nunc quàm prius præuisa ac tradita, de rebus naturalibus dogmata, didici per spiritum dei, mihi redditũ iuxta promissionem diuinam: non tamen in otio, & sine omni labore, diligentia, experientia, exercitioq;. Vnde non solum nõ male sed multa cum laude huiusmodi quoq; liberalia studia indagantur, tantum ut ad sobrietatẽ, & sine necessariorũ neglectu.

15 Omniũ enim artifex docuit me sapiẽtia.

Qui omnia cõdidit et produxit omnipotens, ea ignorare non potuit, is suo spiritu mihi hæc cuncta reuelauit, & quantũ utile fuit docuit, ac certiorẽ reddidit. Secundum quod scribitur 3. Regũ 4. Deus dedit ei sapientiã & prudentiã multam nimis, & latitudinẽ cordis, quasi arenã, quæ est in littore maris, &c. Et disputauit super lignis, à Cedro quæ est in Libano, usq; ad hysopum qui egreditur de pariete. Et disseruit de iumẽtis, de reptilibus, uolucribus & piscibus. Docere igitur hæc potuit.

16 Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus multiplex, unicus, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum, accutus, qui nihil uetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens uirtutem, omnia prospiciens, & qui capiet omnes spiritus intelligibiles, mundus, subtilis.

Spiritus diuini proprietates.

Spiritus intelligentiæ diuinus scilicet, & qui cuncta inspirat uegetat & conseruat, per quem omnia sciuntur necessaria & utilia ad animarum salutem: is est sanctus, omnia sanctificans & emundans in seipso sanctus, et alios ab amore terrestriũ abstrahens, ut & ipsi sancti sint. Sancti, inquit, estote, quia ego sanctus sum, id est essentialiter purus. Multiplex in donis, unicus in essentia. Multiplices enim gratias præstat, iuxta apostolum: Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij gratia sanitatum, alij operatio uirtutũ, &c. Et addit: Hæc omnia operatur unus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Vnicus quoq; dicitur, quia electos unat in fide & charitate. Multitudinis siquidẽ credentium erat cor unum, &c. Subtilis, omnia acutissime perspiciens, et scrutans etiã profunda dei, secundũ Apostolũ. Et rursus: Quæ sunt dei nullus nouit nisi spiritus eius. Itemq;: Viuus est sermo dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, à quo est omnium ingeniorum subtilitas. Modestus dicitur dei spiritus, quia modestos faciat eos quos afflat, in sermone et causa. Sapiens enim sermonem differt & reseruat usq; ad tempus. Verũ hæc proprietas in aliquibus exemplaribus non habetur. Sed post subtilis, sequitur disertus. Disertas enim facit linguas infantium, eloquentiam præstat efficaciter loquendi, & apostolos imbuit notitia linguarum omnium, affabiles quoq; reddit et discretos. Mobilis, omnia moueri faciens. Stabilis enim manus dat cuncta moueri, nec otium sinens in pijs, sed negotiosos ad omne bonum faciens. Quicunq; enim spiritu dei aguntur, hi filij dei sunt. Incoinquinatus, quia mundissimus & mundans. Nõ enim habitat in corpore subdito peccatis, sed gratia & aduentu suo inquinata emundat. Certus, quia omnia infallibiliter nouit, & per eum tantum habetur uerorum certa notitia, ipse enim animum stabilit, ut à pietate dimoueri non possit. Suauis, dulcis, mitis et misericors, mites quoque & misericordes efficiens, quo aspirante iugum dei suaue uidebitur. Amans bonum, quia optimus, sibi simile cupit: est enim similitudo ratio amoris. Acutus, quia nihil illi resistere potest: obstat omnino nihil uotis & instituto altissimi, durũ est enim contra hunc stimulũ calcitrare. Qui nihil uetat benefacere, sed magis ad omne bonum instigat, hortatur, & impellit, uirtutemq; benefaciendi ministrat: & si quandoq; bonum prohibeat, hoc est dei dispensationis et prouidentiæ, ut oportunius fiat ad domini gloriam. Humanus, hominũ imperfectioni condescendens, quandoquidem nouit quid sit in homine, et quam fragilis conditio humana: idcoq; adiuuat spiritus infirmitatẽ nostrã, & delitias ducit esse cum filijs hominũ. Benignus, homines facit cõpassibiles et clemẽtes, quia naturaliter pius, cõpati potest infirmitatibus humanis. Stabilis, in seipso immobilis psistẽs, et sanctos suos cõfirmãs in sanctimonia, et stabiliẽs. Simul aũt dicitur stabilis et mobilis spiritus domini, quia sanctos facit, in sanctitate perseuerare, et in omni bono proficere. Sic

& fluuio comparatur, quia semper mouetur, & nunquam excurrit alueum. Certus, impediri in operibus nõ potest, dubium hominem non relinquit, sed de fauore dei reddit securum, ut certus sit, quia infallibilis et securus, quia de beata uita dubium non relinquit. Iustus enim quasi leo confidens, ad nullius pauebit occursum. Secura quoq; per spiritũ mens, quasi iuge conuiuiũ est. Omnem habens uirtutem, quia omnipotens est, omnem uirtutem simpliciter complectens, ut substantialiter perfectus sit, sua uirtute cuncta perficiens. Omnia prospiciens, quia nuda & aperta sunt oculis ipsius omnia quæ sunt fuerunt & erunt. Nec est ulla creatura inuisibilis in conspectu illius, sed potius ipse omnium lumen est, & qui capiat omnes spiritus intelligibiles, qui in sua continet potestate & obedientia omnes spiritus angelicos, bonos & malos, uel simplicissime comprehendit in se omnes perfectiones omnium spiritualium bonorum.

17 Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit aũt ubiq; propter suam munditiam.

Quod in uersu præcedenti superfluum uidetur, hoc nunc exponit, ut clarius & certius intelligatur. Sic, inquit, subtilis est spiritus dei, largitor sapientiæ, & consolator animarum sanctarũ, ut penetret omnia, nusquam absit, conscientias intret, omnia conseruet, regat & ordinet, uelocissime efficit unuersa quæ facit, ob uirtutis infinitatem, in qua uiuimus, mouemur, & sumus, per prouidentiã enim suam dispensat & moderatur omnia. Quia autem mundus dixerat, iam addit explicandi gratia. Spiritus, inquit, sapientiæ, hoc est ipsa sapientia, attingit ubiq;, propter suam munditiam. Est enim lux illuminans omnia, incircumscripta tamẽ omnibus influens claritatem, omniaq; portans uerbo uirtutis suæ, in qua nulla prorsus est imperfectio, compositio, uel mutatio, nihil defectuum etiam minimorum, sed est deus & sapientia ipsa deus, omnia perlustrans, ipsissima claritas, munditia, & bonitas, uel perfectio.

18 Vapor est enim uirtutis dei, et emanatio quædã est claritatis omnipotentis dei syncera, & ideo nihil inquinatũ in eã incurrit.

Sapientia munda.

Munditiam sapientiæ ut magis exponat, addit consequenter: Sicut uapor eleuatus à sole in limpidũ aërem, & à radijs solis illustratus clarissime: sic est sapientia dei omnibus conspicua electis & spectabilis, declarat enim toti mundo uirtutem & omnipotentiam dei, sine omni ambiguo uel scrupulo, ut omnia apparcant, nõ tantum bona, sed etiam optima. Qui enim sapientia dei illustratus est, is omnia dei opera, quæ in hoc mundo conspiciuntur, liquido cernit sanctissima esse & iustissima, sine quacunq; iniustitia, quæ apparet insipientibus, qui scandalizantur in operibus dei, dum uident iuxta humanam sapientiam multa in mundo iniqua fieri, in quorũ persona, sancti dei homines & prophetæ, secundum humanum sensum non raro uel modicum questi sunt, & scandalum pusillorum anxie timuerunt. Sapientia autem diuina in sanctis syncerissime iudicat de operibus dei, & de omnipotentia dei minime scandalizatur: nihil enim inquinatum intuetur in omnibus operibus dei uel iudicijs circa homines, utcunq; multa accidant æquitati contraria, iudicio humano.

19 Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula dei maiestatis, & immago bonitatis illius.

De duplici sapientia sancti loquuntur, increata scilicet, quæ est uerbum dei apud deum & ipse deus, per quem facta sunt omnia quæ facta sunt, quæ dicitur candor lucis æternæ, id est filius ab æterno genitus à patre, consubstantialis, ut lumen de lumine, deus uerus de deo uero, perfecte repræsentans omnes perfectiones dei, nihil à patre differens, nisi sola filiatione, & generatione ut loquuntur passiua, ut uere sit & dicatur speculũ sine macula, & imago bonitatis, id est perfectionis diuinæ. Verum potest & de sapientia illa intelligi, qua imprimitur in intellectuali creatura donũ dei per spiritum sanctum, qua omnia discernuntur syncere, ut sunt, ad laudem gloriæ et bonitatis diuinæ. Illa enim sapientia à deo data sanctis declarat, & clarissime conspici facit candorem lucis æternæ: & speculum est, in quo conspicitur bonitas potentia & scientia dei summa & optima, maiestas dei in operibus & effectibus, sanctissime sese insinuans. Clarissime enim manifestatur dei bonitas & maiestas, in ea sapientia, quam deus hominibus uerbo suo proposuit, & in sacris literis ueluti in immaculato speculo sanctis fidelibus conspicuam proposuit.

20 Et cũ sit una, omnia potest: & in se permanens omnia innouat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos dei, & prophetas constituit.

Cum sapientia dei, qua creata sunt omnia, una sit, simplex & indiuidua omnipotens est, & semper eadem permanens, omnia disponit, ordinat, format, et renouat, & per generationum successiones restaurat, secundum quod dicitur: Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Et transfert se per spiritum sanctum & sapientiam creatam in omnes nationes orbis, in animas à deo electas & sanctas, ut eas faciat amicos dei & prophetas ueritatis, quibus totus mundus illustretur & dirigatur in cultum uerum, & in dei gloriam, ut intelligant, ament, & uenerentur creatorem suum. Hæc est enim uera sapientia, ab increata sapientia per spiritum sanctum inspirata electis, ut agnoscant summũ suum bonum, & colant digne in spiritu & ueritate.

21 Neminem enim diligit deus, nisi eũ qui cum sapientia inhabitat.

Diligit deus quos elegit, iustificat, & beatificat. Tales uero sunt, qui sapientiam uerbi dei assequuntur, et discunt & diligunt, qui deum discunt in omnibus, maxime autem in sanctis scripturis, per spiritum sanctum inspirati, qui dat sapientiam, sed illis, qui in lege domini meditantur die & nocte, quorum omnis uoluntas est in lege domini discenda & adimplenda, qui semper cogitant quid debeant creatori suo. Tales dicuntur habitare cum sapientia, id est, illam sibi familiarem fecisse, ut nihil libeat cogitare uel amare, præter domini beneplacitum, ex sacris

ex sacris literis agnitum. Et quanquam nihil eorum odiat quæ condidit deus, hoc tamen intelligitur de generalibus beneficijs, quæ non negat etiam insipientibus, quos etiam uocat, docet, conseruat, &c.

22 Est quidem hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur prior.

Sapientiæ excellentia.

Nihil sole speciosius, omnia illuminante, & reddente omnibus decorem speciem & formam, sine quo nihil uideretur: sic præter sapientiam nihil in mundo bonum uel utile uel sanctum est. Verbi dei scientiam tollens, sustulit simul omnia bona iusta & sancta. Longe infeliciores erunt homines omnibus creaturis, si illis dei sapientiam negaueris, sine qua nihil domino placebit, nihil animam consolabitur, nihil erudiet ad salutem, non subsistent nec fides nec spes nec charitas, imò scientia dei tota peribit, & omnia plena erunt desperatione & tenebris palpabilium errorum & malitiarum. Sic si sapientiam dei comparaueris dispositioni, ordini scilicet pulcherrimo stellarum, quibus in mundo post solem nihil clarius & illustrius, tamen longe illustrior inuenietur lumen & gloria, pulchritudo & ordo sapientiæ diuinæ, quam ex scripturis discimus, & qua deũ cognoscimus, credimus & amamus. Cumq; primo creata lux fuerit, & primas teneat in creaturis, tamen prior & honoratior, magisq; necessaria erit sapiẽtia hominibus, propter quos mundus est cõditus.

23 Illi enim succedit nox, sapientiam autem non uincit malitia.

Post lucem solis sequitur motu diurno nox ipsa & tenebræ, & uincitur lux à corpore opaco, ut adsint tenebræ. Non enim simul consistere possunt, sed mutuum sese expellent lumen solis & tenebræ noctis, hoc est nox ipsa. Sed non sic admittur sapientia ex corde credentium & electorum, quæ sunt imbuta uera diuinaq; sapientia. Domino enim sapientiæ resistitur errori, & tentationi ad peccandum fide in deum. Didicit enim sapiens in bono uincere malum, seruare patientiam in aduersis, & probitate confundere iniquitatem. Quod si uinci dicatur aliquoties sapientia à malitia, hoc fit ex fragilitate cordis humanæ & uoluntatis, uel naturæ deprauatæ, quæ consentit iniquitati, ut ostendatur, non ueram sed fictam fuisse dei sapientiam in peccante.

CAPVT VIII.

1 Attingit ergo à fine usq; ad finem fortiter, & disponit oia suauiter.

Sapientia dei & eius & dei omnia.

Sapientia dei incircumscripta & immensa, omnia ut fecit sic conseruat, moderatur, & nouit, uniuersa quæ sunt, & ordinat ad finem legitimũ, ea illabitur omnibus entibus: ideoq; dicitur attingere à fine ad finem mundi, hoc est, omnibus esse præsentem, omnibus administrare fortitudinem & uires agendi iuxta naturam institutam. Nunquam quoq; cessat à constitutione rerum, non deficit, sed omnia conseruat & moderatur à principio usque ad sæcula sæculorum. Regit enim inferiora per superiora, irrationalia per intelligentias separatas, homines per angelos, imò seipso

omnia agit in omnibus. Sed & sapientia donum dei, & à spiritu sancto data & relata in scripturas sacras, qua deum cognoscimus per fidem, & ipsius opera aduertimus, credimus, admiramur, colimus, adoramus, ueneramur, uoluntatemq; ad nos dei nostri discimus, credimus, amamus, & facimus. Hæc, inquam, sapientia uera & sancta, attingit omnia quæ sunt, deum ipsum nouit & creaturas omnes, quantum sufficit. Hæc sapientia fortiter resistit omni malitiæ, omnibus uitijs aduersa est, uincit malitiam & tentationes huius mundi, omnia docet fieri cum pace & tranquillitate, pacificat enim animos humanum, & suauissimam reddit huius incolatus turbulentiam. Ea sapientia qui imbutus est, deum colit, sperat, amat propter se, & in deo omnia, omnia iuxta præscriptum diuini beneplaciti sponte & hilariter perficit, nihil ignorat eorum quæ seruiunt ad iustitiam & salutem, toto mundo utitur ad suum bonum, in omnibus agnoscit summum bonum, & eius opera ab initio creaturarum usq; ad præstitutum omnibus hominibus finem, extremum iudicium. Inde discit dispositionem uitæ suæ, ut & deo placeat, eiq; probetur, & sibijpsi quietem & tranquillitatem pariat ac conseruet, quo sit felicior, etiã in hoc mundo.

2 Hanc amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea, & quæsiui in sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.

Sapientia à quibus & quomodo diligenda.

Hanc certam sapientiam ueram, & omnium nobilissimam cognitionem dei, & sui beneplaciti, non speculatiuam, sed affectu constantem, diligunt & inquirunt omnes electi dei sancti, & præordinati ad uitam. Hanc Salomon amauit, & exquisiuit à iuuentute sua, & præposuit regnis & sedibus, gemmis & diuitijs, & per orationem, non sine breuia electionis gratia acquisiuit, ad felicem habitum regni sui, hoc est, fidelium amicorum dei, quos tali rege donare ad illud tempus uoluit. Eidem indidit desiderium & amorem sapientiæ ueræ, ut supra eam nihil amauerit, sed eam ueluti gratiosissimam sponsam assumere studuerit, qua nihil illi in mundo gratius esset, quam imaginaretur die & nocte, cum qua sola se oblectaretur sine fastidio, à qua consolaretur & exhilararetur in omnibus huius mundi casibus, ut nõ immerito dicat se factum amatorem formæ illius, quando à iuuentute sua sapientiæ studuit, non concupiscentiæ. Hæc enim sapientia, quanto magis capitur, tanto sapit iucundius, qui edunt illam adhuc esuriunt, & qui bibunt adhuc magis sitiunt. Est enim summum fidelis animæ gaudium & solatium in omnibus huius mundi aduersis & prosperis. Nullus enim elegantior ornatus contingere potest animæ, quàm cognitio per fidem, & amor diuinæ sapientiæ, quæ simul unam conficiunt sapientiam, quandoquidem sine amore boni cognitio non delectat, nec fides sine operibus, ea est fides quæ iustificat.

3 Generositatem illius glorificat, contubernium habẽs dei: sed & omnium dominus dilexit illam: doctrix enim est disciplinæ dei, & electrix operum illius.

Sapientiæ contubernium.

Quicunq; fidelis & electus, contubernium diuini spiritus, & fauoris consolationem per fidem & notitiam uerbi dei assecutus, glorificat super omnem laudem & pretium excellentiam & maiestatem sapientiæ diuinæ. Hoc est generositatem ac nobilitatem, uel prærogatiuam summam celebrat summopere, quisquis contubernium illius & felicissimum gustum assecutus est, quicunq; per eam illuminatus, fauorẽ dei sui sentit intra conscientiam, & consolationem spiritus percepit ex uerbo dei, sapientia increata quæ sanctis loquitur in scripturis sacris. Tales autem sponsi sapientiæ fuerunt Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Dauid, Salomon pro tempore, Esaias, Apostoli, & sancti omnes, potissime sanctorum caput Christus dominus secundum hominem. Sed & omnium dominus dilexit illam. De amore patris ad sapientiam gentam uerbum & filium intelligi potest, sed æque uel consequentius de sapientia illa sanctorum, quæ per fidem habetur & charitatem dei. Eam siquidem solam sapientiam probat deus in electis, unicam exigit, pro ea sola felicitatem promittit, per eam contubernium habet in anima sancta, et delitias ducit habitare per illam in filijs hominum, quos & per eandem facit filios dei, & cohæredes regni, hic per charitatem, quæ gustus est & sapor huius sapientiæ, post hanc uero imperfectam sapientiam, gloriã æternam superaddit electis. Ideo autem sapientiam deus diligit, quia hominem creatum amauit, & ad finem beatum ordinauit, pro quo consequendo dirigitur à sapientia dei, quæ docet disciplinam dei, obedientiam scilicet, modestiam, fidem, spem, & charitatem, quæ omnia uerbum dei docet, & sapientem ostendunt, imò sunt ipsa diuina sapientia, fructusq; scripturæ. Electrix quoq; dicitur sapientia operum illius. Non omnia opera quæ uidentur hominibus bona deo probantur, nec à sapientia uera eliguntur, ut probata & deo grata, sed ea tantum quæ discuntur à uerbo dei, quæ sapientia diuina proposuit agenda, quæ illi placent. Si quis cupiat scire quibus operibus deo commendetur, uerbum dei audiat, sapientiam diuinam consulat, & plene docebitur, ut alia non desideret opera.

4 Et si diuitiæ appetuntur in uita: quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia?

Sapientiæ diues thesaurus.

Si uere diuites esse uolumus, sapientiam assequamur eam, quæ ex dei thesauro sacra scriptura effoditur, uel per dei spiritum conformiter ad sacras literas inspiratur. Si enim aliud suggeratur humano sensui, quàm quæ uerbum domini docet, à spiritu dei non profecta credatur, sed humano uel diabolico. Ea sapientia desideranda est præ cunctis diuitijs, de qua dicitur: Mecum sunt diuitiæ & gloria. Quid prodest stulto habere diuitias, quum sapientiam emere non possit, & uitam æternam? Vnde Esaias tricesimotertio: Diuitiæ salutis sapientia & scientia. Ipsa ergo locupletissima est, & omnia operatur, quotidie proficit, sancta in homine operando, & ad sancta suggerendo, & persuadendo. Nihil enim ante deum subsistit uel reputatur, nisi iuxta sapientiæ diuinæ institutum perficiatur. Placent deo quæ præcepit ipse, agnoscit imaginem suam, approbat opus suum in nobis, non quod nos agimus, sed quod ipse in nobis. Possunt omnia exponi Hebraico more omnia pro perfecta. Hæc enim sola perfecta sunt opera, quæ iuxta doctrinam uerbi dei eliciuntur.

5 Si autem sensus operatur: quis horum quæ sunt magis, quàm illa, est artifex?

Sensum operari, est eruditum ingenium aliquid moliri, ut sensus accipiatur pro sensato & industrio. Si quis inquit, delectat grauia & erudita moliri, elegantia & pulchra comminisci, quæ placere deo possint & hominibus, uel multis prodesse ad salutem, certe omnia ea docet sapientia uera, quæ est artificiosissima doctrix, omnium bonorum, & salubrium actionum. Est enim sapientia sacra regula agendi deo placita, & uere sacrosancta. Continet enim exemplar rerum bonarum, & operatorum uirtuosarum. A qua artificiosa regula, si quid aberrat, plane probabitur impium uel inane.

6 Et si iustitiam quis diligit, labores huius magnas habẽt uirtutes: sobrietatem enim, & sapientiam docet, & iustitiã, & uirtutem quibus utilius nihil est in uita hominibus.

Si quis absolutam iustitiam consequi uelit, ut domini fide & operibus probetur, is sapientiam hanc diligat & sectetur, per quam deo grata operabitur: non enim non gratũ domino erit, quod tam diligenter & seriose agendum decernit, ut est humiliatio sui, eleemosyna ad proximum, & fides ad deum. Sapientiæ huius exercitia & labores, quibus uel discitur uel operatur, multum domino accepta sunt, uirtutes multas operãtur, et fructus proferunt sanctissimos. Sapientiæ autem studia & exercitia labores uocat Sapiẽs, quia uirtus omnis in arduo sita est. Nihil est iners, nihil desidiosum in operibus sapientiæ. quæcunq; autem uera sunt, pudica & iusta diligenter prosequitur, & suis agenda committit. Quanquam non ro opera sapientiæ labores sint, sed faciles sunt studiosis. Assidentem enim foribus prompte inuenient. Et Ecclesiasticus sexto: Exiguum in opere eius laborabis, & edes de generationibus illius, quæ & multos habebit profectus uirtutũ. Docet enim sobrietatem, hoc est, perantiam & modum in omnibus rebus, & prudentiam in agendis docet, ne quid turpiter infeliciter uel inutiliter fiat. Iustitiam quoq;, qua alteri fiat per omnia quæ sibi quisque fieri optet, ut unicuique quod suum est deferatur. Virtus quoq; hic pro fortitudine capitur, ut cardinales hic quatuor uirtutes discamus fructum sapientiæ, quæ ex uerbo dei discitur, quibus moderantur hominum affectus. Si, inquit Seneca, prudentiam amplecteris, ubique idem eris, & prout rerum & temporum uarietas exigit, ita te illis accommodabis: nec te in aliquibus mutabis, sed aptabis. Prudentis proprium est examinare consilia, nec credulitate facili & incauta falli. Magnanimitas autẽ, quæ & fortitudo dicitur, si animo insit, cum magna fidutia uiues liber, intrepidus, alacer: quæ tamen si modum suum excedat, faciet uirum minacem, inflatum, turbidum, inquietum, & in quascunq; insolentias uerborum & factorum, neglecta honestate festinum. Porrò Iustitia est tacita naturæ conuentio, in adiutorium multorum inuenta. Nec nostra est institutio, sed lex diuina, uinculum

uinculum societatis humanæ. Quisquis hanc desideras, deum time & diligas. Amabis autem si eum in hoc imiteris, ut omnibus prodesse uelis, nulli nocere, unde te omnes uirum iustum habebunt, appellabunt ac diligent. Iustus autem ut sis, non solum alijs non nocebis, sed impro bos quoq; ut poteris prohibebis. Temperantia à brutis te diuidet, à fœdis inquinamentis separabit, ut ratione, nõ paßione te regas. Hæc ferè Seneca. Vnde hic Sapiens addit: Quibus utilius nihil est in uita hominibus. Hæ enim morales uirtutes, quas uocãt cardinales, hoc est, principales, præcipue conferũt homini ad obtinendã salutẽ.

7 Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat, scit uersutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum & sæculorum.

Si quis multarum utilium rerum certam & utilem scientiam cupit, hanc uerborum dei sapientiam discat. Nominat autem sæcularem scientiam, similitudinem scientiæ imperfectam, quæ naturali inuestigatione inquiritur, sæpe multis erroribus iunctam, sese tamen uenditantem ut certam. Quæ comparata diuinæ sapientiæ, ænigmatica dicitur & imperfecta, & quæ est ex parte: illa enim euacuabitur dum uenerit quod est perfectum. Hæc autẽ uera sapientia docet præterita à constitutione mundi, de futuris prædicit prophetica certitudine utilia & sancta, docet cauere uersutias hominum, dolos, iniurias, bonorum persecutiones, bella & insidias, similiter et dubios sermonum sensus, parabolas sapientum, narrationes uirorum nominatorum, contortas sententias resoluit, ut certiora sciantur. Argumentorum quoq; periculosorum & falsorum solutiones, secundum quod promittit sapientia dei: Ego dabo uobis os & sapientiam, quibus non possunt resistere & contradicere omnes aduersarij uestri. Signa & portenta futurorum bonorum & malorum explicat sapientia dei, ut in prophetis & euangelijs, & tota sacra scriptura. Docet enim quid sæculis futuris eueniet pro his quæ geruntur in tempore, pro malis uindicta, pro bonis gloria.

8 Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuandum, sciens quoniam mecũ communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei.

Quandoquidem uero talis & tanta est sapientia sanctorum, à spiritu sancto inspirata, et in sacris literis comprehensa, scientia scilicet patriarcharum & prophetarum, certißima de præteritis et futuris docens, ideo eam conatus sum familiarem mihi reddere, gratiosam facere, benefactricem sentire, in spiritu eidem cõuersari, & conuiuari in illius mensa. Quandoquidẽ ego, inquit, sto ante ostium & pulso, si quis aperuerit mihi, introibo ad illũ, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Dona quoq; gratiæ suæ communicabit mecum, & distribuet spirituales delicias et diuitias. Ego illi communicabo mea, studiũ, orationem, humilitatem, uigilias, parsimoniam, ipsa uicißim sua mihi largietur, sapientiam, gratiam, gloriam, gaudiũ,

pacem, innocentiam, & uitam æternam. Tædium quoq; uitæ meæ gratißima allocutione sua leuabit, cogitationes diriget, inspiratione illustrabit, consolabiturq; desolatum ex hac uita: uerbum enim domini irradiat, emendat, exhilarat, & dirigit mentem, uanaq; & phantastica tædia dispellit & fugat.

9 Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores: iuuenis, et acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me.

Non me tantum in conscientia reficiet, tædio discusso, & sic edocto de omnibus rebus magnis & fructuosis, sed clarũ quoq; me reddet sapientia ista ad homines probos et sapientes, quibus honorificũ est placuisse. Coram reliquis, inquit, hominibus & ante populorum fidelium turbas habebo claritatem, magnæ reputationis inter homines habebor propter sapientiam sacram, illi me suspicient & admirabuntur, tanquam deo amicum et sapientiæ familiarẽ, quia studiosum: & honorẽ assequar quem non ambiui inter seniores, qui sapientiæ amatores et studiosos iudicant honorandos. Sicut & Apostolus duplici honore dignos censet eos, qui in uerbo & officio bene præsunt. Si quando causæ arduæ inciderint iudicandæ, ego quamlibet adhuc iuuenis, per dei sapientiam doctus uidebor, & iudicio dextro, sobrio, subtili & acuto excellens: omnia enim iudicabo secundum legem dei, secundum uerbum propheticum & apostolicum, ubi errare non potero, etiam testimonio prudentum probabitur meum iudicium, & digna sententia ueritatis. Potentes quoq; & huius mundi principes, non imprudentes uel indocti, admirabuntur eminentiam sapientiæ meæ, quandoquidem mea non est, sed spiritus diuini, qui in me loquitur. Loquentem ergo cum pauore & admiratione intuebuntur, & audient cum uoluptate & fructu. Honor doctorum.

10 tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient: & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.

A quo præstolabuntur taciti sapientes & potentes, donec loqui incipiam, ut interruptum forte sermonem resumam. Sicut & Iob loquitur 29. Expectabant me sicut pluuiam: & aperiebant os suum, sicut ad imbrem seroti num. Et loquentem me respicient, auscultando diligẽter & attente docentem, peritiam et spiritum in me loquentem admirando, quandoquidem dißimilẽ intelligũt energiam doctrinæ, & ex alio spiritu quàm quo ipsi loquuntur imbuti, & ad aliud institutum, nõ ad captationẽ gloriæ uel auri, sed ad pietatis profectum, ad gloriã dei, quæ certe contemni non possunt. Ideo sermocinante me plura, producenteq; sermonem, & argumenta argumentis nectente, & multis ueritatẽ persuadente, manus ori suo imponent, non præsument uerbis suis meum interrumpere sermonem: iuxta illud Iob 29. Quãdo procedebam ad portam ciuitatis, in platea parabant cathedram mihi, et principes cessabant loqui, digitũ superponebant ori suo.

11 Præterea habebo per hanc immortalitatem: & memoriam æternam his qui post

me futuri sunt relinquam.

Sapientia hæc diuina credita, amata & exculta, perducet amatores suos ad immortalem gloriam beatorum, propter quam datur & inuestigatur, eius est proprius finis uita æterna. Nec solum in sæculo animarum sequetur cultorem sapientiæ, sed & memoriam æternã & in multa sæcula honorabilem. Et post me relinquã apud mortales successiones generationũ, famosus habebor, & bonorum memoria dignus. Memoria enim iusti cũ laudibus.

12 Disponam populos, & nationes mihi erunt subditæ.

Sapientiæ obeditur.

Per sapientiam mihi à domino datã, & ex uerbo dei ortam regere potero, erudire & moderari populos, fidem & mores docendo, & inculcando uerbis & exemplis, ad gloriam conditoris, ad pacem hominum, & beatam uitam hic & in futuro. Et nationes mihi erunt subditæ. Sponte obediunt omnes gentes sapientibus & iustis iudicibus & regibus, qui sese patres exhibent & doctores iuxta regulam charitatis, quæ est finis legis diuinæ. Nemo enim grauatim acquiescit, sancta, utilia, leuia, & honorifica monenti uel iubenti: hoc autem agit rex institutus ad regulam uerbi dei, qui sapiens cum sit & iustus, eandem iustitiam & sapientiam alios quoq; docet, & in his omnibus finem aspicit, à deo & lege dei institutum, ideoq; & subditi sponte, hilariter libereq; obediunt. Tyrannis uero non nisi sua quærentibus, & legẽ dei non obseruantibus, nec secundũ eandem iubentibus, illis nationes subditæ non erunt, nisi coacti ad tẽpus cum inuidia, ut primum poterunt iugum huiusmodi exactoris excussuræ: nullum enim uiolentum perpetuum.

13 Timebunt me audientes reges horrenditin multitudine uidebor bonus, & in bello fortis.

Ex auditu sapientiæ depromptæ ex uerbo domini, uerebuntur me quantumlibet magni uiri, intelligent enim profunditatem rerum, honestatem, utilitatem & sanctitatem doctrinæ meæ, quam desuper dono accepi, & ex sacris didici. Sic Nabuchodonosor audita sapientia Danielis, & Pharao audito consilio Ioseph, ex insigni reuerentia prophetas timuerunt & honorauerunt, dictisq; sponte paruerũt, maximi reges humilibus seruis suis, sed illos ex uerbis sapientissimos dei seruos esse animaduertebant. Et in hominum cœtu quantumuis maximo laudẽ habebo iustitiæ & bonitatis: nihil enim loquar uel agã, nec iubebo, nisi iuxta præscriptum legis dei sanctissimæ. Et in bello fortis. Regem non alia fortem reddunt quàm fauor dei propter fiduciam bonæ causæ, & gratia fauorq; subditorum et exercitus: dum enim ducem milites odiunt, & plebs regem, nulla speranda uictoria est: consensus enim animorum, amor & fides mutuum præstanda corroborant exercitum, & inuincibilem reddunt, et regnum stabiliunt regis, non tyranni.

14 Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.

Occupatio felicissima.

Si quãdo post publicas occupationes, quibus ego rex tanti populi distringebar, exactas & absolutas, meccum habitare cœpissem, & de conscientia propria cogitare, ipsa sapientia diuina cœlitus inspirata, & ex lege domini acquisita, & ex dei creaturis inquisita, mire me recreabat, & hilarem reddebat, procul abactis uanis quæstionibus & scrupulis, quibus impij & deum nescientes discruciantur: conquiescebam in meditatione diuinæ legis, & colloquium iuge exercebam cum spiritu sancto, & responsis diuinis. Hæc uero sancta occupatio omnium dulcissima est, & felicissima contemplatio, scilicet diuinæ bonitatis & beneficentiæ, simul & uoluntatis, mihi sibi adnexam habens amaritudinem nec tædium: uoluntate homo pius incumbit legi diuinæ meditandæ, unde gaudium assequitur syncerum & stabile conscientiæ suæ. Corporales uero deliciæ corpus grauant, spirituales uero mentem releuant, tantoq; auidius expetuntur, quanto amplius comeduntur.

15 Hæc cogitans apud me, et cõmemorans in corde meo quoniã immortalitas est in cogitatione sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuũ illius honestas sine defectione, & in certamine loquelæ illius sapiẽtia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circumibã quærens, ut mihi illam assumerem.

Cum ego mecum reputarem, & corde uersarem diligentius, quomodo immortales essent fructus sapientiæ, et quanto magis de ea cogitarẽ, tãto auidius ipsa dulcedine perfruerer: & ex amicitia cum ea contracta obuenissent mihi cœlestes & perpetuæ deliciæ, quæ gratissima in tumultibus huius mundi positi in maligno. Similiter & cogitans de sanctis, pijs ac uirtuosis exemplis, quibus secundum eam sapientiam occupabar, ita suauitate, ut nullum in opere uirtutis tædium experirer. Et si quando colloquium incideret eruditum, cum sapientibus huius mundi certamen illustre uidebar agere, et reportare triumphum sapiẽtiæ, quod sæcularis eruditio prorsus inueniatur incertior, inutilior, prophanioriq; obscurior. Deniq; uidebam insignem fructũ mutuæ communicationis sacrorum dogmatum, dum unũ aliud aperit, confirmat & inducit, sine omni falsitate aut perfidia, sed cum syncero studio agitata ueritas, iugiter clarescebat, & animos piorum confortabat & consolabatur. Hæc, inquam, omnia & his plura bona perpẽdens in sapientiæ negotio & usu, statui mecum nihil moram uel impediri uelle, quo minus illam sapientiam cum maiore studio inquiram, circumuagando per omnia opera & creata, ut in & ex omnibus repertam sapientiam amplecterer, excolerem, & mihi in gratissimam sponsam assumerem, de ea recrearer, proficerem, & beatitudinis æternæ quandam in hoc mundo speciem uel remotis intuerer, quam aliquando perficiendam possiderem in patria.

16 Puer autẽ eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, ueni ad corpus incoinquinatum.

Acceperam beneficio dei ingenium acutum et felix,

quo faciliter intelligere et intellecta firmiter memorari, & quæ bona intelligerem impense desiderare potuerim & implere, quæ certe nõ modica beatitudinis naturalis portio erat. Sic enim diuino fauore sortitus sum animam bonam, egregiam indolem, & ad sapientiam capessendam idoneam ualde, quam desuper orationibus & dei et gratia accepta sapientia duplicabat dono, & insigniter illustrabat. Cumq; sic natura & gratia profecissem ad sapientiam imbibendam, ad hoc quoq; perueni optandũ & annitendum, ut corpus quoq; meum immaculatum custodirem ab omni fornicatione uel adulterio, ut aliara tione uxores non susceperim, quàm amore multæ prolis in sapientia instituendæ, ad regnum meum familiaribus & cognatis multis in pace stabiliendum. Omnino enim horrui omnem concubitum extra limites à natura & lege permissos. Et hæc est sanctis & olim fuit ratio habita incontaminati tori, quæ & Iacob quidem deo non displicuit. Sed quid ambobus multitudo uxorum & concubinarum boni intulerit, satis scriptura explicat, ut superfluum fuerit multis exposuisse. De Salomone quidẽ pro tanto incontaminatum corpus accipi potest, et fuisset, si intra legis cancellos perstitisset, & ab alienigenis abstinuisset, & tandem non nimium adamasset, et contra dei uerbum. Si quis uero incontaminatum corpus negauerit adfuisse, qui tot habuerit uxores & concubinas, & eas alienigenas, & ab amore dei abstrahentes, intelligat hæc eum dicere uel scribere potuisse cum iunior adhuc esset, & adhuc amabilis domini, qualis & longo tempore perstitit, & non priusquam senex iam condescenderit uxoribus alienigenis ad res prophanas. Simulq; cogitet de corporis incoinquinati felicitate, si maior haberi possit in toro castæ generationis uel in monasterijs, ubi cœlibatus arripitur, & uouetur seruandus, reclamante natura, sineq; promissione gratiæ diuinitus suscipiendæ, quæ datur rarissime.

17 Et ut sciui quoniã aliter nõ possem esse continens, nisi deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum: adij dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordijs meis:

Nemo sine ardoribus naturæ & concupiscentijs uiuere potest, nisi dominus dederit huiusmodi complexionem, uel gratiam specialem largiatur continendi, quæ nõ est uolentis neq; currentis, sed dei miserentis, sine quo nihil possumus, multo minus in carne agere uitam angelicam dum uolumus, aut uelle cogimur dum uouemus. Reddere oportet quod uouimus, ergo uouere stultum est & impium quod nec præstare possumus, nec præstare uelle debemus, nisi dominus iubeat ut uelimus & possimus. Insignis inter alias quoq; sapientia est, tantum proficisse ex uerbo dei, ut certo nouerit continentiæ donũ libere dari à solo deo, nemini promissum, nemini debitum, non esse in facultate naturæ humanæ, quin contrarium insit carni & sanguini, quando naturalissimum opus nascitur generare sibi simile, & ex lege dei discitur: Male dictus sterilis, & effusor seminis, perpetuo exemplo à domino occisus, qui de industria ne semen fratris susci-

ret, abusus est naturali bono ad iniuriam naturæ institutæ à deo. Qui si circa hominem aliud instituerit, satis id claris declarabit indicijs: sicut clarissimum signum necessarij matrimonij tunc deus ostendit, cum gratiam recte continendi corde in primis, & corpore deinde non concedit. Igitur pro omnibus donis dei homini necessarijs, sicut & pro continentia omnium sensuum, non alius adeundus est uel exorandus quàm uniuersorum dominus, qui omnia uerbo sapientiæ moderatur, qui nouit non solum facta & uerba, sed & uota & desideria. Illũ ergo dominum adij & precatus sum, non tantũ uerborum sono, nec cogitatione otiosa, sed ex præcordijs, hoc est, tota deuotione & feruore spiritus pij, quemadmodum decet, ut cum deo homo loquatur, non ut doceat ignorantem quibus egeamus, qui cũ pater noster sit, nouit quid filijs desit, & pro charitate summa negare non potest, quod necessarium dignumq; precantur. Vult autem orari non ut flectatur à uoluntate sua immutabili, sed ut animus inardescat, & cogitet quibus indigeat, & ante dominum humilietur ac sanetur. Qui ergo hominũ uult misereri piorum, gratiã quoq; largitur digne precandi, ut per omnia glorificetur dominus, & humilietur sanctorũ animus coram deo, qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit.

CAPVT IX.

1 DEus patrum meorum, & domine misericordiæ, qui fecisti omnia uerbo tuo, & sapientia tua cõstituisti hominẽ, ut dominaretur creaturæ quæ à te facta est, ut disponat orbẽ terrarum in æquitate & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet.

Piũ & saluberrimũ est in oratione ad dominũ, ipsum compellare deum patrum meorũ. Quid enim aliud hoc est, q̃ statim hoc uerbo laudare bonitatem dei ad fideles parentes, & agnoscere se sanctorum patrum non degenerem esse filiũ? quæ sunt omnia pie plausibilia. Signum est enim fidei, spei & charitatis in orante & in parentibus, & gratiæ domini ad utroq;. Hæc autem dicere uerissime potuit & debuit Salomon rex Israel, qui & in hanc quæ sequitur sententiã orasse ueri similimum creditur. Primum quidem orauit, deinde sapientiæ diuinæ, quæ & bonitatem cõplectitur, summa beneficia & multa proponit, & posteris fidelibus perpendenda commemorat, ut sciant sibi quoq; similia expectanda, si eiusdem dei ueri & unici cultores fuerint & perseuerauerint. Tu quidem solus deus quem coluerunt patres mei Abraham, Isaac & Iacob, Moses & Dauid, ac similes sancti, qui conditor es mundi, gubernator & dominus. Dominus es autẽ clementiæ, id est, omnium qui sunt clementissimus. Qui cõdidisti per sapientiam tuam omnia, quæ sapientia es uerbum dei quo cœli firmati sunt, & cuius spiritu omnis decor & militia cœlorũ. Quod uerbũ tandem in plenitudine tẽporis caro factũ est, et habitauit in nobis. Sapientissime aũt condidisti post alias creaturas omnes hominem, ut palatium inueniret regale, post deũ rex omniũ creaturarũ, cui scilicet omnia seruirẽt, iuxta domini dei uoluntatẽ, & hominis ipsius utilitatẽ. Quan

Oratio Salomonis.

doquidem omnium dominus est, & hominis & aliarum omnium creaturarum, quæ licet propter hominem facta sint omnia, ipse tamen homo omnibus quæ sunt in orbe terrarum sic præesse iubetur de uoluntate creatoris, ut omnia iuste & recte disponat, hoc est, legitime ordinet in usum suum, & minime abutatur, sciat à quo, & ad quid omnia receperit, quæ in terra tradita sunt illi in ministerium, utq; de illis non aliter iudicet quàm æquũ sit & iustum, ne scilicet quicquam illorum magis appretietur & diligat quàm par sit, & quàm deus permiserit, ut omnibus utatur tanquã medijs ad finem, ut nõ in illis hæreat, sed ut scala quadam utatur ad creatoris contemplationem, amorẽ & cultum, ut non digniora iudicet quàm dei optimi maximi creaturas, ne unquam cor subeat aliquid adorare & colere, hoc est, pro summo patre & benefactore inuocare aliquid quàm unũ uerũ deũ maximũ & optimum. Hoc est recte iudicare iudiciũ de creaturis, eis legitime uti, & deo se subdere, eiq; unico adhærere.

2 Da mihi sediũ tuarũ assistricem sapientiã, & noli me reprobare à pueris tuis: quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum.

Sapientia qualis petenda.

Post exordiolum narrat quid optet, sapientiam scilicet dei, reuelatam quidem generaliter in lege, & specialiter regi populi sanctorũ necessariam, ut officio sibi delegato indigno par esse possit, & respondere pro dignitate, ad dei gloriam, & fidelium electorum & sanctorũ solatium & salutem. Assistentem sedibus dei sapientiam optat, hoc est, spiritũ diuinum, qui est spiritus sapientiæ & intellectus, quo spiritu iudicia dei peraguntur omnia iuste, sancte & benigne. Et noli me derelinquere, ut non gratiam tantam impartiaris mihi iuueni, quantam patri meo & prioribus sanctis, Samueli & reliquis es largitus. Sine me inter tuos seruulos computari. Vtcunque enim tanto tuo populo me regem præfeceris, cupio tamen tuus seruulus & haberi & esse, & filius illius ecclesiæ tuæ, quã ab initio tibi sponsam elegisti, quæ se tuam ancillam nouit & exhibet, cupitq; complacere fide & opere tibi iuxta legem tuam. Homo quoq; sum, non angelus neq; deus, infirmus & nullarum uiriũ exme, nisi tantum quantum tu largiris uirium & industriæ, omnia enim tibi accepta refero, quæ agnosco in me bona. Exigui temporis me sentio, post quod me illico moriturum scio. Minorem quoq; & imbecilliorem me sentio intellectu & sapientia per ætatem & ingenium, quàm exigat officium à te mihi iniunctum, iudicandi iuste & rationabiliter, iuxta æquitatẽ legum tuarum, de singulis occurrentibus mihi in tanto regnõ causis. Quis enim potest iudicare hunc populum? cum sim ego puer paruulus, nescíens introitum meum & exitum meum, 2. Reg. 3.

3 Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

Etiam si quis inter homines perfectus sapiẽtia et probitate, omnium scientiarum apicem, & naturalium rerum eruditionem consummatam adeptus sit, qualem hactenus uidimus neminem: si sapientissimus philosophorũ quispiam habeatur, ut miraculo sit omnibus: si tamẽ tua ô deus, sapientia, quam tu amicis reuelare dignatus es, careat, si ipsum fugerit legis tuæ intellectus & amor, in nihilum reputabuntur omnes artes eius, & quicquid illi manæ eruditionis assequutus uidebitur. Summa enim sapientiæ tuæ qua tibi placetur, est nosce bonitatem, sapientiam & potentiam tuam, amare beneplacitum tuum, scire quomodo gratificari tibi debeat & possit homo, quem ad tuam gloriam ordinasti.

4 Tu elegisti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum: & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare, similitudinẽ tabernaculi sancti tui quod præparasti ab initio.

Tanto animæquior sum in hoc cõmisso mihi officio, quod nõ ego me obtuli, non ambiui, nõ me ingessi imperdens in hoc regendi periculum: tu me elegisti cum nihil tale cogitarem, iunior omnium fratrum meorum: tu ordinasti me pastorem & rectorẽ populo tuo, qui tuus est, quem redemisti, quẽ emisti, pro quo nihil laborauí, quem ego non genui, sed à te mihi commendatum suscepi. Voluisti sic me esse regẽ, ut iudicem secundũ tua iudicia leges & statuta filios tuos & filias, omnẽ populũ tuũ sanctum & electum, ex quo non liceat sine magno crimine uel unũ aliquẽ perire: populus enim sanctus est & populũ tuum, de quo sis rationẽ exactam expostulaturus, si negligenter tractetur quod impense diligis. Post exmanctionem demandatã mihi de populo iudicando, aliam quoq; mihi cõmissionem fecisti arduã, sanctam & honorificam, quã Dauidi patri non fauisti, officium & mandatum ædificandi sanctuariũ, in loco à te electo ex omnibus locis mundi, in monte Moria: in ciuitate habitationis tuæ Ierusalẽ, altare unum, tuo soli nomini sancto illi candidũ. Voluisti ædificari gloriæ nominis tui templũ gloriosum & fixum, per multa sæcula duraturũ, quod præsentaret fidelibus sacrosanctum illud Mosaicũ tabernaculum fœderis, domiciliũ præsentiæ gloriæ tuæ, quod olim ab initio scilicet libertatis nostræ assequutæ, post transitum maris rubri in eremo tibi præparari uoluisti, sacramentum cœlestis tabernaculi, & suscipiendi humani corporis in Christo, in quo habitaret corporaliter diuinitas: eius, inquam, Mosaici tabernaculi memoriale gloriosius extrui uis in Ierusalem, idq; opera et studio meo, ad quod legitime explendum non sufficio, ob inopiam tam sapientiam ad hoc necessariam, quã ego non habeo.

5 & tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarũ faceres, & sciebas quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.

Tecum autem est omnis sapientia, qua sapientissime cuncta disponis, quæ & tunc affuit tibi, cum orbem terrarum faceres, hoc est, mundum totum conderes & ordinares: iam enim tunc ipsa tua sapientia sciebat quid optimum esset in rebus condendis, & quid iustum, æquum, decens & utile in omnibus rebus, & quæ mandanda hominibus

minibus erant: omnia enim omnibus futura temporibus præuidisti, & æterna sapientia tua ordinasti, qualia & olim erant tabernaculum Mosis cum uasis & sacerdotalibus ornamentis, & quæ nunc patri meo de nouo ædificanda & paranda per me mandasti. Tu nosti quæ ratione hæc omnia fieri prosit & necessarium sit, cui uoluntati simpliciter hominibus sit obediendum, & non inquirenda ratio tuæ sanctissimæ uoluntatis. Alioqui et ego noui non te habitaculo indigere ab hominibus construendo, qui cœlum omne & totum mundum imples, quem tamen capere cuncta non possunt: uoluisti tamen tibi domum à me extrui, sicut olim Moses te iubente tentorium confecit. Tuum itaq; est cogitare, uelle, præcipere: meum est humiliter acquiescere, studere, & implere mandata, ut templum nomini tuo ædificem.

6 **Mitte illam de cœlis sanctis tuis & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecũ laboret, ut sciam quid acceptũ sit apud te.**

Cũ igitur id muneris iniunxeris mihi seruo tuo, quod sine insigni sapientia implere nequeo, oro ut cœlesti me tua sapientia instruas, qua semper sanctis tuis adfuisti, in primis uero Mosi, cum constructurus esset tabernaculũ nominis tui, ut illud iuxta tuam uoluntatẽ perficeret: sic me quoq; sapientia impleas, quæ mecum sit, & mecum laboret, hoc est, quomodo per omnia sit laborandum instituat, ut sciã quid tibi maxime placeat, in quo tibi complacere possim, ut iuxta exemplar tuum quod per Nathan prophetam Dauidi patri meo tradidisti, omnia perfecte & eleganter perficiam ad gloriam nominis tui, ad consolationem ac profectum populi tui. Et cum hæc fuerit orationis primaria occasio, subinde tamen de omnibus intelligit, orando ut ad regimen uniuersum idoneus fiat sapientia sibi cœlitus infundenda.

7 **scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis sobrie, & custodiet me in sua potentia.**

Per sapientiam enim illam tu omnia nosti, præsentia, præterita & futura, cum tamen tibi nihil præteritũ sit nec futurum, sed unico æternitatis momento & indiuisibili, omnia tibi nota sunt. Huiusmodi sapientiæ tuæ particulam mihi largiri non graueris, quæ me deducat in omnibus operibus meis, tam publicis quàm priuatis, tam religionem concernentibus quàm regni gubernationem, spiritualia nempe & corporalia, ut in omnibus sobrie sentiam & agam, ut quæ debeo & uolo tua potentia me corroborante perficere possim.

8 **Et erunt accepta opera mea, & disponã populum tuum iuste, & ero dignus sediũ patris mei.**

Tua me sapientia dirigente in fide & actibus, in extructione templi, & ordinatione diuini cultus, similiter & in tanti regni administratione omnia tibi opera mea grata erunt, & feliciter absoluentur: iuste enim gubernabo populum tuum Israel, totum peculium tuum, & electos ex omnibus gentibus filios tuos, & dignus habebor successor & filius patris mei Dauidis, quem elegisti ut esset amicus tuus, & homo secundum cor tuum, qui populum tuum propugnauit, & in pacem constituit, iuste iudicauit, & ad tuum cultum solicitauit, studiosissime faciens iudicium & iustitiam omni populo suo, & coram te ambulans in fide & ueritate. Sedes pluraliter nominat pro maiestate regni, & quia non tantum solium regni habuit, sed & doctrinæ & iustitiæ.

9 **Quis enim hominum poterit scire consilium dei? aut quis poterit cogitare quid uelit deus?**

Quid dominus de hominibus & hominum actis decreuerit in specie nemo nouit, nisi solus ipse, & uoluntatis eius ratio creaturis omnibus incognita est: nõ enim rationem habet, nisi quia uult ille, qui nihil male & inutiliter uelle potest. In genere tamen manifestauit per uerbum suum sacrosanctam uoluntatem suam, seruis enim suis prophetis & apostolis annunciauit spiritus dei omne consilium suum. Scimus illum uelle omne bonum quicquid præcepit atq; consuluit. Hæc est, ait Paulus, uoluntas dei, sanctificatio uestra. Vult quoq; omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis peruenire. Hinc dixit Baruch: Beati sumus nos, quoniam quæ deo placita sunt manifesta sunt nobis, scilicet per uerbum suum, sine quo nihil sciremus ad salutem.

10 **Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.**

Cogitationes & consilia dei infallibiles, certæ et sanctæ sunt semper, quæ meliores esse non possunt, hominũ autem consilia & dispositiones securæ non sunt nec firmæ, sed ut plurimum uanæ & iniquæ, formidolosæ quoq; & nihil ad salutem proficientes, uel ad finẽ legitime institutum. Etenim qui etiã sapiens est inter homines, semper est pauidus. Veretur Iob omnia opera sua. Quandoquidem sæpe putamus esse expediens, quod nocere deprehendimus tandem, & contra: unde & indigemus dono consilij, quo dirigamur à spiritu sancto ad ea quæ magis expediunt, quando præuideri non possunt uniuersi casus qui possunt emergere.

11 **Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.**

Corpus enim humanum à primorum parentum præuaricatione corruptum sentimus, & ad mala multa nimis procliue, ad corruptionem semper propẽdens, quod captiuam ducit mentem, ut non quæ uolumus semper faciamus, sed quod habitat in nobis peccatum captos ducit ad utiosas inclinationes, id est, aggrauat animam, & impedit ab exercitijs spiritualibus, propter uarias & frequentes necessitates ac fragilitates: concupiscit enim caro aduersus spiritum, nihilominus tamen naturaliter iungitur anima corpori, quod ei in multis est utile & necessarium, cui naturale est intellectionem à sensitiua accipere. Et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Detinetur enim mens in terreno corpore, caduco & mortali obnoxio multis incommodis, unde obtunditur & obfuscatur intellectus in meditationibus suis, quem uarijs imaginationibus, curis & desiderijs inuoluit, ut secundum Apostolum clamet: Infelix ego homo,

Peccatum in carne.

quis me liberabit de corpore mortis huius? Educ potius de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.

12 Et difficile æstimamus quę in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ in cœlis sunt autem quis inuestigabit?

Quæ terrena, temporalia, caduca & minora sunt, sensibus impedita mens nostra & carni mersa, difficile ut sunt æstimamus, & non sine multa incertitudine cognoscimus propter circũstantias incertas & uarias, qui rerum essentiales proprietates non scimus: unde oriuntur tot opiniones philosophorum, ut etiã quæ in prospectu sunt, & sensibus obijciuntur, cũ labore inquirendo discamus, & frequenter in talibus erramus. Cũctæ enim res difficiles, nõ potest eas homo explicare sermone, nec operum dei ullam potest homo perfectam inuenire rationem: multo ergo minus quæ in cœlis sunt puestigemus, quod intellectus noster ad illorum cognitionem quæ uerissima sunt se habeat, uelut oculus uespertilionis ad lucem solis. Oculus enim nõ uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit quæ præparauit deus diligẽtibus se.

13 Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis?

Consiliũ præscientiæ & uniuersalis prouidẽtiæ quis hominũ, imò omnium creaturarũ scire poterit, nisi liberalitatis tuæ dono sapientiã tuam homini dederis, reuelando nobis quæ fieri uelis à nobis? Et spiritum sanctum tuum miseris de altissimis, ut inclinet uoluntates nostras, & suggerat quæ tu præcipis, & quæ placent tibi. Ille, inquit, uos docebit omnia de quibus dixi. Nisi, inquit, de altissimis, de throno gloriæ tuæ, & de summo cœlo infuderis spiritum tuum menti, ut erudiat & ungat ad omnia scienda. Igitur sapientiam ueram, quæ est agnitio beneplaciti diuini, à domino solo petamus cœlitus dari nobis, quando aliunde eam cõsequi nõ possumus, nec ea carere.

14 & si correctæ sint semitæ eorũ qui sunt in terris, & quę tibi placent didicerint homines?

Illustratio supernaturalis necessaria.

Necessaria nobis est supernaturalis illustratio per spiritum sanctũ, ut sciamus si hominũ operationes in terra uiuentium sint à uitijs emendatæ, perq; fidem & iustitiã directæ, utq; intelligamus modũ certum uiuendi, in quo tibi digne placeamus. Nõ est enim aliud, nisi ut per spiritum tuum edocti, acquiescant tuæ soli uoluntati, ne quæ sibi bona uidentur agant à te munerandi, sed ex fide & charitate, quæ tu præcepisti, perficiãt. Nec tantũ didicisse sufficiet uoluntatẽ dei, sed multo magis agnitam perficere eum qui gratiam dei meditatur & beneplacitum.

15 Nam per sapientiã sanati sunt, quicunq; placuerunt tibi domine à principio.

Sancti quomodo deo placuerint.

Patriarchæ quidẽ nostri priores tibi placuerunt, non per opera sua, sed per gratiam tuã, qua illis tuam impartitus es sapientiam: iudicia & iustitias tuas manifestasti eis, reuelasti uoluntatẽ tuam, dedisti illis legẽ tabularũ, docuisti fidem & iustitiam, quibus tibi cõmendarentur, quæ est sapientia tua, per quam tibi placere potuerunt. Credidit enim Abraam deo, & reputatũ est illi ad iustitiã. Naturalis defectus corruptæ in eis naturæ emẽdatus est, & sanatus per sapientiam uerbi tui, per fidẽ in creatorem & promissum saluatorem mundi omniũ gentium expectationem, & inspirationem spiritus sancti ad amorem proximorũ. Sic quoq; omnes reliqui per sapientiam illam cœlestem, & non aliter tibi placere potuerunt.

CAPVT X.

1 HAec, illum qui primus formatus est à deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illũ à delicto suo. Et eduxit illum de limo terræ, & dedit illi uirtutem continendi omnia.

Exemplis pluribus ostendit quod dixerat, per sapientiam sanatos, & ab uniuersis calamitatibus, periculis et peccatis liberatos omnes, qui domino ab initio cõditi seculi placuerunt. Sapientiam autem secundum prædicta intelligit timorem dei, ex fide & charitate in creatorẽ procedentem, & obedientiam deuotam, iuxta beneplacitum dei, quæ uera sunt sapientia sanctorum. Credere dei promissis, obedire mandatis, pendere ex illius beneplacito, & in omnibus factis et obmissis cogitare legem domini, & studere ut illi probetur, eius amori & uoluntati in hoc mundo nihil præferre, sed posse & uelle possidere omnia diuino beneplacito, hæc uera est sapientia electorum omnium, de qua consequenter exempla dedicit, quibus commodius pij instituuntur. Adam, inquit, ille primus non generatus ex prioribus hominibus, sed à deo de limo terræ eductus & plasmatus, ut figmentum à figulo, & uasculum ab artifice infinita sapientia sua, quæ sola in deo est, sicut & omnipotentia & bonitas per essentiam, quam communicat creaturis omnibus, maxime uero homini. Is Adam primus constitutus à deo ipse pater primus omnium hominum, qui unquam fuerunt, sunt & erunt in orbe terrarum: cum is adhuc solus esset, per sapientiam talem custoditus est à peccato, ne deum offenderet: cum uero per Euam uxorem & serpentis fallaciam insipientiam incidisset, & peccasset in deum per inobedientiam, & ideo punitus fuisset nuditate & amissione paradisi, rursum per pœnitentiam & promissam seminis futuri felicitatem, quod caput serpentis contriturum erat, eductus est à delicto suo pro tanto, quanto uis non pro toto. Consequutus est enim statim salutem per Christum promissum, qui & ipse est sapientia dei. Et accepit Adam à deo sapientiam regendi omnia animalia, & uirtutem sub se continendi, beneq; utendi omnibus creaturis, ut illas intelligeret, admiraretur, in usum suum susciperet deo gratus, & nomina imponeret secundum ipsarum naturas. Omnia autem ista per sapientiam sibi concreatam partim, partim infusam, & experientijs acquisitã, unde deũ nosce pfectius cœpit, amare, colere, ut dominũ reuereri, & ei per oĩa obedire. Quod uero ultimo dicitur: Et eduxit illũ de limo terræ, uel non est de litera, uel præpostero ordine, ut fieri solet, inserta.

2 Ab hac ut recessit iniustus in ira sua, per iram homicidij fraternitatis deperijt.

Hanc sapientiam dei, ut posthabuit primus ille ex Adam

Adã generatus impius Cain, & ab ea discessit per iram immoderatam, & inuidiam gratiæ dei ad Abel fratrem suum, cum uidisset pio corde delatas dignas hostias, gratas deo & acceptas, suas uero iniquo affectu de non melioribus oblatas, deo non probari, tra percitus in deum, & inuidia furoreq; in fratrem illum occidit, & fraternitatis necessitudinem conuertit in homicidij crudelitatem, cuius nullum habuerat exemplum, factus insipiens, uagus, miser, & totus infelix, perdita sapientia illa, quæ per fidem & charitatem habetur, qua & confiditur in dei bonitatem & clementiam, resipiscituŕq; per pœnitentiam & erroris emendationem. Is uero Ca in desperauit, dicens: Maior est iniquitas mea, quàm ut ueniam merear, cum per fidem humiliari potius debuerit & culpam deprecari.

3 Propter quod cum aqua deleret terrã, sanauit iterum sapientia per contemptibile lignum iustum gubernans.

Exemplum tertium sapientiæ inducit Noe, & insipientiæ eorum, qui illo tempore nimis peccabant enormiter. Dicit uero: Propter quod, cum aqua terram deleret propter sapientiæ contemptum, & pietatis ueræ in deum & proximum, quæ est uera sapientia, cum diluuium submergeret humanum genus omne cum posterita te Cain, quæ patris fuerat secuta malignitatem, iterum dominus sanauit per sapientiam humanũ genus in paucis, hoc est octo tantum personis, per fidem & obedientiam Noe, qui reclamantibus omnibus hominibus & irridentibus obedientiam eius in fabricatione ligneæ arcæ per annos ferè centum, quod comparatione totius terræ & tam horribilis diluuij contemptibile lignum habebatur, & ab impijs contemptum opus fuerat. Gubernauit autem iustum in generatione sua deus, iubens in tempore parari arcam, in tempore ingredi, in tempore animalibus impleri, & in tempore exire. In quibus omnibus ut obsequentissimus deo, cum suo pusillo grege per sapientiam fidei & obedientiæ saluatus est, omnibus cæteris contemptoribus stultis & perfidis pereuntibus. Nec hodie quoq; abbreuiata est bonitas & potentia dei, ut minus ut potest sic uelit seruare iustos, hoc est sibi sese totos dedentes, ex omnibus huius mundi diluuijs, in quibus continuo periclitantur sancti, sed eripiuntur à patre suo, si fuerint filij.

4 Hæc & in consensu superbiæ, cum se nationes extulissent, sciuit iustum, & conseruauit sine querela deo, & in filijs misericordiam fortem custodiuit.

Hæc sapientia donum dei, sanctum Abraham conseruauit à perfidia gentiliũ ante suum tempus, quando peruersæ nationes natæ ex filijs Noe, extulerunt se concordi superbia ad ædificandum turrim Babel, dicentes: Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius cacumen æthera tangat, & celebremus nomen nostrũ, antequam diuidamur in exteras nationes. Quam superbiam dominus cõfudit celebri miraculo confusionis linguarũ. Tũc uero sciuit iustum, hoc est misericordiam suam deus non abstulit ab Abraham: ipsum ad laudem dei præseruauit ab idololatria, & irreprehẽsibiliter uiuere fecit. Cui & dixit: Ambula coram me, & esto perfectus. Et alibi: Ego protector tuus & merces tua magna nimis. Et in filijs misericordiam fortem custodiuit, posteritati ipsius Isaac & Iacob stabilem exhibuit pietatem, de qua Deute. 10. En domini dei tui cœlum est, & cœli cœlorum, terra & omnia quæ in eis sunt, & tamen patribus tuis congluti natus est dominus, & elegit eos, amauitq; semen eorum post eos. Sciuisse autem iustum dicitur, id est præuidisse & prædestinasse, talem nempe qualem fieri & esse uoluit suo tempore, non diu scilicet post diuisiones linguarum, quæ facta est tempore Phaleg, Gene. 11.

5 Hæc, iustum à pereuntibus impijs liberauit fugientem, descendente igne in Pentapolim: quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.

Exemplũ ſt dei in Abraham.

Quartum exemplum memorat iusti Lot, per sapientiam liberati, & deo amici. Quãuis enim perfectus non esset, quia cum Abrahã ob auctas utriusq; diuitias in pace uiuere nõ potuit, & electionem de meliori terra præsumpsit: iustus tamen dicitur & fuit, comparatione Sodomitarũ, cum quibus uixit, & fidei iustitiam ab Abraham didicit, unius dei cultum syncerum, opera charitatis & continentiæ, quandoquidem hospitalitatem exercuit, quam ab Abraham didicit, & numium iniquos & crimnosos admonuit modestiæ, propter quod & periclitatus est, inter impios habitans, cũ à sancto Abraham & ab familia diuisus Sodomam elegisset. Sed propter fidem & cultum unius dei, qui sapientia uera dicitur, liberatus est cum familia sua tota, si sapientes fuissent, in qua tantum duæ filiæ euaserunt cum patre, domino miserante per suam bonitatem. Pereuntibus enim Sodomitis cum quatuor socijs urbibus, in ualle speciosissima sitis, quæ & Pentapolis dicta fuit, sapientia fidei & sanctorum operum liberauit fugientem Loth cum uxore & filiabus, cum iuxta prædictionem factam ipsi Abrahæ ab angelo uel ipso deo, ignis de cœlo decidit. Cuius rei totius historiam lege Geneſis decimonono, quomodo ob inexplicabilis turpitudinis nequitiam, elegantissima regio subuersa est, inq; lacum bituminis fœtentis & nullius usus aquas habentis redacta, ad perpetuam tantæ iniquitatis contra naturã, nunquamq; intermoriturã memoriam. Fumigare autem dicitur ea terra, hoc est lacus, & quæ circa lacum regio, fœtidam exalationem & corruptum aerem. Cuius signum sunt arbores illic crescentes, fructus habentes incerto tempore, nõ regulariter, ut uitium contra naturam significent, pulchros quidem ad aspectũ, sed si fructus tangantur, in cinerem fœtidum redigi dicuntur, ad iram domini prodendũ perpetue, contra impios enormiter naturæ leges transgredientes. Memoriale quoq; superest incredulæ & insipientis fœminæ uxoris Lot, figmẽtũ statuæ salis, ut discerẽt inde hoĩes simpliciter obedire diuinis mãdatis, et nõ scrutari iudicia dei, quæ iniusta esse non possunt, etiã si ratio ho

Sodomitæ iudicati.

minibus ignoretur. Vtq; discatur, non retrocedendum dum ex peccatis quempiam benignitas dei euocauerit. De qua statua satis suo loco, & in epistola secunda Petri apostoli, capite secundo ad longum. Vnde & Christus in Euangelio monet, memores ut simus uxoris Lot, de qua multa legere potes si placet in Scholastica historia ex Iosepho desumpta.

6 Sapientiam enim prætereuntes nõ tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bonat sed & insipientiæ suæ reliquerunt homini bus memoriam, ut in his quæ peccauerũt, nec latere potuissent.

Crimina Sodomorum.

Prosequitur causam pro qua sapientia uera damnat impios, non ex fragilitate uel ignorantia peccantes, sed ex certa et electa malitia. Sodomitæ enim criminosi fuerunt ex consuetudine mala, per quam & excæcati sunt, ut impune & per improbam licentiam nihil puderet, quando nemo proximum æque impium erubescere cogeretur: erat enim communis licentia, qua prætierierũt sapientiam, id est timorem dei, per gulam & luxuriam otiumq;, ut laberentur à iudicio rationis rectæ. Humanitatem omnem exuntes, facti sunt turpiores bestijs, quæ malitiæ turpitudinem prorsus ignorant per naturam, illi uero per contemptum & data opera. Vnde & insipientiæ suæ memoriam reliquerunt sæculis omnibus secuturis, ex magnitudine tam pœnæ inflictæ, quàm criminum multitudine & pondere: de quibus Helinandus in hoc carmine:

Otia, segnities, somnus, caro, fœmina, uinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.

Non itaq; illis sufficit criminum magnitudo, nisi eam publice perpetrassent, exemplumq; præbuissent tam horrendi criminis ad casum multorum. Vnde & publice puniti sunt, ne pœna quoq; tanta in obliuionẽ caderet, sed profectus fieret & cautela, ut exemplo confusionis reproborũ reliqui abstraherentur à similibus. Etenim pestilente flagellato sapiens sapientior erit.

7 Sapientia autem hos qui se obseruant, à doloribus liberauit.

Ostenso ut sapientia rigide puniat flagitiosos, additur hic quoq; paucis, quomodo misericorditer pios saluet. Hos nempe qui sapientiam colunt, & diligenter obseruant, ipsa per obedientiam & disciplinam à doloribus liberat. Nam eripit à peccatis & à tormentis, mentis confert tranquillitatem, & ad pacem perducit æternam. Præseruat quoq; ne in dolores incidant, dum studiose quod iustum est prosequitur, tuta sectatur & iusta. Et ubi præter delictum acciderit afflictio, qui sapiẽs est boni consulit, & accipit ut uirtutis materiam, & impedimentum lasciuiæ uel inepti gaudij.

8 Hæc autem profugũ iræ fratris iustum deduxit per uias rectas, & ostendit illi regnum dei, & dedit illi sciẽtiam sanctorum, honestauit illum in laboribus, & complenit labores illius.

Laudes Israelis.

Exemplum quintum præstituitur de sapientia gubernante iustos in patriarcha Iacob. Quanquam posit uideri proxime præscripta sententia dicta esse de Isaac, quem ut eximie sapientem, & contemplationis diuinæ studiosum, dominus à multis angustijs liberarit, ut deo pauciora legantur aduersa & incommoda quæ sustinuerit q̃ de Abraham & Iacob, ut non indigne hic commendari uideatur à sapientia insigni, per quam à doloribus multis quibus alij sunt afflicti, Ioseph scilicet, Moses, Iacob & Abraham, ipse Isaac liberatus sit, eximiũ exemplar sapientiæ & timoris diuini. Verum id non tam dicitur describitur. Hic uero constat liquide, quod dicitur de Iacob patriarcha intendi, quem timor dei & sapientia, qua sese deo totum subiecit & deuouit, ex multis angustijs eripuit. Profugum enim factum à fratre Esau, propter uendita primogenita, & amissam benedictionem ab Esau sua culpa, sanctus ille Iacob fratris iram fugere compulsus est: quem tamen exulem & fugitiuum per sapientiam deduxit deus per uias rectas, ut in nullo aberraret à sapientia uera, & à dei cultu ac timore. Non incidit in inuidiam, non in impatientiam, rectaq; uia perductus est eum in locũ, ubi feliciter proficeret in prole, diuitijs, & fide firma in dominum deum suum, quem et sibi inuenit, & est expertus clementissimum. Ostendit quoq; illi regnum dei, mysterium scilicet Christi, in scala uisa in Bethel, cui dominus innitebatur: per quam significantem Christi humanitatem, ascendunt & descendũt hominibus iuuandis angeli dei, & omnia gratiarũ dona dantur electis, qui ciues sunt regni cœlorũ, cuius rex & dominus Christus est. Quod Iacob reuelatum sic est, ut illud clare moriturus prædixerit in benedictionibus patriarchalibus, in ea scilicet, quæ dicta est ad Iudam, de quo mittendus esset, & futurus expectatio gentium, & sceptrum Israelis nunquam finiendum. Dedit quoq; illi scientiam sanctissimarum rerum, de quibus iam dictum est, intelligantur. Nihil enim sanctius usquam dictũ est uel scriptum, q̃ sit mysteriũ regni dei in Christo promissum patribus, & exhibitum filijs. Honestissimo modo uixit, & uitæ necessaria manuum labore acquisiuit. Otium, semper uitiorum abhorruit, & laboris sui præmium domino donãte honestissimũ reportauit. Cum enim uacuus baculo transisset Iordanẽ, suo tẽpore dives prole, seruis, pecore, & iumentis redijt in maxima multitudine. Omnia autem illa erant sapientiæ suæ munera, & dei beneficia, pro fide & charitate, iustitia & sanctimonia uitæ, quibus compleuit, id est finiuit labores suos atq; perfecit, ut creuerit in maximam multitudinem, susceperitq; promissionem, quã patribus iam ante promiserat deus, de semine multiplicando Israelitis supra stellarum numerum, & arenam maris.

9 In fraude circumuenientium illum adfuit illi, & honestum fecit illum. Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, ut uinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia.

Permissione diuina uarie tentatus est Iacob, fraude Laban & filiorum eius, ut ipsum deciperent, uicibus multis mutando mercedem illius, ut illum circumuenie-

rent

rent, & sese ditatis otiosis, illum laboriosum pauperiorem relinquerent, & tandem amandarent. Sed affuit illi sapientia dei, qua & ipsi rerum prudentiam indidit, & propria fides & dexteritas, qua se ex omni malo, periculo & labore exemit. Affuit illi dei sapientia, & honestum fecit illum, hoc est grandi opulentia dotatum reduxit ad propria, & eius probitatem & iustitiam omnibus patefecit. Nõ solum à Laban & seruis eius ipsum fugientem persequentibus liberauit sapientia, sed etiam à furioso fratre Esau eripuit, quem in mansuetudinem traxit, ut non solũ non occideret, sed ut charissimum fletu & osculis complecteretur. Tutũ quoq; reddidit eum à seductoribus, id est Sichimitis, qui Dinam seduxerant, & ab alijs prouinciæ hostibus omnibus, ut pace frueretur optata. Certandi robur cõtulit, ut uinceret angelum luctantem secum usq; in mane. Non tam corporis fortitudine, q̃ fidei deuotione obtinuit dei fauorem & assistentiam pro se & suis posteris, quibus de toto orbe triumphum prædixit, promisit & exhibuit, non in corporalibus, sed spiritu & sapientia. Sicq; per multas angustias eruditus didicit Iacob, quoniam omnium potentior est sapientia. De illo quoq; certamine, præter ea quæ scripta leguntur, Geneseos 38. etiam in propheta Oseæ scriptum est cap. 12. In fortitudine sua directus est cum angelo, & inualuit ad angelum, & confortatus est, &c.

10 Hæc, uenditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditq; cum illo in foueã, & in uinculis non dereliquit illũ, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos qui eum deprimebant: & mendaces ostendit qui maculauerũt illum, & dedit illi claritatem æternam.

ph sapi

Sextum sapientiæ exemplar exhibitum est in Ioseph patriarcha, quem à fratribus uenditum & exosum, timor dei & fides in dominum deum minime dereliquit, non in cisterna nec in fratrum manibus, nec in Ismaelitarum seruitijs, sed à peccatoribus fratribus suis liberauit eum, qui illum occidere uoluissent, & ignotis infidelibus uendere non timuerunt: grandi certe crimine, in illis præcipue, qui tam sancto patre nati erant & instituti. Cum per sapientiam illam uicisset bellum periculosissimum cum uxore impia Puthyphari ad adulterium solocitatus importune, indigne est coniectus in carcerem: gratiose autem prosecuta est illum sapientia dei, quæ eum in uinculis non dereliquit. Fuit enim dominus cum Ioseph, misertusq; est illius, dedit q; ei gratiam in conspectu principis carceris, & gratiam impartiendo somnorum interpretandorum. Qua occasione per dei prouidentiam sanctam, cui omnia seruiunt, allatum est ei sceptrũ regni, ut illi Pharao diceret rex Aegypti: Vno tantum regni solio te præcedam. Et rursus: Absq; tuo imperio nullus mouebit manum aut pedem in tota terra Aegypti. Sic quoq; superior euasit omnium, qui illum perditum uoluissent, fratribus scilicet & adultera, eisq; qui illum carceri mancipauerant. Non tamen mitis & sapiens Ioseph uindictam expetijt contra quenquam inimicorum suorum, sed dispensationem dei circa se agnouit & amplexus est, subditus & deuotus per sapientiam si dei creatori suo. Suffecit illi abunde quod mendaces proderentur illi palàm, qui de crimine eum mendaciter accusauerant, & ueritas uitæ & innocentiæ suæ testimonium agnosceretur. Vt sic per sapientiam assequeretur diuino beneficio claritatem honestissimæ famæ per omnia sæculorum sæcula.

11 Hæc, populum iustũ, & semen sine querela liberauit à nationibus quæ illum opprimebant.

Sapientia Mosis.

Hactenus de specialibus laudibus personarum sanctarum, quæ per sapientiam ueram saluatæ sunt, & laudem gloriamq; consecutæ: nunc de prouidentia dei agitur circa totum populum dei, per sapientiã, qua omnia gubernantur, & quæ omnia agit in omnibus, maxime uero in sanctis, & deo dilectis amicis. Hæc, inquit, sapientia liberauit per organum sanctissimi Mosis, fidelissimiq; in totam ecclesiam filiorum dei, totum populum Israeliticum de manu Aegyptiorum, à quibus grauissime adfligebantur, laboribus duris luti & lateris, irrisionibus & flagellis, in operibus cunctis grauibus & abominabilibus, quibus omnibus malis crudelissime adiecerũt infanticidium. Iustus autem dicitur populus ille Israeliticus, & semen sine querela, comparatione gentilium idololatrarum, & quia ad sanctitatem uocati erant, & sanctissimorum patriarcharum semen & filij, promissiones habentes rerum sanctissimarum, quas gentes omnes toto orbe expectabant, per hos sibi reddendas. Hũc iustum populum fide deo pro multa parte adhærentem, sapientia dei liberauit à tantis malis, ab improba natione Aegyptiaca, quæ illos opprimebat, & ab alijs quoq; omnibus Amalechitis, Edomitis, Ammonitis, Moabitis, Syris, Palæstinis, Amorrhæis & Chananæis, impijs nationibus, qui illum dei populum oppresserunt.

12 Intrauit in animã serui dei, & stetit contra reges horrẽdos, in portentis & signis.

Sapientiam dei laudat in specie, quæ collata diuinitus est Mosi, qui hic dicitur seruus dei, ut fuit fidelissimus, ut ea perfusus & corroboratus, non horreret se ingerere tyranno, & instare pro redemptione suæ gentis, tam impie crudeliterq; oppressæ. Stetit ergo Moses contra horrendos reges, & principes regni Aegyptiaci, in portentis & signis, hoc est prodigiosis & terribilibus plagis & ultionibus, uirtute diuina perfectis, ut habetur Exodi 7.8.9.10.

13 Et reddidit iustis mercedẽ laborum suorum, & deduxit illos in uia mirabili: & fuit illis in uelamento diei, & in luce stellarum per noctẽ, & trãstulit illos per mare rubrũ, & transuexit illos per aquam nimiam.

Sapientia dei in Mose per manum potentiæ & iustitiæ diuinæ sic prosperata est, ut inimicissimæ gentis Aegyptiacæ spolia assequerentur filij Israel captiui, ut petita, de domini uoluntate & iussu, uasa argentea & aurea, uestes pretiosas auferrent: idq; iuste agerent, tum quia omnia dei sunt, ut dare possit cui uelit, tum quia Ae-

gyptij crudeliter tractauerant Israelitas, & multis laboribus subdiderant & grauibus, pro quibus eis merces nulla reddita fuerat, tum quia iam occidendi erant in mari rubro, ne spolijs dignis carerent. Sic enim dominus inclinare potest & cogere uoluntates etiam impiorum ad bonum electorum, tunc cum illi uisum fuerit. Insuper per horribile desertum deduxit eos, quadraginta annis, quod nemo trãsierat ante, ubi erant diuersa serpentum genera, & animalia uenenosa, quæ tamen iustis filijs Israel nihil nocuerunt. Mirabiliter quoq; ostendit illis uiã per columnam nubis in die, & ignis noctu, ut die à calore solis operirentur & refrigerium sentirent, noctu uero illuminarentur columna ignis, non aliter quàm luna & stellis. Sicq; liberatos de manu Aegyptiorum, & eductos de seruitute hostium transtulit, insuper per desiccatum fundum maris rubri diuisi, quod utrinq; ut murus stetit ex lateribus transeuntium, insigni miraculo, in gratiam electorum facto, ut patet Exodi 14. Transuexit eos hoc modo per loca illa, ubi antea & post erat aqua nimia & copiosa, tam tũc in exitu Aegypti, quàm postea in ingressu terræ promissæ per Iordanem. Sic enim sapientia dei deduxit electos cultores suos, in exemplum omnibus sæculorum populis, ut similiter deo fiderent, sibi quoq; talia posse præstari beneficia, si sapientia fidei domino deo suo adhæreant.

Miracula circa Israelem.

14 Inimicos autem illorũ demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos.

Et hæc quidem beneficia præstitit Israelitis fidelibus in gratiam Mosis, qui sapientia dei plenus erat, eos trãsferens per mare rubrum. Inimicos autem illorum Aegyptios, qui infantes Hebræorum submerserant, & omnibus crudelitatibus oppresserant, hos demersit digna uicissitudine in mare, & ad unum omnes occidit: mortuos quoq; Aegyptios ad gaudium Israelitarum & utilitatem, iterum illos eiecit in littus, ut uiderentur mortui Israelitis, & pro auferendis spolijs illorum incumberent. Ex ea parte littoris ubi filij Israel exierant liberati, ibi cadaueribus mortuorum eripuerunt quod reliquum erat spoliorum Aegyptiorum. Altitudo inferorum potest dici altitudo maris uel profunditas, ubi Aegyptij demersi fuerant & occisi: uel etiam periculum mortis, quod euaserant Israelitæ ex transitu maris rubri. Potest eim illos referri ad Israelitas & Aegyptios, sunt enim utriq; educti de mari, illi Israelitæ uiui, Aegyptij autem mortui.

Aegyptij iudicati.

15 Ideo iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt domine nomen sanctum tuum, & uictricem manum tuam laudauerunt pariter.

Electorum Aegyptiorum & occisorum impijssimorum tyrannorum spolia abstulerunt iusti Israelitæ, qui nihil prorsus meriti, tam dura fuerant longo tempore seruitute grauissima oppressi. Quin & post tam lætam uictoriam, & opima direpta spolia, redemptiq; de tam diuturna captiuitate, iucundissimum domino carmen cecinerunt, nomen domini collaudando, dicentes: Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Moses hoc canticum dictauit, & uiris præcinuit, sicut soror eius Maria fœminis. Et pariter omnes laudauerunt uictoriosam manum domini in hostes fidelium, quam exercuerat pro filijs suis contra tyrãnos Aegyptios, hos occidendo, illos redimendo, istos omnibus bonis spoliando cum uita etiam rebus, illos uero Israelitas ditari, liberari, libertate restitui, & in gloriam æternam promoueri, pro quibus dominus tanta facere dignatus sit potentia omnipotentiæ suæ.

Carmen uictoriale.

16 Quoniam sapientia aperuit os mortuorum, & linguas infantium fecit disertas.

Ea sapientia, qua deo se & sua crediderunt Israelitæ, & fides uerborum dei, qua Mosi crediderunt, ea uice, aperuit tunc eorum ora qui fuerant muti, oppressi, miseri & serui, ut præconiũ dei canerent qui antea muti fuerant. Et linguas ægre loquentium uel loqui de deo inter impios non audentium, tunc aperuit & excitauit, facundaq; laude effluere fecit in magnificentiam dei & gloriam plebis suæ Israel.

CAPVT XI.

1 Direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti.

Quandiu populus Israel obsecutus fuit doctrinæ, mandatis, & exhortationibus prophetæ maximi Mosis, quem dominus illis pastorem & ducem præfecerat, tam diu directi sunt in suis operibus, feliciter profecerunt, & statim peruenissent, si non peruicaciam exercuissent in dominum & seruum eius Mosen, qua sic retardati sunt, ut quadraginta annis impedirentur, & præter duos omnes in eremo è uiuis excederent, quorum nemo non peccando demeruerat ingressum terræ illis promissæ à domino, contra quem ducem murmurabant.

2 Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: & in locis desertis fecerũt casas.

Sub ducatu Mosis & beneficio præsentiæ dei iter fecerunt per inuia loca, per solitudines prius nunquam habitatas, idq; multis annis, ut domos ædificare nõ possent, continuo expectantes motum nubis & columnæ, propter quod & casas sibi pastorum more parauerunt, in quibus ut peregrini incerto tempore residerent cum suis mulijs. Dicit autem deserta, quia plura erant loca cum suis nominibus, omnia tamen in eodem latissimo deserto, quod secundum uarias partes dicitur Aegypti, Etham & Pharan, Sur, Moab, Idumææ, per quæ loca transierant suas casas, in quarum memoriam festa deinde tabernaculorum iussi sunt celebrare.

3 Steterunt contra hostes, & de inimicis se uindicauerunt.

Restiterunt de mandato & auxilio domini hostibus suis Amalechitis & reliquis, & inuadentes se fortiter repellentes prostrauerunt, Exod. 17. Tunc quidem fugere compulerunt, sed pro insigni crudelitate sua in extremos senes & fragiles, iussu diuino tandem per Saul sunt occisi et deleti, prout dominus diu ante prædixerat. Hoc est sese uindicasse de Amalechitis hostibus.

Sitierunt

4 Sitierunt, & inuocauerunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro.

In deserto Raphidim cum aqua sitientibus deesset, & populus murmurasset, & deinde dominum inuocasset Moses illorum nomine: statim iubente domino Moses percussit petram Oreb, unde mox aqua copiosa profluexit, ad omnem sufficientiam hominibus & iumentis, pro satianda siti. Ideo dicitur: Data est illis requies sitis de lapide duro, contra naturæ uires, sed non supra potentiam dei, quæ fidelibus abesse nõ potest. Quanquam autem multi murmurarent, non tamen omnes. Erant enim qui expendebant miraculum siccati maris, pro eductione populi de Aegypto, quem minime liberasset ab hostibus, si in solitudine ipsum occidere siti uel fame uoluisset. Vnde & seniores iubentur adesse Mosi lapidem percussuro.

5 Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorũ à defectione potus fuit in eis, cum abundarent filij Israel, lætati sunt. Per hæc, cum illis deessent, bene cum illis actum est.

Sequitur nunc de pœnis Aegyptiorum comparatis ad eorundem flagitia. Sicut, inquit, Aegyptij nuper oppressores Israelitarum & uerbo dei contradicentes, pœnas crudelitatis suæ senserunt, quia infantes occidi mandarant, ut tunc uicißim pro aqua sanguinẽ bibere cogerẽtur, cum omnis alius illis potus uel deesset iudicio dei, uel conuersus esset in sanguinem, cum interim filij Israel tota Aegypto aquã limpidam biberent, gratia domini, & gratularentur de iustis iudicijs dei, se scilicet bibentibus, illos siti excruciari. Sic nũc quoq; in solitudine sitientes, beneficium salutiferi fontis per dei miraculum de silice capiunt, ad omnem sufficientiam & solatium. Sic in utraq; egestate sitis, dominus bene egit cum suo populo, largiendo aquas, cum Aegyptios primum sanguine potasset, deinde in mari submersisset.

6 Nam pro fonte quidẽ sempiterni flumis, humanũ sanguinem dedisti iniustis.

Sempiternum flumen intelligi potest, uel Nilus Aegypti fluuius, cuius aquæ sunt uersæ in sanguinem, ut bibere cogerentur cruorem, qui effuderant infantium sanguinem, Israelitis interim nihil passis. Vel etiam fons ille de petra continuo fluens, donec aqua indigerent in solitudine, qui signum erat beneficij diuini, quo persecutus es iustos in deserto, cum prius iniustos, hoc est impijssimos Aegyptios digne punieris potu cruoris. Sunt enim compositiones & antitheses sententiarũ & rerum. Sicut crudeles hostes sanguine potasti ad horrorem: sic filios tuos aqua iucundißima ad refrigerium.

7 Qui cum minuerẽtur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperate: ostendens per sitim quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & aduersarios illorum necares.

Cum filij Israel crudelißima malignitate occidẽdi infantes ab Aegyptijs cœpissent imminui, & innocentes pueruli occidi, tu eos hostes digna pœna feriebas, necessitate bibendi cruorem horribilem, uel patiendi sitim exitialem. Tunc uero fideles tuos per sapientiam timoris tui tibi charos, potabas saluberrimis aquis in abundantia, ne sitim paterentur, ut Aegyptij. Per quam sitim Aegyptiorum ipsi sentirent iram domini, & iustam uindictam in se crudeles & impios: contra uero scirent & experirentur gratiã tuam ad credentes & colentes te, per quam amicos tuos exaltas & consolaris, illustresq; reddis, aduersarios uero tuos rebelles & crudeles suo tempore necares, in suis primogenitis in primis, deinde in aquis maris rubri in personis proprijs, præter eam sitim quam nisi sanguinis potu redimere uel refrigerare non possent.

8 Cum enim tentati sunt, & quidẽ cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur.

Varijs quidem tentationibus afflicti sunt fideles filij Israel: in Aegypto quidem sub manu impiorum grauißime, in deserto autem sub manu domini & serui sui Mosis, leuioribus quidem, sed cum impatientia nimia eorũ, cum dominu dei misericordia illis nunquam abesset, sed cum pietate disciplinam illis utilem imponeret, cum multa tamen impatientia illam perferentes, nihilominus intelligere circa se dei gratiam poterant, & iram iustißimam circa impios Aegyptios, quos tam austere nouerant, quia uiderant adflictos & perditos, grauibus multis continuoq; sequentibus tormentis, temporalibus & æternis.

9 Hos quidem tanquã pater monens probasti: illos autem tanquã durus rex interrogans condemnasti.

Fidelibus & electis tuis Israelitis per omnia te patrẽ exhibuisti, flagellis quidem corrigens insolentes, sed clementer ac paterno affectu nõnihil parcens: filios enim illorum seruasti, & pro peruicacia parentes punuisti, utroſq; ad salutem animæ. Illos autem Aegyptios per tormenta examinasti, durus iudex in præsenti sæculo, portentis magis admonens ad pœnitentiã, de crudelitate in sanctos, nihil uero conuersos & continuo crudeliores effectos, morte corporis & animæ condemnasti. Non aliter ac rex iustus quispiam, per tormenta sic confessionem extorquet, ut confitentẽ nequitias subinde damnet.

10 Absentes eñ, & præsentes similiter torquebantur.

Qui præsentes cernebant magnalia dei contra Israelitarum hostes, uel audiebant famam tantæ rei, quam dominus fecerat in mari rubro, simili horrore permouebantur, siue Aegyptij essent, qui domi remanserant, & tantam suorum stragem sentiebant, siue Chananæi essent, siue Amalechitæ cum reliquis, qui audientes portentosam uictoriam Israelitarum, maximo sunt stupore perculsi, intelligentes se cœlestibus uictorijs aduersari non posse, & contra stimulum dei calcitrare pernitiosum nimis.

11 Duplex enim illos acceperat tædium, et gemitus cum memoria præteritorum.

Duplex angor, tædium & horror acceperat hostes Israelitarum. Vnus, quia iam se fraudatos cernebant, primogenitis et amicis in mari rubro absorptis, quæ in præsentiarum mala sentiebant grauissima. Alius, dudũ præterita mala in Aegypto rememorabat & de futuris & imminentibus formidabat: quod hic dicit gemitum præsentium & futurorum malorum, memoriamq; præteritarum pestium & terribilium pœnarum.

12 Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt domi num admirantes in fine exitus.

De Israelitis intelligendus uidetur obscurior uersus, quasi dicere uelit: Cum sentirent ex uerbo domini per Mosen non ipsis infligi pœnam ex ira dei, sed paterna charitate, ut emendarentur, & ad dominum conuerterentur, ideoq; bene finiretur tentatio, & ad tentatorum profectum: tũc recordati sunt domini, & beneficiorum eius, qui bene uertisset pœnas huiusmodi, non ad damnationem, sed ad salutem profectumq; in pietate, uidentes ex euentu rei nõ tam pœnam fuisse passiones istas quàm exercitium.

13 Quem enim in expositione praua proiectum deriserunt, in finem euentus mirati sunt: non similiter iustis faciens.

Sciebant Israelitæ Mosen expositum fuisse infantem, & morti olim obnoxium, dum trium mensium puerulus in fiscella cirpea inuentus assumeretur à filia Pharaonis, dum primum rideretur ab Aegyptijs tanquã filius non nisi adoptiuus filiæ Pharaonis, & deinde ab Israelitis, quorum unus improperando dicebat: Quis te constituit iudicem super uos? Et postea: Recede à nobis, ut seruiamus Aegyptijs. Post totius negotij euentum & finem, cum uiderent domini dei famulum esse, & domino prouomouẽte tantum prosperari negotiũ, plurimum utriq; mirati sunt, cernentes non esse eadem fata, id est domini dei ordinem & dispensationem circa impios Aegyptios & iustos Israelitas. Non similes sunt etiam si utriq; peccent. Iusti enim & si peccent ex fragilitate uel ignorantia, fidem tamen dei & cultum non abijciunt, sed & cito redeunt per pœnitentiam. Impij autem ex contemptu peccant, & dominum non uerentur neq; colunt, non illi credunt, uerbum domini & ipsam dei prouidentiam circa humana irridẽt, & minime credunt. Cum enim in profundum peccatorum impius uenerit, contemnit.

14 Pro cogitationibus autẽ insensatis iniquitates illorum.

Impiorum hominum iniquitates, ut erant Aegyptij & Chananæi, causam habuerunt ex insensatis cogitationibus suis. Quia enim sapientia uera caruerunt, & deprauatum est insipiens cor eorum, ut creatorem ignorarent, cum se sapientes putarent, ideo graues multæ et horrendæ erant iniquitates illorum. Qui enim fide unius dei carent, grauibus criminibus carere nõ possunt, id omnibus idololatris semper contigit, semperq; uidetur.

15 Quod quidam errantes colebãt mutos serpentes, & bestias superuacuas, immisi-

sti illis multitudinem mutorũ animalium in uindictam: ut scirent quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

Ex maximo autem errore hominum, inter multa ... mina quæ prodeunt, illa quoq; sunt, quod gloriam incorruptibilis dei tribuerunt stulte & blasphemę mutis serpentibus, inutilibus ac abominandis animalibus, & ... lissimis, quæ nominat superuacua. Ideoq; digni fuerunt qui rebus futilibus, uanis & abominandis punirentur a domino. Vnde scribitur quomodo immiserit Aegyptijs omnium gentiũ superstitiosissimis, non homines, leones, lupos, & similia animalia: sed ranas, cyniphes, muscas, locustas, bruchos, minutissima quæq; ad ipsorum confusionem & deorũ suorum, qui minuman huiusmodi ... dictam dei abigere non potuerunt. Inde autem cognitum est iustum dei iudicium, ut pœna respondeat culpæ, & per quæ quis peccat, per eadem & puniatur. Sicut sodomitæ qui fœtidissimo crimine peccabant, per picis, sulphuris fœtorẽ iudicati sunt & puniti: sic Aegyptij sanguinem bibere coacti sunt, quia infantium & innocentium sanguinem crudeliter effuderant.

16 Non enim impossibilis erat omnipotẽs manus tua, quæ creauit orbem terrarũ ex materia inuisa, immittere illis multitudinem urforum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas, et ignotas bestias, aut uaporem igneum spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere.

Non tam imbecillis est tua uirtus, ut non nisi minuta animalia creare potueris ad uindictam inimicorum tuorum, quando unica uoluntate, & solo uerbo tuo omnia dum creasti, & quicquid complectitur uniuersitas rerum. Etenim uirtus tua omnipotens, quæ ex nihilo hoc est inuisibili natura, & prorsus nihili re cuncta condidit. Potuit ergo si uoluisset immisisse Aegyptijs ... sine numero, leones fortissimos, audaces, & nimium ... deles. Aut certe nouas aliquas bestias condere potuisset plenas irarum, hactenus nunquam uisas. Non est enim imminuta potẽtia dei, multo minus exhausta uirtus ... initio creationis. Potuit si uoluisset bestias creasse ... nuto suo dominus deus noster, qui igneum uaporem ... rassent, & omnia incendissent solo anhelitu. Et fumum efflare uenenatum, qui aerem infecissent. Aut insta ... lisci bestias, quæ scintillas mortiferas ex oculis emittentes, solo intuitu occidissent, quarum timor & aspectus facile hominibus illis impijs internetion fuisset. Est enim omnipotẽs deus, dominus uitæ & mortis, ideoq; ut multa salubria uitæ condidit, sic exitialia plura quoq; producere potest dum libet.

17 Sed & sine his uno spiritu poterant occidi persecutionẽ passi ab ipsis factis suis, & dispergi per spiritum uirtutis tuę: sed omnia in mẽsura & numero & pondere disposuisti.

Et quid multis ago? Dominus est qui uno uento quic quid uiuit semel occidere potest, & impios cõtemptores suos facilime uno nutu uoluntatis suæ consumere, & prorsus excindere, quod est spiritu uirtutis suæ dispergere omnia, ne quis impune putet sibi licere dominum spernere uel odisse. Satis compertum est quid dominus possit in blasphematores maiestatis suæ & in oppressores fidelium suorum, qui una nocte uno ministro exercitus sui occidit centum milia & octogintaquinq; milia Assyriorum. Sed non omnia dominus agit quæ potest, nec omnibus uijs possibilibus iudicat impios: habet enim sapientiæ & iustitiæ suæ leges, quas seruat, et mensuram rebus suam indidit, quam non excedant. Numerum quoq; definiuit omnibus rebus, ne quod infinitum simpliciter sit in magnitudine uel multitudine, sic & in pondere uirtutis & propensionis naturalis. Soli enim uno deo & uero propria est immensitas & infinitas. Singulæ & omnes creaturæ suæ suum habent modũ, speciem, ordinem, mensuram, numerum & pondus suum: Sic & proportionem suam habent pœnæ peccatorum, ut maiora supplicia grauioribus criminibus debeantur secundum illud Apocalypseos: Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

18 **Multũ enĩ ualere tibi soli supererat semper: & uirtuti brachij tui quis resistet?**

Tibi soli proprium est omnia posse quæ uelis: quod autẽ tam minutis rebus afflixisti Aegyptios, cum multo maioribus potueris occidisse uel afflixisse, alia ratio non est, quàm quia sic tibi placuit. Multum ualere dicit, & intelligit omnia posse, & inuincibilem possidere uirtutem, cui resistere nemo possit, etiam si omnes creaturæ contraniterentur, quod fieri nõ potest: plene enim subsunt uoluntati dei, cui per omnia obsequi nulla non desiderat, præter hominem & satanam.

19 **Quoniam tanquam momentũ stateræ, sic est ante te orbis terrarũ, & tanquã gutta roris antelucani, qui descendit in terram.**

Mundus & quicquid in mundo continetur, ex tua uoluntate pendet, quæ est ipsissima tua uirtus. Et est cœlum & terra tanquam exiguus puluis, ad maiestatem potentiæ tuæ comparatus. De quo Isaias: Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Et ut gutta roris antelucani, qui statim ad solis ardorem euanescit. Cum itaq; omnia possis, & sine difficultate soloq; nutu facile peccata hominum et contemptum tuæ gloriæ & honoris uindicare posses, tamẽ non agis iuxta hominum demerita. Si enim iniquitates obseruaueris domine, quis sustinebit?

20 **Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominũ propter pœnitentiam.**

Non solum potens & iustus es, sed etiam clemens & pius, conseruas enim creaturas, & prospicis fideliter, quia omnipotentia tua plena est pietate et sapientia, nõ tyrannide nec uiolentia, ideoq; omnium misereris, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Expectas enim ut misereatis si desinant, & commissorum pœniteat eos. Ignoras, inquit Apostolus, quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te addducit. Nisi enim pœnitent, indulgentiã sperare nõ possunt qui peccauerunt.

21 **Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti.**

Bonitas cum sit dilectionis obiectum, & in omnibus creaturis quas deus condidit, ideo non potest deus non amare quæ condidit. Habent autem bonitatem participatam à summo bono deo, qui est per essentiam & à se bonus, omnibus alijs suam largiens bonitatem ut sint bona, non à se, sed à deo optimo maximo. Odio autem deo sunt impius & eius impietas: odit enim omnes qui operantur iniquitatem, quam ipse non facit, cum nihil sit nisi priuatio boni, inobedientia, odium dei. Cæterum rerum essentias creatarũ amat, amore quidem naturali creaturas diligit, sed gratificationis, & promissæ salutis & beatitudinis ratione solos amat electos. Diligit & odit deus.

22 **Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu uoluisses? aut quod à te uocatum non esset, conseruaretur?**

Ex tua uoluntate omnia ut condita sunt, sic eadem conseruante subsistunt, ut nulla quamlibet nobilis creatura existere possit sine domino conseruante uoluntate & bonitate sua, quæ se diffundit per omnia, non secus quàm lumen solis à sole, & splendor quicunq; à luce. Aut quomodo conseruaretur quæcunq; creatura sine tua uocatione, quo te uocante omnia dicunt: Assumus: non tantum conseruata, sed etiam obedientia in nationibus cunctis. Omnia enim pendent ex dei uoluntate et iussu in fieri, esse & operari, ut loquũtur philosophi.

23 **Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt domine, qui amas animas.**

Misereris omnium qui omnia condidisti, peccatisq; hominum parcis, peccata quidem odiens & puniens, homines autem amans quos condidisti & conseruas pro uoluntate & gloria tua: libenter parcis, dum in praua uoluntate se homo non figat, ut dei bonitatem contemnat. Animas autem diligis rationales, quas ad beatitudinem creasti, & ad tuipsius fruitionem æternam, quandoquidem ad imaginem tuam creasti eas.

CAPVT XII.

1 **Quam bonus & suauis est dominе spiritus tuus in omnibus.**

Post multa commemorata dei beneficia ad Israëliticum populum in exitu de Aegypto, nunc alia laudat cum gratiarumactione, quæ contulit introducendo in terram promissionis, non certe ex meritis prouocatus eorum qui totis quadraginta annis multipliciter deum irritauerant, & Mosen dei famulum indigne tractauerant, omnium hominum ingratissimi, propter quod & occisi sunt omnes, donec tantum duo supererssent ex recensitis post exitum. Sic enim illos ob murmurationes suas aliaq; peccata magna damnauerat ad mortem corporis: interim tamen omni bonitate sua tulit, fouit, protexit, deduxit, & introduxit iuxta promissiones suas, de filijs introducendis in hæ-

reditatem patribus illorum promissam. Ideoq; dicitur: O quàm bonus, id est pius, clemens, misericors & suauis est spiritus tuus in omnibus, gratia & fauor tuus immensus est, et propensissima uoluntas tua ad benefaciendum fidelibus tuis semper, quanquam etiam clementissimus sit tuus hic spiritus in impios & infideles, quos nõ tantum diu expectas conuertendos, sed etiam citra condignum punis impios, tam in præsenti sæculo quàm futuro Ideo additur non gratis: In omnibus.

2 Ideoq; eos qui exerrãt partibus, corripis: & de quibus peccant admones et alloqueris, ut relicta malitia, credant in te domine.

Clementia dei in peccatores.

Propter immensam bonitatem tuam in omnes, corripis quidem hominum impiorum malitiam, non aũt quantum merentur, sed adhibita pietate & misericordia tua, citra scilicet condignũ puniendo peccata, quod est partibus corripere, hoc est non pro dignitate, non totaliter, non quantũ merentur, hi qui post tantam acceptam gratiam & ostensam salutis uiam adhuc tamen sponte exerrant & data opera. Nec solum non punis, sed & uocas ad gratiam implorandam, & ad uitæ emendationẽ, multipliciter admonendo & alloquendo, non tantum prophetarum uerbis, sed corporalibus uexationibus, internis inspirationibus, aliorum exemplis, ut aliquando cogitent de relinquenda malitia, & de fideliter adhærendo deo, credendo uerbis illius, & non dubitando de promissis bonis præsentis temporis & futuri. Credant autem in te, hoc est, in tuam bonitatem, & in nullum alium deum uel auxiliatorem, ut toti ex te pendeant summo bono. Significat autem duo quæ in electis operatur spiritus dei, relinquere malitiam, hoc est, pœnitere, & deo se totum credere, quod est opus dei in homine.

3 Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniã odibilia opera tibi faciebant per medicamina, et sacrificia iniusta, et filiorum suorũ necatores sine misericordia, & comestores uiscerum hominum, & deuoratores sanguinis, & authores parentes animarũ inauxiliatarũ perdere uoluisti à medio sacramento tuo per manus parentum nostrorũ, ut dignam perciperent peregrinationẽ puerorũ dei, quæ tibi omniũ charior est terra.

Clementiæ diuinæ exemplum inducit de Chananæis, decem uel septem gentibus, quæ ante filios Israël terram istam Israëli promissam & Abrahæ tanto tempore inhabitauerant. Quam & sanctã nominat, tum quia tibi cere monialis dei cultus à deo fuerat institutus, tum quia in eadem corporaliter erat generandus & habitaturus Christus dominus, unde & in omnem terrarum fluenta gratiæ & doctrinæ Euangelicæ emittenda erant, secundum omnium prophetarum dicta. Exhorruisti autem eas gentes iam à multis sæculis propter enormia peccata sua, donec implerentur, quorum cosequenter catalogus enumeratur ab authore Salomone. Odibilia, inquit, erant opera illorum Chananæorum, quorum primum explicat perfidiam in deum, de cuius bonitate non præsumebant, nec bonum & suauem eius spiritum credebant: ideõ si aliquis morbum incidisset, non dominum inuocabat, sed aliquem diuorum, quem sibi stulte erexerat, siue idolorum inuocationibus agerent siue sortilegijs. Certe in his euacuatur deorum & idolorum cultura, quibus pro eorũ imploranda gratia quam non habebant, sacrificia faciebant sacrilega, spurca & iniusta, demonijs immolando more gentilium non deo. In quorum gratiã filios quoq; suos necabant, & posteritatem illis à deo donandam rescindebant, quasi domino displiceret casta generatio, & filiorum propagatio ad dei cultum instituendorum. Ideo se religiose agere credebant, optimum quod haberent deo suo offerendo, zelum Abrahæ simulantes, sed non secundum scientiam, ideo sine misericordia illos sacrificabant instinctu dæmonum incitati, quod domino maxime displicebat. Comestores hominum ad literam Chananæi non leguntur, sed ad crudelitatem referendum uidetur oppressionis pauperũ à potentioribus: erant enim prædones & usurarij, per uiolentiam & iniuriam imbecilliores deuorantes. Idipsum & significatur per hoc quod subditur: Deuorantes sanguinẽ, hoc est, non sibi temperantes ab esu sanguinis, quod Israëlitis semper horrendum fuit ex lege & paternis traditionibus. Et inauditarum animarũ parentes. Videtur uagi concubitus impuditudinem notare, quando non agnoscebantur filij à patribus, nec legitime educabantur. Nisi de sacrificatis ipsis filijs intelligatur, ea potissimum ratione, quia certi filij non habebantur, quos & gentium leges iubent abjici & non nutriri. Huiusmodi enim sacrilegæ cõsuetudines & leges oriuntur ex matrimonij contemptu à deo instituti, & ex cœlibatu dæmonis astu commendato uel sancto. Eiusmodi, inquit, terræ illius habitatores peruersi semel statuisti temporibus Abrahæ, sed non nisi criminibus huiusmodi auctis & consummatis. Quod sub Iosue contigit, quando per manus Iosue & sui exercitus, qui fuerunt patres eorum qui successerunt, perdere, ô deus, uoluisti eam pestilentissimam gentem, & numium sacrilegam, de sacra illa terra et electa possessione filiorũ tuorum, ut ipsi patres nostri sub Iosue dignam perciperent hæreditatem: eam certe terram, in qua peregrinati sunt, semen tui patriarchæ nostri Abraam, Isaac & Iacob, quam tibi dudum promisisti tradendam & possidendam hæreditario iure, qua non sit in terra tota aptior regio pro uero cultorum dei, quorum studio uera religio peruasisse sit omnes terræ angulos. Ideoq; & omnium charior dicatur, non quia melior, uel fertilior uel sanctior, sed quia ad Euangelij propagationem aptior, & ab æterno electa, ut sit patria eius, qui futurus sit benedictio omnium gentium, in qua tamẽ olim impij Chananæi locũ cessionis erant filijs dei fidelibus de progenie Israelis, non secundum carnem, sed in spiritu.

Crimina Chananæorum.

4 Sed & his tanquam hominibus peperciisti & misisti antecessores exercitus tui uespas, ut illos paulatim exterminarent.

Quanquam mali Chananæi essent, & ad mortem & delectionem dudum damnati, eis tamen uelut hominibus pepercisti post primam auditionem uenturi hostis, & permissam

permissam uictoriam Amorrhæis de filijs Ephraim, quadraginta annis acceperunt tempus pœnitendi, & dominum timendi, quod & Raab uerbis & Gabaonitæ factis testati sunt. Et præmisit aduenturis Israelitis deus exercitum uespārū, animalia parua, quæ uenenatis aculeis multos Chananæorum occiderunt. Quod quidem in historia Mosis uel Iosue non legitur, tamen ex traditione creditum à patribus hic scribitur, nō irrationabiliter, quandoquidē & non omnia scripta sunt quæ tunc gesta. Et similia in Aegypto fecisse dominū legimus & alibi. Ad hoc autem animalia hæc immisit, ut illos paulatim exterminaret, attenuaret eorum uires & numerum simulq; formidine frangeret: non quod aliter nō potuerit, sed hoc illi domino placebat. Alij uespas intelligunt timores & angustias Chananæorum ad Israelitarum aduentū, propter quas Euæi fugisse dicuntur ab illa terra, uel Kinæi potius.

on omnia ripta.

5 Non quia impotens eras in bello subijcere impios iustis, aut bestijs sæuis, aut uerbo duro simul exterminare: sed partibus iudicans dabas locū pœnitentiæ, nō ignorans quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam nō poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.

Nec distulisti impiorum iudicium, uel pepercisti ne omnino delerentur, nec effugere permisisti, quia impotēs eras uincere illos, & ad unum exterminare non potens, & subijcere amicis tuis Israëlitis: potuisses enim multis modis deleuisse omnes, et subito, per bestias sæuas inuadere illos aut pestilētia, quæ hic Hebraico more dicitur Verbum durum. דבר enim uerbum significat & pestem. Sed noluisti his modis agere cum impijs & pro iustis, aloqui potuisses: Sed paulatim et quasi per partes eijciebas & occidebas Chananæos, & locum concedebas pœnitendi ex magna misericordia tua, & ad exercitiū populi tui, alioqui ceruicosi & rebellis, ne sibijpsis uictoriam ascriberent, & gratiæ diuinæ obliuiscerētur patribus collatæ. Non potuisti ignorare malum genū Chananæorum, ex longa consuetudine ad malū induratū, ut altera facta sit natura, quæ mutari nō potuerit. Non enim sensum suū rationi subdebant, sed præferebant, quæ carnis & libidinis erant cogitātes sine timore dei, cuius uoluntatem scire nō cupiebant, sed uiribus corporis fidentes, domini dei iustitiam ut non credebant, sic nec uerebantur, sicq; procedebant semper sine spe conuersionis.

6 Semen enim erat maledictum ab initio, nec timens aliquem: ueniam dabas peccatis illorum.

Chananæi posteri erant Cham impij, & iamdudum à domino reprobati hominis, à parente suo Noë maledicti, & sic semen improbum erant, male institutū à progenitoribus, sine timore dei, & amore sapientiæ uel uirtutis. Non quidem domunum deum timebant, quem non credebant, nec homines quoq;, quia fortissimi essent & gigantum filij, urbibus arcibusq; muniti pro sua tyrannide. Illus deus pro sua uoluntate aliquandiu pepercit, & ferè quadringentis annis, ut patet ex uerbis domini ad Abraham & Iacob. Et dum Iosue etiam illos expelleret, non omnes exterminati sunt, non sine prouidentia dei & bonitate, qua impijs quoq; parci permisit, non absq; peccato Israëlitarum: sic enim omnia à deo dispensantur tam bona opera quàm transgressiones hominum, tam gratia quàm uindicta. Potest enim deus quæ uult, neminem timens, sed cui uult & quantum uult misereatur: nulli enim superiori obnoxius est, liber ad gratiam indignis concedendam, & ad uindicandum iniuste facta etiam piorum, dominus est enim & omnipotens, infinitæ bonitatis & sapientiæ, cuius operum ratio non sit ab hominibus inquirenda.

7 Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit cōtra iudicium tuum? aut quis in cōspectu tuo ueniet uindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?

Omnia quæ sunt pendent omnibus modis à te, nihil illis obligaris, pro ipsorum paruitate tuæ magnitudini comparari nō possunt. Stultitia est omnis sapientia creaturarum, tuæ prouidentiæ & sapientiæ collata: nihil norunt nisi per te & quantum nosce concedis, ideo inscrutabilia iudicia tua illis incognita sunt. Potentiæ tuæ subiecta sunt omnia, & uoluntati quæ est metrum & mensura tuarum actionum. Nemo ergo tibi dicet: Quid fecisti? Nemo operum tuorū rationem capere potest, multo minus reprehendere. Quis est enim qui iudicia tua calumnietur? Et quis est qui meliorem rationem agendi cum pijs & impijs tibi præscribere uel indicare possit, qui es optimus maximus & iustissimus? Qui si impios damnes, bene facis: si pios occidis & persequeris, non impie facis, sed omnia sancte, etiam si nos miseri homines operum tuorū causas assequi nō possumus. Tu enim omnium nationum & conditor es & magister, iudex et dominus, rex & moderator.

Iudicia dei imperscrutabilia.

8 Nec enim est alius deus quàm tu, cui cura est de omnibus, ut ostēdas quoniam nō iniuste iudicas iudicium.

Tu deus ut omnium es creator, solus omnipotens: sic solus omnia diligis, & curas, sufficiens omnibus, in iustitia & iudicio omnia sancte dispensans, electorum tuorum fautor & assertor, qui omnibus eis sufficis & benevis, ut alium quemcunq; inuestigare non debeamus, qui ut iustitia es, sic nulli infers iniquum iudicium, nemunem enim condemnas, neminem despicis, ut ne boum tibi uel passerum cura desit, quin & fidelium capilli numerati sunt, nulli quicquā debes, nec ad gratiā agis quicquam, qui creaturarum tuarum non eges.

9 Neq; rex, neq; tyrannus in cōspectu tuo inquirent de his quos perdidisti.

Si tu quoscunq; pro tua uoluntate rigide iudicare uideberis, nemo est qui audebit reprehēdere cur sic facias, qui potentissimorū potentior es, & nulli rationem reddes operum tuorum. Si cui displiceat tuum regnum, non moraris quenquam: tuum est regnum per quod reges regnant: tua est potentia qua tyrannos conculcas, quam

timere coguntur: nullus exiget rationem, sed ut dominũ humiliter deprecari coguntur, quamlibet potentes & tyranuci. Si quos saluas, clementiæ est tuæ, non meritorum: Si perdidisti quenquam, id quoq; in uero iudicio feciſti, quia peccauit tibi, etiam si ignoretur à nobis.

10 Cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis: ipsum quoq;, qui nõ debet puniri, condemnas, & exterum æstimas à tua uirtute.

Iustitia dei. Non solum iustus est, sed ipsa iustitia, ideo iniustum agere nullo modo potest, nos uero iustitiam non semper agnoscimus, & sæpe iustum credimus, quod iniquum deprehenditur. Iuste ergo omnia disponis & ordinas secundum tuam sapientiam, quam creaturæ minime assequuntur. Ideo si quando illos punis in præsenti, qui punitionem non meruisse uidentur à nobis, mirum non est quando nescimus quid coram te iustum sit, & quid in occulto agatur, qui non nisi externa iudicamus, & futura non assequimur, ideoq; finem actionis & permissionis tuæ non scimus, & ideo bonitatem & fructum non præsentimus: tandem autẽ manifestatur ratio sancta, quare hoc uel illud egeris bonum uel malũ: quare qui pius uidebatur, à te punitus est, & extraneus iudicatus à clementia tua, quæ tua est uirtus, et à te non protectus uel adiutus.

11 Virtus enim tua iustitiæ initiũ est: & ob hoc quod omnium dominus es, omnibus te parcere facit.

Voluntas tua, quæ est ipsa uirtus omnipotens, causa est & regula omnis iustitiæ tuæ & uirtutis, ideoq; nihil iustum est, nisi quod tu iustum decreueris, id est, quod tu uis, & quod placet uoluntati tuæ, quæ initium & causa est omnis iustitiæ, qui essentialiter iustus es, & per omnia irreprehensibilis, quia à iustitiæ regula declinare nõ potes, sicut nec à tua substantia. Ideo ait: An non licet mihi quod uolo facere? an oculus tuus malus est, quia ego bonus? Quia uero dominus es omniũ, ideo nihil potes peccare, & aliter quàm debes agere, qui nulli quicquam debes, etiam si plures dominium tuum odiant, uelint tamen nolint tuo subiacent imperio, & sanctæ per omnia uoluntati. Ideo parcere potes quando placet, & quibus: nosti enim solus quid iustum, et quid uelis, punire quoq; dum libuerit, nemine contradicente nisi qui iustitiam tuam non intelligit uel odit.

12 Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in uirtute consummatus, & horũ qui te nesciunt, audaciam traducis.

Impij domino cõtrarij. Impij homines & idololatræ non te credunt omnipotentem, uel omnia agere aut nosse, tu tamen dum libet factis tuis ostendis eis fortitudinem tuam ipsorum malo, & perfidiam illorum iuste palamq; traducis, ut intelligant uel inuite, te esse consummatæ uirtutis, cui subsit omnia cum uoluerit posse, ut sequitur: Vt audacia ipsorum contra te retundatur, & humilietur insipiens cor illorũ, cogaturq; sentire quod noluit credere, ut reliqui uideant nõ se posse peccare impune, uel prouocare deũ desistant, electi scilicet, quos misericorditer ab ignorantia traducit ad fidei ueritatem ac gratiam: impios uero de uitijs in uitia sinit prolabi.

13 Tu autẽ dominator uirtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.

Tu uero omnipotẽs deus, in cuius potestate est omnis creatura, per clementiam tuam iudicas, non pro hominum meritis, sed pro gratia tua, sine perturbatione, ira uel odio, sine inquietudine uel labore. Magnam reuerentiam nominat gloriam deo dignam, & clementiam laudatissimam, & summam bonitatem, per quam disponit omnia, & moderatur clementia sua infinita. Fideles nos tuos disponis & ordinas pro gloria tua & salute nostra, quorum pœnitentiam præstolaris, quibus continue gratiam offers, & à malo præseruas. Dominator autem uirtutis dicitur, quia sine illius influentia & uirtute nihil potest uniuersa creatura. Ipse uero omnia agis in omnibus, idq; cum maxima tranquillitate, quando in te nulla cadit perturbatio, qui omnium accidentium & affectionum imperfectiones excedis, & omnia in summa tranquillitate peragis etiam cum damnatis, quos iuste quidem & grauissime punis etiam in præsenti, sine tamen ira uel odio & citra demeriti nostri exigentiam: quod nos citra condignum dicimus, hic uero author reuerentiam nominat.

14 Subest enim tibi cum uolueris, posse.

Cum sit uoluntas tua regula iustitiæ, quia nihil bonum dicitur, nisi quia tu uis, & quicquid uolueris, necessario iustum est. Et insuper uirtus & potẽtia tua cadem est uoluntas tua. Ideo quicquid uis potes, et quicquid potes optimum est, quia in nullo potes peccare, à regula iustitiæ non declinare, nec iniustum uelle potes nec agere.

15 Docuisti autem populũ tuum per talia opera, quoniam oportet iustum esse, & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam das locũ in peccatis pœnitentiæ.

Quando clementiam & longanimitatem dei tantam uidemus ad impios, quos tandiu fert peccãtes, ut de Chananæis illis cognitum est, eo ipso documentum hominibus præbet, ut et ipsi humanitatẽ sectentur, clementiam exhibeant sibi mutuum, suo exemplo iustitiam clementia temperando, ad exemplum domini dei, & Christi, qui dixit: Estote misericordes, sicut & pater uester cœlestis misericors est. Et Apostolus. Estote imitatores dei sicut filij charissimi, ut iustitiam et beneficentiam ostendatis alterutrum. Et mutuũ misericordes simus & longanimes, ut sic proximis indulgeamus, quomodo deus propitius est peccatoribus, ut bonæ spei simus, nobis quoq; suam clementiam nõ negandam, sed locum pœnitentiæ dandum nobis, si nos quoq; proximis humanitatem ostenderimus, & indulserimus peccantibus in nos.

16 Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, & liberasti, dans tempus & locũ per quæ possent mutari à malitia: cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, quorum parentibus iuramenta & conuentiones dedisti bonarum promissionum?

Acg

Aegyptios & Chananæos grauissimos inimicos Israëlitici populi, & à deo dudum damnatos, cum tanto moderamine & fragilitatis humanæ consideratione punuit, ut non subito occiderit omnes, sed admonuit paulatim, ut locum pœnitentiæ habentes conuerterentur, dei considerarent longanimitatem, hoc est, illos cum attentione cruciatos esse, id est, ne numis dure ageret cum eis & citra condignum curasse diligenter. Multo maior spes habenda est fidelibus, ne in peccatis desperent de dei misericordia. Sicut & Israëlitis semper diu pepercit, prophetas misit, prædixit imminentia mala nisi emendarentur, ut plane non dominus & iudex illis uideri potuerit, sed pater, & indulgentissimus quidem. Quos magnis pollicitationibus inducere studuit ad bonam mentem, ad obseruantiam legis suæ, non solum spiritualia & æterna præmia promittens post hanc uitam, sed etiam terrestrem hæreditatẽ omnium terrarum optimam, sub contestatione iuramenti promisit patribus pro filijs, si in fide parentum et iustitia legis incessuri essent. Grauia autem incõmoda, si præuaricaturi essent legem, & dominum deum & patrem aspernaturi.

17 Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus iudicantes: & cũ de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam.

Punis quidem iuste tam fideles tuos quàm perfidos, sed non eodem modo, nec ad unum finem. Si enim fideles corripis, hoc agis per modum disciplinæ, ut pater filium corripit quem diligit, paterno affectu castigando ut emendetur, non ut pereat. Impios autem & fidelium persecutores punis multiplicibus flagellis, ut durior dominus & iustus iudex, quos intelligit nullatenus emendandos, ideo hic incipis non raro uindictam criminum quam in omnia futura sæcula sis continuaturus. Hoc autem ideo agis, ut nos tui filij attendamus ad tuam bonitatem, qua agis nobiscum, & prudenter expendamus, quo in loco habeamur ante deum, quid de nobis statuerit, & quid exigat uicissim à nobis, ut tales nos cõseruis nostris & fratribus exhibeamus, qualem dominum deum nostrum ad nos esse sentimus, secundum illud quod Christus docuit in Euangelio: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me, nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et Apostolus: Donantes uobismetipsis, sicut et deus in Christo donauit nobis. Denuq; consolamur in tribulationibus huiusmodi, scientes quod cũ pro nostris culpis punimur in præsenti, misericordiam tuam sperare audeamus in futurum, quia non bis iudicas in idipsum.

18 Vnde & illis qui in uita sua insensate & iniuste uixerunt, per hæc quæ coluerunt, dedisti summa tormenta.

Insensate uiuere dicuntur, qui in reprobum sensum dati, creaturas deo præponunt, & idola colunt, fidem in deum non habent, uel ut bruta animalia tantum quæ terrena sunt cogitant, cœlestium prorsus & diuinorum increduli: iniuste uero, dum proximis nihil fauent, nec alijs faciunt quæ ipsis fieri uelint. Tales Aegyptij fuerunt idololatræ superstitiosissimi, in humiles Israëlitas et omnibus beneficos truculentissimi, ideo eos dominus diuexauit per ea quæ coluerunt minuta & uilia animalia, ut grauia ex illis tormenta sentirent, ut erant ranæ, muscæ, cynophes, bruchi, locustæ, quandoquidem talpas & uespertiliones serpentesq; coluerunt, & exosos habuerunt unius uiui & ueri dei cultores.

19 Etenim in erroris uia diutius errauerũt, deos æstimantes hæc quæ in animalibus sunt superuacua, infantium insensatorum more uiuentes.

Perplacuit insipientibus illis uia erroris illa, ut in ea diutius errarent. Hæc enim conditio stultitiæ humanæ ut in huiusmodi sensibilibus rebus & formis inanibus pueriliter homines oblectentur, qui de spiritualibus rebus nihil capiunt, qui deum cogitare non possunt, nisi corporalia meditentur. Qualis error cito genus apprehendit humanum, à quo errore statim dominus tam studiose & uerbis multis absterruit in decalogo. Quã idololatriam consequuta sunt uitia plura semper, quod & nos uidimus quanta scilicet incommoda pepererit nobis diuorũ cultus, & imaginum amor. Deos enim fecerunt sibi gentes animalia quædam inutilia, bruta et abominanda. Vel secundum aliam literam: Superuacanea in manibus, id est, residua in materialibus. De Quibus Isaias quadragesimoquarto multis uerbis. Viuebant enim more insensatorum infantium, pueriliter admirantium utilissima quæq;, dũ tamen sensibus applauderent, qui ludendo huiusmodi sibi gaudent formare, uel ex luto imagines uel ex lignis. Idololatrarum multa nisa.

20 Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti.

Cum instar puerorum stultorũ peccarent gentes, cum tamen sibi de multa sapientia blandirentur, tam friuolas res sibi deos facientes quibus incuruarentur, & supplices fierent operibus manuum suarum, ideo tanquam insensatis pueris ridiculosis pœnis, & planè puerilibus rebus illusisti eis, grauiter punendo per res leuiculas ad contemptum, quo digni erant hi, qui se friuolis creaturis subdebant, omnium creatori subijci renuentes et supplicare, à quo solo sit omne bonum petendum.

21 Qui autem ludibrijs increpationis non sunt correcti: dignum dei iudiciũ experti sunt: in his enim quæ patiebãtur, molestè ferebant, in quibus patiẽtes indignabãtur.

Quandoquidem uero Aegyptij tam ludibrio dignis pœnis affecti, non meliores, sed peiores effecti sunt, ut minume de suis crudelitatibus pœniterent ueraciter, ideo experti sunt dignum iudicium dei in mari rubro tandem mersi, uel morte primogenitorum intercepti sunt, & damnati impœnitentes, & in dei odio perseuerantes. Impatientissime enim sustinuerunt manum dei, nec sunt correcti, sed potius ad odium iustitiæ diuinæ profecerũt, contra deum Hebræorum blasphemauerunt, qui haberet potestatem super has plagas, Apocalysis decimosexto.

22 Per hæc quos putabãt deos in ipsis cum exterminarentur, uidentes illum quẽ olim negabant se nosse, uerum deum agnouerunt:

Vexatio instruit.

Aegyptij uel etiam Chananæi tot plagis affecti, tandem cognoscere cœperũt, uerum deum & uiuum hunc esse & omnipotentem, quem prius nunquam agnoscere noluerant, sed constanter negabant, dicente Pharaone: Quis est dominus ut dimittam Israël? Nescio dominum, & Israël non dimittam. Senserũt enim eos non esse deos quos coluerant, & quorum gratiam cultu & sacrificijs ambiebant, quando uiderunt se puniri per eadem animalia, ad quorum imaginem deos suos effinxerunt. Vane se delusos experti sunt ab omnibus dijs suis, & dei omnipotentiam ex suorum deorum uanitate & impotentia didicerunt. Sic & Chananæi didicerũt deos suos nihil esse, quando ab Israëlitis excisi sunt & deleti, dominum autem deum Israëlis cernentes tantis prodigijs liberare, & adiuuare suos cultores in exitu Aegypti, et in exterminio Chananæi.

23 propter quod & finis condemnationis eorum ueniet super illos.

Quanquam autem ex tot prodigijs impij dominum deum Israëlis cognouissent, non tamen ut dominum honorauerunt eum, nec glorificauerunt ut deum, ideoq; & inexcusabiles sunt, & in iudicio finali comparebunt iuste damnandi. Veniet enim super eos æternus interitus, quia tam clementer eruditi, admoniti, & puniti, resipiscere noluerunt: idcoq; quos flagella præsentia hic non corrigunt, ad futura supplicia transmittunt, dicente Gregorio, ut corpore tandem et anima damnentur, quod necesse sit iustitiam dei non excludi per misericordiam, quando domino utraq; canitur à Psalmista, & gratiam cum ueritate diligat dominus.

CAPVT XIII.

1 VAni autẽ sunt omnes homines, in quibus nõ subest scientia dei, & de his quæ non uidentur bona, nõ potuerũt intelligere eum qui est, neq; operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignẽ, aut spiritum, aut citatũ aërem, aut gyrum stellarũ, aut nimiam aquam, aut solem & lunam rectores orbis terrarum deos putauerunt.

Idololatriæ superstitio multiplex.

Occasione idolorum Aegypti & Chananæorum, more prophetarum omnium, tractat de tota illa superstitione idolorum: quorũ quædam imagines tantũ erant, de quibus posterius: quædam uero uiua, ut Draconis idolum apud Danielem, & Aegyptiorum uaria animalia, quæ pro dijs colebãtur. De quibus stultis idololatris nũc dicit, uanos esse omnes homines, qui scientia dei ueri & uiui carent: nihil enim utilitatis ex tot suis studijs consequuntur, quæ in cultum idolorum insumũt. Cum enim finis hominum & salus sit cognitio dei, recte uani sunt, qui ad dei notitiam non pertingunt: uel si intelligunt, non tamen amant, aut digne, ut oportet, colũt. Non erant gentiles destituti naturali rerum creatarum notitia: sciebant omnes esse bonas, sed non optimas: sciebant non a seipsis cõditas, nec propria uirtute subsistentes. Debuissent ergo tam ingenuosi homines ex his deprehendisse eum qui á seipso est, & ipsa essentia rerum, omnium participantium illud esse imperfecte: illud autem summum esse, uel summam essentiam esse, ab omni creatura participatum, in quo omina uiuunt, mouentur & sunt, qui per immensitatẽ quidem in omnibus est, perfectus autem separatus ab omnibus, cuius omnia plena sunt, qui ut purus actus & simplex in seipso incommutabiliter semper uiuit à nullo dependens, sed ab ipso omnia, cuius comparatione quicquid creatum est, nihili æstimetur. Ex operibus quoque creaturarum considerati, potuissent artificem omnium perpendisse, sed uanitate intellectus sui confusi sunt, ut uarie de summo bono sentirent uana. Aliqui enim deum summum ignem ponebant & Vulcanum nominarunt, ob maximam uirtutem omnia uincentem reliqua. Alij spiritum, aërem aut uentum citatum, quem olim Iouem uocabant, & Iunonem. Alij gyrum stellarum, siue fixarum in firmamento ordinatæ sphæræ, uel erraticarum, quæ planetæ dicũtur, deum crediderunt uel deos. Alij aquam abundantissimam & naturarum omnium sustentaculum, quam olim Thetin uocabant. Alij solem & lunam, Phœbum & Dianam, rectores crediderunt orbis terrarũ, deos scilicet omnium inferiarum rerum. Videbant enim hunc mundum contiguum esse lationibus superioribus, ut tota uirtus ordinis inde gubernaretur, sic ut influant superiora in inferioribus: quemadmodum uidemus solis accessum uel recessum ad cenith capitis causam esse generationum & corruptionum.

2 Quorum & si specie delectati deos putauerunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.

Gentilium tam philosophi quàm idololatræ reges & nationes delectati quidem sunt in pulchritudine operum, beneficijs & specie creaturarum, Solis, lunæ, stellarum, aquæ, ignis, aëris, terræ, & reliquis, & de illarum operatore nihil cogitantes, eas ipsas per stultitiam deos putantes coluerunt, & facti sunt eis supplices: quanto magis pulcherrimarum rerum optimum et longe pulcherrimum creatorem cognouisse, amasse, coluisse, & adorasse debuerant, & credidisse primam omnium rerum causam deum, incomparabiliter esse digniorem ac pulchriorem, purum scilicet actum, & infinitam uirtutem. Quamuis uero errauerint illi philosophi gentilium, minus tamen quàm qui creaturis tribuebant deitatem. Speciei, inquit, generator, hoc est Deus, omnis pulchritudinis author, hæc omnia pulchra constituit & conseruat, de suo illis pulchritudinem largitus est, & quamuis habent uirtutem omnem, quæ multo præclarius est in ipso. In quibus omnibus pulchris & bonis se optimum & pulcherrimum agnosci uoluit & coli fide, spe & charitate. Aus

3 Aut si uirtutem, & opera eorum mirati sunt: intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit fortior est illis: à magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum uideri.

Deus solus orandus.

Si isti sapientes sæculi huius & superstitiosi, non res ipsas intuiti sunt, sed insignes uirtutes, & mirabilia opera, tantopere admirati sunt: multo maiori cum admiratione contemplandus eis fuerat author & opifex omnium harum tam rerum quàm operationum in ipsis, quando quidem omnia deus agit in omnibus. Ideoq; fortior est omnibus à quo habent ut sint & operentur, ueluti causa secundæ à prima, & dependentia entia à summo entium, prorsus independente, & à seipso existente. Itaq; ex consideratione maximi decoris qui relucet in creaturis, poterat omnium rerum creator deus luculenter cognosci. Quamuis enim incõprehensibilis sit in seipso, ob infinitam perfectionem suam, per suos tamẽ actus & opera, per creaturas & illarũ mirabiles effectus cognoscibilis est à posteriori, ueluti causa à suo opere. Est enim omnis creatura quædam participatio entis summi, & quidam ueluti radius creatoris. Ordo uero elegantissimus mobilium & mouentium causarum & effectuum, & elegantissima coordinatio rerum, concatenatioq; superiorum, indicat unum primum & summum ens, quod sit omnium causa, rector, & motor. Non est enim processus in infinitum, ascendentibus ab effectibus ad causas, et deinde ad priores, necesse est enim peruenire ad unam primam increatam quam oporteat fateri perfectam summam & æternam.

Stultiæ adoratio.

4 Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, deum quærentes, & uolentes inuenire.

Dixerunt quidam, sapientes gentilium dicti, quasdam creaturas nobiles, esse deos: sed multo turpius errarunt, qui uilissimas bestias deos putarunt. Ideo subditur: Minor est querela, hoc est, tolerabilius aliquanto errant ac peccant, qui eximia mundi corpora admirantur, uenerantur, colunt, & adorant, scilicet solem, lunam, stellas, à quibus beneficia se consequi sentiunt, sicut & ab aqua & igne, quanquam planè id quoq; impietas sit, & error non ferendus, quæ enim à deo omnium creatore & rectore in obsequium hominum ordinata sunt, ea propter deum sic sunt obseruanda, ut gratiæ deo soli referantur omnium harum rerum tam magnificarum conditori, qui solus uult quæri, laudari, honorari, glorificari, & sanctificari præ omnibus, & in omnibus. Sic ut alium deum homines nec quærere debeant, nec uspiam sunt inuenturi omnipotentem uel omnia scientem, quem possint cum fructu pro auxilio implorare, quandoquidem à deo omnia pendent. Longe ergo stultissimũ fuerit, diuinitatem quærere in caducis rebus, quales sunt uel serpentes, & uermes, uel opera manuum hominum, de quibus sequitur postea. Quod autem hic dicitur: Forsis errant, nõ dubium notat, sed temeritatem. Temere enim & sine uera sapientia quærunt deum, ideo non inuenerunt, quia uerbo dei non credunt, nec spiritu desuper accepto imbuti sunt, quo uerbum inquirerent uel agnoscerent.

5 Etenim cum in operibus illius conuersentur: inquirũt, & persuasum habẽt quoniam bona sunt quæ uidentur.

Conuersari in operibus dei.

Conuersari in operibus dei dupliciter hoc loco intelligi potest, uel quod utantur omnibus rebus mundi homines assidue, & sine eis subsistere nequeant, propter quos & omnia sint creata, ut prosint hominibus, & seruiant electis, ut sic dei creaturis ambiantur, & undique adiuuentur, ac intra eas conuersentur, tanquam in propria possessione: non ut rudes, & sine attentione intellectus, sed ut intelligendo inquirant, à quo talia & ad quid tanta bona in suũ usum acceperint. Vel simplicius accipiatur, de creaturarum huiusmodi inquisitione studiosa, dum quotidie aspiciunt & utuntur hoc mundo, ut cuncta rimentur et experiantur esse à deo condita, ut & in se bona sint, & fidelibus prosint, si legitimè intelligantur, & ceu bona in usum bonum ordinentur ad gloriam conditoris. Quanquam enim bona sint huiusmodi mundi entia, sol, luna, animalia, cum reliquis, non tamen à se habent bonitatem, sicut nec essentiam, sed à summe bono deo, qui est bonitas per essentiam, & bonorum creator.

6 Iterum autem nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculũ: quomodo huius dominum non facilius inuenerunt?

Sæculum quomodo æstimandum.

Non sunt tamen excusabiles sapientes huius sæculi, & creaturarum inuestigatores, sed uere culpabiles, qui ad curiositatem & laudem suam potius utilitatem & usum quæsierunt, quàm creatoris talium rerum gloriam & cultum, propter quem omnia condita sunt, & in quem omnia ordinasse debuerant, non perstitisse in creaturis discendis, sed ex ipsis conditorem coluisse & timuisse. Ad hoc enim æstimandum est sæculum totum, hac contemplatione inquirendum, ut author sæculi inueniatur, admiretur, ac reuereatur. Quod facile contingit, dum ex uisibilibus cognoscuntur dei inuisibilia, sine quibus uisibilia istæ fieri non possunt, nec subsistere. Facile autem dominus mundi cognoscitur, non quantum ad id quod est, sed quia est, & optimum esse oportet, à quo bona cuncta procedunt, & à quo omnia bona tantum & non ab alijs implorare oportet, qui & solus uult amari & coli.

7 Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorũ est, qui appellauerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionẽ, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.

Maior querela consequenter instituitur contra eos, qui opera manuum suarũ idola colunt, imagines adorant inanimatis rebus & uilibus deitatem tribuunt. Infelices autem pronuntiantur, quia morti æternæ iam adiudicati, de quorum salute sperandum non sit, donec tales duraverint, qui gloriam optimi maximi dei, à quo

Idololatræ damnati.

habent esse & posse, uiuere & intelligere, tribuunt operibus manuum suarum, qui aurum & argentum adorant, arte sua deum fingunt, in obliuionem eius à quo artes didicerunt, & intellectum acceperunt, qui solus illis fuerat cogitandus & colendus. Idola enim facta ex auro uel argento, species animalium ex lapide uel ligno opus manuum suarum uenerantur, inclinando caput, genua incuruando, manus eleuando, arrigendo oculos, & alloquio dignando, quasi omnia intelligant, & succurrere oranti possint, quod est dei solius, omnia scientis & potentis. Dicitur autem idolum opus manus antiquæ ob eximiorem reuerentiam, quæ deferri solet à stulta plebe uetustis imaginibus quàm recentibus, propter quod & de illis antiquissimi ementiuntur authores, ut non sine graui sanctorum contumelia sculpta uel depicta dicantur à Luca euangelista, uel Nicodemo, & non sine improba pertinacia defendantur, propter quæstum & perfidiam in uerbum dei.

8 Aut si quis artifex faber de sylua lignum rectum secuerit, & huius docte eradat omnem corticem, & arte sua usus diligenter fabricet uas utile in conuersationem uitæ, reliquijs autem huius operis ad præparationem escæ abutatur: & reliquum horũ quod ad nullum usum facit lignum curuum, & uerticibus plenum sculpat diligenter per uacuitatem suam, & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam quæ in illo est perliniens, & faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne forte cadat prospiciens illi, sciẽs quoniam non potest adiuuare se, imago enim est, & opus est illi adiutorium.

Eadem irrisione prosequitur spiritus sanctus stultissimam superstitionem, sculpendi idola, & imagines diuorum, eisdem pene uerbis, Isaiæ quadragesimo quarto, quo sit inexcusabilior, imò stultior zelus quorundam, qui hodie contra uerbum dei, & priscam sanctorum traditionem & morem, idola defendunt, prostantes ad cultum imagines ligneas & lapideas. De quibus post tot oracula prophetarum & legis, sapiens author huius libri, uel Salomon ipse, ante posteriores prophetas, tot uerba profundit non insipienter, ut insipientiam mundi traducat, & insaniam eorum, qui inuisibilem deum ubiq; patentem in factis & uirtutibus, uisibilibus & insensibilibus rebus effingere student. Quid enim stultius fieri potest, quàm si quis statuarius, aut faber lignarius, lignum aut arborem ea ratione excindat è sylua quapiã, sine uel cum delectu, elegans & aptum operi statuario, & pro ratione operis instituti, inde sibi deum effingere pergat, qui adoretur & inuocetur, quasi opus ipsum operatorem defendere uel exaudire possit, & in angustijs consolari, cum omnis effectus sit efficienti indignior

Stultitia idololatrarum.

& imperfectior? Nónne stultum est pro deo efficiendo, quod implicat contradictionem, aptare lignum, corticem eradere, & artificiose fabricare sculptile opus, quod ad nullum uitæ usum, & conuersationis humanæ utilitatem proficiat? Secundum unam literam, quæ habet uas inutile, uel secundum aliam, uas utile, sic intelligitur ut ex præsciso ligno è sylua, primam quidem rudem aptiorem particulam ordinet in rem usui familiari aptã, utpote trabem aut tignum, inde conficiat uel fulcrum pro sustinenda domo, uel re aliqua utili, ut mensa, uel conseruaculo, aut similibus pro usu conuersationis humanæ, reliquijs autem huiusmodi ligni aut arboris adhibetur in usum ignis parandi ad escam. Postq; hæc omnia tandem inutile lignum, curuum & uerticibus plenum, hoc est concauitatem habens, & inæqualitatem longinquum aliquod figuræ simulachrum prætendens, illud subinde sculpere incipiat diligenter, per uacuitatem suam, iuxta exigentiam & rationes artis suæ, illud figurat ad formam hominis, bestiæ, uolucris, aut pisc[is] secundum quod permittit ligni illius rara & exquisitior habitudo. Quo sic formato simulachro, illud inf[ra] per minio, rubrica, uiolato, aureo, uel aliquo colore per linunt, ut trunci materies abscondatur, oculorum defectijs consulatur, & errori humano pictorum artificio p[ro]trocinetur: ne natura maculosum lignum & rude, [de]teat iudicio aspicientium, sed artis industria, mendax [fi]figies probetur, ut admirandus aliquis deus uideatur. [Ad Ch]pronus ad stultitiam, quod lignum è sylua translatum, [no]deformatum in idolum. Quod & consequenter pro [ma]iori reuerentia prostituitur in publicum, facta ei digna habitatione in parietem templi, uel cubiculi, ut ad [ho]norem eius stulti homines prouocentur subinde. Et [ne] confusio accidat ex casu, uel impulsione, ferro confirmatur ab artifice, sciente illud suapte fortitudine & [ma]nibus sese confirmare non posse, quando quidem aliud [ma]est, quàm imago rei alicuius, non res ipsa, ad quam [re]præsentandum mendaciter & fallaciter proponitur. Cum enim nihil uirium habeat, non tantum alijs auxiliari esse non potest, sed opus est illi clauis & manu artificis, ut consistat suo loco.

9 Et de substantia sua, & de filijs suis, & de nuptijs uotum faciens inquirit.

Hactenus risui exposuit uerbum dei fabricatores idolorum, nunc digne traducit adoratores imaginum, [qui] stulti homines contra omnem rationem eatenus colunt, ut illis diuinum honorem exhibeant, uota uouendo, [ut] instituta opera illorum fauore, gratia, auxilio, uel [di]rectu, prospere finienda curarint hæc idola, quæ [pro]sunt uanitas, res nihili, & figmentum, omni sensu [pro]sus carentia: quæ tamen mira stultitia coluntur, [et] ad ea uotis, pro salute ab ipsis impetranda, pro incolumitate substantiæ, diuitiarum & prolis. Quin potius bona sua & prolem dijs consecrat, & pro nuptiarum felicitate, uota uouet idolo, nihil intelligenti uel potenti, cupitq; institui & promoueri in agendis & adiuuari.

10 Non erubescit loqui cũ illo qui sine ani[ma] est,

ma est: & pro sanitate quidem infirmū deprecatur, & pro uita rogat mortuum, & inadiutorium inutilem inuocat: & pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest: & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerū euentu petit ab eo qui omnibus est inutilis.

Supplicationes ad idola ridentur, cum ut inanimata prorsus nihil audire possint, multo minus intelligere uel adiuuare, sunt enim sine omni anima & omni sensu, ideo stulte homo illis loquitur, quæ respondere non possunt: quanquam iusto dei iudicio aliquando dæmones responderint, qui talibus contra dei legem positis idolis delectantur, & hominibus sine fide in dominum & obedientia multipliciter illudere gaudent. Item stultissimum est inuocare pro sanitate obtinenda uel conseruanda eum, qui prorsus uirtute quacunque careat, qui infirmior est quàm infirmus: lignum est enim aridum, & sine succo dudum excisum, quod hic quoque improprie mortuum dicitur, interim tamen à stultis superstitiosis pro uita impetranda uel conseruanda aditur & inuocatur. Inutilem autem rem uocat statuam, id est prorsus otiosam, nulli proficuam, nullo usui applicandā, sed tantum hominibus stolidis illudentem. Cumq; loco affixum idolum ne euertatur aut cadat, ambulare nequeat, tamen à stultis hominibus inuocatur pro facultate prospere pergendi, & proficiscendi in regiones longinquas. Vota quoq; uouentur illis, si reditum felicem præstiterint imagines eorū quæ nihil sunt. Sunt qui huiusmodi idola & diuos inuocant pro diuitijs acquirendis, pro operibus exequendis, in nomine Georgij et Christophori uel Nicolai, etiam inter Christianos: ne dicam à quibusdam nimium superstitiose inchoari instituta in nomine beatissimæ uirginis, quem ipsa honorem tanquam adnersum uerbo dei, quod ipsa incarnatum ædidit, maxime auersatur & abhorret, sicut & sancti omnes, quos honorare credūt stulti, eis medijs, quæ displicent illis quàm maxime. Quandoquidem contraria sunt deo & spiritui sancto. Sunt enim rerum omnium prosperi euentus, non ab alio exorandi quàm ab illo, qui solus uniuersa moderatur deus, non ab imaginibus quibuscunq;. Idem tractatur ut diximus, Isaiæ quadragesimo quarto.

Nauarus in Chrisostomorum.

CAPVT XIIII.

1 Terum alius nauigare cogitans, et per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se fragilius lignum inuocat.

Ostensa atq; improbata gentium stultitia, in idolorum ueneratione & cultu, pro negotijs quæ geruntur in terra, idem consequenter fit de supplicantibus idolis pro periculis maris & nauium. Id autem fit per comparationem ligni, unde conficitur nauis, ad id unde idolum exculpitur. Reuera autem stultus habetur & apparet, qui antequam transfretare incipit, & experiri periculà ferociorum fluctuum in mari atq; uentorum, per

fragile lignum nauis, ubi parumper ualde, hoc est latotribus digitis ligno non amplius mors distat ab homine transuehendo, unde & facile uentorum impulsu ad scopulos periclitatur integritas hominis atque nauis. Inuocare tamen malunt fragilius lignum, & iam uermium insidijs obnoxium simulachrum, pro obtinendo felici procursu in mari, & appulsione ad littus, quàm omnium rerum moderatorem, unum uerum & omnipotentem deum, uentorum causam & magistrum. Sic enim olim in mari deos suos Thetim, Neptunum, & alios inuocabant, & uota promittebant diuis, & diuorum simulachris, sicut hodie multi faciūt diuo Nicolao, Beatæ uirgini, Anthonio Paduano, & cæteris, pro conditione locorum & personarum, simul & temporum. Contra quæ ut clamat uerbum domini, sic impense allaborandum ministris uerbi dei, ut huiusmodi sacrilegia tam inimica fidei & ueritati tollantur, nisi uelimus gentilibus gentiliores haberi & esse, grauissimo scandalo cæterarum omnium gentium. Inuocandus est potius creator, qui nauigantibus rationem & artem fabricandi ac nauigandi dedit, & olim Noë instituit ad huiusmodi usum, de quo sequitur.

Nautarum idola.

2 Illud enim cupiditas acquirendi excogitauit, & artifex sapientia fabricauit sua.

De idolo loquitur, constituto ex ligno inutili, cuius una causa est auaritia artificum, ut inde plurimum lucrentur, ideoq; studuerunt aptissimas effingere statuas, & quasi uitales, per sapientiam humanam, quæ stultitia est, & quantum ad hoc opus prohibita lege diuina multipliciter. Hinc in Actis Demetrius artifex idolorū, socios suæ artis concitabat contra Apostolum, Scitis, inquiens, quia de hoc artificio acquisitio est nobis. Aliæ quoque causæ plures erant olim, & nunc sunt, constituendarum imaginū, & defendendarum, de quibus per singula quædam dicentur. Hodie magis zelare pro idolis conspiciuntur sacrificuli, pontifices, monachi, qui ex illis quæstum maximum statuerunt, & populo simplici, sed deuoto falsis doctrinis & ementitis miraculis imposuerunt, quæ nunc dolent reuelari, & quæstu fraudari cum suis clientulis artificibus & statuarijs, sapientia quæstuosa imbutis.

Zelus sacrificulorum pro diuis.

3 Tua autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernat: quoniam & dedisti in mari uiam, & inter fluctus semitam firmissimam, ostendens quoniam potens es ex omnibus sanare, etiam si sine rate aliquis adeat mare.

Non quispiam Neptunus marina moderatur negotia, nec aliqua creatura, aut idolum quoduis, uel Nicolaus, sed ô pater cœlestis, tua sola prouidentia cuncta gubernat, à mundi conditione semper, & in præsens, omnia terra & mari, cœli quoque quæ ambitu continentur, qui inuitis Aegyptijs dedisti liberatis iam & Aegyptum fugientibus Israelitis uiam pedestrem in mari rubro, & ingredientibus terram Chanaam fluenta Iordanis cohibuisti, ne electos impedirent, sed arca fœderis tui stante, transitum præbuisti, dextra parte Iordanis e-

recta in tumulum, simstra alueum desiccatum præbente. Ostendens omnipotentiam tuam ad saluandum credentes tibi, & ex te plena fiducia pendentes, & uerbo tuo simpliciter obsequentes. Et ex omnibus maris periculis eruere facile potest, qui condidit mare, et siccis pedibus mare calcandum præbere potest, cui obediunt unuersa. Quanquam autem sine rate mare ingredientem dominus saluare possit, & sine nauigio, tentari tamen dei potentia non debet, & sine causis secundis prima generaliter nihil operatur, quin medijs idoneis omnia sunt tentanda.

4 Sed ut nõ essent uacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam & exiguo ligno crediderunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.

Vacua, id est inutilia & infructuosa essent quàm plurima diuinæ sapiẽtiæ opera sine nauibus, ut sunt piscium infinita genera, & diuitiæ nobilium insularum & terrarum coloniæ, quæ sine nauigatione attingi nõ possent. Vnde & primæ terrarum coloniæ post diluuium nauibus sunt constitutæ, & ab ostijs notabilium fluuiorum peruentum est usque ad eorum fontes. Vnde & ab initio non urbes, sed pagi & iuxta fluenta hominum fuerunt ciuitates & confluentiæ: ut patet de Germaniæ septuaginta pagis, iuxta tot eius flumina nobiliora, dum nondum haberet urbem uel unicam. Ea igitur ratione, pro hominum commoditate ad sapientiæ diuinæ declarationem, iussuq; diuino, usus & ingenium cœpit nauigiorum, & ausus mirabilis, ut crederent homines uitam & res suas exiguæ ligneæ naui. Et per tot maris lacuum & fluminum discrimina, saluos se transferunt homines, in longinquas regiones, non solum ad nouas deducendas colonias iuxta Berosum & alios authores, sed etiam pro commutandis mercibus necessarijs & accomodis de una gente in aliam, iuxta abundantiam rerũ in regione una, ut penuriæ consuleretur in altera.

Germanorum pagi.

5 Sed & ab initio cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata.

Alia significatur nauigationis utilitas, qua à renouatione mundi, quæ facta est temporibus unuersalis diluuij sub Noe, quæ hic dicitur initium scilicet posterius & secundum, quando superbi gigantes in orbe, propter crimina sua deleti sunt cum suis uniuersis complicibus, quando Noë cum sobole sua parua, spem reseruarũt restituendi generis humani in totum terrarum orbem, confugiendo in arcam mandato domini ædificatam, ut saluaretur humanum genus, sic domino ordinante, qui aliter quos uoluisset seruare poterat, sed uolebat id rate huiusmodi fieri, ad exemplum hominum & terrorem peccatorũ, ut sibi timerent de simili uindicta, quam fuissent experti in patribus. Semen ergo natiuitatis est posteritas Noe in arca, quæ misericordia diuina sic primum exædificata est, ut prædicationis instar esset perdendis impijs, ad exercitium pijs, sic quoq; gubernata manu domini ut totius anni tempore nul deesset, inclusis & exituris gratia diuina promitteretur, & in montibus Ararat quiesceret arca, unde rediuiuum mortalium genus repullularet, & sensim disseminaretur in orbem, miraculo domino adiuuante, & obediente natura.

Nauigationis utilitates.

6 Benedictum est enim lignum, per quod fit iustitia. Per manus autem quod fit idolum maledictum est & ipsum, & qui fecit illud: quia ille quidẽ operatus est, illud autẽ cum esset fragile, deus cognominatus est.

Arca Noe per quam conseruatum est genus humanum merito benedictum lignum dicitur, & domino consecratum, per quod facta est iustitia ultionis impiorum & adimpleta iusta seueritas in mundum domini dei contemptorem. Potest & intelligi benedictum lignum dominicæ crucis, in quo Christus dominus iustitiæ diuinæ satisfecit pro mundi totius peccato. Sed id coactius hoc loco, quod hic sermo præcipue habeatur de ligno arcæ Noe, quæ tamen & ipsa typus ecclesiæ est, in qua Petro testante paucæ animæ, id est octo homines saluæ facti sunt per aquam, figuram baptismi. Sicut autem arca lignea benedicta est à domino, sic idolum ligneum contra dei uerbum erectum maledictum est æque ut prophetica manus est & maledicta, quæ idolum sculpsit, ut colere tur ab hominibus. Ratio autẽ utrinq; maledictionis est quia contra dei gloriam et mandatũ militant, tam ipse idolum, quod deus cognominatur, & ut deus colitur, cum nihil sit, quàm artifex, qui gloriam detrahere nititur suo opere, et simplicibus hominibus pro suo gustu & gloria imponere non obmittit, scienter peccando deum & proximum.

7 Similiter autem odio sunt deo, impius & impietas eius. Etenim quod factum est cum illo qui fecit, tormenta patietur.

Sententia est pro parte prima, Exosum deo esse idololatram & idolum. Impium quidem ob impietatem, impietatem autem, quia contraria est bonitati diuinæ & iustitiæ fidei, quam solam appretiatur dominus. Quæ autem odio habet deus utrunq;, non ut affectibus quibuscunq; indulgeat iræ uel odij, sed quia deum irasci et odire impietatem, est tormentis adoriri, & dure tractare, damnare æterno supplicio, tam artificem idolorum quam dæmonem ad idololatriam instigantem, & muta raro responsa ædentem, domino permittente, ut inueniamus periculum pietatis, in tot Christianorum impiorum nibus, ad cultum etiam prostitutis, unde temporum successu tot nobis sacrilegia prodierunt, quæ tanta diuinitate hodie delentur, ut pro inueteratis erroribus, & quæstuosissimo turpi lucro, tot inuenerit propugnatores contra manifestissimum uerbum dei.

8 Propter hoc & in idolis nationum non erit respectus: quoniam creaturæ dei in odium factæ sunt, & in tentationem animis hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.

Respectus non erit in idolis nationum: hoc est, nõ curabuntur à sapientibus idola, nõ magnificẽt semper, nec

appretiabuntur in mundo. Veniet enim tempus, quando abominatio habebuntur idola gentium, quæ nunc passim coluntur. Quanquam enim aurum, argentum, æs, lapis, & lignum creaturæ dei sunt, & bonæ sint, à deo creatæ, factæ tamen sunt demonum malitia, & hominum stultitia, in dei odium, qui ex talibus idola fieri toties prohibuit, & uehementer detestatur, ut æterna tormenta minetur, tam factoribus idolorum quàm dæmoniaco instinctu adorantibus ea. Cumq; hæ creaturæ dei bonæ factæ à domino sint, ad hominũ utilem, honestum, & pium usum ac necessarium, ipsæ tentatoris malignitate, qui satanas dicitur, factæ sunt unuerso humano generi in magnam & perniciosam tentationem, ad animarum seductionem in præsenti uita, & in damnationem æternam. Sunt enim reuera huiusmodi idola, imagines diuorum simulachra decipulæ exiciales filiorum Adam, & insipientium animarum. Quod ut præuidit creator omnium serioſe & frequenter interdixit, earum stultiarum tam curam quàm cultum, quas homines sapientes uere semper exosas habuerunt, in gentilitate æque ut inter fideles.

9 Initium enim fornicationis, est exquisitio idolorum: & adinuentio illorum, corruptio uitæ est: neq; enim erant ab initio, neq; erunt in perpetuum.

Legis & prophetarum scripta definunt esse contemptum dei idolorum culturam, & præuaricationes mandatorum dei, esse fornicationem quandam, & fidei in deum abnegationẽ, durißime uindicandam ab omnũ conditore, & hominum amico perfectißimo, cui nefas maximum sit non toto corde adhærere, cum ipse præsto sit homini, omnibus momentis benefaciendo & conseruando, iuxta fœdus initum cum genere humano. Contra quod fœdus ab initio conditionis hominis satanas maxime machinatur, omnibus malignis artibus suis, in odium dei & generis humani. Cui perniciem grandem immisit semper, & ante multa sæcula, idolorum culturæ persuasionem, quam semper secuta est ingens morum corruptio, per omnia flagitia: de qua re multa dici possent. Hic sapiens per spiritum dei, idolorum cultum nominat secundum dicta omnium prophetarum, initium fornicationis spiritualis, & apostatandi à deo uero, & ad creaturas sese conuertendi deo relicto, uana sectando & sacrosancta respuendo, prædictiones hominum amplectendo, & uerbum domini abijciendo, ceremonias instituendo, & cultum uerum, qui in spiritu & ueritate consistit negligendo, carnis libidines & sensuum lenocinia exercendo, pietatem autem ueram quæ stat in fide ad deum, charitateq; in proximum odiendo. Vnde secuta semper est uitæ humanæ per omnia flagitia corruptio, ut religionis loco successerit otium, libido, comessatio, auaritia, hypocrisis, & quæ ex his oriuntur crimina infinita, non sine figmento prætextuq; religionis, ut etiam stupra & adulteria, homicidia quoq; filiorum, & parricidia aliquando cœperint sub religionis prætextu exercere contra sensum communem & uerbum dei. Et hæc corruptio fidei & morum per Idololatriam cum suis simulachris nouitia est in mundo, non semper fuit, ab initio ignota erat patribus. Temporibus Ninu & Beli inchoata legitur, & non cum alicuius gentis initio instituta, quod & de Romana gente scitur, quæ Romuli & Numæ temporibus Idolorum culturam, & simulachrorum prostitutiones damnauit. Neq; erunt in perpetuum, quandoquidem prædixerunt prophetæ omnes, Christi domini aduentu, & euangelica doctrina eliminanda idola in mundo: quod & factum est apostolorum & sanctorum, martyrum & confessorum temporibus. Sed satanæ malitia denuo partim introducta est, ut plenas uiderimus ecclesias nostras simulachris aureis & argenteis, & diuorum aris innumerabilibus, unicuiq; aræ suum diuum, & tutelarem patronum, tanto numero, ut uni alicubi aræ decreti fuerint quatuordecim diui auxiliares, quod olim gentilibus nõ admittendum uidebatur, sed auaritia nostrorum præualuit, & in monasterijs primum, maxime autem mendicantium, usum obtinuit, quia quæstum promouit. Corruptiõ fidei & mõrum ex idolis.

10 Superuacuitas enim hominũ, hæc adinuenit in orbem terrarum: & ideo breuis illorum finis est inuentus.

Quicquid in mundo constat iussu domini, non potest labefactari uel deficere, unde & ueritas uerborum dei permanet in æternum. Quæ uero hominum uanitas confinxit, & sapientia humana, quæ inimica est dei, citius collabi necesse est, qualia sunt idolorum figmenta & sacrilegia in mundo, temeritate humana, & dæmonum instinctu ordinata, quæ nusquam durare ualuerunt, quandoquidẽ reclamauit semper ratio humana, Philosophorum intellectus, & experientia impostorarum multiplex. Conficta sunt enim omnia à male feriatis impostoribus, & uanis hominibus, in orbe uniuerso dementantibus eos, quos ad superstitionem propensiores offendere contigit, & in sapientia uera defectuosos. Ideo non diu durare potuit, sed frequenter mutata est inter homines religionis obseruantia, semper diui noui, & noui ritus excogitati, superuacuo studio impiorum, ut tandem finis inuentus sit, & idololatria tota subuersa, male quæ fuerat inchoata, & rationi humanæ nihilo innixa, nec uerbo dei.

11 Acerbo enim luctu dolẽs pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquã deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra, & sacrificia.

Exordiũ describitur consequenter idololatriæ, quod quidẽ uarie traditur apud uarias gentes, & à multis authoribus. Iudæi, Scholastica historia, & Isidorus, Fulgentius, & Lactantius de Nino referunt rege Assyriorum, qui mortuo patri ad doloris solatium statuam posuerit, & asylum reis præbuerit. Alij de Strophane quodam, apud Aegyptios, de quo & Hermes trimegistus, quos hic author sequitur, Salomon uel Philo. Apud Hermen legitur, Aegyptum esse imaginem cœli, & mundi totius exemplum, quia idola ibidem omnis generis religiosissime colerentur, quæ tamẽ destruenda prædicit. Tunc Exordium Idololatriæ

Lactantius

inquit, terra ista sanctissima sedes delubrorum, sepulchrum erit & mortuorum plenissima. O Aegypte religionum tuarum solæ fabulæ supererunt, & incredibiles posteris tuis: sola enim residua uerba erunt incisa lapidibus, tua pia facta narrantibus. Hæc ille. Isidorus autē, Isidorus Quos, inquit, pagani deos asserunt, homines olim fuisse produntur, & pro uniuscuiusq; uita uel merito coli apud suos post mortem fecerunt, ut apud Aegyptum Isis, apud Cretam Iuppiter, apud Mauros Iuba, apud Latinos Faunus, apud Romanos Quirinus, qui & Romulus. Sub inde in urbibus tam uiri quàm fœminæ propter uirtutis insigne aliquod priuilegium diui habere cœperunt. Donec id quoq; suo modo in Christianorum irrepsit ecclesias & monasteria. Ideo hic dicitur: Olim aliquem patrem de morte filij dolentem, acerbo luctu pro consolatione sua fecisse filij imaginem, qui postea filius, tanquam si uere deus fuisset, cum esset mortuus, coli cœpit ob eminentiam aliquam, quam uoluit persuadere fuisse in filio. Cui pro imperio suo in seruos ab eisdem uoluit constitui sacra & oblationes, ritusq; colendi, donans eosdem emunitate, si confugissent ad huiusmodi imagines: unde prodijt inter stultos Barbaros, & subiectos opera tyrannorum, cultus idolorum, & plausibilis reuerentia etiam hominum pessimorum, quibus adblandiri studuerunt illiberales homines.

12 Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua cōsuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorū imperio colebantur figmenta.

13 Et hos quos in palàm homines honorare nō poterant, propter hoc quod longe essent, è longinquo figura eorū allata, euidentem imaginē regis, quem honorare uolebant, fecerunt: ut illum qui aberat, tanquam præsentem colerēt sua solicitudine.

Prosequitur de impia continuatione amplificationeq; erroris superstitiosæ colendi defunctos, ac ipsorum imagines temporis successione per ætates mundi. Potentiores siquidem tyranni, honorem ambientes, ne dum uiuentes, sed & apud posteros, insuper in uita sua absentibus terrori & uenerationi esse contendentes, ad remotiora loca mittebant suas contrafacturas ac statuas. Vt Iosephus quoq; meminit de Gaio Cæsare, qui imaginem suam circumferri præcepit per Romanum imperium, ut in ea adoraretur, dicens se Iouis fratrem esse. Cui Iudæi resistentes sub Petronio, multa sunt passi. Patet ex libro Iudith de Nabuchodonosor, qui Holoferni scribitur præcepisse exterminum omnium deorum terræ, ut deus ipse solus haberetur. Sic Herodes Agrippa, diuinos susscepit honores ab adulatoribus suis, quos tandem expertus est fallacias. Auxit quoq; idololatriam pulchritudo imaginū, & auaritia artificū, de quibus nunc sequitur.

14 Prouexit autem ad horum culturam & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim uolēs plus placere illi qui se assumpsit, elaborauit arte sua, ut similitudinem in melius figuraret.

Adulatione statuariorum & pictorum contigit, ut principum statuæ pulcherrime sculperentur, & cum maiestate exornarentur, unde creuit populi admiratio, & subinde cultus et ueneratio: uolebant enim artifices placere regibus, ut patet in historia quatuor coronatorum martyrum. Horum autem cultura intelligitur, regum & diuorum, qui diligentius colebantur in elegantiori sculptili quàm turpi, à rudi populo & inerti, qui hic dicitur ignorans, scilicet sapientiam ueram. Nam prudentiores apud omnes gentes, huiusmodi imagines non tantopere uenerati sunt uel admirati, & pro deo adorare mortales minime censenserunt corde, quicquid simulare per adulationem admitterent. Nec tyranni de conatibus huiusmodi fide soliciti erant, quibus pro seductione populis sufficiebat sapientum simulatio. Sic hodie inflammat tyranni contra fideles, ut ad populi deceptionem simulent honorent imagines, etiam si norint id ficte fieri, de quo nihil curant, tantum ut impietas in populo persistat. Artifex ergo non tam de deo uel diuis colendis solicitus erat qui sciebat idolum esse opus manuum suarum, quàm de placendo regi uel principi. Et id quoq; nō alia ratione, quàm ut plurimum hinc sibi lucri accederet, & gloriæ propter lucrum, quod in primis sectabatur, ut sciret fama comparata artificij, à multis alijs susciperentur in opus sculpendi uel pingendi, si opus semel pro merito assumptum quàm optime figurasset & absolusset eximie.

15 Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc deum æstimauerunt.

Facile decipitur uulgus, quod hic dicitur hominum multitudo, per species extraneas operum, unde semper hominum indoctorum & stolidorum facile seducuntur, ut hominem aliquem sapientem uel potentem, quem uiuum inter homines pro more honorauerūt, timuerunt, uel admirati sunt, post mortem temporis lapsu permanentia falsæ laudis cessante inuidia ceu deum aliquem timeant, & apud deum multa posse credant, omnia scire cogitata et dicta, falso sibi persuadeant, indeq; sibi propitium & auxiliatorem precibus & officijs optent conciliari, sequi, cum is honor colendi, deum solū deceat omnipotentem & omnipotentem. Deum certe existimare conuincuntur, quem diuum colunt inuocando orationibus, cui se homines tuendos, saluandos, sanandos ab omnibus ad maximis periculis liberandos commendant, quem in ecclesia uel conclaui alloquuntur tanquam præsentē exaudientem, & omnia quæ circa se & alios omnes agunt scientem falso persuasum habent, quoniam clementiorem sibi quàm deum credunt, & ad benefaciendum propensiorem, alioqui non mortuum hunc hominē, sed deum uiuum omnia moderantem cogitarent & inuocarent, sine cunctatione, non tamen sine cordis humilitate & fide quæ sunt duæ alæ orationum sanctarum. Nihil ergo agunt, qui diuorum inuocationem citra dei sanctæ & omnipotentis iniuriā & ueram superstitionem, imo certum sacrilegium defendere satagunt.

Et hæc

16 Et hæc fuit uitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.

Subditi quiq; regibus suis placere cupientes uel aduLari, ad propria commoda sectanda, ut fit, facile decipi poterant ex imaginum sic formatarum reuerentia et cultu, ut dictum est. Sic & uiolētior affectus uel parentum in filios, uel filiorum in parentes, propensos agebat in honores huiusmodi assequendos pro uanitate humana, si confugientibus ad talium simulachrorum loca parceretur, & seruorum infelicitas adimeretur. Vnde profecta est communis in mundo idololatriæ lues, hoc est, cultus imaginum & hominum mortuorum, quem deus prohibuit: ut tandem processum sit & eò peruentū, ut incommunicabile diuinitatis & deitatis nomen, quod uni soli deo substantialiter uno, proprietatibus personalibus trino conuenit, & proprium est, insigni & minime ferendo sacrilegio lignis & lapidibus communicetur. Dicuntur enim dij & diui auxiliatores, & rerum humanarū moderatores, cum mortui sint: licet enim uiuere secundum animam credantur, creaturæ tamen dei sunt, & finitæ uirtutis, quarum uoluntas & actio à solo domino deo omnipotente pendet, ut nihil sine domini uoluntate uelle etiam tunc possint aut agere: in quo omnia subsistunt, agunt atq; mouentur. Quanquam autem scriptura deos nominet sanctos principes, eos qui secūdum dei legem præsident, iudicant, & prosunt, per quandam imitationem & participationem uirtutis, & influentiæ dei in ipsos: (sicut & Christus in Euangelio illos dixit deos, ad quos dei sermo factus est) hoc non inuenitur uel intelligitur dictum, nisi de uiuentibus. Nemo usquam uel unquam sanctorum mortuorū deus est dictus in sacris scripturis, nec diui leguntur in sacro Canone dicti, qui mortui sunt uel fuerunt. Contra autem dominus per Isaiam dicit: Ego dominus. Hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Et Psalmista: Quis deus præter deum nostrum? Et Ieremias: Dij, inquit, qui non fecerunt cœlum & terram, id est falso diuinitatis nomen usurparunt sibi, uel sic dicuntur sacrilege, pereant de terra: & cætera ibidem capite decimo.

17 Et non sufficerat errasse eos circa dei scientiam, sed & in magno uiuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.

Annotatis iam causis adinuētæ idololatriæ, quæ sunt, amor charorum, timor tyrannorum, & ornatus idolorum, subinde annumerat multa uitia impiorum, & corruptelas morum prouenientium ex idololatria: quorum quatuor explicat. Primum ignorantiam dei & omnium quæ ad deum pertinent, legis scilicet & mandatorum, uerę fidei & agnitionis beneficiorum, quæ non accepta retulerunt deo uero & unico, sed creaturis. Verbum domini non audierunt, prophetas domini occiderunt, pios quosq; cultores dei persecuti sunt grauiter. Et cum hæc omnia committerent crimina in deum, etiam secundo loco seipsos deceperunt & sunt persecuti hoc modo.

Cum enim sic per inscitiam peccarent & infidelitatem, sibi tamen ipsis placuerunt, & sese de religionis zelo iactauerunt, deorum immortalium cultores se appellarunt, & ob desertā religionem unius dei amicos & nuncios, prophetas & apostolos, cum ipsorum omnium principe Christo occiderunt, uel occisos lætati sunt. Tot, inquit, & tanta mala, pietatis & piorum expugnationē, pacem dixerunt, & pro pace mundi conseruanda hæc se agere testati sunt falso. An non etiam nunc huiusmodi fructus idololatriæ non uidimus modo, sed sensimus? continuoq; bellum sustinemus huiusmodi, & blasphemantium unius dei culturam uerba sacrilega audimus. Vtinā cito finiatur hæc infelicitas & pax infelicissima. De qua Iob: Quis restitit ei & pacem habuit?

18 Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas uigilias habentes: neq; uitam, neq; nuptias mundas iam custodiunt,

Tertium immane uitium & incommodum idololatriæ describit esse, crudelissima sacrificia idolis facta de proprijs filijs & filiabus, non solum eos deuouendo ad perpetuum cultum, uel cœlibatus impurissimi, uel Veneris spurcissimi, uti idolo Festali, et Venceris, uel Priapi celebrata leguntur, sed etiam ignium conflagrationi tradiderunt contra dei & naturæ legē. Quo quid potest cogitari crudelius? Quibus ceremonijs nefandis accessit turpitudo, quam in locis obscurioribus idolorum sacrificuli, Nonni quoq; & Nonnæ tunc quoq; exercuerunt, scilicet Camarim, feruore non deuotionis, sed libidinis dijs suis placentes. Sed & uigilias quoq; habebant idolorum cultores, specie religionis exercendæ, & orationis uel reuelationis assequendæ, sed quæ ad turpissimos congressus opportunitatem præbuerunt. Quales quidem uigiliæ gliscente Euangelica doctrina, reformatæ sunt ad legitimam pietatem. De quibus in Tertulliano & gestis martyrum. Sed satanæ dolis, sicut & alia sancta cœpta sunt periclitari, & perperam agi, donec sanctorum iudicio & studio ablatæ sunt & ipsæ. Inde enim crescente numero ecclesiasticorum ex nomine, etiam uitia concreuerunt, donec tollerentur communi consilio ecclesiastico, & iuxta uerbi dei instituta ceremoniæ seruarentur, ne aperiretur fenestra uitijs naturæ, & ut adulteriorum occasiones tollerentur, tenebræ scilicet & conuentiones nocturnæ, quibus gaudent criminosi, quando fidelium summa cura est, ut nuptiæ mundæ custodiantur, & unius dei dignus cultus sine scandalo continuetur.

Sacrificia crudelia idololatrarum.

19 sed & alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans cōtristat: & omnia commista sunt, sanguis, homicidiū, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio et periurium, tumultus, bonorum dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ.

Quartus uitiorum prouentus ex idololatria est, odiū & ira, dum mutuum iniurias inferunt, & alius alium occidit per inuidiam aut auaritiam: dum bellorum occa-

Odium & ira ob idololatriam.

siones disquiruntur, & charitatis nulla habetur ratio, quæ summa est uoluntatis diuinæ: dum uagus concubitus non sint legitimos certos gignere filios, certosq; hæredes allegare: dum iniuriæ coniugum uindicantur, & diuidunt respublicas, uel criminibus cunctis aditum ministrant: dum per ordinis neglectum & naturalis iustitiæ omnia commixtim in præceps ruunt & confunduntur: dum non cauetur ab aliqua iniquitate, sed unusquisque sine timore dei alteri facit, quod ab altero sustinere non uult uel non potest, contrectando res alienas inuito possessore, non sine grauibus & exitialibus suspicionibus & mortalibus odijs. Fictio quoq; hypocritica sanctimoniæ propria est idololatris, qui dum iuxta proprium sensum multa agunt, laborant & abstinent, de quibus dominus nil præcepit, sibi mire placent, quæ uero fidem in deum promouere possent, & charitatem in proximum prorsus nihili ducunt, & minime faciunt, dum interim dominus simulatores sanctimoniæ ex animo detestetur. Corruptionem intelligo fidei, quæ & per uirginum defloratione, teste Apostolo, designatur, cum morum omnium generali corruptela, quæ perfidiam consequitur. Et infidelitas in deum & proximum, quæ charitati opponitur, quæ nihil agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, sed proximum obseruat & colit ut seipsum. Quam infidelitatem in opere & sermone sequitur turbatio reipublicæ, & charitatis mutuæ per dissemination em iniuriarum et contumeliarum, sed & schismatum & inuidiarum. Periurium quoque, dum idola colentes, deum uerum, qui ueritatis est deus & iustitiæ, falsa iuratione offendere non uerentur, dum falsè iurant per falsos deos, quos experiuntur punire mala non posse. Tumultus quoq; oriuntur ex multorũ deorum uarijs ritibus, & impugnatione eorum qui domino deo uero pure credunt & seruire desiderant. Bonorum dei immemoratio, hoc est, beneficiorum dei ingratitudo, perniciosissimum crimen, fontem diuinæ benedictionis exiccans, dum non deo accepta referunt bona, sed idolis, & nescio quibus diuorum donationibus & beneficijs, cum omnia bona descendant tantum à patre luminum, non ab insensatis idolis. Animarum inquinatio perfidia est, sed non sola, quia & commessatio, ebrietas & luxuria multiplex, idololatris crimina non habentur, quibus deos suos colere student spurcissimo cultu. Natiuitatis immutatio, aliud non est quàm perpetratio uitij contra naturam, quod ex idololatria familiariter excreuit, ut legitima illius filia, ut pulchre prosequitur & declarat Paulus Romanis, loquens de innaturali commixtione & nefanda, qua peruenitur etiam ad animalium diuersarum species spurcitiam. Nuptiarum inconstantia contra naturæ ordinem & legem diuinam, sequitur fidei in deum abnegationem. Quomodo enim uxori fidem seruaret, qui deo quem non credit, non seruat? Inordinatio mœchiæ & impudicitia complectitur omnia genera scortationum & luxuriæ, quibus dæmones in idolis & simulachris delectantur, quæ uerbo dei ex diametro repugnat, cum deus loquatur: Sancti estote, sicut & ego sanctus sum.

Hypocrisis propria idololatrarum.

Sodomitæ idololatræ.

20 **Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium & finis.**

Hæc sola sententia fideles re & nomine absterrere debuerat à studio imaginum & simulachrorum, quæ infanda dicuntur præ turpitudine & malitia, quando ex prædictis discitur, quanta mala ex illis proueniunt, & à cultoribus admitti consueuerunt, prout testatur prisci illud seculum, & diui Pauli epistola, & facies ecclesiæ nostræ nostris temporibus, et iam proxime lapsis. Quod enim uitium non patrarunt diuorum cultores, & qui inotio & libidine ex sacrificijs suis uiuunt licenter uel hypocritice? Quod autem idolorum cultores sint & fuerint, negare non possunt, quandoquidem pretiosa parauerunt, ornarunt, circumtulerunt, osculanda præbuerũt, miraculis celebrarunt, genuflectione honorarunt, in aris locarunt, uota soluerunt, dehonestantes ea occiderunt, de remotis uisitanda docuerunt, festa illis celebrauerũt, intercessiones illorum polliciti sunt, & in necessitatibus pro auxilio implorarunt. Verissime ergo dicitur, ea esse causa omnis mali, perfidiæ scilicet & omnium fructuum impietatis, qui ex perfidia procedunt. Initium idolorum abnegatio fuit bonitatis dei: finis autem illorum mendacium, otium, luxus & mors.

21 **Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut certe uaticinantur falsa, aut uiuunt iniuste, aut peierant cito.**

Explicat distinctius infamiam idololatrarum multiplicem. Aut enim insaniunt dum damonum operatoribus fiunt, & mente disturbantur, ut aliena loquantur, quæ pro oraculis habeantur, ut factum legimus in sacrificijs idolorum: aut inepte lætantur in chorcis & conuiuijs ad honorem diuorum, sub lucis & prope delubra ipsorum solennijs: aut uaticinantur falsa, dum prophetiando illorum cultu, & augendo quæstu falsa commentiscuntur miracula, falsa dogmata, falsaq; prædicant, ut patet tertio Regum uicesimosecundo de prophetis Achab. Ecce dedit dominus spiritum mendacij in ore omnium prophetarum Baal: aut uiuunt iniuste, hoc est, criminose, ad placitum dæmonis, qui idololatriam cœpit & fouet: aut cito, hoc est, leuiter & sine cunctatione uel timore periurant, homines sine fide & reuerentia deiuri. Dum enim confidunt in idolis, quæ sunt sine intellectu & animo, male iurando non timent puniri, non fidendos credunt. Ideo dicitur:

22 **Cum enim confidunt in idolis quæ sine anima sunt, male iurantes noceri se non sperant.**

Nisi in idola confiderent, non de remotis accurrerũt, non inuocarent, non offerrent, & tamen sine intellectu esse lignum, lapidem, aurum, argentum, negari non potest: quanquam nonnunquam sese callidus dæmon ingenuet, ut decipiat eos qui uerbo dei credere non digna tur iustissima uindicta dei. Male iurant, hoc est, sine proposito implendi promissa contra ueritatem & charitatem, & interim iudicium dei increduli non uerentur.

23 **Vtraq; ergo illis euenient digne, quoniam male senserunt de deo, attendẽtes idolis, & iurau**

iurauerunt iniuſte in dolo contemnentes iuſtitiam.

rimen du ex idolo- rarum.

Duplici crimine meruerunt grauiter puniri à domino. Primum, quia non crediderunt uerbo domini, ut unũ ſolum deum colerent & timerent. Aliud, quia mentiti ſunt deo & hominibus, & id impune agere credide- runt, falſum iurando per falſum, periuri, prodito- res per infidelitatem ipſius dei, cui homines debent fi- dem, conſenſu omnium gentium, unde & fidei prodito- res ſemper inter peßimos habiti ſunt. De quo multa etiã apud gentiles hiſtorias. Iniurioſi etiam ſunt ad proximũ, cui falſitate imponunt, decipiunt enim iudicem, iure ſuo ſpoliant poſſeſſorẽ. Pernicioſi quoq; fiunt ſibijpſis, dum ſe adigunt diuino iudicio puniendos pro perfidia & mendacio.

24 Non enim iurantium eſt uirtus, ſed peccantium pœna perambulat ſemper iniuſtorum præuaricationem.

ramentũ malo, licitum.

Infert de iuramenti natura, actum iurandi non eſſe uirtutem, nec per ſe appetendum, ſed in neceßitate permittitur iuramentum: ſic tamen, ut non niſi per nomen domini dei ueri iuretur. Vnde origo iuramenti eſt non aliqua uirtus, ſed peccatum & incredulitas hominum, quæ prouenit ex mendacio, quo omnes homines proprie inuoluuntur, ut non ſit certa fides in hominum uerbis, ni ſi iuramento firmetur, quod tamen & ipſum non fit ſine fide & timore in deum, ut uideatur neceßitas iurandi magis eſſe pœnam peccati humani, quàm uirtus à domino commendata. Quod ſi ſecundum Chriſti doctrinam, ſermo hominum eſſet Eſt & Non, non oporteret iurare. Hæc uero pœna iurandi ſemper increſcit, & fit ſe- ipſa maior, quanto minor eſt fides in hominibus: quæ abſente, omnia fiunt homini peccatum: & iuſti quoq; non carent præuaricatione in uerbo. Qui enim non offendit in uerbo, hic perfectus eſt uir. Non eſt igitur iurare ſemper illicitum, ſed ruinæ proximum, nec ſine rationabili cauſa aut neceſſaria aſſumendum, pro qua ſi fiat, peccatum non eſt, ſed diuini nominis honor, & cultus, & conteſtatio fidei in uniuerſalem prouidentiam dei, quam credere ſe fatetur, qui iuramentum uel exigit uel præſtat. Sic enim iurauerunt ſancti dei homines, etiam apoſtoli. & Chriſtus, quum dixit: Amen amen dico uobis, &c. Eſt & iuſtorum peccantium pœna pro tanto, quia de uitijs cadunt in uitia, & demerito culpæ prioris permittuntur cadere in ſequens, ſicut Dauidi contigit.

CAPVT XV.

1 IVſtus autem deus noſter, ſuauis & uerus es, patiens & in miſericordia diſponens omnia.

Quandoquidem non ſufficit falſum et deo indignum cultum refutare, niſi pietas in deum uera doceatur, ideo nunc diuinam bonitatem commendat, ut ei à fidelibus digne ſeruiatur, dum intelligitur ſumma dei ſuauitas ſine acerbitate ad ſeruulos ſuos, ſed ppetua pro penſitas ad benefaciendum. Veritas quoq; in promiſſis,

quæ & multa quædam ſunt in uniuerſa lege dei, ſed non minus certa ſunt, quo deuotiores miniſtros ſe ſancti exhibeant, ſcientes dominũ nec falli poſſe nec fallere. Dum contra in idolorum cultura crudelitas ſit in ſanguinis effuſione, quam dæmones per idola promouent, & cupiũt quæ mera mendacia figmentaq; diabolica deprehendun tur, quum ſit pater erroris & mendaciorum. Deniq; dominus deus non ſubito rigideq; procedit in delinquentes ſeruulos ſuos, ſed patiens eſt et longanimis, fiduciam ſperandi ueniam præſtat, humiliter poſcentibus gratiã. Miſericordiam quoq; generalem ad omnia opera ſua deus oſtendit ſemper, benefaciendo tam malis quàm bonis, quibus ſolem ſuum ſplendere ſinit, & in bono malũ uincit, ut nobis filijs ſuis exemplum clementiæ exhibeat, dicens: Eſtote miſericordes, ſicut & pater ueſter cœleſtis miſericors eſt. Et Eccleſiaſtici quinto: Altißimus eſt patiens redditor, & in miſericordia diſponens omnia.

Dei clemen tia in ſuos.

2 Etenim ſi peccauerimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam: & ſi non peccauerimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati.

Etiam ſi per humanam fragilitatem delinquimus, tamen in tua poteſtate permanemus, quam nuſquam effugere poſſumus. Si enim aſcenderimus in cœlum, tu illic es: ſi deſcenderimus ad inferos, ades: ſi ſumpſerimus pennas noſtras diluculo, & habitauerimus in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet nos, et tenebit nos dextera tua: ſemper ergo tui per fidem manemus, etiam ſi delinquamus per fragilitatem carnis, quam adeſſe nobis dolemus. Scimus enim ſtultitiam idolorum, & omnipotentem & omnia ſcientem magnitudinem tuam clementiãq;, ne in peccatis deſperemus ſicut infideles, fidei ſuffragamento carentes. Et ſi per gratiam tuam & auxilium plurima peccata euitauerimus, quando omnia non poſſumus, ſignum illud certum amplectimur bonitatis tuæ, qua inter electos tuos nos computatos agnoſcamus, & gratias agamus, & ſic diligentius uoluntati tuæ implendæ adhæreamus, ſcriptos ſcilicet in librouitæ & prædeſtinationis æternæ, in quo certus eſt numerus electorũ. Cuius electionis ſignum eſt fides, non informis, ſed ad opera proficiens. Vnde & electis gaudendum dicitur Lucæ decimo: Gaudete quoniã nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis. Stultorum autem non definitus eſt numerus.

Fiducia piorum in deũ.

3 Noſſe enim te, conſummata iuſtitia eſt: & ſcire iuſtitiam & uirtutem tuã, radix eſt immortalitatis.

Perfectio præſentis uitæ & inchoata felicitas habetur per donum ueræ ſapientiæ, quæ eſt per fidem uiuam, & conſummata iuſtitia, nempe deum ſic noſſe, ut ſemper habeatur præ oculis. De qua dominus loquitur: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs ſuis, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Conſummata autem dicitur iuſtitia comparatione ad opera moraliter bona, de quibus multa philoſophi ſcripſerunt, ſed quia deum nõ per fidem nouerunt, non fuit in ipſis uera & ſufficiens iuſtitia, cuius radix & fundamentum eſt benedictio promiſ-

Conſumma ta iuſtitia.

sa primo homini, Christus dominus, qui est iustitia electo rum omnium, pax & uirtus, per quem credere in deum, est solida uirtutis ratio, & radix immortalitatis. Factus est enim credentibus Christus sapientia à deo, & iusti= tia, & sanctificatio & redemptio, qui nos patri recon= cilians, ciues cœli constituit immortales.

4 Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ labor sine fructu, et effigies sculpta per uarios colores, cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.

Loquitur in persona omnium piorum, qui ex lege do mini instituti norunt unum deum omnium rerum, uni= cum creatorem & summum bonum ac incorruptibile, quia omnipotentem & optimum, ideo non errant cum Stultitia ad mirantium idola. *stultis idololatris deorum multitudinem credentibus, in= genuo suo ac arte diis uarijs imagines formantibus, & adumbrantibus summam maiestatem stulto figmento pi= cturæ. Non sine impensis & opera diligenti & anxia, si ne omni fructu laborant ad formationem idoli & scul= ptæ imaginis, adornando coloribus, ut placeat aspicien= ti uulgo, & insensatis hominibus ad nullum prorsus u= sum, sed ad omnimodam uanitatem & sensuum libidi= nem sine fructu aliquo. Sibijpsis illudentes, dum pro uiuo homine mortuæ imaginis simulachrum amplectuntur: imò non mortuam, nunquam enim uixit, nisi fortassis ani ma uegetatiua, si lignea est, uel lapis aut aurum. Vt ergo inanimata colunt: sic sine anima humana uiuere uiden= tur, qui lignum alloquuntur & lapidem. In huiusmodi er rorem cadere pios & electos suos non patitur deus. Di= citur autem hic picturæ opus ex mala arte, dum ad ma= lum inducit, & reddit homines insensatos, ut pro suis idolis defensandis insaniant supra modum & stulte. Qua lia uidimus prostare altaribus, lõge turpiore ornatu exa rata, quàm aliqua meretricum uel scortorum unquam assequi potuit uel consueuit, ut ad utriusq; sexus stultam concupiscentiam pertrahere potuerint procumbentes, & ea adorantes.*

5 Malorum amatores digni sunt morte, qui spem habent in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.

Pro tanta ergo & tam iniqua stultitia quid ni puni= rentur non solum artifices imaginum stultarum, qui lu= Scandalum in ecclesia ex idolis. *crum inde suum quærunt, sed & illi qui conducunt & inducunt artifices, qui amant decipi, & scienter sibi deũ formari faciunt, à quo nil præter confusionem sint repor taturi, non solum in hac uita, sed & post mortem: non tantũ pro sua perfidia, sed & pro seductione sequentiũ, quibus donec supereſt simulachrum scandalum posuit sa crilegi cultus. Malorum dicuntur amatores, pro stulti= tia sua & perfidia, spem suam ponunt in operibus ma= nuum hominum, in insensibili re, quum sint ipsi à deo uero præditi intellectu, quẽ cum suis beneficijs nõ agno= scunt, sed sponte offendunt imagines contra uerbũ eius erigentes, quod ab omnibus olim uere sapientibus impiũ habitum est & sacrilegum, & ueri timoris diuini impe=*

dimentum. Damnat ergo uerbum dei ad mortem, perhi= qui idola faciunt, & qui diligunt, admirantur et colunt, quia spem uanam & stultam habent in talibus. Omn= digni fiunt morte æterna, consentientes & facientes, iu= xta Apostolum ad Romanos: Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed qui consentiunt fa= cientibus. Et Isaias: Confundentur confusione qui confi= dunt in sculptili.

6 Sed & figulus mollem terram premens laborioſe fingit ad usus nostros unumquodq; uas, & de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum uasa, & similiter quæ his sunt contraria: horum autem uasorum quis sit usus, iudex est figulus.

Iusto iudicio dei fit, ut homo qui de terra secundum corpus, & à deo per animam conditus est, cum melio= rem sui partem intellectiuam, & sempiternam anima= ad dei ueri cultum dicare non uoluerit, ad honorem re= ditoris sui & suum, is uiliorem suam partem corpus i= renum sequatur, ut luteum sibi deum formet, & adora= dum indigne prostituat. Vtitur simili loquutionis fo= Paulus ad Romanos: An non habet potestatem figulus ti ex eadem massa facere aliud quidem uas in honor= aliud uero in contumeliam. Idq; ait in usus nostros. Fi= libus enim utuntur homines, quibus nulla, ut aiunt, ac= nuta bibuntur, pauperum enim supellex est, qui ipsis carent huiusmodi: qui & fictiles sibi deos emunt, qu= aureos non possint. Sic deniq;, ut de eodem luto figu= uas in contumeliam capiat, unde deum confinxit. Q= de ligno quoq; Isaias idololatriam irridendo late pro= quitur quadragesimo capite & quadragesimoquar= Figulũ autem iudicem esse uasorum, est intelligere q= suum quàm uanum sit & indignum cui honor exhib= tur diuinus, ex cuius materia si uoluisset ollam confic= potuisset.

7 Et cum labore uano deum fingit de eo dem luto, ille qui paulo ante de terra fact fuerat, & post pusillum reducit unde acce ptus est, repetitus animæ debitum quã ha bebat.

Quid stultius præsumi potest, quàm ut homo à de= ucro formatus, de terra & elementis corporalibus con= pactus, in quæ post temporis pusillum secundum co= est resoluendus, ipse sibi ex luto deum formet inutili lu= re suo, luteum scilicet idolum de uilissima materia, ut i= lud diuino honore prosequatur, quũ sit longe ignobili= minimo membro sui. Quod ad creatoris domini manda= tum deponere cogitur, domino uolente, omnibus mun= creaturis inuitis. Sic enim repetit deus spiritum homi= sibi debitum, quem ad tempus concesserat, ut pulueri re= uertatur in terram suam, & spiritus redeat ad deum q= dedit illum. Qui solus fuerat à toto homine amandus, p= mendus, uenerandus & colendus, atq; in omnibus ne= sitatibus inuocandus, non idola lutea & risu digniss=

8 Sed cura est illi, non quia laboratura est, nec quoniam breuis illi uita est, sed con certatur aurificibus & argentarijs: sed & æraria=

ærarios imitatur, & gloriam præfert, quoniam res superuacuas fingit.

Prosequitur adhuc de figulo formante multa solicitudine deum, hoc est simulachrum, sed luteum deo suo, ad nullum usum nisi ad se uel alios fallendum, interim tamẽ pro improbitate sua lucrum uenatur & laudem, æmulaturq; artificium argentariorum pro omni uirili sua, ut quod illi ex argento & auro conflant idolum, hoc ipse è luto imitetur pro pauperibus, ut & ipsi non careant suo deo. Qui tamen ut uitam non habet, sic nec conferre potest alicui. Omnes autem pariter tam artifices, figuli & mercatores longe aliud meditari oportebat, scientes se propediem morituros, & uitæ datori, & iudici operum de factis, uerbis & cogitationibus rationem reddituros, cui soli probari oportet, & ab his ludicris illo iubente discedere, unum solum deum credere & colere pura mente.

9 Cinis est enim cor eius, & terra superua cua spes illius, & luto uilior uita eius: quoniam ignorauit qui se finxit, & qui inspirauit illi animam quæ operatur, & qui insuflauit ei spiritum uitalem.

In spiritu & ueritate creator est fidelibus colendus, quia spiritus est, & beneficus, à quo omne bonum: idololatræ autem tam artifices quàm ipsorum conductores, quia spiritu & fide carent, & cinis sunt, puluis & terra, hoc est, nihil præter terrã cogitant & mirantur, spes ipsorum tota posita est in hoc sæculo, in rebus caducis et superuacaneis, ideo omnem uitam suam expendunt in lutum & stercora, in puerilium imaginum formationem & cultum ut infantes. Nihil enim de omnium creatore cogitant dignum bonitate illius, alioqui scirent omne bonum desuper dari à patre luminum, & quod à deo solo uno & uero petendum sit quicquid hominibus prodest, quibus creat suas animas, uitã conseruat, & in omni opere præsto est, cuius solius uirtute omnia peraguntur, cuius ob id solius beneficium, auxilium & robur fuerat implorandum. Qui enim uitam præbet omnibus, quare nõ simul ad uitam necessaria suppediteret? Qui ut non est inuidus nec malignus: sic beneficium quod potest gaudet conferre magis quàm homo postulare. Luto dicit uiliorẽ uitam, quod omnis idololatrarum conuersatio criminibus publicis, & interna hypocrisi conspurcata deprehenditur: ignorant enim creatorem, pro quo creaturas sectantur. De anima quam deus immortalem condidit nihil soliciti, sed solum de corporalibus in hoc mundo fatis & prosperis euentibus, ut sit mens læta in corpore sano. De rerum futurarum casu, ut minimum possunt, cogitare dignantur: sic nihil de patre spirituum omnium colendo & reuerendo studiosi, non secus ac si nullum in se spiritum immortalem crederent à deo creatum.

10 Sed & æstimauerunt lusum esse uitã nostram, & conuersationem uitæ cõpositam ad lucrum, & oportere undecunq; etiã ex malo acquirere.

Impij in hoc mundo dei contemptores & suorũ præceptorum, idololatræ scilicet, hanc uitam hominum æsti-

mant non nisi lusum esse in rebus temporalibus, frui uoluptatibus & terrenis opibus pro uoto & ad libidinem, semper gaudere, delitijs uacare, si liceat per fas & nefas: quin & fidelium institutum & conuersationem existimant stultitiam esse, scilicet sensibus carnis abnegare uoluptates, quas consequi quis possit, deum timere, et ab iniquitate & proximi iniuria sibi temperare. Sed magis existimauerunt uitam hominibus datam à fato quodam & cœlorum influentia ad lucrum captandum, ad negotiationes, ad compendium uitæ prouidendum, ad gaudium, delicias ac uoluptates sectanda, oportere quenquã non nisi sua curare, ut familiam suam & amicos promoueat, ut dominetur alijs, ditescat & honoretur, luxui & lusui procurentur diuitiæ: persuasum enim habent nullam restare uoluptatem post mortem, nõ credentes communionem nobis superesse cum intellectualibus naturis, immortalibus incorporeisq; substantijs, ut uirtutibus uacandum sit, quibus ad beatitudinem proficisci homines possint & debeant. Lusus impiorum.

11 Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia uasa, & sculptilia fingit.

Loquitur de figulo, quem certũ est scire se incumbere stultæ rei, dum deum sibi uel alijs format, dum uenditat idolum pro re sacrosancta & diuina, cui debeatur honor & cultus, pro beneficijs ab ipso impetrãdis, quæ nisi sperarentur, non tantis impensis laborum & operarum exsculperentur. Primum ergo is artifex nouit se delinquere præ oĩbus alijs, quibus ad lucrum uendit idolũ quod formauit de luto, quod de eadem terra & fece, unde fragilia uasa hominũ usui necessaria plasmauit, hanc quoq; futilem efformauit imaginem, cui tanto melior est quanto homo & uiuẽs quodcũq; animal perfectius est muto lapidi siue ligno, multo magis luteo figulinoq; plasmati. Figulus cõtra conscientiã agẽs.

12 Omnes enim insipientes, & infelices supra modum animæ superbi sunt, inimici populi tui, & imperantes illi:

Cum uero hæc gentes agant, & sese eximie sapientes putent, dum sic idola conficiunt ex auro, argento, lapidibus, lignis & luto, iactitantes artis suæ maiestatem. Vt est uidere in Plinio, qui tanta diligentia celebrat suos pictores & statuarios, ut nihil supra. Insipientes tamen supra modum & infelicissimæ sunt ipsorum animæ, contra suum creatorem superbi, cuius mandata & sacros instinctus iuxta fidem & charitatem auersantur, reijciunt ac contemnunt. Nec tamen id solum, sed & si quos impij idololatræ conspexerint unius ueri dei cultores, fide & spiritu summo bono seruientes, religioso uiuentes pectore, hos ex animo odiunt & detestantur, persequuntur ad mortem, exuunt facultatibus, relegant in exilium, & omnibus modis instant. Id pro unius dei cultura Israelitis in sua terra usu plerunq; uenit, & toto mundo conuersis ad Christum, sanctorum martyrum infinitum numerum auxit. Pictores celebrati.

13 quoniam omnia idola nationum deos æstimauerunt, quibus neq; oculorum usus est ad uidendum, neq; nares ad perci-

piendum ſpiritum, neq; aures ad audiendum, neq; digiti manuum ad tractandum, ſed & pedes eorum pigri ad ambulandũ: homo enim fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, is finxit illos.

Iamdudum in uniuerſo tot gentes deum uerum ignorantes, alios non coluerunt deos, nec reueriti ſunt quàm ſimulachra ſurda ac muta, cæca & claudа, quæ ſpeciem quidem humanorum membrorum geſtare ſunt uiſa, reuera autem inutiles trunci erant, hominum ſtulta arte transformati in imagines hominum aut beſtiarum, ab his hominibus qui ſpiritum quidem uitæ & intellectus à domino acceperunt, omnipotente moderatore omnium, ipſum autem minime agnouerunt, à quo conditi ſunt, ut tanto pollerent ingenio, et mutuato ſibi à deo dono, uſi ſunt ad iniuriam dei, contra cuius legem et iuſſum deum ſibi homo fingere præſumpſit, & hominibus adorandũ proponere miranda inſania.

14 Nemo enim ſibi ſimilem homo poterit deum fingere. Cũ enim ſit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis.

Semper imperfectius neceſſe eſt eſſe id quod effectũ eſt ei qui fecit. Cum ſit igitur omnium animalium homo perfectiſſimum, ſtultum eſt opus humanum exiſtimare deum, maxime quod manibus ædit, quibus uitam præſtare quam habet nulli poteſt: & artificium omne materiale quum ſit, diuinum, ſpirituale & æternum eſſe nequit. Si enim immortalis à mortali fieret, homo ſeipſum redderet immortalem. Qui uero immortalis non eſt, deus eſſe non poteſt, nec fingere immortalem. Quanquam nec immortalis quidem is deus dici poteſt, qui uitam uel non habet, uel nõ à ſeipſo habet. Accipere enim imperfectionis eſt & perfici, quod diuinitati non conuenit. Mortuũ autem fingere iniquis manibus dicitur, improprie dicto mortuo, quum non ſit, quia nunquam uixerit. Sed iniquæ manus proprie dicuntur, quæ contra ſuum militant & ſatagunt conditorem: quandoquidem neglecto eo à quo habent eſſe, uiuere & operari, colunt, diligunt & uenerantur id quod ipſi ſuis improbis & ſtultis ſtudijs confecerunt.

Mortuus improprie dictus.

15 Melior enim eſt ipſe his quos colit, quia ipſe quidẽ uixit, cum eſſet mortalis, illi autem nunquam.

Opera dei omnia bona quum ſint, homo quoq; propter quem alia fecit, bonus ut ſit neceſſarium eſt: complectitur enim eſſe, uiuere, ſentire, intelligere, & amare, quorum omnium & ſingulorum expers eſt omne idolum ab homine manufactum. Stultiſſimum igitur eſt, hominem nobiliſſimam corporalium creaturarum colere id quod eſt omnino res nihili, & præter materiam quam formauit deus prorſus nihil niſi ſtulta imaginatio & figmentum ſolum: cum homo quantumlibet impius, uitam tamen naturalem poſſidet à deo ſibi mutuatam, qua artificialia cuncta deſtituuntur.

16 Sed & animalia miſerrima colũt: inſenſata enim cõparata his, illis ſunt deteriora.

Miſeria idolatrarum.

Miſeri uere ſunt homines, qui bonum quod à domino ſuſceperunt non intelligũt, qui ſtatus ſui dignitatem non perpendent, qui cum ad ſuum uſum acceperint dominium, & fructuum omnium quæ uiuunt, idq; à creatore ſuo, ipſi ad iniuriam conditoris ſeſe ſubijciant, non tantum animalibus ipſis, quibus præſidere oportebat, ſed etiam lignis & lapidi. Quid hac ſtultitia ridiculoſius? imò quid miſerandum magis, & ut miſerrimum maxime plangendum? Animalia, inquit, colunt homines, quibus deteriora nihilominus inſenſibilia ſunt quibus obſequuntur.

17 Sed nec aſpectu aliquis ex his animalibus bona poteſt conſpicere.

Stulti illi dij gentium, ſiue trunci ſint, uel lapides deformati ad imagines animalium, ſiue ipſa animalia aſſumpta alicubi in deos, exaudire preces ſibi ſupplicantium minime poſſunt, quum boni nihil diſcernant, trunci enim uel lapides ſunt res mutæ, & prorſus inſenſibiles, multo minus ſuccurrere poſſunt: nec conſpicere quicquam ipſa ualent nec feræ aut iumenta diſcernere, quare ergo à ſtultis adorantur hominibus? Nõ alia ratione quàm quia miſerrime ſtulti ſunt, proprios quoq; cultores non norunt, ſed facto irrident iuſtiſſime.

18 Effugerunt autem dei laudem, & benedictionem eius.

Negligunt officium ſuum in laudibus creatoris imp[ro]idololatræ, dum ratione ſibi data à deo abutuntur, ſeſe[q]ſubijciunt idolis, ut nec laudare dominum libeat, neq[ue]poſſint uel benedicere pro oris ipſorum improba poſſeditione: creatoris enim ſui benedictionem ſpernentes, maledictionem merentur, quæ eis uenet, eligentibus magis ſeruire creaturis quàm creatori. Cum uero tantus creator totics & tantopere traductus legatur à lege, prophetis, Chriſto & apoſtolis, ac omnibus ſanctis priſcis, cum per Chriſti Euangelium idololatria abolita fuerit ſcilicet in orbe toto, quis ſatis admirari poteſt, qui factum ſit, ut poſtliminio reducta ſint in eccleſiam tot imaginum [p]tenta, ſecundum tempus quo creuit quæſtus, & pietuera, quæ fidei eſt & charitatis, Chriſti quoq; meriti, dei gratia ſic obliterata ſunt, ut omnis Chriſtianorum religio redacta ſit in cultum ſanctorum? unde ſacrificuli ſibi conſuluerunt magis quàm plebi, cuius cæcitatem uſq; hodie promouere per fas & nefas contendunt.

CAPVT XVI.

1 Ropter hæc & his ſimilia paſſi ſunt digne tormẽta, & per multitudinem beſtiarum exterminati ſunt.

Hactenus multis oſtenſum eſt unum ſolum & uerum deum colendum, idola autem qualiacunq; ſtultitiam eſſe et uanitatem ab hoſte humani generis introductam, contra legem dei & naturalis dictaminis inſtinctum. Cum uero præ omnibus gentibus conſtet Aegyptios ſuperſtitioni turpiſſimæ deditos fuiſſe, & hoſtes perpetuos iſpius litici populi, quos prouidentia dei ad ſe miſſos, & illic multiplicatos, uehementer & crudeliter perſequuti ſunt, & ut ſeruos ac captiuos tyrannorum more

inhumaniſſime tractare ueriti non ſunt, donec reſpicien
te domino, & promiſſorum tempore appellente, adau=
ctis criminum cauſis, illos quidem Aegyptios idolorum
monſtroſos cultores grauiſſimis oppreſſit ſupplicijs, &
multis ſubinde ſuccedentibus: hos uero Hebræos Iſraeli=
tas unius dei cultores, & electos in dei peculiarem po=
pulum non tantum à communibus illis plagis immunes fe
cit, ſed et inſuper liberauit à captiuitate grauiſſima. To
ti mundo in exemplum, ut diſceret clementiam dei in fi=
deles & religioſos ſummi & unius dei cultores, & iu=
ſtitiã iudicij diuini in impios idolorum adoratores. Ideo
nunc alternatim per elegantes antitheſes loquitur Sa=
piens de utriſq;, oſtendens Aegyptios iuſte pro impieta=
te punitos, Iſraelitas uero pro pietate quidẽ eorum, ſed
magis ex gratia dei, quam patriarchis iam ante pollici=
tus fuerat, uiſitatos multis & miraculoſis beneficijs. Di
cit itaq; propter huiuſmodi tam ſtultam & impiam ido
lolatriam, & reliqua eam cõcomitantia crimina, ad lon
gum iam enumerata, iuſto dei iudicio multa in Aegypto
temporibus Moſis & Aaron paſſi ſunt tormenta, per
uarias grauiſſimaſq; plagas, de qbus per ſingula in Exo=
do. Quando multifariam per moleſtiſſimas uenenatas et
pernitioſas beſtias, ſæpe & multum percuſſi ſunt, uſque
ad multorum exterminum, cui tandem ſucceſſit mors
totius gentis, hoc eſt nobiliũ & fortium omnium in ma=
ri rubro. Quæ plaga ultima & horrendiſſima reliquis
omnibus exterminijs colophonem impoſuit, & Iſraeli=
tas in tuto clementer inſtituit.

2 Pro quibus tormentis bene diſpoſuiſti
populũ tuũ, quibus dediſti concupiſcenti
am delectamẽti ſui nouũ ſaporẽ, eſcam pa=
rans eis ortygometrã: ut illi quidem con=
cupiſcentes eſcã propter ea quæ illis oſten
ſa & miſſa ſunt, etiam à neceſſaria concupi
ſcentia auerterentur. Hi autẽ in breui ino=
pes facti, nouam guſtauerunt eſcam.

Cum tu omnipotens dominus ſancte & iuſte tracta=
res grauibus pœnis hoſtes pietatis, & idolorum ſpur=
ciſſimorum cultores pro meritis flagellaſſes, de tua boni
tate ad filios Iſrael: quos in peculium adoptaueras, eoſ=
dem claris & amplis beneficijs afficiebas, iam à captiui
tate redemptos, & trans mare rubrum in tuto colloca=
tos, ſpolijs hoſtium ditatos, & ipſorum diuitijs onuſtos.
Bene, inquam, omnia diſpoſuiſti circa tuos, quibus in ua
ſta ſolitudine deſiderantibus panem & carnes, dediſti e=
ſcam admirandi delectamenti, inſoliti ſaporis atq; dul=
cedinis, ſupra ſcilicet naturæ uirtutem, quo te omnium
rerum conditorem & omnipotentem patefaceres inſi=
gniter gratioſum fidelibus, mãſuetis obedientibuſq;, ſed
iuſtum, ſeuerum & præſentem iudicem perfidis & tru
culentis hoſtibus. Explicat autem genus eſcæ, ſupernatu
rali potentia dei paratũ à deo Iſraelitis, nominans illud
Ortygometram Græce, ab ὄρτυξ & μέτρον. Cum Nu
meri undecimo Hebraice Moſes ſcripſerit שלוים, ſi=
cut & in Pſalmo 104. ſingulare שלו pro plurali, ſimi=
liter Exodi decimoſexto, quod ubique ſimiliter cotur=
nices uetus interpres, quæ ut dicitur, parua eſt auis, ſem
per grues anteuertens aduentu ſuo, terreſtris potius ☿
ſublimis, ſæpe noctu uelis occurrunt, & mergunt naui=
gia. Auſtro non uolant humido, ſed Aquilone, idq; orty
gometra duce, quam uulgo coturnicum ducẽ uel regem
appellant, maiorem aliquanto & nigriorem: ſic dictam
quod dux ſit ac moderatrix coturnicũ. Qualiſcunq; au
tem ſit auis, quam Iudæi שלו nominant, ſatis patet mi
raculoſo aduentu à deo tunc populo Iſraelitico præpa=
ratam & deſtinatã maxima copia, ad tanti populi eſum
ſufficientem. Quod uero ſequitur: Vt illi quidem concu
piſcentes eſcam, &c. Hugo & Robertus referunt ad Iſ=
raelitas. Nicolaus autem Lyranus & Dionyſius ueriſi=
milius ad Aegyptios, ad hunc ſenſum. Illi, inquit, Aegy=
ptij dum ingluuiem ſuã impleri cuperent famelici, dum
propoſitæ illis eſcæ inferrentur, & propoſitæ oſtende=
rentur, uiderunt horribiliter fœdatas & uenenatas ex
paruis animalibus, ranis, muſcis, pediculis, & ſimilibus,
quo fiebat ut in pœnam ſuorum facinorũ, alimentorum
illis nauſea oboriretur, Iſraelitis autem iam liberatis no
uo beneficio, oblectamenta ciborũ pretioſorum, & in=
ſolitum ſaporem redolentium adminiſtraret. Vnico e=
nim uoluntatis ſuæ inſtituto deus agit ad impiorum uin=
dictam & ſolatium, ubi uidebitur, ſe timentium. Inopes
autem facti dicuntur Iſraelitæ, quia in eremo exulantes
& in tabernaculorum caſis habitantes in diem, nihil re
rum delectabilium conſequi ſua diligentia potuiſſent, et
quæ ſecũ de Aegypto detulerant, iam abſumpta fuerũt,
ut ex ſolatũc dei prouidentia & miraculoſa pẽderent.
Non autem hic meminit faſtidientium manna ingratitu=
dinis, cum dicerent: Anima noſtra arida eſt, nihil aliud
reſpiciunt oculi noſtri niſi man. Quandoquidem non
hic comparationem ſcribit fideliũ Hebræorum & mur=
murantium, ſed Iſraelitici deo dilecti populi, ad impios
& perfidos idololatras Aegyptios, pro inſtituto argu=
mento tractando.

Scriptores in hunc li=brum.

Inopes ſita elitæ.

3 Oportebat eñ illis ſine excuſatione qui
dem ſuperuenire interitũ exercentibus ty
rannidẽ; his autem tantũ oſtendere, quem
admodũ inimici eorum exterminabãtur.

Cauſa ſubditur utriuſq; miraculi circa impios ſcilicet
& fideles. Oportebat, inquit, Aegyptijs ſeſe omniũ ſa=
pientiſſimos exiſtimãtibus, & immaniſſima crudelitate
innoxios Iſraelitas calcantibus, & tyrannidem exercen
tibus ſuperuenire interitum abſorptionis in mari rubro:
ſine omni excuſatione enim, hoc eſt manifeſta iniuria cõ
tra omne ius gentium peccauerant, ideo ſine remedio
aduerſa morti præuia perferebant. Filijs autem Iſrael, de
ſingulari gratia, dominus oſtendere uoluit interitum cru
deliſſimorum hoſtium, dum eiectos cõſpexerunt filij Iſ=
rael Aegyptios, in littore eodem, ubi conſederant Iſrae
litæ iam liberati ex Aegypto, ut commodius reliquias
ſpoliorum occiſis abſtraherẽt, & de diuina iuſtitia zelo
ueritatis & gloriæ diuinæ alacrius exultarent.

4 Etenim cũ illis ſuperuenit fœua beſtiarũ
ira, morſibus peruerſorũ colubrorum ex=
terminabãtur. Sed non in perpetuum ira
tua permanſit, ſed ad correptionẽ in breui

turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.

Non puniuntur similiter perfidi & fideles dum peccant, quod liquet exemplo Aegyptiorum, quos pro crudelitate & certa malitia continuo peccantes, dominus pedetentim puniuit, donec excinderet omnino, Israelitas autem, quia populus deo peculiaris erat, non suis meritis sed electione gratuita, peccantes in dominum, & contra ministrum Mosen procaciter murmurantes, puniuit quidem & grauiter, sed non ad exterminium. Etenim cum iudicio diuino eis superuenisset pro murmuratione, sæua bestiarum ira, morsus nempe serpentium exitialium iuxta naturam ueneni, pro his qui iam destinati erant ad mortẽ, non tamen oblitus est dñs miserationum in suos, pro quorum statim salute remedium statuit æneiserpentis, quem præcepit suspendi in altum, & à uenenolaborantibus aspici, & ex obedientia & fide in dei bonitatem denuo sanari. Quod non tantum uoluit præsentis mortalitatis esse remedium, sed etiam maximæ et uniuersalis salutis in Christo exaltando in crucem, & credentes saluaturo, sacrosanctum diuinumq; sacramentum. Non igitur dominus fidelibus & electis in finem irascitur, sed facit cum tentatione prouentum, ut sustineri possit. Non permanet in æternum in ira sua, non semper uindicat, sed multo promptius indulget, uerum filijs & electis, non perfidis contemptoribus uerbi diuini, & illius prophetarum, quales Aegyptij erant. Breui ergo calamitate ignitorum serpentium, Israelitas affecit, sed ad correctionem, nõ ad interitum, dando illis signum salutis, quod in legis diuinæ eos obseruantiam introduceret, & clementiæ diuinæ mysterium exhiberet, Christiq; mortem designaret pro electis, & peccatorum indulgentiam promitteret cruce implendam. Dixit autem signum fuisse salutis, non ipsam salutem, quod subinde exponit.

Remedium serpentis ænei.

5 Qui enim conuersus est, non per hoc quod uidebat sanabatur, sed per te omniũ saluatorem: in hoc autem ostendisti inimicis tuis qa tu es qui liberas ab omni malo.

Saucij enim ueneno serpentium iubebantur conuertere se ad exaltati serpentis cõtuitum, non quod uim aliquam sanandi ægrotos æneus ille serpens haberet, uel aspectus oculorum, sed fides in dominum, & in præfiguratum Christum, quem exaltandum sancti credebant, & obedientia ipsorum ad Mosis mandatum, qui illis propheta fidelissimus datus, reuereri ab illis debebat, & non nisi amicus dei haberi, coli, & sufferri in omnibus, cuius uerbum non prodiret nisi iussu domini, quem colere debebant, & confidere de ipsius auxilio, contra hostes fidelium, quos iam potenti manu dei occisos conspexerant, ne dum crediderant. Alia quoq; causa salutis ipsius additur à parte infidelium, tam eorum qui tum erant in populo Israel impij, q̃ promiscui uulgi, quod ex Aegyptijs sese coniunxerat, deniq; etiam omnium sæculorum impijs, ut discerent omnipotentiam dei, cum clementia & iustitia, qua peccantes flagellat, & in fide respicientes sanat & restituit.

6 Illos enim locustarum, & muscarum oc
ciderunt morsus, & non est inuenta sani
tas animæ illorum: quia digni erant ab hu
iusmodi exterminari.

*Resumitur Aegyptiorum iudicium dignum & de
rum pro criminibus, quæ designauerant. Illos morsus
uenena muscarum occiderunt, & locustarum infinit
examina, fructibus uitæ necessarijs exuerunt, ut terra
nascentibus egerent, sine quibus homines non uiuunt
quando etiam aquæ uersæ sunt illis in sanguinem, & p
cora absumpta sunt cum primogenitis. Tantis enim c
dibus affecti sunt Aegyptij, quia crudelissime tractau
rant Israelitas, usq; ad infanticidium, & dei quoq; blo
sphemiam, quem agnoscere detrectabant, & in pertina
cia perseuerabant, qua digni facti sunt exterminio. Non
sic autem filij Israel, qui promissiones dei habentes, &
non excidentes à fide, etiam peccantes in dominum,
clementia ipsius non exciderunt, ideo dicitur:*

7 Filios autem tuos nec draconũ, nec ue
nenatorum uicerunt dentes: misericordia
enim tua adueniens sanabat illos.

*Quanquam plurimum quoq; peccauerint Israelitæ,
& in multis offenderint omnes, quod non sit homo q
uiuat & non peccet, ideoq; afflicti fuerint uarie & m
tum: quia tamen erant filij promissionum, & ex fide
deum non exciderant, ideo non consumpti sunt à dra
nibus & uenenatis animalibus in solitudine uel aliis q
buscunq; persecutionibus. Succurrebat enim semper
misericordia dei, qua sanabantur. Non sic impijs Aegy
ptijs, & ipsis similibus dei contemptoribus & negato
ribus, qui iudicio dei iusto, primo quidem afflicti sunt
animalibus, & occisi partim, & secundũ aliquos, tan
dem pariter mari absorpti sunt.*

8 In memoriam enim sermonũ tuorum
examinabantur, & uelociter sanabantur,
nein altam incidentes obliuionem, non
possent tuo uti adiutorio: etenim neq; he
ba, neq; malagma sanauit eos, sed tuus do
mine sermo, qui sanat omnia.

*Difficilis sententia est, ob textus corruptelã, qui ha
bet: In memoria enim sermonum tuorum exterminab
tur. Aliter uero: In memoria seruorum tuorum exam
nabantur. Qui sic potius est restituendus: In memoria
enim sermonum tuorum examinabantur, hoc est, du
memores essent promissorum tuorum, quibus sciebat
terant consolari, multo desiderio feruebant, & quæreb
bãtur differri auxilium, & in idipsum ardentibus affe
deperibant. Orantes, ut pater filiorum non obliuisce
tur, sed in angustijs cito succurreret. Ideoq; et uelociter
exaudiebãtur, iuxta illud Psalmi 78. Cum occideret eos
quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo uenie
bant ad eum, & rememorati sunt, quia deus adiutor ips
& deus excelsus redẽptor eorũ est. Id uero ipsis diuina
gratia contingebat, ne omnino per desperationem cad
rent in altam obliuionẽ, tam promissionum diuinarum
quàm beneficiorum exhibitorum, & ne sic desperan
non auderent interpellare in angustijs tuum auxilium*

uel contemnerent ultra suam gratiam uel promissa, quẽ admodũ impius omnis, cum in profundũ uenerit peccatorum contemnit. Cum re uera fidelibus auxilium aliunde peti non debet, nisi à solo deo, qui solo uerbo medetur malis omnibus. Sicut olim dixit & facta sunt, sic dicere & uelle suum usq; hodie est facere, ut non necesse habeat adhibere herbas & malagmata uel emplastra. Omnipotens enim est sermo dei, & uolitio qua unica dum placet sanat omnia. Ad unicam enim serpentis suspensionem & iussionẽ, ut respicerẽt credentes & obedientes, integre sanabãtur. Sicut & uerbo domini incarnato & oblato in cruce sanatum est peccatum mundi.

9 **Tu es enim domine, qui uitæ & mortis habes potestatẽ, & deducis ad portas mortis & reducis.**

Sic omniũ cõditor es & rector, sic uitæ & necis dominus es. Tu solus uitam præstas naturæ gratiæ & gloriæ: sic mortẽ dum uis inducis, similiter naturæ culpæ et gehennæ. Dixisti enim: Ego occidã & ego uiuere faciã. Tu ad mortem usq; periclitari sinis, quos uis & quãdo, & eosdẽ dum tibi placet, ad uitã & sanitatem iterum restituis. Inducis plerunq; incurabiles hominibus infirmitates & letales, speciali autẽ tua gratia quos uis ad uitã & sanitatem restituis. Sic quorum tibi placet misereris peccatorum, & quos uis induras ad perditionem.

10 **Homo aũt occidit quidẽ per malitiã animam suã, & cum exierit spiritus, nõ reuertetur, nec reuocabit animã quę recepta est: sed tuam manum effugere impossibile est.**

Iustitia & fides uiuificant animã, sic malitia & perfidia ipsam occidunt, prauæ scilicet affectiones, locutiones, pro quibus anima in iudicio diuino damnatur, alioqui cũ sit immortalis anima, nulla creata uirtute occidi potest: uita aũt corporalis semel homini erepta, restitui nõ potest, nec anima hominis creata uirtute corpori semel mortuo uniri denuo potest, sed sola tua manu seruatur, à te ergo efflagitanda hominibus est ipsius custodia. Non ergo impiorũ quorũcunq; uel Aegyptiorũ uel Israelitarũ perditio aliunde uenit q̃ ex malitia ipsorum propria: non enim dñs uult mortem peccatoris, sed magis ut cõuertatur & uiuat. Ipsi ergo damnationis suæ causa sunt, toties moniti non resipiscentes, nec uerbo domini obsequentes. Qui ergo dum uiuere per fidem poterant, noluerunt, cum uexati aduersitatibus uiuere uolent non dabitur, nõ reuertetur spiritus quem deus ademit semel, nec uindicta declinabitur, quã deus decreuit. Ille igitur solus uerẽdus et colẽdus, cuius manus nõ potest declinari.

11 **Negantes enim te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt: nouis aquis, & grandinibus, & pluuijs persecutionem passi, & per ignem consumpti.**

Consenserant subditi Aegyptiorũ regi in crudelitate & blasphemia, dixerat aũt & senserat rex Aegyptius: Nescio, inquit, dominum, & Israelem non dimittam, & quis est dominus qui de manu mea eripiat Israelẽ? Ideo digne pariter flagellati sunt rex & regnũ, principes & populus, uarijs & grauissimis plagis. Nouis, hoc est insolitis & miraculosis aquis pluuiarum, fontiũ & torrentium, quæ in sanguinem mutatæ erant. Quibus successerunt grandines horrendi & rari, cum pluuijs simul igne mixtis, more eius cataclysmi, qui Sodomitis superuenit. Cuncta enim quæ in agris reperta sunt, pariter sunt destructa. Pluit enim dominus super terram Aegypti grandinem copiosam & maximam, & cum grandine simul ignis descendit, & discurrentia fulgura, ex quibus multi Aegyptiorum extincti sunt.

12 **Quod enim mirabile erat in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis ualebat: uindex est enim orbis iustorum.**

Loquitur de igne qui grandini mixtus erat, qui per omnia creatori suo obsequitur, & naturã accipit à deo, in quo sunt & mouentur omnia, secundũ eius beneplacitum. Omnis enim creatura creatori deseruit ad uotũ, ut nõ sit coram deo impossibile omne uerbũ, quod decreuerit fieri. Contra naturam quidem à principio inditam aquæ est ut ignem foueat, & tamen contra impios simul ferebatur ignis cum grandine, & intensius uiguit, graniusq; nocuit hominibus, animalibus cæteris, et terrena scentibus. Conspirauerat enim ad nutum domini contra impios istos & insensatos orbis terrarũ, & omnia elementa. Vindex est enim orbis terrarum, hoc est creaturarum uniuersitas ulciscitur te iubente iustorũ iniurias.

13 **Quodam enim tempore mãsuetabatur ignis, ne cõburerẽtur quæ ad impios missa erãt animalia: sed ut ipsi uidẽtes, scirent quoniã dei iudicio patiũtur persecutionẽ.**

Vel ex hoc impij cognoscere potuissent dei omnipotentiã, quando non pro uirtute naturali ignis æqualiter omnia amburebat, sed animalia quædã consumebat, alia aũt sinebat intacta. Hoc est aũt mansuetari ignẽ, non naturali & necessaria actione ferri, sed ad dei liberã uoluntatem, ut comburat non omnia iniecta, sed quæ dñs absumenda igne decreuerit. Pendet enim omnis natura à deo in esse & operatione, simulq; in modo agendi, ut patet per totius scripturæ sacræ decursum, in lege & prophetis. Ex quibus omnibus luculẽter patet, omnia creata esse in plena obedientia dei, ut uidentes dei iudicia homines impij terreantur & timeant eum, cuius manu uolentes nolentesq; sunt necessario subiecti. Ne putent omnia incerto fato contingere circa homines, sed moderamine prouidentiæ diuinæ circa omnia. Exponitur quoq; hic locus hoc modo. Quodam tempore, quando scilicet filij Israel erãt in deserto, quod est inter Hor et mare rubrũ, ut legitur Numeri 21. mansuetabatur ignis, id est igniti serpentes, ne filij Israel respicientes in æneum serpẽtem cõburerẽtur à talibus, quæ missa erãt à deo ad murmuratores contra Mosen & dominum puniẽdos. Nec erat hoc casu uel natura serpentium, sed ut Israelitæ misericordiã dei cernentes circa se, uel æneũ serpentem scirẽt se misericorditer puniri pro reatu operum malorum.

Mansuetari ignem.

14 **Et quodam tempore in aqua supra uirtutẽ ignis exardescebat undiq;, ut iniquã terræ nationem exterminaret.**

Amplificando deducit idem miraculum, duplici elo-

cutione, significans Aegyptios non tantum igne uexatos ad perniciem, sed etiam aqua, dum scilicet ignis exarsit in Aegyptios homines & animalia, simul cum aqua, à qua minime impediebatur, sed pariter in impiam nationem Aegyptiacam debacchabãtur utraq;, nõ solum non mutuum impedientes iuxta naturas utriusq;, sed auxiliabantur potius sibi mutuo, pro domini dei sui uoluntate, cui cum iucunditate obediunt uniuersa.

15 Pro quibus angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.

Et quidem iusto iudicio tuo hoc pacto dum uelles tractabas impios Aegyptios, longe autẽ aliter agebas cum peculio tuo, populo liberato mirabiliter ex Aegypto, quem longe mirabilius nutriuisti, & conseruasti in uasta solitudine: ubi cum deficeret à prouentu humus & terræ numia sterilitas prætenderet umbram mortis, & deficeret naturalis sustentatio, tu tuum populum nutriui-

Panes angelorum.

sti, Israelem nempe per quadraginta annos, paratum de cœlo angelorum manibus panem demittendo, ut sine labore colligerent sufficientiã uictus in singulos dies. Talem panem qui omne delectamentum in se haberet, & omnis saporis suauitatem. Gustus quidem mannæ erat quasi simulæ cum melle iuxta naturam, sed diuina uirtute pijs oblectamento mirabili erat, & pro desiderio sapiebat, impijs autem in nauseam uertebatur, eratq; insipidum, de quo dicebant: Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.

16 Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat: & deseruiens uniuscuiusq; uoluntati, ad q̃d quisq; uolebat conuertebatur.

Peculiũ filiorum dei.

Magnifice quidem, ò deus, ostendis diuitias bonitatis, & liberalissimam charitatem tuam ad filios hominum, prouidendo eis uitæ necessaria, conseruando naturalia dona, nonnunquam supernaturalibus obruendo: maxime uero innotuit gratia & liberalitas tua ad filios Israel, quos ex omnibus mundi nationibus eatenus tibi elegisti in peculium, ut per eos glorificares maiestatem tuam in uniuerso orbe, faciens clarissima miracula multis tẽporibus, maxime uero per quadraginta annos, tantam hominum multitudinem nutriendo cœlesti pabulo, manna de aere præstito, ministerio tuorum angelorum, nec id tantum ad necessitatem, sed & ad oblectamentum pijs & fidelibus, cum gratiarumactione illud sumenti-

Mannæ miraculum.

bus. Etenim conuertebatur in ore ipsorum, ad cuiuslibet edentis desiderium. Id uero quanquam ex libro Exodi uel Numerorum historia non narretur, creditur tamen ex traditione susceptum à patribus, qualia apud Iudæos multa scribuntur, quæ non sint irrationabiliter dicta uel credenda: unde tamen ad arduorum probationem, quæ in certamen trahuntur, nihil pro authoritate assumitur. Nec tamen friuole & contumaciter pernegatur à pijs, maxime si inferatur à magni nominis authoribus, qualis est huius libri authoritas, non spernenda.

17 Nix autem & glacies sustinebant uim ignis, & non tabescebant: ut scirent quoniã fructus inimicorũ exterminabat ignis ardens in grandine & pluuia coruscans.

Per amplificationem iterum loquitur de mirabili di- scensu contra Aegyptiorum fructus, animalia, homines & iumenta, niuis & grandinis, ignis & pluuiæ: quæ omnia pariter horrore admirabili supra naturæ usum immittebantur, sic ut neutrum ipsorum alteri obesset, nec eius actioni naturali resisteret, sed haberent singula hanc actiones suas singulas, ad calamitatem augendam Aegyptiorum, qui id summa crudelitate quam exegerant in insontes Israelitas meruerant, digneq; ferebant uicem iniuriarum & homicidiorum. Sic enim scribitur Exodi: Extendit Moses uirgam suam in cœlum, & dominus dedit tonitrua & grandinem, & ibat ignis super terram, pluitq; dominus grandinem super terram Aegypti, fuit grãdo & ignis arrepta pariter ferebantur, tantæq; fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in uniuersa terra Aegypti, ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni terra Aegypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usq; ad iumentũ, cunctamq; herbam agri percussit grando, &c.

18 Hoc autem iterum, ut nutrirentur iusti ignis etiam suæ uirtutis oblitus est.

Quod ignis ardebat in grandine, & fulgur in pluuia coruscabat, horrendissimo spectaculo & clade miserabili & exitiali, totum factum est, ut in fide & timore populus domini nutriretur. Iustus enim cum uiderit ultionem dictam, lauabit manus suas in sanguine peccatorum. Potest hoc quoq; intelligi de igne fornacis triũ puerorum additũ à libri huius authore & collectore, omnibus manifesto oraculo, in sustentationem fidelis populi, tum exilio detenti, & ad consolationem eius, proq; dei gloria, quam eodem exilio per monarchiam totam Babylonicam & Persicam ampliare uolebat.

19 Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit in tormentũ aduersus iniustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.

Facilis, clara dignaq; sententia, si intelligatur de gestrium puerorum, impedito ab ardore, & à priorũ ustione, inuadente aũt ministros impij regis, qui ipsum accenderant ignem. Deseruiebat enim creatori ignis sibile, & excanduit in eos qui aptauerant fornacẽ, & promouerant ignem, donec excederet quadraginta cubitorum altitudinem nouem cubitis. Eos, inquam, inuadens impios, dignis tormentis occidit. Confidentibus autem domino tribus pueris, fuit iste fornax quasi rorido uentus inflatus.

20 Propter hoc & tunc omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat ad uoluntatem eorum qui à te desiderant: sunt: ut scirent filij tui, quos dilexisti domine, quoniam nõ natiuitatis fructus pascit homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint conseruat.

Ad priora redire uidetur, ideo dicit: Tunc omnia deseruiebãt gratiæ tuæ beneficijs, quæ filios Israel nutrienti & saluando prosequebaris, ideo ad nutum uoluntatis tuæ omnia, ignis scilicet, aqua, aer, ignis, manna, & cætera, à naturali suo cursu mutabantur, ut esset tanto clarius miraculum, quo omnipotentiam suam ostendere uolebat pijs ad solatium, impijs ad damnationem, iuxta desiderium eorum, qui tuam gloriam cupiebant magnificari, & blasphemos omnipotentiæ & bonitatis tuæ contemptores digne flagellari, se uero pro fide & charitate in deum, pro obseruantia in legem sanctißimam, omnibus bonis & gratijs circumfundi, tanquam filios dilectos & electos præ alijs, non ex merito operum, sed quia eosdẽ, ò domine, dilexisti, quia elegeras. Et eos non tantum naturali pastu nutrieras, sed multo magis uerbo tuo feceras obsequentes, & credentes conseruabas & saluabas per gratiam. Fructus è terra nascentes sanctos tuos ò domine non pascunt, sed sermo tuus, doctrina, lex & institutio cõseruat eos qui in te credunt. Non enim in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore dei.

21 Quod eñ ab igne non poterat extermi nari, statim ab exiguo radio solis calefactũ tabescebat: ut notũ omnibus esset, quoniã oportet præuenire solẽ ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te ibi adorare.

Adhuc de mãna prosequitur grandi miraculo, quod quidem ad ignem coquebatur & indurabatur, tamen in domibus uel manu inobedientium ad exiguum solis calorem calefactum tabescebat, ut populo dei innotesceret, non aliter q̃ iuxta uerbum domini, non solum colligendum manna, sed & omnia alia perficienda sacrificia, et simpliciter obsequi uerbo dei, non præsumptionibus humanis niti & uiuere. Non uult enim dominus tam sacrificia q̃ obedientiam, unde & Exodi 16. dicitur: Colligebant mane singuli quantum sufficere poterat ad uescendum. Quumq; incaluisset sol, liquefiebat. Nec hic docemur adorare ad ortum solis, siquidem ad occasum iuxta legem coram tabernaculo orare iubentur Israelitæ, sed solem oportet orientem præuenire orationibus ad dominum, iuxta illud: Mane uigilabo ad te, mane astabo tibi & uidebo.

22 Ingrati enim spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tãquam aqua superuacua.

Salus non consequetur spem ingratorum, sed sicut glacies calore resoluitur, sic ingratus beneficio accipiendo priuabitur. Sicut aqua defluendo cito percurrit ac deficit, sic spes perfidorum præcipitabitur, ut de Iudæis clarißime conspicitur, qui terrena sperantes, eadẽ cum spiritualibus amittunt.

CAPVT XVII.

1 MAgna sunt enim iudicia tua domine, & inenarrabilia uerba tua, propter hoc indisciplinatæ animæ errauerunt.

Docet consequenter dei iustitiam spiritualiter, ex

Aegyptiorum impijssimorum pœna, quam sustinuerunt ex maximis illis tenebris, quas horrendas & ueluti umbram mortis & ipsa morte grauiores toto triduo sustinuerunt, ut loco moueri ipsorum prorsus nemo potuerit. Incipit autem gratiarum actionem cum digna admiratione, dicens: Magna sunt, ò domine deus, iudicia tua apud omnes quidem gentes, sed omnium maxima, quæ circa populum tuum in Aegypto, contra ipsorum crudelissimos oppressores designasti multipliciter, præter ea quidem quæ iam commemorata sunt de portentis aquarum, ignium, uermium, & animalũ cæterorum, etiam horribiles tenebras immittẽdo, secundum sapientissima decreta iustitiæ tuæ. Est enim iustitia tua sicut montes dei & iudicia tua abyssus multa, ideoq; incomprehensibilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Verba quoq; tua quæ tu loqueris in cordibus electorum, & per sanctos prophetas tuos conscribi iussisti, inenarrabilia sunt, longe maiora in recessu continentia, quàm humano possit studio indagari, quamlibet studioso & pio. Circa quæ grauissime errant, labuntur, & scandalum incidunt animæ indisciplinatæ, destitutæ fide, & timore tuo, non obedientes uerbis tuis, quales fuerunt Aegyptij illi, tui peculij depeculatores, & crudelissimi oppressores.

2 Dum enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctæ: uinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.

Ligamina tenebrarũ.

Isti impijssimi Aegyptij persuaserant sibi licere per fas & nefas dominari peculio tuo, sanctæ nationi tuæ et filijs charissimorum amicorum tuorum Israelitici plebi, cui sine omni timore imminebant graui tyrannide, & non crediderunt eos tua qualicunq; potentia liberãdos, ideo uinculis errorum infidelitatis & crudelissimæ uoluntatis, secundum animam ligati primum iussissima uoluntate tua, etiam secundum corpus deinde compediti sunt, & clausi in longam, obscurissimam & horrendissimam noctem triduanam palpabilium tenebrarum. Sic uero inclusi sunt, ut tanto tempore loco se mouere, uel domum egredi nullus impiorum potuerit. Sic prouidentia dei summi, quem spreuerant captiuati, ut cum illam euadere sua prudentia conentur, & sine tua prouidentia uiuere, quæ libet contra mandatum agere, & filios familiæ tuæ urgere & occidere uelint in tuum contemptum, non solum id non possunt, sed potenti manui tuæ cogantur ad omnem tuam uoluntatem esse in suum malum subiecti ad mortem usq;, interim grauissime flagellati horrendis tenebris.

3 Et dum putant se latere in obscuris peccatis: tenebroso obliuionis uelamento dispersi sunt, pauentes horrende, & cum admiratione nimia perturbati.

Apertius & latius ratio huiusmodi corporalium tenebrarum, adiungitur nempe magnitudo criminum in conscientia, quibus ueluti horrendis tenebris inuoluti non putabant ea deo nota uel curata, nec aliquando ab

eo punienda. sed perpetuo latitanda à conspectu diuino.

Tenebræ peccatorũ. Dicuntur autem peccata tenebræ, quia qui male agit odit lucem, & obliuiscuntur impij obturati iudiciorum dei, uelamento implicantur hypocriticæ excusationis, & iuste se agere quæ uelint affirmant. Dispersi autẽ dicuntur, quia non uno loco pariter uincti tenebris latitabant, sed seiuncti & unici ne societatis solatium caperent uel minimum & horroris. Siue enim in campo uel domibus aut plateis, subito superuenientibus palpabilibus tenebris comprehensus fuisset, nullus se mouere potuit, aut alteri sociare ad consolationem. Nec id solũ oculorum damnum sentiebant, sed mentis quoq; & phãtasiæ horroribus diuina uirtute sic sunt affecti, ut uehementissime sibi toto tempore timuerint, & cũ maxima formidine instantis mali, & non finiendæ mortis perturbati, secum grauissimæ gehennæ speciem iam experti sunt, quã in malitia obstinati, contra dominũ propediem intercedente fatali morte experturi essent in æternum.

4 Neq; enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes, pauorem illis præstabant.

5 Et ignis quidẽ nulla uis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illã noctem horrendam.

Tenebræ horrendæ. Densissimarum tenebrarum obscurissima spelunca non eos simpliciter detinebat, sed insuper terriculamentis grauissimis affligebat animos impiorum, diuina ultio iustissima: ut sicut numio horrore & crudelitatum minis perpetuis afflixerant Israelitas, sic fragore tonitruorum concutiendo illorum animos continuo, & tristissimis phantasmatibus illudendo imaginationi, ut nonnunquam in somnis contingit, id uigilantibus grauiori formidine incutiebatur uirtute dei, unde nulla possent consolatione uel spe melioris fortunæ emergere. Non est enim quærendũ qua uia deus animas amburere, perturbare, et infernali supplicio miserrimas reddere possit. Anima enim intellectiua organis nõ utitur necessario corporalibus, & quæ illi deus cogitanda ingesserit, hæc necessario cogitabit, & non alia, siue horrenda sint siue iucunda, æque extra corpus constituta, ut in corpore: unde et miseri illi Aegyptij eo triduo iudicij diuini uindictam et plagas, terrores & horrendas tenebras excutere nullatenus potuerunt. Nec ignis admixtus lumen tenebris ingerebat. Et nullæ in obscuriosissima hac nocte stellæ desuper radiabant, aut quippiam horroris adimere longissimæ nocti illi. Quod si quid radiorum ex fulgure in tenebras incidisset, non ad solatium, sed ad terrorem ingerebatur, ideo consequenter dicitur:

6 Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus: & timore percussi illi9 quæ non uidebatur faciei, æstimabant deteriora esse quæ uidebantur: & magicæ artis apositi erant derisus, & sapientiæ gloria correptio cum contumelia.

Subitaneus quidem ignis apparebat, unde non conf… labantur, sed terrebantur magis. Apparebant enim … to species quædam & laruæ terribilium personar… unde plurimum perturbabantur grauiora mala subi… tura timentes q̃ experirentur, utcunq; maxima … quæ sentiebant. Iam autem illudebatur digne illusori… pessimis, Aegyptiorũ maleficis & incantatoribus, … cum magica arte sua deo, regi & populo, Mosi & … entibus reliquis illudere statuissent, & aliquoties … cesserat improbum institutum eorum. Iam illis à dom… deo Israel illudebatur quem spreuerãt. Iam omnia … terroribus sentiebant. Iam quæ non erant uidebant, … futura non erant metuebant. Iam imaginari cogeba… horrenda quæq;, quæ nunquam uiderant & formid… grauissima. Iam sapientia eorum stulta irridebatur, … gloria cõfundebatur cum insigni contumelia, qui se … & omnibus sapientibus illudere posse putauerant … tentauerant.

7 Illi em̃ qui promittebãt timores, & p… turbationes expellere se ab anima lãgue… te, hi cum derisu pleni timore languebat…

Gloriabantur magi sua sapientia cunctis impo… se posse mortalibus, & timores incutere quoslibet … buscunq;, & cum placeret denuo excutere formid… & solari per omnia. Hi nunc simul cum alijs, spectri… stuporibus angebantur, & cunctis & sibijpsis ludi… effecti, pleni derisu præ cæteris omnibus anxie … languebant. Nec enim alios neq; se iuuare poterant, … tantis monstris eximere. Vocati enim fuerãt à rege … succurrere non ualebant, quin & cum resistere … sent defecerunt, non potentes producere cyniphes, … loq; postea uulnerati fuerunt ulceribus uesicarũ turg… tium, ita ut stare non possent coram Pharaone. Hinc … ditur: Cum derisu pleni timore languebant.

8 Nam & si nihil illos ex monstris perb… babat: transitu animalium, & serpentiu… sibilatione commoti, tremebũdi perib… & aerem quem nulla ratione quis effug… posset, negantes se uidere. Frequẽter enim … præoccupant pessima, redarguente con… scientia.

Quanquam magi illi non terrerentur ex app… ne terribilium spectrorum, assueti enim talibus fict… ut Balaam alloquente cum asina perturbatus non … Experti tamen nunc acerbitatem plagæ timere cœp… runt, & solo aspectu ac sonitu nociuorum animalium … turbari. Videbantur enim sic tenebris conclusis circu… repere illis horrendi serpentes, & sibilatione immis… angores uehementes, ut tremerent supra modum, … req; timerent. Aeris enim respirationẽ sibi intercludi … dam de proximo formidabant. Sic potentia dei impij … postores cum alijs, imò præ alijs diuexabãtur. Quod … tem additur consequenter: Frequẽter enim præoccup… pessima redarguente conscientia, non est de textu, … pro sequentiũ annotatione marginibus olim affixã, … dem textui est insertum, qui idem consequenter habe…

9 Cũ enim sit timida nequitia, dat testimo… nium

nium cõdemnata: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.

Dum impius uitiorum suorum conscientia redargui tur apud semetipsum, continuo sibi aduersitates & damna instare uereturquæ se promeruisse nõ ignorat peccatorum præmia. Vt semper sibi timent fures & adulteri, iugiter deprehendi metuentes, accusat enim eos propria conscientia. Grauissime enim sibi imminet inordinatus animus, & timorem parit nequitia. Semper enim sæua præsumit perturbata conscientia, iugiter enim suspicatur iminere pœnas conscij reatus, & supplicia patitur antequam ueniant. Rea enim conscientia intra se patitur quicquid dei bonitate differtur.

10 Nihil enim est timor, nisi præsumptionis adiutoriũ, proditio cogitationis auxiliorũ.

Pallor in facie formidantis prodit adiutorij desideriũ, præsumiturq; timere iminentem pœnam, qui anxius auxilium implorare conuincitur. Dicit autem nihil esse timorem pœnæ quam auxiliatore aliquo interueniente, cupere periculi euasionem instantis, & horrere grauitatem mali, quod euadere sine auxilio nequeat aliorum. Qui sanè timor proditur imploratione auxilij: qui enim non timet, adiutorium negligit.

11 Et dum ab intro minor est expectatio, maiorem cõputat sententiam (Græci ignorantiam) eius causæ de qua tormentũ præstat.

Dum quisquam de se suaq; uirtute uel innocentia minus confidere potest, occasionem inquirit sese excusandi per ignorantiam, ne malitiose peccasse deprehensus, durius puniatur. Vel secundum aliam literam, eum, quem timere cogitur, potentiorem existimat ad nocendum: timor enim animum deijcit, pusilanimemq; constituit. Semper enim in auribus impij sonitus est terroris, & quam pax sit, ille insidias suspicatur, Iob 15. Et Ibidem, Angustia uallabit impium, sicut regem qui paratur ad prælium. Quod enim impius alteri intulit, hoc suspicatur sibi quoq; inferendum. Nihil autẽ quietius innocente synceraq; conscientia. Et uera sapientia cum sua innocentia & iustitia fiduciam præstant & confidentiã bonam, animumq; statuunt iugiter imperterritum. Ideo Sapiens dixit: Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absq; terrore erit.

12 Illi autem qui in potentem uenere nolentem, & ab infimis & ab altissimis inferis superuenientẽ eundem somnum dormientes, aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim illis, & inspe ratus timor superuenerat.

Aegyptij illi qui iudicio diuino ob infanda crimina sua inciderant in horrendam & ineuincibilem illam nolentem palpabilium tenebrarũ toto triduo, quæ miraculo diuino subtractione solarium radiorũ causabatur: uel ut hic dicitur, ab infimis partim & ab altißimis secundis causis producebatur, ministerio scilicet angelorũ sanctorum & dæmonũ ad id ordinatorũ. Nisi uapores intelligamus ascendentes ex terra & aquis, quæ infima sunt,

& ex nubium densitate et luminis subtractione superni tenebras illius noctis productas arbitremur. Certe pariter impij isti altißimum somnũ dormire coacti sunt, hoc est, iacere in tenebris otiosos more dormientiũ, uel re uera somno obrui ad locum præbendum horribilibus spectris, unde ad mortem usq; perturbari eos contingebat. Verisimile enĩ est, intra illud triduũ multos Aegyptiorũ præ angustia & terrore exanimatos fuisse, & ut Hebræi narrant, quosdam etiam ex filijs Israël exire nolentes obijsse. Animas autem traductione deficere, est ex terribilium rerum imaginatione in extasim rapi, & uiribus deficere. Insperatus enim Aegyptijs timor superuenerat ex tot cõtinuo plagis inflictis, magisq; pernicious. Quandoquidem iacula nõ præuisa atrocius feriunt. Triduum Aegyptiacum.

13 Deinde si quisquã ex illis decidisset, custodiebatur in carcere fine ferro reclusus.

Si quis toto illo triduo quacũq; ratione obijsset mortem cecidisset in terram, loco eodẽ immobilis permanebat, ueluti uinculis innodatus aut carceri inclusus, ut operosiore cura custodiẽdus non esset, non minus quàm si ferro reclusus asseruatus fuisset. Tribus enim diebus nullus loco se mouit, nec proximos sensit. Quid autem tam superbis et impijs Aegyptijs grauius contingere potuisset à domino citra mortem? quæ tamen & ipsa suo statum tempore succesit, & his tantis tormentis indicata fuit diuino iudicio quod spreuerant illico superuentura.

14 Si enim rusticus quis erat aut pastor, aut agri laborũ operarius præoccupatus esset: ineffugibilem sustinebat necessitatem.

Superuenientibus enim subito tantis tenebris, si quis agricola laborasset in agro, si pastor animalium sub diuo stetisset tenebris huiusmodi captus, immobilis subsistere cogebatur, & in loco permanere, nõ potens quaquauersum euadere, nec cernere quo iret, sustinebat enim ineffugibilem necessitatem subsistendi. Ideo sequitur:

15 Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati.

Conclusione tenebrarum palpabilium omnes isti & soli impij tenebantur, mandato potentiæ diuinæ, quã blasphemauerant impij, ut locum mutare non possent præ formidine & terrore quo exercebantur. Vt inde homines omnium sæculorum discerent timorem dei, & ipsius omnipotentiam, qui solo nutu & minimo negotio rebelles comprimere potest & terrere.

16 Siue spiritus sibilãs, aut inter spissos arborum ramos auium sonus suauis, aut uis aquę decurrentis nimium, aut sonus ualidus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animaliũ cursus inuisus, aut mugientium ualida bestiarum uox, aut resonans de altissimis montibus Echo: deficientes faciebant illos præ timore.

Modica occasio incutiebat illis dñi uoluntate maximam formidinem, siue enim sibilaret uentus triduo isto, siue arborũ rami concussi sonitus ederent, aut folia decidentia ex ramis, sed & animalculi alicuius uel modico strepitu, aut aquæ decurrẽtis lapsus aut sonitus, aut præ- Timor malorum.

cipitatarum petrarũ, & si quid aliud leuius sonitũ ædidisset, ut sunt ludentium animaliũ motus aut cursus, non uisus in tenebris, aut mugientium boum uox aliqua, aut ex aëris repercußione in montibus aut syluis resonantibus echo. Omnibus his et similibus minimis sonis incutiebatur maxima formido, & terriculamenta erant illis eximia & uix ferenda. Prædominante enim timore & horrendis tenebris adaugẽtibus metũ, omnia perturbatiora habebantur q̃ erant, quanquã leuia hæc quoq; nõ essent.

17 Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & nõ impeditis operibus continebatur, Solis autẽ illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarũ, quæ superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.

Discrimen piorum ab impijs.

Lata aũt differentia tunc erat amicorum dei fidelium & impiorum Aegyptiorum: totus enim circumquaq; orbis terrarum illarum limpido solis aut lunæ iubare illuminabatur, et proprios actus agere omnia sinebantur, exceptis tantũ Aegyptijs, quibus toto triduo inconditæ tenebræ tantum stuporis incusserant, ut agere nil potuerint. Alibi enim dies & nox consueto naturæ suæ cursu incedebant, sic ut etiam fidelibus Israëlitis intra Aegyptum habitantibus, nihil incommodi uel tenebrarum insolitarum occurrerit. Illa autem nox atra, & tam diutur na, figura fuit & imago infernalium tenebrarũ, in quas propediem contemptores iudiciorum dei inobedientes conijciendi erant. Quanquã uero tantis tenebris affligerentur dignißime et grauißime, ipsi tamen sibi criminum suorũ conscientia qua premebantur ottosi toto triduo, grauißime tenebræ erant, propria tam incredulitate quo ad damnandos, uel conscientiæ scrupulo de oppreßis Israëlitis nimium crudeliter, quo ad saluandos, si qui forte inter illos erant: suis enim sceleribus deprehensi sese damnabant, agnoscentes nimium tarde mentis suæ tenebras, unde ad infernales tenebras corruebant, corporalibus istis longe omnium grauiores.

CAPVT XVIII.

1 Sanctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem uocem inimici audiebant, sed figuram non uidebant.

Antitheſim proſequitur de ſanctis, quos Iſraëlitas intelligit, qui à deo electi, populus dei ſanctus et peculiaris dicebantur, quia ad ſanctificationem ſui nominis fide ſua & perfidia ordinati, & eo tempore ſancti erant iuxta præſentem iuſtitiam, ſubinde uero peccaturi, ſed non ad mortem æternam, ſi fidem unius dei nõ reiecturi eſſent. Aegyptijs igitur ſic triduo tenebris incluſis, & angoribus mentis conſternatißimis, populus Iſraëliticus nihil ſentiebat incommodi, non luce indigebat, nullo terrore affligebatur, ſed dominum deum ſuum pro tam ingenti miraculo glorificabant, gratias canendo & iubilando de tanto in ipſos beneficio, ſpeq; fruebãtur certißima propediem ſeſe ſimili diuina uirtute liberandos. Et dum ſic domino deo ſuo gratias referunt Iſraëlitæ alacri animo & altis uocibus, Aegyptij tenebris clauſi, canentes & iubilantes audiebant, figuram tamen nullam uidebant, qua uel minimum conſolarentur, ſed horroribus et odijs eximijs in tenebris tractabantur.

2 Et quia nõ & ipſi eadem paſſi erant, magnificabant te: & qui ante læſi erant, quia nõ lædebantur, gratias agebant tibi: & ut eſſet differentia, te deum petebant.

Quam uocem ædiderint hi, & illi audierint quamdominus uoluit, nunc explicat. Gratias domino deo ſuo dignas dicebant, & gratiam dei circa ſe magnificabant, quia ſimiles tenebras, quales pati Aegyptios cernebant, ipſi fideles non experirentur. Similiter de eo beneficio grati erant, quia iam cogerentur Aegyptij finire ſuam tyrannidem, & poſthac liberos ſinere abire, quos uehementi crudelitate tamdiu grauiterq; afflixerant. Tibi, inquit, domino deo ſuo pro beneficijs recentibus gratias agebant filij Iſraël. Nec id ſolum, ſed etiam orabant ut pro futuro ipſis liceret dei dono tutis conſiſtere, & diſcrimen iudiciorum dei experiri ſemper: ut ſicut impios puniret legitime, ſic fidelibus propitius faueret, et malis eximeret omnibus. Non enim tantum de præteritis beneficijs gratiæ ſunt agendæ deo, ſed de futuro quoq; ſtatu oportet eſſe in oratione ſolicitos.

3 Propter quod ignis ardentẽ columnam ducem habuerunt ignotæ uiæ, & ſolem inlæſura boni hoſpitij præſtitiſti.

Quandoquidem de præſtito beneficio gratos ſe exhibent, ideo ſuſcipiendorũ fiunt capaces. Narrantur ergo beneficia præſtita Iſraëlitis iam exeuntibus Aegyptum, quorum unum erat ignea columna, qua noctu utebantur duce itineris ignoti, & interdiu umbram præparante domino, qua ab æſtu ſolis ſeruarentur illæſi ſemper, & per ſua hoſpitia in ſolitudine dirigentur duce columna nubis & luminis. Non ſolum enim umbram & lumen præbebant in refrigerium, ſed & pro ſuo motu itinera ſtrabant, & hoſpitiorum quietem per ſuas profectiones oſtendebant commodam & gratam. Quod nominat aduthor bonum, id eſt, iucundum aut pergratum hoſpitium, hoc eſt, tabernaculorum ſuorũ & papilionũ manſiones.

beneficij eius.

4 Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui incluſos cuſtodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen ſæculo dari.

Indigni ſunt et dicũtur Aegyptij ſicut omnes impij lucce, quando & omnibus dei beneficijs ſunt indigni, ſed etiam quo ueſcũtur, et aëre quem reſpirant, terraq; qua calcãt, ideo aëri tenebroſißimo incluſi erant toto triduo meritißime, quia numium diu Iſraëlitas à deo electum populum, propter quod & filij dei uocantur, duriſſima ſeruitute inſontes afflixerãt, et dño deo ſuo charos ſuos ſine omni clementia tractauerant duriſſime, nimio contemptu illorum, quos unus dei cultores eſſe didicerant, cum Aegyptij plures ſemper & nimiũ ſuperſtitioſi exiſtuiſſent. Ea ratione abominabantur Aegyptij Iſraëlitas, quos dñs deus eorum eatenus diligebat, ut decreuerit ab gloriã ſuam eam gentem illuſtrare magnificis factis ſuis, datione legis tabularũ, quam olim omnes gentes reiecerãt idolorũ

idolorũ superstitionibus assumpturæ essent, et solius dñi dei sui gloriã ueram per totum mundũ disseminaturæ: id certe quod statim ab illo tempore inchoandũ erat. Hoc est enim quod dicitur hic, per Israëlitas illos eo tempore dñm incœpisse dare toti mundo incorruptũ lumen legis decem tabularũ, cuius solius obseruantia ex fide in unum deum, & promissum Messiam benedictionem gentium, sufficiat hominibus electis omnibus ad salutẽ æternam.

5 Cum cogitarent iustorũ occidere infantes: & uno exposito filio, sed liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, & pariter illos perdidisti in aqua ualida.

Non est consilium contra dominũ, nec hominum cogitationes & studia prohibere possunt domini dei uoluntatem. Ideo cum constituissent crudelissimi Aegyptij seruorum suorum quos sibi uiolenter subiecerant, Israëlitarum infantes occidere, & unum exponere parentes cœpissent, statim gratia dei succurrens, eundem non solum liberauit à morte, sed cõstituit eundem salutem suæ gentis, & exitium lapsumq; & traductionem omnium Aegyptiorum. Multis quidem id modis & mediis peractum constat ex Exodo. Maxime autem clara uicissitudine id factũ est, dum pro uno exposito ad mortem Mose, multitudo maxima occisorum in mari rubro ablata est, et internetione exposita miraculo diuino, quando omnes simul ingressi sunt mare rubrũ, et aqua ualida oppressi, corporibus etiam iectis in prospectum filiorum Israël, quatenus de tam crudelium hostium strage oculis pascerentur, & dominum collaudarent.

6 Illa enim nox ante cognita est à patribus nostris: ut uere scientes quibus iuramentis crediderunt, animæquiores essent.

Beneficium autem istud de prostrato hoste tanto erat clarius, quanto non subito & de improuiso confectum est, sed iam ante Mosi reuelatũ, & per eundem populo Israëlitico, ut dicitur Exo. 11. Eandem enim noctem cum suis mirabilibus prædixit dominus, ut præscientes omnia quæ futura erant, ad dei gloriam & ad suam salutem, & crudelissimi hostis exitium confortarentur in fide, & stabiles redderentur in iuramento quod domino fecerant de obedientia Mosi, & per Mosen domino obseruando, essentq; animæquiores in aduersis, quæ incurrerant ex primo ingressu Mosis & Aaronis ad Pharaonem, pro quibus iam amare murmurare incœperant.

7 Suscepta est autem à populo tuo sanitas quidem iustorum, iniustorũ autem exterminatio.

Cum populo dei Moses sanctissimus dei famulus retulisset de proximo illis instantem salutẽ & redemptionem, de tam grauissimo onere seruitutis, nõ sine gaudio & gratiarum actione susceptum est hoc euangelium in gratiam sanctorum æditum & prædictum inq; dignissimum exterminium iniustissimorum Aegyptiorum. Poterant enim gratulari sibi de iustitia dei contra crudelissimos dominos, & de fine blasphemiarum in illius sanctissimum nomen, & in exonerationẽ terræ ab hoc onere criminosorum hominum.

8 Sicut enim læsisti aduersarios nostros: sic & nos prouocans magnificasti.

Exterminium Aegyptiorum pro sancto tuo ordine, & iustissima sententia cessit fidelibus ad salutem necessariam, & ad magnificentiam diuini tui nominis, de qua sancti plurimum sibi gratulantur, non tam pro ipsorum salute & felicitate, quàm pro gloria & honore sui sanctissimi conditoris. Læsisti, inquit, parum dicendo & grauissimum exterminium indicando, nos uero magnificasti, tantis tuis miraculis claros reddidisti inter homines, non ut inde glorientur & superbiamus, sed ut prouocares nos ad tui amorem & ad fidem uerborum tuorum, atq; obedientiam mandatorum quæ proposuisti eis.

9 Absconse enĩ sacrificabãt iusti pueri bonorum, & iustitiæ legẽ in concordia dispo suerunt: similiter & bona & mala recepturos iustos, patrũ iam decantantes laudes.

Iam ad Mosis exhortationem, ad mandatum domini, agnum Paschalem in domibus sacrificabant, ignorãtibus Aegyptijs Israël, qui sanctorũ patriarcharũ pueri & filij nominantur, et iam concordauerant per omnia obsequi legibus diuinis, quas de Paschate celebrando per omnia sæcula susceperant, & ad quod sese iam celebrandum quartadecima luna primi mensis dispposuerãt. Iamq; credebãt uerbis Mosis promittentis iussu dñi dei Aegyptios trucidandos pro impietate sua, & Israëlitas iustos liberandos de Aegyptiaca grauissima seruitute. Deniq; iam fidem & iustitiã patriarcharum collaudabant, quibus promissa fuerat ante trecẽtos annos redemptio ista, quam iam tunc imminere credebant & conspiciebant certissime cernentes neminem unquam frustra credidisse uerbis dñi dei, unde & Abrahæ, Isaac & Iacobo eorum fides reputata eis fuisset ad iustitiam, & nõ confusos eos fuisse uel eorum patres reliquos ab eorum expectatione. Pascha celebratum.

10 Resonabat autem inconueniens inimicorum uox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

Sancto Israëlitico populo tunc concelebrante laudes domini dei sui, & merita fidei patrum suorum resonante cum gaudio, contra audiebatur in eadem nocte incondita uox, & tumultuosus luctus inimicorum suorum, Aegyptiorum scilicet, qui infantes suos, quos hic primogenitos nominat, occisos à domino lamentabantur, & amarissime deflebant, ut solet primogenitorum occasus amarius plangi. Eodem enim tempore contigit esus agni paschalis in Israëlitarum domibus cum insigni lætitia, & mors primogenitorũ per angelum domini in ædibus Aegyptiorũ. Illisq; iam plangentibus et sepelientibus suos, filij Israel exeunt Aegyptum, tot tantisq; plagis & seruitutis calamitatibus eripiendi.

11 Simili autem pœna seruus cum domino afflictus est, & popularis homo regi similia passus.

Sine personaruum acceptione contigit primogenitorum occisio, ut patet Exo. 12. Percussit enim dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Primogenita occisa omnia.

Pharaonis qui sedebat in solio eius, usq; ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Hoc est quod hic dicitur: Simili pœna Aegyptius seruus cum domino suo Aegyptio, & uulgaris cum nobili mulctatus est, uno genere mortis uiolenta scilicet occisi sunt. Quandoquidem serui & populus communicabant dominis suis & principibus in crimine crudelitatis aduersus Israëlitas, ideo pari uindicta puniti sunt omnes, occisis ipsorum primogenitis.

12 Similiter ergo omnes uno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles.

Repetitio est ad amplificationem pertinens, familiaris authori. Vno mortis genere tunc omnes primogeniti sunt absumpti, sicut et postmodum in mari rubro, residui simul omnes tũc quoq; uno submersionis exitio perierũt.

13 Nec enim ad sepeliendum uiui sufficiebant: quoniam uno momento quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.

Causalis particula Enim, non raro otiose ponitur in hoc libro toto. Tantus autem primogenitorũ occisorum numerus erat, ut uiui uix sufficerẽt sepeliendis mortuis: siquidem in tota Aegypto non erat domus, in qua non erat mortuus: subito enim & de improuiso eadem hora præclarior eorum primogenitorum natio exterminata est. Habebat ius primogenturæ præ alijs multipliciter nobilem prærogatiuam hæreditatis & regiminis.

14 De omnibus enim non credentes propter beneficia, tunc cum primũ fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum dei se esse.

Iam flagellati sæpe pro peccatis, cum beneficiũ exauditionis & liberationis toties experti fuissent, & promisissent toties manumißionem, & semper perfidi retractassent promissa, et dominũ interim nõ raro blasphemasse ut, pessima rependentes pro bonis, tandem domino non credentes, & semper recalcitrantes potentiæ diuinæ, quam subinde experiebantur, hanc penultimam stragem primogenitorũ experti sunt, ut tunc tandem uexatione intellectum præbente, promiserint sese populũ dei futuros, & pro ipsius uoluntate sacrificaturos & adoraturos, sed ad horam, nõ autem ex animo, nec in eo uoto perstiterunt. Tunc autem Pharao dixit ad Mosen & Aaron: Abeũtes benedicite mihi. Vrgebantq; Aegyptij egredi populum dei, dicentes: Omnes moriemur. Vnde et legitur dñs prædixisse ad Mosen de Pharaone: Descendent omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me, dicentes: Egredere tu et omnis populus qui subiectus est tibi.

15 Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet omnipotens sermo tuus domine exiliens de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediã exterminij terrã prosiliuit, gladius acutus insimulatũ imperiũ tuum portãs & stans repleuit omnia morte & usq; ad cœlũ attingebat stans in terra.

Hæc sententia exponitur clare & consequenter de primogenitorum clade, quæ tamen intelligi etiam potest de submersione Pharaonis in mari rubro cum uniuersi exercitu, quæ facta est in nocte, dum solent mundana omnia plurimum continere silentium & quietem, et nox ipsa habere suũ cursum sine impedimento, nemine aduertente, omnibus autem in tuto consistentibus, & nihil timentibus iuxta cursum sæculi communem. Sic dum persequi Aegypti cum uniuerso exercitu suo filios Israël inermes & undiq; clausos mari & montibus persequeretur, pergeretq; eum iudicium domini, & moles criminum maiorum, tunc sermo iußionis diuinæ, quo omnia facit altissimus, patefactus est, et de cœlo prodijt, uirtus scilicet omnipotens de regalibus sedibus, de summo cœlorũ, quasi omnipotens uirtus debellator durißimus omnũ imperiorum, hunc quoq; Pharaonem cum suis adorsus est, & ad omnium pariter exterminium sic insilijt, ut ne unũ quidem residuũ seruari permiserit, sed uerbo suæ uirtutis ministerio angelico, quod uerbo dei semper obsequitur, debellauit uniuersos. Dicitur autem Aegyptus terra exterminij, quia ad exterminiũ propter crimina sua damnata est, quod & multipliciter pertulit. Gladius quoq; acutus est uerbum dei, quo cuncta deus exequitur & perficit, sanctis prospera, impijs aduersa, semper autem sacrosancta ut omnia. Hoc autem imperium tuum quod exercuisti in Aegyptios per uerbũ tuum, impediri a nullo potuit. Ideoq; stetit firmiter contra omnẽ uirtutẽ, tam, ne dicamus humanam, quæ minima est: sic inquam stetit, ut iudicio suo unico uerbo suo expleto, repleret omnia morte, totum ad unum usq; exercitũ occidendo in mari rubro, uel primogenitos omnes, si de ea strage intelligatur hic uersus. Hic autem iudicij diuini gladius protenditur in totum mundũ. Plena est enim terra, & cœlum quoq; plenum est iusticia domini, & omnipotentia ejus qua impios damnat, saluat fideles. Omnia quidẽ impleuit diuinitas, cœlo autem insidens & terram tenens pedibus suorum scabellũ, omnia facit quæ uult in cœlo & in terra, cui nulla uirtus creata, imò pariter omnes uirtutes non æquant infinitam potentiam dei, quam impijssimi Aegyptij impie blasphemauerant, sed non impune.

16 Tunc continuo uisus somniorũ malorum turbaeruntillos, & timores superuenerunt insperati.

Iam tunc mare rubrum inuoluente currus et equites, & occurrẽtibus fructibus mortiferis, quos euadere non possent, tunc primũ apparuit impijs perpessorum scelerum in palpabilibus tenebris triduo causa, quæ illos magnopere turbauerant, & ut dictum est, insperati illi timores superuenerant, quibus maiorum malorum illis impendentium præsagium intellexisse debuerant.

17 Et alius alibi proiectus semiuiuus, propter quam moriebatur causam demonstrabat mortis.

Tunc quoq; hunc sibi tandem deberi finem æstimare debuissent, totius regni excidium, quando tot hominum continuo mortes Aegyptũ unuersam fatigauerant uarijs morborum & calamitatum generibus, dum semiuiui ex grandine, imminentis mortis causas horrendas cogitare ac æstimasse debuissent, quas multas nunis tamen

dum tota Aegyptus cum suo rege admiserant.

18 Visiones enim quæ illos turbauerunt, hæc præmonebãt, ne insciĳ quare mala patiebantur perirent.

Tot autem talesq; tam horribiles uisiones, quæ illos Aegyptios crebro turbauerant, tot grauia supplicia, quæ per decem uices, etiam si non anno uno sustinuerant, admonuisse illos oportuerat horribilioris cladis quæ eos maneret, nisi sese dño subderent, & à filiorũ Israël persecutione cessarent, & ne æternaliter damnandi nescirent ob quam id culpam merito sustinerent. Quin uoluit benignitas domini illos ad pœnitentiam prouocare, uel per supplicia, qui beneficijs nõ mouebantur. Sed omnia frustra: indurati enim erãt iudicio diuino per grauissima crimina in deũ et homines. De quibus Exod. clare docet.

19 Tetigit aũt tunc & iustos tentatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua.

Et ne quis obijceret prædictis, dũm deum Israel non solos Aegyptios occidisse, sed etiam Israëlitas, et electum suum populum, esseq; in cõspectu dei ambas gentes eiusdẽ sortis et acceptationis, statim respondet non similiter à deo ambas tractatas tunc gentes, quãdo scilicet in eremo morabantur, & postea. Quanquam enim populum quoq; suum pro peccatis suis quæ ad mortem erant, quorundam afflixerit morte, murmuratores nempe contra Mosen & Aaron, et ambitiosos ac inuidos, quales erant Chore cum suis, Dathan quoque & Abiron, ut patet in Numeris, ubi commotio facta scribitur multitudinis contra dũm et seruos eius: nõ tamen diu permansit ira tua ô dñe, pœna scilicet propter hoc scelus immissa, sed cito finita est, & per dei gratiã remissa, ne totus populus occideretur, sed pauci tantum, ad commonitionẽ aliorum, non ad totius gentis internetionẽ, ut Aegyptijs contigit.

20 Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationẽ, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.

Aaron pontifex institutus à domino, ut pro populo offerret, & orationibus ac sacrificijs intercederet pro peccatoribus, ipse iustus per dei gratiam nõ ex operibus legis ceremonialis, uel propria innocentia, sed quia iusti sacerdotis olim futuri typus et figura erat, et pro officio illi assignato iustior alijs esse debebat, & habebatur, homo sine querela, sicut et Moses frater suus, quanquã peccatis non omnino uacarent, nõ enim uiuit homo qui non peccet: sed sancti ad mortem nõ peccant, & eis peccata sua deus nõ imputat. Is igitur sic sine querela põtifex Aaron, cui impij Choritæ immerito aduersabantur, & quẽ de pontificatu præcipitatũ uolebant, is bonum pro malo reddens, deprecatus est pro officio et innocentia sua pro populo, opponens sese irato domino deo suo, subditã & cõmendatam sibi gentem peccantem propugnando, non alijs armis uel scuto q̃ orationis deuotæ et ardentis. Quã censi sui pontificalis ostendit ardẽtem, & sursum contendentem deprecationem, nihil aliud allegans q̃ humilem cordis affectum, qualis est uera oratio. Et sic profecit, ut iram dñi euinceret, qui alioqui pronus est ad indulgendũ humiliatis. Et sic iræ restitit, ut gratiã obtineret, finemq; imposuit calamitati urgenti, cõsequutus apud te clementiam erga suum populũ, sic ut facto ostenderes illum dilectum et gratũ esse tibi famulũ, cuius tibi preces acceptæ essent et sacrificia, quem in officio sibi à te delegato impedire non deberent, sed humiliter obsequi, tanquam summo sacerdoti. Hæc autem leguntur acta Numeri 16.

21 Vicit autem turbas, non in uirtute corporis, nec armatura potentiæ, sed uerbo illum qui se uexabat subiecit, iuramenta parentum, & testamentum commemorans.

Improbitatem & inobedientiam turbæ murmurantis euicit benigna interceßione sua ad dominũ, plagamq; quæ iam sæuire cœperat extinxit orationis incenso: non quacunq; fortitudine corporali, uel armorũ potentia, sed oratione sua ignem extinxit, qui uindex iniquitatis noxios de uulgo incenderat. Vel pia & ardenti oratione iudicium domini dei iustum euicit quod illi imminebat, à quo puniebatur digne, & ad eruditionem uexabatur. Illud pro tanto subiecit, ut à feriendo desineret, non propter ipsius sacerdotis propria merita, sed propter uerita tem diuinarum promißionũ, qua redemptionem illam et gratiam perpetuam ad filios Israel, sanctis promiserat patriarchis sub contestatione iuramenti, quo per seipsum iurauit, quum superiorem non haberet. Eius testamenti iuramento confirmati patribus, tunc Aaron & Moses dũm deum commonefecerũt, ut pactis suis stare dignaretur, et reddere uel indignis filijs, quod sanctis amicis suis Abrahæ, Isaac et Iacob iamdudũ sæpe pollicitus fuerat.

Orationis uirtus.

22 Cum enim iam aceruatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, & amputauit impetũ & diuisit illam quæ ad uiuos ducebat uiam.

Cum in tanto incendio, in quo quatuordecim milia combusta sunt & occisa, cateruatim plurimi adhuc corruissent, agitabantur enim & sese mutuum impellebant cadentes unus in alium, tũc pius Aaron pontifex in medio uiuentium et morientium stetit, obtulitq; thymiama, precatusq; est pro populo, ut plaga cessaret. Amputauit enim hoc modo impetũ iudicij diuini, & ampliauit eam uiam quæ ducere poterat ad uitam, hoc est, multitudini misericordiam impetrauit, et à clade mortifera tanti incendij superstites liberauit, aut transitum ignis properantis ad uiuentes impediuit ac repulit.

23 In ueste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarũ: & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidũ erant sculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat.

Pro officij pontificalis dignitate cõmendanda, à dño instituti, qđ et in amplißimo honore haberi à tota gente dominus uoluit, consequenter Sapiens adiecit: In talari illa ueste hyacinthina et Ephod sacerdotali, qua iuxta diuinum præscriptum utebatur summus pontifex, repræsentatiue adumbratus erat totus mundus iste sensibilis,

Pontificalis dignitas

cuius conditoris dei unici & omnipotentis minister ine
signis & nobilis esse debebat Aaron, & ut tantus &
talis honorari & reuereri ab uniuersa illa gente. Ter=
ram enim designabat quicquid lineum continebat orna=
tus iste. Baltheus oceanum terram cingentē & ambien=
Allegoria Iudaica. tem. Tunica hyacinthina colore suo aërem represента=
bat, cuius subtus tintinnabula tonitrua designabant, &
malogranata fructus ex aëre procreandi & pluuijs. Su=
perhumerale multiplici uarietate contextum, ornatum
syderei cœli. Duo autem onychini solis & lunæ astra no
tabant. Quatuor autē ordinibus duodecim collocati la=
pides pretiosi, memorialia duodecim patriarcharū gen=
tis illius erant, quorum & nonunibus singulis singulæ
gemmæ inscriptæ erant, ut essent semper in memoria &
corde summi pontificis, orantis & sacrificantis pro eis.
De quibus Exo. 28. Sanctum quoq; & ineffabile nomen
יהוה scriptū continebatur in lamina aurea super fron=
tem pontificis summi in diademate uel mitra, ad repræ=
sentandū gloriam summi dei, quæ intendi sola deberet à
summo pontifice, donec typus cessaret, & ueniret san=
ctus sanctorū trabea carnis indutus, et seipsum exhibens
sacerdotē uere summū, secundum ordinē Melchisedech,
aram quoq; ferentem peccata mundi, & ipsum sacrifi=
cium sufficiēs ad reconciliationē totius generis humani.

24 His autē cessit qui exterminabat, & hæc
extimuit: erat enī sola tentatio iræ sufficiēs.

Huiusmodi summi sacerdotis officio & meritis eius,
qui hoc spectro designabatur Christo, cedebat iniustitiæ
humanæ pœna et demeritum, huius orationibus obtenta
est clementia dei in facto, ut exterminator ignis uel sata=
nas cederet, & ab inferenda plaga cessaret. Qualia my=
steria dæmon quoq; ille iussus à domino cedere, domini
uoluntate & ordine sic extimuit, ut amplius sæuire non
posset. Non enim missus fuerat ad gentis electæ exter=
minium, sed ad tentationem multorum fidelium, qui inde
erudiendi erant et ædificandi, ac à ceruice duriore libe=
randi, inq; exemplum omnium nationū, qui suo tempore
dei soli & summi cultores futuri erant, quibus hæc om=
nia in figura contingebant. Ideoq; ira domini toties con=
citata nō sæuit in omnes, sed in aliquos, ad aliorum pro=
fectum, & ad dei gloriam, ac mundi totius salutem.

CAPVT XIX.

1 IMpijs autē usq; in nouissimum
fine misericordia ira superuenit.

Fidelibus quidem & nō ex malitia, sed
per fragilitatem carnis peccātibus, infert
pœnam clementia mixtam, et non exterminat peccato=
res prorsus, sed locum permittit pœnitentiæ. Obstinatis
autem & toties monitis, sed nō emendatis, ut erant Ae=
gyptij, sine misericordia superuenit, uisitat sine clemen=
tia, sed rigore iustitiæ damnat pertinaces & procaces,
sic tandem in mari rubro pariter occidit, quia toties ad=
moniti & correcti disciplinam suscipere renuerunt, &
non de peccato reuersi sunt in iustitiam, sed de conuer=
sione et pœnitentia relapsi potius sunt in contumaciam,
dolentes se indulsisse numium uoluntati iussisq; diuinis.

2 Præsciebat enim & futura illorum: quo=
niam cum ipsi permisissent ut se educerent,
& cum magna solicitudine præmisissent il=
los, consequebant illos pœnitentiæ actus.

Increuerat mensura criminū Aegyptiorū ad summū,
& iam diuino iudicio morti adiudicati erant, et emenda=
tionis gratia nulla illis præstanda erat, qui numia cruelis
tate sæuierāt in innoxios dei amicos. Quæ omnia domi=
num deum latere non poterant, & dignæ iam uindictæ
adiudicati erant, ut pariter in mari rubro præuocarē=
tur, ideo inceßit illos pœnitentia permißi beneficij, &
datæ facultatis abscedendi, et libertatis indultæ, post ac
ceptam cladem primogenitorū. Iam enī permiserāt illis
ut sese seruituti subducerēt, uiam triū dierū indulgendo,
& iam cessantes, quasi cogebāt ut festinato abirent, con
cessis etiam prætiosis uasis ad gaudiū et decorē solem=
tatis: hoc est qd' hic dicit, præmisisse eos, id est, dimisisse
cum multa solicitudine. Sed iam iudicio dei urgente, ce
sequebatur statim pœnitētiæ actus Aegyptios, indolo
runtq; de manumißione tam utilū seruulorum, dicen=
Quid uoluimus facere, ut dimitteremus Israēlem ne ser
bis seruiret?

3 Adhuc enim inter manus habentes lu=
ctum, & deplorantes ad monumenta mo
tuorum aliā sibi assumpserunt cogitatio
inscientiæ: & quos rogantes proiecerant
hos tanquam fugitiuos persequebantur.

Nondum exoleuerat dolor acerrimus de primoge=
torū morte, adhuc lugebant chara pignora filiorū in
lium, ad ipsorū recentia monumenta, & iam illico in
tiæ cogitationem, hoc est, impiū et stultum institutū
puerunt, quomodo filios Israël uiolenter reducerent
mutatum enim fuit cor Pharaonis, et seruorū eius
populo iam dimisso. Et quos rogando eieceranr
& abire compulerant, & cum benedictione dimis
hos iam tanquam fugitiuos persequi decernebant.

4 ducebat enim illos ad hunc finem digni
necessitas: & horum quæ acciderant com
memorationē amittebant, ut quæ deerant
tormētis, repleret punitio, et populus qui
dem tuus mirabiliter tranfiret, illi autem
nouam mortem inuenirent.

Ad quā extremam & maximā persecutionem Aeg
ptios incitando ducebat. Iustum quidem dei iudicium,
et iuxta naturæ ordinē et instinctū accerrimus inimi
crescens dolor amissorum primogenitorū, quem sine de
gratia qua carebant, euincere non ualebant, et ideo de
sunt in reprobū sensum, et carnis furores, ut omnīū per
pessorum malorū memoriam amitterent, et præordina
illis uindictā submersionis incurrerent, numiū exceca
ut quod pro tot criminibus meriti fuerāt uindictæ resti
tis impleretur. Et populus quidē tuus peculiaris pro
ritate comprobanda promißionū tuarum, transiret mi
biliter per uiā desiccati maris, aquis utrinq; stātibus pe
muro ad ipsorū custodiam, illi uero indurati ad suam
nciem Aegyptij, nouā inuenirent mortē, ad unū omnes
submersi in mari, in quod se mira & noua temeritate in
gesserāt absq; timore, urgente eos horrendo iudicio di
næ iustitiæ in gentē improbā tantopere indurātā, cui
uidictæ nulla prius admonitio uel similitudo præcessera

5 Omnis enim cratura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseruiens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.

Quanquam uero nouum id esset genus uindictæ diuinæ, nõ tamen noua erat obedientia rerum naturalium ad suum conditorem. Non enim tunc incipiebat creatura suo obedire per omnia opifici, sed iam antea semper ad uotũ illi fuerat obsecutura, temporibus Noë et Loth: agnoscit enim generationis suæ initium omnium creatorem, & mutatur à sua natura ad domini uoluntatem, ut nullam sibi putet actionem naturalem esse, quàm eam, quam conditor exigat & imponat. Naturale erat aquis diluuij superare montes, & ignibus descendere in Sodomam, sic domino ordinante, à quo pendet omnis cratura in esse et operari suo. Id autem nunc fiebat, ut filij Israel peculiaris tuus populus, transirent liberati & salui, impij autem Aegyptij tandem à crudelibus ipsorum uotis coercerentur in perpetuum.

6 Nam nubes castra illorum obumbrat, & ex aqua quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro uia sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quem omnis natio transiuit quæ tegebatur tua manu, uidentes tua mirabilia & monstra.

Accedebat iam liberatis Israelitis aliud ingens dei beneficium, quo nube lucida & diurna obumbrarentur omnia castra filiorũ Israel, per quadraginta annos, omni tempore contra solis in illis terris continuum ardorem. Præcipue autem id fiebat ea tempestate, quando Aegyptij eos ad interitum persequerentur, obumbrabat illis nubes dei, & columna ipsa ministerio angeli sese attollens, quæ præcesserat castra uiam ostendens. Iubente domino transtulit se ut abiret post Israelitas, media inter Agyptios & Hebræos, ut ad se inuicem toto noctis tempore accedere non ualerent, ut aqua quæ ante illos erat fundum maris rubri permitteret transituris, siccato itinere, aridam se ostendendo per miraculum. Et in mari rubro uia illis sine impedimento pateret. Non secus ac si campus germinans & floridus, amœnissimam administraret uiam, cum gaudio transituris, & à tua bonitate & potentia defensatis, non aliter quàm pulli sub gallinæ alis: unde & stupendo hoc miraculo admonuti de improuiso, clarissima miracula tua cum multa gratiarũ actione celebrauerunt, & hymno glorioſissimo sunt prosecuti.

7 Tanquam enim equi depauerunt escam, & tanquam agni exultauerũt magnificantes te domine, qui liberasti illos.

De diuitijs & rapina hostium crudelissimorum Aegyptiorum, Israelitæ annonam receperunt ditati & refecti. Et tanquam agni in amœnissimis pascuis, sic illi in uasta solitudine dei beneficia susceperunt ad omnẽ abundantiam, Aegyptijs proiectis mortuis ad littus, quos armis & rebus alijs pretiosis nudauerunt, non sine gratiarum actione domino decantata dignissime, eius scilicet potentiam & bonitatem celebrantes, cuius nomen benedicendum propterea esset in omnia sæcula sæculorum.

8 Memores enim erant adhuc eorum quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium produxit terra muscas, & pro piscibus eructauit fluuius multitudinem ranarum.

Post egressum enim Israelitarũ salutem & iucundum ex mari rubro, memores statim facti sunt nouo tanto beneficio, eorum mirabilium operum dei, quæ pro eis facta fuerant contra Aegyptios, dum adhuc incolatu Aegyptiaco premerentur, quomodo scilicet inter multa alia etiã hoc uiderunt, ut terra produxerit muscas, pernicioſissimum fœtum, cum potius fructus homini necessarios & prouentus utiles progenerare debuisset, & pro piscibus salutiferis ex aquis Nili immensa prodierit ranarum soboles, ut patet huius dicti expositio Exodi 18. cap.

9 Nouissime autem uiderũt nouam creaturam auium, cum abducti concupiscentia postulauerunt escas epulationis.

Post eximia omnipotentiæ diuinæ miracula, in terra mari & fluminibus, etiã commemorat auiũ in aëre stupendã multitudinẽ creatam in gratiã fidelium, & dei gloriam, et ad fidem electorum corroborandam. Nouissime, inquit, in ipso iam deserto murmurantibus & ingratis, oblatũ est Israelitis beneficium auiũ, Coturnicum scilicet multitudinem immensam, ut dictum quoq; est supra, eadẽ enim in hoc libro rethorum more per amplificationem sæpius repetuntur. Id uero licet iratus dederit, signũ tamen erat tam omnipotentiæ quàm indulgentiæ in suum populum, ut mundus cerneret quanta à domino sancti sperare possent, & grati, si præstitit tanta tam ingratis. Coturnicũ miraculum

10 In allocutione enim desiderij ascendit illis de mari ortygometra, & uexationes peccatoribus superuenerũt, non sine illis quæ ante facta erant argumẽtis per uim fulminum: iuste enim patiebantur secundũ suas nequitias.

Explicat hoc coturnicum miraculum latius, quod in Numeris legitur. In allocutione enim desiderij, hoc est cum ex impatienti desiderio murmurarent, & peterent escas animalibus suis, & manna cœleste nauseabant, à Mose carnes postulabãt, domini potentiã & clementiam improbe tentantes. Et statim iussu diuino ascendit maxima coturnicũ multitudo, cũ duce aduenies castris. Hoc aũt beneficiũ ad ipsorum contigit tentationẽ, ut uexati emendarentur flagellis, qui suauitatẽ dei in donis agnoscere noluerant. Poterant ut debuerũt iam dudum agnouisse dei circa se gratiam, qui hostes suos Aegyptios, à persecutionibus eorum multis prodigijs toties absterruerat, & portenta magnifica ædiderat, ad Aegyptiorũ calamitatem, & Israelitarũ solatium, qualia fuerant inter alia, fluminũ uersiones in ranas et sanguinem. Vel si fulmina legas, multa iam Aegyptios passos constat ex fulgure & choruscationibus, ex grandine et ignibus. Omnia enim patiebantur Aegyptij iuste pro suis nequitijs.

11 Etenim detestabiliorẽ inhospitalitatem instituerunt: alij quidem ignotos non recipiebant aduenas, alij autem bonos ho-

ſpites in ſeruitutem redigebant.

Inter multa & grauia crimina Aegyptiorũ hoc erat non minimum, quod hoſpitalitatis iura crudeliter infringebant, male tractabant hoſpites, et alienigenas quoſq; quaſi ſoli indigenæ, omnium reliquorum populorũ ope minime indigerẽt. Fuit enim ab antiquo Aegyptus publicum horreum orbis. Maxime aũt abominabantur Iſraelitas, unius dei cultores, cum ipſi idola multa colerent, quos & ſecundũ tempus ſibi iam ſubiecerant in ſeruos, & crudeliſſime iam diu tractauerant, contra omne ius gentium & humanitatem, in tantum, ut uitæ & necis ſe dominos crudeles exhiberent, à quorum patribus in ultima neceſſitate conſtituti, mortis periculum euaſerunt.

Aegyptus horreum orbis olim.

12 Et non ſolum hæc, ſed & alius quidem reſpectus illorum erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos.

13 Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eiſdem uiſi erant inſtitutis, ſæuiſſimis afflixerunt doloribus.

Grauatim quidẽ hoſpites ſuſcipiebant Aegyptij, quos nouerant, ignotos uero minime dignabantur colonia ſua. Et id forſan tolerabilius, crudeliſſimũ uero hoc erat, qd̃ nõ indigno reſpectu beneficiorũ olim ſuſceptos filios Iacob & fratres Ioſeph, qui ſapientia ſua illos ſeruauerãt, & animaliũ cultura terram Aegypti illuſtrauerant maxime, hos inuite tandem ferebant, et quos cũ lætitia olim hoſpites ſuſceperant, à quibus, ut dictum eſt, bona non ſpernenda didicerant et acceperant, hos tandẽ poſt mortem Ioſeph et fratrum, ſæuiſſimis afflixerunt doloribus, perducentes Hebræorũ uitam ad amaritudinẽ magnam.

Inhoſpitalitas.

14 Percuſſi ſunt aũt cæcitate: ſicut illi in foribus iuſti cũ ſubitaneis cooperti eſſent tenebris, unuſquiſq; tranſitũ oſtij ſui quęrebat.

Merito ergo Aegyptij quoq; percuſſi ſunt cæcitate, propter crudelitatem & nimiam inhumanitatem in hoſpites, nõ minus quàm olim Sodomitæ percuſſi ſunt quadam cæcitatis horrenda ſpecie, quia ſuſceptis hoſpitibus abuti uolebant, & inhumaniter tractare innoxios hoſpites, id quod nũc etiam Aegyptij committebant in Iſrael. Vt autem percuſſi tunc ſunt Sodomitæ peſtilentiſſimum hominum genus, ob multa facinora, quæ committebant, in primis uero in hoſpites: ſic Aegyptij tot peſtibus conſumpti ſunt à domino, poſtquam tenebrarum ſtupor, & infernale triduum illos emendare non potuit.

15 In ſe enim elementa dum conuertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiũt: unde æſtimari ex ipſo uiſu certo poteſt.

Hæc uero portenta tam grandia & admiranda, facilia deo ſunt & naturalia, cuius potentia infinita elementa conuertũtur in ſe mutuo, ad nutũ omnipotentis creatoris omniũ, nõ minus quàm per muſicum inſtrumentũ, ſonus mutatur ad libidinem muſici, ut ſonus nunc quidẽ intenſior, nunc uero ædatur remiſſior, pro uario tactu chordarũ, interim tamen omnes ſonũ in unam ſuauiorem cõſonantiam rediguntur, & omnia ſuũ ſonum cuſtodiũt proprium, ſed cum ſuaui quodã contemperamento dul-

Muſica ſancta.

ciſſimæ melodiæ: ſic omnia in mundo elementa ad creatoris imperium concordant, bene ſonant, & bona ſunt, quia in ſanctum finem à diuina bonitate inſtitutum ordinantur, quem nulla creata potentia poſſit impedire, ſed adiuuare coguntur omnia, etiam ſatan, & illius miniſtri, bonum electorum, et ſacroſanctam domini uoluntatem, nullo modo unquam poterit impedire, quin eiſdem medijs quibus obſtat, eiſipſis promouet, & abſoluat opus domini uel inuitus. Hæc uero utcunq; mirabilia ſenſibus tamen humanis capiuntur, ſic fieri, et deo multiſmodi rerũ eſſe impoſsibile in cuius manu ſunt omnia.

16 Agreſtia enim in aquatica cõuertebantur: & quæcunq; erãt natantia, in terra tranſibãt.

Facile ergo domino erat, homines tranſire per aquam maris rubri, qui locus cõditus erat, nõ hominibus ſed ſpecibus, ut hac ratione terreſtria animalia uideri potuerunt conuerſa eſſe in aquatica. Non minori facilitate, ſi deo placuiſſet, piſces uiuere potuiſſent in terra, ſicut & aquæ domino præcipiente aues in immenſa copia produxerunt & ranæ in aquis productæ, fluuios exeuntes ſiccam terram, ad domos Aegyptiorum penetrauerunt. Hebræi uero pecorũ ſuorũ greges, per rubri maris profunda ſecum ducere non timuerunt, domino ſic iubente.

17 Ignis in aqua ualebat ſupra ſuã uirtutẽ: et aqua extinguẽtis naturę obliuiſcebatur.

Ignis quoq; nõ excipitur à dñi arbitrio, quo minus eo quæ uelit poſſit. Satis hoc conſpicuum fuit ex hiſtoria narata, Exodi nono, quando ignis et grando, nec ex aqua pariter cõtra Aegyptios armata deſcendebãt è cœlo. Et aqua quoq; naturã ſuã extinguẽdi ignem pro tanto dei mandante ſuſpendit, et quodammodo abnegauit. Sic omnia elementa ſunt in domini arbitrio, ut ad illius nutũ quæ ſcant ab opere, uel agant pro natura, quam ſic illis generauit deus, ut dum uelit mutare, illi non ſit difficile.

18 Flammæ econtrario corruptibiliũ animalium non uexauerunt carnes coambulantium, nec diſſoluebant illam quæ facile diſſoluebatur, ſicut glacies bonam eſcam.

Corpora Hebræorum non ſunt abſumpta à flammis ignitum ſerpentium et draconum flammas ſpirantiũ, nec etiam iumenta per deſerta ambulantium, domino cõſeruante. Sed nec reliqua animalia carnuora permiſſa ſunt nocere hominibus, tanto tempore in deſertis, nec morſibus uorare ceu bonam eſcam permiſſa ſunt pecora Iſraelitarum. Et glacies quoq; optimam illam eſcam de cœlo allatam manna, non aliter reſoluere potuit, niſi pro uoluntate domini, ſi inobedientiæ impiorum crimen abunquando digne uindicare ſtatuiſſet dominus. Sic omnia quæ ſunt in mundo, in plena ac perfecta obedientia conſtituuntur omnium conditoris, ut pro nutu ſuo, de quolibet faciat quodlibet, ut timeatur à malis, diligatur à bonis, illius uerba obſeruentur, & prohibita uitentur.

19 In omnibus enim magnificaſti populũ tuum dñe, & honoraſti, & nõ deſpexiſti in omni tempore, & in omni loco aſſiſtẽs eis.

Concludit author librum in prædicatione bonitatis diuinæ ad felices ſuos filios Iſrael, in ſpiritu & ueritate credentes,

credentes & obedientes domino deo soli bono et omnipotenti. Populum, inquit, hunc tuum credentiũ tibi & uere colentiũ magnificasti, hoc est multis & magnis beneficijs spiritualibus et corporalibus eminentẽ fecisti præ cæteris gentibus, quam diu fuit uel fuerit populus tuus. Honorasti quoq; data lege tua, missis prophetis, & patratis pro eorundem salute maximis miraculis. Et licet sæpe multumq; peccauerint in legem tuam, nullo tamen tempore sic despexisti, ut repuleris prorsus, sed in uirga correctionis eruditi sti, donec omnino fuerunt corrigibiles, & creduli uerbis prophetarũ, donec promissa patribus benedictio, Messias dominus aduenret, & regnũ caperet orbis super electos omnes, & filios fidei congregaret in unum regnum dei, sub quo in omni loco, toto in mundo, uiuunt pacifice fideles tui, & perpetua gratia fruuntur in hoc sæculo, donec in futuro in cœlestibus, beato regno perfruantur & gloria sempiterna, Amen.

FINIS.

COMMENTARIVM IN LIBRVM ECCLESIASTICI.



ECCLESIASticus quidẽ hic liber dicitur p certitudine doctrinæ, quã utilissimã complectitur, proq; fidei certitudine et morum ecclesiasticorum perfectione, ut uigere utrunq; in fidelũ ecclesia debet, in doctrina & operibus, omnium uirtutum capax: est enim uera & sacra Christianorum ethica, longe certior & utilior quàm sit Aristotelis, & qualiacunq; uulgo iactata magna moralia. Obtinuit autem & apud ecclesiasticos homines hic liber ut Sapientiæ cognominetur, sicut & parabolarum liber Salomonis, cui in modo tradendi sapientiam admodum est affinis. Colliguntur enim memorabilia dicta sapientum, non satis exquisito & curioso ordine ubiq;, sed ut spiritus synceritas suppeditauit cogitatũ, ad ædificationem magis piorũ, quam exquisite numis curiosorum. Eius aũt author quis fuerit, non omnino certũ habetur. Phrasim habet Hebraicam uel Aramæam aut Syriacam, secundum temporis illius morem, qui fuit, ut post Esdræ tempora ferè oĩa Iudaica conscripta sint Syriaco idiomate, hoc est populari et ecclesiastico, ut ab omnibus generaliter fidelibus cũ iudicio legerentur. Deinde sub Græcorum dominio & regum Aegyptiorum studio, eadem cum Hebraicis relata sunt in Græcorũ linguã, quam doctiores nosse cœperant, donec consuetudo doctiorum cò peruasit, ut Græce tantũ scriberent uel Syriace, nihil aũt Hebraice. Primus ergo scriptor huius libri fuisse uidetur sicut et in fine libri annotatur, Iesus filius Syrach Hierosolymita, nepos aliquis Iesu filij Iosedech, aut pronepos. Siquidem inter Iesum filium Iosedech, et Simonem filium Oniæ summos sacerdotes, quem author ultimo celebrat, non pauci fuerunt summi sacerdotes, Ioachim scilicet, Elisaph, Iudas, Iohannas, & Onias. Interpretis autem nomen, qui hunc librum de Hebraico uel Syriaco transtulit in Græcum, nõ explicatur, neq; necessariũ fuit. Est enim clarior et certior ueritas huius doctrinæ, quàm ut ab authoritate hominis pendere debeat: utcũq; enim canonicus non sit apud Hebræos, Ecclesiasticus tamen est, & sanctis omnibus in usu semper fuit, ad docendum mores sanctos, ad ecclesiam instruendam ad omne opus bonum, & quasi pharetra promptuariumq; catholicorum dogmatum, locorumq; communium & certissimorum.

omina huius libri.

author & lus.

Authoritas huius libri.

CAPVT PRIMVM.

1 OMnis sapientia à domino deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum.

Sapientiæ laudes.

Magnifica semper fuit olim apud gentium philosophos, sapientiæ ueræ iactatio, & nondum cessat apud homines, qui ingenio pollent, & studio suo fidunt. Certe honorabilis est cognitio rerum naturalium & supercœlestium, scire scilicet omnium conditoris dei bonitatem, sapientiam, & potentiam, beneficia quoque creaturarum ad hominis microcosmi usum & obsequiũ, illius gratia ordinata & concessa. Sed ut ipsa certa habeatur ac utilis, necesse est omnem & consummatam per uerbum domini haberi, à domino deo solo postulari, per illius spiritum in spiritu humilitatis consequi ab electis & fidelibus, qui est fons omnis sapientiæ creatæ, & ipsamet sapientia increata, purissimus intellectus, minime otiosus, sed intra diuinitatem & ad propagata entia semper efficacissimus actus, & infinitus perfectione & actione. Dupliciter autem intelligitur sapientia diuina, improducta, ingenita, & essentialiter diuina, quam participant suo modo omnes creaturæ rationales, angeli & animæ hominum intellectuales. Alia est insuper producta ab æterno et genita, quæ alio nomine uerbum dicitur, quod in principio erat apud deum, & deus erat uerbum, per quod facta sunt omnia, quod & in dispensatione temporis factum est caro, & habitauit inter homines, cuius uidimus gloriam, quasi unigeniti à patre, plenũ gratia & ueritatis. Sapientia autem quam ab illa ingenita & genita sancti participant, ea est quam æmulari, petere, & consequi oportet à dño deo nostro: quæ & si aliunde nobis accidere uideatur, studio scilicet & auditione sapientum, ea tamen uera & salutifera nõ est, nisi à domino quoq; detur, et hauriatur ab infallibili uerbo dei. Sapientia autẽ dei, qnam à se habet, cum illo fuit semper, sicut & uerbũ fuit apud deum, et deus erat uerbum, est enim ipsissima sapientia deus ipse, ideo nunquã non sapientissimus. Etiã dum nondũ quicquã condidisset altissimus, omnipotens, et sapientissimus. Aeuũ aũt cum omniũ perpetuorũ et subsistentiũ inuariabiliter mensura sit, habentiũ quidẽ principiũ, sed fine carentiũ, ut sũt cœlestia et elemẽta, sicut æternitas mensura dicitur diuinitatis immensurabilis, et tempus mutabiliũ & caducorũ,

Sapientia ingenita & genita & participata

ideo recte sapientia dei, quæ deus est ante oĩa æuiterna fuisse dicitur, principio carens ac fine, ipsa superbenedicta diuinitas, et sapientia per essentiam, sese cõmunicans iuxta gradus creaturis intellectualibus conuenientes.

2 Arenam maris & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit?

Quantacunq; iactetur hominum sapientia & assequatur, nullius tamẽ momenti est respectu eius quæ deus omnia nouit, non tantum magna, sed minima quoq;, nihil est enim, quod sciri quomodocunq; possit, domino conditori, & omniũ conseruatori ignotum. Innumerabilis quidem est omnibus hominibus arena maris, sed nõ deo. Sic pluuiæ guttas nemo numerauit unquã, nec potest numerare, deus autem ignorare non potest omnes omnium pluuiarum guttas. Et dies sæculi nemo hominũ numerare posse creditur ab omnibus, etiam si iuxta scripturas à condito mundo annu, & ex consequenti dies, horæ, & minuta, cum fracturis suis numerari posse credatur. Hoc autem cõmunis hominũ opinio nõ probat, nec quispiam id se certo scire persuadebit uulgo, ad cuius loquendi modos se scriptura attemperat. Et insuper creationis mundi, & primi hominis tempus, nulla ratione naturali consequi potest, quæ iudicat mundum fuisse ab æterno. Sed si quis de talibus affirmare uelit, supernaturali scientia opus habet, & sola fide uerborũ dei, quæ ex illa diuina sapientia tanquam à fonte perenni defluit, et perseuerat defluere. Numerant quidẽ Iudæi ab Adam condito sexto die, in hunc usq; dominicæ incarnationis annum millesimum quingentesimum trigesimumquartum annos 5294. sed id ex scripturis etiam sacris probare non possunt, ut patet ex uariatione perpetua numerorũ, penes uniuersos authores. Et id non nobis curandum, qui scripturam dicimus ubiq; loqui assuetam uulgari modo loquendi, & prorsus populari. Quemadmodum & intelligenda sunt cætera, quæ nunc sequuntur in litera.

Locutio uulgaris.

Annus mundi.

3 Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est?

Habent quidem certitudinem mathematicam circuli ad suos diametros, & altitudo solis ac lunæ ex obseruationibus ecclipsium nota esse dicuntur, & intelliguntur ab eruditis, sed uulgo hominum neutiquam satisfit, quantũsuis eruditis illis demonstrationibus. Et spiritus sanctus scripturæ sacræ author, ad supercilium huiusmodi ingenuorum non attendit, sed loquitur ad capacitatem simplicium, quorum fidem & mores ædificare uult, non curiosam eruditionem, & uanam fouere iactantiam. Ideo loquitur secundum quod res est, altitudinem cœli nulli compertam esse homini. Latitudo quoq; terræ, & orbis totius globi terrestris cum oceano, ex solis & poli obseruatione ab eruditis percipi demonstratiue potest, secundum magnitudinem graduum eorum, quorum 360 circulum conficiunt, ad passus humanos eos calculando, unde ambitus totius globi colligitur, & subinde semidiametri longitudo & quantitas, quæ abyssi profunditas dici potest, & certo sciri ab eruditis. Sed talibus non loquitur spiritus scripturæ, sed ut dictum est fidelibus, electis, pijs, & simplicibus, uulgo hominum, deo seruire & placere contendentium. Hi acceptam referunt deo omnem sapientiam suam, gaudent suam prudentiã excedi sapientia dei, magisq; uolunt admirando dei sapientiam uenerari, quàm de humana eruditione etiã uera superare, & incerta pro certis iactare, uel præ alijs apparere. Non ut huiusmodi sint omnino spernenda, sed ueritati eloquiorum dei minime præponenda.

Eruditio sæcularis & scripturæ sacræ.

4 Sapientiam dei præcedentem oĩa, quis inuestigauit?

Corporalium ergo & temporaliũ rerum perfectam & certam notitiã, homines cum assequi nequeant, multo minus diuinam, æternam, & incomprehensibilem sapientiam dei, & rationẽ operum diuinorũ quispiam studio et ingenio consequi poterit. Hæc est enim sapientia, quæ omnia sic præcedit, ut omnem post se eruditionem humanam infinitis passibus relinquat, & à nullo creato intellectu perquisitari possit. Si enim difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore, quæ in cœlis sunt, quis inuestigabit? ut expediat magis exclamare: ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, &c. Et illud: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est et non potero ad eam.

5 Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo.

Vt solet scriptura uulgo studiosis fidelibus loqui, simpliciter quoq; & uulgo notis utitur loquendi modis & uocabulis, ideoq; securius hic creari sapientiam ante omnia creatam esse, intelligitur præcessisse quæ suum esse omnes creaturas corporeas & spirituales, sit simplex sententia, Sapientiam dei præcessisse omnia creata, nec acquisita ex rebus quibuscunq;, ut humana sapientia cõmuniter habetur, sed esse causam principalem omnium creatorũ. Sic et ab æuo, hoc est ante omnia cœlos et angelos, ante mundi cõstitutionẽ, subsistit perfecta et infinita diuina sapientia, prouidentia omniũ possibilium rerum, intellectus et cognitio clara, cui nihil perfectionis addi contigit, ex productionibus qualibuscunq; rerum postea productarũ. Si quis uero hanc sententiam de sapientia increata, sed genita à patre, uelit intelligi, facile exponet, uerbum patris & sapientiam, æterna generatione productam intelligi, ante omnem creaturam, priorem etiam spiritu sancto, non duratione uel natura, sed quæ dicatur originis, secundum nostrum modum intelligendi, quo sapientiæ et uerbi emanatio præcedit præintelligitur productioni amoris: ut huius sapientiæ creatio aliud non sit, quàm æterna generatio.

6 Fons sapientiæ uerbum dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.

Simpliciter capi potest hic sensus. Vera sapientia non est, nec hauritur ab aliquo uel aliunde, quàm ex uerbo dei ex canonicis scripturis, spiritu sancto desuper reuelante conscriptis. Proinde si quis sapiens esse cupiat, de cœlesti hac schola, ex uerbo dei reuelato patriarchis, prophetis, & à Christo Apostolis, discat eam, ne erret. hoc uero assequetur oratione prætia, & inuocatione spiritus sancti, humilíq; & studiosa lectione. Illic enim mandata discuntur dei, æternæ iustitiæ & uirtutis, qui-

quibus fideles & electos suos dominus ingredi iußit, secundum ea uiuere, & per ipsorum regulam dirigi in actionibus, nequaquam ipsis præferre quæscũq; traditiones humanas. Præterea sapientia dei per incarnationis mysterium ingressa in hunc mundum, fons est omnis salutiferæ eruditionis, mandata quoq; dedit salutis æternæ, legem declarando perficiẽs uel perfectam ostendens, si in spiritu capiatur, ut eam Christus edocuit, & nouam interpretandi legem, post antiquatas Iudæorũ traditiones, modum formamq; ostendit, & modũ deniq; impletionis.

7 Radix sapientiæ, cui reuelata est? & astutias illius quis agnouit?

Sapientia rerum diuinarũ, & absoluta eruditio creaturarum, in suo fonte & radice nulli hominum reuelata est, nisi tantũ ei, cui sine mensura deus gratiam & sapientiam uniuersam concessit, Christo homini, à sapientia dei patris personaliter unito uel ipsius humanitate, ne à Scholasticis loquendi modis, ut alienus damner. Neq; enim patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare, unde & Philippus dicebat: Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis. Astutias sapientiæ intelligit circumspectionem in omnibus agendis, sine defectu & delicto, euadendi quoq; discrimina hostium in hoc mundo, dæmonis & carnis. Quamuis autem dei sit simplex & unica sapientia uel prudentia, pluratiuo tamen numero uersutiæ nominatur, ob effectum multiplicem et opera, quemadmodum una & indiuisa dei pietas, pluraliter, misericordiæ domini decantatur. Solius enim illius diuinæ sapientiæ potestas est, ex malis elicere bona, & quæ stultitia humana per malitiam deprauare cõsucuit, ea bonitas restituit sapientiæ diuinæ.

8 Disciplina sapientiæ cui reuelata est, & manifestata? & multiplicationẽ ingressus illius quis intellexit?

Modus inuestigandi sapientiam, quæ uere sapientia est, cui reuelatus est? Quasi dicatur, nulli hominum ex natura contingit perfecta sapientia, rerum scilicet diuinarum, & ad æternam salutem pertinentium: non enim habetur per inuestigationem studij humani, sed per gratiam dei, & per reuelationem, non sine fide, quæ donum dei est. Reuelata autem est & manifestata non ex meritis & uiribus humanis, ne quis de ea glorietur, sed per spiritum sanctũ inspirantem sanctos & electos, ne quid caro præsumat. Et quis hominũ intelligere poterit multitudinem modorũ, quibus deus suos illuminat ad sapientiam salutarem? quibus in mundum seminauit ueritatis notitiam, & dei agnitionem, tot scilicet reuelationibus, apparitionibus, exemplis, signis, prodigijs, et portentis, uerbis & scriptis. Huiusmodi enim modis dominus sapientiam homini iam in ignorantiam per inobedientiam lapso immisit, & totius creaturæ miraculũ homini proposuit, ad inuestigandum sapientiam & bonitatem dei iustitiamq;, quæ per fidem & cum humili reuerentia agnouisse, & de domino in bonitate sensisse uera est sapientia, sancti spiritus donum, nõ humana inquisitio sine fide, porrò solius dei opus est, perfecte omnia nouisse, & credentes docere ueraciter ad salutem.

9 Vnus est altissimus creator omniũ, omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius & dominans deus.

Sapientiã sibi gentes arrogant, deosq; multos docent colendos, & pro singulis causis singulos sibi tutelares deos fingendo constituunt. Cum uera sapientia doceat, unum tantum esse deum creatorem omnium, omnibus omnino creaturis suis cœlestibus & terrestribus præsidentem, qui sic altißimus est, ut nõ solum parem non habeat, sed omnibus in infinitũ perfectior sit & altior, quẽ cœli capere nõ possunt, omnia tamen implens atq; conseruans. Omnipotens cui non est impoßibile omne uerbum, sed nec difficile, qui unico uoluntatis nutu omnia perficit. Rex potens per antonomasiam, à quo est omnis potestas & imperium, rex regum, & dominus dominantium. Et ualde metuendus, ab impijs scilicet, et cum multa reuerentia colendus à pijs: habet enim potestatem corpus et animam perdere in gehennam. In cuius manus incidere horrendum est. Ille sanctificandus ab omnibus est, ipse credentium terror sit et pauor, ne eius indignatio incurratur. Sedet autem super thronum suum, summa authoritate præsidens cœlis, & toti mundo, & iudicans iustitiam. Dominus in cœlo sedes eius. Cui sedere aliud non est, quàm immutabiliter omnibus præsidere, cum summa tranquillitate, sine aliqua paßione, omnia simplicißime & iustißime moderari, iudicare, & disponere: hoc est deniq; eum dominum esse, ad illius nutum omnia obsequi, illumq; reuereri deuotißime à pijs, & ab impijs formidari, digne plecti & conculcari. Omnipotentem sedere.

10 Ipse creauit illam in spiritu sancto, & uidit, & dinumerauit, & mensus est.

Veræ & absolutæ sapientiæ author & traditor, inspirator & conditor deus est, qui per spiritũ sanctũ eam reuelauit patriarchis sanctis, & à prophetis conscribi fecit & inspirauit. Approbauit tanquam scientiam salutarem, conducibilem electis ad salutem, quod est eandem uidisse, canonicam decreuisse, & uniuerso orbi regulam credendi, sperandi, & operandi præbuisse. Enumerauit eam per particulas multas, in lege, prophetis hagiographis, in Euangelicis, & Apostolicis libris. Et eam adæquatum obiectũ constituit ueræ fidei, & salutiferæ eruditionis, ut inde nihil rescindatur, addatur nihil, præter eam nihil ponatur in regulam fidei. Et hæc cuncta credidisse, sit scientia fidelium perfecta & sufficiens, donec fidei in hoc mundo tentio ipsa in cœlestibus succedat. Fidei adæquatum obiectum.

11 Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnẽ secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se.

Sapientiam hanc solidam & ueram nulli genti inuidit uoluntatis diuinæ & canonicæ scripturæ summam & scopum qui stat in timore dei, & charitate proximi, conscientiamq; ueri & iusti etiam carne & sanguine reclamante effudit deus per spiritum suum super omnes homines. Sapientißimo quoque ordine disposuit ac moderatur omnia opera sua, ut nihil sit malum deo, & in suo ordine quem statuit conditor. Super omnem carnem

effundit bonitatem suam, & Sapientiæ suæ donũ, ut nulli adsit excusationis cuiuscunq; prætextus, uel ansa calumniandi ordinem prouidentiæ diuinæ nisi improbis et damnatis iudicio diuino. Eandem sapientiam & diuini ordinis rationem, uerbo dei proditam, & in canonem descriptam præbuit diligentibus se fidelibus, per organa sanctorum prophetarum & amicorum dei, in usum fidelium, qui per eandem sapientiam, uitam beatam sunt in gloriam dei assecuturi. Sapientiam quoq; suam relucere uoluit in cunctis creaturis, maxime super rationabilem, idq; secundum liberalitatis suæ donum, quo utantur ad suam salutem electi, quos prior dilexit.

12 Timor domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis.

Timor dei de quo hic sapiens loquitur, non est timor mali imminentis uel præsentis, non timor inferni uel temporalis damni: qui enim sic timent, non deum timent, sed malum, quia sese inordinate amant. Sed est uera religio & pietas hominis fidelis in deum, ut cupiat illi per omnia probari, non contrauenire uerbo uel facto, sed semper pendere ex dei prouidentia, uelle obsequi, illum colere & attendere semper ac in omnibus, quem timorem docet & suadet syncera & uera sapientia, quæ donum est spiritus sancti: qui si adsit, nihil præferet homo gloriæ diuinæ, cupiet fidelis filius nihil magis quàm patris sui honorem & gloriam, non suam ipsius, nõ quæret sua, sed dei sui, gloriationem nullam inquiret, nisi in domino deo suo, si illi probari possit per omnia. Sin minus, apud semetipsum confundetur. Lætitiam quoq; causat huiusmodi timor sanctus, de bonitate circa se dei, nõ in suis studijs, sed in gratia dei, quam agnoscit in se, quæ uera, sancta perennis, & beata lætitia est, non falsa, impura, caduca, et uana, qualem sectantur mundani. Corona quoque est exultationis, quæ illi sancto timori succedet, quando euacuabitur quicquid ex parte est, quando fidei species rependetur, spei uero rerum felicissimarum tuta tentio, & charitas perficietur, timor euacuabitur.

Timor dei uera religio

13 Timor domini delectabit cor, et dabit lætitiam & gaudiũ in longitudinem dierum.

Qui religiose dominum timet, is ab omni graui offensa solicite cauet, conscientiam suam pro omni uirili sua seruat immunem, si nõ ab omnibus uitijs, saltem à grauibus peccatis nemini insidiatur, prodesse omnibus cupit, meditatur in lege domini iugiter, & domino celebrat perpetuum sabbatum, iugeq; conuiuium, homines timere non cogitur, domino deo suo toto corde fidit, sub cuius alis se tutum credit & gaudet, aduersa ingruentia non ignorat deo propitio adesse, & in bonum cooperari fideli. Et quæ maior cordis delectatio æstimari poterit, uel haberi ab homine? Hæc autem lætitia, hoc gaudiũ mundi cordis in domino non finitur, sed in præsenti felicem reddit, & gaudijs cœlestibus repræsentat ac inserit.

Innocentia religiosorũ.

14 Timenti dominũ bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.

Qui sic timet dominum non timet satanam, non mundum, non infernum, expectat gaudium suum perfici. Iudicium domini sic quidem timet, ut nolit incurrere, nolit amicum deum offendere, sed pro arra felicitatis, quam per Christum, qui est illius iustitia, sanctificatio, & redemptio, iudicium dei impijs horrendum non formidet, non quidem de iustitia propria quicquam præsumens, sed de dei bonitate & salute per Christum nõ dubitans. Ideoq; mortis articulũ non abhorret, sed intelligit id esse quod pijs optimum, uitæ felicis introitum. Nedum domino deo suo gratus hic erit, sed et hominibus in hoc seculo amicus & beneficus, ideoq; sui desiderium uiuentibus post se relinquet, à pijs laudabiliter, et uirtutis exemplum uiuax testabitur cunctis, in ore hominum honorum benedicetur, quibus & laudi cedet, si quis impius illius famam & mores audebit proscindere. Etiam si mors uiolenta absumptus decesserit, nihil incommodi patietur, nec in anima nec fama, benedictio erit posteritati, & inter benedictos benedicetur in cœlestibus, & gloriam sempiternæ præmijs perfruetur.

Sanctorum mors felix.

15 Dilectio dei, honorabilis sapientia.

Hic uersiculus non eundem ordinem habet in exemplaribus, nec id uel mirum uel incommodum: est enim, ut uidetur, totus liber hic congeries sententiarum selectarum, quarum non ubiq; sit certa ratio consequentiæ. Clara sententia est, ueram sapientiam non esse, nec laudabilem dignam coram domino & sanctis eius, si quantumcunq; sacrarum rerum scientia & insignis alioqui eruditio sit sine timore dei, quam hic nominat dilectionem dei. Potest enim multũ diligere, & obscurius sacra intelligere, quàm scientiam inflantem possidere. Hæc ergo tandem honorem sapientia habebit, quæ pietatem sociam habet & fidei syncritatem cum innocentia uitæ.

16 Quibus aũt apparuerit in uisu, diligunt eam in uisione, et in agnitione magnalium suorum.

Si quis sapientiam rerum diuinarum per reuelationem, uel uerborum dei meditationem fuerit assecutus, quod per uisionem, id est contemplationem intelligitur: is sine dubio eam ex animo diliget, sancta meditatione fruetur & proficiet, cum gaudio spiritus, & ea iucunditate per unctionem spiritus, ut magnalia dei perfecte & clare intelligat, quæ in cortice literæ uetustioris obscurius adumbrantur. Nisi enim introspicit studiosus, & sapientiam ueram eruere annitatur, ecce sibi magnalia uidebuntur, quæcunq; historia exequitur, sed magis scandalum incidet sensus carnis, si rationem fidei & ruminationem sacram obmiserit, uulgaria enim putabit, & spiritu humano nõ tantum scripta sed etiam peracta à sanctis.

17 Initium sapientiæ, timor domini, & cum fidelibus in uulua concreatus est, & cum electis fœminis graditur, & cum iustis & fidelibus agnoscetur.

Timere dominum ne offendatur, est ipsum apprehendere, & intelligere summum suum bonum, & ambire plurimi fauorem quàm quomodocunque irritare, ideoq; timere dominum incipit, quicquid iniustum domino displicere credit. Inde sapientia uera initiatur, ut bonum iudicetur quod bonum est, & malum quod domino non probatur.

Si quis

re sapiēs

Si quis igitur uere sapiens esse desiderat, si utiliter et sancte eruditus, is deum præ oculis habeat, illi obedire desideret, & fauorem ambiat eius, qui suo spiritu implet ad omnem scientiam salutarem. Vanam autem scientiā non magnifacit, qui solum deum cognouisse & amasse beatitudinem ducit. Qui uero deum non ueretur, is sapientiā uanam sectabitur et euanescet: ridiculo illi erit quicquid sacrosanctum audierit, mūdum autem totū cum sua malitia in qua positus est uanus admirabitur. Quo inescatus ueneno, nihil salutare & sacrum capiet, gustu spiritus corruptus. Timor autem dei sanctus fidelibus & electis diuina prouidentia donoq; eius contingit & electio ne ante partum, & in fidelium fœminarum uteris spiritu donante concipitur, proficit & nutritur, promouetq; in naturam, unde gaudeant bene nati, ut tandem cum natura crescente, crescat & fructus probitatis, floreat & matureſcat, unde perspicue dei gratia & sacræ eruditionis usus, & matrum fidelis educatio, in gloriam dei & fidelis animæ profectum proficiat & laudetur.

18 **Timor domini, scientiæ religiositas.**

Scientia nulla religiosa & uere pia ac salutaris deo grata & ecclesiæ utilis deprehendetur, nisi ea quæ coniunctum sibi habet timorem domini: sine qua non solum nihil prodest eruditio uel eloquentia, quin magis gladius in manu furiosi damnis seruiet, & duplo faciet filios gehennæ, plura bene docentes & uitæ prauitate contrariū sanæ doctrinæ persuadentes. Curandum igitur ut balsamum sapientiæ corde seruetur religioso.

19 **Religiositas custodiet, & iustificabit cor, iucunditatem atq; gaudium dabit.**

Religio uera aliud non est quàm deo adhærere fide syncera & charitate, quam sequitur deuota obedientia, & solicitudo assidua complacendi deo, unde consequitur neglectus omnium uanitatum huius mundi. Huiusmodi religionem apostolus Iacobus commendat, exercitium operum pietatis, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Hanc qui assequitur, custodiet conscientiam suam, & cor suum uiuax reddit ad omne opus bonum, per fidem gratia dei formatam & iustificantem, hoc est, domino probantem animam credentem, & deo deuotam & religiosam. Vnde uera procedit iucunditas, dum de bene uolentia dei ad fidelem nihil dubitatur, dum conscientia criminis non solicitat uel anxium reddit, sed gaudium de bonitate circa se dei in præsenti inchoat uita, & in sæcula sæculorum perennatur.

20 **Timenti dominum bene erit, & in diebus consummationis illius benedicetur.**

Qui semper deū ueretur & habet præ oculis, fideq; & fiducia inhæret illi, semper ei bene erit, omnia quæ in hoc mundo accidūt aduersa uel prospera tali uertuntur ad commodum & profectum, omnia cooperantur in bonum. Succedit mortalitati perpetua felixq; immortalitas, & regnum cœleste, & summi boni possessio, ubi omnium bonorum habetur perfecta copia. Et ut dictum est prius, in fine præsentis exilij dum fuerit moriendum, & hinc abeundum, spiritus diuini consolatione reficietur, migrabit ad sortem meliorem, inseretur consortio beatarum animarū, & mortaliū inuidiā deinde nullā feret, sed sanctitatis quoq; opinionem & famā post se relinquet.

21 **Plenitudo sapientiæ est, timere deum, & plenitudo à fructibus illius.**

Sapientia non tantū uera, sed & perfecta & deo grata est, colere deum filiali affectu, ipsum reuereri, omnia bona sibi de dei benignitate polliceri. Sed hæc sapientia non intellectu tantum uiget uel multiloquio etiam eruditio cognoscitur, & sese comprobat ac cōmendat deo uel hominibus, sed & fructibus pietatis & fidei agnoscitur, si sapor adsit deuotionis & amoris: unde & sapientia dicitur, non nuda rerum diuinarum notitia, sed amor & desiderium æternorum & uerorum bonorum. Grata deo sapientia.

22 **Omnē domum illius implebit à generationibus, & receptacula à thesauris illius.**

Domum sapientiæ uel sapientis repleri à generationibus, est fructibus, meritis & spiritualibus donis frui fideles & sapiētes in domo, & ubiq; locorum: fructus enim, id est, generationes sapientiæ sunt fructus salutis, gratiæ, consolationis & beatitudinis. Receptacula quoq; sapientiæ, hoc est, homines sancti & corda fidelium, thesauris cœlestibus & preciosissimis reliquarum uirtutum omnium & sancti spiritus donis implebuntur. Vult dicere: Sapientia uera proficit ad omnia, beatum constituit & deo gratum. Vt enim diuitiarum fructus est honor, gloria, libido, fastus & luxus: sic sapientiæ ueræ fructus sunt dona uniuersa spiritus, gaudium, pax, longanimitas, charitas, patientia, &c. Domus sapientiæ.

23 **Corona sapiētiæ, timor domini, replēs pacem, & salutis fructum: & uidit, & dinumerauit eam: utraq; autem sunt dona dei.**

Timor domini sanctorum omnium ornamentum est & corona. Non aliter quàm sapientia quoq; hominem reddit spectabilem & ornatum. Quin & sapientia sine dei timore nihil prodest. Eadem quoq; pietas, quæ timor est domini & uera sapientia, pacem affert homini abundantissimam & felicem, dum non habet locum compugnantia uitiorum, & certamen cogitationum improbarum: affert quoq; perpetuæ salutis fructum & beatitudinem. Nullus enim uel quietus uel felix in conscientia est, nisi qui in deo sapiens, & filiali deuotione deum syncere timens. Huiusmodi sapientem & religiose timentem, deus uidet & approbat, dinumerat, hoc est, digne compensat ac remunerat, nempe propria sua dona in sanctis coronat, & præmijs dignatur. Corona sapientiæ.

24 **Scientiā, & intellectū prudētiæ sapientia compartietur: & gloriā tenentiū se exaltat.**

Qui ueram sapientiam est assecutus ex uerbo dei, et deum in omnibus tenet præ oculis, illi rerum naturalium & moralium intelligentia non solum sufficienter, sed etiam abundanter impartietur à deo, doctrina necessaria minime indigebit. Satis doctus est, qui deum suum digne colere nouit. Et qui huiusmodi sapientiam fuerit magnopere assequutus, qui pro ea obtinenda fortiter insteterit, hunc illa ad gloriam ueram & nunquam deficiendam prouehet, & felicissimum reddet.

25 **Radix sapientiæ est, timere dominum:**

& rami illius longæui.

Arbor sapientiæ.

Vt radix arborem nutrit, auget, conseruat & uiuificat, fructumq; profert: sic timor dei initiũ est sapientiæ, sic hominem in omne studium sacrũ et pietatis inducit, abundare facit ad omne opus bonum, ostendit uita spirituali à deo donatum, & fructus multifarios bonorũ operum producit ad dei gloriam, & ad hominis perpetuam salutem, dum in hac uita quietum, utilem, beneficum hominibus & deo gratum reddit. Hæc uera sapientia, uera pietas, religio & sanctitas, quæ est filialis timor, quæ de felicitate æterna securum reddit, & tandem gloriosum facit in regno cœlorum. Hoc est arboris illius ramos longæuos, & perpetuo fructuosos esse ex radice charitatis.

26 In thesauris sapientiæ intellectus, & scientiæ religiositas: execratio autem peccatoribus sapientia.

Thesaurus sapientiæ.

Si quis sapientiæ ueræ, quæ timor est dei, thesaurum à domino per spiritum sanctum fuerit consequutus, ut nihil se scire putet quàm deum digne pro uirili sua et gratia colere, is rerum utilium & necessariarum intellectũ tenebit per spiritum sanctum, & scientiam assequitur eam quæ ad religionem & pietatem ueram necessaria est, unctione diuina spiritus in agendis & obmittendis perfundetur, & uere religiosus habebitur domino. Hæc autem sapientia, is dei timor est & cultus, unde proficiscitur studium pietatis, uehementer inuisa est, & prorsus execrabilis peccatoribus, qui sine fide in deum, & timore offensionis diuinæ tantum suæ libidini uacant, carnalia tantum & impura meditantur & cupiunt, horrent ab omni eo quod resipit pietatem, disciplinam spiritus & sanctimoniam ueram.

27 Timor domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari: iracundia enim animositatis illius, subuersio illius est.

Sapientia peccatum expellit.

Qui deum suum patrem meditatur & diligit, is ab omni ipsius offensa sese obseruat, & horret quicquid ad uersarium credit uoluntati & uerbo illius. Iustitiam autem sectatur affectu, oratione & opere, quam & postulat à deo, ut ad mortem non peccet, & quæ per fragilitatem committit, statim intelligit, dolet, emendare cupit, et expellere tota uirili improbos cogitatus. Qui uero corpori tantum uiuit, qui deum non reueretur, cui pro mimo est ut uerbum domini derelinquat, is quia sine fide est iustificari non poterit: odit enim leges diuinas, abominatur beneplacitum dei, contrarium carni suæ & sanguini, cuperet deum & iustitiam non esse, iudicijs diuinis irascitur ex toto pectore, nõ dignatur audire de domini uoluntate, toto animo pietati resistit, subuersus est mente & spiritu, ut ex aduerso incedat sacrosanctæ uoluntati diuinæ per omnia, ad iracundiam atq; superbiam pronus est, repugnat autem deo & proximis.

28 Vsq; in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis.

Patiens est sapientia.

Patiẽtiæ & longanimitatis uirtutem, quæ fructus est & actus ueræ sapientiæ, à timore dei & fide proficiscẽs assecutus qui fuerit, is iniurias illatas æquanimiter feret, & à uirtutis culmine uel fundamento non facile amouebitur, sed domini dei ueritatẽ & iudiciũ expectabit cum fiducia, tandem uero mercedẽ constantiæ suæ pro tot aduersis accipiet, iucunditatẽ quidem animæ & sanæ conscientiæ in hac uita, intelligens exercitium esse uirtutum, & immerito sibi talia irrogari aduersa, quæ dominus suo tempore in cœlis perfecta beatitudine sit recompensaturus cum gloria. Taliter enim patientibus Christus promittit gaudiũ. Quoniã, inquit, merces uestra copiosa est in cœlis. Et: Patientia pauperum non peribit in finem.

29 Bonus sensus usq; in tempus abscondet uerba illius, & labia multorum enarrabunt sensum illius.

Ingeniũ probum, honestũ & tractabile, non uanum uel futile, non præcipitanter, temere uel arroganter loquitur, sed in tempore, cum discretione & ad fructũ, de rebus utilibus, sanctis & ad gloriam dei spectantibus, tuus autem statim indicat iram suam. Labia enim sapientum custodiunt eos. Cæteri uero discretionem & sapientiam eius audientes appretientur, & ut prudentem diuturno silentio & sensata locutione laudabunt, sanam doctrinam eius amplectentur. Sapientis hominis est habita tenere & non effluere, omnia modeste peragere.

30 In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ: execratio aũt peccatori, cultura deo.

Disciplina morum, quæ constat in humilitate mentis & corporis, in modestia uultus & uerborũ, in mansuete & uerecundia, hæc significant in homine latere thesaurum sapientiæ & uirtutis. Qui uero deditus est crapulis & libidini, mundo deditus, qui positus est in malitia, & carni suæ indulgentior & fomiti, is omnia contrarius amplectitur & diligentius sectatur quàm colere deum fide & charitate, aut pro dei amore quicquã negligere uel perpeti, quod infidelis non potest: quin magis quicquid religionẽ resipit & iustitiã, id execratur et abhorret.

31 Fili concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & deus præbebit illam tibi.

Sapientiam ergo ueram, de qua tanta iam dicta sunt, si quis desiderat & uelit, necesse est iustitiam fideique quatur, & illam petat à dño. Sine fide enim in dei bonitatem, & uerba sacræ literaturæ, nemo uere fit sapiens, quam tamen uotis ardentibus & oratione petens, humiliter & assidue, non poterit non ad sufficientiã assequi, dño misericorditer largiente. Potest & iustitia diligi de dignis moribus, & exercitio operũ quæ deus precipit, & quæ decent iustũ uirũ. Quam si quis exercitatior erit ad sapientiæ ueræ infusionem et exercitium aptior erit.

32 Sapientia enim & disciplina timor domini, & quod beneplacitum est illi, fides & mansuetudo, & adimplebit thesauros illius.

Scire uoluntatẽ domini ex uerbis dei, aut instituere certa, ac conformi canonicæ doctrinæ, et insuper inuigilare mores ad legem dei, & concupiscentias fomitis cum diligentia coercere, timorem dei sanctũ ostendunt & custodiunt. Sed & fides in deũ, et mãsuetudo ad proximũ, firmissima sunt beneplaciti diuini, inde uero thesaurus Christianæ felicitatis & iustitiæ adimplebitur: non enim otiosa fides

des erit & charitas, sed redundabit in uere bonorum o=
perum ingentes diuitias, & regnum cœlorum merebun
tur, domino sic promittente.

33 Cõtumax non fis, & incredibilis timori dei: & ne accesseris ad illum duplici corde.

Tumacia

Non fis contumax uel incredibilis ad ea quæ uerbum domini docet, de iustitiæ diuinæ districto iudicio, de uin=
dictis interminatis pro impijs, de futuris supplicijs iniquorum. Patere te terreri à manu domini, præceptisq; il lius sponte obsequere. Exempla scripturæ te à uitijs abstrahant, ne duræ ceruicis Iudæis assimileris, sed acquiescens domini uerbo, dominum deum tuum timeas, & caue ne hypocrisim admittas in cultu ipsius, ne fidē et charitatem fingas, dum perfidus sis & immorigerus ex animo, sed pura intentione & simplici corde dominum accedas. Scio, inquit Dauid, ô domine, quod probes corda, & simplicitatem diligas. Simulatores autem & callidi prouocant iram dei, qui ut simplicissimus est, sic duplicitatē odit ex animo, & synceritatem diligit.

34 Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labijs tuis.

Hypocrisis

Hypocrisis non tantum deo odiosa est, qui est ipsissima ueritas, sed etiam hominibus, utcunq; mendax sit omnis homo, abominabilis est, maxime autem improbatur in spiritualibus. Ideo in Euãgelio Christus tantopere scribas & pharisæos reprehēdit de hypocrisi, & omnes qui boni aliquid agunt ut ab hominibus uideantur, laudentur, & sanctuli habeantur, dicitq; eos suã recepisse mercedem. Re uera autem stulti sunt, qui pro leui aura uanæ gloriæ, quam ex bonis operibus aucupantur, retributionem cœlestem amittunt. Et noli te confusioni exponere, uerbis iactando uel promittendo, quod opere non præstas, quod in fine mentitus uidearis, & ad uanam gloriã effutisse, unde erubescere cogaris, et scandalũ præbeas, ueritatē & fidem tantũ requirētibus deo et hominibus.

35 Attẽde in illis, ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationẽ, & reuelet deus absconsa tua, & in medio synagogæ elidat te: quoniam accessisti maligne ad dominum, et cor tuum plenũ est dolo & fallacia.

labia refre re.

Refrenationi labiorũ intẽdas, ne sapientiã uel opera iactes, ne sanctimoniã falso simules, uanus cum sis et prauus, simulando fallere uel homines siue deum, quem fallere nemo potest. Cauendum ergo ne confusionem incidas animæ, dum alius tandem inueniris in facto quàm iactaueras uerbo, domino iusto suo iudicio retegente hypocrisim, & absconditam prauitatem cordis, quod si non antē ut solet, saltem in die iudicij patesceet, quando reuelabit deus abscondita cordium. Sed & nunc quoq; dum uiuitur per hypocrisim, non raro patefiunt fraudes & callidorum simulationes in ecclesia piorum, qui probare norunt spiritus si ex deo sint, apud quos publice condemnantur, dum deprehenduntur peruerso corde, & praua intentione ad deum accedere deprecandum, quasi gens quæ iustitiam fecerit, & ad dominum appropinquare uolunt, cum reuera sint impij coram altissimo. Fraudulenti enim uasa pessima sunt, & dolosus omnis maledictus,

quem & ut uirum sanguinum dominus abominabitur.

CAPVT II.

1 

Illi accedens ad seruitutẽ dei, sta in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationẽ.

Filij dicuntur hic & in parabolis fideles, patrem cœlestem credentes, amantes & uenerantes, quos deus odisse non potest, utcunq; malis exerceat, interim tamen hortatur, consolatur, & docet per uerbum suum. Accedendum tibi est & arripiendũ uotum creato ri tuo fideliter seruiendi, obsequendi scilicet præceptis illius, faciendi bonum & recedendi à malo, mundum contemnere uelle & concupiscentiam eius, fide adhærere deo, & proximis deseruire. Sic enim deus colitur in spiritu & ueritate, non ceremonijs quibuscunq; externis, nec operibus citra uel contra dei uerbum susceptis. Ad hunc itaq; uerum dei cultum quisquis prout oportet accesseris, cõtinuo experieris hostes uisibiles flagitiosorum hominum, & iam aliquando specie sancta obstrepentiũ. Satanæ quoque spirituales insidias experieris, teipsum quoq; secundũ carnem & sanguinẽ aduersariũ spiritui sancto sentiens. Standum igitur tibi erit in certa fiducia et fide in dominum, qui de se præsumentes non deserit: sic tamen ut interim quoq; nihil de propria uirtute præsumant, sed timeant iudicia dei iusta, & fragilitatis humanæ periculum semper imminens etiã sanctis. Animus ergo præparandus est humilitate, timore, fide, oratione, lectione, circumspectione, abstinentia, & sustinentia.

Tentatio fidelium.

2 Deprime cor tuum, & sustine: & inclina aurem tuam, & suscipe uerba intellectus, & ne festines in tempus obductionis.

Humiltas & eruditio.

Humiliter sentias de teipso, omnia quæ bona in te sentis, gratiæ & bonitati diuinæ accepta refer, ut in nullo glorieris, sed tantũ in dño. Si quid aduersi ferendum acciderit, patienter & magnanimiter sustine. Paratior sis ad audiendum & discendum q̃ ad loquendũ uel docendum: studium omne tuum confer ad intelligẽtiam doctrinæ cœlestis & propheticæ. Excipe quæ intelligis, non inferas doctrinas incertas uel ineptas, sed quod intelligis hoc tantum doceas, maxime de diuinis: discas patientiam in tentationibus, mentis humiliationẽ in pressuris. Dum calamitates ingruunt & obruunt hominem, non est ad exitũ uijs illicitis uel non à deo concessis festinandum, ne quid impium committatur, quo damnum corporale euadatur.

3 Sustine sustẽtationes dei: cõiungere deo, & sustine, ut crescat in nouissimo uita tua.

Sustinẽtia.

Quæ senseris tibi mala accidere et aduersa de dñi uoluntate, quæ alioqui casu contingere uideri poterant, nõ hominum malitia uel imprudentia propria, hæc tanquã domini uoluntatem æquanimiter & longanimiter sustineas, fac ex necessitate uirtutem, omnium gubernatori deo commenda, quod effugere non datur uolens amplectere: fac ut de deo semper cogites, & illi per omnia cõ placere desideres, noli de clementia domini desperare, cõmitte te deo, et quoad necesse est sustine, quod nõ queas effugere: tunc autem fiet ut dum iam uitæ finẽ per angustias præsentes adesse crediderit, subito præter spẽ tibi

omnia lætiora felicioraq; occurrent, ut nouam te putes uitam & eam feliciorem longe quàm antea inchoasse.

4 Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, et in humilitate tua pâtientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines uero receptibiles in camino humiliationis.

Quæcunq; tibi in hac miseriarũ ualle inciderint perferenda, nolis impatienter & uiolenter repugnando abigere, sed patere potius æquanimiter, ne dolorem augeas & infelicitatem. Sufficiat tibi præsens & ineuitabilis dolor, noli accumulare calamitatis miseriam. Humiliter cogita peccatis tuis promerentibus accidisse tibi, et nõ esse condignas passiones uel luendis delictis debitas, uel futuræ gloriæ meritorias, & sic patientiam amplectere studeas pro uiribus: cedet enim aduersitas præsens in futurã gloriam, ueluti dum ex purgatorio conflagrationis igne purior auri massa egreditur uel argenti. Similiter enim homines aduersitate examinantur, ut æs uel aurũ in igne uexationis: hi nempe qui susceptibiles sunt disciplinæ. Sunt nanq; improbiores non pauci qui ex tentatione deficiunt, qui igne probatorio ostenduntur facti peiores, & ad stateram expensi diuini iudicij p oduntur minus habere. Vos autem fratres pij, ait Iacobus, omne gaudiũ existimate cum in uarias tentationes incideritis, &c.

5 Crede deo, & recuperabit te: & dirige uiam tuam, & spera in illum.

Fides & spes in deũ.

Crede te totum deo, & promissionibus eius non diffidas, restituet te in pristinam salutem, & te sibi amicum denuo ostendet, tu tantum cura ut recta incedas, & aduersis non frangaris, tanquam non habituris finem. Spera potius in dominum, & consolaberis donis clementiæ suæ: dominus enim solicitus est tui, non te deseret, secundum fiduciam tuam in illum te tractabit: pro summa bonitate sua longe propensior ad iuuandum, quàm sis tu ad postulandum: interim tamen tu segnis non sis, ora, iusta, cura, fac quod poteris, & residuum deo commenda: non in te, sed in dominum spera, ut non confundaris.

6 Serua timorem illius, et in illo ueterasce.

In prosperis & aduersis timorem dei sanctum non deseras, illum semper aspicias oculis fiduciæ sanctæ in illum, & non à spe sancta deficias, sed usq; ad senectam et senium permane in timore dei: non enim sufficit inchoasse, sed perseuerasse oportet: perseuerantia enim uirtutes coronat. Nec tantum ueterasce, sed & immorere, et nulla ratione desciscas.

7 Metuentes dñm sustinete misericordiã eius: & non deflectatis ab illo, ne cadatis.

Non desperandum.

Quotquot uere deum colitis, ut ab offensa illius uobis caueatis, quod est timere dñm: nõ desperate in aduersis, quasi iratum deum teneatis quoties aduersa fertis, sed sustinete, id est expectate clementiã dei, & iudicia illius circa uos misericordiam interpretamini, ex amore enim illius ad uos proficiscitur, non ex odio: quos enim diligit castigat, & cum iratus fuerit misericordiæ recordatur. Nolite ergo pusillanimitate ab illo deflectere, non alterius ab ipso implorate auxiliũ, blasphemiæ cogitatus nõ uobis obrepat contra deum, dum nimium uobis durus iudicem mittendo calamitates uidebitur, alioqui cadetis in peruersum damnationis æternæ, & uertetis uobis dñi uirgã in supplicium, quæ in medelã uobis sanitatis fuerat irrogata.

8 Qui timetis dominum, credite illi: & nõ euacuabitur merces uestra.

Non sufficit timere dñm ut iudicem & uindicẽ, nisi peccata puniat, hoc est enim seruorũ, sed ut patrẽ pium, tum clementissimum, totũ propensum in cõmodum filiorum: non inquã timere sic deum sufficit sine fiducia, credere enim simul oportet, & toto illi corde confidere, quoniam bonus est, & in æternum misericordia eius: propensior enim ad benefaciendũ, & mercedẽ superefluentẽ reponet fidelibus in manus ipsorum. Non, inquit, euacuabitur merces, hoc est, liberalissime præmiabitur, et longe supra condignũ, minus enim eloquitur & plura subindicat. Nimo frustra credidit dño, misericordia eius super omnia opera eius, nõ sibi patitur gratis ministrari à quoquam.

9 Qui timetis dñm, sperate in illum, & in oblectationem ueniet uobis misericordia.

Idem ferè dicit, timentem syncere dominũ non posse relinqui, & ideo desperare neutiquam posse. Benedictus enim uir qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius. Ex misericordia quippe dei obueniet sanctis gratia in præsenti, & gloria in futuro. Est enim deus iudicij plenus, dominus, ut beati sint omnes qui eum expectant. Et illud mysta: Domine uirtutum, beatus homo qui sperat in te. Oblectatione enim spirituali & corporali digna sanctis & beatis replebuntur qui sperant in dominum.

10 Qui timetis dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda uestra.

Non uult dñs à sanctis tam timeri quàm diligi, bonus est enim, & bonitatem suam diffundere gaudet, non parcus uel inuidus: unde & corda fideliũ sancti spiritus sui infusione ad opera sanctitatis fœcundat, & ad omnis ueritatis cognitionem illuminat. Amantium enim est eadem uelle & nolle, charitas quippe mentem unit & concordat. Quanto fidelis feruentius diligit, tanto copiosius illustratur: amor enim intrat, ubi scientia sola foris stat.

11 Respicite filij nationes hominũ: & scitote quia nullus sperauit in dño, & cõfusus est.

Quotquot estis imbecilles in fide, legite uel inuitus te annales omnium nationum, & comperiemini, nullum unquam legitime speransse in dominũ, qui fructu suæ spei fuerit destitutus. Spes enim non confundit, est enim certa expectatio boni à summe bono. Sperent, inquit propheta, in te qui nouerunt nomen tuum, &c. Erit fidelis anima quam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod ad humorem mittit radices suas.

12 Quis enim permansit in mandatis eius & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum?

Liberalis & fidelissimus est deus noster, constantissimus seruos suos deserere non potest, si scilicet permanserint in ipsius mandatis, ultra enim condignum remunerat. Verum inuocare oportet, orare & non deficere, si exaudiri uelimus. Si, inquit Christus, uos quum sitis mali

nostis bona data dare filijs uestris, quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se? Interim tamen etiam uoluntas illius qui petitur non est negligenda. Qui enim aurem suam declinat ne audiat legẽ, oratio eius erit execrabilis.

13 Quoniã pius & misericors est deus, & remittit in die tribulationis peccata: et protector est oĩbus exquirentibus se in ueritate.

Natura sua bonus et pius est dominus, & ad suã alijs clementiam communicandã propensissimus semper, ut & facile possit promereri, & nunquam exhauriri illius misericordia: promptus est ergo ad releuandum hominũ miserias, quod est deum esse misericordem: maxime uero his qui in calamitatibus humiliter & intente orant, non ex solo seruili timore & impatientia ferendi pœnas dignas pro peccatis, sed ex humili & contrito corde. In tempore enim tribulationis peccata dimittit inuocantibus ipsum, & protector est omnium qui illum exquirunt in ueritate uitæ, doctrinæ & fidei, in qua deum inuocare oportet & colere, culpas detestari proprias, & propositum uitandi suscipere, uel à domino postulare.

14 Væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus uijs.

Timorem suadet consequenter, comminando grauitatem diuini iudicij. Duplex corde dicitur, qui aliud in corde fouet, & aliud uerbis uel factis exequitur: qui annititur placere deo & mundo, qui hypocrita est uersutus, non simplex uel syncerus. Labia scelesta propter periuria, iuramenta indigna, blasphemias, detractiones, maledictiones, criminationes, hoc est uitia linguæ. Manus malefacientes damnat similiter, propter exosa deo opera, & fraternæ charitati hostilia, quibuscunq; ea membris contra dei mandatum perficiantur, ut sunt rapina, homicidium: ut hic tria damnentur peccatorum genera, cordis, oris & operis, ex defectu diuini timoris. Ingredi terram duabus uijs, aliud non est quàm fingere bonum, & facere malum, hypocrisim exercere, intendere deceptionem hominum atq; dei, seruire duobus dominis.

15 Væ dissolutis corde, qui nõ credũt deo: & ideo non protegentur ab eo.

Optimum est gratia stabilire cor, clauis timoris diuini agglutinari deo, anchora spei pendere ex domino, regula fidei confirmari. Contra autem damnantur qui dissoluti sunt corde, qui ex corde deo non possunt fidere, ideoq; à domino non iuuantur. Sicut enim fiducia sanctis imputatur ad iustitiam: sic diffidere deo maxime displicet domino, & est perfidia omnium magnorum criminum fons & exordium. Non suffert uir integer & probus, si illi ab amico diffidatur, multo magis deus.

16 Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt uias rectas, & diuerterunt in uias prauas.

Vt sunt iustitiæ duæ partes, declinare à malo & facere bonum: sic iniustitiæ quoq; duplex est portio, derelinquere uias rectas, & diuertere in uias prauas. Id uero cõtingit leuioribus corde, qui ex tristitia uel tentatione bonum abnegant, & sustinentiam non seruant, nec in patientia sua possident animas suas. Notanter dicitur sustinentiam perdidisse, quia constantiæ uirtutem non adiecit, sed ædificare incipiens, non curauit ut perficeret.

17 Et quid facietis, cum inspicere cœperit dominus?

Non incipit inspicere quippiã dominus, cũ omnia ab æterno & uno intuitu noscat, nihil illi nouũ est, nunquã quicquã potuit ignorasse. Sed pro nostro loquendi modo, tunc deus inspicere incipit, quãdo punire: tunc enim sentimus prouidentiam eius & omniscientiã, quando iustitiæ suæ seueritatẽ uidemus. Quò igitur tunc fugient? quomodo euadent, cum dominus per effectũ cœperit iudicare & ostendere, peccata eorũ se cognoscere? Quis tunc geminis uiperarũ ostendet fugere à uentura ira? cuius oculis oĩa aperta sunt & nuda, dicente Apostolo. Scientia dei omnium est.

18 Qui timent dominum, non erunt incredibiles uerbo illius: & qui diligunt illum, conseruabunt uias illius.

Ex timore dei prodeunt eximia & plura bona. Primum credulitas & obedientia, cum reuerentia ad uerbum dei. Qui enim dũm timet, uerba dei spernere nõ potest, sed captiuabunt intellectum suum in obsequium fidei, nec sensui proprio nimium deferent, patientur se persuaderi à uerbo dei. Et quia non est charitas otiosa, ideo filialis timor, qui charitas est, conseruabit solicite, quicquid dominum sibi præcepisse cognouerit. Si quis, inquit Christus, diligit me, sermones meos seruabit. Et Ioannes: Non diligamus uerbo neq; lingua, sed opere & ueritate. Timoris dei fructus.

19 Qui timent dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.

Qui timore filiali dominum reuerẽtur et solicite inquirunt, cõsiderant & annituntur, ut perficiant quæ ab eis dominus exigit, quod illi placet, eorum uoluntas est in lege domini die & nocte, dicentes: Bonum mihi domine lex oris tui super millia auri & argenti. Talis nihil negligit, unde domino cõplacere possit, ubiq; occasionem nanciscitur domino seruiendi, & adimplendi eius præceptum, ut humanarũ traditionum studijs non capiatur, qui in uia domini otiosus esse non potest. Legis obseruantiam plene sectabitur, & replebitur bonis quæ promittuntur in lege, & maiora bona in hoc mundo non cupiet quàm ut domino deo suo in obseruãtia legis suæ per omnia ualeat gratificari & complacere. Timor filialis.

20 Qui timent dominum præparabũt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.

Qui donum timoris filialis & charitatis assequuti sunt iam ex gratia, quæ ex meritis non oritur, ne non sit gratia, isti iam satis præparati sunt ad magnifice domino seruiendum, ad dignoscẽdum in quo peccent, quid emendandum, & ad omne opus bonum redduntur continuo aptiores. Fermè idem est præparare corda, et animas sanctificare, utrunq; gratiæ præuenientis est: unde timor filialis, quem sequitur non tantum fuga mali, sed studium sanctitatis, quum domino sese homo totum diuinæ gra-

tiæ offert, & impura omnino ex animo detestatur, ne offendat eum cui se cupit totum probari.

21 Qui timent dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usq; ad inspectionem illius, dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus domini, & non in manus hominũ. Secundum enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est.

Ex amore dei, qui timor est filialis, proxime oritur studium complacẽdi deo: quod aliter non fit, q̃ obsequendo præceptis illius. Qui enim dominum timet, in mandatis eius uolet nimis. Custodiuisse autem deo reputabitur, si fiducia tota deo inhæserit, & cum carne & sanguine bellũ instituerit, orauerit pro gratia, & occasiones transgressionum studiose uitauerit: alioqui in præsenti uita mandata dei prout decet homines custodire nõ possunt. Patientiã quoq; habebunt in aduersis huius uitæ, donec inspexerit dominus, & benigne eripuerit, iuxta illud: Expecta dominũ & liberabit te. Hi quoq; timentes deum sic secum cogitabũt continuo: Necessaria nobis est agenda pœnitentia, quia in multis offendimus omnes, quamlibet diligamus dominum, & mandata eius facere contendamus, & digni sumus qui uindictam illius incidamus. Quis enim sustinere poterit, si iniquitates obseruando, iudiciũ suum intrauerit dominus iustus iudex? Sed tamen satius nobis est manum domini incidere quàm hominũ, ĩs enim misericors est dominus, & cognoscit figmentum suum, fragilitatem nostrã. Cum enim magnus sit & perfectus, facile indulget imperfectioni nostræ, quando non ipsi nos fecimus, sed ipse fecit nos, & misericordiã suam pollicitus est omnibus inuocantibus eum in ueritate.

CAPVT III.

1 Ilij sapientiæ, ecclesia iustorũ: & natio illorũ obediẽtia et dilectio.

Ingens labor tractatoribus fuit, exquirendi ordinis rationem in hoc & in alijs sacris libris, quos Sapientiales uocarunt, cuius fructum qui uolet inueniet apud illos: multi sunt enim, & prostant multipliciter ĩpressi codices. Nos hunc ordinem non quærimus, uidentes hanc authoribus diligentiam uel potius curiositatẽ defuisse, ut patet in Psalmis, Prouerbijs, Ecclesiaste, & in hoc quoq; libro. Hunc sensum habere uidetur hæc huius cap. primi sententia, quæ in quibusdã libris non legitur: Qui filij sapientiæ sunt, hoc est, studiosissimi timoris domini, & uere fideles ac dei cultores, hi sunt qui pertinent ad ueram electorum, quæ & iustorũ dicitur, sacrosanctam ecclesiam: eidem tali deo, nullam habet maculam neq; rugam, quãdo clementissimus spon sus peccata, sine quibus humana natura subsistere non potest, non illi imputat. Quin etiam fuscam & decoloratã amare potest, perseuerante fide et amore, quæ unice conciliant sponso. Talis ecclesia nunc est, & semper fuit, sed non distincte certoq; discernitur à nobis, quod hoc quoq; nostrum non sit, sed ut pro se quisq; conscientiam discutiat suam, & manifesta tantum in alijs, occulta domino committendo. Et sequitur: Natio illorum obedientia & dilectio. Vult dicere: Ingeniũ ecclesiasticorum & electorum aliud non est q̃ ut diuinis mãdatis parere desiderãt, deum habentes præ oculis, quem ex fide norunt & diligunt, & dilectione syncera feruntur ad proximos, eis facientes quod sibi fieri uelint: ne tantũ ore diligãt, sed animo, corde, uotis et opere, ne hypocritica sit et simulata.

Ordo tractatorum.

Ecclesia quomodo sine ruga.

2 Iudicium patris audite filij, & sic facite ut salui sitis.

Non uerisimile est intendisse authorem de patre cœlesti, cui non quadrant sequentia. Simplex, clara & utilissima sententia est ad ædificationem ecclesiæ, doctrinã patrum, quorum pro ætate & experientia præsumitur certius prudentiusq; iudiciũ & decretum, filij obsequentes & morigeri cum reuerentia audire debent, et de suo sensu cõtra maiorũ instituta nihil præsumere, quod nisi feliciter id cedat uel nunquã. Si salui, incolumes ac fortunati esse cupitis, sic agite ut pater præcepit, sensus illius uelitis obtemperare magis q̃ uestro. Pertinet hoc ad honorem uestrum et ad cõmodum, sic dominus præcepit & eius apostolus: Obedite filij parẽtibus uestris per omnia, quibus à deo demandata est uestri cura & institutio.

3 Deus enim honorauit patrẽ in filijs: & iudiciũ matris exquirẽs, firmauit in filios.

Deus hunc honorẽ detulit parentibus, ut serioso præceperit eos à filijs honorari, ideo sanctum habeatur & necessarium, ac minime à filijs id prætereundum: Confirmauit quoq; deus ius, potestatem & decernendi auctoritatem matris in suos filios, ut ipsos erudiat in timore domini, in honestis moribus, quos pater laboribus & solicitudine nutrit. De quo certe iure obseruato uel neglecto rationem exquisiturus est dominus, & inobedientiam cum negligentia puniturus. Intelliguntur autem parentes nomine, deus, magistratus, doctores, & parentes, quibus etiam iuxta philosophorum placita reddi æquiualens condignum non potest. Et qui matrem exponunt ecclesiam, non dicunt male, si addant ecclesiæ ius nullum esse in filios contra ius, uoluntatem, & placita patris, & domini dei: nec uera id ecclesia unquam præsumit, quod si sperabi deficiat, mater uera non erit.

4 Qui diligit deũ, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.

Qui deum diligit uere, non ficte, hoc est, qui se deo suo totum & semper probari cupit, & habere amicum, is summopere studet ne illum offendat, ne quando mandata dei transgrediatur. Id cum se non posse propria uirtute aduertit, conuertit se per orationes ad dominum, ut a peccatis præseruet, si fieri possit, uel admissa per ignorantiam uel fragilitatẽ condonet, & non imputet. Virtusque Christus fieri docuit, ut non intretur in tentationem, & ut remittãtur debita quæ contraximus. Nec solũ per indulgentia orabit, sed & multa solicitudine occasiones peccandi fugiet, refrenabit fomitis incitabula uigilijs, oratione, ieiunijs & labore humiliabit carnem suam, ne prævaleat spiritui. Sensuum & cogitationum improba fomenta timore domini castigabit, inuocata ad id sedulo dei gratia, quæ postulantibus uel adest, uel non ingiter

putat ad mortem. Ideo additur: In oratione dierum exaudietur: hoc est, si quotidie, instanter, sine cessatione oretur, non semel & die una, sed continuatis uicibus: non poterit pro bonitate sua deus non exaudire.

5 & sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur.

Honorare parentes.

Sicut opulentiam sibi temporalem conquirit, & sæculariter prudenter agit qui thesauros congregat: sic qui ueneratur parentes, & matrem quoq; suam honorificat, & eidem obsequi non spernit, is feliciter aget, etiam in hoc sæculo. Sic qui suum proprium patrem honorifice tractauerit, merebitur ipse quoq; senex à suis filijs honorari, & in ipsis gratulari sibi, deq; eorum felicitate recreari, inter homines quidem honoratus uidebitur, & felix ex successione idonei filij, in quo superuictus uideatur pater etiã post mortem, sed & apud deum gratiã inueniet, ut nihil desideraturus & postulaturus sit à domino gratis & uane.

6 Qui honorat patrem suum, uita uiuet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem.

Sunt qui uitæ longitudinem appretiantur magis q̃ diuitias. Ideo parentibus obsequentibus & reuerentiam exhibentibus pollicetur uitæ longitudinem, unde & in decalogo simile dicitur, & ad Ephesios: Honora patrem tuum & matrem, quod est mandatum primum secundæ tabulæ, & in promissione, ut bene sit tibi, & sis longæuus super terram, hoc enim frequenter usu uenire solet. Et si nonnunquam contrarium appareat, id prouidentiæ diuinæ secreto cõsilio contingit, nobis hominibus imperscrutabili. Obedientia quoq; delata parenti, non potest nõ recreare eum, maxime uero matrem, quæ de prolis suæ disciplina, honestate ac insigni prudentia recreatur, quandoquidem id in suum honorem uergere conspicit & tranquillitatem.

7 Qui timet dominũ honorat parẽtes, & quasi dominis seruiet his qui se genuerũt.

Summo studio pij homines incumbunt ad obseruantiam decalogi, cupientes etiam contra carnem & sanguinem militando gratificari deo, multo autem iucundius illud perficiunt, ad quod natura ipsa generalis inclinat, nempe ad amorem & beneficiũ cum officio ad progenitores, unde præter naturæ gratissimum instinctum ad opus alioqui facile & amabile, etiam tam gratiosa merces diuturnæ felicitatis repromittitur. Dominio autem illo quod iucundius esse possit, quod parentes exercent in filios? & quæ seruitus gratior & leuior, q̃ filiorum in parentes pientissimos?

8 In opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum, ut superueniat tibi benedictio à deo, & benedictio illius in nouissimo maneat.

Faciendo & loquendo parati sint filij ad gratificandum parentibus, similiter in filiali patientia, si contigerit uel à patre corripi uel disciplinari, uel ex parentibus infirmis uel pauperibus prægrauari, non tamen illis surripiendus erit dignus honor & obseruantia: nulla obsequendi difficultas grauatim ferenda filiorum in parentes, etiam illorum morositas pro ætate boni consulenda est: & siue digne siue indigne filijs irascantur senes, æquanimiter audiendi & perferendi sunt, unde à domino deo eis superueniet benedictio, sufficientia scilicet bonorum tam temporalium quàm æternorum, quæ etiam diuina benedictio, semper & in finem usq; duratura sit, cui non sit superuentura maledictio.

9 Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autẽ matris eradicat fundamenta.

Maledictio parentum.

Admodum omnibus modis filijs est, ne aliquatenus sic irritent parentem, ut ad amaritudinẽ prouocetur, et iram tantam, unde etiã fortuitu ut uidetur in maledictionem prorũpatur, quæ parentũ in filios nimium inauspicata sit, proficiscens ex cordis amaritudine. Vicissim potius auspicatissimi ominis beneficiũ habeatur, si à sapiente & probo patre benedictio erumpat in filiũ, specialis fauor, & imprecatio fausta. Sic Noe benedixit Sem & Iaphet, maledixit aũt improbo Cham filio iuniori. Et Isaac Iacob & Esau prouidẽtia dei ad uarium euentum imprecatus est bona. Sic Iacob duodecim filijs moriturus non gratis suas benedictiones imprecatus est. Matris quoq; maledictio in filios propter quos multa passa est, & gratitudinẽ multã emeruit magnis officijs, si irritata coacta fuerit irasci, admodum periculosa erit ipsius imprecatio. Huius etiã dogmatis exẽpla sunt Absalom, & restauratio urbis Iericho, pueri ab Heliseo maledicti. Et Prouer. 30. Oculum qui subsannat patrem suum, &c.

10 Ne glorieris in cõtumelia patris tui: nõ enim est tibi gloria, sed confusio: gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.

Non irritandi parentes.

Si quacunq; ratione pater tuus iniuria afficiatur uel contumelia, si dehonestetur pro paupertate uel senectute, aut aliter, prorsus cauẽdum tibi erit, ne leteris de eo uel rideas, aut æquanimiter ferre id uelis, multo minus gaudere uel gloriari: redundat enim in te, qui aduersitati ipsius compati potius debeas, & si quid uerecundum accidat illi, ex animo contristari. Cum enim de substantia patris processeris, & in ipsius locum olim surrogandus, illius quoq; subsecuturus uestigia, illius inhonestas redundabit in tuam diffamiam, sicut & ipsius honor, gloria & ueneratio honestati cedit filiorũ. Et parentum inhonestas redundat in prolem.

11 Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in uita illius: & si defecerit sensu, ueniam da, & ne spernas eum in uirtute tua: eleemosyna enim patris non erit in obliuione.

Sustentandi parentes.

Quandoquidem incommoda multa senem circumueniunt, ideo filius admonetur sustentare parentem in senectute sua, & consolari, dum amplius indigent, sibi minus cõsulere ualentes, prosequendi sunt ergo solatio sustentatione & obsequio. Sũmopere uero cauendũ, ne ali

quatenus contristentur per inobedientiã, contemptum, aut subtractionem necessariorum. Quod si sensu defecerint, auditus uel uisus aut rationis iudicio, etiam si per casum proueniſſet ex culpabili causa, uenia tamen illis est danda, & à te minume spernenda illorum fragilitas est, nunc cum tu per ætatem uales, olim similiter ad similem ætatem si attigeris defecturus, ne tunc tibi par pari rependẽdum sit. Quin potius benignuſime tuos tractes parentes, & uicem repende fidei & laboribus, quibus carere olim non potuisti, ut nunc ipsi tua fide & uirtute indigent. Nam & hæc tua beneficentia, ad quam obligaris natura & legibus ad parentes, non erit etiam apud deum in obliuione, nec præmio digno carebit: sicut & pietatis opus, quod pater exhibuit olim filio, à filio minime obliuioni dandum est, sed digna uicisitudine rependendum oborta occasione.

12 Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.

Mater ferenda. Si æquanimiter & clementer cum patientia tuleris matrem tuam, si quando per fragilitatem fœmineam in te peccauerit, uel pro ætatis imbecillitate oneri tibi fuerit, restituetur tibi bonum pro reuerentia & gratitudine quam exhibes parenti ex misericordia & charitate quam obligaris, rependetur tibi beneficium etiam quod debitor exhibuisti matri tuæ. Sic enim domino complacet pietas hominum inter se, maxime uero filiorum ad parentes, quam & tam serioſe mãdauit, & insigni præmio commendauit. Pro iustitia huiusmodi promouebit deus ædificium tuum, hoc est in præsenti sæculo & futuro glorificabit te deus, prosperabitur status tuus à domino. Et si calamitas quæcunq; ingruerit, non te dei beneficentia deseret, sed memoria memor erit, ut abundanter retribuat beneficium pro officio. Sed & peccatorũ tuorum miserebitur, quæ alioqui designasti. Non secus ac sereno cœlo resoluitur glacies: sic beneficio filiorum ad parentes peccata eorum indulgentiam assequentur. Vnde magnam dei ad nos gratiam discimus, cum audimus officijs necessarijs ad parentes promereri à domino remissionem peccatorum & indulgentiam.

13 Quàm malæ famæ est qui derelinquit patrem: & est maledictus à deo, qui exasperat matrem.

Infamis & maledictus apud deum & homines iuste habetur, qui patri indigenti subuenire recusat, contra legem dei & naturæ, quod & ius gentium. Nec hic excusatio quæcunq; locum inueniet. Paucis enim natura contentatur, quæ consequi potest quamlibet pauper filius, si uel necessariam sibi portionem cum parente egeno diuiserit, ut inueniebat illa filia ex mamillis matrem captiuam reficiens. Maledicta autem religio, quæ superstitio crudeliſima est, docens pro obseruandis humanis traditionibus in clauſtro, negligere parentes dum indigent, uel officio charitatis destituere, dum nõ cogit euangelij prædicandi necessitas, uel contestatio ueritatis. Per

Parẽtes monachorum.

iuga aũt author loquens Hebræorũ more, æquiualẽs de matre adiungit, maledictum pronuncians à deo, qui matrem exasperat ipsam, uel deserendo uel maledicendo, aut ingratitudinis in eam uitiũ admittendo. Maledicens patri uel matri morte moriatur. Maledicti quoq; qui declinant à mandatis tuis.

14 Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.

Omnia pietatis huiusmodi opera, & uirtutum exercitia, humiliter, mansuete, & sine uanitate aut præsumptione agenda consequenter docentur. Non, inquit, inepe opera tua in mansuetudine, quod multorũ est, sed ait, perfice quod est paucorum: hoc est, tranquille, pacifice, & hilariter perfice quæ agis, non te irritari sinas, aut perturbari calumnijs, uel iniurijs contradicentium, uel sese opponentium. Sic faciens cunctis amabilis & gratius eris. Mansuetudo enim & humilitas gratiam pariunt, furor & superbia ruinam. Mansueti hæreditabunt terram, & delectabũtur in multitudine pacis. Hæc mansuetudinis gratia plurimum commendat hominibus, facit docilem, salutis & consolationis capacem.

15 Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia dei solius, & ab humilibus honoratur.

Sed quia mansuetudini omnibus sic gratæ uana gloria se miscere potest, ideo subiungitur: Quanto maior es & uberiorem desuper gratiã consecutus, & quo magis præmines alijs, tãto te magis humilia ex animo, non ficte humiliter de teipso sentiens, intelligens te omnia habita recepisse à domino, quo sis timoratior corã ipso, & deuotiore humilitate subiectus. Etenim cui plus datum est, plus requiretur ab eo. Dumq; crescunt dona, rationes quoq; crescunt donorum. Coram deo autem inuenies gratiam. Quo minus enim quisq; de suis uiribus eo præclariora à domino suscipit. Superbis quoque deus resistit, humilibus autem dat gratiã. Quoniam magna potentia dei solius. Sic omnipotens est deus, ut sit solus potens, à quo omnis uirtus creaturarum omnium, qui omnia agit in omnibus, à quo est rerum esse, diuinare & agere. In ipso enim uiuimus, mouemur, & sumus. Humiliamini ergo, quotquot deum creditis, sub potenti manu eius, ut uos exaltet in tempore uisitationis. Idoneus est semper ad gratiam largiendum maiorem, quam & humiles corde grati agnoscant, nihil de seipsis præsumentes. Has uirtutes, mansuetudinis scilicet & humilitatis, Christus iubet à se disci, dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris.

16 Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt uidere oculis tuis.

Docet sobrietatem intellectus. Quærenda quidem quæ

quæ sursum sunt, sed non quæ altiora captui humano, extra unctionem spiritus, de qua Psalmista: Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. Et fortiora te ne fueris scrutatus, quæ intelligentiæ tuæ uires transcendunt nolis inquirere, ne ambules in mirabilibus super te. Fortiora autem sunt, quæ scrutantium oculos reuerberant & ad inferiora retundunt. Perscrutator enim maiestatis opprimetur à gloria. Sed quæ præcepit tibi deus, illa cogita semper. De quibus Deute. sexto: Hæc meditaberis semper, sedens in domo tua, ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, &c. Ideoq; in Actis legitur, ut nobiliores ex eis, scilicet Thessalonicensibus, susceperunt uerbum dei cum omni auiditate, quotidie scrutantes scripturas, quæ testimonium perhibent de Christo, & domini dei nostri uoluntatem explanant. Et in uniuersis operibus eius ne fueris curiosus. Noli operam nauare in his, quæ ad salutem nihil conferunt, sed deseruiunt solum uanitati, nihil ad te pertinent, non iuuant ad uerborum dei intelligentiam, meliorem te facere non possunt, te tibi potius abscondunt, ad extranea rapiunt, & ab inuenienda ueritate retardant. Multa deus uoluit hominibus esse imperscrutabilia, nempe quæ ad salutem animarum, ad dei gloriam proximorumq; profectum non conducunt, qua lia rimari uelle, oculis omnia aspicere, & sensibus satis facere prudentium non est. Capiendus non raro est intellectus humanus ad obsequium fidei.

17 In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius nō eris curiosus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multos enim supplantauit suspicio illorum, & in uanitate detinuit sensus illorum.

Curiositas studiorum.

Superuacanea scitu multa sunt, quæ pius homo negligere maulit quàm necessaria, quibus studiose incumbit, habita temporis ratione, quod uix sufficit quotidianis & necessarijs studijs. Et in sacris quoq; literis aliud requirere, q̄ quod ad fidei rationem & morum formationem pertinet superuacua dicetur perscrutatio. Curiositati uero qui indulgere perrexerit, illi totus mundus non sufficiet, operamq; suam stulte ludet, arenas numerabit. Sunt enim complurima intellectui humano non peruia, & multo plura cognitu non necessaria, quædā uero inutilia. Non pauca autem perniciosa, eis qui de suis uiribus & ingenio nimium præsumentes ad quæcunq; ardua se assequenda temere ingerunt, cum interim sese decipiant, & satanæ insidijs ad prohibita suspectaq; trahuntur, ut simul quoq; secum alios præcipitent, & in fine se sentiant stulte contendisse ad impossibilia.

18 Cor durū habebit male in nouissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.

Hanc sententiam Augustinus exponit dicens: Hac animaduersione peccator percutitur, ut moriens obliuiscatur sui, qui uiuus & sanus oblitus est dei. Et Apostolus: Secundum duritiam tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iusti iudicij dei. Durum itaque cor est, quod nec blanditijs emollitur, nec beneficijs uincitur, promissis non allicitur, comminationibus non terretur, non inspirationi acquiescit diuinæ, non admonitioni angelicæ, nec informationi humanæ. Et qui peccati occasionem non uitat, exitium incurret, iuxta illud: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Non potest peccata euadere, qui non studet uitiorum incitamenta causasq; effugere.

19 Cor ingrediens duas uias, non habebit successus, & prauum cor in illis scandalizabitur.

Idem uult quod capite præcedenti: Væ duplici corde, & peccatori ingredienti terram duabus uijs. Qui enim ueritatem intellectu intelligit, & affectu à bono recedit, uel discere contemnens quæ præcipit dominus, & inquirere quæ prohibuit, uel malum bono permiscens, & infideliter agens in opere domini, is non habebit successum. Diuisum est cor eorum, ait Amos, nunc interibunt. Et qui ad scandala proni sunt, homines praui cordis, peccata incurrent, paratiores enim sunt mala sequi quàm bona.

20 Cor nequam grauabitur in doloribus, & peccator adiiciet ad peccandum.

Cordis depranatio.

Duplicitate, calliditate, hypocrisi cor deprauatur, & sarcina criminum prægrauatur continuo, remorsu conscientiæ sibijpsi tandem fit importabilis. Dumq; in laqueum quem alijs parat dilabitur, dignis pœnis hic et in futuro afficitur. Deq; minoribus semper corruet ad maiora, ut tandem gloriari libeat cum malefecerit, aut falso excuset, aut quamuis enormia nihil expendit. Peccatum enim quod per pœnitentiam non emendatur, suo mox pondere trahit ad aliud, ut sit sequens peccatū pœna peccati: ut qui in sordibus est, sordescat adhuc.

21 Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati eradicabitur in illis, & non intelligetur.

Impij inemēdabiles.

Congregationem superborū suo sensu abundantium, sibiq; placentiū, ab errore semel concepto nemo emendabit, nec ad sanam mentem perducet. Poterat unus & alter errans corrigi, sed consensus plurium, ceu triplex funiculus difficile rumpitur. Superbi autem sunt, qui uerbo dei se non submittunt, & non se patiuntur instrui. Frutex peccati in huiusmodi superbis, quid aliud est q̄ amor sui? qui fundamentum fit omnium errorum & hæresum, cum idolum sui sensus sic excolūt, ut ab omnibus id cupiant adorari, nullius acquiescunt sententiæ, nisi ipsis consentiat. Sed is frutex tandem radicitus eruetur, & degenerabit in immaturum semen, quod nullum fructum proferat, & falsum intelligetur.

22 Cor sapientis intelligetur in sapientia, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.

Sancti sancta loquuntur.

Interna cordis sapientia intelligetur ex sanctis uerbis & moribus. Imago enim mentis est sermo loquentis. Qualis uir, talis est sermo ipsius. Vnaquæq; arbor per fructum suum agnoscitur. Auris hominis studiosi & pij abhorret ab omni spurcitia & oblocutione, ab errore et & falsitate. Qui ex deo est, uerba dei audit. Delectatur

ſapiens in ſapientiæ uerbis, in honeſtis colloquijs, in uerbo eruditionis & ædificationis ad proximi frugem & dei laudem.

23 Sapiens cor & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis, & in operibus iuſtitiæ ſucceſſus habebit.

Circumſpectus ſenſu & eruditus iudicio, facile peccatum & improbitatem dijudicat, & non niſi iuſta proſequetur. Plena eſt enim ſapientia fructibus bonis. Et intelligit ſapiens, non ſufficere obmiſiſſe peccatum, niſi in iuſtitiæ dignis operibus exerceatur, & ſucceſſum habeat uis radicis ſanctæ in corde ſapientis. Ideo cõſequenter reditur ad commendationem operum miſericordiæ.

24 Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis: & deꝰ proſpector eſt eius qui reddit gratiam. Meminit in poſterum, & in tempore caſus ſui inueniet firmamentum.

Eleemoſyna. Sicut ignem aqua extinguit, ſic charitas operit multitudinem peccatorum, quæ ex fide in deum proficiſcitur, & ſeſe extendit ad proximi beneficentiã, ne ſit otioſa. Vnde deus non durior eſſe poteſt in homines etiam peccatores, q̃ ipſi ſint in ſuos confratres. Miſeretur ergo dominus hominum, ut ipſi mutuum miſerentur ex fide. Eſtote, ait, miſericordes, ut pater ueſter miſericors eſt. Singulari quoq; prouidentia dominus curat eos homines, qui gratiam faciunt indigentibus. Suo quoq; tempore deus uicem repẽdet, ac primum facienti miſericordiam, quemadmodũ dixit: Beati miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur deus. Tempore caſus ſui in mortem uel peccatum per fragilitatem, ſentiet homo pius forte ac ſtabile dei adiutorium, præmiumq; tandem aſſequetur ſalutis æternæ, unde & Apoſtolus ait: Diuitibus huius ſæculi præcipe facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum.

CAPVT IIII.

1  Ili, eleemoſynã pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne tranſuertas à paupere.

Ad opera miſericordiæ ut cœperat ad hortatur fideles, & deũ colentes, quod potiſſimus fidei fructus ſit, beneficentia ad pauperes, de qua pro explanatione huius dicti ſic ſcribit Ambroſius: Indigentium panis, quem detines, eſt nudorum ueſtimentum quod recludis, pretiũ captiuorum pecunia quam abſcondis. Ideo tot indigentibus iniuriaris quot ſubuenire potes nec ſubuenis. Nam & ideo deus conceſſit uni multa, ut bonæ erogationis præmia conſequatur: alteri parua & pauca, ut patiẽtiæ præmio decoretur. Ideo fraudari pauper dicitur, hoc eſt ſuo iure & propria re per iniquitatem priuari, quando locupletioris diuitiæ abundantes ſibi egenti non dantur. Oculos uero tranſuerti à paupere, eſt indignanter uel deſpectim intueri eum, qui corporis ſui neceſſitatem ueram à te precatur, ſine tua iniuria uel egeſtate, ut ne pio illum compaſſionis oculo intuearis, uel ſuaui eloquio conſoleris. Ideo ſuum Tobias filium docuit: Noli auertere faciem tuã ab ullo paupere, ita enim

Pauperum fraudatores.

fiet, ut nec à te auertatur facies domini. Non tamen obmittendum, quod de multis eleemoſynæ ſpeciebus adnotatur, id eſt miſericordiæ officijs, ut eſt ueniam concedere peccanti, ex corde ſyncero corrigere delinquentem, erudire ignorantem, conſolari mœſtum.

2 Animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſperes pauperem in inopia ſua.

Anima pro homine dicitur, docetq; famelicum cibare, ſuccurrere eſurienti, pro poſſe reficere cibis ſpiritualibus & corporalibus. Frãge eſurienti cibum tuum, & ne ſine urgente cauſa & admodum rationabili, duris et deſpicabilibus uerbis alloquaris, maxime improperando illi ſuam penuriam. Non eſt enim miſero & afflicto addenda afflictio, ſed cõſolatio & ſubſidium inferendum. Hinc ſcribitur Prouerb. 17. Qui deſpicit pauperem exprobrat factori ſuo. Ad idem quoq; ſubditur:

3 Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum anguſtianti.

Inopẽ & pro ſua pauperie uel egeſtate aut ſuorum afflictum, omnino ne afflixeris. Sed cum manſuetudine & liberali uultu eleemoſynã largiaris, ubi uideris egentem, etiam ſi nõ petat, multo minus inuadas ratione quãcunq;, ſed uerbis humanioribus alloquaris, ſi dare non uales: plus enim recreatur ad dulce uerbum, quàm ad eleemoſynæ datum. Nónne ardore refrigerat ros, ſic & uerbum melius q̃ datum. Non ſunt pauperes tractandi ut ſerui, ſed ſuſpiciẽdi ut amici dei, quorum deus curam teneat ſpecialem, & diuitum eos patronos potius conſtituerit, quorum cauſa in die iudicij ſint laudandi uel condemnandi. Ideo Chriſtus dixit: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Et non differas datum indigenti & anxio. Valet enim minus eleemoſyna dilata. Qui enim cito dat bis dat. Ne dicas, Vade & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare. Quantum moræ addidiſti, tantum gratiæ ſubtraxiſti, Seneca dicit, & Iob dicebat: Si oculos uiduæ expectare feci.

4 Rogationem cõtribulati ne abijcias: & non auertas faciem tuam ab egeno.

Preces hominis afflicti non auerſeris, negando quod rogat, ſi potes annuere, ne derogatione tua grauius affligatur. Memineris te quoq; anxiũ cupere conſolari. Regulam in his tibi ſtatuas charitatẽ, ut alteri facias quod uelle debes tibi præſtandum ab alijs. Et non auertas faciem tuam ab egeno, noli deſpicere uel auerſari uultu miſerum, ne duplo confundas. Denegando abijcit, qui non dat quum poſſit: auertit faciem, qui non compatitur. Gregorius: Nunquam manus uacua eſt à munere, cuius arca cordis plena eſt bona uoluntate. Non hic in iudicio uultus inſpiciẽdus docetur. Non neceſſe eſt hoc loco præmonere, ne in præiudicium diuitum pauperis egeſtas & miſeria clementius inſpiciatur. Hic enim de raro contingentibus caſus eſt, & non ſolicite urgendum, quod raro contingit.

5 Ab inope ne auertas oculos tuos propteriram: & non relinquas quærentibus tibi, retro maledicere.

Ex

Ex ira concepta in pauperem ex animi perturbatione inordinata, uide ne oculos auertas ab eleemosynã in necessitate postulante. Abijce magis iracundiam, & uince in bono malum, subuenias indigenti. Non enim tam pauperi das, quàm diuiti deo tua dona retribuis. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit, potum da illi, prunas enim super caput eius congregabis. Bis subinde repetit idem, de non auertenda facie à pauperibus, non ex crudeli animo, non etiam ex ira, utrunq; enim malum est, & non agendum à fidelibus. Sed & pauperibus donum roganti bus non des occasionem ex impatientia maledicendi, si opem quam ferre potes, sine tuo damno negaueris, cum iniquitate tua.

6 Maledicẽtis eñ tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum.

Clamat ad dominum non tantum pauperum oratio, sed anxietas & dolor animi egentis rebus necessarijs, et ea necessitas maledictio est diuitum, qui succurrere possent & nolunt, unde sequitur infra: Nónne lachrymæ uiduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? Sic clamat ad dominum sanguis Abel. Sic quoq; eleemosynæ clamant ad deum, Actorum decimo: Orationes & eleemosynæ tuæ ascenderũt in memoriam in conspectu dei. Eum autem clamorem haudd ubie sic exaudiet dominus, ut uindicare non obmittat. Pius enim & iustus est dominus, ut & pauperibus cõdoleat, & crudelibus irascatur. Sic enim per Mosen loquitur: Si læseritis eos uociferabuntur ad me, & exaudiam eos, quia misericors sum.

7 Congregationi pauperũ affabilem te facito, & presbytero humilia animã tuam, & magnato humilia caput tuum.

Pauperum miserias non aspernaris, sed familiarem te offeras, pie & libenter consoleris, dona in ipsis dei et naturæ honorifica, & paupertatem piorum saltem non odias, in qua Christo assimilantur, qui pauperum in hoc mundo sortem elegit. Noluit habere ubi caput reclinaret. Ad filium reguli rogatus non iuit, ad seruum Centurionis mox accessit. Mansuetudo neminem spernit, humilibus se omnibus subijcit. Decet autem fidelem æqualibus & inferioribus affabilem esse & nutem, seniori bus uero humilem. Vnde sequitur: Et presbytero, id est seuoribus humilia te, sic eorum acquiescas consilijs & mandatis obedias, etiam si pauper sit. Coram cano capite consurge, & honora personam senis. Et magnato aut principi humilia caput tuum, exhibe dignam reuerentiam, in quo refulget authoritas & potestas, unde assimilatur deo, unde in scripturis sacris quoq; dij uocantur. Dijs non detrahes. Ad deos causa utriusque perueniet.

8 Declina pauperi sine tristitia aurẽ tuam, & redde debitũ tuum, & responde illi pacifice in mansuetudine.

Inclinare aurem, est amice & mansuete præstare audientiam pauperibus, qui sunt membra & fratres Christi: quos qui spernit, Christum spernit uel auersatur. Reddendum quoq; debitum omnibus, Apostolus docet: Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui uectigal uectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem, præcipue uero exhibenda pauperibus misericordia est & charitas, ut illos tractemus non aliter quàm à domino nos tractari cupiamus, consolationem reddendo & eleemosynam, idq; cum mansuetudine & gratia. Hilarem enim datorem diligit deus. Seruũ quoq; domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, &c.

9 Libera eum qui iniuriã patitur, de manu superbi: & nõ acide feras in anima tua.

Simile in Prouerbijs dicitur: Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Non molestè feras laborem sustinendum pro liberando oppressos à tyrannide. Sicut & Iob dicebat: Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Acide ferre, dixit pro ægre ferre, & esse amarulento animo. Et quod hic textus habet, In anima tua, alij habent, In manu tua. Poterat quidem litera restitui ex Græcis, sed quis iudicabit, syncerior si sit codex Græcus, q̃ noster Latinus, cum æque mendosos Græcos codices conspicianus?

10 In iudicando esto pupillis misericors ut pater, & pro uiro matri illorũ: & eris tu uelut filius altissimi obediens & miserebitur tui magis quàm mater.

Viduæ & pupilli iuuandi.

Docet subueniendum pupillis & uiduis, hoc est omnibus auxilio sæculari destitutis, quorum calamitosiores esse solent orphani & uiduæ. Vt misericors pater est in proprios filios, sic suo exemplo mandat deus, ne sinantur opprimi pupilli. Idem Isaias: Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduã, &c. Venite & arguite me, dicit dominus, si scilicet uobis nõ clementiæ & gratiarum uicem rependero. Cauendum contra, ne uerum fiat quod idem dicit: Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa uiduæ non ingreditur ad eos. Cõtra autem Iob dicebat: Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam. Esto, inquit, loco mariti defensor & consolator uiduæ pro pupillis. Sic enim domino deo tuo assimilaberis, cui derelictus est pauper, & qui adiutor es orphanorum, obedientiam illi dignam & tibi necessariam præstabis, si fueris clemens. Miserebitur tibi quoque magis quàm mater, de qua Isaias: Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar. Vult dicere, incomparabiliter misericordiorem deum esse hominibus, & ineffabiliter magis, quàm sibijpsis homines, etiam coniunctissimi per naturam conciliari possint. Ideo quanto quis pietatis & clementiæ uisceribus magis afficitur in pios, tanto deo similior fuerit, & ex hoc charior.

11 Sapientia filijs suis uitã inspirat, & suscipit exquirẽtes se, & præibit in uia iustitiæ,

& qui illam diligit, diligit uitam: & qui uigilauerint ad illam, complectẽtur placorem eius.

Sapientiæ beneficia.

Studium ſapientiæ ueræ qua deus cognoſcitur et amatur, humanæ ignorantiæ nebulæ illuſtrãtur, & fides cum ſanctis moribus regulantur, uitã præſtant beatam etiam in hoc ſæculo, cuius ſapientiæ ſtudioſi, filij eius dicuntur, Hebraico more. Suſcipit exquirentes ſe, non deſides, otioſos, & malignos dignatur uera ſapientia, ſed ſui ſtudioſos & pios cultores, qui pro ea conquirenda ſedulo laborant, & qui tota diligentia eidem ſeſe deuouere & addicere conantur. Dirigit ſapientia uera ſuos cultores per uiam iuſtitiæ, quam docet, quam ſui filij unice ſectantur, ut per uiam mandatorum dei iuſti deducantur, cernantq; quomodo ſancte uiuendum. Qui igitur ſapientiam hanc, & Chriſtum illius datorem, qui dei patris ſapientia eſt, diligit, qui ad præſcriptum euangelicæ doctrinæ uitam inſtituit, is uita uiuit pia. Et qui meditandæ legi diuinæ, quæ ueram docet ſapientiã, die noctuq; inuigilat, & ſtudioſe incumbit, quod eſt illi aduigilare, is eidem digne ſic placere poterit, ut cum illo uelit perpetuo habitare, eum nunquam deſerere, ſed dulcedine uitæ & meditationum ſacrarũ implere & reficere ſemper. Ego enim (ait) diligentes me diligo, & qui mane uigilauerint ad me, inuenient me. Et beatus homo qui audit me, & qui uigilat ad fores meas quotidie.

12 Qui tenuerint illam, uitam hæreditabunt: & quò introibit, benedicet deus.

Qui in amore & ſtudio ſapientiæ perſeuerant, ſalutem hæreditabunt æternam, & in hac quoq; uita ſuauiter degent et ſalubriter, dum interim ſtulti per omnia uitia debaccbantes, innumeris uitæ & morum periclitantur incommodis, hæreditatemq; ſuam ad quam ſunt creati amittunt, nunquam recuperaturi. In quemcunq; uero introierit ſapientia, ut ipſius animũ ac pectus poſſideat, & pium reddat per fidem & charitatem, illum pater cœleſtis donis ſacratiſſimis honeſtabit, & multiplicabit fructus ſancti ſpiritus, ut inter benedictos benedicatur, & ſapientiæ fructus feliciſſimos carpat, illisq; iucunde fruatur.

13 Qui ſeruiunt ei, obſequentes erunt ſancto: & eos qui diligunt illam, diligit deus.

Qui colunt ſapientiam eatenus, ut eam perſequantur, apprehendant, ac diligant ex animo, iſti ſancto, qui per antonomaſiam ſanctus dicitur, deo ſcilicet ſapiẽtiæ authori & iuſtitiæ per omnia obſequentur, nihil gratius ducentes quàm creatoris beneplacito inſeruire & obſequi, ut ſancti ſint, ſicut & pater eorum ſanctus eſt. Et qui ſapientiam inquirunt, diligunt, aſſequuntur, ab eadem fideliſſime conſeruabuntur, edocentur, & felices redduntur, ut intelligant, qui tales ſunt, nihil fauoris uel ſtudij fruſtra ſe in illam excolẽdam collocaſſe. Eos enim dominus ipſe ſic diligit, ut multis gratiarum donis eos gaudeat locupletare.

14 Qui audit illam, iudicabit gentes: & qui intuetur illam, permanebit confidens.

Audire ſapientiam.

Qui ſic audit uerba ſapientiæ, quæ ſunt uerbum dei, ut etiam exaudiat & obſequi uelit, is aptus atq; dignus erit ad alios promouendum ad bonum, præmonendum à malis, regendum per huius uitæ pericula, hoc eſt ad iudicandum gentes uel regere. Per me enim, ſapientia ait, reges regnant, & legum conditores iuſta decernũt. Spiritualis enim homo per ſapientiam uerbi dei factus, iudicat omnia. Et qui ſapientiam intuetur, hoc eſt in dictis, agendis, ac cogitãdis ſemper ob oculos ponit & contemplatur & ponderat uerbum dei, quod ſapientiã docet, is inter proſpera ac aduerſa ſemper tutus conſiſtit, iuxta illud: Iuſtus qui & ſapiens eſt in deo, quaſi leo confidens abſq; terrore erit. Sapientia enim confortat iudicium, & parit fiduciam, quæ non concidet unquam.

15 Si crediderit ei, hæreditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illorum: quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum.

Qui incubuerit diligenter ſapientiæ, ut eam præſerat corporalibus omnibus, & ſeſe illi totum concredat, diligat, audiat & commendet, is proculdubio eam perfecte & feliciter aſſequetur, ut illa fruatur in ſæculo hoc & in futuro, ut dicere poſſit: Portio mea dominus in terra uiuentium, quæ nunquam auferri poſſit, ſicut nec immortalitas quam largitur. Et quicquid cum & meditate ſapientia pius confecerit, id ſtabile fixum erit & perpetuum, erunt enim probata deo & hominibus, & in die iudicij recta fuiſſe cernentur. In hac quoq; uita, æruminis plena, ſemper diriget ad ſalutem, & prouentum tentationibus ingeret, ut ferri queant. Id quod Moſes orabat, In quo poterimus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum? Et ad prima & optima ordinat ſic ſapientem, non eum patitur in poſterioribus deſiſtere uel in paruis, ad præcipua illum bona aſſumit, cœleſtia enim dona ei dare decreuit, potius q̃ terrena tranſitoriaq;.

16 Timorem & metũ, & probationem inducet ſuper illũ, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ, donec tentet eum in cogitationibus ſuis, & credat animę illius.

Sapientia uera hominẽ à deo data, non temerarium aut arrogantem reddet, ſed timentem & trementem ad uerba, hoc eſt ad uoluntatem dei. Verebitur ſemper ſic ſapiens, ne per fragilitatem humani iudicij ſcandalum incidat, ne irrepat carnis ſtultitia, & error ignorantiæ ex peccato inhærentis, ſciens nihil in hac uita ex omni parte perfectum. Ideo omnia probabit, ut meliora eligat, & ſimul aduerſa ſentiet ob contradicentem ſpiritui legem peccati. Sed per ſapientiam ueram probabitur ſenſus pij hominis. Interim uero nõ ſine cruciatu in hac uita conſiſtet: qui enim addit ſcientiæ, addit & doloris. Quãto ſapientia illuceſcit magis, tanto ſtultitia è uicino magis conſpicitur, cum qua ſit perpetuò decertandum. Sic uero tentat in cogitationibus ſapientia, ut cogere intendat animum ad reſignandum temporalibus bonis, & corporis concupiſcentijs, à quo caro abhorret quidem, ſic tamen ut euincat, & animã ſui iuris faciat, & facile oſtendat quod fuerat difficile uiſum carni & ſanguini.

Et

17 Et firmabit illum, & iter adducet directum ad illum, & lætificabit illum, & denudabit abscondita sua illi, & thesaurizabit super illum scientiam, & intellectũ iustitiæ.

Sapientia dei stabilietur cor fidele, ut nõ cito moueatur à uirtute propter tentationes quascunq; carnis, uel satanæ, sed semel susceptum uirtutis exercitiũ continuabit diligenter, & recta perducet per uias mandatorũ dei ad felicitatem quæ est in domino. Et id fiet non cum tædio uel tepore, sed spirituali gaudio: nõ enim habet amaritudinem cõuersatio sapientiæ cum uiro sancto, nec tædium conuictus eius, sed gaudium & lætitiam. Ipsa insuper sapientia dei donum docebit conscientiam de secretis fidei & scripturæ, uel etiam naturæ mysterijs, quod sensus carnalis nõ posset, ut dicere posit: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Nedum implebit eum scientia rerum utilium in hoc mundo, sed etiam intellectum iustitiæ diuinæ suppeditabit, quo sciat ea quæ ad animam perficiendam & saluandam pertinent, scientiam scilicet uerbi dei, fidei regulas, & mysteriorum dei sanum & utilem intellectum.

18 Si autem oberrauerit, derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici sui.

Si à sapientiæ semita declinauerit quispiam, & uerbi dei documenta reliquerit: suo maluerit sensu abundare quàm uerbo dei se credere, stultitiam incidet, & à sapientia deseretur, & tentationibus cedet, carni obsequetur & sanguini: sicq; diuina protectione nudatus, hostiũ & impietatis furori obijcietur & excæcabitur.

19 Fili, conserua tempus, & deuita à malo. Tempus obseruandũ.

In omni opere tuo opportunitatem temporis attende, quo opus expeditius prosequaris: tempus est enim omni rei sub cœlo, etiam uerbo quod non suo tempore dictum nocet. Et recede à malo, abhorreas quicquid malum agnoueris, quandoquidem unum malum continue adducit aliud & maius malum. Vt ferè idem dici uidetur: Declina à malo, et fac bonum, ne tempus otiose prætereat, & perditum non posit recuperari. Secundum quod dicit Apostolus: Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

20 Pro anima tua ne confundaris dicere uerum: est enim confusio adducens peccatũ, & est confusio adducens gloriã & gratiã. Confusio duplex.

Pro conseruanda uita tua, & effugiendo periculo, non putes te posse dicere falsum, et confundi de ueritate confitenda, sed potius sine uerecundia ueritatem confitere, & si tibi incumbit non taceas ueritatem iustitiæ uel doctrinæ. Qui enim me erubuerit dicit Christus, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet quum uenerit in regnum suum. Est autem confusio duplex, una adducens peccatum, cum confundimur testimonium perhibere ueritati, confiteri fidei articulos, & peccata nostra fateri dum inquirimur, & de factis nostris rationem iudex exegerit, rationabili necessariaue ex causa, ut non raro necessitas suadet, & pax communis, tunc enim confundi & detrectare officium & erubescere à bono pectum est, & uituperio dignum: sic si confundatur docere dum posit, corrigere dum charitas suadet. Alia erubescentia est laudabilis, dum quis de male acta cõuersatione sua confunditur, erubescit & compungitur, ut pœniteat & emendet, per eam gratiam meretur & gloriam. Est enim formido laudabilis ea, qua timetur indecens & turpe ne contingat.

21 Nec accipias faciẽ aduersus faciem tuã, nec aduersus animam tuam mendacium.

Non sic uereare faciem, aut timeas personam calumniatoris tui qualiscunq; sit, dum falso & procaciter tibi inurit contumeliã indignam, quo cogaris erubescere, & pudore innocenter perfundi, sed fiducia cordata extergas iniuriam, & non libeat alterius famæ magis consulere quàm propriæ. Veritatis fiducia calumniam abigas cum moderamine ut dicitur inculpatæ tutelæ. Ne sic tumudũ erubescas indigne, ut cogaris de tua diffamia insolens & futilis digne confundi. Nec alicui falsitati aut mendatio consentias cõtra tuijpsius salutem uel dignam famam. Nec acquiescas mendacio cuicunque per quod conscientia læditur tua uel alterius.

22 Ne reuerearis proximum tuum in casu suo: nec retineas uerbũ in tempore salutis.

Non consentias uel dissimules in casu fratris tui uel proximi, quo minus illum admoneas aut corripias, aut si prosit, in iudicio damnes: quod malum est, non respicias uel personam uel quietem tuam. Sic enim peccat qui uidet fratrem suum peccare & tacet, sicut qui pœnitenti non indulget. Nec tempore congruo desinas ab increpatione & informatione proximi, dum spes est emendationis. Et si prælatus es, etiam rebellem coërceas à malo, et compelle ad correctionem. Si enim occurreris boui inimici tui uel asino erranti, reduc eum: quanto magis adiuuandus est homo? Qui enim conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluabit animam suam à morte, et operit multitudinem peccatorum. Frater monendus.

23 Non abscondas sapientiã tuã in decore suo. In lingua enim sapientia dignoscitur: & sensus, & scientia, & doctrina in uerbo sensati, et firmamentũ in operibus iustitiæ.

Non inuolute eloquaris sapientiam, quam accepisti ut alijs impartiaris: nõ indiget ueritas decore sermonis: in decore dictionis non obscures simplicitatem ueritatis. Doctrina quoq; sapientum sit facilis. Et qui elucidãt me uitam æternam habebunt. In euidentia enim linguæ, hoc est sermonis, sapientia dignoscitur. Is enim uere sapiens & sensatus percipitur, qui ueritatem quam nouit clare & simpliciter eloqui potest. Vnde & August. in lib. de Doct. Christiana: Cauendũ est ne fugiant ab animo quæ dicenda sunt, dum attenditur ut arte dicãtur. Sensati hominis uerba doctrinam redolent, non tantum de fide, sed et de moribus: firmant enim tum fidem tum moralem iustitiam, qui pro accepta sapientia clare docent, uerbis et factis comprobant, quæ docuerunt. Qui enim fecerit & docuerit, magnus uocabitur in regno cœlorum. Fortitudo animi per iusta opera cognoscitur & nutritur. Sapientia clare docenda.

24 Nõ contradicas uerbo ueritatis ullo mo

do,& de mendacio ineruditionis tuæ confundere.

Veritati nõ contradicendum.

Nequaquam agnitæ ueritati contradicas,contentionis more. Non exponas uerba scripturæ ad tuam libidinem,ne illius uigorem emollias,nec sacræ doctrinæ tuis operibus cõtradicas. Non te falsè excuses dum uere corriperis. Qui scelera abscondit dum corrigitur,non dirigetur: qui de eis confunditur, & humiliter fatetur,misericordiam cõsequetur. Si quis uere increpauerit te de mendacio aut ineruditione uel errore apud temetipsum, sic confundere ut emendare proponas: nec procaciter quod falsum est propugnare pergas, sed gratiam potius rependas ei qui amicitiæ beneficium largitus est,à falsitate uindicauit,& docuit ueritatem.

25 Non confundaris cõfiteri peccata tua,et ne subijcias te omni homini pro peccato.

Confiteri peccata.

Non sic confundaris confiteri peccata,ut homini consulere potenti tibi, uel in iudicio requirẽti more debito, id quod res est contegas uel abscondas. Da potius gloriã deo ut Achor,& confitere & indica quid feceris. Confundere quidem de admisso crimine, sed de reddenda ratione ueritati non sic erubescas,ut obmittere malis. Verumtamen non omnu requirenti peccata tua patefacias, non enim expedit nec oportet,ne anima,rebus,et corpore & fama pericliteris, sed ei tantum qui prodesse possit,& certo uelle cognoscitur: ei quoq; qui inde nõ scandalizatur uel peior efficitur,ne te lauãdo alterũ polluas.

26 Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluuij.

Præpositis obsequendum.

Principi tibi instituto à domino humiliter & sponte obsequere,in his quæ ad suum uideris officium pertinere. Omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit. Qui ergo potestati resistit,dei ordinationi resistit, et sibi damnationem acquirit. Declarat per simile, principi ut fluuio non obsistendum,non inepte. Vt enim fluuius montes non ascendit,sed per conualles: sic non in bonos, qui sunt ut montes dei,potestatem acceperũt principes, sed in malos. Non sunt enim principes timori boni operis, sed mali. Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Durum tibi est contra stimulum calcitrare,& conari contra malum insuperabile.

27 Pro iustitia agonizare pro anima tua,& usq; ad mortem certa pro iustitia, & deus expugnabit pro te inimicos tuos.

Iustitia defendenda.

Non tibi durum sit sustinere agones pro defensanda iustitia,si & ubi necessitas postulet: qui enim pro iustitia pugnat, pro mundi salute pugnat, quæ sine iustitia consistere non potest, includente omnes uirtutes etiam fidei,ideoq; resistendũ est aduersarijs fidei & bom communis. Pugnandũ autem in primis est spiritualibus armis,oratione & lachrymis,uerbo dei & exhortationibus, officijs quoq; charitatis, antequam perueniatur ad uerbera. Vbi uero hæc nihil efficiũt,in casu etiam armis materialibus est pugnandum. Non tamen fidendum in uiribus quibuscunq; humanis,sed dño fidendũ,cuius sola gratia & uirtute hostes expugnantur uisibiles & inuisibiles. In te inimicos nostros uentilabimus cornu. Dominus pugnabit pro nobis,et uos tacebitis. Ego dabo uobis os & sapientiam,cui &c.

28 Noli citatus esse in lingua tua: & inutilis,& remissus in operibus tuis.

Non sis inconsideratus & præceps ad loquendum, ne stultus habearis & leuis. Sit omnis homo uelox ad audiendum,tardus autẽ ad loquendum,&c. Quod si quid dicas,caue ne leuiter & uane. Turpis est enim lingua magniloqua, & manus remissa: fortia documenta, & opera modica. Audiant te homines magna facientem,ait Chrysostomus,& minora iubentem. Vnde et Iesus cœpit facere & docere. Sapientis igitur est moderari sermones suos,ut minus loquens & promittens, plus faciat: ne & in conscientia torqueatur, & ab alijs rideatur. Ideo Prouerbiorum 13. Qui custodit os suum,custodit ab angustijs animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

29 Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.

Mansuetudinem & prudẽtiam docet patresfamilias, principes & reges,maxime episcopos, ne crudeles sint in subditos,uel inexorabiles aut fastuosi, omnia perturbantes ex ira uel impatientia,domesticos præcipue,quos præstat pie tractare & ædificare,non opprimere uel uastare. Crudele & superbum animal leo est atq; tyrannicum,qualem non decet prælatum esse, sed mansuetum et modestum,ad benefaciendũ propensiorem quàm ad nocendum, ducere potius uolentem in suam sententiam subiectos quã trahere uiolenter. Suscipite infirmos, Paulus dicit Thessalonicensibus, patientes estote ad omnes. Isaias quoq;: Væ qui condunt leges iniquas,& scribentes iniustitias,ut opprimant in iudicio pauperes: & cætera ibidem in hanc sententiam multa.

30 Nõ sit porrecta manus tua ad accipiendum,& ad dandum collecta.

Auari consueuerunt sponte accipere, & grauatim largiri: ideo hic sapiens auaritiam uetat, misericordiam cõmendat,ut non rapiamus aliena,sed largiamur nostra. Beatius est enim dare quàm accipere. Quandoquidem laborandum fidelibus est, & minime otio uacandum, nec & ab alijs non cogantur mendicare, & proprijs partã laboribus indigentibus ualeant impartiri.

CAPVT V.

1 NOli attendere ad possessiones iniquas,et ne dixeris: Est mihi sufficiens uita: nihil enĩ proderit in tẽpore uindictæ & obductionis.

Attendere ad possessiones iniquas intelligi potest de auaro desiderio obtinendi diuitias per fas et nefas, uel confidutiam ponendam in talibus,inq; eis sperare,quasi habitis spoliari non possint diuites, uel etiam sese occupare in eis acquirendis,conseruandis, augendis. Omnia hæc sapiens non agit, sed si affluant, non apponit cor suum. Qui enim hoc modo amat diuitias, fructum nõ capiet in eis. Dicuntur autem iniquæ possessiones,quæ iniuste acquirumtur uel reseruantur, & plurimorum uitiorum occasiones

occasiones sunt, ideo mãmona iniquitatis uocatæ à Christo. Et Apostolus: Qui uolunt diuites fieri incidũt in tentationes & in laqueũ diaboli, & in desideria multa noxia, quæ hominem mergunt ad perditionem. Et ne dixeris: Nulla mihi egestas superuenuet, quamlibet diuturna uita contingat: Suppetunt abunde facultates, ut nullius egeam auxilio uel officio. Ne tibi usu ueniat quod in Luca dicitur de diuite, qui dixit: Anima habes multa reposita in annos plurimos, &c. Nihil tibi proderunt omnes tuæ diuitiæ in die ultionis. Argentum eorum & aurum non poterit liberare eos in die iræ domini. Tempus obductionis, est tempus nebularum & angustiarum, uel dum sensus hominum pro aduersitatum timore obducuntur.

2 Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui, & ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me subijciet propter facta mea? Deus enim uindicans uindicabit.

Concupiscentia frenanda.

iuuentutis, sanitatis & fortitudinis tuæ temporibus non secteris sensuum tuorum concupiscentias, ut pro libidine uiuas, & sine timore futuræ calamitatis, ut putes impune agere mala quæ uelis, rapere aliena quæ possis, quasi sine timore dei uiuens, mandatis eius contrauenire audeas. Et ne dixeris: Quomodo potui scilicet hæc consequi quæ habeo per fas & nefas, meoq; arbitrio & robore, sic subindæ multa nemine prohibente colligam & possidebo. Quis enim me suæ potestati subderet, quo minus agere possim quæ libent? Sic autem dixerat Nabuchodonosor: Nónne hæc est Babylon, quam ædificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ? Et impiissimus Sennacherib: In fortitudine, ait, manus meæ ego feci, & abstuli terminos populorũ, &c. Vt enim minime puniris in hac uita, ultionẽ iustitiæ diuinæ nõ euades horrendissimam, manumq; omnipotentis, neq; uiuẽs neq; defunctus effugies. Malũ enim deus inultum abire nõ patitur.

Vitala uindicanda.

3 Ne dixeris: Peccaui, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiẽs redditor.

Non putes impune te agere quod impie uoles, & pro culpa te nihil passurum. Differt quidem uindictam contemptus & blasphemiarum, sed nõ aufert. Sensit id rex Babylonius & Assyrius præfati. Altissimus est enim patiens redditor, dissimulãs quidem peccata hominum, aliquando propter pœnitentiã, aliquando aũt ut diutius torqueat et induratos acrius puniat, et terribilius damnet. Est enim deus iudex patiens quidẽ, sed et iustus ac fortis. Nisi conuersi fueritis gladiũ suum ubrabit. Inde Ecclesiastes: Quia non profertur cito contra malos sententia, absq; ullo timore filij hominum perpetrant mala.

4 De propitiato peccato noli esse sine metu, neq; adijcias peccatum super peccatũ.

Timendum pro peccato

De semel offensa summa diuinitate peccatis tuis nunquam non doleas, ubi fueris recordatus, semper toto corde indoleas irritatum deum, & te perperam egisse. Et quanquam de remissa per dei gratiam per Christi meritum peccata post pœnitentiam dubitare non debeas, semper tamen solicitus sis, ne similia tibi secundo contingant, uel uindicta aliqua dei ingruat quam meruisti. Vt de Ioseph fratribus, & de Dauide adultero testatur sacra historia. Beatus potius homo qui semper est pauidus de offensa dei, quum in multis semper & omnes offendamus, & iudicia dei grauia extimescere debeamus. Et ne similia tibi peccata accidant, esto semper uehementer solicitus, attendens pronitatem naturæ ad præuaricãdum, sola gratia dei saluandos homines, & eos non nisi sperantes in misericordiam dei, quæ sperni non debet, & per Christum pro nobis mortuum.

5 Et ne dicas: Miseratio domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.

Non præsumendum de dei clementia.

Noli audaciam tibi fingere de clementia dei, noli præsumere & præuisacere uel peccatum tuum uel indulgentiam patris tam benigni, ne spreta patientia, efferueat in iram intolerabilem. Vtcunq; enim certissimũ sit magnã esse misericordiam dei, utq; nolit mortem peccatoris, sed uitam: additur tamen, quod æque uelit conuersionem à peccatis, & iustitiæ suæ honorem negligere nõ debeat neq; possit. Sed magis cogitandum, ut quem clementem cognoscimus, cõtemptu bonitatis suæ minime irritemus. Non quidem obliuiscitur misereri deus, nec cõtinebit in ira misericordias suas, sed & malos male perdit, & clementiæ contemptores supplicio sempiterno condemnat. Non enim misericordia à deo procedit sola quæ electis tribuitur, sed & ira pro reprobis, & ea quoq; intolerabilis. Dominus enim ut custodit omnes, sed diligentes se: sic omnes quoq; peccatores disperdet. Quin potius cogitandum quam iuxta sit dies domini, & uelox nimis. Iuxta inquã dies est perditionis, et adesse festinãt tempora. Ideo dicitur: Cito proximãt, nedum misericordia, sed & ira qua peccatores intuetur cũ feueritate nõ indigna.

6 Non tardes conuerti ad dominũ, & ne differas de die in diem: subito enim ueniet ira illius, & in tẽpore uindictæ disperdet te.

Conuersio non differenda.

Quandoquidem periculum est in mora, & iam nunc ultius domini respicit super facientes mala, ut perdat de terra etiam memoriam eorum, ideo uigilandum est peccatori, ne differat conuerti ad dominum, nescit enim quæ hora uenturus sit dominus. Subito enim ueniet pœna pro peccatis, & iudicium iustum dei, quo ad corpus improbum, & animam impietate repletam, ut nisi cito conuertaris ad dominũ, te sit cum cæteris peccatoribus subito disperditurus. Non est igitur sine periculo huiusmodi mora. Voluit ergo Christus non indulgere tempus scpeliendi patrem, sed ut statim sequeretur. Ambulandum potius dum lucem habemus, ne nos tenebræ adoruentes comprehendant, & anteuertant pœnitentiam.

7 Noli anxius esse in diuitijs iniustis: non enim proderunt tibi in die obductionis & uindictæ.

Solicitudo abijcienda.

Prohibet dominus solicitudinẽ pro diuitijs acquirendis, sed curam iubet traijciendã in eum qui uolucres cœli pascit, & prospicit omnibus ut enutriat: multo minus formido adsit ne partas amittas, quod domino statuente præuenire non poteris. Satage potius circa fidelem di-

ſpenſationem earum, unde domino placens, diu per eius gratiam illis feliciter uti queas: quandoquidem ex eius ſolius nutu & tu pendes totus, & omnis tua ſubſtantia. Quem ſi offenderis per auaritiam aut inclementiam, nihil tibi proderunt omnes mundi theſauri: quin in die tenebrarum & caliginis nulla tibi lux eleemoſynarum effulgebit, nõ te Chriſtus pauperum patriarcha agnoſcet: ut feciſti pauperibus, ſic tibi fiet: miſericors non fuiſti, dei miſericordiam non ſenties.

8 Non uentiles te in omnem uentum, & non eas in omnem uiam: ſic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.

Credendũ non temere.

Non omnu credas ſpiritui, ſed ſoli qui ex deo eſt. Non proponas ſimul deo ſeruire ac mammonæ, quando colere deum fidem exigit dei & amorem proximi: mammonam autem colere, eſt terrenis inhiare, proximum negligere, ſeipſum amare magis quàm uel deum uel proximum. Et ire per omnem uiam, eſt deſiderijs abduci in omnes concupiſcentias carnis, circa plurima occupari, unum negligere maxime neceſſarium, claudicare in ambas partes, deum colere & Baal, ſpiritum & carnem, cœlum & terram. Peccatorem probari ex duplici lingua, eſt prodi duplicitatem cordis ex ore, dum uerbo fides & uirtus prætenditur, factis autem amor ſui & carnis deliciæ comprobantur. Sic quoq; ueritas ore docetur, & cõuerſatione damnatur. Vel dum dicitur bonum malum, & malum bonum. Sed & paſſiones & uitia hominem reddunt inſtabilem.

9 Eſto firmus in uia domini, & in ueritate ſenſus tui & ſcientia, & proſequatur te uerbum pacis & iuſtitiæ.

Via domini eſt fides in uerbum domini, & obedientia mandatorum eius, in quibus firmum eſſe oportet fidelem cultorem dei, qui hoc in libro inſtituendus aſſumitur. Sed & doctrinis uarijs contra puritatem fidei unice amplectendã, et peregrinis inſtitutis humanisq; traditionibus ſenſus hominis pij à ueritate nõ aberret, ſed firmetur ſenſu perfecto in ſcientia uera, quæ donum dei exiſtens, annexam ſibi retinet charitatem. Nec aliud ex ore tuo unquam audiatur quàm uerbum pacis & iuſtitiæ, ſtudium conciliandi pios & electos, ſimulq; docendi ueram iuſtitiam, quæ uerbo domini continetur, ne unquam errorum certamina concitentur, & fidei iuſtitia præter uerbum dei conſtituatur ex hominum placitis. Docuit itaq; primum mandatorum obſeruantiam firmam ac ſtabilem, deinde eruditionem fidei ex ſacris, hoc eſt, ſcientiam ſalutarem, tandem uero doctrinam aliorũ, & prædicationem eccleſiaſticam, nunc auditores format.

Verba piorum.

10 Eſto manſuetus ad audiendum uerbum dei, ut intelligas: & cum ſapientia profer reſponſum uerum.

Verbum quomodo audiendum

Sedulo & patienter audi uerba ſalutis, & diligenter conſidera quæ dicuntur, ut intelligas etiam ſi contraria carni & ſanguini tibi ingerantur. Cum manſuetudine, inquit Iacobus, ſuſcipite inſitum uerbum. Non enim utiliter auditur ueritatis uerbum, niſi ab humilibus & manſuetis. Ad annuntiandum manſuetis miſit me, Chriſtus loquitur apud Iſaiam. Dirigitq; manſuetos in iudicio, & mites docebit uias ſuas. Tunc enim ſapientiam percipient ueram & ſacram, ut apti ſint proferre reſponſum uerum ad interrogata, ut ſic parati fiant ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem, de ea quam didicerunt fide & ſpe.

11 Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo: ſin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in uerbo indiſciplinato, & confundaris.

Si tibi certa intelligentia eſt eorum quæ à te quæruntur utilium dogmatum, maxime uero uerborum dei & ſacrarum literarum, in quibus omnia continentur ad ſalutem neceſſaria, & ad felicem conuerſationem in ecclaſia fidelium, non obmittas reſpondere proximo inſtituendo ſecundum gratiam acceptam à domino, & pro officio neceſſariæ charitatis, ſic enim alios inſtituendo proficies magis. Sin minus certo intelligis quæ quæruntur, ſilentium ſerua, ne improberis, & appareas imperitum dediſſe reſponſum & confundaris. Quemadmodũ enim qui negat ſe ſcire quod ſcit, & renuit reſpondere ad ea quæ nouit ut expedit, ingratus eſt: ſic qui prætendit ſe ſcire quod neſcit. Ideo Gloſſa ait: Sicut peccat qui ſcit proximum docere non uult: ſic qui neſcit, & uult eſſe magiſter. De quibus Apoſtolus: Volunt eſſe legis doctores, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.

12 Honor & gloria in ſermone ſenſati, lingua uero imprudentis ſubuerſio eſt ipſius.

Gloriam meretur apud deum & homines, qui ſapienter docet quæ ſcire oportet. Vnde et in Daniele: Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et Paulus: Qui bene præſunt preſbyteri, duplici honore digni ſunt, maxime autem qui laborant in uerbo & doctrina. Sed imprudẽs lingua ſeipſum facile ſubuertit ac alios. Os ſtulti conteritio eius, & labia ipſius ruina animæ eius.

13 Non appelleris ſuſurro in uita tua, & lingua tua ne capiaris & confundaris.

Suſurro dicitur, qui diſcordias ſeminat inter amicos, & occulte maliloquus, qualis cum detractore deo odibilis eſt maxime. Prouerbiorum ſexto: Sex ſunt quæ odit dominus, & ſeptimũ deteſtatur anima eius, ſcilicet eum qui ſeminat inter fratres diſcordiam. Sic igitur te geras per omnia in lingua, ne tanto uitio iuſte inſimuleris, & iuſte redarguaris de tam pernicioſo & turpi crimine, & pariter odioſo deo & hominibus. Multi quoque capiuntur per linguam mendaces, detractores, adulatores, periuri, & iniqui prædicatores uel hypocritici. Bene enim docere & male uiuere, nihil aliud eſt quàm ſe ſua lingua damnare. Lingua eſt unuerſitas iniquitatis.

14 Superfurem enim eſt confuſio, & pœnitentia, & deuotatio peſſima ſuper bilinguem: ſuſurratori autem odium, & inimicitia & contumelia.

Sufurrator in malitia furem excedit, quia pernicio-
sus nocet damnum famæ quàm rerum: amicitiæ & pa-
cis quàm pecuniæ, & pro grauitate criminis confusio
quoque maior & pœna illi debetur. Sed tamen maior
quoque execratio & irrisio, imò odium manet bilin-
guem, qui aliter de præsentibus loquitur, aliter de absen
te: idem mentitur, fallit & diffamat circa eundem: su-
surrator autem odibilem se reddit ad omnes, ideoq; ut ho
stis pernicios issimus fugiendus est. Odium autem est cor
dis, inimicitia operis, contumelia oris, quanquam & in
turpi facto contumelia sit, ut contumelia afficiant corpo
ra sua in semetipsis, secundum Paulum.

15 Iustifica pusillum, & magnum similiter.

Idem sapientiæ sexto: Pusillum & magnum ipse fe-
cit, & æqualiter cura est ei de omnibus, ideo sine perso-
narum acceptione proferendum iudicium est. Ita par-
uum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusquam per-
sonam. Est autem personam accipere, hominem nõ quia
homo est, sed propter aliud quod circa ipsum est honora
re. Iubet aũt dominus Deuteronomij decimosexto: Non
accipias personam nec munera, quia munera excæcant
oculos sapientum, & mutant uerba iustorum. Iuste quod
iustum est exequeris.

CAPVT VI.

1 Noli fieri pro amico inimicus pro
ximo: improperiũ enim, & con-
tumeliam malus hæreditabit, &
omnis peccator inuidus & bi-
linguis.

Docemur inimicitiam fugere, sectari autem charita-
tem ac sapientiam. Noli ad complacendum amico fieri
inimicus proximo tuo: pro amore unius noli fieri inimi-
cus alterius. Hoc enim nõ sustinet charitas, quam omni-
bus obligaris hominibus, quos amare debes, amicos qui-
dem in deo, inimicos autem propter deum. Vera autem
amicitia exigit, ut nec turpe uel illicitum aliquid roge-
mus amicum, nec tale faciamus rogati. Impium est ergo
amici uel consanguinei causa quacunq; sic offendi, ut ad
eius uindicandam iniuriam qualemcunq;, generalis ami-
corũ hostilitas conflagretur. Pertinet enim ad acceptio-
nem personarum deo abominandam. Improperio autem
obnoxius fiet, qui & contumeliam hæreditabit, dignam
illi qui carnem iustitiæ prætulerit, & amicitiæ bonum
uertit in iustitiæ & pacis damnum, qui inordinate di-
ligit & odit, quomodo scilcet non oportet, & hostis fit
homini, nulla sufficiente causa. Vnde & illi conflatur
inuidia & obloquutio: alioqui & omnis qui malus est,
hoc est, animo deprauato suo tempore et loco contume-
liam reportabit, & inuidia sequitur cor prauum, quod
odit iustos, quibus & obloquitur dum potest, & coram
quibus audet, si non aperte saltem in angulis, quod est ho
minis bilinguis.

2 Non te extollas in cogitatione animæ,
tuæ uelut taurus: ne forte elidatur uirtus
tua per stultitiam, & folia tua comedat, &
fructus tuos perdat, & relinquaris uelut li-
gnum aridum in eremo.

Noli superbire de quacunq; uirtute tua, quæ per for-
titudinem intelligitur, qualis est maxima in tauro, quam
à teipso cum non habeas non de ea digne poteris gloria-
ri, sed humiliter de te potius sentias, ne superbus fero-
cias, et in audaciam mouearis. Ne sinas superbiam domi
nari in corde ne pereas, & dei in te dona iuste amittas,
ne pro insolentia & fastu tuo humilieris, ne fiat fortitu-
do tua ut fauilla stuppæ, & opus tuum quasi scintilla,
& sapientia tua infatuetur, & in stultitiam redigatur,
si de ea cœperis superbire, quasi eam non à deo recepe-
ris. Folia sanè tua per stultitiam comedentur, exterior
tua species & ornatus simul & uerba peribunt ob su-
perbiam tuam, & confunderis. Sed & opera tua dispe-
ribunt, quæ fructus habentur insolentis animi tui, & to-
tus prostitueris in contemptum, ut arbor infructuosa &
arida, destituta aqua sapientiæ & gratiarum. Si quis in
humilitate, quæ signum est gratiæ, non manserit, ad Chri
sti domini exemplũ mitis & humilis, in ipso manere non
poterit, sed mittetur foras sicut palmes & arescet, & si-
cut miricæ in deserto habitabit in siccitate, & in terra
salsuginis. Fortitudo nõ iactanda

3 Anima enim nequam disperdet qui se
habet, & in gaudium inimicis dat illum, &
deducet in sortem impiorum.

Hominem uiuentem & directum per animam ne-
quam, impiam, & deum non timentem, ipsa talis anima
disperdet, occidet spiritualiter, membrum diaboli consti-
tuet, ac mancipium uitiorũ. Inimicis suis eum faciet gau
dium hominibus & satanæ, irrisioni illorum exponens.
De quo etiam infra: Si præstiteris animæ tuæ concupi-
scentias suas, faciet te uenire in gaudium inimicis tuis, et
in consortium impiorum te pertrahet. Nunc quidem in-
ter diaboli membra connumerabitur, & ad ecclesiam
impiorum ciuitatemq; diaboli pertinebit, tandem in in-
ferno erit portio eius cum diabolo & angelis eius per-
petuo damnandus. Dum contra de iustis dicitur: Com-
putati sunt inter filios dei, et inter sanctos sors illorũ est.

4 Verbũ dulce multiplicat amicos, & mi-
tigat inimicos: & lingua eucharis in bono
homine abundat.

Ratio comparandi amicos plurimos præcipua est al-
loquium syncerum & dulce, sermo humilis, pius, conso-
latorius & modestus, unde excitata iam ira sedatur &
conquiescit. Fauus mellis uerba composita, & responsio
mollis frangit iram. Sermo durus suscitat furorem. Ge-
deon quum respondisset humile uerbum Ephratæis, re-
quieuit spiritus eorũ, quo contra eum tumebant. Ephra
tæi duro responso suo Iepte in suam perniciem irritarũt.
Dauid capitalem suum hostem uerbis amicis mansuefe-
cit. Roboam regnum Israel dura responsione amisit. Lin
gua eucharis, id est, bene gratiosa, ad omne opus bonum
proficit & perducit. Sapienter loquitur qui sapiens est,
& salubria sponte pronuntiat. Os autem fatuorum ebul
lit stultitiam & rixas prouocat. Comparare amicos.

5 Multi pacifici sunt tibi, & consiliarius sit
tibi unus de mille.

Concordia

Concordiam ac pacem ſerua cum omnibus, ſi fieri poteſt. Quod in uobis eſt cum omnibus hominibus pacem habete, dicit Apoſtolus. Beati quoq; pacifici, quoniam filij dei uocabuntur, promouẽt enim pacem ubi poſſunt. Sed non niſi pauciſſimos, nempe prudentes, bonos, fideles & probatos admittas tibi conſiliarios. Periculum eſt ſecreta non ſecuris aperire, & quorumlibet uti paſſim conſilijs. Cauſam tuam tracta cum amico, & ſecretum tuum ne reueles extraneis.

6 Si poſſides amicũ, in tentatione poſſide eum, & ne facile credas ei teipſum.

Amicus obſeruandus.

Si familiarem amicũ te conſequutum exiſtimas, quem in conſilium tuum admittere tuto poſſis, amicitiam eius experire in diffortunijs & aduerſis, ubi ſi fidelem probaueris, uerum amicum habebis, ſentiens cum non tam ſua commoda quæſiuiſſe quàm tua. Frater enim talis in anguſtijs comprobatur. Verum nõ facile te credas amico, niſi per multa experimenta probato. Blandis enim hominibus non eſt continuo credendum, ſed in aduerſitate expertis. Non agnoſcetur amicus in bonis & fortunis, nec abſcondetur in malis inimicus. Ideo iuxta Senecam: Omnia delibera cum amico, prius tamen de ipſo. Quare autem non ſit contrahenda facile amicitia cum quocunq;, ſubiungit:

7 Eſt enim amicus ſecundum tempus ſuũ, & non permanebit in die tribulationis.

Amicitia ſimulata.

Eſt qui amicitiam ſimulat non niſi ad tempus proſperitatis, ut ſuis proſpiciat circa te commodis, uel honori, is aduerſitatum tempore, ubi lucrum nullum ſperabit, ſtatim te deſeret. Diuitiæ enim addunt amicos plurimos, à paupere autem & hi quos habuit ſeparantur, conſtat ergo ueros amicos illos minime fuiſſe. Sunt ergo diligenter probandi, ut dictum eſt.

8 Et eſt amicus qui conuertitur ad inimicitiam: & eſt amicus qui odium & rixam & conuitia denudabit.

Iracundus nulli amicus.

Hominem iracundum ac cito irritabilem aut ſuperbum caue facile amicum ſuſcipias, pro re enim leuicula ſuo more commotus ad iram recedet, ſi quid in ſinũ eius ſecreti concrediditi, ſtatim ex ſtomacho euomet & prodet ſecretum, etiam ſi poſſit obeſſe quàmplurimum: non enim amicitiã & fidem tunc cogitat, ſed uindictam iracundi animi, ſeſeq; cupit uindicare, & ad contentiones commouebitur, iniquitatis ſuæ culpam in te conijciet. Qui uere amicus eſt, non facile iraſcitur amico, omnia enim amici uerba & facta boni conſulit, non ſua quærit, ſed amici, bonus eſt & bene ſentit, ſecundum ſe alios iudicat, ideo non mutatur ad malum, odium, rixas, conuitia maxime deteſtatur, multo minus fouet.

9 Eſt autem amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.

Amicus nõ quærit ſua.

Conſtat amicum non eſſe qui ſua quærit non amici, qui commoditatẽ gulæ ſectatur, ut ſit ſocius menſæ, uentris curam gerit, non uirtutis cuiuſcunq;, lupis ſimilior quàm homini, imò muſcis, quæ mel ſequuntur ut lupi cadauera: ſic prædam ſequitur, non hominem. Triplicem ergo amicum hic diſcimus. Primum fortunæ, quam ſequitur iuxta poetam.

Cum fueris felix, multos numerabis amicos.
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Secundum amicum inconſtantiæ & ſecundum tempus. Tertium menſæ. Omnes non alterius magis quàm ſuiipſius amici. Ideo nõ permanent in amicitia, niſi dum inde lucrantur.

10 Amicus ſi permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis, & in domeſticis tuis fiducialiter aget: ſi humiliauerit ſe contra te, & à facie tua abſconderit ſe, unanimem habebis amicitiam bonam.

Si uerum & tui ſtudioſum amicum fueris aſſequutus, & in amicitia conſtantem, in proſperis & aduerſis non tam ſua quærens quàm tua, is tibi uelut æqualis erit, & alter tu, cui ſecreta tua audeas retegere, et te illi committere, à quo nihil timeas, & nihil inhoneſtum petas. Non eſt enim uectigalis amicitia, ſed plena decoris, ad illum te geras ceu ad fratrem. Eſt enim amicitia non inter homines diſſimilis gradus uel ſtatus, is in negotijs tuis ſideliter aget, inſiſtet ornamentis tuis & uſibus, æque te abſente ut præſente in rebus & negotijs tuis & familiæ tuæ. Is ſi humiliauerit ſe honorem & ſyncerum affectum tibi monſtrando contra faciem uel eregione faciei tuæ ſuam amicitiam uerbo uel factis conteſtando, eidem tuto credas, nihil enim finget, idem abſens tibi erit qui contra faciem apparet & coram, ſemper eum tibi perfectum amicum inuenies, nihil enim per hypocriſim agit, ſed ex corde. Non ſic inſyncerus, quem coram laudantem & blandientem formidare debes abſentem: eſt enim ibi amicitia quidem, ſed non bona, ficta autem & fallax.

11 Ab inimicis tuis ſeparare, & ab amicis tuis attende.

Quos probabiliter uel certo inimicos expertus es, et credis, noli facile frequentare, et familiariter illis uti, ne pericliteris: cuſtodias te potius, & loco diſcede ſi congrue poſſis, ne occaſionem præbeas malignandi. Tutiore utere fortuna, non aſpides in ſinu foueas: profundum eſt enim cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Obſeruãdos eos fratres Paulus docet, qui diſſenſiones & offendicula faciunt. Quin & ab amicis tuis attende, qui & ipſi non ſemper fidos ſe exhibẽt. Veri amici ſoli hi ſunt, qui non uoluptatem ſectantur ſuam, aut terrenam commoditatem, ſed uirtutum conſortia, honeſtatem & probitatem, & amorem ſapientiæ quærunt. Si quid aliud amicum quærere uideris, cauendum tibi ab illo erit.

12 Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum.

Vtcunq; fortia ſibi domicilia homines præparent, et fortalitia inuincibilia, nihil tamen efficitur niſi amici adſiſtant, & amicum tueantur fide, quæ omniũ fortiſſima arx eſt. Exponit enim ſe qui huiuſmodi eſt pro amico uando, adauget uires, animum confirmat fiducia amici fideliter adſiſtentis, & animam pro amico, ut Chriſtus, ponentis

ponentis. Est enim fidelis amicus medicamentum uitæ et immortalitatis, qui & damnum negligere potest pro-ter amicum, quia integer. Nihil ergo in hoc mundo pre-tiosius, & præcipuum magis bonum, quàm uerus ami-cus, unde & thesaurus dicitur & habetur gratissimus & utilissimus, ideo sequitur:

13 Amico fideli nulla est comparatio, & nõ est digna ponderatio auri & argenti con-tra bonitatem fidei illius.

Nullæ diuitiæ, nullæ delitiæ, honores nulli per æqua-litatem comparantur amico fideli. Nec illi comparatur quæcunq; ponderatio auri uel argenti. Istis enim dese-rentibus & non succurrentibus, imò sæpius periculi & exicij causam præstantibus, & ex amicis hostes facien-tibus, is uerus & fidelis amicus semper amat, adiuuat, consolatur, & prodest, in periculis & post fata quoq; succurrit famæ eius, amare non cessat, & quibus potest modis posteris non deest.

14 Amicus fidelis medicamentum uitæ, & immortalitatis: & qui metuũt dominum, inuenient illum.

Declaratio prædictorum est, ut non sit fideli amico quicquam felicius. Suis enim consilijs & auxilijs amici uitã uindicat à periculis & tristitijs, ex charitate nihil negligit, reuocare conatur ab omni malo corporis & animi. Inde dicitur in Prouer. Vnguento & uarijs odo-ribus delectatur cor, bonis autem amici consilijs anima dulcoratur. Verum huiusmodi amicum non inuenit nisi uir pius et deum timens. Simile enim suo tantum applau det simili, ideoq; qui talem sibi amicum optat contingere, seipsum in primis talem exhibeat alteri.

15 Qui timet deũ, æquè habebit amicitiam bonam: quoniam secundum illum erit a-micus illius.

Qui deum timet nihil eorum negligit quæ fidem con-cernunt ad ipsum, & mandatum ipsius ad proximum. Ideo benefaciens hominibus facile sibi amicos acquiret. Tales inueniet amicos qualẽ se illis præbuerit. Dei enim respectu studebit amicitiam præstare proximis ueram, fidelem, constantem, non fictam. Ideoq; secundum illum erit amicus illius, talis nempe erit eius amicus ad ipsum, qualis ipse ad illum. Ex quibus patet uere amicum esse, cui se potest homo tuto concredere, cuiusq; uoluntati per omnia acquiescere, nihil enim uult uel petit, nisi ho-nestum & sanctum. Quia uero amicitia talis sine sapi-entia & discretione obtineri & conseruari non potest, recte subiungitur de doctrina & sapientia à puero im-bibenda.

16 Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & usq; ad canos inuenies sapientiam.

Iuuenilis ætas, in primis apta disciplinæ, negligenda non est, sed sacris literis ac moribus imbuenda, quæ per omnem reliquam ætatem ornamento sint & saluti ho-minis, usque enim ad canos inuenes sapientiam, dum à teneris illam annis cœperis indagare. Sapientiam autem intelligit eruditionem rerum diuinarum, quæ deus nos scire uoluit. Doctrinam uero intelligere possumus pe-ritiam liberalium disciplinarum, unde promouendum sit ad sacræ scripturæ studium, quæ puteus profundus est, ut exhauriri non possit. Qui ergo in iuuentute sua, quæ & pro adolescentia capitur, studuerit sacræ scripturæ, is in senectute dulces metet fructus sapientiæ. De quibus dicitur: Primi & purissimi sunt fructus eius. Mane ergo semina semen tuum, &c.

17 Quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius: in opere enim ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius.

Sapientia quomodo inquirẽda.

Quàm diligenti & indefatigabili studio sapientia sit acquirenda consequenter docet. Qui sacram aut quam-libet utilem sapientiam cõsequi cupit, principio studeat cordis sui agrum diligenti inquisitione euertere, spinasq; uitiorum à natura adhærentium eradicare, pro omni ui-rili sua: tunc itaque semen diuinæ eruditionis excipere fructuose poterit, unde tandem gloriosum fructum uir-tutum metere possit & gloriæ. Alioqui in maliuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpo-re subdito peccatis. Sed non subito pullulat fructus, qui statim sit decerpendus, ideo patienter expectandus, se-cundum illud quoq; Iacobi: Patientes estote fratres usque ad aduentum domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferẽs donec accipiat tempora-neum, & serotinum. Et ne ex nimium longa expectatio-ne terreatis, addit: Comparatione tam pretiosi & opti-mi fructus modicus tibi imminet labor, in paucis enim ue xati, in multis bene disponentur. Cito enim edes de ge-nerationibus illius, de sapientiæ gaudijs & contempla-tionibus, de beatis fructibus, non enim potest diu otiosa consistere sapientia charitati coniuncta.

18 Quam aspera est nimium sapientia indo ctis hominibus, & non permanebit in illa excors.

Sapiẽtia in grata indo-ctis.

Infecto stomacho & gutture omnis cibus quamlibet delicatus ingratus est & amarus: sic duris & uitiosis spiritalis doctrina non sapit. Non enim recipit stultus uerba prudentiæ, nisi dixeris ea quæ uersantur in corde ipsius. Et alibi: In auribus insipientiũ ne loquaris, despi-cient enim doctrinam eloquij tui. Excors uero ex ebrie-tate uino uel fornicatione non permanebit in ea. Sic e-nim Osee quarto: Fornicatio, uinum, & ebrietas aufe-runt cor, quod & intelligendum de reliquis passionibus, studium sapientiæ præpedientibus. Quanquam enim ta les aliquando sapientiã affectare cernantur extra passio nes ad horam sepositi, statim tamen ut concupiscentia rediens agitauerit, excordes efficiuntur & sapientiam detestantur.

19 Quasi lapidis uirtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam.

Insipientes & stulti eo ipso probantur esse quales sunt, ex uirtute ferendi lapidẽ grandem. Tentant si qui-dem gestare lapidem, & uirtutem exercere cupiunt ad illum, fortibus quibusuis comparari cupientes, pondus autem sentientes abijciunt: sic indoctis onerosa sapien-

tia est, cum enim experiuntur difficultatem assequendi sapientiam, uel secundum illam uiuendi, protinus totam abijciunt ut onus molestum. Ideo dicitur: Non demorabuntur, hoc est non tardabunt abijcere illam. Grauius enim illis uidetur obedire sapientiæ, quàm ut ferre possint aut uelint, nesciunt enim fructus eius, ideo proijciunt non audiendo uel obsequendo.

20 Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est eius, & non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usq; ad conspectum dei.

Quibus nota sapientia

Quare indocti sapientiam abijciant ostendit. Quia cum celebretur tantum à doctis, sapientibus, & pijs hominibus, tanquã honesta, utilis, sancta, & religiosa, ideo ab impijs & stultis non appretiatur, quibus nulla est cura, nisi de concupiscentia carnis, libidine, diuitijs, gloria, & luxu, quicquid pertinet ad honestatem, pietatem, & uirtutem, detestantur. Cum uero stultorũ infinitus sit numerus, et pauci sapientiæ amatores, ideo non multis manifesta est uera sapientia, sed tantum pijs, studiosis, & dignis. Quibus ubi cognita est, per experientiam fructuum suorum, eos perducit usque ad conspectum dei, usq; ad contemplationem rerum diuinarum in præsenti sæculo possibilem, in futuro aũt sæculo in cœlestibus perficiendam.

21 Audi fili, & accipe cõsilium intellectus, & ne abijcias consilium meum: inijce pedem tuũ in compedes illius: & intorques illius collum tuum: subijce humerum tuũ, & porta illam & ne acedieris uinculis eius.

Sapientia amplectenda.

Hortatur ad amplexum tam fructuosæ sapientiæ. Audi, inquit, fili, & accipe tibi consilium eruditum, utile, & honestum, quod non à stultis audies, sed à me, ideo non abijciendum, sed obseruandum diligenter. Patere te capi affectu tuo & desiderijs à sapientia illa uera, ut nihil tibi uspiã gratius, dulcius, & utilius uideatur, quàm soli incumbere sapientiæ adamandæ & excolendæ. Pedibus & manibus, collo & pectore, uelis constringi à tam dilecta sapientia, cui regendos offeras omnes animi tui & corporis affectus, & desideria cordis. Ne quid tibi assumas agendum, uel etiam loquendum, aut cogitandum, secus quàm ut uult & decernit sapientia, illiq; complacet. Omne studium & labor omnis sit unice deuotus & dedicatus sapientiæ ueræ studijs. Vt sic illam portes ut ab illa potius porteris, & glorificeris, ducaris, & instituaris. Ne unquam acedia quacunque corripiaris in obsequio, studio, exercitio, actibus illius, sed cum hilaritate illam colas, illi obsequaris, & per omnia complacere desideres.

22 In omni animo tuo accede ad illam, & in omni uirtute tua conserua uias eius. Inuestiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam: in nouissimis enim inuenies requiẽ in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.

Intellectu et affectu sapientiam complectere, totis uiribus imple studia pertingendi ad sapientiam, ut per illã proficias, reformeris, diteris, glorificeris. Illam studiose perquire, perseuranter ama, & manifestabitur tibi, certò & feliciter eã assequeris. Cumq; eam fueris adeptus, uide ne illam deseras nec relinquas. Ne non uelis secundum illam uiuere & docere, sed potius negligere & amittere, tecum tædio affectum. Tandem enim amator ipsius perseuerans, in extremis tuis annis omnibus reliquis corporis & sensuum uiribus destitutus, suauissimã inuenies penes eam tranquillitatem, & delitias spirituales in æternum duraturas, & dulcissimos laborum tuorũ fructus percipies, quibus perpetuum perfrueris cum gaudio, & alios quoq; in illius amorem exemplo tuo & doctrina salutari perduces.

23 Et erũt tibi cõpedes eius in protectionẽ fortitudinis, & bases uirtutis, & torques illius in stolam gloriæ: decor enim uitæ est in illa, & uincula illius alligatura salutaris.

Præcepta sapientiæ quibus amatores suos sibi deuincit ueluti compedibus, erunt illis in protectionem fortissimam contra omnes hostes uitiorum & tentationum, contra satanam & mundum, contra bella carnis & sanguinis. Erunt firmamenta & bases omnium uirtutũ, & spiritualis roboris, ut sistinere ualeas labores seruitij illius, & molestiam huius mundi. Torques quoq; illius erit tibi in stolam gloriæ. Non aliter eloqueris sacrosancta quàm ut decet sapientiæ professorem, & studiosum alumnum. In summa enim ut dicatur, Hæc sapientia quã dominam assecutus es, cuius te obsequijs et seruitio mancipasti, splendidissimus decor tuus erit, donec uixeris, nobilissima seruitus, & captiuitas felicissima. Hæc est enim re uera uita æterna, sapientiam diuinã habere amicam & consortem, constrictum esse illius suauissimis uinculis, & gratiarum suarum uberibus iugiter lactari, reficiq; cœlesti illius ambrosia, & nectare sempiterno.

24 Stola gloriæ indues eam, & coronã gratulations superpones tibi.

Sapientia hæc te glorificabit in præsenti sæculo et futuro, non secus ac si regali trabea glorioßissime indutus esses in regno electorum omnium & cœlesti. Et corona gratulationis tibi ipsa superponetur in gloriam illius & tuam: intellectum tuum ea sapientia sic cõsummabis & perficies, lætificabisq; coelectorum felicitatem, eaternis ut ea tanquam regio diademate resplendens, æternæ iucunditatis coronam sis in omnia sæcula gestaturus.

25 Fili, si attenderis mihi, disces: et si accommodaueris animum tuum, sapiens eris.

Filium appellat sapientia dei omnem electum ad salutem, quem et alloquitur, definens nullam eruditionem sæcularem, neque etiam omnes disciplinas philosophicas reddere hominem sapientem, sine sapientia uerborũ dei, sine eruditione sacra, sine fide creatoris & cultu, quæ duo includit & connotat sapientiæ nomẽ. Obaudire oportet sapientiæ discipulum uerbo domum. Illud discere oportet & animum accomodare, ut omnino & audire incumbat scientiæ salutari, & sapiens fiat ea sapientia, de qua multa iam ante.

26 Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam:

ctrinam: & si dilexeris audire, sapiens eris.

Eadem ferè sæpius dicuntur, ut & inculcentur, & cum additamento repetantur subinde nouo & utili. Aurem inclinare, est cum fide & diligentia aduertere intellectum & sensum. Excipere doctrinam, est aduertere quid loquatur sapientia salutaris, quam pro hominum salute deus infundit, & conscribi uoluit, disci & credi. Diligere, audire, est eam sapientiam deuote discere, fideliter credere, ut posit docere. Hæc uero sunt munia sapientis, legere, audire, discere, intelligere, credere, docere, facere, & defendere ab improbis impugnatoribus sacræ doctrinæ.

27 In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapiētiæ illorū ex corde coniungere, ut omnem narrationem dei possis audire, & prouerbia laudis nō effugiant à te.

Noli de tuo intellectu præsumere, ut tuopte ingenio omnia assequi te posse confidas. Noli tibi spiritum arrogare diuinum, ut quicquid uerisimile tibi cogitatus tuus ingesserit, etiam si bene intendas, & pro eo dominum deprecaris, certum & catholicum habeas, sic ut uelis defendere. Non enim omnibus omnia sanctis et sancta reuelat, ad audientiam prouocat filios suos mater sapientia, non ad cogitantiam. Quin & non unum & alterum decernit in angulis doctorem, sed uocat ad cœtum multorum et prudentium: sed qui sint cani, non tantum annis, sed sensu sint presbyteri, non unus sed plures. In talium collegio stes, & sine insigni miraculo, uel ratione certa, & uerbi dei clara authoritate noli uariare & contrarium discere uel docere ab illorum doctrina, sed fide & iudicio illis coniungere potius. Non ut audias quid illi doceāt uel imaginentur, sed quid proferant ex narrationibus diuinis, ex archiuis canonicæ scripturæ, ex promptuario prophetarum et Apostolorum, ex officina probatissima spiritus sancti: nec unum & aliud dogma sacrum, sed omnem narrationem dei, quicquid utriusq; testamenti regula canonq; decernit, ut certum & firmum. Prouerbia autem laudis, sunt parabolæ & doctrinæ laudabiles, illæ non te effugiant, sed ea studiose perquiras,

28 audias, memoreris, & scias.

Et si uideris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

Quemcunq; inueneris sensatum, hoc est doctum, piū, & beneuolum, cum illo cura ut assidue conuerseris, cius uerba diligenter audias, sapientiam discas, pietatem seueris, & cum humilitate apud illum conuerseris, ut proficias sedulo & attente, de mane consurgens, hoc est multo studio & assidue sine pigritia uel acedia, quod hic dicit Hebraico more euigilare ad sapientem. Et gradus ostiorum exterere pedem, est assidue uisitare ædes præceptoris, & sapientiam dei salutarem docentis cum fide. Vnde & in Prouerbijs sapientia loquitur: Beatus qui obseruat ad postes ostij mei, &c.

29 Cogitatum tuum habe in præceptis dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

Omnis meditatio, & studium tuum omne, sit in lege domini die noctuq; meditanda, & in cogitandis præceptis dei, quomodo non solū intelligas & memoreris, sed & ut obserues solicite, ipsa enim maxime necessaria sunt ad salutem, sine quibus nihil proderunt alia, secundum quod dicitur: Quæ præcepit tibi dominus, illa semper cogita: unde & in Prouer. Liga eum in corde tuo iugiter, & circunda eam gutturi tuo. Cum ambulaueris gradiatur tecum, cum dormieris custodiat te, et euigilās loquere cum eis. Et ipse doctor sapientiæ spiritus docebit cor tuum. Et sapientia ipsa quam tantopere cōcupiscis, à deo tibi infundetur, iuxta illud: Si quis indiget sapientia postulet à deo, qui dat omnibus affluenter. Dominus est qui dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, nō sine medijs uel scripturæ uel doctorum, nō sine audientia & oratione præuia, non sine studio & uigilijs. Quæ omnia nihil prosunt sine domino inspirante, qui & sine talibus medijs non inspirasse generaliter, nisi rarissime nosc̄tur, ne qui stulte sibi placeant. Sapientia meditanda.

CAPVT VII.

1 Oli facere mala, & non te apprehendent. Discede ab iniquo, & deficient mala abs te.

Mala prohibemur hic facere, cum ex nobismetipsis sine dei gratia præuia bonū nihil ne dicam facere possimus, sed nec cogitare uel uelle. Sed tamen omne studium cō uertendum est, ut malum non fiat, ad quod quotidie & sine intermissione natura in nobis corrupta inclinat. Hic uero hortatur, ut ex proposito et data opera nō committamus quod malum nouimus esse. Sufficere debet, non nes plurimum tentari & urgeri ad malum. Si enim sine timore malum fiat, non solum fiet, sed multa subinde mala & incommoda consequentur, unde non se homo dum uolet explicare posit, principio igitur resistendum. Sed & si ad iniquum designandum quisquam tentetur, continuo declinet, non acquiescat impiæ tentationi, omne malū quod allicit declinetur, ut cito fieri potest, ut tanto minoribus & paucioribus tentetur malis. Si enim nō strenue et ab initio iniquitati resistatur, mox suo pondere ad aliam et maiorē pertrahet. Si uero malo resistatur ab initio, non facile à malis alijs inuestabitur. Facilius est semper restitisse uitio, & nunquam inchoasse, quàm cōmissum iterum emendare, & semel expertā peccati libidinē postea perpetuo cauere. Mala fugienda.

2 Fili, non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum.

Sulci iniustitiæ intelliguntur corda fragilium ad iniquitates prona, quibus non sunt ingerenda uitiorum semenia præuæ doctrinæ, aut scandalosa exempla. Alioqui si proclives ad mala solicitaueris, & occasionem illis peccandi præbueris, omnium peccatorū quæ hinc pullulabunt reus eris, redundabunt inde prouenientia mala in tuam pernicicm & damnationē, pro quibus tu septuplum lues, hoc est multipliciter, more scripturarum, in quibus septenarius unuersitatem significat. Seminanda potius sunt iustitiæ seminaria uerbo sanctæ doctrinæ, exemplarisq; uitæ, ut corda plurimum uitijs assueta Iustitia seminanda.

erroribusq; infecta reformata saluentur, sicut scriptum est: Seminate uobis in iustitia, & metite, &c.

3 Noli quærere ab homine ducatum, neq; à rege cathedram honoris.

Contra ambitiosos.

Non ambias potentatũ uel præsidentiam, à quocunq; magno principe uel rege, ut eius authoritate iudex constituaris hominum illi subditorum, ne te cæteris sapientiorem putare uidearis, & ad homines regendum idoneum, quod non caret insipientia uel malignitate ut plurimum. Idem intelligitur quod per iugũ repetitur. Siue enim propter lucrum id uelit, sordidus putabitur, & auarus. Siue pecuniam spondent, iniquitatis rei conuincentur, qui eandem cum fœnore recuperare uelle liquido censentur, ut Symoniaca uel ciuili prauitate non carent. Christianis autẽ dicitur: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici dicuntur: Vos autem non sic, &c.

4 Non te iustifices ante deum, quoniam agnitor cordis ipse est: et penes regem noli uele uideri sapiens.

Præsumptio falsa.

Noli existimare in conscientia tua te iustum esse in conspectu dei, in cuius iudicio omnes hominũ etiam sanctorũ iustitiæ sunt ut pannus menstruatæ, ut pariter omnes sancti cum Dauide orent: Non intres in iudiciũ cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Non est enim homo super terram uiuens, qui non peccet, quandoquidem etiam bona opera nostra non sunt sine defectu, quos tamen gratia diuina clementer suscipit & non imputat: idq; unicum est iustitia credentium, fides in Christum, quæ est iustitia nostra, satisfactio & redemptio, propter quem nobis peccata non imputat ad mortem, sed exaudit orantes, Remitte nobis debita nostra, sicut &c. Etiã si iusti essemus, quod non sumus, non tamen nobis esset arroganda, sed omne de nobis iudicium soli cordium omnium inspectori deferendum esset, qui nouit quid sit in homine, à cuius gratia pendet salus nostra, non ex nostris factis uel meritis, quæ omnia pendent ex imputatione dei, non natura uel iustitia operum humanorũ. Quin & in conspectu regis hominis, noli uelle sapiens apparere, ne tibi subrepat studiũ uel uoluntas placentia tantum loquendi, & non tantum uera atq; salubria. Simile in Prouerbijs legitur: Ne gloriosus appareas coram rege. Nulla præsumptio perniciosior, quàm de propria iustitia, quæ hic reprimitur, aut de scientia superbire, unde alibi dicitur: Vidisti hominem sapientem sibi uideri, magis illo spem habebit stultus, Prouerbiorum uicesimosexto.

5 Noli quærere fieri iudex, nisi ualeas uirtute irrupere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.

Ambitio prohibetur.

Ambitio prohibetur ad honores iudiciarios, qui uix aut nunquam digne administrantur pro malitia quæ inter homines uiget, in quæ pericula sese conijcere superbiæ est uel stultitiæ. Pertinet enim ad iudicem insignis prudentia rerum, & iustitia, non tantum in uoto & opere pro se, sed & pro alijs, ut incorrupto sit iudicio, ne acceptatione personarum, fauoris, & munerum declinet à iusto: sed & oportet diuitijs, fortitudine animi, potentia sæculari, et innocentia uitæ sic instructum esse, ut nolentes sponte desistere malo, cogere uelit et ualeat. Hinc potentes qui simul probi & integri sint & sapientes, ad huiusmodi officia promouere expedit, cæteris paribus, quàm priuatos et ignobiles, qui discolos reprimere non possint & rebelles. Non enim oportet quocunque timore uel respectu relinqui iustitiam, ne intermissa disciplina inualescat impunita malitia, & subditos meliores scandalizes, dum uiderint te leuiorem & remissiorem in coercendis impijs, quàm reipublicæ prosit. Vnde & ex Gregorio: Debet quisq; proprias uirtutes perpendere, & iuxta qualitatem uirium suarum curam aliorum suscipere, ne dum delectatur solio gloriæ, fiat subditis ad ther ruinæ: & qui grauatur pondere propriarum culparum, non debet uelle fieri iudex alienarum. Denique ordo charitatis et iustitiæ exigit, ut homo in primis corripiat & castiget seipsum.

6 Non pecces in multitudinem ciuitatis, nec te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata: nec enim in uno eris immunis.

Non pecces ob gratiam multitudinis, ut impune tibi cum eis uel propter eos peccare posse confidas: nec acquiescas in iudicio sententiæ plurimorum, ne uoluntati populi consentias contra iustitiam, nec sequaris turbas uel acquiescas populi precibus ad plausum contra iustitiam, ne simul populi peccata cum tuis iungas, cum & tibi commissos non reuocas, & illorum malitiæ non solum communicas, sed propriam facis in tuam infamiam, & populi scandalum, cuius in te culpa redundat, & pro utroq; peccato, tuo & populo iustissime puneris. Potentes enim hoc præcipue in casu merentur potenter tormenta luere, secundum illud: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, quia populum à peccato non coercuerant.

7 Noli esse pusillanimis in animo tuo.

Arduas functiones officij tui à deo tibi uel ecclesiæ iniunctas, sine tua iniusta ambitione intrepide aggrediaris. Habebis enim assistentem tibi dei gratiam, qui quod implere te uoluit, sua in te uirtute confirmabit. Age bona fide quod intelligis & potes, reliquum per orationem deo commendes.

8 Exorare, & facere eleemosynam ne despicias. Ne dicas, In multitudine munerũ meorũ respiciet deus, & offerente me deo altissimo, munera mea suscipiet.

Religiose, diligenter, sancteq; & semper deum colas, illum in fide adorando, & exorando pro gratia & bonitate sua, proximis quoque succurrendo per opera misericordiæ. Sunt ista ambo magni apud deum momenti, & necessaria homini pio, quæ & suscipit gratius, quàm quæcunq; legis sacrificia, de quibus nihil præsumendum, his neglectis. Ideo subditur: Noli fiduciam ponere in sacrificijs legalibus, etiam si copiose offerantur, ut illa putes sufficere ad salutem, & accepta deo sic esse,

ut illum placent, qui fide potius offerentium, charitate quoq; & deuotione obedientiaq; placatur & colitur. Euntes discite quid sit misericordiam uolui & non sacrificium, Christus dixit. Non pensat deus fidem ex munere, sed munus ex fide. Respexit dominus ad Abel & ad munera eius. Vnde & post hæc omnia, uere inutiles nos esse seruos deprehendimus.

9 Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat & exaltat, circumspector deus.

Noli propter odium tuum ad hominẽ irridere quenquam, miserijs & aduersitate grauatum, uel in cordis amaritudine consistentem. Condoleas potius, ora pro misero, errante uel lapso, quandoquidem cras tibi similia poterunt euenire, & non nisi dei bonitate circa te talibus cares, quem si tu alijs illudendo, uel odio fraterno offenderis, senties in te quoq; plagis grauioribus iustum eius iudicium. Omnipotens est enim dominus, & clemẽs omnium inspector et cognitor, ut quem uult cito magnificet, quem uult uelociter deijciat, superbos scilicet & alijs illudentes. Qua mensura mensi fueritis remetietur uobis. Hinc illusores ipse deludet. Abominatio est enim domini omnis illusor.

10 Noli amare mendacium aduersus fratrẽ tuum: neq; in amicum similiter facias.

Impium est fingere uerum cum intendas falsum, hoc est mentiri deo qui ueritas est, et odiens mendacium uehementer, quod prorsus ab illius est ingenio alienum. Quod ut hominibus familiarius est ex natura, quod omnis homo mendax, tanto diligentius est obseruandum atque cauendum quod sit contrarium charitati, & offendiculum fidei & conuersationi syncerę inter homines. Idq; non tantum de pernicioso intelligendum, sed etiam de otioso & iocoso, quibus authoritas eleuatur. Quod uero officiosum est, & ex charitate in casu proficiscitur, mendacium dici non meretur. Vnde dicitur: Aduersus fratrem noli amare mendacium, hoc est, non tibi placeat mendacium in proximi tui damnum uel tuum, aut reipublicæ, multo minus amicum tuum mendacio fallere uelis, qui id de te sibi nunquam persuasit. Ideo alibi dicitur: Non moliaris proximo tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.

11 Noli uelle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona.

Nullum prorsus mentiendi genus admittas unquam scienter & ex proposito, prout contingunt mendacia, non solum contra amicum, sed & æque contra hostem. Assiduitas enim mentiendi, etiam per iocum, nõ tantum non est bona, sed insigniter mala. Minus enim dicẽs, plus significat. Os enim quod mentitur occidit animam. Et infra: Potior est fur, quàm assiduitas uiri mendacis.

12 Noli uerbosus esse in multitudine presbyterorum, & non iteres uerbum in oratione tua.

In præsentia uel consessu seniorum tutius est doceri quàm loqui, non proferas sensum tuum. Quanquam nullibi uerbosum esse liceat, uir enim linguosus non dirigetur in terra, & stultus uerba multiplicat, & non iustificabitur: minime tamen id decet, sed uehementer reprehenditur loquacitas inter maiores, quos audire præstat quàm uelle docere. Reuerentia potius illis est exhibenda. Nec idem frequentius loquendo repetas, quasi cupiens non plene intellecta uerba tua senioribus & te prudentioribus inculcare. Vel sic sufficiẽter loquamur quæ uolumus, ut eadem frequentius resumere non cogamur. Nec confidendum in multiloquio. In oratione uero ad dominum eadem repetere ex animi feruore nihil prohibet, si id non ex infidelitate proueniat, sed ex affectus feruore, & quia dominus quanquam omnia prænoscens, tamen à nobis uult orari, sed non in uerborum multitudine, sed fidei feruore & animi anxietate.

13 Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo.

Noli amare otium, multa enim mala docuit otiositas, & natus est homo ad laborem. Ruris quoque cultura proprium est à deo homini iniunctum officium, in pœnam peccati primi, post quod otium inter homines ferri nunquam potuit. Ideo honesta mechanica & rusticana opera ad uitæ sustentationem necessaria non sunt odienda, nec spernendi agricolæ uel artifices reipublicæ seruientes, de quorum opera reliqui sustentantur. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Vnde qui non laborat non manducet. Cum silentio operantes fideles, suum quique panem manducent. Quo contra de reprobis dicitur: In labore hominum nõ sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, &c. De rusticationis autem laudibus Cicero: Omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius: et alia multa apud eundẽ in Officijs & Senectute, ut merito hic dicatur rusticationem esse creatam ab altißimo.

Cõtra otiũ.

14 Non te reputes in multitudine indisciplinatorũ. Memẽto iræ, quoniã nõ tardabit.

Non te sic geras uerbis & moribus, ut merito inter immorigeratos computeris, nec illorum te societati coniungas, uel illorum mores & studia approbes, ut uidens furem cum eo curras, & cum adulteris portionem tuam ponas. Qui enim cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus autem stultorũ stultus efficietur. Et corrumpunt bonos mores colloquia mala. Memineris potius uindictæ dei, pro omni peccato & malitia: non enim præteribit destinatum tempus, etiam si tardius, ueniet tamẽ, & longe citius quàm ferre uelis aut possis.

Societas sapientum.

15 Humilia ualde spiritũ tuum: quoniam uindicta carnis impij, ignis & uermis.

Multa tibi humiliandi necessitas imminet, si culpas consideres tuas, si naturæ prontatem ad malum, fragilitatem ad bona, corporis impuritatem & animi, iudicij diuini scueritatem, quæ tibi imminet. His autem te gradibus humiliare disces, secundum sanctorum traditionem, quæ sunt modestia in oculis, parcitas in uerbis, in risu ueritas, taciturnitas in uerbis ad nõ quæsita communis uiuendi ordo, alijs se uiliorem credere, propria peccata

Humilitatis necessitas.

agnoscere, in arduis etiam obedire negotijs, aduersos patienter ferre, omnibus sponte subdi, propriam non diligere uoluntatem, domini iudicium semper formidare. Qui sic se humiliat exaltabitur. Impia caro punietur igne & uermi, hoc est homo damnatus corpore & spiritu flagellabitur. Alludit autem ad illud Esaiæ ultimo: Ignis eorum non extinguetur, & uermis eorum nõ morietur, ut ignis intelligatur pœna extrinsecus sæuiens, uermis autem dolor intus accusans.

16 Noli præuaricari in amicum pecuniam differentem, neq; fratrem charissimum auro spreueris.

Amicus ob damnum nõ dimittẽdus.

Amicitiæ legem noli præuaricari propter pecuniam. Nulla est enim amico fideli comparatio. Non importune exigas mutuatam ab amico pecuniam. Non est enim irrationabiliter aut crudeliter pecunia repetenda ab amico, iuxta quem sensum dicitur: In die ieiunij uestri inuenitur uoluntas uestra, & omnes uestros debitores repetitis, scilicet nõ suo uel tempore uel modo. Potius est propter amicum et fratrem perdenda pecunia. Qui negligit damnum propter amicum iustus est, Prouer. duodecimo, qui ergo non negligit iniustus est. Non est pro inopia amicus spernendus, quin potius ei qui soluendo non est, omnino donandum, uel patienter expectandum.

17 Noli discedere à muliere sensata & bona, quam sortitus es in timore domini: gratia enim uerecundiæ illius super aurum.

Contra repudium.

Permittebatur ex lege Hebræis durissimæ ceruicis hominibus libellus repudij, uiris qui graui aliquo odio mouebantur in uxores, ne quid contingeret grauius, unde non raro etiam pro leuioribus causis perperam contra legem uxores repudiabantur. Quam legis sententiam uel permissionem Christus explicat & restringit ad charitatis legem, quæ à lege domini intendebatur. Hic uero Sapiens docet, iuxta legem Mosis & Christi: Ab uxore sapiente & uirtuosa, quã in timore dei sortitus es, minime recedas, sed ea utaris cum timore dei, ad sobolem procreandam ad cultum dei. Cuius honestas & simplex uerecundia pretiosior est, & gratior sit uiro omni auro. Præcipue in fœminis pudor commendatur, & timor de omni re turpi, sicut in uerecundia in illis uituperatur potissime. Gratia super gratiã mulier sancta & pudorata. Ingens ornatus est uerecundia in fronte mulieris.

18 Non lædas seruũ in ueritate operantem, neq; mercenarium dantem animam suam.

Seruus quo modo tractandus.

Seruus non lædendus docetur, aut affligendus conuitijs, uerberibus, uel mercedis fraudatione aut dilatione, qui tibi seruit fideliter, sedulo, & utiliter: sed cum charitate pieq; tractandus, qui uires corporis & uitæ suæ operas exponit in tuum obsequium. Ideo ait Apostolus: Domini, quod iustum est seruis præstate. Vnde & Leuitici decimo nono: Nõ morabitur opus mercenarij apud te usq; mane. Sors enim seruorum tam crudeliter oppressorum est cum orphanis, pupillis, & uiduis, quorum omnium clementissimus patronus est misericordiarũ pater, ut sit pro illis solicitus.

19 Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neq; inopem derelinquas illum.

Pro communione naturæ & uirtutis & fidei probitate, diligas ex animo fidelem seruum & sensatum, sapientem & sedulum. Sit tibi quasi anima tua. Non illum in tuo obsequio inuitũ detineas ultra tempus à lege præfixum. Exodi uicesimo primo: Si, inquit, emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo liber egredietur. Cum diu fideliter seruierit, dona illum tandem libertate. Neq; inopem illum derelinquas, dum liberditur, nõ erit uacuus & sine munere dimittendus. Deuteronomij decimo quinto: Nequaquam uacuum abire patieris, sed dabis uiaticum.

20 Pecora tibi sunt, attende illis: & si sunt utilia, perseuerent apud te.

Sine proximorum damno serues tibi tua quæ possides pecora, illisq; attende, quid de illis tibi facto sit opus, uendenda ne tibi sint an seruanda. Si uero utilia tibi esse senseris carne, pelle, fimo, lacte, & prole, apud te perseuerent. Talis enim olim patriarcharum prouentus erat, atque iusta substantia, & utilis uehementer ad familiæ sustentationem amplissimæ. Intelligi quidem moraliter potest de prælatis & pastoribus ecclesiasticis commodo, sed hæc literalis instructio minime est aspernenda. Non enim honestior est uictus, quàm ex animalibus & agricultura, quibus se maiores honeste & felicius nutrierunt & quietius.

21 Filij tibi sunt, erudi illos, & curua illos à pueritia eorum.

Filios dei beneficio acceptos, per teipsum uel alios erudi in literatura ac moribus. Iuxta Apostolum, Patres educate filios uestros in disciplina et timore domini. Obligantur enim parentes proli alimentum, doctrinam, & disciplinã, siue castigationem. De qua sequitur: Curua, hoc est reprime illorum affectus & passiones à pueritia illorum, cum adhuc sunt ductibiles & dociles. Vnde Salomon: Noli subtrahere à puero disciplinam, tu uirga percutis eum, & animam eius de inferno liberabis. Et alibi stultitia colligata est in corde pueri, & uirga disciplinæ fugabit eam.

22 Filiæ tibi sunt, serua corpus illarũ, & nõ ostendes hilarem faciem tuam ad illas.

Non est permittenda filiabus euagationis licentia, ut ex pudicitia periclitentur, exemplo Dinæ, quã dei prouidentia idcirco fœdari permisit, ut cunctis fideliũ filiabus duraret in exemplum. Seruandum summa diligentia corpus filiæ est ne publicis permittatur spectaculis, multo diligentius ne priuatis conuenticulis illi illudatur. Lubrica est enim fama pudoris. Maturitate autem opus est parentum in filias, maxime uero patris. Ideo dicitur: Nõ ostendas faciem hilarem ad illas, ne fiduciam peccãdi uel audaciam corripiant, ne assuescant ad uiros affici, ne sine parentũ scitu digrediantur domo, semper sint in timore & solicitudine, omnia etiam tuta uereantur, timeant semper patrem, & diffamiæ omnis notas abhorreant semper: sunt tamen moderato rigore tractandæ.

23 Trade filiam, & grande opus feceris, & homi-

homini sensato da illam.

Quantis ebuccinarent uerbis, qui cœlibatum tantopere euehunt, si de turpi eorum munditia tale præceptũ haberent ex scripturis, quale hic de matrimonio legunt, iteratum post uerbum dei, à constituto mũdo prolatum. Saluberrimum documentum est sanè, & grande opus, filiam locare uel tradere sensato homini, unde spes sit procreandæ prolis religiosæ & honestæ. Sensato autem danda est, qui prudenter & strenue rei familiari incumbere nouerit, etiam si diuitiæ absint, iuxta illud Ciceronis: Malo filiæ meæ uirum qui egeat pecunia, quàm pecuniam quæ egeat uiro. Ad mores & prudentiam in his respiciendum est magis q̃ ad opes uel genus: quanquã ex pediat connubia fieri inter personas non multũ dispares.

24 Mulier si est tibi secundum animã tuam, non proijcias illam: & odibili non credas te in toto corde tuo.

Vxorem tibi bene conuenientem toto corde diligas, iuxta Apostolum docẽtem: Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus ecclesiam, &c. Tantum abest illã proijciat, sed tanquam infirmiori uasculo impendat honorem, & cum discretione sancta cohabitet, affectu non tam carnali quàm syncero prosequendo ipsam. Mulieri autem instabili, peruersæ, astutæ & blandæ, quam aliquando perfidam sensisti, non unquam sic confidas, ut ei reueles occulta tua, quod ægre communiter secreta seruent pro loquacitate illarum, ne tibi quod Samsoni contingat ex Dalida. Et Michæas: Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.

25 Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris.

De patre naturali intelligitur, quem lex dei & naturæ serioſe præcepit à filijs honorandum, uerbo, opere, honore, sustentatione, & obedientia. Et gemitus matris tuæ quos toties pertulit, maxime generando, ne obliuiscaris. Hinc Tobias filium docuit: Honori habebis matrẽ tuam omnibus diebus uitæ tuæ: memor enim esse debes quæ & quanta pericula passa sit in utero propter te, cuius certe laboribus & solicitudine nihil æquale rependi potest à filijs.

26 Memento quoniã nisi per illos natus nõ fuisses: et retribue illis, quomodo et illi tibi.

Corpus quod ex parentibus istis tuis traxisti, à nullis alijs accepisses, isti sunt exordium subsistentiæ tuæ, diuina tamen uirtute & prouidentia, etiam ignota parentibus, sicut dicebat inclyta Machabæorum mater: Nescio qualiter in utero meo apparuistis, neq; enim spiritum & animam ego donaui uobis, & uitam & singulorũ membra non ego ipsa compegi, sed mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem. Retribue illis, hoc est, gratus sis illis, pro omni uirili tua succurre indigentiæ illorum, sustentando & inseruiendo, honore excolendo quantum potes, nam æquiualens rependere non uales.

27 In tota anima tua time dominum, & sacerdotes illius sanctifica.

In tota anima timet deum, qui de eius uoluntate implenda est uehemẽter solicitus, qui nihil in omnibus creaturis amori illius præponit, illius offensam horret maxime, & præter eum neminem in quacunq; necessitate inuocat uel accedit. Sacerdotes dei sanctificare, est interpretes diuinæ uoluntatis amplecti tanquam seruos dei, per quos ad religionem ueram instruimur & perducimur, à quibus per sacrificia ueteris testamenti olim domino fideles reconciliabãtur, & ut per mediatores quosdam secundum legem purificabantur, donec prophetiæ implerentur, per Christum constitutum mediatorem totius generis humani ad deum.

Sacerdotes sanctificare

28 In omni uirtute tua dilige eum qui te fecit: & ministros eius non derelinquas.

Quantum potes tantũ dilige eum à quo habes quod es & potes: & si id minus præstare possis, ora ut uirtutem accipias ampliorem, ut quod possibilitas tua non obtinet, eius tibi gratia condonetur, secundum illud: Da, ô domine deus, quod potes, & iube quod uis. Omni autem uirtute diligere, est toto corde, tota anima, totaq; fortitudine amare. Quod sic exponit Augustinus: Intellectu sine errore, uoluntate sine contrarietate, memoria sine obliuione domino adhærere. Et Bernardus: Toto corde, omnes cogitationes in eum dirigendo: tota anima, omnia desideria in eum referendo: tota fortitudine, omnia opera propter ipsum operando. Hoc non in uia, sed in patria complebitur. Et ministros eius sacerdotes & Leuitas nõ derelinquas, sed illis da quod lege Mosis obligaris. Vnde sæpe in Deuteronomio repetitur: Caue ne relinquas Leuitam, quia nõ habet aliam partem. Sicut ergo à deo sortitus es quicquid es & habes, ita totum esse, posse, nosse, & uiuere tuum, ad eius cultum conuerte, ut de nullo horum aliquatenus diabolo sacrifices.

Diligere deum toto corde.

29 Honora deũ ex tota aĩa tua, & honorifica sacerdotes, & propurga te cum brachijs.

Fide plena feraris in dominum, ut illi nihil in mundo uel præponas uel æquipares, sed & propter ipsum legitimos illius ministros honorifica iuxta dei legem illis debita munera & oblationes offerendo. Dei enim amorem et timorem se habere ostendit, qui illius ministros honorat & amat. Propurgare se cum brachijs, est iuxta dei legẽ sacrificatorum animalium armos & pectuscula sacerdotibus offerre, quemadmodum in Leuitico scribitur. Vel secundum alios: De brachiorum tuorum laboribus præstare eleemosynam.

30 Da illis partem, sicut mandatum est tibi primitiarum & purgationis: & de negligentia tua purga te cum paucis.

Israelitis hæc scribit & loquitur, ut legem Mosis de oblationibus domino faciendis studioſe obseruent, sacerdotibus & Leuitis segregando, quod illis lege debetur, Leuit. ultimo. Partem scilicet decimarum & sacrificiorum, & oblationum dona, quibus uariæ purgationes secundum legem exercebantur. De quibus Exod. 22. Numeri 18. & Malac. 3. Si quid uero in his deliqueris per negligentiam, mundare & expiare te non obmittas in paucorum præsentia, ne culpa tua si nimium diuulgetur alijs occasionem scandali præstet: quandoquidẽ deo peccans à domino absoluetur solo.

31 Datū brachiorū tuorum & sacrificium sanctificatiōis offeres domino, & initia sanctorum: & pauperi porrige manū tuam, ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua.

Sacrificādum. *Donum armi dextri in holocaustis lege decretis à Mose, & sacrificium quo sanctificari iubentur fideles & domino consecrari, non obmittas domino deferre iuxta ceremonias domini. Primitias quoq; domino sanctificatarum decimarum frugum & fructuum, similiter domino pro gratiarum actione in terra tibi à domino data sanctifica, sic ut eleemosynam pauperibus ministrandam minime obmittas, sed misericorditer manum præbeas, ut perficiatur propitiatio pro peccatis ad dominum. Et benedictio tua quæ à sacerdotibus beneditceris, sanctum fructū in te & tuis omnibus rebus & personis sortiatur.*

32 Gratia dati in conspectu omnis uiuentis, & mortuo non prohibeas gratiam.

Gratia dei pro dono tuo te manet semper, ut obedientiam tuam & fidem donantis remuneret, non tantum in futuro sæculo, quod animarum est, sed etiam in conspectu uiuentium in hoc mundo: omnes enim intelligent non

Gratia ad defunctos. *te frustra dei legibus deuotum fuisse. Nec tantum uiuentibus gratiam exhibe, sed & mortuis, exemplo Tobiæ, humaniter sepeliendo, ipsorum posteros uel relictos orphanos consolando, honorifice illorum famam defensando. Istis enim modis honorari & gratiam suscipere superstitum possunt qui in domino moriuntur.*

33 Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.

Ex pietate plorantibus mortuos humaniter adsis ad gratiam defunctorum superstites consolando: pertinet enim hoc ad officia charitatis. Et irrationabiliter uel inconsolabiliter lamentantes hortare, ut moderentur dolorem, & se consolari sinant, mœroremq; deponant. Cum lugentibus ambulare, est flere cum flentibus, more beati Iob dicentis: Flebam quondā super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. In Ecclesiaste: Melius est ire ad domum luctus quàm ad domum conuiuij. In ea enim finis cunctorum admonetur, &c.

34 Non te pigeat uisitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.

Visitatio in firmorum. *Charitatis operibus diligenter intēdendum fidelibus est, quorum unum est, uisitare infirmos & consolari. De quo charitatis officio Iacobus admonet: Infirmatur quis in uobis, &c. Ex omnibus autem iam præscriptis charitatis operibus in deum, in eius ministros, & proximum sanum & languentem, in charitate proficies dei & hominum, quibus ex studio huiusmodi gratior eris & charior. Crescit enim charitas ex operibus, sicut habitus ex iteratis sæpe actionibus.*

35 In omnib⁹ operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Nouissima. *Occasio habita de mortuis tandē monet, nunquā intermittēdam memoriam nouissimorū hominis, quæ sunt mortis horror, incertitudo quo ad tempus, cui tamen nihil in mūdo est certius, acerbitas quoq; separationis animæ à corpore, iudicij diuini rigor & iustitia, infernorum tormenta, gaudia cœli. Quæ si frequenter recogites, deū reuereberis, & ab illius offensa cauebis.*

CAPVT VIII.

1 NOn litiges cum homine potēte, ne forte incidas in manus illius.

Charitas omnibus imperata hominibus, facit ut cum nullo litigandū sit iniusto certamine quod spectat in uitium: pro iustitia autem & fide certandum. Maxime autē cum potente periculosum est conferere manus & iurgia, uel etiam litigare in foro, ne forte incidas in manus illius, ut per potentiam suam uel suorum te opprimat, aut iudicem corrumpat muneribus, inducatq; ad iniustam contra te sententiam. Potest tamē impotentior contra potentiorem prosequi licite sua causam, sed ut hic dicitur, non sine suo periculo, si non sit uirtute conspicuus, qualis fuit Iob, qui non contempsit subire iudicium cum seruo quoq; suo & ancilla.

2 Non contendas cum uiro locuplete, ne forte econtra constituat litem tibi.

Salubres admonitiones sunt & moralia instituta, ad tranquillam uitam utilia, sic non sunt tanquam diuinæ leges suspicienda, ut contrarium agens in dominum magis peccet quàm in suum proprium damnum, cum pro charitate in seipsum & proximum hæc sint seruatu accommodatissima. Cum diuite non sine periculo contenderis, multos enim amicos possidet & auxiliatores, ne forte te accuset criminis alicuius uel furti, & pro sua pecunia contra te testes corrumpēdo prævaleat, aut nimium causam protrahat, cui sufficere nequeas in expensis.

3 Multos enim perdidit aurū & argentū, & usq; ad cor regum extendit & cōuertit.

Pecunia multis sæpe fuit perditionis occasio, qui cupiditatis suæ gratia uicti sunt & perditi, uel etiam damnati, quando propter eam contentiones emergunt & uidia. Est enim omnium malorum causa cupiditas. Penetrat enim aurum usq; ad cordis possessionem & capturam, non solum insipientium, sed & prudentium, quamdoquidem & ad regum corda auri concupiscentia penetrat, ut decipiat eos, & à iustitiæ tramite abducat, multo magis inficiet iudices minores. De auri concupiscentia pernicioſa multa inferius cap. 31.

4 Non litiges cū homine linguato, & non strues in ignem illius ligna.

Post dehortamenta litium cum diuite & potente propter pericula etiam à loquace compescit & garrulo. Sic docuit & Cato: Contra loquaces noli cōtendere uerbis. Virga enim linguosas non dirigetur in terra. Non struas in ignē illius ligna, hoc est, flammā tracundiæ suæ non foueas ignis uerborum, unde rixæ proueniant. Sapiens enim si cum stulto contenderit, siue tacuerit siue locutus fuerit, non inueniet requiem, Prou. 29. & 26. Cum defecerint ligna extinguetur ignis, &c. De eodem infra cap. 22.

5 Non communices homini indocto, ne mala de progenie tua loquatur.

Non solū linguati loquuntur male, sed etiā stulti quos uocat indoctos, ideo hortatur uitandos, & à familiaritate arcendos. Sed & indocti capi possunt inculti moribus

&

& eruditione, quos unctio quoq; non docet de omnibus. Qui de se bene sentiunt et male de alijs, quod stultorum est, & seipsos non probe noscentium, qui alijs improperare solent uilitatem prosapiæ, quæ in nullius est potestate, ideo minime contemnenda uel iactanda.

6 Ne despicias hominem auertentem se à peccato, neq; improperes ei: memẽto quoniam omnes in corruptione sumus.

Non solum despiciendus non est, qui à peccatis resipiscit, sed suscipiendus potius et fouendus, exemplo Christi, qui Magdalenæ pœnitenti adstitit cõtra Pharisæum, dicens: Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Sic & de prodigo filio docuit, quem cõuersum pater suscepit, procidit in collum, & reconciliatus est. Neq; angeli conuersis improperant admissa, sed gaudent super uno peccatore agente pœnitentiam. Instruendus est potius iuxta Paulum in spiritu lenitatis, & considerandũ nos quoq; posse tentari. Omnes enim in corruptione sumus, multisq; peccatis obnoxij, & per peccatum hominis primi corrupti: omnes enim offendimus in multis, alijs ergo & condolere discamus.

7 Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt.

Senectus potius ueneranda est quàm spernenda, iuxta illud Leuit. 19. Coram cano capite consurge, & honora personã senis. Ex nobis enim quotidie fiunt senes, & non est qui senium diuturnum non desideret, quod non modicas secum affert dotes & honores, ut sperni minime possit. De qua Ambrosius: Quid naturam accusas, ô homo? habet illa impedimenta quædam, senectutem & infirmitatem: sed senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consilijs subtilior, ad constantiam subeundæ mortis potior, ad reprimendas libidines fortior. Et alibi: Beatus quidem iuuenis qui bene uiuit: sed & beatus senex qui bene uixit. Quod enim iuuenis sperabat, adeptus est senior: quod senex fuit, hoc esse qui iuuenis optat. Verum non annorum laudanda est canicies, sed morum.

8 Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniã omnes morimur, & in gaudium uolumus uenire.

De morte quidẽ tyranni publici aut fidei hostis gaudendum ut sit, non tamen de proprio tuo hoste, fieri enim potest, ut illum protinus moriendo sequaris, aut peiorem incidas, aut uirtute constantiæ tepescas, aut tranquillita te propria abutaris: optandum potius, ut ad amicitiam perueniat, & uiuens emendetur, nolles tu quoq; ad alterius gaudium mori. Communis est omnium hominũ conditio, qua sunt mortales, ut dicebat ad Dauidem sapiens mulier: Omnes morimur, & quasi aquæ in terram dilabimur, quæ non reuertuntur, 2. Reg. 14. Et in gaudiũ nolumus uenire inimicis nostris, ut de nostra morte gaudeant. Quod ergo ab illo oderis fieri tibi, uide ne feceris alteri, dicebat Tobias. Et Iob: Si gauisus sum ad ruinã eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset cum malũ. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas. Alia exemplaria Volumus habent, ut sit sensus: Gaudium cœleste consequi desideramus, à quo odium etiam inimicorum impe

diet, testimonio Iesu Christi.

9 Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbijs eorum conuersare: ab ipsis enim disces sapientiã, & doctrinam intellectus, & seruire magnatis sine querela.

Cum reuerentia, fide & gratitudine aduerte, quæ à presbyteris sapientibus tibi dogmata proponuntur: consilia quoq; non spernas, sed potius secundum illorum uitam & doctrinam uitam tuam instituas: parabolica quoque eorum uerba & subobscura diligenter expende, considera & addisce, de deo & rebus naturalibus & moralibus ad salutem spectantibus. Ex ipsis proficies in temporalibus, quomodo te conuersari conueniat cum magnatis irreprehensibiliter. Sunt enim ex diuturna experientia edocti, & mores didicerunt principum et magnatorum. Seniorum uerba.

10 Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.

Non ignorare uel obliuisci contingat te narrationes & dogmata seniorum, nec cõtemnas exhortationes ipsorum, sanas nimirum et eruditas, quales multi pro magno consequi exoptassent, eas tu grato animo amplectaris, apti sunt enim docere, quæ & experientia multæ ætatis experti sunt, & à patribus olim suis sapientibus didicerunt, ut omnia ex ipsis certiora ueriora; producantur. Sapientes enim confitentur & non abscondunt patres suos. Ex ipsorum enim instructione expeditior eris ad aptius respondendum tempore opportuno poscenti rationem fidei & doctrinæ quam tenes.

11 Non incendas carbones peccatorum ardentes eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.

Qui iniqui sunt & ad impietates assueti, hos non prouoces ad iram nimis aspere corripiens, sed modum obserua & non nisi de certis & manifestis. Idq; cum primis agas amice, familiariter, & secreto, ut increpationem tuam patienter ferant, alioqui fieri faciliter poterit, ut crabrones irritando, ipsi tibi conuitientur quos corrigis, ut cogaris in bono uincere malum, nisi par pari rependens, persecutiones perpeti cogaris, unde gratiam expectaueras, & ne tu quoq; ad iracundiam et impatientiam conciteris. Non enim sic aliorum sanationi insistendum est, ut nos dei inimicos constituamus. Iniqui quomodo tractandi.

12 Ne contra faciem stes contumelioso, ne sedeat quasi insidiator ori tuo.

Contumeliosus dicitur, qui pronus est ad inferendum conuitia, illi ne te rixando opponas, nihil enim proficies, sed grauiter læsus & perturbatus abscedes, alios ille scandalizabit & tibi conuitiabitur. Inde Apostolus: Noli uerbis contendere, ad nihil enim utile est, nisi ad subuersionem audientium. Sedebit ad insidiandum ori tuo, hoc est obseruabit ut aliquid rapiat ex ore tuo quo te grauet, iuxta illos in Ieremia: Venite percutiamus eum in lingua, & radicem uerbi inueniamus contra eum. Desistendum igitur ab huiusmodi, iuxta Sapientem: Qui crudit deri- Contumeliosus.

ſorem, ipſe ſibi facit iniuriam, &c.

13 Noli fœnerari homini fortiori te: quod ſi fœneraberis, quaſi perditum habe.

Si pecuniam aut quamlibet rem tuam potentiori mutuum dederis, ad reddendum eum compellere non poteris. Habent hæ regulæ morales exceptiones ſuas, & non ſunt neceſſariæ ueritatis, ſed ueriſimilis authoritatis, & ut plurimũ magis dialecticæ quàm demonſtratiuæ. Conſtare enim tibi poteſt de probitate potentis, & urgere te poteſt neceſsitas diſpenſantis.

14 Nõ ſpondeas ſuper uirtutem tuã: quod ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita.

Qua ratione promittendum.

Vltra uires tuas nihil promittas. Quin & ſi deo uolueris quippiam promittere cui omnia debes, & totus illi es obligatus quantus quantus es, tamen uoti tui comites ſtatuas iuſtitiam, ueritatem, & diſcretionem, ne ſit uitioſa obligatio. Ad impoßibile nulla poterit iuſta fieri obligatio. Si uero ſpoponderis rem quamcunq;, iam te obligatum credas. Deo ergo ſi quid uouiſti iuſtum, quod digne præſtare poßis, ne moreris reddere. Verum diſplicet domino ſtulta & infidelis promißio.

15 Non iudices contra iudicem: quoniam ſecundum quod iuſtum eſt iudicat.

Ne ſis mobediens iuſto iudicio contra te decreto, ne temere contemnas uel improbes, temerarius es enim & iniquus iudex in cauſa propria tua. Cogita potius & tibi perſuadeas iuſte tecum actum à non iniuſtis iudicibus: ſi id minus potes, appellandum erit, uel à ſuperiori iudice retractanda iniuſta ſententia.

16 Cum audace non eas in uia, ne forte grauet mala ſua in te: ipſe enim ſecundum uoluntatem ſuam uadit, & ſimul cum ſtultitia illius peries.

Societas bonorum.

Iracundo & audaci non te ſocies, ſed ubi congrue potes declina, ne forte malitiam ſuam in te exerceat, lædendo, ſpoliando, aut ad inhoneſta uel grauia compellendo. Idem Prouerb. 22. Noli eſſe amicus homini iracundo, nec ambules cũ uiro furioſo, ne fortè diſcas ſemitas eius. Graue quidem eſt ſaxum & onerosa arena, ſed ira ſtulti utroq; grauior. Ipſe enim ſic audax & pertinax non ſequitur rationis cenſuram, ſed impetum paßionis, & inſolentiam uoluntatis. Simulq; cum illius peribis ſtultitia, periculum enim incides ex illius conſortio, & eius inſipienti audacia.

17 Cum iracundo nõ facias rixam, & cum audace nõ eas in deſertum: quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis: & ubi nõ eſt adiutorium elidet te.

Caute agẽdum cum iracundo.

Dum iracundo reſpondes iuxta ſuam ſtultitiam, inducis eum ad peiora dicenda, unde tandem prorumpet ad uerbera. Qui enim iracundus eſt, cito conuitiatur & percutit. Nec cum audace & improbo intres ſolitudinem, ubi periclitanti de uita nemo poßit ſuccurrere, ſi ira uel malitia percitus inſurgens irruerit in te. Apud audacem enim & improbum nihili reputatur effuſio ſanguinis, non horret homicidium, ut ubi defuerit auxilium periculum ſit occiſionis, niſi ei in cunctis acquieueris, uel ex ſola crudelitate percuſſoris, ut ſolent impijßimi quidam ex humani ſanguinis effuſione gaudere, non minus quàm lanij ad pecora animantur & ludunt.

18 Cum fatuis conſilium non habeas: non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placẽt.

Deſtitutos uera ſapientia non adhibeas tuo conſilio: non ſic & pueriles & perturbationibus deditos: non enim diligere poſſunt niſi propria commoda & honores, non publicum profectum, nec eius qui ab ipſis quærit conſilium, parati magis ſentire & dicere: Nolite nobis aſſpicere ea quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia, Iſaiæ trigeſimo capite.

19 Coram extraneo non facies conſilium: neſcis enim quid pariet.

Conſilium arduum de ſecretis non ineas cum ignoto, ſed cum amico tracta cauſam tuam, & extraneo ſecretum non reueles, Prouerb. 25. Neſcis enim quid pariet, ſi ſcilicet ſecreta tua alijs pandet. Ambroſius: In acquirendis conſilijs plurimum adiungit uitæ probitas, uirtutum prærogatiua, beneuolentiæ uſus, facilitatis gratia. Idem: Quis in cœno fontem quærat? Quis in aqua turbidâ potum petat? Vbi luxuria, ubi intemperantia, & uitiorum confuſio, quis non horrendum æſtimet? quis non deſpiciet morum colluuiem? quis utilem alienæ cauſæ iudicet, quem uidet mutilem ſuæ?

20 Non omni homini cor tuum manifeſtes, ne forte inferat tibi gratiam falſam, & conuitietur.

Cordis tui ſecretum paucis manifeſtes, ſed ei quem noueris fidelem, qui & uelit & poßit ſuccurrere, ne forte tibi inferat & rependat gratiam falſam, uicem iniquam, reddendo tibi mala pro bonis. Vero & probato tantum amico ſignifices ſecretum conſilij tui, ne incidas in amicitiam fictam, ne maligne quiſpiam deprehendere ſtudeat latentem defectum tuum, & occaſionem conuitiandi ſe lætetur inueniſſe, ut mox te palàm proſcindere audeat, & confuſioni exponere. Vnde prouerbiorũ 25. Quando ſubmiſerit uocem ſuam non credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius.

CAPVT IX.

1  On zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.

Amor etiã uxoris non ſit nimius, ille dicit: In ſinu tuo quieſcentem conchoralem nõ ames aut re zelotypo, ut iugiter timeas ab ipſa te minus amari, amari autem & ab alijs, propter quod & eam arctius quàm par ſit ſolicite cuſtodias, ne malis artibus tibi inſidiari incipiat, & nouiſſima illius experiaris amara quaſi abſynthium. Ne exerceat contra te artificium mulierebre nequam, edocta ab improbis. Etenim ſi proba eſt, ſuum arceri non debet, ſi improba cuſtodiri non poterit, proficiet potius de malo in peius, dicente Hieronymo: Quid prodeſt diligens cuſtodia, quum uxor ſeruari impudica non poßit, pudica non debeat. Infida enim cuſtodiri ſtitatis eſt neceßitas: & illa uere pudica dicenda eſt, cui licuit peccare, ſed noluit.

Non

2 Non des mulieri potestatẽ animæ tuæ, ne ingrediat in uirtute tua, & cõfundaris.

Non sinas mulierem in te dominari, uir enim caput est mulieris. Sub uiri, dominus inquit, potestate eris, & ipse dominabitur tui. Ne uirtutem tuam blanditijs suis emolliat, ne uirtutem in te suam usurpet, ne tecum conuersetur ut domina, usurpans sibi quod est mariti, unde & confundaris ut effœminatus, exemplo Samsonis. De quo Ambrosius: Samson ualidus & fortis leonem suffocauit, sed amorem suum suffocare non potuit: uincula rupit hostium, sed suarum non soluit nexus cupiditatum: messes incendit alienas, sed unius ipse mulieris accensus igniculo messem suæ uirtutis amisit.

3 Ne respicias mulierem multiuolam, ne forte incidas in laqueos illius.

Multiuolam intelligit fœminam, quæ nunc hunc cupit, nunc alium. Alij legunt maliuolam. Non licet aspicere quod non licet concupiscere, dicit Gregorius. Hoc intelligendum est, ex proposito concupiscendi, & diuturno intuitu. Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Multiuolam autem describit Sapiens Prouerbiorum septimo: Garrula, & uaga, & quietis impatiens, nec ualens in domo cõsistere pedibus suis. Ne forte incidas in laqueos illius, id est, eius fraudibus & concupiscentijs capiaris. Inuenit enim Ecclesiastes mulierem amariorem morte, & quod laqueus est uenatoris, & sagena cor eius, & uincula sunt manus eius.

4 Cum saltatrice ne assiduus sis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.

Saltatricem uocat, cum lasciuia & petulanter studio seq; choreis asuetam: huiusmodi uitandam ac fugiendam docet, gestu enim, aspectu & tactu, alloquio & cantu prouocat ad libidinẽ. Tali Herodiadis filia captus est improbus alioqui rex Herodes, ut Baptistam Ioannem decollari præceperit. Sara autẽ Tobiæ iunioris uxor, Tu, inquit, scis domine, quod nunquam concupiui uirum, & mundam seruaui animam ab omni concupiscentia: nunquam cum ludentibus miscui me, nec cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui. Nec audias illam procaciter & inuerecunde cantillantem, uel inhoneste alloquentem, uocis modulatione efficaci ludentem ad perdendum animas. Aspectu enim & apparatu blando alliciunt, & insipientium corda fœdis concupiscentijs uulnerant ac subuertunt.

5 Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.

Virginem, id est, adulescentulam incaute ac morose ne aspicias ad concupiscendum eam, ne ex formæ pulchritudine illicito accendaris amore, exemplo Dauidis, sed magis sancti Iob pudicitiam æmulare, dicentis: Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de uirgine. Etiam si matrimonium ambiat sacrum uir quispiam, non ex decore metietur uirginem deligendam, sed ex pudicitia & uerecundia.

6 Ne des fornicarijs animam tuam in ullo: ne perdas te, & hæreditatem tuam.

Non consentias aliquatenus libidinosis fœminis alteris uel meretricibus in amore Venereo. Nam ut in Prouerbijs est: Mulier huiusmodi preciosam uiri animam rapit. Ne simul multa incidas incommoda, primum peccando in corpus, secundo animam necando, tertio opes annihilando. Qui enim nutrit scortũ perdet substantiam, exemplo prodigi filij, qui dißipauit substantiã suam cum meretricibus uiuendo luxuriose. Amor libidinosus.

7 Noli circunspicere in uicis ciuitatis, ne oberraueris in plateis illius.

Effugere peccata non potest, qui peccandi occasiones non fugit, quas oculus incautior abunde suppeditat, secundum Augustinum: Impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Plateas urbium peruagare qui diligit, facile per inordinatos appetitus aberrabit. Præstat disciplinam & uerecundiam seruare in usu. Sunt enim secundum Senecam oculi irritamenta uitiorum, duces scelerum, huic adulterium oculi ministrant, huic domum quam concupiscat. Auerte potius oculos ne uideant uanitatem. Occasio fugienda malorum.

8 Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienam.

Curiose ornatam fœminam non inspicias, ne affectu inhoneſto alliciaris: limosi enim sunt oculi, cito adhæret eis species mulieris. De huiusmodi comptura fœminarum Augustinus ad Posßidonium. Fucare figmentis quo uel rubicundior, uel candidior, uel uerecundior appareat, adulterina fallacia est: qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittẽdæ sunt fœminæ ornari secundum ueniam, non secundum imperium. Nam uerus ornatus, maxime Christianorum & Christianarum, non est ullus fucus mendax, uerum nec auri quidem uestisq; pompa, sed mores boni, & conuersatio modesta & pia. Ornatus mulierum.

9 Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

Sola naturali pulchritudine, & humani corporis corrupta libidine satis prouocat mulier uiri appetitum, ideo decori ingenito superaddere fucum, uestiumq; ornatum, prorsus iniquum & insolens est. Ideo Petrus præcipit: Earum non sit extrinsecus capillatura aut circundatio auri uel argenti, aut pretiositas culturaq; uestium. Perijt ob mulieris speciem Amnon, Salomon, Dauid, Sichem. Ex hoc ergo mulieris malo concupiscentia quasi ignis exardescit. Vt enim ignis lignorum strue excrescit, subtractioneq; decrescit: sic luxuria per compturas, & sensuum inordinatos motus: quibus subtractis, paulatim decrescit. De hoc igne dicitur Iob 31. Ignis est usque ad consumptionem deuorans.

10 Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in uia ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.

Mulier fornicaria uiliter tractabitur, ab immundis hominibus turpiter constupratur, à dæmonibus spiritualiter suppeditatur. Vt uero stercus frequentius calcatum horribilius fœtet: sic usui uenit improbis meretrici- Fornicaria mulier.

bus. De quo Isaias 51. Posuisti ut terram corpus tuum, & quasi uiam transeuntibus. Et Ezechielis 16. Ad omne caput uiæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, & abominabilem fecisti decorem tuum, & diuisisti pedes tuos omni transeunti.

11 Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.

Mulier aliena. Aliena dicitur mulier, quæ non est matrimonio legitimo propria, sed uel concubina uel scortum. Quales alienæ quot & quantos uiros alioqui bonos & insignes, reprobos effecerint, testatur hodierna facies ecclesiæ, quæ tamen gratia dei iam magna ex parte cœpta est reformari. Procacium autem mulierum lenocinia, & spurca colloquia quomodo libidinum incentiua accendant, non est ut multis explanationibus doceatur.

12 Cum aliena muliere non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum: & non alterceris cum illa in uino, ne forte declinet cor tuũ in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.

Cohabitatio mulierũ. Præsentius remedium contra libidines, stupra & impurum cœlibatum excogitari & præstari non potuit, quàm quod naturæ humanæ creator & instaurator præcepit & instituit, matrimonij sacramentum, quo solo carnis incentiua reformantur, ordinantur, & sanctificãtur, ut cum aliena muliere sedere nec liceat nec libeat, hoc est, cupiditatum occasiones perquirere uel sectari. Sic ut apud Ethnicos probatiores non licuerit uiros pariter cum mulieribus cœnam sumere. Quod intelligi uidetur per id quod hic subiungitur: Nec accumbas cum ea super cubitum, id est, non comedas pariter maiorum more discumbens. Non præsumas ad æquales potus uinum bibere cum muliere, uel amicitiæ hilaritatisq; gratia unà bibere uinum. Patriarcharum uxores seorsim cum ancillis & filijs in proprijs habitabant tabernaculis, ut patet in Genesi. Ne forte duplici fomento libidinis tentatus, uino & familiaritate, cum uicinitate loci cor tuum præter decorum in illam declinet, ne uel consensu turpi animus maculetur, quem opportunitas protrudat in actum, unde prodeat effusio sanguinis, uitæ pernicies ac occasus.

13 Ne derelinquas amicum antiquum: nouus enim non erit similis illi.

Amicus uetus & nouus. Veterem amicum cuius probitatem & fidem toties expertus nosti certissime, pro nouo amico non deseras, certo prænoscens, non hunc nouum similem futurũ priori: sic enim frequenter accidit. Quin & ut nouus uere sit melior, non tamen tuto ei poterit per omnia credi: quando longo tẽpore probandus sit qui in amicitiã uerã assumi debeat, & certum incertiore præeligendum sit.

14 Vinum nouum, amicus nouus: uetera sci, & cum suauitate bibes illud.

Exemplo dictum probatur & declaratur. Amicus nouus similis est uino nouo: de utroq; incertum habetur quid & quale futurum tempore procedente. Vt enim fœculentius est nouum & acerbius: sic amicus impurior nouus est, & facilius irritabilis. Veterascat ergo uterque, & cum suauitate frueris utroque. Vnde & Christus dicebat: Nemo bibens uetus uinum statim uult nouum, dicit enim: Vetus melius est. Vinum quoque uetus, doctrina antiquorum accipi potest, quæ est & fuisse uidetur sacris literis conformior. Vinum nouum, neotericorum Scholasticorum dogmata, quod quale aliquandiu fuerit, nunc uidetur.

15 Non zeles gloriam & opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subuersio.

Honores & diuitias hominis iniqui non appetas, nõ admireris, uix enim sine periculo desiderantur, multo minus possidentur. In sanctis quidem exercitijs honoris aliquid dignum agendum est, sed non petendus honor. Diuitiarum autem honor nullius momenti est apud prudentes periculo corporis & animarum certum est non carere, qui sciunt & sentiunt, ut omnis diues aut iniquus sit, aut hæres iniqui, non esse thesaurizandum thesaurum in terra, non æmulandos malignantes, & facientes iniquitatem. Et Seneca: Summa uia malorum est quod uitiatur ad exemplum. Diuitum autem finis describitur à loco. Hoc scio à principio ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Et Dauid Psalmo 37. Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat.

16 Non placeat tibi iniuria iniustorum, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius.

Si iniuriam iniustorum uides contra pios, & id dicere non potes, saltem displiceat tibi, maxime uero subditos tibi coerceas à talibus uiolentijs, sciens quoniam usque ad inferos non placebit impius. Nullo tempore uel loco impius deo placet, nec hominibus sanctis: in infernum autem deo placet uindicta, quam sentit, digna. Lætabitur enim iustus cum uiderit uindictam, & egredientur sancti scilicet, & uidebunt cadauera uirorum qui præuaricati sunt in me.

17 Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis: & si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne forte auferat uitam tuam.

Loco & animo discedas à tyranno, uel non te audaciter & indiscrete offeras periculo mortis. Potentiori ne socius fueris. Quid enim cacabus cum olla, qui cum se colliserint confringentur? Nec etiam anxie mortem horreas, sed talem te semper exhibe, ut quum necesse fuerit, audeas fortiter mori. Si necessitas urgeat communicandi uerba uel opera cum tyranno uel percussore, diligentius tibi prospicias, ne occasiones iræ præbeas, ne illum pecces. Vt primum poteris expedias te ab illo, ne subito ansam arripiat in te sæuiendi, & non possis eius odere, sed perdere uitam.

18 Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis.

Mortem

Mortem communiter omnibus impendentem, & sine personarum acceptione insidiantem, habeas semper ob oculis. Cogita non te minus quàm alios moriturum. Summa philosophiæ cognitio est, assidua mortis cogitatio. Seneca: Sic uiue quasi cras moriturus: sic operare, quasi semper uicturus. In medio laqueorum ingrederis, in contemnis periculis ambulas, dum inter tyrannos conuersaris. Super dolentium arma ambulabis. Tam proximus es morti quàm si ensium acumina pertransires, & uiolentorum lanceas, quæ continuo confliguntur, & sibi sine intermissione immunere formidant mortis innumera pericula. Sonitus enim terroris semper in auribus impij.

19 Secundum uirtutem tuam caue te à proximo tuo, & cum sapientibus & prudentibus tracta.

Diligenti custodia obserua te, etiam à proximis tuis. Imò & ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Cura ne te circa illos male habeas, & ne illorum molestijs irriteris. Ne scandalizeris eorum uerbis uel factis, uel fallaris ad perniciem uel incommodum. Inimici enim hominis domestici eius. Cum sapientibus & pijs consule quid uel agẽdum uel obmittendum. Necesse est, ait Rabanus, ut caueamus dolosorum insidias, sed cum sapientibus & deum timentibus consiliemur, uiamq; ueritatis & iustitiæ non deseramus. Tractanda sunt autem hominibus, credenda, speranda, agenda, timenda, fugienda, appetenda. Seneca: Dubia tracta prudenter, aduersa fortiter, prospera moderate.

20 Viri iusti sint tibi conuiuæ, & in timore dei sit tibi gloriatio, & in sensu sit tibi cogitatus dei, & omnis enarratio tua in præceptis altissimi.

Iniustorum societas in cœnis promouet iocos, inepti as, cachinnos, garrulitates, detractiones, temeraria iudicia, præter comessationes & ebrietatem: & hæc omnia absq; timore uel gratitudine ad eum unde cuncta bona suscipimus, quem & inter conuiuandum blasphemari contingit. Ideo Tobias ad filium: Vade & adduc aliquos de tribu nostra, timentes deum, ut epulentur nobiscum. Virtuti quidẽ annexa est delectatio, sed gloriatio in nullo penes te locum habeat, nisi in gratia & beneficijs dei, à quo omne bonum, in quo solo gloriandum. Semperq; studijs tuis coniunctum habeas timorem dei, ut illum reuereris & diligas, iuxta illud Psalmi: Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuũ. Et Apostolus: Nos autem non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram quæ mensus est nobis. Cõtinuo quoq; meditare quæ dei sunt, etiam inter conuiuia, illius non obliuiscaris, cum illius fruaris quàm maxime donis. Et omnia tua uerba honesta tem referant & utilitatem, cui annexa sint pia & iucunda, ut cuncta detestaris illicita eloquia, omnium maxime inter cõuiuia, ubi benedictio potius & gratiarum actio locũ in primis habeat. Si quis loquitur, ait Petrus, quasi sermones dei: & Paulus: Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat, sed qui bonus est ad ædificationem, ut det gratiam audienti.

21 In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in sapientia sermonis sui, in sensu uero seniorum uerbum.

Opus commendat artificem.

Artifices pro suis laboribus laudabuntur, uerum magis deus in manu artificum, hoc est pro gratia & ingenio ad commode laborandum, à deo ipso concessa. Sic summus orbis & mundi conditor, ex tota illa fabrica commendatur, de sapientia & potentia sua, unde & Isaias: Leuate in excelsum oculos uestros, & uidete quis creauit hæc. Et Psalmista: Non est similis tui in dijs domine, & non est secundum opera tua. Sed princeps populi inter homines laudatur ex sapientia sermonis, ex uerborum & sententiarum peritia, magis autem iustitia et æquitate: unde & regina Saba admirata est sapientiam Salomonis. Pertinet tamen ad omnem fidelem sapientia in uerbis. Sermo uester, ait Apostolus, semper in gratia sale sit conditus. Sapientia autem sermonum & sententia grauis, utilis & certa, præcipue decet senes, ut habeantur in authoritate, & minime contemnantur.

22 Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus: & temerarius in uerbo suo odibilis erit.

Seditio ciuium.

Seditio pernitiosa pestis est urbium, quam maxime suscitat & adauget homo loquax, garrulus, susurrator, & detractor, qui discordias disseminat. Sic & temerarius, qui quicquid effutire solet quod incidit, nullo habito respectu utilis uel honesti. Quorum stultorum os ebullit semper stultitiam. Cum Ecclesiastes loquatur: Ne temere quid loquaris, neq; cor tuum festinet ad sermonem.

CAPVT X.



1 Vdex sapiens iudicabit populũ suum, & principatus sensati stabilis erit.

Sapientia cũ iustitia.

Ad iudicem cõfugiunt in omnibus causis subditi, iniuriam sentientes, quasi ad communem patrem, & ad iustitiæ publicæ defensorem integrũ & prudentem, ad uiuæ legis regulam. Necesse est ergo sapientem esse, circumspectum & iustum, ut singulis sine personarum acceptatione inseruiat ac prospiciat, exemplo Dauidis, qui faciebat iudicium & iustitiam omni populo suo. Principatus quoq; sensati regis & præsidis stabilis erit, durabit diu, neminì cedens ad iniuriam, ut Prouerb. 29. Rex qui in ueritate iudicat pauperes, thronus eius in æternum fundabitur. Aliqui codices habent, Terribilis erit. Iniquis enim, propter quos est principatus, terribilis est. Non sunt enim principes timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem, fac bene, & habebis laudem ex ea. Si male egeris, time.

2 Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.

Iudex iustus.

Si fuerit iustus iudex, familiares, domesticos, ciues, et subditos à uitijs reprimit, ad uirtutes hortatur ac dirigit. Cui & minores conformãtur, sicut dicitur: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Et mobile semper mutatur cum principe uulgus. Princeps autem impius omnes ministros habet iniquos. Dominorum enim uolun-

tati ſerui frequenter ſe conformant. Et qualis eſt rector ciuitatis, tales & ciues. Efficaciter enim regit ſuos, hortatur, inſtruit, corripit, purgat, docet ac perficit. Negligens autem paſtor oues perdit, & ſeipſum condemnat, ideo ſubditur:

3 Rex inſipiens perdet populum ſuum: & ciuitates inhabitabuntur per ſenſum prudentium.

Paſtores. Ad idem Salomon: Regnantibus impijs, ruinæ hominum. Et: Væ tibi terra, cuius rex puer eſt. Et Gregorius: Dum paſtor per abrupta graditur, grex per uitiorũ deuia ſequitur: & multũ extenditur culpa, dum is qui præuaricatur pro accepta potentia honoratur. Hinc legitur: Quia ſtulte egerunt paſtores, & dominum non exquiſierunt, propterea omnis grex eorum diſſipatus eſt, diſperſæ ſunt oues, eo quod non eſſet paſtor. Sub idoneis autem & ſapientibus conſulibus, urbes numero merito & diuitijs creſcunt. Beata enim terra, cuius rex nobilis, & principes ueſcuntur in tempore ſuo. Eccleſi. 10. Rex quoq; ſapiens populi ſtabilimentum eſt.

4 In manu dei poteſtas terræ: & execrabilis eſt omnis iniquitas gentium, & utilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam.

Poteſtas à deo omnis. Omnis quæ ſuper terram poteſtas eſt, ex uoluntate diuina eſt, ab ea proceſſit, ipſius diſpoſitione conſiſtit. Dicebat Heſter: Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita. Rom. 13. Non eſt poteſtas niſi à deo. Execratur autem deus omnium gentium iniquitates, fornications, idololatrias, immunditias, auaritias, bella, & impoſturas quaſcunq;, quibus homines ſine timore dei uiuentes commaculantur, & domino ſunt abominabiles. Suo tempore, decreto à domino & prophetis, ſuſcitabit dominus ſuper omnes gentes utilem rectorem Chriſtum, qui expectatio fuit gentium ab exordio mũdi. Sed & quicunq; populo alicui idoneus prælatus contingit, gratia dei datur. Sic autem de Chriſto gentium rectore Iſaias dicit: Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſq; ad extremum terræ, unde prædictum fuit in Pſalmo: Reminiſcentur & conuertentur ad dominum uniuerſi fines terræ.

5 In manu dei poteſtas hominis, & ſuper faciem ſcribæ imponet honorem ſuum.

Omnis quidem quæ inter homines poteſtas exercetur & uiget, à domino eſt. Sic enim uoluit dominus & ordinauit, ut ſimpliciores à circumſpectioribus, paupers à ditioribus, fragiles à potẽtioribus adiuuẽtur, quod officium eſt ſuperiorum, & poteſtatem inter homines gerentium. Inſigniorem autem honoris prærogatiuam impoſuit dominus ſuper faciẽ ſcribæ, hoc eſt eorum qui erudiunt homines ad ſalutem & iuſtitiam, quos in hoc mundo uult parentum loco reuereri & diligi, honorari duplici honore. Et poſt hanc lucem in cœlis reſplendebunt ut ſtellæ in perpetuas æternitates.

6 Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ.

Mãſuetudo Manſuetudini aſueſcas, ut diſcas in bono uincere malum, ualde nobili genere uincendi, & deo acceptiſſimo, qui & ipſe ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos. Dimittite, Chriſtus docet, ſi quid habetis aduerſus aliquem. Ne dicas, Reddam malum pro malo: expecta dominum, & liberabit te. Dicit autem: Ne memineris iniuriæ eius qui proximus eſt, ne de publica magiſtratus uindicta quæſtio fiat. Nec dicit: Iniuriam proximi non punias, ſed ne memineris, hoc eſt non cogites de iniuria rependenda proximo pro iniuria, hoc eſt quod dicitur: Nihil agas in operibus iniuriæ, ſed deo permitte uindictam. Secundum illud: Qui facit iniuriam, recipiet id quod inique geſſit. Et Chriſtus non conſuluit tantum, ſed mandauit & uoluit: Diligite inimicos ueſtros, benefacite, &c.

7 Odibilis coram deo eſt hominibus ſuperbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium.

Cum manſuetudinis infinitæ & clementiæ deus ſit, non poteſt non plurimum auerſari, & odire ſuperbiam creaturarum ſuarum, maxime autem hominum, ſortitis miſerorum, unde & Lucifero non pepercit, ſuperbienti contra ſe, & omnibus magnis regibus ſuperbis non parcit. Soli enim deo debetur gloria & magnificentia, ſuperbus autem ſibi eam arrogat. Vnde in Proverbijs: Abominatio domini omnis arrogans. Et deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Qualem autem gentium iniquitatem dominus execretur, ſatis oſtenditur ex Chananæorum criminum catalogo. Eſt autem idololatria, ſanguinis effuſio, fornicatio, otium, libido ſine ordine, & iniuria pauperum.

8 Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.

Teſtantur huius ſententiæ ueritatem omnes hiſtoriæ ſacræ & ſimul gentilium, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum, de quo Daniel: Deus mutat tempora & ætates, transfert regna atq; conſtituit. Et Chriſtus Iudæis: Relinquetur uobis domus ueſtra deſerta, & auferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti faciẽti fructus eius. Pro nimia enim auaritia & luxu uitijſq; quæ ex iſtis oriuntur, translata ſæpius regna ſunt & transferũtur, quæ hic dicuntur, iniuſtitiæ, iniuriæ, contumeliæ, & diuerſi doli.

9 Auaro autem nihil eſt ſceleſtius.

Per auaritiam congregantur diuitiæ quæ fomentum præbent omnibus peccatis & inſolentijs, unde & Apoſtolus dixit: Radix omnium malorum cupiditas eſt. Auarus etiam ad ſcelera omnia pronus eſt, tãtum ut pecunia creſcat. Ibi nec deũ ueretur nec homines, prodit propter diuitias aſſequendas charitatem & fidem. Satanam pro deo eligeret, ſi ab eo diuitias impetrare ualeret. Hinc & Paulus auaritiam nominat Idololatriam, ad Ephe. 5. Auarus autem dicitur, qui cupit non ſua, retinet donanda, de quo dicitur Prouerb. 29. Vir iuſtus eriget terram, uir auarus deſtruet eam.

10 Quid ſuperbit terra & cinis?

Homini primo dictum cum ſit: Puluis es & in pulue-

rem reuerteris. Ideo indigne superbit contra dei leges, in cuius potestate uiuit & moritur dum uult deus, ex elementis compositus, & multipharia defectuosus, cum ad originis suæ considerationem & propriæ mortalitatis ultatē sese humiliter gerere debeat. Sicut Abraham dicebat: Loquar ad dominum, cum sim puluis & cinis. Quæ autem ex auaritia superbia nascitur, ideo Paulus Timotheo scribit: Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, sed ad sobrietatem.

11 Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam uenalem habet, quoniam in uita sua proiecit intima sua.

Quàm sit iniquum amare pecunias, liquido docet Iudas proditor, qui Christū tradidit pro argento. Qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueos diaboli. Animam enim suam auarus uenalem habet, pro pecunia obtinenda aut conseruanda nihil non audet & patitur. Pro pecunia enim detrimentum infert animæ suæ, iniquas profert sententias, testimonium falsum loquitur, puerum in prostibulum ponit. Ioelis tertio: Latrocinatur, furatur, &c. In uita sua proiecisse intima sua, est nihil boni discere, scire, cogitare uel uelle, foris tantum hypocritam agere propter quæstum. Talem se gerit & inuenitur auarus, uanissimas quasque diuitias colit, amat, quærit & cogitat magis quàm deum: propter quod Apostolus auaritiam simulachrorum seruitutem appellat.

12 Omnis potentatus, breuis uita. Lāguor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus: sic & rex hodie est, & cras morietur.

Omnium quidem hominum breuis est uita, maxime potentium, quorum ob multa scelera, quibus licenter insistunt, obnoxia fiunt scelera languoribus. Luxus quoq; in cibis & Venere ualetudini obest. Ira quoq; & zelus non parum illis officit. Multos enim patiuntur hostes, pericli tantur de uita, machinantur enim plurimi mortem Cæsar, & sine numero multi. Sicut igitur non est gloriandum in pecunia, sic nec de potentia, quæ cito expirat. Breuitas autem uitæ ex morborum incidentia contingit, dum aliquandiu dissimulantur, ut tandem difficilius sanari possint à medico. Tempestiue ergo medicus aduocandus est, ut adhuc recentem morbū facilius præscindere possit. Sic uitijs quoq; occurrendum à principio, antequam conualescant, & difficilius sanentur. Periculum est enim in mora, dum morbi ingraescere sinuntur corporis & animæ, quibus obnoxij sunt omnes homines, non tantum plebei, sed & reges magni, qui æque breuiter uiuūt ut alij, & periculosius infirmantur, quod obnoxij sint multorum odijs & insidijs.

13 Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & uermes.

Adhuc monet & persuadet, non esse auaritiam sectandam uel potentatum in hoc sæculo, quia finis eorum sit uermium cibus & serpentum. Etenim cum omnia appetantur & exquirantur ad corporis oblectamēta, pro pediem ipsum corpus nutrimentum futurum sit abiectissimorum animalium in hoc mundo. Nihil hic de dæmonibus animam uorantibus dicitur, nec bestias humanas intendit, sed corporis humani abiectissimam conditionem docet, quam propediem sentiet, pro quo auaritia fastusq; tantus suscipitur.

14 Initium superbiæ hominis, apostatare à deo: quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius.

Superbia humana.

Superbiam & fastum improbare pergit in hominibus etiam potentissimis: ne dominus spernatur, & sacrosancta illius uoluntas, ne recedatur ab illius lege, sed humiliter domino obediatur per omnia: ne omnium simul malorum sentina subsequatur & criminum. Contemnere domini beneplacitum, est initium peccandi, & ipsa superbia, qua creatori obedire contemnit. Omnino autem impium est & insanum sese subtrahere uelle mandato creatoris, à quo pendet hominis esse, uiuere, & posse quodcunq;.

15 Quoniam initium omnis peccati est superbia, qui tenuerit illā, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem.

Sic autem superbia humana cœpit, ut non fuerit otiosa, sed lernam post se traxerit omnium malorum. Statim enim post amorem sui diuino amori prælatum, sequitur libido, & ad eam insatiabilis fomes, & cupidinum artes, unde multifariā peccatur in deum, corpus, animam, & proximū: ut non possit non subsequi maledictio multiformis, sicut obedientibus primis hominibus plenaria fuerat benedictio repromissa. Et qui perseuerauerit deo inobediēs, is pro iustitia dei pretiū assequetur, in finem & perpetuo subuertendus. Auditurus est enim sententiam irretractabilem & finalem: Ite maledicti in ignem æternum. Superbus enim perdetur in finem quasi stercilinium omnibus abominabile & abiectum.

16 Propterea exhonorauit dominus conuentus malorum, & destruxit eos usq; in finem.

Conuentus malorum.

Etiam si superbi omnes mali conueniant, & contra domini beneplacitum consultent, uerbum domini extinguere uel impedire conentur, pro statuenda sua auaritia superbia uel apostasia, quasi inuito domino uelint & ualeant principari, & in hoc mundo imperare contra domini uoluntatem & leges, subito tamen uno illius nutu, dum minime uolent & timeant, exhonorabuntur, & à domino præcipitabuntur, & sic perdentur, ut nusquam ipsorum locus inueniendus sit. Erubescent & conturbabuntur apud infelicissimos sodales suos in sæculum sæculi.

17 Sedes ducum superborum destruxit deus, & sedere fecit mites pro eis.

Superbi de struendi.

Arces & urbes fortissimas tyrannorum, & diuinam potentiam dum possent non agnoscentium, sed in superbia & auaritia sua confidentium, dominus deus Sabaoth destruxit sæpe & destruit, ut patet de Chananæis, Aegyptijs & Chaldæis. Discipulos autem fidei in uer-

bam domini, & humiliter obsequentes deo, mansuetudinem & charitatem sectantes, apostolos & apostolicos uiros omni loco & tempore sedere facit, & in mentis tranquillitate gaudere in domino, quod & beatissima Theotocos uirgo cecinit, simile experta. Deposuit, inquit, potētes de sede, & exaltauit humiles. Simile Nabuchodonosor in se expertus fatetur. Iuxta uoluntatē suam facit tam in uirtutibus cœli, q̄ in habitatoribus terræ, et gradientes in superbia potens est humiliare.

18 Radices gentiū superbarum arefecit deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus.

Eandem ferè sententiam alijs repetit uerbis pro more, sed alia quadam efficacia. Ambiunt gloriam post fata in posteris, & æternum nomen propagare conantur ex successione nepotum, sed non hoc permittit dominus, hostis acerrimus superborum, & se contemnentium, quin potius radicitus extirpat prolem & posteros, potestatem & fastum. Plantat autem humiles in locum ex gentibus & uulgo, quos succedere superbis iubet, donec & ipsi superbiāt, ut simul quoq; & ipsi insolentia tandem sua subuerti mereantur, tanto crudelius tractandi quanto exemplo piorum luculentius debuerant facti esse meliores & tanta præcauisse mala.

19 Terras gentiū euertit dominus, & perdidit eas usq; ad fundamentū. Arefecit deus ex ipsis, & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum à terra.

Impia regna destruēda.

Idem fermè contra superbiam tonat, ut humilitatem collaudet. Destruit deus regna impia & crudelia, domin dei potentiā & beneficia non agnoscentia. Et ad fundamenta usq; eruit & euertit, ut patet de pluribus passim regnis & regibus. Luculenter autem & primum de Sodomitis, & quinq; urbium regnis, & de impijssimis potentatibus. Radices regum sic arefecit, ut pro omni posteritate sua perierint, ut uel nulla de eis supersit memoria, uel cum insigni dedecore uigeat illorum diffamia. Sic etiam amicus Iob dixit: Recordare, obsecro te, quis unquam innocens perijt? quin potius impios uidi deo flante perijsse.

20 Memoriam superborum perdidit deus, & reliquit memoriam humilium sensu.

Tyrannorū memoria.

Memoria tyrannorum magnorum manet quidē, sed ad uituperium non ad laudem. Memoria autem iusti cum laudibus. Vultus autem domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum, ad quam tamen præcipue adspirabant, ut celebre illis nomen supereſſet. Humiles autem corde & sensu, humana præconia parui facientes, famosos fecit, si non in præsenti sæculo, saltem in cœlestibus & æternum.

21 Non est creata hominibus superbia: neque iracundia nationi mulierum.

Superbiam homines detestari debent, quam non à domino conditore susceperunt, à quo in natura bene institutā laudati sunt, quia uiderat deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona: sed à satana decipiente & subuertente, uitiorum radicem superbiam didicerunt. Sicut & fœminæ naturam ad inimicitiā propēsam nō acceperūt, cum tamen nimium degenerasse uideantur in iram & impatientiam, & in uitia non ferenda.

22 Semē hominū honorabitur hoc, quod timet deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata domini.

Piorum hominum & timentium dominum posteritas, germanaq; successio non degenerans à parentū uirtute, honorabitur à deo & hominibus, in præsenti sæculo & futuro. Qui autem dominum non timuerint, & mandata eius neglexerint uel spreuerint, illi non tantum perdentur, sed & semen ipsorum & progenies exhonorabitur, nullo honore digna habebitur, hoc est æterna confusione damnabitur. Dicetur enim eisdem: Esurijt, & non dedistis mihi manducare, &c. Et ibunt in æternum supplicium.

23 In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timent dominum, erūt in oculis illius.

Qui legitimus hæres piorum parentum fuerit, in sapientia, probitate & rebus, is primogenitorum lege uetustissima præficietur suis fratribus, quos & in timore dei & publica iustitia instituet, reget & docebit. Et uicissim ab eisdē bene institutis, pijs ac prudentibus, honore habebitur, duplici eum honore & portione dignū agnoscent, diligent & reuerebuntur, obsequentur & honorabunt. Ipse uero speciali fauore dignabitur & honorabit ex illis eos qui in pietate uera diligentius profecerint: discolos, si quos deprehendet, disciplinæ subdet. Huiusmodi olim regimina habebantur, & tranquilli proficiebant, non illa dominorum tyrannis, & oppressio omnium, qui se tueri non possunt. Sic quoq; de fidelibus prælatis & rectoribus honorandis apostolus monet prima Thessal. quinto: Roganus uos fratres, ut noueritis eos qui laborant inter uos, & præsunt uobis in domino, & monent uos, ut habeatis illos abundantius in charitate. Et alibi: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.

24 Gloria diuitum, honoratorum, & pauperum, timor dei est, non despicere hominem iustum pauperem, & non magnificare uirum peccatorem diuitem.

Gloria digna & uera tam diuitum quàm potentum non est in diuitijs & honore uel potentia, sed in timore dei, ut illi studiose cupiant obedire, in mandatis dei incedere, secundum illa dispensare diuitias, à deo sibi concessas, & ad iustitiam ac tranquillitatē gubernare commissos: nempe non despicere hominem iustum sed pauperem, sed ob iustitiam potius & in domino honorare: non exaltare indignum uel iniustum ad officia & honores propter diuitias, sed potius studiose humiliare, ne male agere possit, qui bona nō uult, iuxta illud Psalmistæ: Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat.

25 Magnus est iudex, & potens est in honore: & non est maior illo qui timet deum.

Decet quidem honor & dignitas eum qui præsidet, est à deo per homines iudiciaria potestate qua præsidet. Non

Non tamen maior est illo qui dominum deum suum habet præ oculis, ut eum diligat, ueneretur & obseruet, ambulans in dei præceptis. Ea tamen iustitia non se subtrahit ab obedientia etiã prælati qui discolus est & iniquus, intelligens eum principatui destinatũ propter peccata sua & populi. Ideo ut personam iudicet qualis est, officio tamen defert, quod non sine domini prouidentia nonnunquam iniquus administrat, donec dominus liberet humiliatos & emendatos. Quanquam enim re uera & coram deo melior sit puer pauper & sapiens rege sene & stulto, non tamen præditus est tanta potestate, quam à deo acceperit, nec sine consiliarijs regnat, & dei prouidentia omnia sancte gubernante.

26 Seruo sensato liberi seruient: & uir prudens & disciplinatus nõ murmurabit correptus, & inscius non honorabitur.

Qui fuerat conditione seruus, nonnunquam sic sapientia, fide, fama & diuitijs proficit & potestate, ut domini sui imprudentiores filij eidem subijciantur, iuxta illud Salomonis: Seruus sapiens dominabitur filijs stultis. Et in Ecclesiaste: Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram. Et uir prudens ac sensatus si corripiatur ab aliquo, etiam si se culpabilem esse nõ nouit, non tamen obstrepit admoneri, sed potius gratias aget, pro charitatis officio, quo se interpretatur affectum, uel affici potuisse, si fuisset merito redarguendus, multo minus indignabitur iuste corripienti. Hinc in Prouerbijs: Argue sapientem & diliget te. Doce iustum & festinabit accipere. Qui uero sic inscius est, ut proprios defectus nec norit nec uelit admoneri, is non honorabitur. Qui enim indocti sunt, in cordis egestate morientur.

27 Noli extollere te in faciendo opere tuo, & noli cunctari in tempore angustiæ.

Operas tuas etiam bonas tu noli extollere uel iactare, nihil cum præsumptione & arrogantia agas. Iob dicit: Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Sunt enim imperfecta hominum opera, ideo de eis coram domino non gloriãdum, à quo solo est quicquid bonum in eis. Angustiarum tempore dum consolatione indiges spiritus sancti, non tardes dominum inuocare, non sanctos uel diuos tutelares adeas, non eis sacrificia uel officia promittas. Ad dominum cum tribularer clamaui, ait sanctus. Et alibi: Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solũ habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Vel generalius capiatur: Noli desperare in angustijs.

28 Melior est qui operatur, & abundat in omnibus, q̃ qui gloriatur, & eget pane.

Contra arrogantes iactantes magna & multa, deq; generis nobilitate uel sapientia gloriantes, cum interim necessarijs ad suum statum egeant, & præstare non possint dignum iactationis suæ statum, longe his, inquit, melior, honorator ac felicior est, qui labore manuum suarum sic sustentatur & substantiam colligit, ut abundet in omnibus, sine fastu & iactantia uiuens apud semetipsum. Scilicet contentus temperatis diuitijs suis, quas abunde sibi sufficere facit, qui eis contentus est, ut plura non desideret, uere diues & felix.

29 Fili mi, in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum.

Noli quacunq; aduersitate sic permoueri, ut impatientia & ira irriteris, tibiq; ipsi excidas in passionibus. Dominare potius animæ tuæ, & conserua mansuetudinem, iuxta illud Christi: In patientia uestra possidebitis animas uestras. Quanquam & mansuetudo accipi pro humilitate possit, ut sensus sit: Noli de te multũ sentire, noli pomposam uitam instituere, sed uictu & amictu potius contentus sis uel esse cupias: non plura desideres uel consequi coneris, quàm pro mediocritate status tui honoris & meritorum. Noli excedere in expensis & rei familiaris ostentatione præter modum. Non tibi arroges honorem uel dignitatem supra tua merita, quæ non tu sed alij de te æstiment, ne te tibi plus æquo placere contingat. Mansuetudo.

30 Peccantem in animam suam quis iustificabit? & quis honorificabit exhonorantẽ animam suam?

Mediocritatẽ docere uidetur, ut non de se quispiam nimium abiecte sic sentiat, ut pusillanimitatis uitium incidat, & recusset agere quod iuxta dei gratiã acceptam perficere bonum potest. Ne honestam functionem legitime delatam recuset, & ita in suam animam peccet, illi detrahendo, quod domino gratiose largiente susceperit ad bonum aliorũ. Talis enim iustificari non potest, uel commendari in humilitate sua, sicut nec potest honorari is qui facto aliquo statum suum dehonestat. Vt discamus simul, & ne quid minus, & ne quid nimis, sed modestiã sequamur in omnibus. Modestia digna.

31 Pauper gloriatur per disciplinã & timorem suum: & est homo qui honorificatur propter substantiam suam.

Qui rebus, donis & ingenio pauper est, ut in talibus gloriari non possit, is aliam sibi gloriæ rationem adsciscat, scilicet timore dei, & iustitiæ studio, de illis solicitus sit, ut uere in domino de talibus gloriari possit. Parui faciens interim eam gloriationem, qua homines nõ in alijs quàm in substantia sua et diuitijs aut honoribus gloriari possunt, non propter uirtutes, quibus carent. Cum etiam iuxta gentium philosophos, solus bonus sit uere honorandus. Qui uero quenquam honorandum iudicat propter diuitias, acceptor personarum erit. Honor.

32 Qui autẽ gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia?

Inter abusiones duodecim huius mundi numeratur pauper superbus. Si enim pauper cum sit quispiam, non tamen de seipso humiliter sentit, sed mente tumet & cæteros contemnere potest, quid ageret ditior & honoratior? Prodest ergo ingenijs illiberalibus iniquitas fortunæ, quo ad hoc, ne fiant reliquis modestioribus intolerabiles. Nouit dominus rationes dispensationum suarum, quibus hunc humiliat, alterum exaltat donis suis. Pauper superbus.

33 Et qui gloriatur in substantia, pauperta tem uereatur,

Qui in diuitijs ſuis gloriatur & ſuperbit, is imprudẽter agit, uolubilis enim cum ſit fortunæ rota, uereri potius caſum debet & infortunium. Diſcat potius & ſciat abundare penuriamq; pati, ut ſit in omnibus bene inſtructus. Ne in dei donis ſuperbiat, ſed cogitet ſuperbum ſequi non raro humiliationẽ. Qui ſe exiſtimat ſtare, uideat ne cadat. Et qui in ſpirituali opulentia ſua gloriari uult, non niſi in domino glorietur: ne cum cœperit ſpiritu, carne iam cõſumetur, & fiant nouiſſima peiora prioribus.

CAPVT XI.

1 SApientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum confedere illum faciet.

Sapiens humilis.

Qui uel ſeipſum ſic humiliat, ut alta de ſe non ſentiat, uel ab alijs afflictus humiliatur, is ſi uere ſapiens ſit, & timore dei imbutus, exaltabitur à domino & ab hominibus. Vt eſt Daniel per ſapientiam exaltatus à regibus Babylonis & Perſarum. Et Ioſeph eductus eſt à carcere propter ſapientiam ſuam. Eſt autem non minima pars ueræ ſapientiæ apud ſemetipſum humilem eſſe, ſobrie de ſeipſo ſentire, alios præ ſe appretiari. mitem eſſe & humilem corde. Quomodo in medio ſederint magnatorum, hiſtoria ſacra teſtatur de utroq; memorato. Cuius rei exemplũ Chriſtus dominus præbuit, qui humiliatus ad crucem, conſedit ad dexteram dei patris, cui genua omnium curuantur. Sic & humiliati apoſtoli ſui ſedebunt in ſedibus duodecim, ut iudicent duodecim tribus Iſrael.

2 Non laudes uirum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominẽ in uiſu ſuo: breuis in uolatilibus apis, & initiũ dulcoris habet fructus illius.

Laudãdus quatenus homo.

Non ſunt homines laudandi uel etiam uituperandi ſecundum exteriorem corporis habitudinem, nempe à ſtatura, decore, fortitudine, aut ſecundum uultus phiſiognomiam, quæ ſæpe fallit incautos. Sic Samueli dicebat dominus: Non reſpicias uultum eius, neq; altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum. Nec iuxta hominis intuitum ego iudico. Et de Chriſto domino Iſaias: Non ſecundum uiſionem oculorum iudicabit. Etenim propter naturalia dona non laudamur nec uituperamur, ſed propter eorum laudabilem & honeſtum uſum & gratitudinem. Eius autem rei exemplum ſubdit: Breuis in uolatilibus eſt apis, parua quidem eſt, & deformior apis, fructum tamen dulciſſimum profert, eſt argumentoſa ualde & ingenioſa pro tam paruo corpuſculo, inſigne naturæ miraculum. Non ſunt ergo minutiora corpora parui facienda in hominibus, ſed animi deiectio, & faſtus in moribus eſt tam procerum quàm puſillorum.

3 In ueſtitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inuiſa opera illius.

Veſtium ornatus.

Gloriandum non eſt in donibus animæ & corporis, multo minus in ueſte. Diuitis purpura ferri poterat à domino, ſi crudelitas & uoracitas defuiſſent, producitur tamen à Chriſto ut indecens. Et ſanctæ olim mulieres ſperantes in domino, non ornatu ueſtium ornabant ſe, Prima Petri tertio. Contra ſalubre documentum iſtud faciunt, qui ueſtium pulchritudine, pretioſitate, multitudine, & formarũ petulantia ſtultiſſime gloriantur. Denique dum ad dignitates, officia, & præſidentiam uocaris non ſuperbias, ſed tanto ſolicitius humilieris animo, & occulta dei circa te iudicia expaueſcas, honorem exiſtima pro onere, cogita multa repetenda ab eo cui plus datum eſt. Et hos eligit deus, quos ſæpe deſpicit mundus. Mirabilia enim & imperſcrutabilia ſunt iudicia operum dei. Ideo neſcis ſi ideo honoreris, ut in præſenti mercedem boni operis auferas, an ut copioſiorem fructum pietatis producas. Ideo ſubditur: Mirabilia ſunt dei ſolius opera, glorioſa quoq; & præclara, ſed hominibus ignota & imperſpecta. Ideo dicitur: Quàm incõprehenſibilia ſunt iudicia eius, & impenetrabiles uiæ eius, qui ſuperbos ſubito cum uult deijcit, & humiles exaltat. Si itaq; tam periculoſe quiſquam in proprio honore extollitur, ad quos promouetur inuitus: quantum periclitatur, qui ea aſſequitur ambitioſus?

4 Multi tyranni ſederunt in throno, & inſuſpicabilis portauit diadema. Multi potentes oppreſſi ſunt ualide, & glorioſi traditi ſunt in manus alterorum.

Iudiciorum dei terror incutitur potentibus & ſuperbis, quod cuncta eorum fortuna ex domino pendeat ſolo, cui timorem debeant & honorem. Sedere in throno & honorari in terris, non eſt felicitatis, cum ſit tyrannis quoq; & ſanctis commune. Et coronam non raro geſtat de quo nemo ſperaſſet, ut ſatis ſcriptura ſacra teſtatur de Ioſeph, Dauide, Saule & alijs, unde & Anna Samuelis mater cecinit: Suſcitat de puluere egenum, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Sic contra, potentes multi oppreſſi ſunt, & ab hominibus conculcati, ut Amman princeps in regno Aſſueri, Semacherib & Pharaones. Et qui fuerant in magna gloria & fluoſo corde ſupra modum, traditi ſunt in manus alterorum, hoc eſt aduerſariorum propter peccata ſua.

5 Priuſquã interroges, ne uituperes quenquam: & cũ interrogaueris, corripe iuſte.

Temerarie neminem eſſe iudicandum docet, non rumoribus incertis. Sic Iob 29. Cauſam quam ignorabã, diligentiſſime inueſtigabam. Ante inquiſitionem ſtudioſam ne de culpa alicuius ex ſolo auditu pronuncies. Si uero examinatione facta etiam teſtium ueritatem inueneris, tunc iuxta culpæ exigentiã accuſatum iuſte corripias. Præſes in Actis dicebat: Non eſſe Romanorum conſuetudinem quenquam damnare, niſi qui accuſatus, præſentes habeat accuſatores.

6 Priuſquã audias ne reſpondeas uerbũ, & in medio ſermonum ne adijcias loqui.

Cauſas aliorum prius dignoſcas quàm dijudices. Et non prius docere uelis quàm didiceris. Et in Prouerbijs: Qui prius reſpondet quàm audiat, ſtultũ ſe eſſe demonſtrat. Et in eodem: Vidiſti hominem uelocem ad loquendum, ſtultitia magis ſperanda quàm illius correctio. Vbi igitur ex fine uerborum loquentis intentionem agnouerimus,

rimus, tunc & non ante uerbum respondeamus. Et inter seniores uerbum uerbo non adijciendum ad superflui tatem, sed tacendũ potius, senioribus deferentes, cupientes informari uel modeste interrogantes.

7 De ea re, quæ te non molestat, ne certeris: & in iudicio peccantium ne confidas.

Certamen non suscipias pro re quæ tibi non est grauamini, nec est ipsa contra deum aut proximum cõmissum tuæ custodiæ uel regimini: stultũ est enim solicitum esse de re, quæ citra periculum ignoratur. A consortio & cœtu iniuste iudicantium te subducas, nec eis in peccato communices ullo modo. Morte enim digni sunt non solum qui impie agunt uel loquuntur, sed & qui consentiunt facientibus. Ideo Dauid aiebat: Non sedi cum concilio uanitatis, & cum impijs nõ sedebo. Satis enim consilium qui consentit, & contra.

8 Fili, ne in multis sint actus tui: & si diues fueris, non eris immunis à delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes: & non effugies si præcucurreris.

Non prodest hominu se occupare inordinate simul et pariter circa multa, dum eorum nullum plene aduertere uel prosequi poterit. Omni enim negotio suũ tempus est & sua opportunitas, quæ est diligenter attendenda: cum discretione enim sunt cuncta agenda, quæ mater uirtutum est. Sed immodicus ac immoderatus diuitiarum perquisitor & amator multipliciter offendet & grauiter, difficile est enim non excedere cupiendo & satagendo. Multæ enim curæ, occupationes, distractionesq; & pericula annexæ sunt diuitijs. Ideo Paulus: Qui uolunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diabolι. Si ditari coneris, non satiaberis unquam: non tantũ appre hendes quantum uelles, crescit enim amor nummi quantum pecunia crescit. Abacuk dicit: Væ qui multiplicat non sua, et qui festinat ditari non erit innocens. Si auide sequeris opes, non effugies culpas.

9 Est homo laborãs & festinans, & dolẽs impius, & tanto magis non abundabit.

Contingit hominem instare multis laboribus, & multa instanti i solicitum laborare & dolere, præ multa inquietudine in factis, uerbis, & discursibus, per pericula corporis & animæ, nihilominus impium esse. Quales sunt qui diuitijs inhiant, opes acquirere laborant, dolentes non se tam copiosas congerere posse quàm uellent, et de aliorum prosperitate insuper tristantur. Et cum tanta cupiant, nunquam tamen abundant, semper enim plura desiderãt: quibus deest tam quod habẽt quàm quod non habent. Quanto satius esset pro pietate & cum illa laborare, festinare, & aduersitates pati, pro quibus & in præsentia quies ad se, gratia ad proximos consequi posset, & tandem uita in cœlestibus beata & æterna.

10 Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens uirtute, & abundans paupertate, & oculus dei respexit illũ in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput: & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt deum.

Ex contrario ostendit melioris cõditionis esse eos homines, qui laboribus incumbunt magnis, donec artus tabescant, & membra macilenta fiant: idq; non pro diuitijs, sed quotidiano uictu suo & suorũ. Sic ut quiete uideatur potius indigere pro recuperatione uirium ex fatigatione deficientibus uiribus, ex radicalis humoris consumptione, ex motu assiduo, quem tamen contingit perpetuò pauperem remanere, quæ tamen illi pro animi uirtute & modestia abundantia putatur, ut maiora non appetat, quin de sua paupertate lætetur, et gratias domino agat in aduersis. Illum dei oculus & benigna prouidentia clementer intuetur, et facit cum tentatione prouentum, ut felicior sit quàm nonnulli reges & Cæsares in omnibus diuitijs suis. Quin & nõ raro talem sic ex tanta humilitate erigit, & in temporalibus sic benedicit, ut caput eius exaltet, & statuat pluribus in exemplum, eiusq; synceram prosperitatem cunctis huius seculi amatoribus proponat contemplandam. Id patet in Iob, Tobia, & sanctis non paucis noui & ueteris populi. Eius est enim ponere humiles in sublimi, et mœrentes erigere sospitate, Iob 5. Et in Psalmo: Diuites egerũt & esurierunt, quærentes aũt dominũ non minuentur omni bono. Impij autem uidentes turbabuntur timore horribili, & mirabũtur in subitatione insperatæ salutis, dicentes &c

Labor ad necessitatem.

11 Bona & mala, uita & mors, paupertas et honestas, à deo sunt.

Simpliciter scriptura loquitur, & pro captu fideliũ. Ideo hic quoq; uere dicitur, non solũ bona à domino esse, sed etiam mala, quæ scilicet nobis sunt mala & aduersa, quæ deo omnia bona sunt, quia ad bonum finem & ad dei gloriam, cui etiam hominum peccata seruiunt & bona sunt, ut & Iudæ traditio, adulterium Dauidis, et proditio Ioseph, imò & Adæ primi hominis peccatum: nihil autem sub ratione mali à deo est. Vita et mors à domino sunt instituta secundum bonitatem suam & iustitiam. Omnia bene fecit. Paupertas rerum temporalium à Deo inungitur etiam amicis suis, sicut & quibusdam opulentia, quæ hic honestius fortassis dicitur, more loquendi humano. Eandem fermè sententiam Isaiæ 45. deus loquitur: Ego dominus, & non est alter deus, formans lucem, & creans tenebras: faciens pacẽ & creans malum. His inquam omnibus sancti utuntur bene, & ad gloriam dei.

Bona bonis omnia.

12 Sapientia & disciplina, & scientia legis apud deum.

Apud deum esse sapientiam, disciplinã & scientiam legis simpliciter intelligitur secundum prædicta, sic ut nõ alibi quærenda sint, uel aliunde donentur. Sapientia enim rerum diuinarum & naturaliũ spiritu diuino conceditur his quibus fauet, & per quos prosequi decreuit prouidentiæ suæ opera. Disciplina eadem est sapientia prout à pijs suscipitur, per quam et reguntur in agendis & dehortantur à fugiendis. Scientia quoq; legis nõ sumitur nisi à spiritu dei, à quo & Moses accepit, nec nisi spiritu sancto afflante legitime intelligitur, à quo et hæc petenda docentur.

13 Dilectio, & uiæ bonorum apud ipsum.

Dilectio quoq; qua religiose à nobis creator amatur,

Error etiam piorum.

similiter & ea quæ fideles mutuum se diligunt, non tantum nota domino est, sed & ab ipso donatur, pro qua & exorandus est & inuocandus. Vitæ quoq; bonorum, hoc est, profectus & conuersatio sancta, uel etiam casus & error piorum, sine quibus nõ uiuitur, etiam ab electis in hoc mundo, à domino sunt & diriguntur. Apud ipsum sunt, quia illi notißima, & corã cognita semper, etiã ante mundi constitutionẽ, quo illi diligentius obsequamur, ad beneplacitum quoq; suum uiuamus omnia aspiciẽtis.

14 Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.

Concreata mala hominis.

Errores & ignorantias rerum diuinarum, & rebelliones contra dei legem, homines omnes per ipsum primi hominis lapsum sibi congenita habent, non ex prima institutione diuina, qua recti fuerant & sapientes creati, & legem naturæ acceperant, non illis impoßibilem, si uoluissent obsequi, & in rebus leuißimis non contrauenire domini iußioni. Experiuntur itaq; homines ad malũ prontates ex natura sua, ut sine peccato uiuere nõ possint: uerum unus alteri religiosior est, & per gratiã dei innocentior. Sunt autem non pauci qui sic ad mala proclines sunt, ut gaudeant se posse multum peccare, per omnes species libidinis & luxuriæ: hi nihil dei gratiã morantur nec inuocant, mallent diu libidinari, ideo & permittuntur in sordibus cõtinuo sordescere, donec tandem sic in eis consenescant, ut malint immori q̃ benignitatem dei implorare, studere uirtutibus, et disciplinã amplecti.

15 Datio dei permanet iustis, & profectus illius successus habebit in æternum.

Character piorum.

Donum diuini spiritus quod electis clemẽter dat, hoc est, electionis gratia, qua imbuuntur ad uerũ cultum Dei sponte suscipiendum, fidem scilicet, spem et charitatem, quæ sunt certißimus electorum & uere piorum character à deo impressus, non potest deleri, sed permanet sine fine in iustis & prouidẽtia dei qua decreuit circa electos uirtutum uariarum profectus, successum suum perpetuo seruabit: utcunq; enim sinantur pro fragilitate labi sancti & electi, ut Dauid, Petrus, Paulus, & similes, semper tamen dono dei restituuntur, & gratiam non perdunt electionis diuinæ. Idq; non ex meritis ipsorum, ne non sit gratia, quod tandem saluantur per saluatorẽ generalem ab omnipotente constitutum. Nõ potest satanæ quantacunq; potestas & inuidia impedire electorum gratiam apud deum, impij autem gratiam dei nec cupiunt nec assequuntur, dati in reprobum sensum, ut prorsus peccare elegerint, & in finem.

16 Est qui locupletat parce agendo, & hæc est pars mercedis illius in eo q̃d dicit: Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus: & nescit quod tempus prætereat illum, & mors appropinquet, & relinquet omnia alijs, & morietur.

Dives auarus.

Eadem fere & ad uerbum sententia est, quam Christum dixisse Lucas scripsit 12. cap. de diuite sic auaro, ut in immensum fuerit locupletatus, quod ut plurimum fit parce utendo partis per auaritiã. Is iam ditatus hanc existimauit partem suam futurã, & eam mercedẽ iam receptur ũ, ut in multa requie præesset rebus suis, dicereti; Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, inuenisti nunc quietem, comede, bibe, epulare: & nescit quod tempus uitæ iam tunc præterierit, & mors in ianuis eadem nocte immineat, ut auferatur infelix anima, & quæ multo labore, parcitate & iniuria comparauit, alijs relinquet, & morietur. Similis illi sententia est in Ecclesiaste 6. cap. Vnus est, & secundum non habet, & tamen laborare non cessat, nec satiantur &c.

17 Sta in testamẽto tuo, et in illo colloquere, & in opere mandatorũ tuorũ ueterasce.

Hoc monachi de suis regularibus uotis interpretantur, testamentum uocantes, in quo illis omnibus modis standum sit, nisi fiant episcopi uel Cardinales. Simplex sententia est. Pio homini cuicunq; standum esse in testamento dei quod nobiscum pepigit dominus. De quo nuper eximium libellum scripsit episcopus nunc noster Tigurinus Heinrychus Bullingerus, qui insigni eruditione sacræ iungit egregiam uitæ sanctimoniam, totus dedituis profectui ecclesiæ, quẽ dominus adhuc integra ætate cõsistentem in suam gloriam diu conseruare uelit. De illo diuino nobiscum inito testamento nobis omnibus colloquendum est, non de eo quod cum Benedicto uel Francisco iniuimus, nisi si idem prorsus esse contendant. Et in opere mandatorum dei ueterascendum est omnibus electis, & nullo testamento uel instituto uiuendi alio impediri uel alligari. De quo alij multa.

18 Ne manseris in operibus peccatorum.

Cum nati sint omnes homines in peccatis, & peccatum habere necessario confiteantur, non præcipit dominus, ne in peccato maneamus, sed ne in operibus peccatorum, ut citius post admissum opus peccati pœnitentiam, mutemus mores, & peccãdi occasiones omnes uitemus, statim post admissum facinus agnoscamus errorem, et pigeat toto corde admissi, dominumq; precemur, ut non inducat nos denuo in tentationem. Hoc est quod dicit: Ne manseris in operibus peccatorum.

19 Confide autem in deo, & mane in loco tuo. Facile est enim in oculis dei subito honestare pauperem.

Gratius domino sacrificium offerre non possumus q̃ ut toto corde de illius clementia confidamus. Pater enim noster cum sit & fidelis & longanimis, non potest non benefacere filijs, cui iniuria irrogatur maxima, si illi non per omnia à filijs confidatur, ut paratißimus sit bene uelle & facere, si toto id corde & cum fide efflagitauerimus. Nec tamen interim sic fidendum est, ut pro minimo habeamus illius gratiam offendere, & factis discedere. Ideo addit: Mane in loco tuo, ut non per uarios creaturarum amores à domino abstrahamur, & discurramus per uias alias quàm fidei et charitatis in solum deum nostrũ, ut in illo solo pacem inueniamus & salutem, cuius loco factus est pax conscientiæ, nõ idolorum uarietas. Eidem domino deo tuo si costanter credideris te & tua, facile ut potest sic uolet, honestas tibi diuitias et utiles cum sua conscientia impartiri, dives est enim in donis.

Bene-

20 Benedictio dei in mercedē iusti festinat, & in honore ueloci processus illius fructificat.

Copiosa deus remuneratione festinat ad iusto benedicendum, & mercedem reddendum, longe supra ipsius merita ex gratia tantū qua sola beatificātur electi quotquot saluantur. Mercedis tamē nomine dominus utitur, eum sola sua in nobis opera coronet, quia pro fide quam donat, & pro charitatis ex fide operibus quæ præcepit, præmia gloriæ repromisit: quæ utcunq; improprie merita dicantur, ipsis tamen præmium respondens ex gratia suo modo meriti nomen imponit: liceat enim nobis loqui ut dominus, ut quod pro mandatorum impletione præmium dabitur, meriti nomen nō excludat. Eandē autem sententiam cōsequenter alijs uerbis obscurius explicat:

21 Ne dicas: Quid est mihi opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona?

Contra eos loquitur qui dei benedictionem non credunt, fiducia nulla fruuntur, sed uiuunt ut bestiæ, de nulla post hanc uitam soliciti, qui sua potentia, diuitijs et honore contenti, de deo non curant, quem nō credunt, ideo nō sibi putant opus beneficio dei, uel hominū charitate, existimantes se solos sufficientes sibi per omnia, & nullius egentes, quod summa est impietas in deum, & mundo quoq; non ferenda malignitas. Cum homo homini necessarius sit, & rex sine regno, dives sine paupere subsistere non possit, multo magis is nobis necessarius est, sine quo esse, uiuere, operari nulla creatura potest, qui nullum iustitiam sinit irremuneratam post hanc uitam, nec impunitam malitiam hominū. Multa autē bona habebimus si deum timuerimus, donanda nobis hic et in futuro.

22 Ne dicas: Sufficiens mihi sum, & quid ex hoc pessimabor?

Idem ferè dicit alijs uerbis: Satis abundo, alterius operatione non utor. Iuxta illud Apoc. 3. Dicis quia dives sum, & nullius egeo, & nescis quod tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus ac nudus. Vnde et suadeo tibi eme mecum aurum ut locuples fias. Et cum sic impie loquaris & sentias, audes tamen addere ex hoc te malum nō fieri uel habendum, nec aliqua à deo uel homine incursum supplicia. Sed super te olim ridebūt pij, & dicent: Ecce homo, qui non posuit deum adiutorem suum, sed sperauit in diuitias suas.

23 In die bonorū ne immemor sis malorū, & in die malorum nō immemor sis bonorum: quoniā facile est corā deo in die obitus retribuere unicuiq; secundū uias suas.

Non sic ô homo, non sic, nec sentiendum nec loquendum, sed potius omnia tua & teipsum crede à deo pendere, qui uitam tuam tenet in suis manibus: ideo nullis prosperis extollaris, non effundaris in gaudio, in humilitate & timore teipsum conserues, semper sis pauidus, fieri enim potest subitus casus à fortuna magna in maximam miseriam, à uita in mortem, & à felicitate quam tibi mentiris in æternum supplicium. Nouissima tua potius expendas. Sicut & in calamitatū casu minime fuerit desperandum, sed ut dictum est, confidendum in dominū, qui facile succurrere potest, et benedictionis mercedē rependere bene gestis, sicut et impijs superbis cōtumeliam et pœnas æternas. Semper potius regia uia incedendum est, ne uultus nostri in diuersa mutentur, sed stabili tranquillitate lætemur, dicentes cū Iob: Si bona suscepimus de manu dñi, mala quare nō sustineamus? Nedum facile deo est, sed & necessariū suæ iustitiæ & bonitati, reddere cuilibet pro merito tēpore mortis et iudicij particularis: ideo in aduersis est assumenda patientia, & in deum fiducia, in prosperitate autē uana est lætitia refrenanda.

24 Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ, & in fine hominis denudatio operum illius.

Tanta potest superuenire tibi afflictio hora una, & modico tempore, quæ diuturnæ uoluptatis præteritæ tibi obliuionem inducat, & omnem absorbeat delectationis exactæ memoriam. Sicut in Apoc. De Babylone dicitur: Væ uæ, quia una hora uenit iudicium eius. Idem Nahum de Ninive. Mortis autem iudicium quod homini semper timendum peccata manifestabit, tunc enim reddenda ratio erit de dictis & factis, suscipiendaq; retributio pro gestis, ut iam dictum est uersu præcedenti, secundū illud 1. Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; ueniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Iudiciū dei timendum.

25 Ante mortem ne laudes hominē quenquam, quoniā in filijs suis agnoscitur uir.

Neq; de nobis ipsis neq; de proximis nostris certi sumus, quo fine laudenda sit uita, ideo laudandum parce, et sine adulatione, non sine timore contrarij, propter instabilitatem uoluntatis & morum, propter mundi casus miserandos & incertos, quo fit ut qui hodie stat, & sanctus habetur, is cras iaceat misere, & impietatis damnetur. Stultum est ergo laudare pugnantem quasi iam uictorem: quem enim uidemus uelle bene agere, nescimus si possit in bono perseuerare. Cum uero boni laudantur, nō tam ipsi quàm in eis dei bonitas et gratia commendatur: studendum igitur non tam ut laudemur, quàm ut laudanda agamus, propter eum cui soli debetur omnis honor et gloria. Non raro autem filij patrum mores referunt, ut ex filiorum studijs patres cognoscantur. Verum id regulare nō est. Sed quod Christus loquitur: Ex fructibus eorum cognoscetis eos, hoc est ex filijs laudari. Radix enim cognoscitur ex fructibus. Nemo ergo simpliciter & incaute laudādus, sed cū conditione finis & perseuerātiæ. Laudandī qui et quando.

26 Non omnem hominem inducas in domum tuā: multæ enim sunt insidiæ dolosi.

Periculo proximum est domum inducere, & familiaritatem instituere cum his, quorū nobis fides incerta est et probitas, ut considerare contingat dubios amicos, quæ domi habeas, te quoq; intimius nosce & tuos. Sæpe sub specie pietatis struuntur insidiæ & doli, ut nusquam locum habeat uera fides uel saltem certa. Ad idem dicitur: Coram extraneo ne facias consiliū, nescis enim quid pariet. Ezechias rex à propheta corripitur, qui Babylonorum legatos introduxerat ad domus suæ contemplationem exactam rumis. Dubij amici.

27 Sicut enim eructant præcordia fœtentiũ, & ficut perdix inducit in caueam, & ut caprea in laqueum: fic & cor ſuperborũ, & ficut proſpector uidens caſum proximi ſui.

Animi ſyncritas.

Ratio & exemplum additur prædictorum. Vt enim prauum & contagioſum fœtorem emittunt uiſcera habentia corruptum anhelitum, & ut ſagaciſſima quantumuis auis in cauea capitur, ruitq; in rete expanſum, ſed & caprea ad fugam & ſaltum alioqui inſtructiſſima & agilis, inducitur tamen arte doliſq; in laqueum: ſic & cor ſuperborum, & ad honores per fas & nefas contendentium, proximosq; decipientium, exhalare ſolet uerba fraudulenta, & à ſatana tamen decipitur, & propria malignitate excæcatur, ſic quoq; callidus hoſtis obſeruare ſtudens ruinam proximi decipitur, & in laqueum cadit imidipſum, ut malũ incidat quod alteri præparauit. Vt ſynceritatem diſcamus animi, & modeſtiam in moribus & uerbis.

28 Bona enim in mala conuertens inſidiatur, & in electis imponet maculam.

Arrogans & doloſus inſidiator bona proximi ſui ſtudet deprauare, & in deterius interpretari, intentionem etiam damnando, ſi minus opus poſſit, omnino intentus totus & unice ad nocendum, cum amorem interim fingat. Et in electis ponit maculam, mendaciter et inſidioſe criminatur quæ bona ſunt & ſancta, clam detrahit ubi publice inurere culpã non audet, ferre non ualens ut ſibi quiſpiam præferatur, & commoda ſua impediat, quomodo & Chriſtum Phariſæi criminabantur, dicebãt enim: Non eijcit hic dæmonia niſi in Beelzebub nomine, &c.

29 A ſcintilla enim una augetur ignis, & ab uno doloſo augetur ſanguis: homo uero peccator ſanguini inſidiatur.

Pericula magna ex paruis.

Ex minima ſcintilla paulatim gignitur magnus ignis, ut Iacobus quoq; in Canonica, quantus ignis quàm magnam ſyluã incendit: ſic uerbis detractoris & inuidi ingens effuſio ſanguinis procuratur, & clades hominum plurimorum ex unius doloſi hominis proditione oboritur, et peccatum occaſio fit peccatorum, ut ſanguis ſanguinẽ tangat. Homo enim peccator, qui aſſiduus eſt præuaricator, et aſuetus iniurijs proximorum, is gaudet inſidiari proximorum uitæ & famæ, de genere eorum de quibus dicitur: Omnis frater ſupplantans ſupplantabit.

30 Attende tibi à peſtifero, fabricat enim mala: ne forte inducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum.

Hortatur ergo ad prudentiam et circumſpectionem, ut fugiatur tota diligentia periculum ex doloſis & peſtiferis fabricatoribus mendaciorum & iniuriarum, qui improbas practicas confingere didicerunt ex uſu contra innocentes et innoxios, ut eos ſubſannatione fallant tam grauiter, ut perpetuæ ignominiæ tandem ſubiacere cogantur, niſi ſuccurrat ſapientia uera, quam hoc libro docere ſpiritus domini & inculcare intendit.

31 Admitte ad te alienigenã, & ſubuertet te in turbine, & abalienabit te à uijs proprijs.

Cautela.

Per ironiam loquitur ſapiens, docendo cautelam ad extraneos & ignotos, ne facile illis credantur ſecreta, ut in familiaritatem citius aſſumantur, ne te fallant, conuertant, & in inquietudinem inuoluant, ut tibi rebuſq; tuis incõmodent, & ueluti importuno & inopinato turbine concutiant ac ſubuertant. Vnde & extranei ut primum in urbe quapiam incœperint habitare, non ſunt cito eligendi in ciſs præficiendi publicis, ſed eorũ primo fides et conſtantia perdiſcẽda. Verum non ſunt ut aduenæ contriſtandi.

CAPVT XII.

1 SI benefeceris, ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa.

Cui præſtanda ſint beneficia docet, nempe dignis & indigẽtibus, ſyceriter & ad intuitu, ut à domino deo magnam & gratioſam beneficentionem recipias. Scito, inquit, hoc eſt, perpende diligenter ne indigno tribuas, quem præſtaret egere quàm adiuuare. Gratia multa erit bonis tuis, à deo retribuetur centuplum, & pro temporalibus æterna recipies.

2 Benefac iuſto, et inuenies retributionem magnam: & ſi nõ ab ipſo, certe à domino.

Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: ſic & qui iuſtum recipit in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Fieri autẽ poteſt, ut iuſtus uel propheta pro beneficijs tuis compenſare nihil poſſit per pauperiẽ, ſed dominus qui diues in omnes eſt, abũde remunerabit. Da pauperi donũ et accipe cœlum.

3 Non eſt enim ei bene qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynas non dantit

Aſuetus ad impia duplo eſt impius. Grauiſſimũ enim peccatum eſt nolle pœnitere, nec eleemoſynis uelle peccata redimere, ſed peccata peccatis addere. Conſuetudo enim eſt moles grauiſſima, mentem deprimens in profundum. De qua in Prouerb. Peccator cum in profundũ uenerit contemnit. Vnde & orat uir ſanctus: Neq; abſorbeat me profundum. Non ergo danti eleemoſynam tempore opportuno bene eſſe non poteſt. Iudicium autem ſi ne miſericordia ei fiet, qui non fecerit miſericordiam.

4 quoniam & altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus.

Homines quidem diligit eorum creator, ſed non uult eſſe peccatores, quos ad iuſtitiam uocat ſalutaribus monitis & præceptis, beneficijſq; & pœnis, ne adſit excuſatio ſponte inobedientibus toties uſitatis. Nihil quidem odiſti eorum quæ feciſti, odiſti tamen omnes qui operantur iniquitatem quam odis. Miſeretur tamen dominus pœnitentibus, hoc eſt, ſibijpſis diſplicẽtibus, & meliora proponentibus. Exempla ſunt Dauid, Nabuchodonoſor, Petrus, Paulus, Magdalena, Matthæus, cum muliere in adulterio deprehenſa, & ſimilibus multis.

5 Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem: & impijs, et peccatoribus redde uindictam, cuſtodiens eos in diem uindictæ.

Qui indigenti eleemoſynã facit, nec pro delicto ſibi donat, uere quidem miſericordiam facit, natura enim reſpicienda eſt, non perſona. Intelligitur autem miſericordia paſſiue, hoc eſt, beneficio uel miſericordia indigenti, non præfracto & cõtumaci, ſed probo alioqui uiro: obſtinato

to autem in peccatis, qui beneficijs ad peccandum adiuuaretur nõ tribue. Si ex officio tibi incumbit, uide ut impios & peccatores non sinas impune male agere, sed digna uindicta à peccãdo compesce. Vel secundum aliam literam: Dominus reddet impijs quod merentur. In diem enim perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur, & de furore omnipotentis bibet.

6 Da bono, & non receperis peccatorem: Benefac humili, & non dederis impio.

Liceat tibi de quolibet homine quem male agere non uides meliora sperare & credere, eiusmodi si egere conspexeris, et est tibi manus præstare potens, ne desinas uel obmittas benefacere. Peccatorem autem dum uideris, palamq; impium iudicare ex coniecturis certis poteris, illum non recipias ad fouendum. Histriones enim donare est dæmonibus immolare. Veruntamen qui dat indigenti peccatori, non quia peccator est, sed quia homo est & spes est conuersionis, uel ex huiusmodi charitatis actu compungendus, ille non peccatorem sed iustum nutrit, quia culpam non diligit, sed naturam cupiens uel beneficij exemplo reuocare ad uirtutem. Humili benefacere, est egenti & humiliter postulanti succurrere. Indigenti autem impio præponendus est iustus indigens.

7 Prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te fiat: nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis quæcunque feceris illi: quoniam & altissimus odio habet peccatores, & impijs reddet uindictam.

Loquitur de impijs obstinatis, & in peccatis semper progredientibus, piosq; nonnunquam persequentibus. Hos enim non expedit fouere beneficijs, quibus fiant fortiores ad insistendũ impietatibus. Noli, inquit, fouere ei bis, ne te fiat potentior, & in malitia pertinacior: inuenies enim si dederis duplicem malitiam, te scilicet inordinate dedisse impio quo egebat pius, & illum male accepisse, solitoq; peiorem effectum. Vel tua interim perdes, & aduersarium contra te nutris. Odit autem peccatores altissimus, hoc est, iuste puniet, & non uult esse quod sunt, et ut suos hostes seueriter iudicabit ac puniet.

8 Non agnoscetur in bonis amicus, & nõ abscondetur in malis inimicus.

In prosperitatibus hominum non possunt certo internosci amici ueri à falsis, omnes enim passim fauent felicibus & accurrunt, ubi sine damno & labore sese commendare possunt, iuxta commune dictum: Si fueris felix multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris. Inimici autẽ non negligent inuadere te, si maliam tibi fortunam accidere uiderint, prodent enim certissime tunc suum odium, dum maxime tibi nocere posse confidunt. Sunt autem & uersuti, qui tali in casu dolere se simulent, cum re uera gratulentur. Seneca: Ob hoc præcipue diligenda est paupertas, quia facit te scire quis te uere dilexerit. Ille enim uere amicus est, qui omni tempore diligit: falsus autem amicus cum fortuna uenit, & cum fortuna recedit.

9 In bonis uiri, inimici illius: in tristitia, & in malitia illius, amicus agnitus est.

Alia figura locutionis eadem ferè sententia: Dum quispiam prospere agit & est in bonis, inimici illius statim agnoscuntur, tristes enim sunt et obmurmurant, idq; uulnus liuoris in corde premere secum non possunt. Si uero ingruat malitia, id est, aduersitas & incommodum alicui, tunc quoq; sese amicus occultare non potest, quin accurrat, consoletur, adiuuet et defendat. Charitas enim non gaudet super iniquitate, sed uirtuti & prosperitati congaudet. Potest tamen & amicus in casu gaudere de aduersitate amici, si sperat inde emendandum, & ab insolentijs abstrahendum.

10 Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius: & si humiliatus uadat curuus, adijce animum tuum, & custodi te ab illo.

Inimico nõ facile credendum.

Seneca quoq; dicit: Nunquam fidelem credas tibi, quem ex inimico amicum habueris. Causam addit hic: Sicut æramentũ æruginat nequitia illius, fouet enim odij uetusti rubiginem adhuc in corde, utcunq; foris charitatem ostendat. Et si multa se reuerentia commendare tibi uideatur, & quasi incuruus incedere ex humilitate, quæ ficta est, simulationi illius minime acquiesce. Sed tamen adijce animum tuum et diligenter aduerte, cautumq; te illi reddas, ne quid temere illi concredas. Prouerb. 26. Cum submiserit uocem suam ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde eius.

11 Nõ statuas illum penes te, nec sedeat ad dexterã tuam, ne cõuersus stet in loco tuo: ne forte conuersus in locum tuũ, inquirat cathedram tuã, & in nouissimo cognoscas ῥba mea, & in sermõibus meis stimuleris.

Familiaritas cauta sit

Falsos amicos uel potius recõciliatos dubie inimicos, non suscipias ad familiaritatem, ne ad pristinam inimicitiam reuersus, locum tuum sibi præripiat, et te repellat, honore tuo priuet. Familiaris enim inimicus aptissimus est ad nocendum, quando alter se cauere non studet, cui nihil mali confidit, uti tandem contingat te per experientiam sentire mala, de quibus nunc te studiose fideliterq; commonefacio, tunc autẽ compungaris & doleas, quod uerbis his meis admonitus prospicere tibi non curaueris uel acquiescere: tunc autem numium tibi tarde & sine fructu prospicies cum perijsti.

12 Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestijs? sic et qui comitatur cum uiro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius.

Qui se imprudenter & sponte magnis exponunt periculis, ut sunt qui serpentum incantationi operam dant, & bestijs se ingerunt crudelibus & uenenatis, is læsi læ taliter, non habent qui cõpatiantur: sic ei qui his uerbis meis admonitus noluerit sapiẽtior fieri, nullus cõdolebit.

13 Vna hora tecum permanebit: si autem declinaueris, non supportabit.

Adhuc prosequitur de inimico reconciliato uel falso amico: Hora aliqua prosperitatis amicitiam simulabit, quum ex te sibi commoda sperat, si autem uel modicum fortuna inclinauerit tua, ut à prosperitate recedas, neq;

condolebit neq; succurret. Multa ergo diligentia amici sunt examinandi, caute agendũ cum reconciliatis. Hanc autem naturalem prudentiam docet etiam spiritus sanctus, qui & inspirat, si quid in talibus generalibus disciplinis nonnunquam fuerit dispensandum.

14 In labijs suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, ut subuertat te in foueã.

Similis sententia Prouerb. 11. Simulator ore decipit amicum suum, blandiendo dulcia loquitur, quod est labijs indulcari, ut solent qui amicos se fingunt, quum sint inimici. Fingunt enim interim quomodo obruant malis, et in profundum perditionis præcipitent. Prudentia ergo opus est, ut non facile credatur signis exterioribus, et uerbis quàm maxime, quibus ut plurimum mendacia conciunantur, quod sit omnis homo mendax, & ab infantia propensior ad mala quàm ad bona. Diu ergo amicus probetur & amicitia.

15 In oculis suis lachrymatur inimicus: & si inuenerit tempus, nõ satiabitur sanguine: & si incurrerint tibi mala, inuenies eũ illic priorem & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas.

Amicus fictus.

Non modo labijs sed & oculis improbi machinantur mala dum odiunt, perniciosius autem quum se simulant amicos. Est enim talis inimicus qui nequiter lachrymas fingere potest, & compassionem dum lætatur ex animo, sed sic, ut ubi tempus ad nocendum aptum offenderit, crudeliter sauciabit te, & insuper trucidabit. Tantum abest ut in aduersitatibus tuis illum habeas adiutorẽ uel consolatorem, magis enim gloriabitur & gaudebit de calamitate tua, & ubi poterit studiose augebit, cum tu illum tibi ceu fidelem amicum & adiutorem asciueris. Exempla plurima legimus in sacris, multo plura in prophanis, cum tamen tam rarus sapienter illa euadat.

16 Caput suũ mouebit & plaudet manu, & multa susurrans commutabit uultũ suum.

De eodem adhuc satis comperta docet, ut hostes ex animo quicquid foris simulent aliquandiu, tandem ubi audent rident miseros, & manu plaudere non uerentur, de lapsu gaudentes amicorũ: mutuum susurrant & submurmurant, post lapsum omnia uitio dantes & condemnantes, quæ rebus saluis ficte laudauerant. Sed & uultu mutantur, dum animus sæuit, ut ferociter aspicere audeant, quem prius blandiendo arriserant. Sicut Laban in hostem uersus, Iacob patriarcham torue aspexit, ut diceret uxoribus: Video faciem patris uestri, quod non est erga me sicut heri & nudiustertius. Simile Iud eis contigisse Ieremias lamentatur: Plauserunt super te manibus suis omnes transeuntes per uiam, sibilauerunt & mouerunt caput super filiam Ierusalem, &c.

CAPVT XIII.

1 QVi tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui cõmunicauerit superbo, induet superbiam.

Docet fugere praua & periculosa consortia, exemplo picis immundæ & tenaciter inhærentis tangenti. In primis autem pernicosa sunt consortia cum superbis, quando alioqui prona nimis est humana fragilitas ad honoris appetentiã & uoluptatis, proprioruq; commodorum, quæ facile discentur ex consortio talium, & familiaritate similiter affectorum. Vnde et uirtuosorum quoq; sapientiumq; consortia ualde salubria sunt, quia dicitur Prouerbiorum 13. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, amicus stultorum, hoc est iniquorum, similis eis erit. Prohibuit itaq; deus filijs Israël consortia Chananæorum, sciens cum peruersis peruertendos.

2 Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se collisserint, confringetur.

Societas inita cum potentioribus difficile fertur, deferendum illis erit, in expensis similibus sequendi sunt, multa pati cum patientia, ne offendantur: in contractibus quoq; deferendum, honoribus & obsequijs consuendi sunt, acquiescendum illorum uerbis & manibus, cum eis nonnunquam periclitandum, propter eos sustinendi maleuoli. Non est ergo conueniens coniunctio potentioris cum honesto, id est diuite, ne quod modicũ superest pauperi, dilapidari contingat ob inutilem gratiam diuitis. Similiter nõ est apta societas cacabi, qui fit ferro aut ære cum olla terrea, citius enim collisione olla conteritur. Aptius ergo contrahitur societas inter æquales, non genere, opulentia, gradu statuq; dissimiles.

3 Diues iniuste egit, & fremet: pauperem læsus tacebit.

Incommoda disparitatis enumerat quædam inter diuitem & pauperem. Facile diues iniuriam irrogat pauperi, & insuper per iram indigne fremere non obmittit, duplici eum onerans incommodo lædẽdo & commendo: interim autem pauper á ditiore sic læsus tacere cogitur, non audens resistere, ne deteriora sibi contingant. Quid Fuerat ergo pauperi ab initio fugiẽda ea societas. Quid enim paleis ad triticum? Simile Prouerb. 18. Pauper ramis obsecrationibus loquitur, diues autem effabitur rigide.

4 Si largitus fueris, assumet te: & si nõ habueris, derelinquet te. Si habes, conuiuet tecum, & euacuabit te, & ipse non dolebit super te.

Aliud inconueniens. Non aliter te diues socium admittet uel seruabit, nisi si munera dederis, uel officiose dideris, commodum enim suum diues sectatur ut diues permaneat: est enim uel iniquus uel hæres iniqui. Multi enim sunt amici dona tribuentis: quod si non habueris unde dones, statim te derelinquet, quãdo nõ tam te quam suum quàm tua. Si habes unde frui te possit diues, conuiuet tecum, participabit tecũ in cibo & potu, donec pauperitatis cula tua secum decoxeris: quo peracto, tuæ paupertati tardius condolebit.

5 Si necessarius illi fueris, supplantabit te, & subridẽs spem dabit narrans tibi omnia bona, & dicet: Quid opus est tibi? Et confundet te in cibis suis, donec te inaniat bis, & ter: & in nouissimo deridebit te: postea uidens derelinquet te, & caput suum mouebit ad te.

Ad idem consequenter loquitur. Necessarium te sibi pauperem diues infidelis operi suo & obsequio subdet, cui reluctari non audebis, semel societate illi deunctus, & subridens spem dabit retributurum tibi, & benefactu rum digno præmio, pulchra tibi uerba narrans, ficte pe= tendo quid postules, quasi paratus conferre ea tibi. Inte= rim te grauabit opera & impensis, donec uacuum te & inanem relinquat. Id uero non semel aget tecum, sed bis & tertio donec illi prosit, & obsit tibi, ut ulterius ferre nequeas cum etiam si uelis. Tunc ubi tua secum cuncta expenderis, uelut insipientem te et stultum ridebit, quia præsumpseris te illi præbere socium, qui tibi præualue= rit, & tu illi stulte acquieueris supra uires tuas. Insuper inopiam tuam cernens, non tantum nõ condolebit, mul= to minus succurret, quin & caput mouebit contra te, homo impius & sine dei timore, et hominum charitate. Satius ergo fuerit te non socios tibi assumere nisi pares diuitijs & honore: non tibi honorem usu pare ex ami= citijs potentum, si tu fueris pauperior.

Humilitas ad deum.

6 Humiliare deo, & expecta manus eius. Attende ne seductus in stultitia humilieris.

Domino deo tuo te sponte & humiliter subijcias, nu= hil de te præsumas, omnibus propter deum te seruũ con= stituas. Humiliamini sub potenti manu dei, & subiecti estote omni humanæ creaturæ propter deũ. Et expecta manus eius. Totum te illi commendes, et suam de te uo= luntatem sponte sustineas, siue humiliare decreuerit te siue exaltare. Satius tibi sit coram deo te humiliari, & humilem te gerere etiã coram hominibus, quàm per stul titiam & mentis ignauiam post superbiam humiliari ac deijci. Sic enim dns eos qui se arroganter exaltant per stultitiam humiliat. Seducitur autẽ homo ad superbiam proprio sensu sibi placens, diabolicæ tentationi consen= tiens, et per fallaciam humanam errori condescendens.

7 Noli esse humilis in sapientia tua, ne hu miliatus in stultitiam seducaris.

Noli uelle in sapientia tua humilis esse, quasi optans stultus haberi, & sine sapientia placere deo uel homin= bus. Vt sunt multi qui sapientiam nihili faciunt ne ma= teriam habeant superbiendi. Vnde illis digna ignominia reprenditur, ut stulti sint, & ab omnibus habeantur. Non est amanda stultitia uel sequenda de industria, & odio sapientiæ, sed si contigerit ex ingenij paruitate, humili= ter est & patienter ferenda. Alioqui sapientia clamitat in plateis, & cupit ab omnibus amari & suscipi, omn= busq; prodesse, omnes honorare.

Imitanti mysterium sapientiæ.

8 Aduocatus à potentiore discedet ex hoc enim magis te aduocabit.

Disciplinam docet in moribus, ne quis à potentiore uocatus ad mensam uel ad familiaritatẽ cito consentiat. Non enim id faciunt ex animo, sed honoris gratia, & ad tentandum, ideo ab initio cum modestia renitendum, & excusare honestius est. Vbi uero uideris ex animo te uo= cari, quia sæpius instat & non statim dimittit, intellige illi placere tuam discretionem & reuerentiam, & sic acquiesce cum modestia, semper autem cum cautela se= cundum prædicta uersu quinto.

9 Ne improbus fis, ne impinguaris: & ne longe fis ab eo, ne eas in obliuionem.

Importuni= tas cauenda

Ad idem non importunus te ingeras maioribus, nisi multa necessitate coactus, maxime autẽ conuiuia talium non inquiras, ne turpiter repellaris ut indignus & arro= gans, iuxta illud Prouerbiorum: Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, illum frequentia tua nimium mole= stando, ne quando satiatus familiaritate tua & impor= tunitate, oderit te. Sed & ne nimis longe fis ab eo, diui= tem nimis negligendo, ne ipse quoq; in tui obliuionem abeat, uel à te se existimet non curari uel despici, ne si quando patrocinio illius egueris, fauore & opera, nihil te curet, facile enim & ipsi negligunt pauperiores.

10 Ne retineas exæquo loqui cum illo: nec credas multis uerbis illius: ex multa enim loquela tentabit te, & subridens interroga bit te de absconditis tuis.

11 Immitis animus illius conseruabit uer= ba tua, & non parcet de militia, & de uin= culis.

Diuites ca= uendi.

Non retineas ditiorem uel potentiorem tuis sermo= nibus, non prolixe colloquaris, & ueluti ex æquo par cum pari: audi potius tacens, uel breuiter expedias te ab illo, ne molestiam ingeras fastuoso, tua uel præsumptuo= sitate uel multiloquio, sed cum reuerentia alloquere. Et si tibi blanditur, magnáue promittit, aut amicum simu= lat, non facile te illi credas. Ad hoc enim copiosius te al= loquitur, ut tentando animũ tuum experiatur, & quasi applaudens & subridens secretiora tua expiscari cupit ad suum commodum uel tuum detrimentum. Et ubi po= tentioris illius fuerit in te immitis animus, quantumlibet amicitiam simulet, reuelata illi secreta tua memoriter retinebit, ut opportuno illi tempore te protrahens accu= set, & affligat sine misericordia, qui tamen tibi aureos uidebatur montes promittere.

12 Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo: quoniam cum subuersione tua am= bulas.

13 Audiens uero uerba illa, quasi in som= nis uide: & uigilabis.

Caute lo= quendum.

Attende diligenter his quæ potentior ille à te audit, & quæ tu audis ab ipso, ne dicas tacenda et taceas dicen da. Qui enim custodit os suum, custodit animam suam. Cum periculo enim uitæ conuersaris cum illo, aut etiam damno eorum quæ possides. Periculum est enim ne ad subuersionem tuam loquatur tibi, & tu imprudens re= spondeas, unde sermone capiaris. Inter loquendum au= tem tecum diuite, tu tibi prospicias, de tuis secretis ne illi respondeas. Sed & profuerit ad tuam famã & salutem, ut uerba illius quasi in somnis uideas, hoc est caute dissi= mules te intelligere uerba illius, uel animum expisca= di secreta tua, ne si uafriciem tuam intelligat, secum ta= citus male de te sentiat uel confundatur ut odiat. Vnde & insigni cautela & uigilantia opus erit hoc casu, ut præstet non colloqui talibus, uel quam breuissime, ne pe= ricliteris.

14 Omni uita tua dilige deum, & inuoca illum in salute tua.

Conscientia serena.

Si huiusmodi pericula consortiorum cum potentibus uel cum alijs tuto declinare uolueris, & semper serena conscientia conuersari cum omnibus, & gaudere, unum tibi necessarium & ad hoc utile amplecteris, ut omni in uita tua, in actione & conuersatione dominum deum diligas, & eidem semper probari studeas, ab omnibus te criminibus conseruando immunem, ne quem cogaris iudicem extimescere, uel secreta tua exhorrescere, si quando euulgarentur aut excciderent imprudenti. Sed ne hoc quoq; sufficit, nisi & deū pro salute tua assidue inuoces, illi commendando te & fortunam tuam. Quandoquidem & non raro innoxijs & synceris impendunt pericula, ut etiā iustus uix tutus sit ab improbitate maledicorum, qui mendacia consuunt contra pios, ubi oderint, ut necessaria sit oratio frequens, ne inducat in tentationem.

15 Omne animal diligit simile sibi: sic & omnis homo proximū sibi. Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur.

Similium societas.

Ad superiora id referendum, ubi tractatum est de declinanda societate diuitum ac potentum, ut ei potius familiaritate iungaris qui studio & religione sit consors. Hæc est enim firma amicitia, quam sociat similitudo uirtutum, ut pauper non diuitis quærat societatem sed pauperis. Id quoq; per simile docet. Omnis, inquit, caro ad similem sibi coniungetur, quod docetur in auibus, piscibus, & animalium omnium generibus & speciebus. Vnde Ambrosius: Nihil tam secundum naturam, quàm diligere naturæ consortem, & tamen in miseris hominibus ratione utentibus, & intellectu uigentibus contrarium inuenitur. Id uero ex priuato fit amore & utili.

16 Si cōmunicabit lupus agno aliquando: sic peccator iusto. Quæ cōmunicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars bona diuiti ad pauperem?

Improba societas.

Vt non solet unquā lupus diligere agnum, nec agnus lupum: sic impius non communicat moribus iustorum, nec pius quispiam tuto familiaris fuerit cum iniquis. Est enim morbus contagioni obnoxius, improbus socius, ut nulla societas intercedere debeat inter fidelem & perfidum, inter Christianum & ethnicum obduratum, qui in scripturis dicitur canis, tum quia iracundum est animal & exosum, tum quia reuertitur ad uomitum, resumendo iterū peccata quæ paulo ante deposuerat. Vnde & Paulus: Quæ participatio iustitiæ cū iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? aut quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Sic quoq; nō conuenit inter diuitem & pauperem. Vtcunq; autem ciuili amicitia non iungantur, non tamen uiuere sine pauperibus diuites possunt, multo minus quàm pauperes sine diuitibus, qui ad labores & parcitatem assueti, facilius naturæ incommoda ferre possunt quàm delicatuli diuites. Sicut quoq; pauper cohabitare diuiti potest ad subseruiendum illi, & ad petendum subsidium.

17 Venatio leonis onager in eremo: sic & pascua diuitum sunt pauperes.

Diuites ut cōparantur lupo, cani, & leoni: sic pauperes agno, sancto homini & onagro. Lupo significatur rapacitas & fames auaritiæ, Cane autem detractio, immunditia, loquacitas, & gulositas, Leone, superbia & crudelitas, quæ sunt omnia ut plurimum in diuitibus. Hic uero onager pauper nominatur, expositus leonibus ad prædā, asinus scilicet syluestris. Diuites enim auari pauperum bona diripiunt, & eorum se pascunt laboribus. De quibus dicitur: Generatio quæ pro dentibus habet gladios et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.

18 Et sicut abominatio est superbo humilitas: sic & execratio diuitis pauper.

Superbus subdi se & humiliari, uilis reputari & obedire abhorret: sic inordinatus diuitiarum amator, paupertatem abominatur, & diuitias admiratur. Et sunt nonnulli tantæ malcuolentiæ diuites, ut aspernentur pauperes, sine quibus & illorum opera ipsi diuites esse non possent, imò nec uiuere quidem. Ad quid enim diuitiæ prodessent diuiti, nisi adessent pauperum operæ & seruitia? ut est animalium cura, & rusticus labor, artificum operæ, sine quibus diues non uiuit suauiter.

19 Diues commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit, expelletur & à notis.

Cum infortunio obrutus fuerit diues quispiam, statim succurrit consiliū et auxiliū amicorū, quos multos experitur & in promptu, nō tam ex animi synceritate quàm cupiditate mercedis & commodi. Pauper aūt et humilis in statu uel æstimatione constitutus, cum diffortunū incurrerit, etiam à notis & proximis sanguine, & qui amici fuerant habiti, absq; humanitate expellitur. Exemplum euidens horum Iob erat, qui dixit: Noti mei quasi aliena recesserūt à me, dereliquerunt me proximi mei, & qui me nouerāt obliti sunt mei. Et Prouerbiorū decimonono: Fratres hominis pauperis oderunt eum, &c.

20 Diuiti decepto multi recuperatores: locutus est superba, & iustificauerunt illum: humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensate, & nō est datus ei locus.

Diuiti damnis affecto uel errori inuoluto succurrunt multi, ad recuperandum si fieri posßit, damnum, ad risum dissimulandum, ad excusandum quoq; et defensandum, ne quid patiatur maioris incommodi. Etiam si quid iactauerit, superbe, uel iniurioſe cuicunq; locutus est, inueniuntur tamen adulatores, qui excusant, interpretantur commodius, & boni consulunt uniuersa, iuxta illud: Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicetur & iustificatur. Humilis autem statu & moribus, de se moderatius sentiens, & non in fastum elatus, paupertate scilicet & modicus, si damnum perpessus est, ignorantia lapsus uel infirmitate, statim rigide & sine moderamine arguitur. Et si sapienter locutus est, audientia ei negata est illi. Contemnitur enim persona propter fortunam & inopiam, secundū illud: Multi colunt personam potentis, fratres autem hominis pauperis oderunt eum, insuper

insuper & amici procul recesserunt ab eo.

21 Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & uerbum illius usq; ad nubes perducent: pauper locutus est, & dicunt, Quis est hic? Et si offenderit, subuertunt illum.

Eadem ferè sententia cum dictis. Audiuntur cum reuerentia & honore diuites, pro respectu personæ ex diuitijs, uehementerq; applaudent uerbo illius & extollunt ad sydera, ut illi complaceant & probentur. Vbi uero de medio communitatis quispiam infimæ sortis loquatur aut pauper, obturbatur statim & contemnitur, uelut indignus audientia. Sed & si in uerbo offendat, reprobabunt audacter & contemptim, & seuere punient, iuxta illud Ecclesiastes: Quomodo sapientia pauperis contempta est, & uerba eius non sunt audita. Sed sapientes non sic agunt, de quo Salomon: Verba sapientum audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos. Non sunt autem omnes diuites mali.

22 Bona est substantia, cui nõ est peccatum in conscientia, & nequissima paupertas in ore impij.

Diuitiæ de sua natura malæ nõ sunt, si bene possideantur & digne administrentur, si non sit peccatum in conscientia possidentis. Viciſsim quoq; paupertas otiosi, inqui, mendacis, & auari, & in uerbis irrefrenati praua est, & maximis culpis admixta. Accedit enim impatientia & murmuratio, inuidia & perfidiæ, mendatia & hypocrisis, cum auaritia & furto, ubi occasio fit.

23 Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona siue in mala.

24 Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficile inuenies, & cum labore.

Ex facie probe inspecta potissimum discitur animi habitudo. Quomodo enim in aquis uultus resplendẽt prospitientium, sic corda hominum manifesta fiunt prudentibus. De quo etiam 2. Esdræ 1. Vera autẽ indicia probitatis apud paucos inuenies, quòd perpauci uerè uirtuosi sint & iusti. Et nõ sunt certa huiusmodi facierum iudicia. Sunt enim uersuti, qui faciem et oculos transformare nouerunt, iucundamq; & clementem assumere, cum inuidi sint & austeri.

CAPVT XIIII.

1 Beatus uir qui non est lapsus uerbo ex ore suo, & non est stimulatus in tristitia delicti.

Præcipuum uirtutis signum est refrenatio linguæ, & oris custodia, ne quis loquendo uel tacendo offendat. Vnde et Iacobus: Si quis in uerbo nõ offendit, hic perfectus est uir. Beatus quoq; qui pro conuersatione syncera & modesta nõ in conscientia sua remordetur de insigni aliquo delicto. Labitur autem quispiam uerbo, dum loquitur inconsiderate, detractorie, adulatorie, aut mendaciter. Stimulari autem delicto, est conscientia peccati remorderi, cum gloria sanctorũ sit post Christi iustitiam testimonium conscientiæ bonæ.

2 Felix qui nõ habuit animi sui tristitiam, & non excidit à spe sua.

Grauis est infelicitas etiam in diuitibus & magnis, in animo suo habere inordinatum secularemq; mœrorem de occultis peccatis uel criminibus, de iactura rerũ temporaliũ, honoris aut famæ. Qui uero huiusmodi patienter ferre potest, & tristitiæ imperare, sese cum fortuna domino commendare, & bono consulere prouidentiæ diuinæ circa se iudicia, is felicior est. Qui scilicet non desinit sperare in domino, fructu spei suæ destitutus nõ est, sed consecutus est à domino incrementa uirtutũ, & alacritatem in sanctis exercitijs cum perseuerantia. Diuitum infelicitas.

3 Viro cupido et tenaci, sine ratione est substantia, & homini liuido ad quid aurum?

Homini terrena auare cupienti & reseruanti inutilis est substantia & possessio, imò non possidet ea sed magis possidetur & captus est, non enim rationabiliter utitur. Ideo autẽ diuitibus diuitiæ conceduntur, ut indigentibus amice dispensentur. Sicut dicitur: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Dicitur enim proprie eleemosyna nõ tam misericordia quàm iustitia, quũ potius sit reddere egenti quod suũ est quàm dare alienũ. Et ad quid homini liuido aurum promittitur, cum nullam de eo sapientiam emere possit, nec à deo potestatem accepit comedendi ex eo, sed ea reseruat extraneo homini ut uoret? Ad quid ergo detur, si quis quærat, responderi potest primo, ut uideat, & nõ utatur: secundo, ut se eis coinquinet, uelut denso luto: tertio, ut idolũ colat: quarto ut illis saturatus denuo euomat: quinto, ut testimonium habeat contra se: sexto, ut causas habeat dolorũ et angustiarũ: septimo, ad damnationẽ si male utatur.

4 Qui aceruat ex animo suo iniuste, alijs cõgregat, et in bonis illius alius luxuriabit.

Si quis superflua congregat ac reseruat, iusto dei iudicio uitæ abbreuiationem & immaturam sibi mortem incidit, ut citius opum suarum usu priuetur, & iuste deuoluantur ad alios, qui ea lasciuijs absumant. Sic diues thesaurizat, & ignorat cui congreget ea. Et Iob 27. Si comportauerit quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit uestimenta, &c. Similia Ecclesiastes 2.

5 Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? non iucundabitur in bonis suis.

Qui sic sibijpsi inuidus est & infidelis, ut ex auaritia rebus proprijs uti non audeat, uel dignetur, cui eas liberaliter & uirtuose cõmunicare uellet? Charitas enim iuxta naturam à seipso incipit, ubi dum nihil promouet, quomodo diffunderetur ad alios? Talis sane opibus suis cum gaudio licito non utetur, amarus in seipsum, cum ad sufficientiam uti rebus non audeat, longe erit austerior & illiberalior in reliquos. Vtilis is erit contra uoluntatem suam ijs, quibus diuitiæ remanebunt ipso inuito, dæmonibus quibus animam remittit damnandã perpetuo, & uermibus quibus corpus nutrit. Inuidia.

6 Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius, & hæc redditio est malitiæ illius: & si bene fecerit, ignoranter, & non uolens facit, & in nouissimo manifestat malitiam suam.

Qui sibi necessaria uitæ et corporis ex auaritia sub-

trahit, diutiijs ſuis magis parcens, quàm ut uitæ ſuccurrat propriæ, is nedum in deum peccat auaritiæ incumbendo, et egentibus inuidendo, dona dei nõ diſtribuendo ſecundum dei beneplacitum, ſed & in proximos peccat quibus negat quæ obligatur eis, et in propriam ſuam animam quam inuidia commaculat, & in corpus quoq; quod ſine cauſa adfligit ac macerat. Et eſt hoc redditio malitiæ eius, hoc eſt refunditur malitia hæc in proprium ſubiectum à quo progreditur, nulla enim æquiori iuſtitia puniri poteſt hæc malitioſa auaritia, quàm ut authori ſuo exitium digniſſimum inducat. Si quando is inuidus & auarus bona agere quædam ſimulat, inſipienter, illiberaliter, ſine laude uel merito exequitur: nõ enim propter deum uel ex fide agit, ſed ex timore uel uerecundia, cum amaro corde ſine iuſtitia, unde & citius ut dabitur occaſio, inuidiam ſuam oſtendet, quàm inuitus proximorum conſolationi inſeruiat & deo obſequatur.

Auaritiæ pœna.

7 Nequam eſt oculus liuidi, & auertens faciem ſuam, & deſpiciens animam ſuam.

Peruerſus eſt interior oculus hominis inuidi, ægre intuetur aliorum profectum, faciem auertit ab eo quem odit. Grauis eſt, inquiunt impij, nobis etiam ad uidendũ. Propriam quoq; ſuam animam ſic deſpicit, tamq; uiliter tractat, ut ſpiritualiter occidat hoc uitio inuidentiæ ſemetipſam. De quibus Seneca: Optarem inuidos oculos habere in omnes ciuitatis angulos, ut omnium felicitatibus torquerentur.

Seneca.

8 Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non ſatiabitur, donec conſumat arefaciens animam ſuam.

Auaritia inſatiabilis.

Eccleſiaſtes eadem dicit: Auarus non impletur pecunia, quanto enim plus aſſequitur tanto plus cupit, ut ſitis ex potu creſcit hydropico. In iniquitate ſua quam ſecum inuidus fouet & auarus non ſatiabitur, nec impletur affectus, donec conſumat, arefaciens animam ſuam, hoc eſt uitam corrumpat, abbreuiet, & reſcindat anxijs curis ſuis, ſpiritali humore gratiæ ac ſalutaris ſapientiæ cor ſuum areſcat, & ab omni pietate alienum reddat. Prouerbiorũ decimotertio: Iuſtus comedit & replet animam ſuam, uenter autem impiorum inſaturabilis.

9 Oculus malus ad mala: & nõ ſatiabitur pane indigens, & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam.

Inuidus oculus eſt auari, nec niſi mala proximis aduenire delectat. Eum iudicio dei ſic puniri digne contingit, ut de proprio pane ſuo ſeipſum ſaturare non audeat neque uelit. Denique cum cordis afflictione de menſa ſua manducat & bibit, dolens interim minui ſuas opes. Non interim cogitare improbus ſimulat: Cui reſeruo eas? & quare fraudo animam meam? Infelix hæc abſtinentia auarorum, ſic autem quotidie in ſeipſis puniunt auaritiam ſuam: ſicut & donum dei eſt, poſſe frui donis dei cum gaudio.

10 Fili ſi habes, bene fac tecũ, & deo dignas oblationes offer.

Habitis quatenus utendum.

Habitis & acceptis à domino, mi fili, legitime & bene utaris, & ut id poſſis dominum deprecare. Beneficium enim domini eſt temporalibus moderate uti. Oblationes lege diuina inſtitutas gratus offeras domino & miniſtris illius, de præſtantioribus pecoribus & primitijs frugum tuarum, ne hac in re te reum & infidelem exhibeas. Quæ enim miniſtris ueritatis, iuſtitiæ, & eccleſiæ neceſſarijs danda deus mandauit, pro tanto ceremonialia non ſunt, ut obmitti liceat, numerus autem ueritatis iudicio & fidei decernetur ab eccleſia, ſecundum perſonas, loca, & tempora.

11 Memor eſto quoniam mors nõ tardat, & teſtamentum inferorũ quia demonſtratum eſt tibi: teſtamentũ enim huius mundi morte morietur.

Monuerat de benefaciendo ſibi & egentibus, maxime Leuitis & doctoribus: addit autem nunc, ut id non differatur diu, ſed dum tempus habeamus, bonum operemur ad omnes, maxime autem ad eos quibus magis obligamur. Venet enim nox, hoc eſt mors corporis, & nõ diu differetur, quando non licebit bene operari. Id uero iugiter meditandum eſt, noctis, hoc eſt mortis propinquitatem, ut tanto feruentius et ſtudioſius bona operemur, ne præoccupemur die mortis, antequam plane perfecimus. Iam autem nunc tibi demonſtratum eſt teſtamentum inferorum. Experientia omnium certiſſimum noſti, & dubitare non potes, te ad inferos deſcenſurum, hoc eſt ad ſepulchrum, & ad ſæculum earum animarum quæ ex hoc mundo tranſierunt & exceſſerunt è uitis. Hebræis enim infernus ſepulchrum dicitur, & inferni ſtatus animarum non beatarum, adhuc perfecte in corpore & anima, quales poſt extremum iudicium de communi lege erunt. Hoc autem teſtamentum quod in hoc mundo aſſecuti ſumus: Corporalis uita & ſenſitiua, quam à parentibus hæreditario iure ſuſcepimus, & filijs relinquimus poſt nos, corpus humanum certiſſime morietur, hoc eſt morte morietur. Hoc enim teſtamentum nobis legauit peccato ſuo primus hominum parens, ut reuocabili non poſſit nec caſſari. Sic factum olim, ſic nunc fieri uidemus, ut ſic futurum ſemper minime dubitetur ab aliquo. Indeſinenter ergo expectemus mortem noſtram, cuius diem & horam neſcimus, ipſam tamen minime ignoramus futuram.

12 Ante mortem benefac amico tuo, & ſecundũ uires tuas exporrigens da pauperi.

Cum adhuc rebus tuis dominaris & præſides, cum tua ſunt tua, non iam aliorum, tunc illis bene utaris, benefac indigentibus quibus faues, iuxta legem & ordinem charitatis. Vitæ tuæ neceſſaria alteri non dare inberis, ſed ſuperflua tua indigentibus hæredibus da, ut non egeant. Nec tantum hæredibus ſuccurras ante mortem, ſine tuo damno & penuria, ſed & pauperibus aliis largiaris eleemoſynam pro facultate tua, & iuſto moderamine, ſine auaritia & parcitate, ſecundum uires tuas da, & ante mortem, quandoquidem poſt mortem tua non ſunt. Nec proprie tua ſunt iam grabato decumbenti, quando ius ſuum hæres expectat, ſi improbitate nulla meruit exhæreditari. Ideo nunc plura teſtari alienis, eſt aliena donare. Ordinare ſua poteſt & debet, iuxta hæ-

redum

redum merita uel necessitates, & ne lites emergant: le-
gare autem extraneis, tunc non debet, nisi legitimorum
possessorum uoluntas concordet. Sed iura auaritiæ eo-
13 rum qui spirituales dicti sunt, aliud decreuerunt.

Nō defrauderis à die bono, & particula bonæ diei non te prætereat.

Diem uitæ tuæ quam concessit dominus ad gaudium
& hilaritatem, ad quietem & sacra exercitia, ut in illis
recreeris post labores dierum reliquorum; eum tu noli
molestum tibi facere, tristem aut calamitosum, si subter-
fugere potes. Quin & uel particula diei una & altera
non tibi decedat, sine bono cogitatu & gaudio, non tan-
tum spiritus sed etiam corporis, salua honestate, quæ iu-
cunditatem synceram & insignem non impedit. Longe
enim alaciora sunt & diuturniora gaudia sancta & ho-
nesta, quàm libidinosa & carnaliter excessiua in luxu,
fastu, & otio inerti, aut lusibus, uel etiã in concupiscen-
tijs carnalibus exsaturandis inhoneste. Non prætereat ti
bi aliqua diei bona particula, ut non bonum aliquid opere-
ris uel dicas. Illum certè tempus præterit, quem otiosum
à bono opere dimittit. Grauis autem tibi sit iactura tem
14 poris, quæ reparari uel recuperari non potest.

Nonne alijs relinques dolores, & labores tuos?

De laborum & dolorum fructu tu te honeste obleca-
teris, & non sis in tuum damnum uel dedecus tibi par-
cus aut tuis. Stultum est enim & non deo gratum, quin
& apud prudentes ridiculum, totum laboris tui fructum
alijs impartiri te neglecto, uel perpetuo mœrente aut la-
borante. Rationabile potius sit obsequium tuum, ut par
tis tuis laboribus honeste fruaris, & gaudium post tot la-
bores tuos etiam in hac uita cum dei timore quæ chari-
tas est non omnino contemnas, & cum gaudio tuo di-
spensatas uideas ab amicis & hæredibus digne & reli-
15 giose tractari.

In diuisione sortis da, & accipe, & iustifica animam tuam.

Si tibi sors aliqua obuenire debet cum alijs, ut si hæ-
reditas diuidenda, ibi iustitiam cum charitate exerceas.
Sic tuam ipse portionem suscipias, ut alijs suam quoq; le-
gitimam non abneges. Accipe quod tuum est, & non te
per auaritiam uel inuidum oculum & iniustum prodas,
sed & de portione & sorte tua qua te dotauit in hoc sæ
culo largitas & gratia dei da pauperibus & egenis, eis
quibus obligaris, & accipe pro te quo indiges & charis
tuis, & cura ut sic transeas per bona illa temporalia, ut
non amittas æterna. De mammona iniquitatis non te in-
ficias, sed iustifica animam tuam, ad dei beneplacitum et
16 proximi salutem illis utendo.

Ante obitum tuũ operare iustitiam, quoniam nõ est apud inferos inuenire cibum.

Dum uiuis adhuc dispone domui tuæ, certissime enim
morieris & nõ uiues semper, nec diu. Solue ergo in tem
pore unicuiq; quod debes, Deo fidem & obedientiam,
proximis exemplum, consilium, & auxilium: tibi uero
iucundam conscientiam in gratia dei per iustitiam non
tam tuam quàm Christi, cum fama integra & bonorum
tuorum ordinatione iusta & pia. Hæc enim si obmise-
ris in hac uita, apud inferos nemo compensabit, nemo
emendabit, cibus tibi nullus obueniet, nemo pro te satis-
faciet, culpam nemo diluet, quam illuc tecum abduxisti.

17 **Omnis caro sicut fœnum ueterascet, & sicut folium fructificans in arbore uiridi.**

Sicut fœnum in terra, uel in arbore folium nascitur,
crescit, uirescit, siccatur, deijcitur: ita caro nostra nasci-
tur ex progenie parentum, crescit in infantia & pueri-
tia, floresc it in adolescẽtia, matures cit in iuuentute, are-
scit in senectute deijcitur in morte. Hæc glossa. Aliqui
tamen antequam ueterascunt moriuntur. Loquitur au-
tem scriptura de his quæ fieri solent, de his qui uitæ pe-
riodum absoluisse creduntur.

18 **Alia generantur, & alia deijciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur.**

Vsu uenire solet in hoc mundo, ut dum quædam na-
scuntur alia moriantur, dumq; hæc crescunt illa decidũt:
sic habet et cum generatione hominum. Generatio enim
uel ætas hominum præterit, alia generatio succedit. Si-
cut & in Iob: Conteret deus multos & innumerabi-
les, & stare faciet alios pro eis.

19 **Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo. Et omne opus electum iustificabitur, & qui operatur illud honorabitur in illo.**

Quicquid homines operantur ex sensu suo, iuxta ra-
tionis naturalis dictamen, non directum & conforma-
tum uerbo & ductu diuino, id non minus corruptibile
est, quàm quæcunque composita per naturam ex mate-
ria corruptibili et forma creata ac defectibili. Ideo tandẽ
hæc deficere & perire necesse est. Nec solum opus defi-
cit, sed & opifex ille operis imperfecti patrator. Quic-
quid enim à temporali conficitur, necesse est in tempo-
re finiri & corrumpi, quantumlibet diu perseuerasse
credatur. Iustitiæ autem opera, iuxta uerbum domini,
quod permanet in æternum, opera dicuntur electa, quia
deo placentia, & per dei gratiam æterna mercede præ-
mianda: illa iustificabuntur, hoc est pro iusto, grato, &
sancto decernentur à clementia gubernatoris omnium.
Et qui huiusmodi fuerint operati, iusti habebũtur à deo,
& non solũ in beatitudinis statu gloriam assequentur su
am, à patre cœlesti decretam, sed & in hoc mundo apud
homines pios sua gloria non carebunt. Clare enim suo
tempore discernetur quale sit illud opus quod fundatum
est super ligna, fœnum, & stipulam, & quomodo diffe-
rat ab eo quod superstructum deprehendetur super au-
rum, argentum, & lapides pretiosos. Dies enim declara
bit, quod in igne reuelatur: & cuiusque opus quale sit
ignis probabit, &c.

20 **Beatus uir, qui in sapientia morabitur: & qui in iustitia sua meditabit, et in sensu suo cogitabit circumspectionem dei.**

Is tandem homo uerè beatus etiam in hoc mundo di-
cetur, qui in timore domini conuersatur & uiuit, qui sa-

Sapientia uera.

pientia uera dicitur, scire scilicet quid deus sit, possit, ac uelit, ut illud cupiat uehementer & ab omnibus sciri & credi, sic ut uoluntas dei impleatur in omnibus, & per omnes qui filij dei uocantur & electi sunt. Hæc est enim sapientia uera, in qua electi commorantur, & delitias suas quærunt atque inueniunt. Hæc est siquidem uita æterna, quæ & uera sapientia, cognoscere te solum uerum deum esse, & quem misisti Iesum Christum filium dei. Et qui in iustitia meditatur, ut nihil aliud inter homines cupiat uigere quàm iustitiam, qua deo quidem tribuitur fides & obedientia, proximo autem charitas & patientia, in quibus tota lex domini stat & prophetæ. Et in sensu cogitabit circumspectionem dei in corde suo, ut quicquid cogitat, sentit, operatur, & fieri cernit, nihil aliud credit esse quàm diuinam prouidentiam, qua omnia quantumuis minima geruntur, multo magis quæ habentur maxima ordinantur, ut omnia bona sint ad gloriam dei proficientiæ, & ad salutem electorum.

21 Qui excogitat uias illius in corde suo, et in absconsis suis intelligens, uadens post illam quasi inuestigator, & in uijs illius constitens:

Beatus quoq; homo ille est, qui sapiẽtiæ illius uias studiose exquirit, et cogitat quomodo illã consequi ualeat, & quæ secretiora sunt in diuinis consilijs, præceptis, dogmatibus, iudicijs, & operibus, ea post illam uadens, reuerenter, diligenter, & assidue cũ uera fide & amore inuestigat. Sic autem perquirit sapientiam ueram et diuinam, ut illa sola institui cupiat, eadem quoq; sibi per omnia sufficiat, eatenus in ea firmissima fide consistat. Quicquid reliquum eruditionis sæcularis infertur, hoc non nisi ad huius regulam & examen suscipiat. Ad id autem cõsequendum quotidie orat cum propheta: Reuela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua.

22 qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens:

Beatus quoque est, qui illam diligenter ubique & in omnibus creaturis dei inquirens, & non ad satietatem inueniens, eam respicit quasi per fenestras, multo studio diuinitatis maiestatem & sapientiam cum sanctissima uoluntate sua, per cancellos canonicorum librorũ, propheticorum, & Apostolicorũ respicit et intuetur oculis spiritalibus & fidei. Eamq; sibi loquentẽ audit assidue, cuius ianuas ceu studiosissimus discipulus frequentat, sine intermissione pulsans orationibus & lectionibus, donec tandem aperiatur et introducatur in conclaue diuinæ consolationis et illustrationis, ut illa fruatur feliciter.

23 qui requiescit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum:

24 Statuet casulam suam ad manus illius, et requiescẽt in casula illius bona per æuum.

Eadem ferè sub alijs & alijs typis adumbrando eloquitur. Qui uere beatus est, sapientiæq; diuinæ studiosus, is non nisi in domo dei residet, & in schola dogmatum diuinorum, ubi sacræ tantum literæ prælegũtur, prædicantur, & docentur. Et palum figit circa parietes illius. Non uult ad latum unguem ab ea discedere, sed proximus assidet, externa cuncta negligens & contemnens dogmata, præter ea quæ spiritus Christi in sacris suggerit & inspirat. Omne enim studium suum collocat in nouo & ueteri testamento. Ibi quoque casulam suam erigit, ibi perpetuo perseueraturus, regum & Philosophorum palatia & academias negligendo. Longe enim melior est & tutior quo humilior, quàm arces eorum qui ex professo sapientiam iactant.

25 statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis eius morabitur,

26 protegetur sub tegmine illius à feruore, & in gloria eius requiescet.

Quotquot is uir beatus & uerè sapiens ac fidelis discipulos suscipit erudiendos, uel subditos gubernandos, omnes collocat sub illius sacræ scripturæ tentorium, in quo spiritus Christi, qui est prophetarum & Apostolorum, ueritatẽ docet et prædicat, illuc instituendos perducit. Et sub ramis libellorum partialiũ, ex una spiritus sancti radice & stipite Christo pullulantium, commoueri præcipit, & neutiquam abscedere. Huiusmodi ramorum umbra protegentur fideles animæ ab errorum procellis & infortunijs. Et si quid aduersi tatum ingruerit tentationum in fide & moribus, illius umbra defendentur ne offendantur. Erit enim sapientia illa diuina, et sancti spiritus illustratio instillata propheticis & Apostolicis uerbis ac scriptis, tabernaculum fidelium discipulorum Christi in umbraculum diei ab æstu & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia. Et in gloria illius certissimæ cœlestisq; sapientiæ requiescet cum filijs suis beatus ille sapiens, de illius fructibus reficiendus, & à tumultu mundi per hanc ueram sapientiam liberandus, & in huius uitæ tenebris illustrandus ex parte in ænigmate & sub umbra, donec tandem meridianam lucem irreuerberatis oculis intueri detur in patria. Consonatq; hic loquendi modus cum eo qui habetur Prouerbiorum octauo: Beatus homo qui uigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei, &c.

CAPVT XV.

1 QVi timet deũ faciet bona: & qui continens est iustitiæ, apprehendet illam, & obuiauit illi quasi mater honorificata, et quasi mulier à uirginitate suscipiet illum.

Sapientiam ueram assecutus homo, nempe timoris domini, nihil diligentius curabit quàm sese exercitare continuo in bonis operibus, quæ deo grata agnouerit, exstudio assiduo legis dei, cui tota uirtute incumbet, quod est tenacem esse iustitiæ, ut nihil cõtra fas & ius unquã admittat, sed quæ domino placere cognoscit, & quæ sibi ab alijs fieri postulat. Talis semper sapientior, id est sanctior erit, exercitio & usu uirtutum, quod est apprehendere sapientiam, quæ & amanter & sedulo se illi manifestat, ut pia & ueneranda fideliss imaq; mater obuiet filio dilecto, sicut scriptum est: Sapientia facile uidetur ab his qui diligunt illam, & inuenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat eos qui se concupiscunt, ut illis se prior

prior ostendat. Et quasi uxor à uirginitatis tempore, ut syncerissima sponsa uirgo proprium amplectetur & re
cerebitur sponsum, hoc est, nihil gratiosius consequi po=
test uir sanctus quàm timorem dei sanctum & immacu
latum. Nihil enim in orbe dulcius q̃ perfectus amor dei,
et eorũ quæ de deo placere sciũtur studiosa obseruatio.

2 Cibabit illum pane uitæ, & intellectus,
& aqua sapientiæ salutaris potabit illum,

Sapientia illa uera & diuina cibus erit animæ sapi=
entis, & sustentaculum ad uitam ueram, quæ est in domi
no, ueluti panis, id est cibus quo pascitur ad uitam immor
talem, ut intelligat dei mysteria & uoluntatem per om=
nia, ut non sit uelut equus et mulus, sed ut angeli qui sem
per faciem patris uident. Assimilatur enim eruditus &
sanctus angelis dei, qui nihil antiquius ducunt quàm ser
uitium diligentissimum creatoris sui. Aqua salutaris sa=
pientiæ refrigeratur homo tentatus in carne, dulcedine
& fructu contemplationis, quæ est proprius actus sapi=
entiæ salutaris, lux illuminationis diuinæ, gratia spirita=
lis, ros superni charismatis, imber cœlestis fœcundatio=
nis, sermo diuinus. De qua aqua qui biberit, ut Christus
promittit, non sitiet in æternũ, sed fons est aquæ salientis
3 in uitam æternã. Omnes, inquit, sitiẽtes uenite ad aquas.

& firmabitur in illo, & non flectetur: &
continebit illum, & non confundetur: &
exaltabit illum apud proximos suos,

Sapientia diuina donum dei ex scripturis sacris, quod
nulla alia, non deseret unquam in tentationibus, sed præ
sentissima consolabitur, & ad omne opus sanctum con=
firmabit, dominabitur enim passionibus & hostibus pie
tatis, ut uincat fortiter malitiam. Et nulla tentatione fle=
ctetur à uia ueritatis & iustitiæ ad malum: non enim ca=
dit ad mortem, etiam si septies iustus cadat, cõtinet enim
eum timor dei, qui non expirat in sapiente ex uerbo dei,
sed eum gratiosè conseruat. Nec confundendum exponit
unquam satanæ irrisionibus uel satellitum eius, non fru=
strabitur promissis à deo, nec à spe sua in dominum exci=
det. Quin & exaltabit potius eum sapientia in ecclesia
sanctorum, qui proximi illi sic sunt, ut paratus sit bene=
facere illis, & illi uicissim ut sanctum & amicum dei ag
noscentes diligunt ac obseruant ut proximum per chari
4 tatem, quæ primus est fructus sapientiæ.

& in medio ecclesiæ aperiet os eius, & ad
implebit illum spiritu sapientiæ & intelle=
ctus, & stola gloriæ uestiet illum.

Idoneum hæc sapientia facit ad ecclesiæ regimen, da
bit enim efficaciam docendi quàm plures, & ad salubri=
ter exhortandum diuinitus instigando. Ea sapientia do=
num spiritus est, quo repletus, salutaria, uera ac infallibi
lia docet sapientiæ magister & dator. De quo dicitur:
Inuocaui & uenit in me spiritus sapientiæ, donum scili=
cet intellectus, ad penetrandũ ea quæ fidei sunt, & apta
ad populum domini instruendum. Stola gloriæ induitur
sapiens, quum honoratur à domino & ab ecclesia, ut do
ctor & pastor fidelis & dignus, & in cœlestibus splen=
dore firmamenti illustrabit & astrorum.

5 Iucunditatem & exultationem thesau=
rizabit super illum, & nomine æterno hæ=
reditabit illum.

Iucunditatem synceram & perpetuam dat uera sa= Sapientis
pientia & timor domini, ut nihil aduersi timeat, sed sere cõscientia
na conscientia semper in bonis exercitijs lætetur, certus syncera.
de gratia dei circa se, & de fauore piorum quibus præ=
est & prodest, quæ spiritualis lætitia etiam in corpus re=
dundat, ut sic non tantum in futuro glorificandum se cre
dat, sed & in præsenti consolatur, & multipliciter exhi
larabitur, dum fructum cernit studiorum suorum in ele=
ctis, qui à se instruuntur, conuertuntur & saluantur, di=
cens cum Apostolo: Maiorem horum gratiam nõ habeo,
quàm ut audiam filios meos in ueritate ambulantes. Et
nomine æterno hæreditabit illum. Hæc sapientia famo=
sum in ecclesia reddet, & præclarum meritis & fructu
sancto. Memoria enim iusti cum laudibus. Et in memoria
æterna erit iustus. De quibus Isaias: Dabo eis in domo
mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs et
filiabus, nomen sempiternum dabo eis, & non peribit.

6 Homines stulti non apprehendent illã,
& homines sensati obuiabunt illi: homi=
nes stulti non uidebunt eam, longe enim
abest à superbia & dolo:

Stulti dicuntur qui & impij & non timentes deum, Stulti quĩ
sapientia uera destituti, de qua tanta dicuntur. Illi non dicantur.
ambiunt sapientiam, ideo minime assequuntur. Animalis
homo non percipit ea quæ dei sunt. Et in maliuolam ani
mam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore
subdito peccatis. Sed homines sensati, & gratia dei im=
butĩ & tracti, applicabunt se cum reuerentia, diligenter
perquirent & assequentur. Quos stultos intelligat satis
explicat, dolosos scilicet & superbos: inuidos enim &
arrogantes sapientia non dignatur. Arrogantiam, ait,
& superbiam & os bilingue detestor. Spiritus quoque
sanctus disciplinæ effugiet fictum. Cum simplicibus autẽ
sermocinatio eius: Testimonium quoque domini fidele,
sapientiam præstans paruulis. Vbi humilitas, ibi sapiẽtia.

7 uiri mendaces non erunt illius memo=
res, & uiri ueraces inuenientur in illa, &
successum habebunt usque ad inspectio=
nem dei.

Viri synceri, fideles & ueritatem colentes in uerbo Sapientes
& opere illi proficient doctrice sapiẽtia & spiritu Chri synceri.
sti. Mendaces uero sanctimoniam non colunt, ideo etiam
si quid ueri audiunt, corde non percipiũt, ideo facile ob=
liuiscuntur, non est enim ad gustum eorum, elegerunt e=
nim potius mentiri quàm ueritatem perquirere quam
odium. Pij autem sapientiæ adhærent, horrẽt omne men
dacium, & uirtutum incrementis proficient ad perfe=
ctum, donec tandem ad conspectum altissimi assumantur
in patriam. Non enim proficere cessant in hac uita, quin
& in cœlestibus proficiẽt semper beati cũ domino: ibũt
enim semper de uirtute in uirtutẽ, donec uidebitur deus
deorum in Zion, hoc est, in ecclesia triumphante in cœ=
lis, cuius lucerna est agnus.

8 Non est speciosa laus in ore peccatoris:
quoniam à deo profecta est sapiẽtia: sapien

tiæ enim dei astabit laus, & in ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi.

Sapientia uera à domino.

Non potest placere domino laus ueritatis & sapientiæ doctrina in eo qui factis destruit quod ore docet, sed se potius impium sancta commendando maledicit ac damnat. Ista enim sapientia quam improbi iactant non est à domino profecta, sed ea quæ à spiritu sancto proficiscitur, illis tantum inest qui à domino diriguntur, quæ uiuax est & efficax, inhabitantem spiritum sanctum fructibus pietatis significans, non opera carnis quæ sunt à malo. Quæ itaq; uere à deo profecta est sapientia, qua & animus sapit & sanctificatur, ea à domino est, donum diuini spiritus, & laudem suam habet, quia laudabilem ex effectu ostendit, non frigidam, ieiunam & sterilem scientiam, quæ iactatur potius quàm sit sapientia. Non erit dei sapientia otiosa in pectore fidelis doctoris, sed abundabit in fructus uirtutum & gratiæ. Nec ea humanis uiribus & studio lectionis solo acquiritur, non natura docetur, sed à domino naturarum oranti humiliter & studiose infunditur, non tamen sine labore: sicut nec terra fructum sine cultura agricolæ. Inuocaui, ait, & uenit in me spiritus sapientiæ. Et uerbum meum non reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunq; uolui, prosperabitur in his ad quæ misi illud.

9 Non dixeris: Per deum abest: quæ enim odit ne feceris.

Insipientia à nobis est.

Non dixeris ô impie, abesse tibi sapientiam sine tua culpa, & quod eam consequi nequeas, quia dominus impartiri nolit, ut non per te stet quo minus proficias, sed à domino. Non enim bene dicis, tuam potius negligentiã accusa & iniquitatem cui incumbis, ut in te dei gratia & sapientia locum nullum inueniat, sed uitiorum sordes, quas dei spiritus detestatur & fugit. Agis enim continuo quæ dominus odit, & indignas sapientiæ occupationes suscipis. Si uero desliteris à malo, & uoluntati diuinæ gratificari studueris, sapientia imbueris.

10 Non dicas: Ille me implanauit: non enĩ necessarij sunt ei homines impij.

Errores odit deus.

Errores tuos non imputes deo, quasi ipse te seducat, & errare faciat, tua te praua uoluntas seducit, qui nosti quid bonum & quid domino obligeris, & qua in re dominum deum tuum offendas, nemo te cogit peccare, tua sponte contra conscientiam sic agis propriam, ut te excusare non possis, sed ab hominibus & deo dignissime condemneris, & tuo quoq; iudicio, quicquid contra loquaris. Non cupit dominus impios, in quibus iustitiæ rigorem exerceat: non uult mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Non sunt deo impij homines necessarij, sed abominabiles. Sed nec iusti deo necessarij sunt, qui bonorum nostrorum non indiget, mũdo autem necessarij sunt, ut boni exercitium habeant. Nam quod lima ferro, quod flagellum grano, quod fornax auro, hoc est impius iusto.

11 Omne execramentum erroris odit dominus, & non erit amabile timentibus eũ.

Error impius & infamis doctrina, quam deus & homines execrantur abominabilis est ei qui sapientia est, & sapientiam docet solam. Nec est quisquam eorum qui dominum timent & pij sunt, qui non malit spiritu ueritatis & sapientiæ imbui, & in amore ueritatis proficere semper: uerum impij malunt insipienter uiuere et peccare contra dominum, quem odiunt, & uellent iustum non esse, nec omniscietem, nec omnipotentem, quo per omnium errores latius illis liceret grassari, odium enim bonum quod norunt, non peccant ex ignorantia mentis, sed deprauatione uoluntatis scienter & exproposito.

12 Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.

Sic dominus primum hominem condidit, ut nullo naturæ ornamento quo capax esset priuauerit, iuxta naturam suæ speciei conuenientem, rationem dedit & uoluntatem, & sine corruptione sensuum uel potentiarum, ut liquido cognoscere potuerit quid bonum et quid malum, quid decens, quid indecens. Creauit enim eum ad imaginem et similitudinem suam, sine aliquo defectu, uel etiam coactione ad malum, cuius fugam naturæ indidit statim ab initio, amorem quoque boni, in quibus perseueraret & domino obediret, à quo nulla esset grauia mandatorum onera susceptur. Muniuit etiam contra mala omno consilij sui, quod illi est impartitus, ut non præcipiter laberetur in mala quæ nollet, sed intelligere posset quæ prodessent potius.

13 Adiecit mandata & præcepta sua: si uolueris mandata seruare, conseruabunt te & in perpetuum fidem placitam seruare.

Non sic liberum statuit hominem, ut nullis esset subiectus legibus, sed iudicium æquitatis naturalis imprecisit ingenio hominis, quo se tueretur à noxijs, & ad salutaria aptaret. Nec tamen ad bona coegit, sed liberam uoluntatem permisit perseuerandi in bono, & fugiendi quod malum cognosceret. Nihil obmisit circa hominis institutionem unde conqueri posset, cogere tamen ad bonum non debuit, ne uirtutis honor euacuaretur omnino. Sic igitur liberum condidit, ut electionem boni uel mali permiserit, & rationem adhibuerit dictatricem certissimam, ne per ignorantiam laberetur: uirtutem quoque membris contulit, ut quæ bona nosset implere ualeret. Nihil in hac re homo conqueri potest de liberalitate conditoris sui. Quin et magnificas promissiones adiecit præmiorum, si pro iudicij sui directione sana incederet in præceptis dei, & in fide domino deo suo seruanda perpetuo, ut æquissimum esset, persisteret, nulli obediens nisi sibi.

14 Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod uolueris, porrige manum tuam.

Docuit hominem bonum & malum, liberum esse uoluit ad utrunq;: ea tamen ratione, ut si bonum ageret, beneficium habiturus esset, & refrigerio grato usurus semper: sin male, ignem calamitatum & supplicij experiretur. Quid enim iustius cum homine dominus agere potuisset tam nobilem creaturam omnibus reliquis eminentem, nec coactam uoluit, nec impune malam esse quam fecerat optimam. Voluntatem dedit ad utrunq;, sed iudi-

ciam

cium addidit rationis pro altero, hoc est, bono agnoscendo & eligendo, malo autem reijciendo, præmijs utrinq; decretis & propositis.

15 Ante hominem uita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi:

Idem alijs uerbis repetit, uitam intelligens felicitatẽ, quod & bonum, mortem autem malum, & malorum secundum corpus omnium maximum, ut non tantum iudicium discernendi utrunq; daret, sed affectum adijceret & eblandiretur ad bonum hominis, & abterreret ab aduersis, ut sic gemino beneficio instrueret ad domino seruiendum & complacendum, pro quo saluandus esset, si donis domini uteretur, prout fuerat iussus, & sibi utile futurum iudicaret iudicio minime excæcato, ut ex parte dei defectus non fuerit. Iuxta quem sensum & Moses postea dixit: Considera quod proposuerim in conspectu tuo uitam & bonum, &c. ut diligas dominum. Et rursum: Quod proposuerim uobis uitam & bonum, benedictionem & maledictionem.

16 quoniam multa sapiẽtia dei, & fortis in potentia, uidẽs omnes sine intermissione.

Prouidentia sua & infinita sapientia deus omnia sancte & ordinatissime ordinauit & statuit, nulli iniuriam faciens, qui iustissimus est & optimus, ideoq; & bona fieri uoluit, & factu possibilia reddidit, dignoq; præmio promisso præcepit, qui & omnipotentia sua statuere potest quæ ordinauit præmia obedientibus digna & grandia, pœnas quoq; contemnentibus nõ spernenda. Quem & hominum suorum opera non latent, ne quis fraudulenter simulet se agere quod non agit, bonam intentionem prætendere quam non habet, ideo & credi uoluit & haberi cordium, hoc est, omnium secretorum scrutator & inspector, sicut Iob dicebat: Nónne deus considerat uias meas, & omnes gressus meos dinumerat? Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Sequitur ergo:

Deus cordium scrutator.

17 Oculi domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis.

Omnes quidem aspicit, & inuariabili notitia intuetur semper & unica, obedientes tamen illi & trementes ad uerba illius ac humiles sic aspicit, ut approbet & agnoscat ceu filios, in quibus complacentiam habeat. Et ipse agnoscit omnem operam hominis, ut sibi timeat homo in omnibus quæ uel secretissime mala agit uel cogitat. In omni enim loco oculi domini contemplantur bonos & malos. Non ergo causam peccati deum esse quis dixerit, sed hominem, qui sciens domini uoluntatem, & inspectorem omnium quæ aget & compensatorem, non tamen obmittit perperam agere & peccare in dominũ deum suum, quum contrarium agere posit si uelit sicut se obligatum cognoscit.

Omniscius dominus.

18 Nemini mandauit impie agere, & nemini dedit spacium peccandi: non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.

Mandat nulli quod impium sit, uoluntas enim dei regula iustitiæ est, ut falli & fallere deus uolendo non possit. Ideoq; quum exercitum iubet infidelium grassari in impios, id pariter iubet iuste fieri, non iniqua uoluntate & intentione praua. Ideo dicitur: Væ Assur uirga furoris mei, & baculus ipse est. Ipse autem non sic arbitratur, sed ad conterendum erit cor eius. Et nemini dedit spacium peccandi. Tempus spaciumq; uiuendi quod impartitur hominibus, non in hoc concedit ut male operentur, sed ut sanctis instent exercitijs, secundum dei beneplacitum uiuant, & bonum operentur ad omnes, ut sic bene uiuendo gloriam mereantur æternam. Ideo scriptum est: Deus dedit illi locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam. Abhorret autem dominus inutiles & infideles, iuxta illud euangelicum: Seruum inutilem proijcite in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Et omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Impossibile quoque est sine fide placere deo.

Deus necessario iustus

CAPVT XVI.

1 NE iucunderis in filijs impijs, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor dei in illis.

Sapiens quidem filius lætificat patrem, & filiorum multitudo felicitatis est: sed si sint pij, obedientes, miseri cordes: alioqui præstat filios non habere quàm impios. Non itaque iucundaberis in multitudine prolis iniquæ, quanto enim plures fuerint, tanto frequentius affligeris ex ipsorum insolentia.

2 Non credas uitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum.

3 Melior est enim unus timens deũ, quàm mille filij impij.

4 Et utile est mori sine filijs, quàm relinquere filios impios.

Si impios esse filios tuos animaduerteris, & deum non timentes, non credes tibi fideles futuros, qui deum non curant, difficile conuertentur si ab adolescentia sua insolentiæ assueuerint. Sunt ergo à pueritia diligenter in stituendi. Nec etiam confidas de ipsorum laboribus, ut te ab illis sustentandum speres. Sed & non obmittas corrigere illos, etiam si illorum labores tibi utiles existimaueris. Causa quare non lætandum in filijs multis, est, quia melior est & tibi honoratior unus pius & timens deum quàm quantumcunq; ingens multitudo prauorum, qui tibi dedecori essent, & calamitatis occasio. Deniq; utilius est homini mori sine filijs, & sine posteritatis solatio uel memoria, quàm relinquere post se impios, qui sint onus terræ futuri & maledictio, inusturi diffamiam honesto tuo nomini: quod præstet aboleri nomen, quàm diffamatum & criminosum propagari ad posteros.

Pueri instituendi.

5 Ab uno sensato inhabitabitur patria, & à tribus impijs deseretur.

Vir unus sapiens & sensatus in urbe uel patria, consilio & prudentia magis communitati proficit, quàm multi impij, qui perdere solent rem publicam. Simile habetur Prouerbiorum undecimo: Benedictione iustorum

Sapientiæ fructus.

exaltabitur ciuitas, ore autem impiorum subuertetur. Et ibidem: Homines pestilentes dissipant ciuitatem, sapientes uero auertunt furorem. Ab uno uel à tribus, exponuntur, propter unum uel tres, more Hebraico, cuius idiotismos author seruat.

6 Multa talia uidit oculus meus, & fortiora his audiuit auris mea.

Vult dicere: Exempla prædictorum multo plura inducere possem quàm libeat, sed experto credendum est, & in re tam certa non sunt prodigenda superflua uerba. Longe autem fortiora, hoc est præstantiora, de hac re dici possent quæ sum expertus. De quibus multa commemorat sacra historia.

7 In synagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardescet ira.

Synagoga peccantiũ.

Vbi iam in communitate aliqua perpenditur adauctum esse numerum impune peccantium, et sese adiuuantium, nullam disciplinam obseruantium uel mandata, ibi certum est de proximo instare perniciem. Minus enim extingui flamma cupidinum poterit, principijs autem fuerat obsistendum & paucitati. Et in quibus nunc ardet ignis priuati uel carnalis amoris, in eis propediem exardescet ignis diuinæ ultionis. Deuorabit eos ignis qui non succenditur. Et alibi: Exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.

8 Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ uirtuti: & non pepercit peregrinationi illorum, & execratus est eos præ superbia uerbi illorum.

Impij gigantes.

Consequenter ostendit deum sapientem & iustum causam peccati non esse, quod tam sæuere toties legitur puniuisse, ut patet in diluuio, quando tanta malignitas in mundo exarserat, ut deum ipsum minime timerent, sine omni uindictæ cura uel formidine tyrannidem agerent mutuum, prout quiq; poterant, carnales toti, & ad exquisitam naturæ iniuriam intenti. De qua habetur in Genesi. Et quum tam enormiter excessissent, & à domino admonuti uerbis Noe, & exemplo structuræ per centum annos arcæ, non tamen sese ad pœnitentiam conuerterunt, nec dei clementiam exorare conati sunt. Non enim fuerant exaudiendi, urgentibus ad perditionẽ horribilem tot tantisq; criminibus, quæ nullam dei gratiam merebantur, ut præstiterit omnes occidi quàm tam impios homines diutius uiuere & terram onerare. Gigantes autem dicuntur, quia uastis corporibus etiam cordibus atroces essent & tyranuci, isti pro fastu mentis & corporis non poterant persuaderi se uincendos, pro magnitudine uirium quibus se inuincibiles omni uirtuti arbitrabantur, sed diluuio occisi sunt omnes. Peregrinationem transtulit pro uita & conuersatione, cui dominus pepercit, ut in tam fasto orbe peregrinus alius non inueniretur post diluuium præter Noe cum suis paucis. Sic omnes execratus est & maledictioni subdidit propter ipsorum crimina, ut ne unus quidem illorum superesset ab uniuersali excidio cataclysmi. Blasphemauerant enim dominum non solum factis criminosis, sed etiam uerbis arrogantissimis in deum.

9 Non misertus est illis gentem totam perdens, & extollentem se in peccatis suis.

Omnes perdidit extinguens diluuio sine misericordia, qui sese extulerant contra deum & leges eius, quas patrum traditione acceperant, & cordibus insertas sectiebant. Voluit autem id tunc fieri toti mundo subsecuturo in exemplum & terrorem, ut discerent humaniter & religiose uiuere, dominiq; prophetas & prædicationem cum prodigijs non contemnere.

10 Et sicut sexcenta millia peditum qui congregati sunt in duritia cordis sui: & si unus fuisset ceruicatus, mirum si fuisset immunis: misericordia enim & ira est cum illo.

Aliud exemplum iustæ uindictæ contra impios ex libro Numerorum, quando plurimi ob rebellionem suam contra Mosen & uerbum dei occisi sunt à domino, numeriter enim sexcenta millia, hoc est, omnes qui in exercitu fuerant numerati, durissimo corde insurrexerunt contra Caleb & Iosue, quum exploratores denunciassent eis de habitatoribus Chanaan. Quibus omnibus dominus denunciauit: In solitudine hac iacebunt cadauera uestra, omnes qui numerati estis à uiginti annis, & supra, &c. Tanta autem procacitas & infidelitas fuit in omnibus illis uiris contra deum, & beneficia sua tanta quæ uiderant ingrati, qualis & quanta si in uno solo fuissent inuenta sufficere potuissent ad iustam uindictam occisionis omnium per annos quadraginta. Sicut unius Achor delictum iuste punitum est retardatione uictoriarum inchoatarum in terra iam capta Iericho. Quanquam enim misericordiarum pater sit & clementissimus deus, simul tamen & iustus quoq; est, durus iniuriarum & perfidiæ ultor, ut patet ex sacris historijs.

11 Potens exoratio, & effundens iram secundum misericordiam suam: sic & correptio illius, hominem secundum opera sua iudicat.

Multum quidem ualet apud deum humilium prophetarum & sanctorum hominum oratio, quod satis patet de Abraham pro Sodomis intercedente, & de Mose dominum placante, quando dixit: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Sicq; de reliquis prophetis, quibus exoratus dominus iram effundit in bonam partem, hoc est retrahit & non prosequitur, quod iratus sibi proposuerat damnum: recordatur enim in ira misericordiæ suæ. Verumtamen tam magna est iustitia eius, qua non parcit peccantibus in se. Sicut enim iustorum remuneratio, sic punitio reprobo rum æterna est.

12 Non effugiet in rapina peccator, & non retardabit sufferentia misericordiam facientis.

Qui in proximum peccat, crudeliter ab illo rapiendo quæ illius sunt, & quibus indiget contra omnem humanum sensum sæuiens in pauperem, nequaquam effugiet dei iustum & æquum iudicium. Et patientia eius qui misericordiam exercet in proximos, non tardabit impe-

impetrare misericordiam dei. Si uero nonnunquam moram patitur, certo credat addendum gratiæ dei & gloriæ quod additur moræ. Quanto enim maior est patientia, tanto maior & corona. Iacobi ultimo: Sufferentiam Iob audistis, & finem domini uidistis.

13 Omnis misericordia faciet locum unicuiq; secundum meritum operũ suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius.

Misericordiæ meritũ.

Apud dominum misericordiam sibi insignem præparat pro peccatis suis, qui proximo suo misericordiam exhibuerit, dicente etiam Saluatore nostro: Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur uobis. Et secundum quod magis aut minus aliquis aduertit miserias uitæ in hoc sæculo suas uel aliorum, quæ non nisi peregrinatio quædam est, secundum hoc etiam magis uel minus sic humiliabitur coram deo, & misericordiam obtinebit. De qua peregrinatione Paulus ad Hebræos undecimo meminit, ubi dicit: Confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.

14 Non dicas: A deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? in populo magno nõ agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?

Error circa prouidentiam.

Circa diuinam prouidentiam & iustitiam impij & increduli sic errantes loquuntur, uel potius blasphemantes. A deo, inquiunt, sic sum absconditus, ut de me nihil sciat, nihil curarum illi est de meis operibus uel peccatis, super cœli cardines ambulat, non mea considerat. Dereliquit dominus terram, & dominus nos non uidet. Non habent futurorum bonorum spem impij, sed nec timorem malorum. Difficile deo est cognoscere unum aliquem intra tam multos qui sunt in terra. Modici enim momenti est coram deo anima mea, nihil de me solicitus est deus, non illum decet circa tam uilem & modicum occupari.

15 Ecce cœlum, & cœli cœlorum, abyssus & uniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, montes simul, & colles & fundamenta terræ: & cum conspexerit illa deus, tremore concutientur.

Noli, inquit, in hunc modum errando & blasphemando loqui contra dominum. Admiranda quidem est ex fidei plenitudine immensæ maiestatis diuinæ tanta prouidentia, ut tam districtum exercere uelit in homine tam fragili & exili iudicium, secundum quod loquitur Iob: Dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium? Re uera autem deus omnipotens omnium conditor quæ existunt

Omnia deo nota.

conseruator & gubernator, uniuersa cognoscit suprema & infima, cœlum & terram, cum omnibus quæ sunt in eis, multo magis autem rationabiles creaturas, quas ad sui contemplationem creauit & gloriam, sine quibus nihili uideretur quicquid existit in mundo, à quibus ultroli fide, spe & charitate. Ecce, inquit, cœlum quoq; aereum & æthereum accipi potest, & cœli cœlorum, ut sunt superiores stellarum cœli octo uel plures, cum Crystallino & Empyreo quæ nominant, octaua scilicet nona & decima sphæra: abyssus oceani, & reliqua inclusa in mundi partibus cunctis, omnia in conspectu illius sunt, ut ipso iubente commoueantur, & agant quicquid ipse præceperit. Nec ea sola iuxta acceptam à deo naturam sic mouentur, sed & ad dei nutum supernaturaliter alterantur. Montes, colles cum fundamentis, solidioribus scilicet partibus mundi & infimis, ut quum conspexerit illa deus, tremore concutiantur, perinde ac si perterrerentur à uultu conditoris sui, secundum illud Psalmi centesimiprimi: Qui respicit terram & facit eam tremere: qui tangit montes & fumigant. Et Iob uigesimosexto: Columnæ cœli contremiscunt & pauent ad nutum ipsius.

16 Et in omnibus his insensatum est cor: & omne cor intelligitur ab illo: & uias illius quis intelligit, & procellam quam nec oculus uidebit hominis?

Insensatum cor hominis.

Omnibus uero his sic se habentibus, insensatum tamen interim manet cor hominis increduli & ingrati, ut audeat uelle se dei prouidentiæ non subesse, extra dei iudicium libere quæ uelit transigere, quum non aliunde habeat homo potentiarum suarum ingenium & actus cum obiectis proprijs, nisi à deo, quæ nequaquam in hunc modum disponere potuisset, nisi omnia distinctissime præcognouisset. In horum ergo persona Dauid loquitur: Non uidebit dominus, nec intelliget deus Iacob? Contra quos ibidem: Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? Qui corripit gentes non arguet? &c. Et omne cor intelligitur ab illo. Omnia enim aperta & nuda sunt aspectui illius, qui omnibus dat esse, operari & uiuere, præsens omnibus per essentiam, præsentiam & potentiam. Et uias illius quis intelligit? Iudicia dei, consilia, mysteria, opera nullus comprehendere ualet, dicente Apostolo: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Procellam quoque subitanei & imperspecti iudicij dei cum miraculosis prodigijs maris & horrendis commotionibus, quæ domino loquente subsistunt & considerent. De quibus dominus apud Iob loquitur: Quis dedit uehementissimo imbri cursum & uiam sonanti tonitrui, ut plueret super terram absque homine, in deserto ubi nullus mortalium commoratur?

17 Nam plurima illius opera sunt in absconsis: sed opera iustitiæ eius quis enunciabit? aut quis sustinebit?

Opera dei ignota hominibus.

Plurima dei opera ignota sunt hominibus in corde maris & terræ. Virtutes propriæ, differentiæ & influentiæ cœlestium orbium & stellarum pro maxima sui parte latent intellectus etiam doctissimorum, multo autem magis naturæ & proprietates substantiarum separatarum. Omnium autem maxime opera gratiæ dei nos latent, & gloriæ nobis præparatæ. Vnde recte dicitur:

Qui facit magna & imperscrutabilia & mirabilia, quorum non est numerus. Opera autem iustitiæ, supplicia reproborum, ut grauissima sunt, sic particulariter nequeunt enarrari.

18 Longe enim est testamentum à quibusdam, & interrogatio omnium in consummatione est.

Obseruantia & fides uerborum dei & decalogi præceptorum reuerentia longe est à perfidis, quorum multus est numerus: uera quoque & spiritualis intelligentia paucissimis innotescit. In fine autem sæculi inquisitio habebitur de actionibus omnium in generali iudicio. Sapientiæ primo: Cogitationibus impij interrogatio erit. De qua Matth. 25.

19 Qui minoratur corde, cogitat inania: & uir imprudens & errans cogitat stulta.

Qui parum uel nihil habet de sapientia salutari uerborum dei, sed quæ carnis sunt cogitat tantum, ut uana, illicita, stulta, omissis necessarijs tractat. Nam qualis quisque existit, talia operatur, cogitatq; quomodo impune peccare illi liceat, animam non esse immortalem, aut pœnas aliquando finiendas, uel nullum superesse infernum, & similia. Viri enim mali non cogitant iudicium.

20 Audi me fili, & disce disciplinam sensus, & in uerbis meis attende in corde tuo, & dicam in æquitate disciplinam, & scrutabor enarrare sapientiam: & in uerbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate spiritus uirtutes quas posuit deus in opera sua ab initio, & in ueritate enuntio scientiam eius.

Docturus nunc author deum omnium conditorem esse, & præuidisse ante mundi constitutionem omnia, quæ in mundo fiunt & facta sunt, primo excitat Lectorem, dicens: Attende diligenter ad ea quæ dicturus sum, qui dignus es sacrarum doctrinarum auditor pius & humilis, & animo percipias quæ sensui ingeruntur, uerba idonea sententijs: dicam enim salubrem correptionem, & certam eruditionem, contra negantes prouidentiam dei conditoris circa creaturas suas, unde & intendas oro diligenter ad sensum uerborum meorum: digne enim eloquar ueritatem, prout dici potest ab homine, sensum magis expendente quàm uerba. Tota enim diligentia conabor enarrare tibi sapientiam, ideo cordi tibi sit, ut diligenter attendas, loquar enim quæ institui fideliter et ad profectum pietatis & fidei, quomodo scilicet omnipotens ab exordio mundi rerum omnium naturis impresserit uires, ingenium & causas, iuxta differentias infinitas & ineffabiles ingenijs humanis, ut ad suum finem singulæ res propria uirtute procedant, secundum formas substantiales proprias & naturales actiones, sicut Geneseos primo dicitur: Germinet terra herbam uirentem, & facientem semen iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram: unde & uere docebo ut uniuersorum conditor habeat omnium creaturarum perfectam notitiam, iuxta illud: Deus scientiarum dominus est, & ipsi præparantur cogitationes, 1. Reg. 2.

21 In iudicio dei opera eius ab initio, & ab institutione ipsorum distinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus suis.

Quicquid ab exordio creationis à domino conditum est, hoc decentissima ratione factum est, ut meliore forma & dispositione fieri non potuerit. In iudicio fieri Hebraico more est, ut decet & apte ordinateq; fieri sine errore: nec solum digne facta sunt omnia, sed & elegantissimo ordine distincta secundum actiones, loca & causas, ut aptissime quæq; diuiserit, et suis ornauerit modis, diuidendo lucem à tenebris, aquas ab aquis & à terris, piscibus aquas, auibus aérem, pecoribus & hominibus terram, ideo subditur: Causas rerum quarumlibet disposuit secundum genus ipsarum & familias, hoc est, specificas distinctiones & proprietatum consonantias. Non enim hic gentes pro populis dicuntur, sed pro similibus speciebus & naturis.

22 Ornauit in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laborauerunt, & non defecerunt ab operibus suis.

Creaturas singulas competentibus ac idoneis formis & uiribus ornauit, unde in principio Geneseos fit primus sermo de creationis opere, deinde de distinctione, tertio de ornatu. Nulla re indigent creaturæ, cibis suis uolucres, pisces, imò & gramina arboresq; aluntur prouidentia ex terra, aquis, calore & aere, sine labore suo, sola ordinatione sapientiæ diuinæ, ut non deficiant à suis operibus quæ deus illis exequenda sine cessatione mandauit, similia generando ex similibus perpetuo ordine.

23 Vnusquisq; proximum sibi non angustiabit usq; in æternum.

Nullius rei naturalis operatio à deo commissa poterit ab alia impediri, singulæ agunt pro suo more, naturaliter, necessario ad nullius alterius arbitrium. Possunt quidem agentia naturalia ab artificibus applicari, compelli autem ad aliter agendum quàm natura à deo insita uelit uel debeat non possunt. De quibus in physicis. Idem pulchre tractatur in libro Iob: Qui facit concordiam in sublimibus.

24 Non sis incredibilis uerbo illius.

Parenthesis esse uidetur, quasi dicere uelit: Mirabilia narranti mihi de magnificis omnipotentis dei operibus & creaturis, deq; illarum concordia quæ non semper apparet certo credas. Sic enim ex uerbo domini edocti sumus, cui irrefragabilis est concedenda authoritas & certissima ueritas, non tantum in illis, sed in omnibus quæ nobis proponit legenda atq; credenda, ut ex his & alijs discamus quomodo prouidentia dei instituerit uniuersa. Non sunt quidem omnium hominum uerba negligenda, unde plura nobis necessaria & utilia secundum corpus dogmata producere possumus, sed tamen examinanda sunt, si iuxta rationis dictamen & non contra regulam uerbi dei dicantur, cui soli tanquam infallibili directorio credendum est. Cui qui fidem detrahit & credere non dignatur, is plane nihil in toto mundo inuenit

cui tuto adhæreat, quando omnis homo mendax esse cognoscitur & sentitur. Solum uerbum dei quod amicis suis sanctis patriarchis & prophetis loquutus est olim, & tandem in dilecto filio, perq; eius spiritum in apostolis reuelauit, quem eis uisibiliter misit, huic infallibiliter credendum est. Cui & uniuersalis catholica fidelium ecclesia semper credidit, non credentes reijcit & infideles habet. Non sis ergo tu incredulus uerbo dei, quin omnium maxime eidem adhæreas, pro quo paratus sis uitam & corpus impendere & pati extrema: minus enim loquendo plura significat, iubens non esse incredibilem, cum uelit soli deo credere oportere, & adhærere plena fide fortiter & ad mortem usq;. Talis est enim modus loquendi scripturæ, ut sæpius iam admonuimus.

25 Post hæc deus in terram respexit, & impleuit illam bonis suis.

26 Anima autem omnis uitalis denunciabit ante faciem ipsius, & ipsa iterum reuersio illorum.

Omnia plena bonis in terra.

Post conditũ cœlum & elementa, & quæ in eis sunt luminaria, & ornatum animalium omnis generis sex diebus, tandem ultimo sic in terrã respexit dominus, ut impleret eam maximo bono, propter quod omnia prædicta produxerat, dominum uniuersæ terræ, & quæ in ea sunt, multiplicando homines in ea, producendoq; ex terra fructus ad sustentationem hominum & animalium: unde & omnis anima uitam administrans sensitiuam et rationalem facto suo ostendit omnia hæc producta esse propter se, quando statim ad præceptum domini iussa est illis uti, quod est facto denunciare creatoris institutum ordinem, ut ex terra hæc omnia producantur, & sese nutriant atque crescant ad periodum uitæ suæ. Et sit illorum omnium reuersio iterum in terram omnium uiuentium matrem. Vt similiter quoque creatura omnis per animam humanam & rationalem ultimo creatam, per gratitudinem, admirationem, & contemplationem regeratur in suum originem, deum omnium cõditorem, qui omnia propter semetipsum creauit altißimum. Corporalia propter hominem, ad illi subseruiendum, hominem autem ad dei solius religiosum cultum, qui perficitur fide, spe & charitate.

CAPVT XVII.

1 DEus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum.

Rigor grammaticus scripturæ.

Satis claret alicubi non sumenda uerba scripturæ iuxta rigorem grãmaticum, & exactam proprietatem idiomatis, alioqui longe diligentior fuerat paranda translatio eius. Vnde & hoc loco: Creasse hominem dicitur, cum nõ fecerit ex nihilo, sed ex materia terræ uel limi, quod facere dixissent & fingere non creare. Hic ergo creare significat formare hominem quantum ad corpus, alioqui re uera creata est anima rationalis de nihilo domino mandante. Sed & de terra formatum corpus dicitur, cum reliqua quoque tria elementa æque concurrant, ut discamus simplicitatem uulgarem in explicandis sacris magis quàm subtilitatem philosophicam: quam cum disciplinis alijs discẽdam suademus, diligenter quidem, sed ad sobrietatem, & ne eis uti uelimus ad pugnam contra spiritum sanctum. Secundum imaginem uero suam hominem conditum à deo discendum est ex Genesi.

2 Et iterum conuertit illum in ipsam, & secundum se uestiuit illum uirtute.

Homo ad dei similitudinem.

Sicut ex gratia deus corpus de terra formauerat, sic ex iustitia exigentibus demeritis & secundum æternam prouidentiam nobis imperscrutabilem iterũ corpus humanum resolui iußit in terram, iuxta illud: In sudore uultus tui uesceris pane tuo, de terra sumendo, donec reuertaris in terrã de qua sumptus es. Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et secundum se non uirtute angelica, sed propria: nec ministerio alterius, sed inspiratione sui spiritus, & propter se, id est ad suam gloriam ornauit eum ratione, sensu & uiribus pollentem præ cunctis alijs animalibus. Vel secundum se, hoc est ad suam imaginem, dando ei intellectum, uoluntatem, memoriam, quibus capax est dei, cognoscendo, amando, & recolendo. Secundum quam animam simplex est creatura incorporea & immortalis, hac parte deo aßimilis, ut bonitate, ueritate, iustitia, charitate, beneficentia, mansuetudine, & longanimitate creatori suo aßimiletur, ad quod est conditus.

3 Numerum dierum & tempus dedit illi, & dedit potestatem eorum quæ sunt super terram.

Periodus uitæ hominis.

Adsignauit dominus homini certum uiuendi tempus iuxta suam uoluntatem, uno tempore prolixius, & uni complexioni quàm alteri, pro sua incomprehensibili scientia, quod & incertum esse uoluit, ut & semper paratus esset ad obitum, & timore continuo mortis certò instantis non abuteretur ad ignauiam & libidinem aut ad cætera inconuenientia, quæ ex mortis præscientia multa & maxima prouenissent. Certa tamen est apud deum periodus, quam præteriri non contingit. Quantum uero tempus, & qualis constitutio corporis extitisset, si Adam non peccasset scriptura non explicat, ideo superuacanee disputatur. Non solicitandum quid tunc & quales fuissemus, quod explicari non potest, sed quales nunc esse debeamus necessario nobis curandum imponitur, & quid domino creatori nostro obligemur. Dominium quoq; homini dedit super omnia quæ mouentur & crescunt super terram. Crescite, inquiens, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam. Et dominamini piscibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Omnia quoque subiecisti sub pedibus eius, oues & boues insuper & pecora campi. Et alibi: Terror uester & tremor sit super omnia, &c. de quo sequitur:

4 Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & uolatilium.

Hominem metuendum fecit cunctis irrationalibus

Dominium hominis in animalia.

animalibus, ut omnibus præsidentem & superiorem, ut & ipse disceret timere deum, & obedire. Longe autem excellentius dominum habuisset sine lapsu. Sicut & innocentibus hominibus & abhorrentibus ab omni effusione sanguinis, non raro familiariora sunt multa animalia, dum non sibi tantopere ab hominibus timendum experiũtur ex usu. Quin & ex naturali rerum ordine metuunt hominem irrationalia, & nunquam inuaderent nisi prouocata, aut fame impulsa. Longe alioqui mansuetiora quàm sint plurimi hominum, qui in effundẽdo sanguine ludunt, & ex petulantia innoxia animalcula perdunt, quorum ingluuiei non sufficit ferè omnis creatura, idq; sine gratiarumactione, quam pro talibus domino referre raro aut nunquam cogitant.

5 Creauit ex ipso adiutorium simile sibi, consilium & linguam: & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi: & disciplina intellectus repleuit illos.

Adæ prosuit uxor.

Ex costa Adæ creauit, hoc est formauit coniugem Euam, cuius honesta, amabili, & necessaria naturaliq; societate & copula sobolem procrearet, ipsis similem ad generis conseruationem in indiuiduis, quod adiutorium nominauit, & esse uoluit sapientissimus orbis moderator, sine quo commode uir esse non potest, nec expedit, æque in statu innocentiæ ut postea: sic enim natura condita est, sic ualde bonum esse cum alijs uisum est domino, qui aliud bonum uel melius decernunt, uiderint ut ostendant. Rarum dei beneficium præiudicari non debet generali beneficio dei, qui ordinauit homini adiutorium simile sibi, ne contemnatur à simili, sed ametur. Ornauit hominem multis dotibus animæ & corporis: consilio scilicet, quod prudentiam in agendis & prospiciendis significat, & argutandi ratiocinijs ignoti ex notioribus. Membra quoq; corporis & animæ, uires & potentiæ donum dei sunt. Mentem quoq; ad excogitandum ac deliberandum, quam Hebræi cordis nomine exprimunt, quid in rebus agendis facto sit opus. Repleuit quoq; disciplina intellectus, instructione mentis ad artes liberales, apprime homini utiles.

6 Creauit illis scientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorũ, & mala & bona ostendit illis.

Captus humanus.

Scientiam quoq; & captum rerum spiritualium capere potest homo beneficio domini, qua deniq; regitur & perficitur spiritus hominis. Scientia rerum diuinarum instituit à principio hominem, et eximiarum rerum capacem condidit intellectum. Sensu quoq; impleuit cor eorum, cognitione sensibilium rerum, ut capere & inuestigare uarijs modis posset naturas & uirtutes herbarũ, animalium proprietates & lapidum. Discretionem quoque inter uirtutes & uitia, inter uera & falsa, inter pretiosa & uilia, facultate addita ad eligendum quæ uellet, aquam & ignem, &c.

7 Posuit oculũ suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent: & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum eius.

Oculum ponere super aliquid, est curam suscipere, dirigere, & docere, sic dominus multa bonitate sua prosecutus est humanũ genus, & curam specialem eius habuit propter quem creauerat omnia. Maxime uero super cor hominis oculum suum posuit, ut ostenderet illi magnalia operum suorum, ut essent in terra animalia, quibus non tantum ipse intelligeretur, amaretur, reuereretur, sed etiam magnalia suorum operũ, & admirandam sapientiam opificis operumq; capere, inuestigare, & intelligere possent, pro quo rationem & memoriam effectum & experientiam assequerentur, unde operum diuinorum rationes discerent, tenerent, docerent, ad usum suum & ad dei gloriam uterentur, ut nihil in rebus otiosum cognoscetur uel malum. Quod autem sequitur: Vt nomen sanctificationis collaudent, aliud non est, quàm ut dominum deum suum ens entium, numen immensum & sacrosanctum, deum ipsum summum optimum maximum cognoscerent, uenerarentur & colerent, qui est suum sacratissimum nomen, & nomen suum, id est honor est ipse deus. Vt uideatur iam author paulatim declinare ad commendationem beneficiorum dei, quæ electis hominibus omnibus in primis autem patriarchis & prophetis, eorumq; posteris filijs Israel, ab initio & temporis successu contulit ex gratia insigni. Nomen autem sanctificationis est, nomen tetragrammaton, proprium soli uero deo, quod electis in omnibus gentibus reuelauit suo modo, non tamen ut filijs Israel, quibus quasi facie ad faciem loquutus est in Sinai. Docuit quoq; fideles quidem omnes gloriari de beneficijs dei, quæ ex omnibus percipiunt creaturis grati & pij, ut cupiant beneficum suum patrem & amare & colere, & ad suam uoluntatem uiuere. Insigniter autem præ alijs Israelitarum gentem in peculiarem populum electum, per quos mundo innotesceret sua bonitas, potentia, iustitia & ueritas, quos & cunctis mundi gentibus posuit in exemplum fidei & morum, hos docuit gloriari in mirabilibus dei sui, ut ebuccinatores perpetui semper fuerint magnalium dei operum. Ex quibus Christus expectatio gentium nasciturus, restauraret mundum & in unum colligeret filios dei in unitatem fidei & regni cœlestis in Christo domino, qui dispersi per errores mundi tos fuerant per totum mundum.

8 Addidit illis disciplinã, & legẽ uitæ hereditauit illos.

Patriarchis illis primis & filijs Israel ipsorum posteris tradidit ultra naturæ legem inditam à principio, & præter prædicta dona multiplicem legem, per Moysen amicum electum ex omnibus, per quam familiarius explicatius ac certius docerentur de uoluntate domini dei sui, per legem sanctissimam, quam ubi ex fide obseruarent salui essent & incolumes, etiam in hac uita benedicti, beneficijs maximis afficiendi. Præuaricantes autem & contemnentes uerba dei, maledictionibus repleti

ros

rentur. Hanc autem uitæ legem dicit hæreditatem, id est pro hæreditate acceptam, ut filij dei nominarentur & essent, uel peculiariter conseruarent propriam, quo ad obligationem huiusmodi, quæ tamen communis erat omnibus electis & saluandis.

Testamentum æternum constituit cum illis, & iustitiam & iudicia sua ostendit illis.

Testamentum cum patribus.

Testamentum constituit cum Abraham, Isaac & Iacob, cum Mose & reliquis, ut esset ipsorum deus, & ipsi ambularent coram eo, & essent perfecti in fide & charitate ad deum & proximos: quod testamentum dei ad omnes electos in spiritu, perfectum semper manet, ne minem excludit. Signa autem huiusmodi testamenti carnalibus assignauit in carne. Vnde & duplices habere filios deum per Abraham satis claret, carnales quidem & spirituales, gloriantes se patrem habere carnis & fidei, unde una constituitur ecclesia, in qua regnat Christus in perpetuum sine fine. Iustitiam & iudicia docuit eos, ut fidem seruarent & charitatem, præcepta & ceremonias: legem decalogi & disciplinam forensem per iudicialia, iuxta charitatem, & ceremonialia tantum ad fidem conseruãdam, qua sola placebant, ne uel effluerent ad illicita, ne mysteria dei ad electos per promissum Christum filium, electi & sancti patres ignorarent, sed in typo assequerentur.

Et magnalia honoris eius uidit oculus illorum, & honorem uocis audierunt aures illorum,

Gloria dei in Israel.

Filij Israel electus à deo populus ad gloriam nominis sui, uiderunt magnalia mirabilia uirtutis diuinæ, quæ fecit in Aegypto, in mari rubro, in solitudine quadraginta annis, in Iordane, deinde in promissa illis terra Chanaanitica, media fermè in terra et optima, iuxta illud Deuteronomij: Vos uidistis uniuersa magnalia, quæ corã uobis dominus fecit. Gloriosam quoq; uocẽ & horribilem reuerendamq; audierunt in datione legis, quando cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clãgorq; buccinæ uehementius perstrepebat, & dominus loquebatur. Sic enim in Deuteronomio dicitur: Loquutus est uobis dominus in Oreb de medio ignis, &c.

& dixit illis, Attendite ab omni iniquo, Et mandauit illis unicuique de proximo suo.

Summa mandatorũ dei

Summam omnium mandatorũ dei paucissimis complectitur uerbis. Attendite ab omni iniquo, ne ingrati domino deo uestro sitis, qui tanta uobis fecit, ut eius non amori deferatis, sed toto potius corde ei adhæreatis & obediatis. Sed & de proximo mandauit unicuiq; minime lædendo in factis, uerbis uel desiderijs, sed colendo & amando non aliter quàm quisq; amari cupiat ab alio uel coli. Quid enim breuius & sufficientius mandari possit? Diliges, inquit, amicum tuum, hoc est proximum sicut teipsum, Leuitici decimonono, & Christus: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicẽ, sicut dilexi uos.

12 Viæ illorum coram illo sunt semper, & non sunt absconsæ ab oculis ipsius.

Omnia intuetur dñs.

Omnium fidelium & electorum in toto quidẽ mundo actiones, cogitationes, mores & studia dominus semper contemplatur. Specialiter autem populum suum Israelem, si quãdo pie & religiose uiuunt ad dei beneplacitum, multis beneficijs & claris illos prosequitur, & semper est prosecutus. Vbi uero obmisso cultu dei Israel secundam legem, idolis seruire cœperunt & uitijs, digna eos semper uindicta inuasit. Oculus enim domini omnes sed præcipue electos aspicit, ut tueatur & promoueat. Nouit dominus uiam iustorum, & iter impiorum peribit. In omni quoq; loco oculi domini contemplantur bonos & malos.

13 In unaquamq; gentem præposuit rectorẽ: & pars dei Israel facta est manifesta.

Regna in manu dei.

Cætera quidem regna suos principes & gubernatores habent, à diuina etiam prouidentia constitutos, sicut & angelos præsides à domino accepisse insinuantur in sacris ad prouinciarum regimen & custodiam, Danielis decimo. Et Deuteronomij tricesimo secundo: Statuit terminos gentium iuxta numerum filiorum dei. Pars autem dei Israel facta est manifesta. Innotuit prodigijs & signis multis populum Israeliticum electum sic fuisse à domino, ut dicatur pars dei, id est peculiaris & præelectus populus eius. Isaiæ 19. Hæreditas mea Israel. Et Deuteronomij septimo: Te elegit dominus ut sis ei populus peculiaris, de cunctis populis qui sunt super terrã. Hinc populi illius regimen deo speciatim adscribitur. Vnde et Samuel aiebat: Grande malũ feciſtis uobis, petentes super uos regem, cum dominus deus uester regnaret in uobis, primo Regum duodecimo.

14 Et omnia opera illorũ uelut sol in conspectu dei: & oculi eius sine intermissione inspicientes in uijs eorum.

Sol in mundo.

Cultores unius dei sancti in omnibus gentibus, sed præcipue in Israele clarissime innotescunt domino. Et sicut Sol eminet astris cunctis in magnitudine, sic inter gentes reliquas olim populus Israel eminebat. Opera quoq; & doctrina sanctorum mundus illuminatur: Vos estis lux mundi, cum tamen dei comparatione sint nihil, ut dicere cogãtur: Facti sumus ut immundus omnes nos, uniuersæ iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ. Oculi autem dei sine intermissione inspicientes in uijs eorũ, omnium quidem iustorum in mundo, cum sit apud deum nulla acceptio personarum, specialiter tamen curam de Israele habere ostenditur, quos per scripturas prophetarum direxit, & ad quos Christum dominum & apostolos misit, qui cum se indignos redderent uerbo dei, conuersa sunt omnia ad gentes, quarũ hodie lex est & prophetæ, Christus & apostoli, reliquiæ Israelis saluatæ ut Iudæi inuideant.

15 Non sunt absconsa testamenta propter iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conspectu dei.

Promissa dei certa.

Quanquam is Israeliticus populus plurimum & sæpe in dominum deum suum & in sacrosanctam legem peccaret semper, clementia tamen dei maior fuit & promissorum ueritas, quàm ut rescinderentur promissa, & impediretur doctrina testamenti dei. Per apostolos enim prædicatum est uerbum dei iuxta utrunq; testamentum. Non est enim uerbum dei alligatum, dicentibus apostolis: Non possumus quæ uidimus & audiuimus non loqui. Omnes quoq; iniquitates eorum qui uerbo dei resistunt, iudicio domini præsentantur, ut in tempore suo puniantur. Vultus enim domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Non sunt tenebræ & non est umbra mortis ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.

16 Eleemosyna uiri quasi sacculus cũ ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit:

Eleemosyna qualis et quare.

Superuacaneum puto ordinis rationem dictorum in hoc libro inquirere, quam si quis petat consulere poterit Lyranum, & Petrum Aureoli. Hic sanè de eleemosyna docet, cum iam de mundi creatione & gentium electione meminerit. Misericordiæ & charitatis opera sunt, quæ dominus ut præcepit, sic neglecta uindicabit. Et ut in crumena seruata pecunia uel in sacculo alimonia consolatur esurientem & peregrinum: sic eleemosyna dei intuitu egentibus elargita, offensum dominũ placat. Vnde Daniel regi: Peccata tua eleemosynis redime. Et Christus: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, facite uobis sacculos qui non ueterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis. Eleemosyna in fide data ut decet, diligentissime homini eam danti gratiam conseruabit apud deum & homines. Tobiæ quarto: Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & nõ patietur animam ire ad tenebras. Fiducia magna erit coram summo deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

17 & postea resurget, & retribuet illis retributionem, unicuiq; in caput ipsorum, & conuertet in inferiores partes terræ.

Misericordiæ merces.

Tandem quoq; in die iudicij cum sanctis resurgent misericordiæ opera & reuiuiscent. Commemorabuntur enim à Christo iudice, tanquam causæ sine qua non dabitur electorum consortium & felicitas, patrisq; regnum æternum. Sicut & immisericordibus supplicium decernetur ob neglecta officia charitatis. Qui enim in hac uita parce seminat, tunc quoq; parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et conuertet in inferiores partes terræ. Hanc sententiam Carensis uarie exponit. Simplicior sensus uidetur, si tamen ad literam pertinet, quando in Græcis exemplaribus non legitur hæc sententia: Dominus deus eleemosynæ præmiator, sicut gratiam & gloriam in cœlestibus donat pijs & misericordibus, sic duros & negantes eleemosynam adiudicabit inferno.

18 Pœnitentibus autem dedit uiam iustitiæ, & confirmauit deficientes sustinere, & destinauit illis sortem ueritatis.

Si quem pœniteat præteritorum criminum, & uitæ emendationem instituere statuit, illum dominus promouet suo auxilio, & in uia iustitiæ dirigit ne deficiat, & ubi per carnis fragilitatem deficere cœperit, denuo non cessat confirmare. Dat enim lasso uirtutem, & his qui non sunt fortitudinem & robur multiplicat. Et tandem destinat illi in cœlestibus eam sortem, quæ manet omnes ueritatis & iustitiæ sectatores, præmiũ scilicet clarae uisionis earum rerum quæ hic creduntur. Sed & hic aliter legunt Græci, quos pro exemplariorum uarietate mecum constitui non nisi coactus sequi. Sed ea doctioribus defero & prudentibus.

19 Conuertere ad dominũ, & relinque peccata tua, precare ante faciem domini, & minue offendicula.

Exhortationes subinde sequuntur ad fidei professum & morum sine exacto ordine. Ad dominum te primum conuerte, cogitans plena fide quid tibi beneficiorũ contulerit olim & semper, & quomodo illius beneplacitum agnitum toties neglexeris numium ingratus. Et inciditi bi propositum à peccatis resipiscendi, & à uia iniquitatis in ordinem redeundi, & concordandi cum domino. Id ubi te proprijs uiribus prosequi posse non uideris, addentibus deum precibus accedas, illius gratiam exorando, qua in uitæ nouitatem inducaris, & domino deo tuo perfecte reconcilieris. Id uero non fiet commode, nisi occasiones quas tibi imminere, & causam delinquendi gerere sentis multa diligentia abigas & declines, etiam contranitente carne & sanguine, & pro hoc quoq; domini gratiam & auxilium implorando.

20 Reuertere ad dominum, & auertere ab iniustitia, & nimis odito execrationem.

In eandem fermè sententiam recidit. Primo reuertendum esse cum filio prodigo ad misericordiarum patrem dominum deum: deinde iniquitates fugere & abhorrere diligenter, cum dei gratia adiuuante. Maxime uero illas quæ contra fraternam militant charitatem, aut etiam contra fidem in unicum deum. Execratur enim in primis utraq; dominus, & odium fratris & idolum. Quam omnem inobedientiam & contemptũ uerborum dei execrationem nominare posimus, & pro omni mali fugere iram dei debeamus.

21 & cognosce iustitias & iudicia dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi dei.

Diligenter ex sacris disce quid domino placeat, quales ipse mores, iura, præcepta & iudicia statuerit, ut ea studeas adimplere, & timeas transgredi. Et sta in sorte ea quæ tibi à domino deo tuo proposita est, non quam tibi imprudens, uel contra dei uerbum uel præter, propositi tuisti, sed in ea quam tibi altissimus deus suo uerbo proposuit, non declinans ad dexteram nec ad sinistram. Sed & sortem orationis nõ amittas, cum nihil harum rerum tuapte uirtute perficere queas, sed sint à domino assidua precibus impetranda, qui se orari præcepit.

22 In partes uade sæculi sancti, cũ uiuis & danti-

dantibus confessionem deo.

Maxima pars hominum uiuentium in hoc sæculo prá
uitates sectantur & improba: cum his tu ne partem ha=
beas, sed familiarem te magis exhibeas sanctis & pijs,
quorum fidem, mores & studia æmuleris. Consortemq;
te præbeas non execratoribus uerbi dei uel iustitiæ, sed
cum eis qui omnem uitam suam consecrarunt laudibus
diuinis, & deo confitentibus non solum peccata sua, sed
& beneficia sibi præstita collaudantibus iugiter.

23 Nõ demoreris in errore impiorum, an
te mortem confitere.

Qui & quales sint impiorum errores quám pluri=
mi, lege quinto capite huius libri. Tu autem qui in parte
iustorum inueniri desideras, abiurare debes omnes illos
impijssimorum hominum errores. Et si contingat te in=
cidere in quenquã, uel offendere in aliquo deum & ue=
ritatem, statim confitere, & consilium sapientis & con
sulere potentis inquire. Id uero non diu differas, ne tibi
error inualeat, & increscat malum quo tandem te pro=
ripere non queas. Verum hæc sententia cum quibusdam
prædictis in Græcis exemplaribus non habetur.

24 A mortuo quasi nihil, perit confessio.
Confiteberis uiuens, uiuus & sanus confi
teberis, & laudabis deum, & gloriaberis in
miserationibus illius.

Non differas laudare deum usq; ad mortem, tunc e=
nim non poteris: nescis quoq; diem & horam mortis,
ideo bonum quod agere potsis ne differas diu, ne te mors
nõ expectata corripiat. A mortuo quasi nihil, perit con
fessio. Fieri non potest ut mortuus loquatur & con=
fiteatur domino laudes uel peccata sua, aut gratiam pro
beneficijs tunc offerat, aut clementiam impetret pro de
lictis. Est enim mortuus iam in meta, remotius currere
non potest. Quod ante mortem neglectum est, post obi=
tum recuperari non potest. Lex domini & mandatum
non fertur super mortuos sed uiuos. De uiuis quid agen=
dum sit, uiuis uerbũ domini satis præscribit. Mortuorum
curam dominus sibi soli assumpsit, uiuentibus præter se
pulturam nihil iniunxit. Nos uero iam nuper longe alium
docẽdi morem audiuimus, sed qui clericali statui & mo
nachali nimis profuit ad rem, non ad conscientiam, ex
decretis pontificum, non ex doctrinis apostolorum. Con
fiteberis ergo uiuens domino beneficia & laudes. Viuus
dum fueris & adhuc sanus, dum commode poteris, dum
beneficia sentis, dum alacriter suas laudes enarrare &
canere potes, tunc laudabis deum. Vt hoc uerbo intelli=
gas Lector, de qua laude author intendat, ne quis te au=
riculare confessionem sacerdoti proprio faciendam de
omnibus peccatis tuis dictis, cogitatis, & factis ex hoc
loco docere præsumat impostor. Et gloriaberis hilari
25 corde in miserationibus beneficijsq; diuinis.

Quàm magna misericordia domini, &
propitiatio illius conuertẽtibus ad se? Nec
enim omnia possunt esse in hominibus,
quoniam non est immortalis filius homi=
nis, & in uanitate militiæ placuerunt.

Non cunctẽris iuxta prædicta admonitus conuerti
ad dominum, timens & desperãs cum Cain & Iuda. Do
minum interpellare pro clementia & indulgentia cri=
minum. Multo enim amplior est & latior clementia dei
ad homines, quàm uel ipsi indigeant uel audeant exora=
re. Sed eam tamen exhibet misericors & pronus ad in=
dulgendum non pertinacibus, & pergentibus offendere
dominum, & in peccatis immori uel perseuerare diuti=
us, sed eis qui sese conuertunt à peccatis ad dominum.
Tanta autem clementiæ diuinæ propensio ad condonan
dum fragilitates humanas inde prouenit, quia conditor
noster cum sit, nouit figmentum nostrum, & ad peccan=
dum procliuitatem magnam, quandoquidem non habet
in se tantũ uirium, ut sine dei gratia peccata uitare pos=
sit. Non potest in hominibus esse quicquid cupiunt, fra=
gilior est natura quàm ut sine peccatis uiuatur. Angeli
id immortales possunt. Corpus autem quod aggrauat a=
nimam deprimit sensum hominis. Placet autem deo co=
natus ad innocentiam, bellumq; cum uitijs & concupi=
scentijs, quod maluit esse perpetuum.

Clementia dei ad quos

26 Quid lucidius sole? & hic deficit. Aut
quid nequius, quàm quod excogitauit ca=
ro, & sanguis? & hoc arguitur.

Nihil mirum de fragilitate humani corpusculi, cum
& res quæ maxime stabiles noscuntur deficere depre=
hendantur in tempore. Quid enim lucidius sole? Et hic
tamen deficit nisi à domino conseruetur. Suo quoq; tem
pore immutabitur, nõ iuxta substantiam sed accidentia,
prout deo placet, cuius est opificium, & à quo conserua
tur, & cui obsequitur ac ministrat. Quin & solis apud
homines eclipsatio cernitur, & iuxta uulgi iudicium lu
men perdit: quanto magis homo qui deficit in uanitati=
bus & insanijs falsis? Aut quid nequius, quàm quod ca=
ro & sanguis continuo suadent, libido, concupiscentia,
fastus, mendacia, rapina, & omnis uitiorum lernæ? fru=
ctus enim sunt carnis. Ideoq; per spiritum domini argu=
untur longe seuerius quàm peccatum quod ex ignoran
tia committitur.

Defectus in omnibus.

27 Virtutem altitudinis cœli ipse cõspicit:
& omnes homines terra & cinis.

Post hominis nimiam humilitatem per compositio=
nem exaltat dei immensitatẽ, quæ tanta est, ut excellen=
tissimis creaturis sit in infinitum perfectior, quod infini
ti ad finitum imò ad multa finita nulla prorsus est pro=
portio. Dominus cœlorum est, & cœlestium omnium,
qui omnia conspicit & gubernat ad nutum suum, altior
est rebus altissimis. Homo autem, terræ quæ infima est,
abiectissima portio est, non aurum, argentum, silices, pe
træ, montes aut gemmæ, sed puluis est et cinis, de quo di
citur: Quid superbis terra & cinis? Terra conditione
est homo, puluis autem & cinis resolutione.

Hominis humilitas.

CAPVT XVIII.

1  Vi uiuit in æternum, creauit o=
mnia simul.

Omnipotentia sua potuit deus creare
omnia quæ fieri potuerunt. Est enim crea
tionis actus de nihilo, solius omnipotentiæ actus. Vni=

uersa autem ordinare, actus est sapientiæ infinitæ. Propriam autem bonitatem omnibus communicare creaturis, & utilitatē causare, actus est immensæ bonitatis & beneuolentiæ. Is ergo solus æternus uiuit uita intellectuali, simplicissima & perfectissima, sic ut sit ipsum suum esse & uiuere, solus immortalitatem habens ex se, lucemq; inhabitat incommutabilem & inaccessibilem. Simul autem creasse omnia, intelligi potest multipliciter, de quibus Augustinus multa disputauit subtiliter. Glossa ordinaria habet, rerum substantiam simul esse creatam, sed non simul per speciem deformatam. Simul extitit per substantiā materiæ, non simul apparuit per substantiam formæ. Simplicius quoq; dici posset simul omnia creata intelligi, id est uno breui tempore, intra scilicet unam hebdomadam, qua quid potest æstimari breuius, comparatione tātæ machinæ, rerumq; tantarum & talium? Vt non sit necessarium omnia expendere ad unum diem, horam, minutum, uel quartam, aut etiam momentum temporis, uel eidem breuissimo tempori coexistentē moram qualemcunq;.

Simul creasse deum omnia.

2 **Deus solus iustificabitur, & manet inuictus rex in æternum.**

Iustus solus deus.

Solus per essentiā à se pure & plene iustus est deus, ut eius comparatione nihil iustum sit. Vnde Christus dixit: Nemo bonus nisi solus deus. Nō iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Nunquid homo comparatione dei iustificabitur? Et manet inuictus rex in æternum, omnibus potentior & sapientior. Iob decimo: Deus cuius iræ nemo resistere potest, sub quo curuantur qui portant orbem. De quo in Hester: Deus rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere uoluntati.

3 **Quis sufficit enarrare opera illius? Quis enim inuestigabit magnalia eius? Virtutē autem magnitudinis eius quis enunciabit? aut quis adiiciet enarrare misericordiam eius?**

Opera dei magnifica.

Opera creationis, ordinationis, conseruationis, gubernationis, redemptionis, iustificationis & glorificationis diuinæ quis sufficienter enarrare potest? Cum uix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Magnalia quidem sunt omnia dei opera, ut eorum ratio humano ingenio comprehendi non possit, insigniter tamen magna sunt etiam ea quæ quotidie facit in creaturis omnibus, & admiranda in terra, mari & aere, inq; uiuentibus præcipue animalibus in eisdem. Virtutis quoq; eius excellentia & perfectio à nemine enunciabitur, quod sit infinita, ut digne eum inuenire nō possimus. Magnus est enim fortitudine, iudicio & iustitia, & enarrari non potest. Ideo timebunt eum uiri, & non audebunt contemplari omnes qui sibi esse uidentur sapientes, Iob 37. Misericordia domini in scripturis beneficentia dicitur, qua in effectibus suis cum genere humano incomprehensibiliter agit & gratiose, pro cuius salute dignatus est è cœlis descendere, inter homines conuersari ut homo, charitatis maximæ indicia ostendere, & gratiarum charismata impartiri electis, magnanimitatem, patientiamq; in reprobos, quorum nonnullos ex diaboli mancipijs subito effecit amicos, filios dei & hæredes per Christum regni cœlestis, quos ad pœnitentiam hortatur & ducit uerbo suo & gratia.

Misericordia in scripturis.

4 **Non est minuere, neq; adiicere, nec est inuenire magnalia dei. Cum consummauerit homo, tunc incipiet: & cum quieuerit, operabitur.**

Nemo per desperationem credat minorem dei bonitatem, quàm ut peccantibus indulgere possit & uelit, ut Cain & Iudas. Neq; per præsumptionem putet omnia licere peccantibus, cum non uiderit citius impendere uindictam à domino. Et in operibus dei nihil diminutum, nihil superfluū. Non enim natura deficit in necessarijs, nec abundat superfluis. Nec potest quisquam hominum intuentione uel studio suo perfecte scire magnalia dei, etiā si perfecte conetur, & pro omni uirili sua: semper enim distabit à plena cogitatione dei laudeq; perfecta, ac si nihil egisset, ut sibi de nouo inchoandum putet. Est enim infinita illius magnitudo & perfectio. Ideo ab homine inquiri perfecte non potest. Vnde exclamare Apostolo quoq;, qui ad tertium cœlum raptus fuerat, cogitur, dicens: O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit sensum domini, &c. Ideo ubi in huiusmodi contemplatione sanctus exercitatus tandem quieuerit, non tamen desistere potest, sed ubi desierit denuo operari incipiet semper. Sentit mens per torporem ueterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare, Gregorius.

5 **Quid est homo, & quæ est gratia illius, & quid est bonū, aut quid nequam illius?**

Magna misericordia dei circa homines est, quanta minor est homo, & magis indiget. Ideo subditur: Quid est homo? Dignissima quidem creaturarum facta à deo est, imago quoq; dei iuxta animā, sed secundum corpus putredo & uermis, putridum ab initio semen, digna uas stercorum, tandem esca uermium. Et quæ est gratia illius? quantam à domino gratiam assecutus est homo? Assumptus à uerbo, ablutus à peccato, redemptus à supplicio, sublimatus in cœlo. Et quid est bonum? Omnia à deo condita, gratia & gloria à deo illi promissa. Et quid nequam illius? Multa & grauia, quæ alterius uitæ sunt quàm illius nempe hominis. Mala enim quæ agimus pure mala sunt, quia nostra sunt. Bona autem nostra, sed pura sunt à defectu & peccato, nec nostra sunt, sed dei in nobis.

6 **Numerus dierum hominū, ut multum centum anni: quasi guttæ aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui.**

Si centum annis homo uixerit, multū est, decrepitus enim erit, cum scriptum sit: Si autem in potentatibus octoginta anni & amplius eorum labor & dolor. Totum tem dies comparatione æternitatis sunt quasi gutte uncie ris ad molem oceani. Et sicut lapillus arenæ unicus reliquis

reliquos in littore maris: sic exigui sunt anni in die æui, momentum enim uidebuntur, si futuræ æternitati comparentur. Vitam enim humanam tria cõsequuntur, breuitas, instabilitas, & amaritudo, quæ notantur per hæc tria: Gutta, aquæ, maris. Propter quod et Iacob dicebat: Dies peregrinationis uitæ meæ centũ triginta anni sunt, parui & mali. Et Sapientiæ. 2. Exiguum & cum tædio tempus uitæ nostræ. Apud deum autem unus dies ut mille sunt anni, & mille anni sicut unus dies.

7 Propter hoc patiens est deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam.

Cum igitur tanta sit hominum fragilitas et breuis uita, ideo pie & longanimiter sustinet peccantes ex fragilitate, pœnitentiã præstolando, iuxta illud Isaiæ 30. Expectat dominus ut misereatur uestri, & ideo exaltabitur parcens uobis. Sed idem alibi: Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar. Gratiam autem suam pœnitentibus tribuit abundanter & supra merita. Proprium est enim ei misereri & parcere. Et in Threnis: Misericordiæ domini quia non sumus consumpti, quia nõ defecerunt miserationes eius.

8 Vidit præsumptionẽ cordis eorũ quoniam mala est, & cognouit subuersionem illorum quoniam nequam est: ideo adimpleuit propitiationẽ suam in illis, & ostendit eis uiam æquitatis.

Ad præsumptionem pertinet, non attendere ad propriam fragilitatem & super uires conari, per iniquitatem apud semetipsum subuerti, ut faciat quæ non decent. Verumtamen pro bonitate sua deus impleuit propitiationem suam in illis, reddens bona pro malis, miseris condolendo, quia propria ignorauerunt pericula, per malitiam occidendo animam suam, sed iterum direxit eos ad uiam æquitatis, instruendo eos per legem & scripturas propheticas olim, deinde etiam apostolicas, unde & gentium corda tandem illuminata sunt. Quasi dicens cum propheta: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit dominus. Et 1. Ioan. 4. Misit deus filium suum propitiationẽ pro peccatis nostris, qui esset hominibus uia, ueritas, & uita. De quo Isaias: Hæc est uia, ambulate in ea, & nõ declinetis ad dextram neq; ad sinistram.

9 Miseratio hominis circa proximũ suum: misericordia aũt dei super omnem carnẽ.

Misericorditer quidẽ & clementer agere homo consuevit cum suis proximis, coniunctis ac notis, ucinis & beneficis: misericordia autem dei super omnem carnem, super omnem hominem, bonum & malum, magnum & parvum. Solem suum oriri facit super omnes. Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione. Homines & iumenta saluabis domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam deus, Euangelica prædicatione potissimum, quando per illam mundus conuersus est, & conuertitur semper ad pietatem quoties studiose fideliterq; auditur.

10 Qui misericordiam habet, docet, & erudit quasi pastor gregem suum. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, & qui festinat in iudicijs eius.

Dominus est, qui nõ sibi tantum bonus est, sed gaudet benefacere omnibus, non minus quàm fidelis & diligentissimus pastor, docet electos suos, imò omnes homines uerbo doctrinæ salutaris: erudit quoq; disciplina et uirga correctionis & exhortationis, ne negligant suum bonum, ne insolenter uiuant. Et si quos inuenerit benevolos auditores & monitis obsequentes, & præceptoris circa se studium non contemnentes, sed gratos, ut amplectantur eruditionem dei, & sese duci permittant ad uiam bonam, hos certe conuertit et suscipit emendatos, ut omnibus bonis affluenter remuneret, & facit indies magis ac magis festinare in mandatis diuinis, donec tandẽ sua propria in illis studia ualeat iuste coronare. Beneficus deus.

11 Fili, in bonis nõ des querelam, & in omni dato non des tristitiam uerbi mali.

Si cui benefeceris indigenti, non cum murmure uel tristitia agas uel cum querela, nec exprobres cuiquam officium tuum, ne accipientem contristes uerbo duro, ne conuitio uendas quod manu donas, sed indigentium cœtui te affabilem præbeas. Non sunt uerbis exasperandi pauperes, ne afflicto augeatur afflictio. Si datis cõsolari nõ potes miseros, saltem benigno alloquio, clementi uultu, & pia adhortatione id agas.

12 Nónne ardorem refrigerabit ros? sic & uerbum melius quàm datum. Nònne ecce uerbum super datum bonũ? & utraq; cum homine iustificato.

Sicut ros calorem temperat in æstate, & à segetibus repellit ardorem solis, & refrigerat terrænascentia: sic benigna alloquutio & dulce uerbum pauperem consolatur et reficit. Est enim & spiritualis eleemosyna amica instructio, & pia consolatio non spernenda, sicut datum cum iurgio non laudandum. Prouerb. 17. Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm plena domus uictimis cum iurgio. Sed & melius est uocari ad olera cum charitate, quàm ad uitulum saginatum cum odio. Veruntamen indigenti & humiliter postulanti, non sufficit dare uerba suauia, sed dona illis necessaria si potes. Homo ergo pius, fidelis & iustus utrunq; agit, eleemosynam largitur corporalem, spiritualem etiam non obmittit. Non raro enim ex pauperie redduntur impatientes, & querituli, iracundi quoq; & inuidi, quos oportet non tantum donis, sed & exhortatorio sermone docere, consolari, & animæquiores dimittere. Mœror siquidem in corde uiri humiliabit eum, & de sermone bono lætificabitur. Prouerbiorum duodecimo & decimo sexto: Dulcis eloquio posßidebit maiora. Verba bona.

13 Stultus acriter improperabit, & datus indisciplinati tabescere facit oculos.

Stultus cum impatientia dat & cum iurgio, & post datum improperat: sic enim os fatuorum ebullit stultitiam. Longe aliter nobiscum agit cœlestis dominus noster, qui dat omnibus affluenter & non improperat. Et datio siue donum aut datum, quod datus scribitur in omnibus fermè & correctis exemplaribus, tam tenuis fuit Stultus impatiens.

sanctis patribus grammaticæ exactior polities, qui sensum assequi cupientes, elegantiam quidem ubi contigit non sunt aspernati, nec tamen simplicem dictionem abijcere uoluissent. Datum, inquit, indisciplinati contristat oculos egentis, quia uel tardius dat uel amarulentius inspicit, uel uerbis utitur non pijs. In ore siquidem stulti uirga est contumeliæ, Prouerb. 14.

14 Ante iudicium para iustitiam tibi, & antequam loquaris disce.

Iudicium dei.

Cogita diligenter de tua causa quam sis apud iudices tractaturus, si iusta sit uel iniqua: quam si minus intelligas, amico sapienti exponas, et utere illius consilijs, antequam eam producas ad iudicium magistratus. Et ubi coram prudentibus & maioribus sermo habendus fuerit, diligenter quoq; præcogita quid afferendum in medium, quid omittendum. Sic & de reddenda ratione deo in iudicio mortis & generali cogita, ut clementiam preceris, non enim in tua causa sine eius gratia subsistes. Nec loquaris docendo, nisi prius didiceris audiendo.

15 Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudiciũ interroga teipsum, & in conspectu dei inuenies propitiationem.

Resipiscendum.

Mox ut cœperis infirmari, antequam morbus augeatur adhibe medicinam, ne uetustate fiat incurabilis. Sic cum in peccatum incideris, statim resipisce, ne diuturnitate aut consuetudine uitij obruaris & obturatus fias. Antequam incidas manus dei uiuentis, & antequã alios iudices de peccato, discute conscientiam tuam, interroga teipsum, & cogita quid arguenti te deo uel homini ualeas respondere, & sic in conspectu dei inuenies propitiationem, feret enim pro te sententiam, uel clementer parcet humiliato. Si nosmetipsos dijudicaremus, non utiq; iudicaremur. Si trabem in oculo nostro uiderimus, aliorum festucam negligemus.

16 Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam.

Noli tandiu insolenter peccare, quandiu cogitabis te posse, sed cum adhuc sanus es, institue honestam conuersationem, tu potius peccata fuge, ne te propediem morbis affectum fugere oportere cernantur. Cum uero morbum incideris, constantiam & patientiam ostende, ut in infirmitate perficiatur uirtus. Ostendit enim infirmitas hois uirtutes. Tunc itaq; non tantum uerbo, ut antea, sed facto potius & exẽplo prodas animi tui solidas uirtutes, modeste ferendo manũ domini, quam declinare nõ potes.

17 Non impediaris orare semper, & ne ueteris usque ad mortem iustificaris: quoniã merces dei manet in æternum.

Orandum semper.

Quandoquidem iugiter impetimur periculis, dæmonumq; insidijs et fragilitatis propriæ incitamentis, ut auxilio dei semper egeamus, ideo assidue orandus nobis est dominus, Christo monente: Oportet semper orare et nõ deficere. Nec te ab oratione impediant curæ sæculares & tentationes aliæ, amicorũ frequentia, crapula, desperatio, somnolentia, societas, lectio aut studium. Et ne ueteris, hoc est quacunq; ratione prohibearis iustificari, donec tempus appetat moriendi, sed magis per omne tempus uitæ iustitiæ studeas per gratiã dei, & uirtuti. Oportet enim semper proficere, & non deficere. Qui iustus est, iustificetur adhuc, quando nec Apostolus quidem se arbitratur apprehendisse. Hoc uero iustitiæ & uirtutis studium manet eximia merces, quæ excedat omnes huius temporis passiones, labores & ærumnas. Non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.

18 Ante orationẽ præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat deum.

Dum orare uolueris uel cogeris deum, cura repellere omnes mentis distractiones & phantasmata: imò ipsa orationis attentio & necessitas causam præstabit de tuis tantum angustijs cogitandi, sed tunc propriam nihilominus utilitatẽ culpamq; attende, diuinæ maiestatis & clementiæ præsentiam pense, sicq; cum humilitate, reuerentia & feruore dominum exora, reconciliatus primũ fratri tuo qui te offenderat. Et noli esse sicut homo qui tentat deum, experimentum quærendo sapientiæ uel bonitatis diuinæ, uel omittendo quod humano studio interponi posset & debet. Tentare quoq; dominum uidetur, qui bona orat, mala agit: labijs loquitur, corde uagatur.

19 Memẽto iræ in die consummationis, & tempus retributionis in cõuersione faciei.

Nunquam excidat animum tuum iustum & horrendum iudiciũ dei, quod experieris in die iudicij extremi, quando nos omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisq; prout gessit in corpore, bonum siue malum. Cogitat quoq; de tempore retributionis, ut conuertaris tempestiue ad dominum ab omni opere concupiscentiæ noxiæ, ut sic dominum cognoscas & iustitiam eius, facilius contemnere possis terrena. Aliqui legunt: In conuersatione, sed intelligendum de auersione uultus dei à peccatore propter peccata, per iram & uindictæ seueritatem.

20 Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuitiarum.

In abundantia tua memineris paupertatis, non solum eius quæ te manet, & quam te incidere continget, si rebus abusus fueris, sed & eius quã sentiunt pauperes rebus, ut ipsis subuenire studeas. Facite uobis amicos de mamona iniquitatis. In die quoq; bonorum ne immemor sis malorũ. Attende quoq; quàm onerosa paupertas sit ijs qui eam dura necessitate magis quàm deuota tolerant uoluntate. Præcipe, ait Paulus, diuitibus huius sæculi bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi bonum fundamentum in futurum, ut apprehendant uitam æternam.

21 A mane usq; ad uesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis dei.

Sicut tempus celerrime defluit & mutatur, sic paupertas & abundantia subito eueniũt & recedunt, iuxta ordinem prouidentiæ dei: nihil enim in hoc mundo permanet stabile & æternum, cito pertranseunt omnia, & momentanea habentur in oculis domini, qui omnia respiciendo per uices ut uenant, cum apud ipsum nulla sit de-

ipsum

cissitudinis obumbratio, sed unum instans æternitatis, in quo omnia mutabilia agit ipse immutabilis. Vt in tuis operibus sanctis non sis tardus, sed instanter opereris quod inuenerit manus tua, nihil bonu operis negligens, quod per te fieri posse conspexeris, ut sis seruus fidelis, & super multa à domino constituaris.

22 Homo sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia.

Homo pius & uere sapiens omnu loco, tempore, actu & opere ueretur occulta iudicia dei, qui terribilis est in consilijs suis super filios hominum, ne deum offendat, ne ab eius charitate deflectat, sciens se constitutum in medio laqueorum, hostibus circundari, in multis offendere, ideo beatus homo dicitur qui semper est pauidus. Sapiens etiam timet, & declinat à malo, stultus transilit et confidit. Ideo Iob dicebat: Verebar omnia opera mea, &c. Et in diebus delictorũ quandiu uiuitur in hoc mundo periculis & peccatis pleno, ab omni inertia cauebat, uiriliter aggrediendo opera sancta, & utijs resistendo.

23 Omnis astutus agnoscit sapientiam, & inuenienti eam dabit confessionem.

Qui prudens est magnifacit sapientiam, & suspicit tanquam eximium bonum, studiose illam assequi conatur, agnoscens fructus eius multos & magnos. Et sapientia ipsa uicissim honorat, commendat & reuerendos facit eos qui diligunt ipsam. Odiunt autem sapientiam qui non nouerunt, desides & inertes, qui carnis potius desideria sequuntur. Inuenitur autem sapientia oratione, lectione & auditione, non in terra suauiter uiuentium, sed ad fores illius accumbentium, & in lege domini assiduc meditantium.

24 Sensati in uerbis & ipsi sapienter egerũt, & intellexerunt ueritatem & iustitiam, & imploraverunt prouerbia & iudicia.

Qui sapientiæ student, hi illam uerbis et factis adesse sibi comprobant, nõ tantum promissionibus diuites sunt & iactatores, sed moribus et studio uirtutes æmulantur magnificas: & qui ueritatem didicerunt ut sanè intelligant, hi sapienter quoq; eam exprimunt elegantibus sermonibus, & cum uenustate & claritate alios quoq; docent. Sic enim ordinanda esset litera ex Græcis: Prudentes sapienter agunt, & qui ueritatem intelligit ac iustitiam, is cum dignitate prouerbia dicet, occulta parabolarum exquiret sapiens, &c.

25 Post concupiscentias tuas non eas, & à uoluntate tua auertere.

Concupiscentias inordinatas reprimere docet, & abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Caro concupiscit aduersus spiritum, ut non quæcunq; uultis faciatis. Non tamen omnis uoluptas interdicitur, sine qua multi actus liciti exerceri nõ possunt: quandoquidem & uirtutis cuiusq; actio suam secum adfert lætitiam. Sed indiscreta libido in omnibus fugienda, in cibo, potu, Venere, in cõiugio & risu. Naturalis enim delectatio per se culpa non est, sed excessus in uoluntate contra dei præcepta. Voluptas quoque non omnis mala est, sed quæ domini uerbo contrauenitur & peccatur, cum uoluntati diuinæ resistitur.

26 Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.

Si concupiscentiam carnis oculorumq; & superbiam uitæ secteris illis consentiendo, facile incides in peccata contra deum, de quo dæmones hostes humani generis gratulantur, & in damna rerum temporaliũ, de quibus cæteri tui hostes gaudere poterunt, secundũ dictum Dauidis: Qui tribulant me exultabunt si motus fuero. Exemplum est Samson, qui ob libidines quibus excesserat, factus est ludibrium & gaudium Allophilis, & sibiipsi excidium.

27 Ne oblecteris in turbis, nec in modicis assidua enim est commissio illorum.

Græci sic interpretantur: Ne oblecteris numis, nec pateretur tibi assiduam esse oblectationẽ. Seruandus est enim in omnibus quidem modus, sed maxime in oblectamentis carnis, ne numium uertatur in damnum. Sufficiat tibi potius moderata uoluptas, quæ & diu subsistere possit, & in tempore libidinis cogita de iudicio damnationis. Nostra sic exponuntur: Non gaudeas de multitudine consentientium tibi in omnibus, nec de societate paucorum maxime prauorum, in multis enim omnes offendunt. Modus seruandus.

28 Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & non est tibi nihil in sacculo: eris enim inuidus animæ tuæ.

Cauendum docet, ne ex abusu numio diuitiarum, quas assequi contingit ex fœnore & modicis laboribus, imprudens statim depauperetur, & tandem uacuo oberret sacculo, hominibus risui, sibi autem uerecundiæ futurus. Insuper & animæ tuæ, hoc est tibijpsi, inuidus esse uideberis, rerum tuarum nulla habita ratione.

CAPVT XIX.

1 Perarius ebriosus non locupletabitur: & qui spernit modica, paulatim decidet.

Operarium uocat, qui labore assiduo sibi uictum et in diem comparare cogitur ob tenuitatem rei familiaris, is si insuper ebriosus lucrum consumpserit, & à labore impeditur necessario sibi, is locupletari non potest. Sic & Salomon: Qui amat uinum & pinguia non ditabitur. Vacantes potibus & dantes symbola, consumentur. Multo grauius periclitatur qui non est operarius, sed otiosus & uino indulget. Adnectitur eodem contextu sententia alia insignis: Qui modica peccata uel etiã lucra spernit, paulatim decidet in grauiora peccata, & ditari nõ potest. Gregorius: Si curare parua negligimus insensibiliter seducti, audacter maiora perpetramus. Qui soluerit unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Operarius ebriosus.

2 Vinum & mulieres apostatare faciũt sapientes, & arguent sensatos:

3 & qui se iungit fornicarijs, erit nequam: putredo & uermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius.

Amor uini & mulierũ

Immoderatus usus & amor uini & mulierum, ipsos quoque qui fuerant sapientes decipit, & à deo auertit. Oseæ quarto: Fornicatio & ebrietas auferũt cor. Quarum rerum usus modestus satis comprobat et manifestat, qui sint sensati & animo fortes, non effœminati. Et qui se fornicarijs sociat, discet lasciuiam, procacitatem, & omnem inhonestatem ab illis. Ideo Paulus monet: Non commisceamini fornicarijs, & nolite iugum ducere cum infidelibus. Abbreuiabit uitam suam, uarie enim periclitabitur ebrietate & sodalitio criminosorum, ut ante tempus & præmatura morte intercipiendus, & infeliciter occidendus, futurus proximo putredo & uermis: sed et gehennæ fœtores, & conscientiæ perpetuam uermem experietur, qui dum uiueret fœtore & corruptione luxuriæ delectatur. Maius exemplum nominat publicum supplicium à magistratu indictum, publice enim talis ad aliorum terrorem punietur, ut tollatur de medio fidelium uita præuaricatoris, ut pestilente flagellato stultus aliquando sapientior fiat.

4 Qui credit cito, leuis corde minorabitur: & qui delinquit in animam suam, insuper habebitur.

Facile credens.

Credens leuiter sine ratione & authoritate, de quibus non constat uel fides reddi aut ratio non potest, is in circumspectionis suæ damna patietur, sibijpsi imputabit suam stultitiam, si lædetur ac decipiatur, agnatam sciens uel scire debens propensionem hominum ad mentiendũ, & ignorantiam multarũ rerum. Et qui delinquit in animam suam, errabit. Qui mendacio deceptus peccauerit, in suam perniciem peccat, sibi imputabit leuitatem animi sui, qui uerisimilia aut falsa pro ueritate amplexus est. Quod Latinus habet: Insuper habebitur, expositores fatigauit, cum sententiam non habeat, & in Græcis codicibus non habeatur quod his uerbis respondeat.

5 Qui gaudet iniquitate, denotabitur: & qui odit correptionem minuetur uita: & qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.

Multa perperam agimus nolentes & per ignorantiam, pro quibus indulgentiã promeremur: qui uero data opera, studio & uolentes, imò gaudendo peccant, & lætantur quum malefecerint, hi nota damnationis afficientur, hoc est, ut Græci habent, damnabuntur, iusto omnium iudicio. Et qui emendari & admoneri non sustinet aut corripi, sed odit arguentem, prorsus incorrigibilis, tandem in insolentia proficiens & excedens, uita priuatur magistratus iudicio, uel uiolẽta morte interceptus, incautus aut uiolentus. Hic quidam codices Græci consequenter habent: At resistens uoluptatibus coronat animam suam, hoc est, qui ratione, non libidine ducitur, is sibi honorẽ comparat apud deum & homines. Et sic sequitur: Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Ex loquacitate mala plura causantur, odium, rixæ, contentiones, error, mendacia: quam qui odit, cuncta huiusmodi mala extinguet. Vnde Iacobus: Vniuersa iniquitas lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus. Sicut uentus aquilo dissipat pluuias, sic facies tristis linguam detrahentem. Si non esset auditor, non inueniretur detractor.

6 Qui peccat in animam suam, pœnitebit: & qui iucundatur in malitia, denotabitur.

Hunc uersum Græca exemplaria non habent. Eundem sensum habet cum proximo præcedente, sed per transpositionem, uideturq; translator dupliciter reddidisse eandem ex Græcis sententiam. Peccata habenti sequentem se illico pœnitentiam, & duplo peccat qui se peccasse non dolet.

7 Ne iteres uerbum nequam & durum, et non minoraberis.

Parcitatem in uerbis docet, ut non minuatur loquentis authoritas. Nam additur in Græcis: Nequam & durum: Quod delictum aggrauat, si uerba malitiosa & detractatoria effutiantur, idq; non semel sed sæpius: inde enim seditiones excitantur, cædes, & urbium clades. A talibus autem si tibi temperaueris, in gratia hominũ proficies, & fama honorifica. Contumeliosum uerbum si dixisti non repetas, facilius imprudentiam elues quàm nocendacium pernicioſum.

8 Amico & inimico noli narrare sensum tuum: & si est tibi delictum, noli denudare: audiet enim te, & custodiet te, & quasi defendens peccatum odiet te, & sic aderit tibi semper.

Non pandas indifferenter & inconsulte secreta proprij tui amico et inimico, sed soli amico: nec omnibus eo, sed tantũ fideli, probato & ueteri. Et si tibi confessus es delictũ uel criminis olim designati quacunq; ratione, non confitearis illud amico non certo, imò nulli prorsus hominũ: ne pro illo tempore etiam ex animo amice agens & boni consulens, pro hominum instabilitate & corruptione olim mutatus in hostem uel irritatus scelere aut uerbo, auditum à te uerbum obseruet in pectore, & ansam arripiat aliquando te prodendi ex obliquo, etiam sub specie consilij & auxilij. Innumeræ enim sunt imposturæ humani ingenij, & inconstantia inter amicos crebro nocet, & litium fomenta ministrat. Quod additur ultimo: Et sic aderit tibi semper, in Græcis non legitur.

9 Audisti uerbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.

Vbi diffamiam audieris contra quemcunq; proximũ tuum, unde damnũ in rebus uel honore incidere possit, uide ut citius cõmoriatur intra te, eatenus ut nec tu reneas credens, aut alijs credenda referens. Non tamẽ prohibetur quin amicum ubi commode poteris sine alicuius accusatione uel rixa admoneas, ut sibi prospiciat, uel emendando quod praue gestum est, uel in posterũ cauendo ne fiat, uel excusandi ubi licuerit salua pace. Intendit autem docere, ut ab omni delatione criminũ & detractione caueatur. Secreta enim huiusmodi non tibi obernabunt si tacebis: multum uero nocebunt si disseminaueris.

10 A facie uerbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis.

Stultũ se prodit, qui ex audita diffamia alicuius procedit ad immaginandum & fabulandum de illa, celeriter

non potens. Veluti parturiens mulier cum dolore partum emittit, sic improbus aut stultus detractor testatur se cum dolore eloqui quod audiuit. Sapiens autem nouit à multis multa confingi, & mendacia ipsa uires procedendo adsumere, ideoq; incerta pro ueris non loquitur, maxime ubi proximi fama periclitatur.

11 Sagitta infixa femori canis, sic uerbum in corde stulti.

Vt impatienter fert canis infixum sibi iaculum, latrat autem & inquietus discurrit, sic stultus audito uerbo diffamiæ uel probri in proximum impatienter illud retinet, imò continere diu non potest loquax & perfidus, sed festinat passim effundere, et multos reddere inquietos, nec quiescere potest donec effuderit. Sagitta uulnerans lingua eorum, Iere. 9.

12 Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat: Nõ feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere.

Cum certo noueris amicum peccasse enormiter & cum scandalo, corripe eum, obseruato ordine charitatis inter te & ipsum solum, iuxta præceptum Christi, ne forte ignoret aut nõ aduerterit se peccasse, & dicat non se fecisse quod fecit, uel saltem admonitus delicti, post hac tanto diligentius sibi temperet, ne faciat uel addat priori. Amicum autem corripe qui te nouit fautorẽ & amicabiliter ne irritetur.

13 Corripe proximum, ne forte non dixerit: & si dixerit, ne forte iteret.

Multis uerbis prosequitur doctrinam apprime necessariam, ut frater fratrem adiuuet, & de eo se curam habere debere credat. Vnde quod prius de facto proximi monuit, nunc de uerbo. Corripere autem hic aliud non est quàm monere, & de fama rei illicitæ uel uerbi diligenter conuenire, ut sciat si dixit quod accusatur an nõ: fortassis enim non dixit, uel non eadem figura dictionis usus est, facilis est enim inuersio uerbi ab hostibus. Si uero agnouerit se dixisse quod non conuenit, admonendus est ne iteret culpam.

14 Corripe amicũ: sæpe enim fit commissio: & non omni uerbo credas.

Omnino monendus amicus est, sed amice, quoties meretur aut charitas dictat uel iustitia, sed ad ædificationem, non ad simultatem. Fraterna enim correptio eleemosyna est spiritualis, & non intermittenda tempore opportuno. Sæpe enim fit commissio mali aut omissio boni, cum sit de utroq; proximus admonendus. Græcus habet: Sæpe enim fit calumnia uana, ut nihil frequentius dicatur quàm falsitas et detractio pro re nihili uel falsa. Et non omni uerbo credas, sæpe enim mentiuntur homines uel decipiuntur iudicijs. Longe difficilius credendum est uerbis accusationum detractionum & diffamationum, quàm quæ ad gratiam dicuntur & pacem.

15 Est qui labitur lingua sua, sed non ex animo.

Facile in uerbis exceditur, etiã ubi animus nihil uult mali, sæpe obrepit ignorantia, simplicitas credit non semper credenda, facile imponitur innocentibus, & his qui mentiri nesciunt, ut credant alios quoq; nolle mentiri.

16 Quis est enim, qui non deliquerit in lingua sua?

Multifariam peccatur in lingua, dum uel omittitur quod fuerat dicendum, uel exprimitur quod est tacendũ, deniq; adulando, detrahendo, mentiendo, falsum testimonium ferendo, deridendo, uana cantillando, turpia, uana, otiosa aut perniciosa loquendo, propter quæ et alia multa Iacobus apostolus dicit: Linguam nullus hominum domare potest, est enim inquietum malum, plena ueneno mortifero: unde & perfectum pronuntiat qui non offendit in lingua. Linguæ peccata.

17 Corripe proximum antequam commineris.

Omnibus modis amico curandum, ut amici peccantis fama non lædatur, nisi ubi cogit desperatio resipiscendi, post omnia prius tentata remedia: secrete ergo corripias, noli publice traducere uelle, ut confundatur coram multis, & perdat bonam existimationem, qua nihil pretiosius: aut in iudicium pertrahatur, unde nõ redit absq; ignominia, homo uerecundus & non prorsus iniquus.

18 Et da locũ timori altissimi: quia omnis sapientia timor dei, & in illa timere deum, & in omni sapientia dispositio legis.

Nolis te de omni illata tibi iniuria uindicare, nec omnium hominum uitia ad calumniam uel uindictam protrahere maxime quæ publica non sunt, da potius locum uindicandi mala altissimo, cuius est emendare mala, & conuertere in bonum. Time altissimum, ut nolis agere contra uerbum eius, uelle sic fratrem corrigi, ut fragilitatis humanæ nihil memineris: multa enim dissimulanda inter amicos, et iracundia propter nulla admittenda est. Omnis sapientia timor domini, hoc est, absq; timore dei nihil est uel ualet uniuersa eruditio. Timere deum & humiliter colere uera sapientia est, nec aliquid ad sapientiam ueram pertinens, ad animarum salutem, & ad reipublicæ conseruationem tranquillam, obmissum est in lege, uel in uerbo domini desideratur. Omnibus tradita est lex dei, quæ summatim perstringitur in decalogo mandatorum, qui declaratus est per prophetarum oracula & latius explicata. Ceremonialium lex Iudæorum est, & ad tempus. Timor dei.

19 Et non est sapientia nequitiæ disciplina: & non est cogitatus peccatorũ prudentia.

Sapientia non est nec dici meretur calliditas faciendi mala, uera enim sapientia pudica est & pacifica, non fallax, uersuta & uulpina. De qua Isaiæ quadragesimoseptimo: Sapientia tua decepit te. Prudentia quoque peccatorum, hoc est promptitudo agendi mala, non meretur dici cogitatus dignus homine bono, sed prudentia carnis mors est, & inimica deo, legi enim dei non est subiecta. Sapientia uera.

20 Est nequitia, & ipsa execratio: & est insipiens qui minuitur sapientia.

Sapientia quam impij iactant & præferunt fidei, non est nisi quedam execratio et abominatio coram domino, et ipsissima insipientia: Quanquam autem æqui- Sapientia impiorum.

tatem & eruditionem simulent, duplex tamen inuenietur & inquitas et stultitia. Putant enim se sapientes esse quum stulti sint, ut dicit apostolus Paulus Romanis. Non enim meretur quæcunq; sæcularis eruditio sapientia dici sine timore dei, qui fidem et charitatem includit. Ideo sequitur:

21 Melior est homo qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore dei, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem altissimi.

Melior est honesta & religiosa conuersatio, & bona uita sine scientia & eruditione insigni, quàm scientia clara & ampla cum uita irreligiosa, & cum sæculari animo uacante timore dei. Quin potius contra dominus asserit: Seruus qui cognouit uoluntatem domini sui & nõ fecit, plagis uapulabit multis. Et: Cui plus datum est, plus requiretur ab eo.

22 Est solertia certa, & ipsa iniqua.

Solertia.

Ingeniosi quidam sunt ad excogitandum rationes pro quouis proposito confirmando, æque iniusto & falso atque sancto & uero. Et id solertiam uocant, quæ domino nõ placet, sed simplex ueritatis cognitio cum mente timorata: non enim expedit sapientes esse ad malum, sed ad bonum: non ad deceptionem, sed ad ædificationem ecclesiæ.

23 Et est qui emittit uerbum certum enarrans ueritatem.

Laudanda potius ea eruditio est, qua aliquis potens est simplicem ueritatem certis & solidis scripturis aut rationibus enarrare & persuadere fidelibus, qui conuersationem sanctam & uitam placentem deo eruditioni coniungit.

24 Est qui nequiter humiliet se, & interiora eius plena sunt dolo:

Humilitas ficta.

Sunt quidem sed diligenter cauendi improbi homines, qui humilitatem insignem & modestiam uerbis ostendunt & habitu corporis, ut ab hominibus sancti habeantur & honorentur, interiora autem conscientiarum suarum plena sunt fastu & præsumptione sanctitatis quam non habent, dolo quoque quo decipiunt homines, ut sunt omnes hypocritæ, qui se iustitiæ titulo uenditant eis à quibus reportant diuitias uel honores. De quibus saluator dixit: Attendite uobis à falsis prophetis qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

25 & est iustus qui se nimiũ submittit à multa humilitate: & est iustus qui inclinat faciem suam, & fingit non uidere se quod ignoratum est.

Fieri potest, ut sit quisquam nimium deiecto animo, ut non audeat uel tentare uelit arduum opus aliquod pro gloria dei & proximorum salute, quum id per gratias gratis sibi datas à domino posse uidetur, nolens periclitari uel laborare, sed in tuto consistere & otiari. Sed illo deterior quoq; est, qui non ex humilitate, sed hypocrisi maiorem se uideri cupit, doctiorem & sanctiorem quàm sit, quum longe aliud uersetur in pectore, qui & fingit se non uidere delicta aliorum, uel non approbare, sed immunem esse à flagitijs aliorum. Vel proximius ad Græcum: Surdum se simulat ubi cognitus fuerit, hoc est, conatur tibi non innotescere, non uult se uideri à te esse quod est. Sufficit illi ut malus sit, tantum ut à te bonus habeatur. Et hæc est uera deo & hominibus odiosa hypocrisis.

26 Et si ab imbecillitate uirium uetetur peccare, si inuenerit tempus malefaciendi, malefaciet.

Tales hypocritæ fingunt se ad peccandum ineptos, & nihil tentare luxu, gula uel fastu, & id aliquandiu præstant, ut hominibus appareant & sancti. Vbi uero primum occasionem nacti fuerint caute & sine dissimia publica peccandi, nihil obmittunt, sed sunt seruentiores ad malum, superbiores ad fastum, petulantiores ad luxum, amariores ad odium, effusiores ad commessationem & gulam, omnia enim finxerant, & synceritatem nullam habuerant.

27 Ex uisu cognoscitur uir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.

Vix membrum in corpore est, quo cordis affectio clarius proditur quàm ex oculis: lasciuus enim & uagabundus oculus impuri & libidinosi cordis est nuntius. Timor quoq;, tristitia, tranquillitas, audacia, & temeritas omnia apparent ex oculis. Sed & sapientia conijcitur hominis ex apparatu uultus, in quo ut plurimũ probabiliter proditur maturitas, honestas, & simplicitas, quando omnes exteriores sensus amplius uigent in facie, ubi & sedes est pudoris. Hinc scriptum est Prouerbiorum decimoseptimo: In facie prudentis lucet sapientia, oculi autem stultorum in finibus terræ. Et rursus: Quomodo in aquis resplendent uultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Prouerbiorum uigesimoseptimo.

28 Amictus corporis, & risus dentium & ingressus hominis enuntiant de illo.

Insolens, curiosus & fastuosus amictus, & ornatus uestium, dissolutus quoq; risus, ut dentes quoq; sine maturitate appareant, indecens etiam incessus & pomposus uel pertinax, leuisq; motus corporis. Hæc, inquam, omnia enuntiant de homine quid mentis habeat uanitatem cordis & insipientiam produnt & lasciuiam, fitq; frequenter ut unde uani homines sibijpsis placent stulte, & ab alijs quoq; laudem cupiunt & admirationem, inde reportent dignissimam omnium irrisionem, contemptum & odium.

29 Est correptio mendax in ira cõtumeliosi: & est iudicium quod non probatur esse bonum: & est tacens, & ipse est prudens.

Correctio proximi non omnis est utilis, quia non omnis prudens & sensata: sunt enim qui corripiunt proximorum uitia cum obiurgationibus, ira, & contumelijs, & item non suo loco & tempore, illi nihil proficiunt, sed operam ludunt. Ira enim uiri iustitiam dei non operatur. Quicquid enim irato laceratoq; animo dicitur,

tur, furor est obiurgantis, non charitas corripientis. Vera autem correptio ex charitate procedens & æquitate, cum modestia & tranquillitate, proficere potest. Iudicium quoque non omne bonum est, est enim quod fit temere per suspicionem, usurpatorium non legitimum & rationabile, dum de incertis sententia certa pronuntiatur, contra saluatoris doctrinam, dicentis: Nolite iudicare & non iudicabimini. Prudentiæ autem signum peculiare est taciturnitas, dum sine ratione & fructu homo non loquitur. Tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Non rigidum censorem esse in facta aliorum, sed proprios potius contemplari defectus, unde ab aliorum iudicio abstrahatur. Sed & qui stultus est, si tacere potuerit, sapiens existimabitur. Græcus habet: Est correptio quæ non est pulchra: est quoq; tacens qui & prudens.

CAPVT XX.

1 QVàm bonum est arguere, quàm irasci: & confitentem in oratione non prohibere.

Arguere in occulto.

Honestius & utilius est peccantem discrete & seriose corripere in occulto, hoc enim Græcus addit, quàm eidem procaciter superbeq; irasci, aut insultare. Idipsum Apostolus docet: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans teipsum ne & tu tenteris. Sic Prouerbiorum uicesimo octauo: Qui corripit hominem, gratiam postea inuenuet apud eum, magis quàm ille qui per blandimenta decipit. Si quis uero arguatur de excessu, & eum confiteri non recusat, sed humiliter agnoscit delictum, is non minuetur, hoc est abijcietur ut iniquus uel damnandus. Græcus dicit: Non prohibebitur à diminutione, dignus uidelicet, cui delictũ indulgeatur, pro liberalitate ingenij honesti.

2 Concupiscentia spadonis deuirginauit iuuenculam: sic qui facit per uim iudiciũ iniquum.

Impudicus ex concupiscentia eunuchus uitiare quidem iuuenculam potest, sed sine spe prolis aut fructus: sic qui sola potestate sine iure uel modestia, aut immoderato rigore corripit proximum, lædit potius illum, & perturbat uiolando iustitiam & charitatem sine omni fructu iustitiæ & emendationis uitæ. Quandoquidem uero nedum corripiens sed & correctus discretionem prætendat necesse est, ideo sequitur:

3 Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiã: sic enim effugies uoluntarium peccatum.

Si quis de peccato correptus humiliter suam culpam agnouerit, & sese pœnitere de facto syncere profitetur, is se inuitum & non ex malitia errasse ostendet, indulgentiam promptius impetrabit. Hinc dicitur: Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam, qui autem acquiescit arguenti glorificabitur. Hæc sententia non legitur in Græco hoc loco, sed post uersum septimum.

4 Est tacens, qui inuenitur sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendum.

Adhuc prosequitur de moderatione linguæ ostendens quæ sit laudanda taciturnitas, quæ scilicet in loco et tempore adhibetur. Qui enim moderatur labia sua sapiens est. Odibilis autem est deo & hominibus, qui præcipitanter, proterue, uel numis multa loquitur. Vtinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. Loquax autẽ, quid dictum prosit uel obsit non aduertit, grauat auditores, uanitatem suam prodit, ideo non dirigetur in terra.

5 Est autem tacens, nõ habens sensum loquelæ: & est tacens, sciens tempus aptitemporis.

Taciturnitas.

Non omnis est laudabilis taciturnitas, quod sint qui conscij suæ imperitiæ, indiscretionis, & ignoratiæ, loqui non audent, & uel in hoc laudem merentur, quod laude se putant indignos, modestiam saltem exhibentes, cum sint nihilominus quidam inepti ad loquendum, qui tacere non possunt. Sed sunt insuper qui tacent sapienter, & de industria, donec aptum loquendi tempus intelligant, de quo in Prouerbijs: Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur uerbum in tempore suo.

6 Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lasciuus autem, & imprudens nõ seruabit tempus.

Eadem fermè alijs uerbis. Qui sapiens est, nõ ex impetu passionum prorumpet in uerba, sed aptum loquendi tempus expectabit, mature loquetur & utilia. Petulans autem aut lasciuus importune loquitur, & loquendo excedit, quia mente distractus ad plurima, non illi uacat de singulis cogitare, ut præmeditata ordine loquatur, sed confundet orationem, impediet audientium profectum & intellectum.

7 Qui multis utitur uerbis, lædet animam suam: & qui potestatem sibi sumit iniustè, odietur.

Verbã superflua.

Superfluus in uerbis non uitabit offensam. Dicitur autem uerbis multis uti, non qui diu loquitur, dum aliquando causa poscit & necessitas, sed qui non appositè loquens, inutilia repetit & impertinentia miscet. Lædit huiusmodi animam suam, secundum illud, Prouerbiorum uicesimoquinto: Sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita uir qui non potest cohibere loquendo spiritum. Constat quod uerbosus multa incurrit damna animæ, & sæpe etiam temporalia. Vbi uerba sunt plurima ibi frequenter egestas. Qui sibi potestatem usurpat docendi, iudicandi, præsidendi, non uocatus legitimè, is ut ambitiosus, iniustus, & uiolentus odietur. Nemo autem iustus assumit sibi honorem, sed qui uocatur à deo, tanquam Aaron.

8 Est processio in malis uiro indisciplinato, & est inuentio in detrimentum.

Fortunæ incertitudo.

Non raro prospere agunt res suas homines impij, ne ex huius uitæ fortunis pietas uel felicitas æstimetur, ut opinabantur amici Iob. Contra quoq; fieri solet, ut qui felicissimi erant in hoc mundo, fiant uolubilitate fortu-

næ infeliciſſimi. In hanc ſententiam inclinat Græcus, qui habet: Eſt beneplacitum uiro peccatori in malis, & eſt inuentio in diminutionem. Noſtri ſic exponunt, Iniqui procedunt de malo in peius, & quotidie noua inueniunt uel excogitant mala ſibi in detrimentum.

9 Eſt datum quod non eſt utile: & eſt datum, cuius retributio duplex.

Munus inutile. Contingit donari munus quod inutile eſt danti, ſi ex uanitate uel libidine detur, accipienti quoque ſi bono abutatur. Sic uiri Sichem improbo Abimelech dederunt ſeptuaginta pondo argenti, quibus uiri uagi conducti & inopes, crudeliſſimæ cladis ſeptuaginta uirorum pernicies eſt perfecta. Sic ſi quis ſacrificia offerat de bonis pauperum. Dona quoque improborum, non probat altiſſimus. Et eſt datum cuius retributio duplex, nempe ex charitate & pietate profectum, homini quoque pio & grato. Sic enim donans recipit uicem tam à deo quàm ab homine.

10 Eſt propter gloriã minoratio: & eſt qui ab humilitate leuabit caput.

Sunt qui pro ambitione ſua qua aſſecuti ſunt gloriam & poteſtatem, tandem iterum deijciuntur & pereunt. Exempla multa in regibus Iſraelis & gentium. Non eſt enim nec ſtabilis nec tuta poteſtas in hoc mundo. Dominus enim detrahit ſuperbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam perducit inclytos terræ. Iſaiæ uiceſimotertio. Contra autem, quidam ab infimo ſtatu promouentur ad ſtatus ampliſſimos, & tandem ad regnum cœlorum. Suſcitans de puluere egenum, ut ſedeat cum principibus.

11 Eſt qui multa redimat modico pretio, & reſtituens ea in ſeptuplum.

Auaritia. Non bene ut plurimum cedit auaris, qui modico pretioſa & multa emunt, & bene ſe lucratos gloriantur, ſiue id iuſte agere potuerint ſiue inique. Nihil enim cogitant niſi lucrum, de iuſtitia nihil ad eos, niſi profit rei familiari. Is iuſto dei iudicio cogitur reddere ſeptuplum, non raro etiam in præſenti, dum ſubito accidunt damna rerum, quæ longo tempore collegerat, & amittit collecta, cum ſumma ignominia et clade. Quod ſi id non eueniat in præſenti, expectandum tamen erit in futuro, ſi non ſibi, ſaltem poſteris.

12 Sapiens in uerbis ſeipſum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum effundentur.

Qui utilia, gratioſa, & iuſta agit et loquitur ſapiens eſt, & acceptus ſit non immerito hominibus, ſed prudentibus & beneuolis, alioqui ueritas nõ raro odium parit. Qui dulcis eſt eloquio, maiora reperiet. Gratiæ autem fatuorum, hoc eſt beneficia inſipienter facta & uerba blanda in caſſum exponuntur.

13 Datus inſipientis nõ erit utilis tibi: oculi enim illius ſeptemplices ſunt.

14 Exigua dabit, & multa improperabit: & apertio oris illius inflammatio eſt.

Donum ab inſipiente. Donum quod ab inſipiente & iniquo defertur, tibi utile non erit, ſed pernitioſum & infauſtum. Data enim improperat, uel te datis deuincit, ut inhoneſta quoque illi uix audeas negare officia, honeſta enim non petit. Exiget enim uiciſſim multo plura, quia fatuus eſt, et minime liberalis, intentio eius dolos meditatur multiplices. Huius quoq; obſcurioris ſententiæ mox clara ſubiungitur explicatio. Exigua, inquit, dabit & multa repetet, quæ ſi minus reddantur ad uotum, exardeſcet in iram & furiam. Sicut enim carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. De hac improperatione etiam in ſuperioribus dixerat.

15 Hodie fœneratur quis, & cras expetit, & odibilis eſt homo huiuſmodi.

Illiberale eſt & indignum homine pio accommodare re egentibus uel amicis & ſtatim repetere, hoc eſt numium cito. Si enim dies eſt fœnerator, expectare debuerat tempus oportunum amico, quando reddendo poſſet. Si pauperior erat, & ſua illa re neceſſaria egebat, mutuare alteri non debuerat. Charitas enim eatenus ordinata eſt, ut non iubeat alteri ſuccurrere cum proprio detrimento.

16 Fatuo non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius. Qui enim edunt panem illius: falſæ linguæ ſunt.

Amicitia uera, ſancta, & perpetua durare non poteſt, niſi inter ſapientes, nemo ergo diu fatuo amicus erit. Idem de auaro uel prodigo ſentiendum, utrique enim uirtuoſi non ſunt. Etiam ſi bona plurima largiatur, & prodigus ſit, non tamen durabit illius amicitia. Similis enim ut luna mutatur. Sed et omnes qui ſeſe illi comites & ſales adiungunt ſtulti eſſe coguntur, quia adulatores & mendaces niſi ſint, non diu amici durabunt menſæ, non enim redarguere audebunt qualiacunq; etiam iniquiſſima uerba uel opera eius.

17 Quoties & quanti irridebunt eum?

18 Neque enim quod habendum erat, directo ſenſu diſtribuit: ſimiliter & quod nõ erat habendum.

Vtcunque multos amicos menſæ habeat dives ſtultus & prodigus, frequenter tamen licet occulte, in multorum cordibus irridebitur, & nullos ſeruare poterit amicos ueros, propter ſtultam & prodigam decoctionem bonorum ſuorum. Non enim didicit, uel annititur conſeruare prudenter, quæ aliquando habenda ſunt ad neceſſarium uſum, quæ pariter cum ſuperfluis diſſipabit. Et quæ donat pro ſtultitia ſua, non pauperibus & piis dat ſed riualibus, impijs, ſtultis, & minime indigentibus. Et quæ male acquiſierat, quæq; iuſto titulo poſſidere non poterat, hæc ſibi potius reſeruat, quàm ut pro ſapientia & probitate reſtitueret quibus ablata erant. In ſumma enim dat ubi retinendum erat, & retinet ubi dandum, quia ſtultus.

19 Lapſus falſæ linguæ, quaſi qui in pauimento cadens: ſic caſus malorum feſtinanter uenient.

Verba hominis iniqui & mendoſi grauiter ledunt

sicut grauiter læditur qui cadit in pauimentum lapide stratum. Os enim quod mentitur occidit animã. Sic quomanter ueniet, unum alterum solicitante. Nec diu duraque malorum hominum casus & ruina in crimina festibit impunitas, cum enim minime putabunt superueniet eis repentinus interitus. Huic enim exemplo ueniet perditio sua, et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam, Prouerbiorum sexto.

20 Homo acharis quasi fabula uana: & in ore indisciplinatorum assidua erit.

Qui gratia & humanitate caret, improbus & durus, sine ueritate loquitur & agit omnia, deum non uerenim in fabulis, ineptisq; sermonibus, quo fit ut dum nonnunquam etiam uera loquitur, nul illi credatur. Idq; non tantum à sapientibus, qui quid loquatur attendunt & condolent magis, sed & socij quoque illius assidue illi applaudentes non credunt, sed rident. Sit ergo piorum sermo gratia salitus ut ineptas & uanas fabulas deuitent.

21 Ex ore fatui reprobabitur parabola: nõ enim dicit illam in tempore suo.

Parabola dicta ab insipiente, uel doctrina quæcunque uituperabitur ab auditoribus sapientibus, non enim opportuno illam tempore loquitur. Est enim tempus loquendi & tacendi, docendi & audiendi. Docendi quidem cum quis bene didicerit, quæ in ecclesia proferre uelit, secundum disciplinam Pythagoricam per quinquennium tacendi, & postea eruditos loqui, unde Hieronymus: Nihil nobis rectum uideatur, nisi quod didicimus, & post multum silentium efficiamur magistri. Hactenus de peccatis oris, nunc cordis.

22 Est qui uetatur peccare præ inopia, & in requie sua stimulabitur.

Sunt qui peccare obmittunt non alia ratione quàm quia non possunt, ut cum pauper ad usuram commodare non potest, quando sola paupertas retrahit ab opere uitioso: unde & multi se de iniuria uindicarent, nisi uirium inopia arcereneur. Isti tamen à cessatione turbantur, dolent enim se non posse quod uellent, quorum apud deum uoluntas reputabitur pro opere, qui non tantum opus sed & concupiscentiam malorum prohibuit, quæ impios incessanter exagitat. Non est enim pax impijs dicit dominus. In requie sua stimulari, est cum cordis amaritudine abstinere à malo quod prosequi nõ permittitur.

23 Est qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti persona perdet eã: personæ autem acceptione perdet se.

Inueniuntur plerique qui perdi malunt quàm confundi, qui peccare leuius ducunt in deum quàm apud homines erubescere, qui ueritatẽ declinare malunt, quàm hominum fauore destitui. Qui per insipientiam suam à salute excidere uolunt, tantum ut acquiescere melioribus non coganutur, uel cogi uideantur. In Græcis legimus hoc solum: Est qui perdit animam suam propter uerecundiã, & ab acceptione personæ perdet eam. Quod abundat in nostris, explicationis gratia aliter repetitum uidetur, uel pro exemplariorum uariatione adiectum.

24 Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis.

Promissio fallax.

Sunt qui proximo suo promittunt quædam non serio, sed quia negare uerentur, honoris uel amicitiæ gratia, ne tenacitatis arguantur. Hi si non reddiderint, prõ nihilo inimicum fecerunt, & se mendaces constituerunt, dum opus non erat. Si uero reddiderint, fidem tantum liberarunt, sine fructu obtenti fauoris, non enim tunc accipitur ut donum, sed ut debitũ. Satius est ergo non promittere, & liberaliter amico gratificari rogatum, quàm beneficium ingerere sine causa: putent enim uoluntariæ merces, minusq; gratum fit quod non curanti ingeritur pro gratia aucupanda, dum gratum esse non certo agnoueris. Denique præstat non promittere, quàm promissa non reddere.

25 Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assidue erit.

Mentiendi consuetudo graue hominu opprobrium habetur, unde & infamem reddit, & omni fide indignum, ostenditq; dissolutum ab omni honestate, qui ueritatis curam non habeat, cum silere non possit, malitq; mentiri.

26 Potior fur quàm assiduitas uiri mendacis, perditionem aũt ambo hæreditabunt.

Mendacis & furis cõparatio.

Longe detestabilior est & iniquior mendosus homo quàm fur: ueritati enim aduersatur directè qui mentitur & fidem derogat humanis negotijs, omnia confundit, & tollit concordiam, obest multum proximis, quibus per mendacia imponitur, ut sibi mutuum aduersentur. Furto autem res tantum possessa & corporalis amittitur, quæ facile recuperari potest. Quia uero utrunque pacem turbat & fidem, isti ambo hæreditabunt perditionem, damnationem æternam, nisi emendentur, fur & mendax, iuxta illud Apocalypsis uicesimoprimo: Timidis, & incredulis, & execratis, & omnibus mendacibus pars erit in stagno ardenti igne & sulphure, qd' est mors secunda. Vnde prouerbiorum sexto: Non est grandis culpa cum quis furatus fuerit, &c.

27 Mores hominum mendacium sine honore: & confessio illorum, cum ipsis sine intermissione.

Mendaces odiosi.

Ignominia de more sequitur homines mendaces, ut ad nihil utiles habeantur, sed exosi omnibus, & explosi ab honestorũ republica, tanquam omni honore indigni. Et confusio illos manet perpetua, tam in hac uita quàm futura, iuxta illud: Perdes omnes qui loquuntur mendacium: & qui loquitur mendacia peribit. Quanta autem ignominia digni sunt, qui ex mendacijs uiuunt, mendacijs patrocinantur, & honorantur ex perfidia, ut sunt qui scienter uexbo domini contradicunt, ut quæstu improbo non fraudentur.

28 Sapiens in uerbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis.

Ex uerbis sapientiæ promouetur sapiens ad honorem

& profectũ: ostendunt enim uerba foris quid lateat intus. Non tamen ob id loquitur sapienter, ut sapiens reputetur, non uult promoueri ad ardua qui sapiens est, sed consentire humilibus, prodesse pijs, & dei gloriam inter homines promouere. Et homo sapiens utilis erit præsidentibus & regnum tenentibus, qui ipsorum consilio et auxilio dirigantur & suffultiantur. Sunt enim principum oculi, quos præstat habere quàm plurimos. Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum, habebit amicum regem, nempe bonum, non impium, quibus prudentes & pij oneri sunt, suspicantibus falso & stulte suo se honore priuari.

Sapiens nõ ambitiosus.

29 Qui operatur terram suã, inaltabit aceruum frugũ: & qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur: qui uero placet magnatis, effugiet iniquitatem.

Sicut qui exercet agrum suum et colit, magnam messium frugem colligit & importat, saturabitur enim panibus: sic qui iustitiam operatur, exaltabitur. Iusti enim fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Sed & à principibus & plebe sæpius honorantur. Isti quoque studebunt, ne reges & magistratum offendant, ne de iniustitia arguantur uel conuincantur. Veruntamẽ secundum iudicem populi, sic & ministri eius, unde & rex iniustus omnes ministros habet impios.

30 Xenia & dona excæcãt oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum.

Munera priuato amore inficiunt iudices, retrahũtq; à debita correctione reorum, à decreto iustæ sententiæ, & ad innocentium reprobationem. Victoriam enim & honorem acquiret qui dat munera. Sed & ab increpatione prauorum facit eos silere, quasi iniecto freno ne os aperiatur ad iudicium ueritatis. Ignis autem deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Vbi nos mutum habemus, Græcus frenum legit, uel obturationem. Nostri omnes post Strabonem mutum eam faciunt ranæ speciem, quæ in os canis proiecta admit latrandi potentiam.

Munera iudices decipiunt.

31 Sapientia absconsa & thesarus inuisus: quæ utilitas in utrisque?

Sapientia de rebus humanis uel diuinis in homine nihil utilitatis habet, nisi profit in gloriam dei uel salutem animarum, non magis quàm thesaurus absconditus, ab omnibus ignoratus uel neglectus, qui si in usum seruiret pluribus, continuo incremento augeretur. Si uero sapiẽs sic contemplationi insistat, ut ad aliorum profectum non respiciat, domino suo non seruit, non enim usuræ applicat talentum sibi creditum. Non conditio & casus adijcitur in quo absconditi liceat, & ut ad propriã utilitatem uel meritum applicetur donum dei. Denq; nullum proprie donum dei est, quod non sit à domino gratis datum.

Sapiẽs prodest multis.

32 Melior est qui celat insipientiam suam, quàm homo qui abscondit sapientiã suã.

Qui sic insipientiam suam celat, ut putetur sapiens, is hypocrisis uitio obnoxius est: sed sine noxa habetur, qui insipientiam celat ideo ne reprehendatur, uel aliquem offendat. Qui uero sapientiam à deo sibi datam etiam non sine labore sic abscondit, ut eam inuideat reliquis, & ad usuram non proponat, gloriæ dei zelum nõ habeat, quam cupiat toto pectore sua sapientia adaugeri, uel profectui ecclesiastico insudare, proximo prodesse ex animo, is malus est, seruus nequam pronuntiabitur, & uapulabit multis.

CAPVT XXI.

1  Ili, peccasti? nõ adijcias iterum: sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur.

Pro humana fragilitate absque peccatis uiuere nemo potest. Non est enim homo qui faciat bonum & non peccet. In multis quoq; omnes offendimus, nihilominus tamen filij appellamur, si peccati pigritiã ut cupiamus nõ admissum, & minime in eo perseuerare, aut addere peccatũ peccato, sed magis dominum deprecari, ut ignoscat, iuxta illud: Remitte nobis debita nostra, &c. Dimittuntur autem peccata, si non impunitum à domino, si toto corde displiceant, si pro indulgentia ex animo oretur, si dominus nõ pergat punire ex ira, sed ad exercitium solum.

2 Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa suscipient te.

Quemadmodum à colubro corpus inficitur, sic anima à uitijs. Quanto ergo nobilior est anima corpore, tanto studiosius fugienda peccata sunt quàm uenena. Sunt uero peccata quædam quæ tantum fugiendo uincuntur. Fugite, Apostolus inquit, fornicationem. Quam fugere etiam significet abhorrere ex animo, non tantum peccatum sed etiam occasiones peccandi. Si enim suggestionem dæmonis aut carnis per consensum admiseris, tua te statim delectatione allicient, inuoluent, pertrahent, latim habitu uitioso, dicente Iacobo: Vnusquisq; tentatur à propria concupiscentia abstractus et illectus. Cum concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum uero mortem generat.

3 Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum.

Non perniciosius conterunt ossa hominum dentes leonis, & confringunt crudelius, quàm animam hominis perimunt peccata, & morti culpæ & desperationi uoluunt, nisi gratia dei per Christum succurrat. Sicut dentes leonis occidunt corpus, sic culparum uenena animam inficiunt, percutiunt, & occidunt. Animam autem hominis occidi aliud non est, quàm esse in odio dei, imò magis proprie de dei circa se gratia desperare, nec fides in merita passionis Christi succurrat & uiuificet denuo, & uerbo consolationis Euangelicæ pascatur, quo dicitur, propter peccatores Christũ uenisse in mundum, ut eos à peccatis absoluat.

4 Quasi romphea bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.

Iniquitas omnis quæ contra dei uoluntatem admittitur, omnem ex parte lædit & necat peccantem, non minus quàm bis acuta romphea, hoc est utrinque secans, ...

mam scilicet et corpus, ad gehennæ mortem pertrahens. Vnde & insanabilis est plaga eius per naturam & arbitrium liberum, sed sanatur sola misericordia saluatoris, qua peccata donantur. Insanabilis fractura tua, peßima plaga tua, de qua Isaias: Vulnus, liuor, & plaga tumens, non est circumligata, &c.

5 Obiurgatio, & iniuriæ annullabũt substantiã: & domus quæ nimis locuples est, annulabitur superbia: sic sustantia superbi eradicabitur.

Iniquitatum quasdam species tangit consequenter. Et primo superbiam, cuius filiæ sunt contentio, rixæ, contitium, quæ origo & occasio esse solent minuendæ substantiæ. Sicut enim concordia res paruæ crescunt, sic discordia maximæ dilabuntur. Videmus familias, principatus, & regna grandia per fastum & superbiam corruisse & uastatas, incurrisse inopiam. Superbiunt enim ditati ex diuitijs, ut procliues reddantur ad conuitia, contentiones, & bella, unde mouentur innumeri sumptus, quibus depauperantur & pereunt opes.

6 Deprecatio pauperis ex ore usq; ad aures eius perueniet, & iudiciũ festinatò aduenietilli.

Oratio fusa à paupere passo iniuriam à diuite superbo, mox ab ore prolata cœlos penetrans, à diuinæ pietatis clementißimis auribus exauditur. Desiderium enim pauperum exaudiuit dominus, iudiciumq; pro paupere, cuius pater est deus & iudex orphanorum, festinato aduenietut faciat ei iustum iudiciũ & uindictam. Prouerbiorum uicesimosecundo: Non conteras egenum in porta, quia dominus iudicabit causam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius.

7 Qui odit correptionem, uestigium est peccatoris: & qui timet deum, conuertetur ad cor suum.

Iudicium hominis uani, insipientis, & superbi est odire eum qui prudenter cum charitate & modestia se arguit de peccato. Non enim agnoscit uitia sua, nec curare uult, alioqui amaret monentem: fructum fraternæ correptionis non æstimat, pestilentem se comprobans, secundum quod dicitur: Non amat pestilens eum qui corripit, nec ad sapientes graditur. Qui uero acquiescit increpationibus, possessor est cordis: qui sapiens est per timorem dei conuertitur ad suorum defectuum considerationem, & discussionẽ propriæ conscientiæ, cumq; se reum multorum aduerterit, æquanimiter imò grato animo correptionem amplectitur.

8 Notus à longe potens lingua audaci: & sensatus scit labi se ab ipso.

Sic reddi poterat: Notus est à longe potens per linguam: sensatus autẽ uel sapiens nouit cum labitur ipse. Vt sit sensus. Clamosi quidem sunt & de remotis audiuntur potentes & fastuosi, ut facile agnoscatur eorum fastus, superbia, & præsumptio, homo autem sapiens enim uanitatem eius, & ut procliuis sit ad casum, qui illi imminet. Aut certe periculum sibi casus aduertit, si clamoso sese commisceret, & non declinaret fastum illius, iuxta illud: Ei qui dilatat labia sua non commiscearis.

9 Qui ædificat domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.

Si quis hyeme saxa ponat in parietem, dum cementũ congelatur, & uim continendi amisit, is fabricam citius ruituram ædificat: sic qui alienis diutijs male scilicet ac quisitis aut rapinis nititur, non diu subsistet. Væ ei qui multiplicat non sua, & qui ædificat Sion in sanguinibus.

10 Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.

Congregatio eorum qui rapiunt aliena ut uiuant & ditentur, & qui dolis insistunt ad diuitias aggregandas, ueluti stuppa erunt, aptißima incendio, ut uelociter conflagrentur, in aduersitatibus nõ durant. Sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi faúilla erit, & germen eorum ut puluis. Et Malachias: Erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies uenens.

11 Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorũ inferi, & tenebræ & pœnæ.

Vita & conuersatio impiorum uidetur insipientioribus plana, æqualis, strata pulchre, & sine offensionibus, ut optent eam pauperes et stulti, cum re uera sit multis asperitatibus obsessa. Superfluam enim curam dat dominus peccatoribus, finaliter autem corruent ad calamitates perpetuas & infernales. Inferi erunt superbis, tenebræ auaris: quorũ oculi omnia desiderabant, illi nihil uidebunt. Pœnæ autem aderunt libidinosis, unde dicitur: Vsq; ad inferos non placebit impius. Ibi enim placebit in pœna, qui displicuit in culpa. Vita impiorum infelix.

12 Qui custodit iustitiam, continebit sensum eius.

Iustitiæ ueræ usum & rationem, qua deo & hominibus redditur quod suum est, eius sensum et sanctimoniam nemo capiet, credet, docebit, nisi is qui iustitiam ipsam longo tempore custodiuit, & experimento didicit quid sit iustitia, quid sacrosanctum in mandatis diuinis, quid æquitas naturalis, quæ dei uoluntas, et in credendis agendisq; iustitia. Obseruantia enim iustitiæ diligens, confert intellectum ueri & affectum boni. Iustitiæ usus.

13 Consummatio timoris dei sapientia & sensus.

Perfectio, finis, & fructus timoris domini, est uera sapientia, & sensus eorum quæ pertinent ad iustitiam & ad cultum dei. Potest & conuerti sententia. Sapientia uera & sensus eorum quæ domino placent, non est sine timore dei. Idem enim esse timorem domini & sapientiam, iam sæpe dictum est. Et sensatus uel sensu pollens alius non habetur, nisi qui timorem domini gestat in pectore, ut sit uere sapiens.

14 Nõ erudiet qui non est sapiens in bono.

Qui timore dei uacat, is nunquam utiliter & religiose docebitur. Sæcularis enim eruditio sine timore dei, non est sapientia, sed error uel astutia. Non solum non prodest pietati, sed multum impedit in moribus iustis &

politicis quoque regiminibus, quæ sine pietatis respectu non subsistent. In maliuolam animam non introibit sapientia. Sapientia huius mundi inimica est deo. Potius dicitur uulpina uersutia: non est enim capax institutionis diuinæ, qui huiusmodi est.

15 Est aũt insipientia, quæ abundat in malo: et nõ est sensus ubi abundat amaritudo.

Insipientia regnans.

Vbi insipientia regnat, ibi abundantia malorum inuenietur, sicut contra iam sæpe dictũ est, sapientiam esse radicem causamq; multorum bonorum. Quidam legunt pro insipientia sapientiam, & intelligũt terrenam, animalem, & diabolicam, & redit in idem. Et ubi est amaritudo odij uel iræ in animo, ibi sapientia uera uel sensus æqui & boni locum non habet. Ideo hortatur Apostolus: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur à uobis. Nõ habet quoq; amaritudinem conuersatio eius, nec tædium conuictus eius, scilicet sapientiæ, sed lætitiam & gaudium.

16 Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, & cõsilium illius sicut fons uitæ permanet.

Sapientia copiose perficiet sapientem, doctrinarum aquas et exhortationum affluenter inundabit. Non erit enim otiosa nec parca, consilijs sanctis succurret pijs, in doctos quoque erudiet. Qui ex ea biberit, crescet in fructus sanctitatis & iustitiæ.

17 Cor fatui quasi uas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.

Cor stulti.

Vt uas confractum non retinet liquorem purum, & male sonat: sic cor stulti, & timore domini carentis, donorum dei capax non erit, non profluet inde uerbum eruditionis uel consolationis, sed uox murmuris & blasphemiarum, uox mendaciorum & detractionum. Non conseruabit nec unum doctrinæ, nec oleũ gratiæ, nec aquam sapientiæ. Feces tantum & lutum seruabit. Quale uas erat Iechonias, de quo Ieremiæ uicesimosecundo. Numquid non uas fictile & contritum uir ille?

18 Verbum sapiens quodcunque audierit, scius laudabit, & ad se adijciet: audiuit luxuriosus, et displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum.

Audire sapientiam.

Docilis, pius, & sensatus semper paratus est proficere, & audire uera & sancta, quicquid audit amplectitur ad profectum suum, ex omnibus eruditur, omnia boni consulit, ubique uelut apis argumentosa pascitur, melle collato. Laudat præceptorum uerba, & ad se pertinere putat, ut inde melior euadat. Auris enim bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. Luxui autem dediti homines aspernentur doctrinam, nolent attendere monenti, auertunt scapulas, detestantur eruditionem. Cor suum ponunt ut adamantem durissimum. Non enim recipit stultus uerba prudentiæ, sed si ea dixeris quæ uersantur in corde eius.

19 Narratio fatui quasi sarcina in uia: nam in labijs sensati inuenietur sapientia.

Grauis & onerosa est sapienti homini multiloquium stulti in uia, sicut contra pro uehiculo est eloquium gratum & iucundum. Molestum est pijs auscultare sermonibus fatuorum, qui non nisi insulsa & proximis damnosa, aut deo iniuriosa loquuntur. Gratiosa autem & apta amabilisq; inuenitur doctrina in ore sensati: loquitur enim quod sentit. Cor quoq; sapiẽtis erudiet os eius.

20 Os prudentis quæritur in ecclesia, & uerba illius cogitabunt in cordibus suis.

Non decet in ecclesia exercere officium docendi eum qui imprudens est, sed qui in sapientia profecit, peritus eloquio, & gratiam docendi accepit à domino. Denique quoque auditores diligenter aduertent, & in cordibus reuoluent audita, ut intelligant & opere impleant. Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Sic Paulus Timotheo: Hæc commenda fidelibus, qui idonei erunt & alios docere. Ludus enim sapientum disseminabunt scientiam.

21 Tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia: et scientia insensati inenarrabilia uerba.

Horrenda, inutilis, & spernenda est domus exterminata & ruinosa, quam ingredi nemo dignatur uel emere: sic sapientia in homine improbo, & timore dei destituto, abominabilis est & inutilis, imò perniciosa, aliud uidetur sentire ex actibus, quàm doceat ex libris sacris. Scandalum potius inijcit simplicibus, ut fallum timeant, quod à doctore primum contemnunt confecerint. Insensatus quoq;, & nõ uerè sapiens, dum multa dixerit nemo intelliget, nemo narrare poterit, quid loquendo intenderit. Sapiens autem breuibus clare & ordinate multa loquitur & intelligibiliter.

22 Compedes in pedibus, stulto doctrina, & quasi uincula manuum super manum dextram.

Salubris doctrina iniquis ferendo grauis est, ut catenæ in pedibus: intricata uidetur stultis, quam cupere nequeant, multo minus amplecti uel sequi. Et quasi uincula manus dextræ, ut ad nullum opus idonei sint, ita stulti audiant quid sit agendum. Studiosi aũt ex omni doctrina proficiunt, uitiosis nullus fructus è doctrina decoctis.

23 Fatuus in risu exaltat uocem suam: uir autem sapiens uix tacite ridebit.

Cachinno exaltant risum, qui dissoluto sunt animo, & inepte lætantur, ut prodant leuitatem mentis. Ecclesiastes septimo: Sicut sonitus spinarum sub olla ardentium, sic risus stulti. Vir autem sapiens, modestus, ac maturus submisse ridebit, & non effuso pectore, sed ad moderatam hilaritatem spiritus, non ad ineptam dissolutionem mentis. Et hæc quidem ut & alia capienda sunt pro morum institutione honesta, non pro diuinis legibus. Alioqui risus pro naturarum uarietate effusior esse solet uel rarior, & tutioris animi signum esse solet quàm grauis melancolia & frons rugata semper.

24 Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quasi brachiale in brachio dextro.

Vehementer ornat sapientem hominem, si difficilis non sit ad docendum quæ didicit, si gratis accepta gratis doceat, si fideliter instruat quos intellexerit dignos

non superbiat, & uideri præ alijs cupiat, uereaturq; æqualem sibi futurum discipulum. Nihil enim elegantius & pulchrius quàm prodesse indigentibus: sic tamen docere uerbis, ut opera non reclament. Vere enim qui ad iustitiam eruditunt multos, quasi stellæ micabunt in perpetuas æternitates.

25 Pes fatui facilis in domũ proximi: & homo peritus cõfundetur à persona potẽtis.

Non minimum indicium est insipientis hominis, frequentare domos aliorum, ut secretiora uicinorum inquirat, traducat, & iudicet, cum sua potius cuiq; domus & familia curanda sit, & proximi paßio uel timor ex proprio perpendenda sint, ut quod inuite feras alteri non imponas. Sapienter quoque peritus egerit, si se non ingesserit domui, familiæ, familiaritatiq; potentum, facile enim fieri potest ut confundatur à potente, dum uel sibi inuidet sapientiam quam non habet, uel occasionem perquirit uerbis uel factis calumniandi.

26 Stultus à feneſtra reſpiciet in domum: uir autem eruditus foris ſtabit.

Importune instat stultus domum irrumpere alienam, cupiens pro stoliditate sua scire quæ ad se non spectant, per feneſtram inſpiciens, si non citius aperiatur dum pulsat pro curiositate quæ annexa est stultitiæ: sapiens uero longanimiter expectat donec aperiatur, intelligens occupatos, uel non illis integrum esse subito aperire. Nec sunt huiusmodi doctrinæ aspernandæ, conducunt enim ad charitatem proximi, & tranquillitatem promouent.

27 Stultitia hominis auſcultare per oſtium: & prudens grauabitur contumelia.

Improbum habetur insidiari secretis peruestigandus in domo proximi, quod id nemo non ægre ferat sibi fieri, quale est ad ostium auscultare uel feneſtram, quid intus agatur ad traducendum. Quod uero de Gedeone opponi posse uidetur, nihil est ad institutum, domino enim iubente descenderat ad castra Madianitarũ, qui mala præspicere debebant iure gentium, quo & insidias parare poterat & debebat, non tam pro se militans quàm pro populo dei. Prudentem grauari contumelia non licet, grauatim fert inhonesta falso de se confingi, uera de se dici fert patienter, nõ negligit famam: stultus autem nihil moueatur, etiam si inhonesta de se improbi, uera aut falsa cõminiscantur.

28 Labia imprudentium ſtulta narrabunt: uerba autem prudentium ſtatera ponderabuntur.

Quomodo non stulta narrarent qui stulti sunt? Quo modo bona loqui potestis cum sitis mali? Os enim impio rum redundat malis. Ex abundantia cordis os loquitur. Prudentes autem expendunt quid sint loquuturi, nihil præcipitanter & inconsulte effutiunt, sed cum discretione & fidei regula prout decet & prodest.

29 In ore fatuorum cor illorum: & in corde ſapientium os illorum.

Sapientes cor suum non statim effundunt in uerba, sed sapientia sua regunt labia, ne quid inpræmeditatum eloquantur, ut prius sermo ueniat ad limam quàm ad linguam. Nõ sic stulti, qui sicut in sensu sunt leues, ita in locutione præcipites, domus eorum ostium non habet, qui cunq; uult prouocabit ad inania, quos uana loqui magis delectat quàm tacere. Sermo sapientum suffulta est sententijs ueritatis, non fuco uerbositatis.

30 Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipſe animam ſuam.

Maledicere non licet alicui, nisi cui inferre potestas est maledictũ. Dominus est author uindictæ in suas creaturas, non ergo ne dæmoni quidem maledicendum est, dominum suum habet satan, eidem cadit, ab illo maledicendus, non ab homine. Quod si illius iniquitates detestari libet, prius nostras damnemus, qui in iudicium dei ingredi æque non audemus, gratia sola saluandi. In quo ergo alium iudicas, teipsum condemnas, eadem enim facis. Ac que non sunt diabolo imputanda peccata nostræ deprauatæ uoluntatis, qua non coacti sed sponte peccamus, & contra conscientiam scienter malum agimus. Non maledicendum.

31 Suſurro coinquinabit animam ſuam, et in omnibus odietur: & qui pmanſerit odioſus erit: tacitus & ſenſatus honorabitur.

Qui de proximo mala in aurem loquitur alteri detractor uel susurro, is fœdat & necat in primis animã suam, deinde quantum in se est animam audientis: perueniunt enim uerba susurronis usq; ad intima uentris, perturbãt enim animum, & irreuocabili probro aspergunt proximum. Odientur ergo digne ab omnibus, deo, angelis & hominibus: susurrones enim & detractores deo sunt odibiles. Et qui perstiterit sic uerbis malignari in proximos, is non poterit nõ ab omnibus condemnari ut impius: qui autem tempore opportuno tacet uel loquitur, is sensatũ se ostendet, & ut prudens digne honorabitur. In hoc ergo incumbe ut libentius audias quàm loquaris. Qui nescit tacere, nescit loqui. Quicquid dicturus es, prius tibi dicas quàm alijs, hæc Seneca. Et Hieronym. Diu, inquit, considera quid loquendum sit, ne quid dixisse pœniteat. Contra ſuſurrones.

CAPVT XXII.

1  N lapide luteo lapidatus eſt piger, & omnes loquentur ſuper aſpernationem illius.

2 Deſtercore boum lapidatus eſt piger: & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus ſuas.

Damnat pigritiam hominum non tantum in labore manuum ad quem factus est homo sicut auis ad uolandũ, sed etiam in uirtuoso exercitio, ad quod nos hortatur & cogit sapientia uerbi dei, lex diuina, quæ unicuiq; mandauit non solum de filijs & familia iuuanda, sed etiam de proximo curando, ut nullum homini permittatur otiũ unquam. Quicquid ad manum uenit, hoc est, bonũ quod faciendum per occasionem offertur hoc instanter operandum est, sic ut qui noluerit laborare, nec etiam debeat manducare. Indignus qui nutriatur alieno labore, qui proprio non dignatur insistere. Insigni ergo contumelia dignus est otiosus & piger, qui aliorum labores uorare præsumit ipse otiosus: nec fieri potest talem non esse mul Labor docetur.

tis & grauibus non ſolum uitijs, ſed & criminibus commaculatum, ſi non publice ſemper, ſaltem ſecreto & in conſcientia, quum conſtet otia non eſſe ſine uitijs. Quandoquidem animus hominis otiari non poteſt, ſi non exercetur in ſanctis, polluitur in impijs. Ideo ſerioſe ſapiens monet otium eſſe & pigritiam abominandam, ut homini bono prorſus indignam, & digniſſime opprobrijs contaminandam grauibus & contumelioſiſſimis: quæ exprimere uult luto platearum et ſtercore boum, quibus aſpergendus ſit & polluendus foris, qui intus refertus eſt flagitijs turpibus, & inſuper omnibus reliquis oneri eſt, nulli prorſus utilis, quaſi ad hoc tantum natus uideatur, ut aliorum labores abſumat ipſe otioſus & carnalis, inutile onus terræ. Tales ab hominibus non tantum fouendi non ſunt, ſed publico deriſui & contumelijs exponendi uel exercendi, ut ueluti luto & ſtercoribus polluantur, omniumq; ignominia aſpergantur, ſi quando uexatione eruditi, alijs ſe conforment, & operentur utilia alijs, ut aliorum uicißim officijs fruantur non indigne. Per aſpernationem autem hominum, de pigro loquentium, intelligitur commune probrum, quo debeat ab omnibus confundi & publice. Per excußionem autem manuum à ſtercoribus & fœtore, intelligitur ab omnibus uitandus & abominandus, ne otio, aut pigritia, uel conſortio inhoneſto & exitioſo reipublicæ quiſquam cum eo diſfametur, aut commaculetur uitijs publicis uel priuatis, quibus carere illum ſit impoßibile.

Otioſi.

3 Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato: filia autem fatua in deminoratione fiet.

Confuſio parentum ex prole.

Malitia & confuſio filij redundat in ignominiam parentis, oſtenditur enim clare uel malitia uel negligentia eorum qui illum diſciplinæ à puero ſubdere, qui uerbo et exemplo emendare, inſtruere, & in timore dei educare debuiſſent, ſed obmiſiſſe uel uirtutis ſtudium neglexiſſe uidentur, unde & nullum eiſdem pietatis & honeſtatis ſtudium adfuiſſe facile credi poteſt, ut confundantur de propria quoq; malitia quæ illis imputatur parentibus, quam non odiſſe conuincuntur ex teſtimonio filiorũ improbe uiuentium, quia ſine diſciplina inſtitutorũ. Filiam fatuam intelligit luxurioſam, libidinoſam, inuerecundã, procacem & ſine diſciplina uiuentem, male à parentibus inſtitutam, quæ erit dedecori non tantũ ſibijpſi, quod ferendum eſſet, ſed & parẽtibus & familiæ toti, qui propter huiuſmodi minorabuntur, hoc eſt, iacturam ferent in honore, fama, diuitijs. Ideo in Prouerb. dicitur: Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, ne quando te faciat uenire in opprobrium inimicis tuis.

4 Filia prudẽs hæreditas uiro ſuo: nã quæ confundit, in contumeliam fit genitoris.

Filia prudens.

Prudentem uocat filiam honeſtam, modeſtam, caſtã, uerecundam, domi aſuetam, rei familiari intendere potentem, laborare manibus ſcientem, & non ſuperbientẽ ex forma uel ueſtibus, ſed edoctam timorem domini & uirtutes. Talis filia copioſa hæreditas exiſtimabitur marito ſuo, etiam ſi diuitias alias paucas in dotẽ accipiat: erit enim longe tam charior quàm utilior, quàm ſi ſine talibus ornamentis auro & gemmis onuſta offerretur ſponſo, quam ueluti dominam pro diuitijs & imperioſam ferre cogatur. Quæ uero maritum confundere audet uerbis, factis, moribus aut ueſtibus, ſine diſciplina fœmineis uiuens, hæc confuſionem et opprobrium ingerit non tantum marito, ſed & genitori, qui illam non tempeſtiue formauerit moribus in domo ſua nec caſtigauerit.

5 Patrem & uirum confundit audax, & ab impijs non minorabitur, ab utriſq; autem inhonorabitur.

Huiuſmodi filia marito tradita ſi fuerit audax, inuerecunda & effrons, ne dum parẽtibus ignominioſa erit, ſed & marito intolerabilis, & erit impijs quibuſq; uiris & nebulonibus non melior, indigna quæ honeſtarũ matronarum honore reputetur, ſed ab omnibus per latrocinium digito monſtrabitur, maxime autem à marito & parentibus odietur, et nullo honore digna habebitur, quia pro illa continuo confunduntur, infamiamq; ſuſtinent, cõiuguntur à ciuibus reliquis.

6 Muſica in luctu importuna narratio: fabula & doctrina in omni tẽpore ſapientis.

Vt melodia & carmina ad lætitiam ordinata, non ſunt opportuna eis qui in luctu uerſantur & uolunt conſolari: ſic ingrata erit oratio non congruens loco, tempori uel perſonis, ſed magis grauat & moleſte auditur. Sic flagella quoq;, id eſt, caſtigatio uitiorum, & doctrina reformationis pro moribus, non eſt adhibenda ſine opportunitate, ſed in tempore & ſapienter cum multa circumſpectione. Vel ſi libeat aliter: Sapientia quæ traditur à ſtulto, non rigendo & docendo, non eſt unquam grata ſtulto, nunquam eſt illi opportuna, non patitur eruditi quouismodo. Idem dici uidetur quod Prouerb. 29. Virga & correctio tribuit ſapientiam.

7 Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam.

Inaniter & ſtulte laborat, qui molitur reparare rem fragilem in confracto fictili uaſe, perdit enim operam & impenſas: ſic qui docere conatur peruerſum, deriſorem uel impium, ipſe ſtultus duratum. Sic Prouerb. 9. Qui erudit deriſorem, ipſe ſibi facit iniuriam facit: & qui arguit impium, generat ſibi maculam. Et ibidem: In auribus inſipientium ne loquaris, &c. Et Chriſtus: Nolite ſanctum dare canibus, &c.

8 Qui narrat uerbum non audienti, quaſi qui excitat dormientem de graui ſomno.

Qui ſermonem ædificatorium narrat ei qui intelligere uel aduertere non dignatur, is ſimilis eſt excitanti ſopore uel dormitionem grauem, ſed dormire præcipienti, nihil eorum aduertens quæ ſtupenti & ſomnolento alijs occupato dicuntur. Vbi non eſt auditus, non eſſe dandas ſermonem.

9 Cum dormiente loquitur, qui enarrat ſtulto ſapientiam: & in fine narrationis dicit: Quis eſt hic?

Non proficit quicquam qui incorrigibilem & incapacem, qui dormienti eſt ſimilis, nititur erudire. Comparatur autem ſtultus dormienti: quia ut ſenſus exteriores ligantur in ſomnis, ita iudicium & intellectus obſcuratur in ſtultis. Et cum diu & multum ſtulto de ſapientia ſer-

ris, non tantum non emendabitur uel proficiet, sed cum stomacho potius respondebit: Quis te constituit princi-
pem uel doctorem super me? Cur ille præsumit informa-
re nolentem? uiam potius præceptorum dei nolumus, tu
potius ipsum te doceas.

10 Super mortuum plora, defecit enim lux eius: & sup fatuũ plora, deficit enim sensu.

Vt solent homines deflere mortuum, qui ex hac homi-
num societate sublatus est, & rerum mundanarum nihil
ultra commeminit, defecit enim lux oculorum & omniũ
sensuum eius, utcunq; anima intellectiua immortalis sit
cum intelligentijs separatis, in felici statu uel misero: sic
fatuus quoq; deplorandus est magis, qui in corpore ui-
uens mortuus habetur sine usurationis uel rerum scien-
tia, longe bestijs infelicior, quæ suo more uiuunt, stultus
autem soli sibi placens, omnibus est opprobrio & con-
temptui, præsentem uitam amittens & æternam. Stultus
eni dicitur in hoc libro, qui sapiẽtia & timore dei caret.

11 Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit.

Si ploraꝛe delectat uel obmittere non uales pro mor-
tuo, saltem modicum plora, & cum moderamine, conso-
lationem suscipiens de eo quod requieuit ab inquietudi-
ne, periculis, tædijs, aut laboribus uitæ præsentis. Re ue-
ra autem iuxta animam uitam est assequutus æternam, si
credidit in dominũ, & spem habuit in deo. Vnde & Se-
neca dicebat: Amico tuo defuncto nec sicci tibi sint ocu-
li neq; fluant.

12 Nequissimi enim nequissima uita, super mortem fatui.

Si quis nequissime uiuat, is etiam nequiter morietur,
à nullo plorabitur, omnes enim ablatum gaudebunt onus
à terra, & finem uitijs et insolentijs appetisse, eius enim
uita molestior fuit hominibus quàm mors fatui, cuius uita
non multum desideratur, ferri tamen potuit. Quin & ui-
ta quoq; iniqui magis deflenda est quàm mors eius.

13 Luctus mortui septem dies: fatui autem, & impĩ omnes dies uitæ illorum.

Vt plurimum lugentur aliquot diebus mortui à uiuis,
chari ab amicis, & postea consolari se sinunt, intelligen-
tes inanes esse lachrymas, quibus recuperari amissus non
potest, & pro eo quod non potuit præueniri, sed natu-
ræ institutæ necessitate oportuit sic fieri dominoq; uolen-
te. Omnis autem stultorum, hoc est impiorum, uita lamen-
tabilis est, & digna ploratu assiduo, qui impie uiuere &
agere non cessant, dominum offendunt, proximis iniu-
riantur, seipsos confundunt, & nihil laude dignum ad-
mittunt, sed ad mortem usq; in impietate sua perdurant.
Otiosa hic disputatio de numero septenario, qui certus
dicitur pro multis incertis.

14 Cum stulto ne multum loquaris, & cũ insensato ne abieris. Serua te ab illo, ut nõ molestiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius.

Fugienda docetur stultia & stultorum sodalitas, un-
de fructus nullus sed pernicies & damna sequuntur. Nõ
intelliget quod sapienter illi dices, sed inuertet potius &
ridebit, si nõ simul quoq; accuset & persequatur. Et cũ
insensato, hoc est iniquo homine non eas in uiam, ne im-
pingat super te malum. Cum homine furioso ne ambules,
ne sumas scandalum animæ tuæ. Serua te à stulto, nam si
amicus illi fueris, similis quoq; illi fies. Nec id solum, sed
& grauamen incurres ex societate illius, participabisq;
eius uitijs, cooperando uel consentiẽdo illis in malo. Qui
enim picem tetigerit, inquinabitur ab ea. Corrumpunt
bonos mores colloquia praua.

15 Deflecte ab illo, & inuenies requiem, & non acediaberis in stultitia illius.

Peruersæ societatis euades incommoda, si ab impijs
abstinebis: requiem mentis & corporis inuenies, si non
stultis sed pijs consentes. Non pigebit te societatis, non
indignaberis tibi uel socio, si prudenter amicos tibi di-
gnos elegeris. Recedendum lex docet à tabernaculis im-
piorum hominum, nec tangere quidem ea quæ ad illos
pertinent, ne inuoluaris peccatis ipsorum.

16 Super plumbum grauabitur: & quod illi aliud nomen quàm fatuus?

Plumbo ut nihil grauius iudicatur, sic onus non inue- Ferre stultũ
nietur grauius, quàm si quis homo sapiens stultum ferre
cogatur. Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stul-
ti utroq; grauior, cui & præcipue cõpetit nomen fatui,
quia stulte se gerit in omnibus: ab opere enim suo quoti-
diano nomen sortitur, quãdo in operibus eius nihil pror
sus apparet quàm fatuitas, unde eius quoq; societas non
ferenda.

17 Arenam & salem, & massam ferri facilius est ferre quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium.

Moles arenæ & salis pro pondere suo ferri facilius
est, quàm hominem imprudentem in rebus humanis, fa-
tuum in diuinis, impium in utrisq;. Quanquam autẽ qui
sapientes sunt ferre debeant insipientes, hoc tamen non
aliter quàm ut non abijciant uel contemnant statim, sed
conentur pro omni uirili sua instituere tales, ne sint per-
petuo insipientes, sed conualescant potius ingenio & e-
ruditione, ut tandem resipiscant & meliores euadant.

18 Sicut loramentum ligneum colligatum in fundamẽto ædificij non dissoluetur: sic & cor confirmatum in cogitatione cõsilij.

Loramentum quid uelit exponit, congeriem colliga-
tionemq; fortium lignorum, quæ durare possunt in aqua
uel humo, quam supponunt superstruendo ædificio pro
fundamento stabiliori: huic comparat cor hominis sapi-
entis, quod per fidem & eruditionem sacram consilioq;
sano stabilitur in domino.

19 Cogitatus sensati in omni tempore uel metu non deprauabitur.

Studia hominis habentis timorẽ domini, nulla uitiosa
carnali uel mũdana formidine uincẽtur, armabitur enim
dono sapientiæ, fiducia auxilij diuini, uirtute cõstantiæ,
ideo non timet eos qui occidunt corpus, ad nullã expaue
scit multitudinem, ut deflectat à bono, sed ut leo potius
absq; terrore erit, dicente Augustino: Non est consenta-
neũ rationi, eũ cupiditate frangi, qui metu nõ frangitur.

20 Sicut ornatus arenosus in pariete limpi
do, & sicut pali in excelsis, & cæmenta sine
impensa posita contra faciem uenti nõ per
manebunt: sic & cor timidum in cogitatio
ne stulti cõtra impetũ timoris non resistet.

Tentati solatium. *Quicquid sine timore domini cogitatur, uel contra uerbum dei instituitur uel proponitur, in tentatione quacunq; non subsistere poterit, non magis quàm paries linitus quidem, sed leui cæmento, quod uenti impetum sustinere nõ ualet: & sicut paleæ in excelsis locatæ in aere, mox enim dispergũtur à uento: & sicut cæmentum sine impensa, hoc est non permixtum, contra uentũ enim omnia subsistere nequeunt, sed decidunt & perduntur. Correctiores libri habent pro paleæ pali, iuxta Græcos, qui sustentacula dicunt, quæ tamen & ipsa in alto collocata, tandem deijciuntur à uentis.*

21 Cor trepidum in cogitatione fatui, omni tempore nõ metuet: sic & qui in præceptis dei permanet semper.

Litera hæc uariat tam à Græcis quàm alijs Latinorũ exemplaribus. Sic accipi potest & intelligi: Cogitatio fatui in corde eius semper timet, hoc est, nulla fidei uel uerbi dei firmitate subsistit, sed ut luna mutatur, & ut arundo agitata à uento declinat semper. Sic quoq; omnis qui in præceptis dei non permanet semper. Pro quo Græcus omnino nihil habet hoc loco.

22 Pungens oculum, deducit lachrymas:
& qui pungit cor, profert sensum.

Dum pungitur oculus, humor egreditur: sic qui mentem exercet inuestigatione peruigili & assidua, producit ex ea sapientiam. Prouerb. 2. Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam, &c. Aliter: Qui pungit oculũ cordis stimulo diuini timoris, educit lachrymas compunctionis.

23 Mittẽs lapidẽ in uolatilia, deijciet illa: sic
& qui cõuitiatur amico, dissoluit amicitiã.

Sicut iactu lapidis grex auium dissipatur, sic uerbo conuitij uis amicitiæ uiolatur. Agit enim contra ius naturæ amicitiam corrumpendo in se & in proximo. Sermo enim durus suscitat furorem. Homo peruersus suscitat lites. Alios exponendi modos uide apud Carensem.

24 Ad amicum si produxeris gladium non
desperes: est enim regressus ad amicum.

Amicitia ut scinditur. *Exorsus loqui de amicitia, utilia quædam de conseruanda ea subdit. Quibus scilicet modis solita sit discindi, multifariam quidem, sed non æque perniciose & desperabiliter. Si, inquit, ex passionum impetu contra amicũ extraxeris ensem, quasi percussurum cum iracundia, nõ tamen diffidas de iterata reconciliatione ipsius, est enim eo quoque casu regressus ad amicitiam pristinam, potes enim ueniam postulare & consequi, si uere amicus fuit, hoc est, uirtuosus & intelligens casus huius mundi, & quàm arduum sit dominari omnibus affectibus, ideoq; pronior erit ad reconciliationem.*

25 Si aperuerit os triste, nõ timeas: est enim
concordatio: excepto conuitio, & improperio & supbia, & mysterij reuelatione, &
plaga dolosa: in his oĩbus effugiet amic⁹.

Alius casus amicitiæ dissipandæ est: Si aperuerit os triste coram te, hoc est, si tibi amarum responderit, uel triste coram te, hoc est, si tibi amarum responderit, uel dure corripuerit: nec adhuc te timeas exutum amicitia eius, ut putes non te posse placare cum denuo. Etenim post huiusmodi discordias potest facile rediri ad concordiam. Subdit uero consequenter quinq; causas, non tam scindendæ amicitiæ quàm rumpendæ, quibus penitus fugatur amicus, nec de facili reconciliatur. Quarum prima est conuitium cum crimen ingeritur aut uitium, infamia uel morte dignum, idq; non uere, siue etiam uere, hoc enim amicitiæ iura minime sustinent. Alia causa est improperium, si quis turpe quoddam aut famæ reputationique dignitati personæ contrarium effutiat, quod amicus non quam æquanimiter ferre potest ab amico. Tertia est superbia, talis, qua amicus amico sic parum deferat, ut dominari & cum sibi opprimere tanquam despectum temeat uerbis aut factis, aut si illum quoquo modo uiliter tractet. Quarta est mysterij reuelatio, amico peccatum dicit, quod ex diametro charitati & amicitiæ opponitur, ut sustineri non possit, iuxta illud: Qui ambulat fraudulenter reuelabit arcana: qui autem fidelis est, celabit amici commissum. Qui uero fidelem se negat, amicitiæ non est cuiuscunq; idoneus. Quinta est, plaga dolosa: si quis fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci. Qui igitur aliquid horum fecerit amico perpessus, ab amicitia recedet, ferè nunquam uel admodum difficulter rediturus ad eam, quod nõ integro ui periculo denuo sit admittendus amicus, qui perfidiam exercuit in amicum.

26 Fidem posside cum amico in paupertate
illius, ut & in bonis illius læteris.

27 In tẽpore tribulationis illius permane il-
li fidelis, ut & in hæreditate illi⁹ cohæres fi-

Is tandem uere se amicum comprobat, qui adhærescit tum tempore paupertatis & tentationis casibusque secundis rere pro uiribi non obmittit, alioqui solo nomine amicus habebitur. Sed & ad idem pertinet communicare & lætari in bonis tẽporalibus & spiritualibus, quandoquidem eorum bona communia sunt. Sic Christus: Vos estis qui mansistis mecum in tentationibus, &c. Et Paulus: Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.

28 Ante ignem camini uapor & fumus fu-
nis inaltatur: sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ, & minæ.

Subiungit alia quædam, quæ amicitiam penitus euertunt, nisi diligenter præcaucantur, ut decet amicos: ne quid tale committant, scilicet maledicta & malorum precationes, comminationes uel minas, aut contumelias, unde proceditur subinde ad sanguinis effusionem et mortem. Cum enim pretiosissimus thesaurus sit fidelis amicus, multa erit diligentia conseruandus: quanquam & qui uere diligit, non facile offenditur, nisi forsan per iniquas commemoratas causas, quas prudens amicus non admittit, imprudens in amicitia nulla diu persistit, ut non ejiciatur admittendus.

29 Amicum salutare non confundaris.

Anteuertẽdus amicus est salutatione hilari &

da, etiam si illum aliquantisper animo contra te tentatũ intelligas, non à colloquio abstinendum, ne silẽtio quoq; tuo ad tacentem illum exasperes magis quàm alius quispiam durioribus uerbis. De quo quidam: Si contingat iurgium cum proximo, erubescimus priores satisfacere, & tamen omnipotens deus toties à nobis offensus, quotidie nos per scripturas hortatur.

30 A facie illius nõ me abscondam: & si mala mihi euenerint per illum, sustinebo. Omnis qui audiet, cauebit se ab eo.

Ab offenso amico & nondum mihi plene reconcilia to non auertam meam faciem, sed humiliter & hilariter occurram. Si mihi aduersa ingesserit dissimulanda, quia amicus fuit & redire potest, mea culpa fortassis irritatus: uel si ego per illum læsus sum, ueteris tamen amicitiæ respectu non omnino odiam, sed sustinebo ut mihi posthac tutius incedam cum ipso & alijs. Ad hoc enim prodest non nunquam inter amicos discordia, ut & reliqui aduertes, non solum sibi prospiciant ab hoc uno amandato amico, sed & ab alijs, ut faciant aliena pericula cautos.

31 Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam in ipsis, & lingua perdat me?

Gratia dei ingens est, cui contingit facultas recte regendi suam linguam, ut non peccetur indiscreta locutione uel taciturnitate. Multum hæc gratia desideranda, & assidue postulanda à domino, simulq; studium adhibendum diligens. Hominis est enim animum apponere, domini autem gubernare linguam. Ideo Dauid dixit: Pone domine custodiam ori meo, &c.

CAPVT XXIII.

1 Domine pater & dominator uitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu, & consilio eorũ: nec sinas me cadere in illa exprobratione.

Sic decet appellare pium hominem creatorem suum, ut dominus omnium quæ uspiam sunt agnoscatur et confiteatur. Pater autem hominum fidelium, qui illum cum fide inuocant, quos ut filios dissimulare & negligere non potest. Dominator, inquit, uitæ meæ, à quo pendet anima, uita, uelle, intelligere, & opus meum, sine quo nihil possum, qui omnis conuersationis meæ iudex es & gubernator, cui omnem uitam meam debeo & deuoueo, ut mihi nihil uindicem præter delicta quæ committo, quotidie peccans. Sed oro ne me derelinquas, non tantum in opus improbum, sed nec in cogitatum malignum, nec in aliquod consilium uel propositum iniquum, unde tibi domino & patri meo displiceam: nec sinas me pro fragilitate mea cadere per peccatum in consilia impiorum, ut inde exprobrationem tuam iustam promerear. Græci nihil de exprobratione legunt, sed simpliciter: Sed ne sinas me cadere in illis.

2 Quis superponit in cogitatu meo flagella, & in corde meo doctrinam sapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta eorum, & ne adin-

crescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & incidam in conspectum aduersariorum meorum, & gaudeat inimicus meus?

Vtinam sit quispiam à te patre meo fidelissimo institutus ad hoc, ut quoties perperam aliquid non tantum facio, sed etiam cogito, mox flagellis me aggrediatur, corrigatq;, & absterreat ab omni malo. Nec solum à noxijs impediat, sed etiam spiritu sapientiæ imbuat cor meum, & doctrinã infundat sapientiæ salutaris, qua sciam quid tibi placeat, & quid me deceat, ut non sinat me perpetuo ignorare quæ mandauit & exigit, ne me prætereat in collatione sui sanctissimi spiritus, quo minus intelligã ueritatem, ut non ueniant in conspectum ipsius, ut iudicet digne delicta mea, & non etiam subinde increscant peccata & offensiones meæ, ut ex ipsis me tandem explicare non possim, sed ueluti in profundum abyssi immergar, dum non sit qui eripiat. Cupio quoque & oro, ut non me confundi permittas confessorem tui nominis, & gloriæ tuæ zelatorem, in conspectu eorum qui tibi nil credunt, qui uerbum tuum non uerentur, qui propter te mihi uolunt perpetuo aduersari. Ab his me redimas oro propter gloriam tui nominis, non propter qualiacunq; merita mea, nec etiam peccata, ne supergaudeant mihi inimici mei, sed propter te, cui cupio deseruire & complacere. Nec tantum hostes mei in hoc sæculo & carnales, sed etiam dæmones qui circumeunt da ut non deuorent, magis autem præsta ut resistam per fidem meam & gratiam tuam, ne pedetentim semper magis ac magis peccem, de grauiori peccato in grauius, iuxta diaboli hostis mei catenam, qua primum illo suggerente uel propria carne, oritur cogitatio improba, ex cogitatione affectio uel amor rei illicitæ, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu opus, ex opere consuetudo, ex consuetudine necessitas, ex necessitate desperatio, ex desperatione defensio, ex defensione gloriatio de peccato, ex gloriatione damnatio. Correctio non sperenenda.

3 Domine pater, & deus uitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.

Pro tot ergo ac tantis periculis euadendis, necessario digneq; oratur dominus & pater, qui succurrere potest & promisit, quia uult: qui & angores nostros sicut totam quoq; uitam nostram nouit perfectissime, ut principijs obstare dignetur per suam gratiam, ne quid cogitatu peccetur, unde perueniatur ad damnationem. Repetitio autem orationis pertinet ad mentis ardorem exprimendum tanto fortius.

4 Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desideriũ auerte à me.

Non me permittas magnum fieri in oculis meis, ne de tuis donis superbiam, ne mihipsi placere incipiam, cum nihil sim nisi quod dederis esse uel fieri. Et omne prauum desiderium auerte à me, ne mihi insultet, ne obtineat, ne cõsentiam, ne in actũ proficiat: fragilior sum enim quàm ut improbis meis desiderijs oblata opportunitate resistere possim, ideo orare didici, ut non inducas in tentationem, sed auertas potius à me omne desideriũ rei illicitæ. Arrogantia

5 Auser à me uentris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me.

Deprecãda

Carnales concupiſcentias, gulæ, luxuriæ, acediæ, & inuidiæ, & omnium operum carnis auſer à me, ne illis in ſeruiam: maiorem enim me feciſti, & ad meliora natus ſum, quàm ut corporis mei mancipium ſim. Et ne inordinatus amor ad coniugem me comprehendat, & captiuum ducat ad carnis deſideria ſatianda, magis quàm ad prolificationem ad gloriam tuam. Et ne me ſinas corripi ab homine infrunito, hoc eſt, inſipiente & ſtolido, qui meo animo uel corpore abutatur ad ſuam ſtultitiam, & ad ignominiam tuam & meam.

6 Doctrinam oris audite filij: & qui cuſtodierit illam non periet labijs, nec ſcandalizabitur in operibus nequiſſimis.

Diſciplina dei.

Ab ore patris ueſtri cœleſtis diſciplinam audite ô filij, quotquot electi eſtis ut hæreditatem capiatis cœleſtẽ à patre, audite, hoc eſt obſequimini et obtemperate. Nec alio nobis deus ore loquitur quàm ſcripturis ſacris, quæ organum ſunt ſancti ſpiritus, qui os dei dicitur. Qui domino obediet & uerbo ſuo, is non peribit, propter uerba labiorum eius, quæ indigna & impia nec unquam loquetur, nec feret audire, nec patietur quenquam loqui. Nec tantum uerbis, ſed & factis innocens erit, & non impinget in aliquod crimen, non ad mortem peccabit, etiam ſi quotidianis delictis carere non poſſit, pro quibus & quotidie dominum exorabit.

7 In uanitate ſua apprehẽdetur peccator, & ſuperbus & maledictus ſcandalizabitur in illis.

Pro peccato ſuo à iuſto iudice apprehenditur homo, concluditur, conuincitur, & reprobatur, & tandem dæmoni traditur, qui ad mortem peccat. Et maledici quoq; regnum dei non poſsidebunt. Sed & ſuperbus ſcandalizatur in multis, offendit pluribus, deo exoſus ualde, cui & reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

8 Iurationi non aſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa.

Conſuetudo iurandi.

Vtcunq; iurare malum non ſit, peßima tamen eſt conſuetudo iurandi, quando iurare nunquam licet niſi pro rationabili cauſa, loco & tempore cogente, cumq; reuerentia uera maieſtatis diuinæ: multi nanq; difficiles caſus contingunt iurando, dum lingua lubrica eſt, & facile erratur in uerbo, mandatum dei præuaricatur, & reuerentia numinis obmittitur, dum in teſtem aſſumitur falſitatis, idq; pertrahitur in conſuetudinem, cui tarde reluctatur, ſed proficit iugiter, unde hic iuramentũ uetat ne fiat periurium, & ne aſuetudini indulgeatur iurandi.

9 Nominatio uero dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus ſanctorum non admiſcearis: quoniã nõ eris immunis ab eis.

Aßidua quidẽ dei nominis nominatio non reprehenditur dum oratur, legitur uerbum dei, pſallitur uel prædicatur: ſed dum iuratur, uel ſine cauſa & reuerẽtia pronunciatur ſacratißimum dei nomen. Sanctorum autẽ nomina, non intelliguntur diuorum & ſanctorum uirorum uel fœminarum nomina, ſed res ſanctæ, ut arca fœderis, templum, ara, ſacrificia, ſacerdotia. De quibus Chriſtus in euangelio, per quæ non decet iurare quenquam. Non eris immunis à culpa, ſi per illa iurare aſueueris, qui uel nunquam iurare debes, uel non niſi per deum ſolũ in neceßitate iurare, cum cultus & religio ſit iurare per aliquem, cuius nomen, quod nulli conuenit deferri præterquã ſolo deo, in cuius nomen ſolius iurandum, non in alterius, qui deus uerus non ſit, & rerum humanarum adminiſtrator. Non eſſe immunem à ſanctis intelligitur, nõ ut homines, uel diui facultatem habeant puniendi peierantes per illorum nomina, ſed ab offenſa diuina non erunt immunes, nec à uindicta qui ſic aßidue per ſanctorũ nomina iurãt.

10 Sicut enim ſeruus interrogatus aſſidue à liuore non mouetur: ſic omnis iurãs & peruminans in toto à peccato non purgabitur.

Sicut ſeruus aßidue flagellatus nõ poteſt carere liuore cicatricũ, quæ ſubinde nouæ incutiuntur: ſic diu uanum iuramentum falſo emiſſum punitur à domino, interim ad terius reus conſtituitur, augetur enim uſu & conſuetudine, ne libido iurãdi, ut tardius deſinat, ſed increſcat cõtinuo.

11 Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.

Quicunq; ſeſe aſueſecerit ad iurandum exultioso inſtituto & praua conſuetudine, is ſic peccat cõtinuo, ſine ſtitutam & inconmutabilem ueritatem aſſumẽdo in teſtimonium falſitatis. Et à domeſticis ſuis ipſum in crimine imitantibus non recedet plaga ultionis diuinæ, quotidie enim magis ac magis labentur in grauiora facinora, quos tandem manent in futuro horrendiora ſupplicia, & in hac uita non raro incident in aduerſa. Non enim erit impunitus qui ſuper re uana nomen eius aſſumpſerit.

12 Et ſi fruſtrauerit fratrem, delictum illius ſuper ipſum erit: & ſi diſſimulauerit, delinquet dupliciter: & ſi inuacuum iurauerit, non iuſtificabitur: replebitur enim retributione domus illius.

Si falſe iurando quiſpiam circumuenerit fratrẽ ſuũ, ſibijpſi magis nocebit, peccat enim in ueritatẽ grauiter, & de damno dato ſatisfacere obligabitur. Quod ſi diſſimulauerit ueritati teſtimoniũ certum reddere, ad horum quiſitus legitime, duplo peccabit, ueritatẽ cælando, quã oportuit conteſtatam, & proximo damnũ ingrediendo quod loquendo uerũ poterat præcaueri. Pariter enim obligamur ad teſtimonium uerax, & ad non tacendã ueritatem. Et ſi quis ſine cauſa uel inaniter iurauerit, non iuſtificabitur, ſed reprobabitur. Inaniter autẽ iurat, qui non iurat in iudicio, ueritate & iuſtitia, & ut controuerſia quæ alioqui tolli non poſſunt, tandem finiantur. Dominum repleri retributione, eſt nedum iurantem puniri à domino, ſed & familiam & poſteros grauiter flagellari.

13 Eſt & alia loquela contraria morti, non inueniatur in hæreditate Iacob.

Contrarius iurationi eſt alius ſermo malus, qui et ipſe ſine inuoluitur & circumamicitur morte, blaſphemia ſcilicet. In iuratione enim ſupponitur deus infallibilis ueritas

pec-

tatis testis dignus & certus, in blasphemia autem diabolus inuocatur testis, & de deo indignum aliquid pronunciatur. Huiusmodi autem blasphemi lege præcipiuntur à domino lapidari. Huiusmodi autem blasphemiæ crimen non sit in populo dei, in semine patriarcharum, in hæreditate & peculio altissimi, in ecclesia quacũq; fidelium minime permittatur, sed legitime & grauiter puniatur.

14 Etenim à misericordibus omnia hęc auferentur, & in delictis non uolutabuntur.

Misericordes hic probi, fideles, iusti & benefici nominantur, qui huiusmodi uitia diligenter uitabũt per dei gratiam, qua præseruantur, & fidem uerborum dei, ubi hæc omnia serioſe prohibentur. Vnde & pro sua fide in dominũ & obedientia, huiusce uitijs minime delectabuntur, multo minus gloriabuntur ex eis, sed detestabuntur magis, & abijcient studioſe.

15 Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa uerbum peccati.

Modestiam ac disciplinam custodias, maxime in uerbis. Sermo uester semper in gratia sale sit conditus. Omnis quoq; sermo malus ex ore uestro non procedat, sed si quis bonus est ad ædificationem. Est enim in illo sermone indisciplinato fructus peccati ingens in mortem, periurum scilicet, uel detractio, adulatio, scurrilitas, & multa huius generis. In multiloquio enim non deerit peccatum, quod procul abesse oportet à doctoribus.

16 Memento patris & matris tuę, in medio enim magnatorum consistis: ne forte obliscatur te deus in conspectu illorum, & assiduitate tua infatuatus improperium patiaris, & maluisses non nasci, & diem natiuitatis tuæ maledicas.

Etiam si in statum honorificum promouearis, & glorioſus fias, pauperũ tamen parentum tuorum & humilium nequaquã sic obliuiſcaris, ut illis non prospicias de necessarijs uitæ, de honore exhibendo uerbis & factis, multo minus de humilitate illorũ erubescas, aut eos odias. Est enim iniquitas ingens & abominabilis coram deo & hominibus, maledictionem in præsenti susceptura & in futuro. Quæ enim ingratitudo maior, q̃ filiorũ diuitũ, ad humiles & egenos parentes? Iustissime talium obliuiscitur deus, eatenus ut obruat eos grauibus calamitatibus huius mundi, & pœnis infernalibus. Hac quoq; illos animaduersione percutit iustitia dei, ut dum se magnatorum potentia fretos & stipatos credunt, ut pauperũ parentum nulla sit illis existimatio necessaria, subito deus uel uitam adimit uel fortunam, si non utrunq; ut meriti sunt propter læſos parentes. Digne itaq; tandem improperium feret, qui talis est, tam horrendum, ut malit nunquam se natum fuisse, q̃ tantis obrui malorum procellis, ut etiã diem natiuitatis suæ maledicere cogatur præponderare miseriarum suarum. Vnde Prouerb. 19. Qui affligit patrem & fugit matrem, ignominioſus erit & infelix.

17 Homo assuetus in uerbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur.

Qui assuetus est opprobria iaculari in homines, maledicere uel calumniari, ad bonos mores & honores ciuiles uel ecclesiasticos erudiri & promoueri non poterit. Difficile est assueta relinquere, sed difficilius est improperia malignorum ferre. Interim tamen malitiã suam emendare non potest. Vidisti hominem uelocẽ ad loquendum, &c. eius correctio non est speranda.

18 Duo genera abundãt in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem.

Quæ sint tria hæc genera peccatorũ, abundanter et per excessum peragenda, sequentibus indicatur sententijs. Cupiditas scilicet, quæ est radix omniũ malorũ auaritia. Gula quoq; & ebrietas, multas generans paßiones in anima & corpore. Ex quibus tertium sequitur malum exitiale, adulterium. De quo uitio postea plura loquetur. Gula.

19 Anima calida quasi ignis ardens nõ extinguetur, donec aliquid glutiat: & homo nequam in ore carnis suæ non desinet donec incendat ignem.

Homo æstu auaritiæ inflammatus, non cessat inhiare, donec aliena deuoret bona, & ueluti deglutiat, nec tamen tunc quoq; extinguitur hæc uoracitas, nisi fortaßis ad horã, ut postea magis ardeat. Insatiabilis est enim oculus cupidi, nec satiabitur, donec consumet iniustitiam. Deinde tangitur genus secundum gulosorum, aliorum bona auide comedentium, & animalia uentris corporibus & animabus perdendis studentium. Non enim desinet appetendo donec ignem incẽdat libidinis in seipso. Venter enim mero æstuans statim spumat in libidinem. Est enim gula materia luxus.

20 Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur trãsgrediens usq; ad finẽ.

Tertium hic genus lubricorum ac adulterorum prosequitur. Omnis uoluptas quam habet cum aliena, dulcior uidetur q̃ cum propria, Aquæ enim furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Talis non cessabit transgredi mandata dei, Non mœchaberis, & non adulterabis. Tenacißime enim hæret hoc uitium, ut sæpe quoq; in senibus iuueneſcat, ut Salomon in sua senectute corde deprauatus est per mulieres. Voluptas.

21 Omnis homo qui trãsgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens, Quis me uidet? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circũspicit me: quem uereor? delictorũ meorum non memorabitur altissimus.

Is, inquit, fornicarius uel adulter in finem fatigabitur, donec letale peccatũ opere perficiat, non cessabit agere quod agit. Trãsgredietur enim sine timore dei & hominum fidem coniugij, & personã proprij contoralis relinquit, contra fas & fidẽ, paruipendens interim animæ suæ salutem, quam contemptibilem reddit & bestialem dæmonisq; adulteram. Dicit aũt uerbo, cogitatu uel opere sic agens, quasi deũ putet neſcire eius opera, quia agit ea in tenebris. Quis, inquit, me uidet constitutum in tenebris, intra parietes concluſum, ut nullũ habeam formidare? Non erit memoria delictorũ meorum apud altiſſimũ, uel ignorabit, uel facile indulgebit. Nõ aduertit nec pensat opera uel studia mea, qualiacunq; tandem sint. Adulteriũ.

22 Et nõ intellexit quoniam omnia uidet oculus illius, quoniã expellit à se timorem dei huiusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum:

Hæc quidẽ impius cogitat, sed alia illi in mentem uenisse debuerant, longe ueriora & iustiora illiq; utiliora. Nempe primum: Nihil à prouidentia uel omniscientia dei exceptum esse uel absconditum, quin in omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos. Id ille non ponderat, quia timorem dei postposuit, nihil fortius timens quàm ne Venereis suis uoluptatibus exuatur & priuetur, qui timor, dei timorem prorsus excluſit. Sicut & timor hominum, illum offendere timentiũ uel impedire, non illũ impediuit, nullos enim tales sustinet uel uereretur, qui deum non formidat, quin potius sic se gerit ad alios, ut se homines timere uelint nolint cogantur.

23 & non cognouit quoniam oculi domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes uias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.

Cogitandum illud potius fuerat huic luxurioso homini, ut sint multo lucidiores sole oculi domini ad omnia illustranda & intuenda etiam profundißimas abyssus, sic & hominum mentes & cogitatus.

24 Domino enim deo antequam crearentur omnia, sunt agnita: sic & post perfectũ respicit omnia.

Cognitio dei omniũ.

Cognitio rerum omnium non noua deo accessit, sed in seipso tanquam in speculo gloriæ perfectißimo uno intuitu conspicit omnia, non tantum quæ sunt & fuerũt, sed & quæ futura sunt & fieri possunt. Quam cognitionem non tantum post rerum creationem habet, sed ante mundi constitutionem semper & in æternitate, & nunquam non est habiturus: omnia enim inuariabili scientia unicoq; intuitu intuetur, dum seipsum uidet, ne quid perfectionis à creaturis accipere uideatur, qui est ipsa perfectio rerum omnium, & bonum quod optimum. Non est ergo ut quisquam hominũ absq; aspiciente domino peccare se posse speret. Ipse enim reuelat profunda, & nouit in tenebris constituta, ut in Iob: Oculi eius super uias hominum, & omnes gressus eorum considerat.

25 Hic in plateis ciuitatis uindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur: & ubi nõ sperauit, apprehendetur.

Qui nec deum nec homines timendos censuit à se, impurus & impius adulter, simulq; blasphemus in deum, is propediẽ sentiet domino irascente quem spreuerit, quis crimina illius in lucem produxerit, quando in publico ciuitatis foro aut spectro punietur pro suo adulterio, secundum legem lapidibus obruendus. Capietur enim domino tradente suo tẽpore, non aliter quàm ut lasciuus equus, ubi nõ sperauerat, uel quicquam mali fuerat suspicatus. Apprehendetur enim à marito, cuius cõstuprauerat coniugem. Zelus enim uiri non parcet in die uindictæ.

26 Et erit dedecus omnibus, eo quod non intellexerit timorem domini.

Dedecus quidem omnibus erit adulter deprehensus tandem, maxime autem suis, quia timorem domini dei sui abiecerat, uoluitq; sibi licere quicquid libebat, ideo in adulterium turpiter incidit uolens & contumax. Sanctus autem & dominum timens, facile æstus libidinum superat, fideq; in deum orat: Confige timore tuo carnes meas.

27 Sic & mulier omnis relinquens uirum suum, & statuens hæreditatẽ ex alieno matrimonio: primò enim in lege altissimi incredibilis fuit: & secundo in uirum suum deliquit: tertio in adulterio fornicata est, & ex alio uiro filios statuit sibi.

Adulterij crimen exponitur consequenter in feminis. Relinquit enim adultera & abijcit fidem coniugalem marito suo, quam multorum imò ecclesiæ testimonio perpetuo obseruandam iureiurando promisera. Imo super facto quoq; iniuriatur ex filijs, statuens uel subdere eidem marito suo hæredẽ ex alio matrimonio, priuatis hæreditate proprij patris, & ditans aliena. Multiplicater igitur peccat: primo, diuino mãdato rebellis est, adulterium prohibenti: secundo, perfida quoq; in maritum nihil tale scientem. Corpore quoq; suo abutitur, cuius potestatem non ipsa in hoc casu habebat, sed uir suus. Filios quoq; suos legitimos spoliat paterna quæ ei debebantur hæreditate.

28 Hæc in ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur.

29 Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum: derelinquent in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur.

Adultera huiusmodi sistenda erit ecclesiæ, hoc est iudicibus ordinarijs, & uel iuxta legem lapidanda, si constet crimen legitimis testimonijs. Et in filios eius respicietur, hoc est omnes eius filij despicientur tanquam illegitime nati, præsumitur enim id quod deterius est in re dubia. huiusmodi. Eradicabuntur de familia mariti, infelices erunt, & non honorabuntur, nec promouebuntur ad honestos status. Sobolem in paterna domo non gignent, in materna reportabunt diffamiã. Contumeliam ferent per omne illud sæculum, & maledictionem redolebit omnium eorum memoria, unde & de adulterante in Prouerbijs dicitur: Turpitudinem & ignominiam eius congregabit sibi, & opprobrium illius non delebitur. Viæ enim adulteræ inferi, domus eius penetrantes ad interiora mortis.

30 Et agnoscẽt qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est, quàm timor dei: & nihil dulcius, q̃ respicere in mandatis domini.

Ex hac adulterorum uindicta, quam utriq; euadere uoluissent, intelligent reliqui hominum, quantum prosit timere deum, obseruare legem, seruare fidem, amare castitatem, colere matrimonium, prospicere proli, consulere famæ, conseruare hæreditates, familiam honorare, uitam redimere, & cum tranquillitate uiuere in hoc mundo, quàm contraria istis.

31 Gloria magna est sequi dominũ: longitudo

tudo enim dierum assumetur ab eo.

Nihil felicius & glorioſius in hoc mundo, quàm domino adhærere & ſubijci eidẽ, uirtutum actibus conformari, illius beneplacito conſentire, & ab ipſo perduci poſt uitam diuturnã & iucundam tranquillamq; ad gloriam æternam, unde Prouer. 3. Præcepta mea cor tuum cuſtodiat, longitudinem enim dierum, & annos uitæ & pacem apponent tibi.

CAPVT XXIIII.

1 Sapientia laudabit animã ſuam, & in deo honorabitur, & in medio populi ſui gloriabitur, & in eccleſijs altiſſimi aperiet os ſuũ, & in conſpectu uirtutis illius gloriabitur, & in medio populi ſui exaltabitur, et in plenitudine ſancta admirabitur, & in plenitudine electorũ habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens,

Exponitur hoc caput uarie de ſapientia ſacræ ſcripturæ, de Chriſto, de beata uirgine, de eccleſia, de fideli anima, de angelica natura, de Salomone. Quid ſpiritus meditanti illa ſuggeſſerit annotabo, Lectoris erit iudicium ſi digna proferantur, aut ſpiritus ſuppeditabit ſtudium cogitandi meliora. De ſapientia in genere ſonare uidetur primus uerſus, qua deus & quæ diuina ſunt digne ſcitum tur & inquiruntur, quam fideles inueſtigare, excolere, & magnificare, diſcere & credere debent, & ſecundũ eam uiuere, quæ aliud non eſt, quàm participatio quedã ſapientiæ diuinæ, quæ ſe communicat fidelibus, qua ſciãt quid uerum, iuſtum, pium, ſanctũ, & deo placẽs, de qua diuina poſtea loqui incipit. Nunc ueluti introductorium præmittit de ſapientia dicens: Sapientia non indiget alia qua commendatione humana, uerbis noſtris non promoueri poteſt, minores intellectu ſumus, q̃ ut rem tantam digne æſtimemus. Ipſa ſapientia ſeipſam laudabit, ſine omni arrogantia uel errore, ueriſſime, & ſolũ ſufficienter, ipſa enim nouit ſeipſam optime ſola. Honorẽ autẽ ſuum nõ quærit nec æſtimat niſi in deo, cuius ſolius donum eſt, in quem ſolum dirigit ſapientem, quem obiectum tenet, cui tantũ intendit. Vt quæ de creaturis reliquis ſapiẽtia habetur, ſeipſam laudare non poſſit, quod permixtos teneat complurimos errores, & humilitatis ſit neſcia, ſed inſtet magis, ne uelit tantum in domino honorari. Nec tamen illa uera ſapientia gloriam ſuam aſſequetur, niſi in populo dei, in cordibus iudicioq; fideliũ, qui eam appreciantur ut eſt. Nec etiã cum alijs dignatur cõmorari, humilis enim cum ſit & ſancta, non niſi humiles, pios, fideles q; imbuit & docet. Non habitare uult in anima ſubdita peccatis. Ea ſapientia eſt, quam audiunt eccleſiæ fidelium, quæ ſunt eccleſiæ altiſſimi, ibi docet, ibi intelligitur, ibi ſuſcipitur, & appretiatur. Aliam enim uocem ſi deles non audiunt, quàm quæ de uerbo dei depromitur, quod eſt ſapientia illa uera & ſancta. Quæ gloriã ſuam aliam nõ ducit quàm prædicare uirtutes dei, omnipotentiam, ſapientiam & bonitatem ſummi boni. In cõſpectu uirtutis illius gloriari, eſt de altiſſimi magnalijs diſſerere, dei ſolius gloriam & uirtutem iactare. Non tantum ipſa gloriabitur ſancte de ſeipſa coram fidelibus, ſed & fideles ipſi eam exaltabunt ſolam, & magnifice intelligentes & confitentes, ſolam eam ſapientiam ueram & ſanctam eſſe, quæ in eccleſijs ex uerbo dei depromitur. Hæc ſapientia uera non magnam laudem aſſequetur ab his qui ſæculariter ſapiunt, & inflantur eruditione humana uel philoſophica, ſapiunt enim quæ carnis ſunt illi, à quibus hæc ſapientia abhorret q̃ maxime. Sed ſuam laudem aſſequitur & ſeruat in electorum multitudine, qui per fidem ſapiunt, & ad æternam felicitatem, ad tantum ſapientiæ munus electi ſunt, ut illam capere & amplecti poſſint. Non poteſt illa ſapientia laudem habere nec benedici niſi à benedictis, & à deo ſanctificatis ac prædeſtinatis ad uitam. Quia autem omne bonum deſuper eſt, deſcendens à patre luminum & donorum, ideo ſapientia quoq; diuinitus data aliam nõ habet originem uel cauſam, niſi ſapientiam illam increatam, quæ æterna eſt, & ipſemet deus, pro maxima ſimplicitate dei. Sicut & uirtus & potentia dei aliud non eſt quàm ipſe deus. De illa ergo diuina ſapientia & increata nunc loqui ſanctus author incipit, inducens eam ſic loquentem:

Sapientiæ laus.

2 Ego ex ore altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.

Sapientia illa increata & diuina, infinitæ perfectionis, & ipſe deus, non aliter nobis fidelibus loquitur, q̃ ut intelligi poſſit à nobis. Ideo ſicut ab ore ſapientis egreditur ſapientia per uerbum, ut intelligi poſſit ab intellectu audientis: ſic ſapientia dei deus dicit exire ſe à deo altiſſimo, non ut actio ab agente, uel accidẽs à cauſa uel ſubiecto, ſed tanquam emanans notitia uel ſapientia ab ente ſummo, optimo & maximo, quod ſapientia intelligi nequeat, niſi alicuius, & qui ſit ſapiens, & nũquam non ſapiens ſummum bonum ſe eſſe & quicquid ipſum eſt. Hanc autem ſapientiam à primo ente deo ſine principio & fine emanantẽ, Chriſtus dominus & ſaluator nominauit filium, quia per naturam diuinam genitum, & deo patri conſubſtantialem, neceſſario exiſtentem, quem & ſancti notitiam genitam nominarunt, ſed ſubſtantialem, non accidens, quod in deo nullum eſt. Euangeliſta Ioannes idem illud à deo patre emanans, uerbum nominauit, quod & deum eſſe dixit, indicans tamen ex ui uerbi uel locutionis proceſſionem quandam ab eo unde uerbum proferri neceſſe eſt. Hæc eſt ergo proceſſio illa, qua ſe ſapiẽtia dei prodiſſe docet ex ore, ut ſic loquamur, altiſſimi, idq; non in tempore uel poſt quamcunq; creaturã productã, ſed ante omnia quæ ſunt, & nõ ſunt deus. Vnde & ſapientia illa deus eſt, iuxta entitatem eius, quæ unica eſt ipſius, & ei à quo eſt, ſola emanationis proprietate differens, ut non poteſt emanans omnino eſſe omnibus modis quod illud unde emanat, etiam ſi ſit eiuſdem naturæ & eſſentiæ. Sic quoq; potentia, uis, & interna operatio dei, deus quidem eſt, & coæterna ſapientiæ, & ex ipſa quoq; ſapientia ueniens à deo patre. Non enim intelligi uis dei poteſt abſq; deo, cum tamen intelligi poſſit non idemptitas etiã uirtutis ab eo cuius eſt uirtus, licet in eadẽ entitate: quã dei ſummã uim Chriſtus ſpiritũ ſanctũ nominauit, proprietate quadam

Sapiẽtia increata.

Spiritus ſanctus.

amoris producti ad intra differens, cum sit eiusdem uir-
tutis & sapientiæ cum diuinitatis origine in patre, pror
sus eadem essentia, diuinitas, perfectio, & maiestas, quã
De trinitate quomodo loquendũ. perscrutari qui uelit, hauddubie opprimetur à gloria. Ni
si his tantum semitis utatur, quas Christus explicauit,
utens quibusdam loquẽdi modis, quos nos quoq; sequen
tes, & non uariantes, tuto loquemur, si tamen etiã par-
ce, humiliter & cum timore loquamur, ut dicamus: De-
um patrem filium & spiritum sanctum, Deus uerbum
& uirtus, deus sapientia potentia, pater uerbum & spi
ritus: uel si quæ aptiora uocabula inueniuntur, superbe-
nedictam illam trinitatem designantia, ut unitas in trini
tate, & trinitas in unitate credatur & confiteatur, se-
cundum uetustißimam sanctorum traditionem, qua an-
te Christi aduentum prophetæ & uiri sancti, non sper-
nenda dixisse magis quàm scripsisse leguntur, de nomi-
ne dei tetragrammaton, de nomine quoq; duodecim lite
rarum, & de nomine quadraginta duarũ literarum. De
Paulus de Heredia. quibus multa olim Paulus de Heredia, post quem Picus
Mirandulanus, Augustinus Iustinianus, & Petrus Gale-
tinus tradiderunt, præter ea quæ sanctißimi olim patres
Origenes, Athanasius, Hilarius, Augustinus, Cyrillus, et
multi alij, cõtra Arrianorum hæresim multis libris, non
nisi ex uerbo dei petitis testimonijs egerunt. De quo nu
H. Bullinge tus. per episcopus & ipse noster Heinry. hus Bullingerus in
Synodo nostra Tigurina tractatum ædidit, sancta erudi
tione & catholica fide exactißimum.

3 Ego feci in cœlis ut oriretur lumen inde
ficiens, & sicut nebula texi omnẽ terram.

Verbo dei omnia. Eadem sapientia sua, omnipotens deus pater fecit o-
mnia quidẽ, sed inducitur nobis sapientia loquens de o-
mniũ rerum conditione, quæ à deo patre, filio, & spiri-
tu sancto creatæ sunt. Per sapientiã enim suam increatã,
sed tamen suo modo exeuntem à patre, creatum est sta-
tim à condito cœlo & terra, indeficiens illud lumen so-
lis, perfectum tertio statim die. Quanquã & natura an
gelica à quibusdã hic lumen accipiatur, quæ tamen quia
in opere creationis nominata non est, sed solis tantum iu
bar, unde astra omnia lumen mutuantur, de ea nihil hic
quoq; dictum putamus. Et sicut nebulam texi omnem ter
ram. Iam ante solis creationem sapientia eadem dei, &
ipse deus uirtusq; dei, caligine totum quod erat super ter
ram obduxerat, iuxta illud: Tenebræ erant super faciem
abyssi. Vel si libet aquarum distentionem toto cœlo ante
eius segregationem extantem hic nebulã dicere, omnem
terram tegentem. Sed & spiritum domini qui ferebatur
in omnia, uiuificabat, agebat, promouebat, conseruabat,
ab eo tempore per dei sapientiam omnia, usq; nunc &
sine fine intelligere possumus, secundum illud: Verbo do
mini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus
eorum, qua immensitate sua uniuersa peruadit & ope-
rit, quæ dicit: Nunquid non cœlũ & terrã ego impleo?

4 Ego in altissimis habitaui, & thronus
meus in columna nubis.

Sapientia immortalis. In altißimis habitat sapiẽtia dei, hoc est immortalis
est, & inatting bilis intellectu humano, omnia sapien-
tißime ordinans, infima per suprema. Sed & electorum
corda illuminans, & prophetas constituens, participa
tionem sui permittens omnibus sapientiã de excelsis cu
pientibus. Quanquam aũt super omnia sit sapientia dei
deus, statuit tamen soliũ suum cum electis Israelitis, prin
mum quidẽ in columna nubis, cum educeret filios Israel
de Aegypto, ubi familiariter dei sapientia per uerbum
suum loquebatur Mosi in solitudine, sicut & tam angu
in rubo ardente, admirando quodã spectro, quod dei an
gelus uocabatur, & deus dicitur & fuit, ineffabili quo
dam modo apparens hominibus, quo eum capere potue
rant, cũ deus esset ubiq; existens, sed uarie loquens, nunc
in angelorũ forma, nunc in nube, nunc in caligine, nunc
in igne, deus tamen omnia agebat in omnibus, suo modo
præsens eis quibus loquebatur, interim tamen non minus
omnia implens, conseruans, gubernans, & omnia agens
in omnibus. Vt non sit contra rationem, quanquam sit
pra rationem & ineffabile, quomodo etiam eadem dei
sapientia, quæ multifariam apparuit patriarchis & pro
phetis per multas similitudines, tandem etiam in forma
humana apparuerit uerbũ dei, & sapientia patris incar
nata, & naturam humanam assumens, mysterium salutis
humanæ & misericordiæ dei expleuit inter homines, eo
modo quo illi complacuit, & qui dudũ à prophetis &
olim primis parentibus fuerat promissus & prædicatus
sine diminutione maiestatis diuinæ, quæ licet omnia gu
bernet ubiq; præsens, tamen peculiaria quædam agit in
quosdam pro uoluntate sua & gratia. Sic qui in colu
regnabat, in ignis & nubis columna præibat electis, eo
spectro, quod iam deus, iam angelus, iam elohim, iam ie
houa dicebatur. Re uera tamen aliud uel alius non erat
quàm qui loquutus est prophetis, qui in tabernaculo se
deris super cherubim & propitiatoriũ residens respon
sa dabat in formis, deinde in sanctuario fixo à tempore
Dauidis, donec ex eius semine natus appareret rex glo
riæ Meßias Christus dominus & rex regum.

5 Gyrum cœli circuiui sola, & profundũ
abyssi penetraui, & in fluctibus maris am
bulaui, & in omni terra steti.

Immensitate sua deus per sapientiam & potentiam
suam omnia gubernat, & in suo esse conseruat, siue cœ
lestia sint siue terrestria abyssus maris & inferorum.
Quicquid cœlorum ambitu continetur, totum in summa
est sapientiæ dei, & uirtutis quæ deus est, in ipso subsi
stunt omnia elementa, ætheris, aquæ & terræ, & quic
quid ex illis & in ipsis continetur uel subsistit. Quod au
tem solam se dicit, excludere uult quicquid deus non ip
sed à deo conseruatur & regitur, sic ut per omnia pene
tret uerbum dei deus, & omnium essentijs eatenus ille
bitur, ut rebus omnibus intimior sit dei essentia, sapien
& uirtus, quã ipsæ res sibi inexistant, & earum essen
intrinsecæ, materia uel quæcunq; essentialis uel subsis
tialis forma, quæ tamen dat esse rebus. Totũ tamen fit
ne omni commixtione & contaminatione, non minus
uirtus & calor solis, imò multo præsentius & intimi

6 Et in omni populo, & in omni gẽte pri
matum habui: & omnium excellẽtium, &
humiliũ corda uirtute calcaui, et in his om
nibus

nibus requiem quæsiui, & in hæreditate eius morabor.

Quanquam peculiari gratia Israeliticam gentem nobilitauerim, & beneficijs magnis & multis affecerim, non est tamen uspiam nec fuit unquam populus aut natio, quam non æque subiectam & à me pendentem habuerim, & dominum omnium dominiorum apud me constituerim. Vt sunt omnes in mundo gentes in plena obedientiali potestate mea, ut quicquid uelim de eis statuere possim & facere. Nec quispiam tam excellens unquam fuit aut esse potest, qui non mihi pro omni meo uoto subesse cogatur uelit nolit. Quin & humilium quoque regimen & curam non abieci, ut sim ego solus omnia in omnibus, cui omnia quæ sunt obnoxia sunt & plene subiecta. Cum uero omnia potestati meæ tenerem subiecta, terram, gentes, regna & creaturas cunctas, bonitatis tamen meæ gratiam præ alijs uni genti impartiri iam olim à mundi constitutione decreui, quam nõ ad hoc reperi dignam quidem, sed electione & gratia mea dignam habui, ut ei uoluntatis, sapientiæ & potentiæ meæ mysteria reuelarem, cum ea aliquo præsentiæ modo requiem quærerem, & in fidelium patriarcharum meorum hæreditatem descenderem, illic mundo immotescerem, & recreationis beneficium perpetuæq; salutis beneficium iuxta promissa mea, & gentium omnium expectationem exhiberem. Morabor autem in hæreditate fidelium, quia incarnationis mysterium apud eos impleui, quod sine fine durabit & fructificabit, & ab electis non auferetur: & ut gratiæ meæ perpetuũ pignus à fidelibus meis nunquam auferam.

7 Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium: & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo,

Iam ipsa dei sapientia Christus inducitur loquens uelut persona, de eo à quo prodijt suo modo, scilicet per generationem æternam, & sic dicere: Tunc creator omnium deus pater omniũ uoluit & ordinauit, de mysterio scilicet incarnationis & restaurationis omnium. Et is idem pater, à quo uel cuius ore prodiui secundum dei quod sum deus, et insuper homo de semine Dauid secundum carnem, requieuit etiam ipse iuxta suam deitatem, sapientiam, & uim agendi in eo tabernaculo, quod sum ipsi de sanctissima uirgine. Corporaliter enim, id est substantialiter habitauit deus in Christo deo & homine. Sicut iam olim diuinitas habitare in typo uoluit super arcam & propitiatorium in sancto sanctorum, suo modo, & ea ratione, quo modo nec in cœlo nec in terra habitabat, quanquam pro immensitate sua adesset rebus omnibus in tota mundi machina. Ne alienum à captu sit & ratione, deum aliquo modo habitare in Christo, quo modo nullibi fuit uel est, licet nusquam desit.

8 & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.

Sic pater omnipotens uerbo suo carnem facto & incarnato dixit, ex amore quo mundum suum dilexit, ut filium daret & mitteret. Dixit, inquam, ut in populo domus Iacob habitaret, ut Israelitico populo, qui est hæreditas domini, prædicaret, & eidem soli ab initio mitteretur iuxta promissionem patribus factam, ad oues scilicet quæ perierant de domo Israel, si illum fuissent susceptur omnes. Sed non capiebat hæc gratia nisi reliquias Israelis, quæ solæ saluandæ prædictæ fuerant, reliquis abiectis in tenebras exteriores. In illis reliquijs sanctis Israelis radices mittendæ dicuntur, qui ad hoc electæ erant, quarum radicũ uis, uigor, uiror, flores & fructus ramorum in totum orbem prodierunt, quem & repleuerunt sapientia dei, per uerbum ueritatis, expulsis erroribus & criminum conscientijs.

9 Ab initio & ante sæcula creata sum, & usq; ad futurũ sæculum nõ desinam: & in habitatione sancta coram ipso ministraui.

Increata sapiẽtia incarnata.

Hæc ego sapientia dei, qua creata sunt omnia, qua et electi sanctificati sunt, & reconciliati deo, à conditione mundi prædestinata sum in tempora, carnem sumere, & creaturæ humanæ eatenus uniri, ut tamen tunc quoq; cũ patre omnia conderem, & nunquam à mundo regimine cum patre & spiritu sancto cessarẽ, sed ex insigni bonitate dei ad humanum genus, semper ueluti legationis munere fungi uidebar ad patres electos, ex quibus olim erã carnem susceptur. Quicquid enim dispensationis egit deus cum patribus et prophetis, totum egit uerbo suo, sapientia illa increata, sed genita ab æterno, quæ et postea genita est eatenus in carne, ut in carne appareret, loqueretur, & ageret. Vsq; ad futurum sæculum non desinam, id est non cessabo regere mũdum donec durabit, & non cessabo agere ego dei sapientia, quod dominus uoluerit & iusserit, quoad uenerit tẽpus plenitudinis, in quo nouo modo apud ipsum in humanitate ministrabo, nõ solũ in cordibus fideliũ, quæ sunt templa dei uiuentis, sed in totius ecclesiæ regimine & redemptione electorum. Iam autem sæpius didicimus, creationis & factionis uocabula cõmuniter & non anxie uel strictim capienda. Nemo enim nouit sapientiam dei creatam non esse, sed deo coæternam & consubstãtialem, in quo accidens & nouitas locum non habent. Creata autẽ sapientia, quæ in sanctis est hominibus, ante mundi constitutionem nõ fuit, nec nisi per creationem produci potuit & infusionem. Qualis fuit etiam sapientia animæ Christi, quanquam sapientia dei & uerbum incarnatum creata non sit, sed increata, sed producta iam ante omne initium entium aliorum à deo, & usq; ad sæcula omnia minime desitura.

10 Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea.

Sapientia patribus innotescens.

Hæc ipsa dei sapientia quæ est deus, qua & mundo deus innotuit bonitate & potentia sua, peculiariter sese obtulit & præsentem exhibuit patribus sanctis, ab eo tempore quo Mosi in rubo & Israeli in monte Horeb, deinde in tabernaculo fœderis et super propitiatorium, quod tandem à tempore Dauidis constitit, & primum locum fixum accepit in monte Sion, ubi postea templum fundatum est, & aliquoties restitutum, donec aliud sibi

tabernaculum uel propitiatorium parasset, sacratissimum corpus Christi, in quo deus corporaliter habitare inciperet, quod nunc post crucis & mortis humiliationem exaltauit in dexteram patris in cœlis. De ista ergo præsentia Christi in typo arcæ, qui Christus est, sapientia dei patris dictus, secundum diuinitatem eius, intelligamus quod hic dicitur: Ego sapientia dei in Sion firmata sum. Ibi enim firmum & stabilem mansionis suæ locum primum accepi. Quanquam & lex domini in arca dei sapientia hoc quoq; loco intelligi possit, sed non tam conformiter, ut sapientia & præsentia dei, quæ & non raro deus ipse nominatur, sicut & arca fœderis dei appellationem alicubi susceperit. Ex eo autem tempore, requieui in isto typo præsentiæ dei, non in omnibus locis, sed in sanctificata ciuitate dei, in Hierosolyma, ibi quoque præsentiæ, potestatis, & gratiæ signa & portenta multa ædidi contra impios & pro iustis, ut clare multa canunt sacræ historiæ, ut gloria dei illa inde reuelata fuerit reliquis gentibus, donec in carne sapientia dei patris facie ad faciẽ appareret, in terra uideretur, & cum hominibus conuersaretur. Non est enim maior dei potentia sæpius declarata, quàm Hierosolymis, & in terra Iuda, testimonio scripturarum.

Christi præsentia in typo arcæ.

11 Et radicaui in populo honorificato, & in partes dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.

Radices sapientiæ ueræ & fidei, omniũq; uerarum uirtutum, quæ pertinent ad ueræ sapientẽ, posui ego dei sapientia in populo Israelitico, honorificato per eximia beneficia, portenta, qualia non fecit omni nationi, per sanctos reges, prophetas usque ad Christum, qui omnia consummauit, & apostolis similia agendi potestatem dedit, in terra Iuda primum, deinde in tota terra. Et hæreditas illius terræ data est eis Israelitis de partibus, uel de sorte domini dei, qui est orbis conditor totius & possessor. In qua hæreditate domini, primo constituta in Iudæa, deinde disseminata in totum orbem, facta est detentio & proprietas plenitudinis totius, omnium quæ sancta sunt & habentur. Quasi dicat: Possessio mea prima Israel fuit, sed radices egit in totum mundum, ut tota sanctorum plenitudo mundum repleuerit, & iam sit hæreditas dei longe prælarior, quàm illo tempore fuerit, cũ notus caneretur in Iudæa deus, & in Israel nomen magnum eius, cum esset potestas eius in Ierusalem ferè sola. Nunc enim à Christi tempore & templi desolatione, detinet sapientia dei & timor, cultus & reuerentia totum orbem, & plenitudinem eius, ut nusquam non sint deo sanctificati, electi, & fideles filij Israel in spiritu & ueritate unius solius dei ueri cultores.

12 Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho.

Sapientia quæ dicatur.

Non solum uerbum dei & sapientia increata, quæ & Christus est, uere sapientia dicitur, & hic cõsequenter eximijs laudibus extollitur, citra tamen dignitatem quam creatura nec aliqua nec omnis cõsequi potest uer-

bis uel exemplis, sed & Christi domini nostri doctrina & euangelium, non tantum ab apostolis prædicatum & scriptum, sed etiam prophetarum doctrina, prædictio, & scripta dicuntur sapientia illa laudatissima, quæ a domino exiuit, & radices cum ramis & fructibus egit per totum mundum. Sic ut quicquid hic de sapientia dicitur, de Christo domino & euangelica doctrina uerissime exponi possit, quæ utraq; sapientia consequenter laudes qui inducitur ad laudandum seipsam humanis uerbis, ideoq; longe citra omnem illius dignitatem & meritum. Comparatur quidem sapientia dei Christus rebus creatis, sed longe deficientibus à perfectione eius, quod laudandum assumitur. Longe enim altior, nobilior & magis conspicua & odorifera est sapientia uerbi, quæ in Sion per Christum, apostolos & prophetas exaltata est, quam quæcunq; cedrus uel cypressus, in quamcunq; excelso & conspicuo Libano. Vtcunq; enim excelsa & conspicua sit illius cedrus, nulla tamen comparatio est eius sapientiæ, quæ de Sion exiuit, & uerbi domini de Ierusalem, ut in omnibus totius mundi angulis & hominibus conspiciatur, intelligatur, credatur, ueneretur, & usq; ad mortis necessitates uindicetur & defendatur a sapientissimis hominibus. De cedro ut notum traditur, arborem esse sublimem, suauiter redolentem, ligni imputribilis, resinæ præstantissimæ ad languores sanandos. Sed longe autem sublimior est sapientia uerbi dei, dulcior & incorruptibilior & sanior. Per sapientiam, inquit, sanati sunt omnes, qui tibi, ò domine, ab initio placuerunt. Cypressus uiribus est proxima cedro, & inter oneri nunquam cedens, sic nullæ scientiæ & perfectioni cedit sapientia, de qua dicitur, & fideles illius nulli cedunt oneri uel tentationi. Nullus stabit cõtra me, persequetur unus ex uobis centum alienos. Quasi palma exaltata sum in Cades. Quam dicunt inferius mandragoram, amara radice proferentem dulcissimum fructum, sed post annum centesimum oneri imposito resistit, & contranititur in altum, ideoq; & eius ramis coronantur uictores. Longe autem sapientia uerbi nobilior est, quæ per aduersitates crescit, honorat cultores suos, fructum beatitudinis profert tandem, ut cum spe certa expectetur. Cades uero loci nomen est, ubi nobilissimæ palmæ crescebant eo tempore, sed non semper, unde Phœnicia dicta est. Rosa autem plantata in Iericho, genus aliquod insigne habebatur rosarum, ut solet prærogatiuis regio una excellere aliam. Sed sapientia dei redolet sanctissimam, ualet contra sacrum ignem tentationum & infernum, oculorum mentalium lumen illustrat.

13 Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanꝰ exaltata sum iuxta aquã in plateis.

Oliua semper uirens arbor, pacis typus habetur, sapientiam significat, quæ nunquam marcescit, pacemq; procreatoris confert. Platanus quoq; à foliorum latitudine nomen sortita est, elegans, sapientiam notans latam & uilem doctrinis, consilijs & præceptis, iuxta illud: Latum mandatum tuum nimis. In plateis exaltatur, in cordibus scilicet iustorum, iuxta fluenta scripturarum sacrarum.

14 Sicut cinnamomũ & balsamum aro-

natzans

izans odorem dedi: quasi myrrha electa, dedi suauitatem odoris: & quasi storax & galbanus, et ungula, & gutta, & quasi Liba nus nõ incisus uaporaui habitationẽ meã, & quasi balsamũ non mistum odor meus.

Sapientiæ diuinæ in Christo, & Euangelicæ prædicationis fama felicissima, & admiranda uerbi dei uirtus et gloria describitur, toto orbe diffundenda & appretianda cum deuotione omnium gentium, sumpto tamen initio à Sion & Ierusalem, ubi lex domini exculta est & edocta usq; ad Christum, per quem & apostolos dissemiata est in orbem uniuersum. Quæ omnia hic corporalibus exemplis exprimuntur, ad significandum incrementa Euangelicæ doctrinæ, & spiritualium donorũ, in ecclesia congregata ex Iudæis & gentibus. Huius autem famæ diffusio significatur per odores optimos pretiosissimorum aromatum, secundum quod dicitur in Canticis: Curremus in odore unguentorum tuorum. Plures autem subinde nominantur arbores aromaticæ & species. Cynamomum tractatum muenies à Plinio lib. 12. cap. 19. Apud Aethiopes nascitur frutex duorum cubitorũ, quatuor digitorum crassitudinis, candidum & nigrum. De balsamo lege Plin. lib. 12. cap. 25. De myrrha ibidem lib. 12. cap. 15. Storax species est resinæ in Arabia crescens, immensum & iucundum reddit odorem, cuius ungulæ lachrymam funduntur, et quasi mellcum emittit liquorem. Galbanum in Syria crescit, herbæ cuiusdam lachryma, inter pretiosa censetur pigmenta: ualere dicitur contra morbum caducum. De quo Plin. lib. 12. cap. 25. Vngula aromatica similis ungui, unde & nomen sortitur, dulciter redolens, unde fiebat thymiama boni odoris, Exo. 30. Gutta frutex est aromatica, duritiam mitigans, tumores & inflationes expellens, &c. Libanus non incisus, arbor Arabiæ est, similis lauro cortice & foliis, succum uelut amygdalus fundit, optimi odoris, unde thus quod Libanus dicitur.

15 Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.

Terebinthus arbor dicitur Macedoniæ & Syriæ fructuosa, cuius resina pretiosa est & odoris iucundi. Verum arbor hæc dicitur esse magna in Syria, ramos habens sicut oliua. Sic sapientia uerbi dei ramos suos extendit charissimata gratiarum, operationes uirtutum, subsidia protectionis. De quibus subditur: Et rami mei honoris & gratiæ, fideles cultores sapientiæ illius, honorabiles

16 sunt & gratiosi, præclari & nobiles.

Ego quasi uitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis.

Sapientia uerbi uitis est fructuosissima, suauitatem doctrinæ salutaris, & consolationem conscientiæ emittens cultoribus suis Euãgelio gratiæ dei. Et flores mei fructus honoris & honestatis. Quid enim aliud Christus docet quàm uirtutes & honestatem, fidem & spem in deum, charitatẽ autẽ ad proximos? inde quoq; procedũt quasi flores sanctæ meditationes, affectiones piæ, colloquia sancta, et mores casti, unde Christus in electis agnoscitur.

17 Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & sanctæ spei.

Sapientia mater dilectionis.

Perstat in fœmineo genere sapientiam designans uerbi dei in Christo & Euangelicam doctrinam, re uera enim promotrix est & genitrix eius dilectionis qua deus diligitur præ & in omnibus, proximus uero ut ipse se. Et id non propter beneficia & mercenario amore, nec sensuali affectione tantum, sed propter seipsum, quia summum bonum: quæ tandem est pulchra dilectio, non turpis & quæstuosa. Mater quoq; timoris, non seruilis, sed filialis, ut illum uel in minimo offendisse amarissimum ducatur. Mater quoq; agnitionis, qua dominum deum nostrũ uere agnoscimus, & scimus uicissim nos illi curæ esse ut pupillam oculi, ut excidere ab illius gratia non possimus, dum in fide perseueramus. Et sanctæ spei, quæ non confundit, dum gratiam dei in præsenti & gloriam expectamus futuram.

18 In me gratia omnis uitæ & ueritatis, in me omnis spes uitæ & uirtutis.

Sapientia dei Christus.

Hæc quoq; ferè per omnia eadem uerba Christi domini de se, quæ totum illud nobis caput interpretantur, ut de sapientia dei, quæ Christus est, & ea quam docuit intelligamus. In me, inquit Christus, gratia est per quam omnes fideles saluantur, gratia pro gratia, ut gratificatus in eo nobis sit deus pater & reconciliatus, omnibus peccatis donatis in nomine eius, qui factus est pro nobis maledictum, ut patri reconciliaret mundum. Gratia, inquit, uitæ, in eo enim uiuimus, per mortem scilicet eius, uiuificauit enim nos in dilecto filio suo. Veritatis quoq; gratiam per Christum consequimur, qui dicit: Ego sum uia ueritas & uita. In me quoq; omnis spes uitæ & uirtutis, meruit enim nobis uitam & iustitiam, utrunq; nobis factus. Plenam quoq; per ipsum fiduciam habemus obtinendi uitam animæ per iustitiam et mortem eius, & uitam gloriæ in futuro. De plenitudine eius omnes accepimus. Sed tamen hic uersus in Græcis exemplaribus nõ hodie legitur.

19 Tranfite ad me omnes qui cõcupiscitis me, et à generationibus meis adimplemini

Sic quoq; Christus dicebat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Hinc hortatur Apostolus: Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus cum auxilio opportuno. Et Ioan. 7. clamabat: Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina &c. Et: Ego sum lux mundi, qui sequitur me &c. Qui ergo sapientiam ueram concupiscunt, Christũ adeant in scripturis loquentẽ, & de generationibus, id est fructibus uitæ illius adimplebũtur.

20 Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.

Sapientia dulcis.

Spiritus gratiæ & sapientiæ super omne mundanum desiderium dulcis est, & super mel omnis scientiæ sæcularis, uel inanis philosophiæ: reddit enim Christi spiritus mitem & humilem corde, ut posit in bono uincere malum. Et hæreditas mea quam filijs meis præparaui, beata retributio & æterna opulentia, dulcis est super mel &

famam. Oculus enim non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.

21 Memoria mea in generatione sæculorũ.

Memoria Christi.

Sancti iugiter memorabuntur uerborum dei & Christi promissi in ueteri, & exhibiti in nouo testamento. Si enim memoria iusti cum laudibus, quanto magis memoria iustificatoris omnium iustorum semper manebit cum laudibus? quam laudant indesinenter omnes sancti militantis & triumphantis ecclesiæ. Cœlum quoq; ait, & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.

22 Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.

Fames sapientiæ.

Si quis bonitatem meam suauiter degustabit, iuxta illud: Gustate & uidete quoniam suauis est dominus: adhuc esuriet, hoc est, plenius degustare me cupiet, & ad fruitionem beatificã mei aspirabit. Vnde Gregorius: Spiritalis refectio tanto magis à comedente esuritur, quanto ab esuriente amplius comeditur. Prophanæ quippe deliciæ per saturitatem in fastidium abeunt: spirituales autem dum habentur, appetitum magis accendunt.

23 Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, uitam æternam habebunt:

Sapientiæ studentes.

Qui sapientiæ diuinæ obaudiunt cum reuerentia, nõ confundentur. Qui Christum sequitur nõ ambulat in tenebris. Et qui conuersantur & agunt secundum documenta mea, & secundum præscripta uerbi dei, non offendent deum ad mortem, etiam si quotidie per fragilitates carnis delinquant, quibus deus nõ imputat, sed boni consulit errores nostros, si nos eosdem fuerimus abominati, & pro illis iugiter soliciti dominũ deprecemur, & bellum cum uitijs non remittamus. Adnectendum id quoq; quod sequitur: Qui elucidant me, uitam æternam habebunt. Qui clare intelligi cupiunt & sattagunt legem domini, quæ est sapientia dei, & Christi doctrina & opus, hi uitam æternam habebunt. Qualem gloriam & mercedem nõ expectant, qui Aristotelem & Platonem explicant, multo minus qui sese cupiunt celebrari, ac uenari gloriam ex uerbo dei: quod uerbis quidem docent, & minus scribunt, factis autem & exemplis negligunt.

24 hæc omnia liber uitæ, & testamentũ altissimi, & agnitio ueritatis.

Sapientia increata & creata,

Hæc omnia prædicta de laudibus sapientiæ increatæ & de eius dono sapientiæ creatæ, quam à domino accepimus, liber uitæ sunt. Vitalis & salutifera scientia est, quæ in sacra scriptura continetur, quæ unus liber est, de uno subiecto Christo promisso & præstito, ad unum finem perducit felicitatis æternæ, ab uno spiritu sancto reuelata, unicæ ecclesiæ pro unica regula tradita, conseruanda semper. Dicitur autẽ testamentum altissimi, quod cum genere humano pepigit ab initio, & aliquoties instaurauit cum patribus per prophetarum officia & ministeria, tandem consummauit per Christum dominum in cruce, ubi est effusus uerus testamenti sanguis, finis ueteris, & initium noui, ut nouum est, quia nouo modo oblatum. Hunc librum qui legit & credit, summam ueritatis agnitã habebit & scientiæ eius quæ pertinet ad salutem, & ad dei gratiam obtinendam & conseruandam.

25 Legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum, & hæreditatem domui Iacob, & Israel promissiones.

Quid is liber sapientiæ diuinæ & testamenti altissimi contineat, sacra scilicet scriptura consequenter explicat. Primum enim legem dei docet, quam ex diuina commissione & opera Moses scripsit & seruari iussit, præcepta scilicet decalogi, quæ sunt iustitiarum regula & instituta, ad exercendam iustitiam circa deũ credendum, colendum & amandum, & circa proximos diligendos & obseruandos. Quæ autem cerimonialia continet liber iste, partim typica erant documenta futurorum, partim uero retinacula religionis ne effluerent & errarent circa gentilium superstitiones, alioqui populus superstitiosus donec gentes quoq; uerã amplecterentur pietatem, & unius dei uerissimum cultum, qui stat in spiritu & ueritate. Tunc enim domino ubiq; humero uno adorato, templum, arca, sacerdotium, & sacrificia in uno Christo domino & rege fidelium omnium ubiq; regente absoluerentur, & secundum umbram cessarent, cum succederet ueritatis lumen et claritas in totum mundum. Iudiciales quoq; leges descripsit Moses, tanquam explicationes decalogi, quæ quo ad ea quæ charitatem spectant & fidem, æternæ sunt iustitiæ & ueritatis, sanctissima ac inuiolabilis uoluntas diuina: prout ipsissimæ explicata leguntur in Euangelijs et apostolorum scripturis, ut sic nec tota præterierit à lege nec apicem, sed longe absolutiora credita sint omnia Christianis obseruanda per Christum, quàm unquam obseruauerint Iudæi. Et hæc de præceptis iustitiarũ, quæ præscripsit Moses ad domini mandatũ. Deinde posterioribus libris propheticis descripta est uarie & diligenter hæreditas domus Israël promissionis regio, quibus portentis illam fuerint assequuti sub Mose, quomodo sorte à domino temperata diuisa sit populo dei, qua ratione illam obtinuerint & possederint, & quandiu: qua deniq; ratione illam tandem amiserint, inobedientia scilicet sua contra legem dei acceptam et promissam seruari, cuius legis interpretes erant prophetæ sancti, & doctores piorum, qua seruata pacifice illam perpetuo inhabitarent, illam

nentes autem exilium cum opprobrio sustinerent, ... ctis gentibus ad exemplum iustitiæ diuinæ & impietatis illorum, quibus per sacram historiam fuerant exempla bonitatis dei ad illos, portentosæ cuiusdam dignationis & dilectionis peculiaris omnipotentis Dei ad eosdem Israëlitas. Deniq; præter legem & historiam promissiones quoq; complectitur Israëli factas, de Messia mittendo, de semine Dauid & de tribu Iuda, qui collecturus unum regnum sit reliquias Israëlis & omnes gentes, quod æternum futurum sit, & sine fine, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus sæculi, propagandum ad omnes fines terræ, cum pace optima & sanctissima, quæ conscientiarum est, & etiam temporali, si illius charitate sola datæ legi & in ipsum fide colendi diligenter fuerint obsequuti. Hostes autem eius regis calcatu-

prædixerunt prophetæ, ueluti scabellum pedum eius, & conculcandos ueluti lutum platearum, futuros in sibilum & opprobriũ, & in stuporem omnibus cernentibus & probe attendentibus ad ueritatem uerborum dei & propheticarum promissionum. Qui uero hi hostes sint, clare iamdudum conspicitur, ipsis tantum hostibus Iudæis excæcatis, ut nec uelint nec possint, sentiunt tamen simul & cum alijs impijs inimicis ueritatis potentiam, gloriam, ueritatem illius scripturæ sacræ, domini dei uerbum & sapientiam uerissimam continentis.

26 Posuit Dauid puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.

Explicat ultimo dictum latius de promissionibus Israëli factis, maxime autem de eo quod maximum erat, regno scilicet Messiæ filij Dauid secundum carnem. Statuit deus & promisit Dauidi fidelissimo seruo suo, quem elegerat secundum cor suum, ut in illo magnificaret misericordiam suam, non tantum peccata indulgendo credenti, & fidutiam firmissimam nõ abijcienti ad aliorum exemplum, sed etiam summæ gratiæ diuinæ opus, per eius posteritatem mundo toti præstando suo tempore, in Christo scilicet, qui erat non tantum expectatio Iudæorum, sed & omnium gentium. Cuius tenuis aliquis typus & figura promittebatur, & præstita fuit in Salomone filio Dauidis, unde & quæ sequuntur non tam de Salomone quàm Christo exponi possunt, idq; tanto clarius quanto perfectius est regnum Christi et gloriosius quàm Salomonis. Instituit, inquit, dominus iuxta prophetarũ prædictiones, excitare populo dei peculiari regem quendam felicissimum, sed longe potentissimum & fortissimum: nempe cui data est omnis potestas in cœlo et in terra. Is ordinatus est à deo, ut in solio honoris & regni in pace & feliciter sedeat, non aliquot annis, ut Salomon quadraginta, sed in sempiternum & sine fine, quod puri hominis imperio nulli conuenit, nec pro ratione temporis neq; loci. Quis enim hominum toti mundo imperaret, & in omnia tempora?

27 Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum.

28 Qui adimplet quasi Euphrates sensum: & qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis.

29 Qui mittit disciplinã sicut lucem, & assistens quasi Geon in die uindemiæ.

Hunc autem regem Christum uniuersorum dominum sapientia implet perfectissime & sine mensura, sicut Salomonem eius figuram, sed cum mensura & modo repleuit. Immensurabilis autem hæc sapientia significatur per abundantiam maximorum fluminum, qualia sunt ex scripturis notiora, quæ in Genesi nominantur. Phison siue Ganges accipiatur siue Indus, aut alius quicunq; Tigris enim notior est & certior cum Euphrate, quàm ut de illis quæstio admittatur. Sicut & Iordanis. Sed & qui dicitur Geon, Nilus accipi potest, omnium notissimus ex scripturis. Qui omnes fluuij æstate excrescunt in maximam affluentiam, ex niuium resolutionibus de montibus unde fluunt: pariterq; hic significare statuuntur immensam exuberantiam sapientiæ diuinæ, quæ sit futura in rege fidelium Messia Christo domini filio Dauid, quem tota lex dei præcinit & prophetæ uenturum. Euangelia autem et apostolica testantur uenisse, & eius regnum hactenus perstitisse nemo non uidet, nisi sponte cæci Iudæi, si dominus uoluerit citius conuertẽdi. Sapientiam autem implere dicitur, qui sic sapit ut nihil ignoret. Adimplere autem sensum, est id præstare quod prisci promisere, in lumine & facto complere, quod promissum erat in tenebris, mysterijs & uerbis. Multiplicare Iordanem neutraliter capiendum est, pro magis abundare aquis, & copiosissime fluere, ut solet in diebus messis. Disciplinam mittere ut lucem, est doctrina sancta & utili illustrare homines in toto orbe omnibus ætatibus constitutos. Assistere autem Geon, est fortassis crescere & eleuari Nilum pro illius more. De quibus omnibus eruditissime nuper disseruit & cum magno fructu Ioachimus ille Vadianus, Consul sapiẽtissimus urbis Sangallensis, decus & ornamentum insigne Heluetiorũ, in Epitome ubi de fluuijs hic enumeratis diligenter & eruditissime, ut omnia, tractat.

30 Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non inuestigabit eam.

Is Christus dñs noster quum sit α & ω, principium et finis, qui & loquitur in omnibus prophetis à constitutione orbis, primus & nouissimus, perfecte facit homines scire sapientiam, eminentissime enim docuit patriarchas omnes, et Mosen ipsum & Abraham, omnesq; prophetas, qui illius spiritu et suggestione omnia conscripserunt. Apostolos quoq; docuit quid scriberent in ecclesia noua, uel potius renouata: quibus modis ecclesiam suam sapientia salutari affluentissime irrigauit, spiritu sancto suo misso de cœlis, quem & pater misit in nomine filij, qui docuit omnia necessaria ad salutem, & ad gloriæ dei magnificationem. Et firmior non inuestigabit eam. Sapientiam hanc dei cæteri hominum Christo domino & deo incarnato infirmiores perscrutari non possunt. Nemo enim nouit filium nisi pater, neq; patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Christus α & ω

31 Amari enim abundabit cogitatio eius, & consilium illius in abysso magna.

Plusquam abundat mare aquis abundabit cogitatio Christi. Quis enim cognouit sensum domini? aut cõsiliarius eius fuit? Quomodo exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt cogitationes meæ à cogitationibus uestris: Et consilium eius in abyssο magna. Profunditas sapientiæ diuinæ transcendit capacitatem perscrutationis humanæ. Quis enim affluit cõsilio, id est uoluntati diuinæ? & quis uidit & audiuit sermonem eius? Quis consiliarius eius fuit? Profundior est ergo sapiẽtia Christi quàm sunt abyssi maris. Sensus Christi.

32 Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuius Doryx, & sicut aquæductus exiui de paradiso.

Ego sapientia dei Christus effudi flumina euangelicæ

Euangelij aquæ.

prædicationis per uniuersum mundum. Effudi, inquit, non guttas, sed flumina Euangeliorum quatuor, & reliquarum apostolicarum doctrinarum ex ipso Christi spiritu & pectore haustarum. De quibus Ezechiel: Purissimas reddam aquas eorum, & flumina eorũ quasi oleum adducam. Et Isaias: Vtinam attendisses ad mandata mea, facta fuisset quasi lumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio. Gratiam & sapientiam impartior fidelibus de abundantia mea, iuxta illud Isaiæ quadragesimoprimo: Egeni & pauperes quærunt aquas & non sunt, lingua eorum siti aruit. Ego dominus exaudiam eos, aperiam in supremis collibus fluuina, & in medio camporũ fontes. Ego quasi fluuius Doryx, & sicut aquæductus exiui de paradiso. Græcus simpliciter legit: Ego sapientia sicut ὄρυξ, fossa scilicet à flumine, & quasi aquæductus egressa sum in paradisum. Vt appareat literam nostram multipliciter uitiatam ignorantia priscorum, qui quid esset Doryx nesciebãt, cum sententiæ nihil defuerit quæ prædicta est, nisi quod nimium erratum est in hoc quod hactenus lectum est: Exiui de paradiso: cum sensus & litera sit: Ego sapientia dei per Christum diffusa sum, ueluti cum per fossam & canalem fluuius effluit, & ut per quendã aquæductũ in paradisum, quæ est ecclesia, doctrina euangelica à Christo per apostolos irrigata.

33 Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.

Ecclesiæ rigator spiritus.

Dicere, Hebræis cogitare est, ut sit sensus: Ego sapientia in Christo, quæ & Euangelica est & catholica noui & ueteris instrumenti doctrina, rigabo ecclesiam fidelium & electorum in hoc mundo, quæ dicitur hortus, ager, & uinea, in qua sunt plantatæ personæ fideles tanquam decoræ & fructuosæ arbores, aquis saluberrimis sanctarum doctrinarum, & gratiarum spiritualium & uirtutum, quas influit sapientia dei patris. Et inebriabo partus mei fructum, regenerabo per spiritum sanctum spirituales filios meos, copiosisq; implebo & sacris muneribus. Quod quidem impletum est in die Pentecostes, & aliâs frequenter prophetarum & apostolorum temporibus, impleturq; quoties uerbum dei fideliter prædicandum resumitur.

34 Et ecce factus est mihi trames abundãs, & fluuius meus appropinquauit ad mare: quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam usq; ad longinquum.

Apostolica doctrina.

Vbi hic trames scribitur, Græcus nunc quoq; ὄρυξ habet, hoc est fossam aut canalem. Contigit mihi, inquit, uia magna & patens, per quam sapientiam ueram gratiamq; diffudi: quia non solum per terram & corda Iudæorum, sed per totum mundum in gentilium animabus hæc mea dona fluere iussi, per sanctorum prophetarum & apostolorum aliorumq; sanctorum prædicationem et miracula, secundum quod dicitur: Eritis mihi testes in omni Iudæa, & Galilæa, & Samaria, & usque ad extremum terræ. Huic subditur: Et fluuius sapientiæ & gratiæ extendet se usque ad terminos terræ, & ad insulas maris. Illuminabo enim Messiæ temporibus totum mundum doctrina euangelica & scientia ueritatis clare, & generaliter quasi ante lucanum copiose & cum fructu, sicut sol diffundit aurorã, nulli inuidendo lucem scientiæ salutaris, nisi illis qui sponte dormire & oculos occludere malunt quàm in diuinam lucem respicere. Per apostolorum enim & martyrum prædicationem & spiritus sancti inspirationem uerbum dei enarratum est in omnes gentes ubiq; terrarum conuersas. Isaiæ sexagesimo: Filij tui delonge uenient, & filiæ tuæ de latere surgent.

35 Penetrabo omnes inferiores partes terræ & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in domino.

Promittit sapientia dei suo tempore resuscitaturam se mortuos ubiq; locorum sepultos, uel quomodocunq; occisos propter se, & se uisitaturam eos omnes qui dormiunt, illuminaturam quoq; se & clarificaturam omnes fideles & qui sperant in domino. Quanquam & exponi possit de illuminatione facienda per Christi euangelium omnium eorum qui in erroribus & utijs diuitijs dormierũt in terra tota et infima, torpore numio grauati, quos ad cordis euigilationem excitabo. Peruasit enim doctrina Christi & continuo perambulat has infimas mundi partes in terris homines conuersantes, & adhortatur, fideles illuminans.

36 Adhuc doctrinam quasi prophetiam, effundam, & relinquam illam quærẽtibus sapientiam, & non definam in progenies illorum usq; in æuum sanctum.

Et hæc quidem iam multa dixi de sapientia dei, cuius in hoc libro ago sacrosanctum negotium, secundum spiritum à domino mihi concessum, sed nondum satis finitum, restant enim adhuc plura salutis dogmata & prognostica, quæ effundam in hoc uolumen. Dicuntur enim prophetiæ non solum dicta prophetarum in ueteri populo, sed etiam apostolorum & aliorum sanctorum uirorum & uerbo dei conformes doctrinæ, iuxta illud Paulinum: Prophetæ duo uel tres dicant, et taceant cæteri. De quo alicubi Ambrosius quoq; & Haymo. Relinquam aduersus sapientium uirorum sententias, & conscriptas in hoc uolumen commendabo diligenter ruminandas & ponderandas, eis qui quærunt sapientiam. Et nõ desinam protendere, ficere ipsius studiosis hominibus, hoc meo studio et huius libri compositione. Qui duraturus est in æuum, & donec sacrosancti codices in uenerationem habebuntur, & nec scilicet fides, cœlum, & dei gloria perseuerabit quod homines, donec sæculum illud futurum appetat, in quo omnes uidebimus sapientiam facietenus, quando omnis humana cessabit instructio.

37 Videte quoniam non soli mihi laboraui sed omnibus exquirentibus ueritatem.

O uos quotquot sapientiæ studiosi estis, uacate & videte, ut hunc ego librum conscribendo non mihi soli laboraui uel proficere studui, sed fructum laborum meorum omnibus communem esse desideraui: omnibus inquam, qui exquirere ueritatem conantur, quos cupio

frui hoc meo labore & studio, seruans illud quod dicitur: Fili si sapiens fueris, tibi & proximis tuis eris. Sic laborandum semper est, & ut pluribus prosis allaborandum. Neq; enim oculus tuus sibi soli uidet, sed omnibus membris: & auris non sibi soli audit, sed toti corpori. Talis est enim labor charitatis quali et Christus sapientia patris usq; ad mortem laborauit. Et Apostolus: Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiant. Charitas non quærit quæ sua sunt.

doctrina huius libri.

CAPVT XXV.

1 IN tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram deo & hominibus, Concordia fratrum, & amor proximorum, & uir & mulier bene sibi consentientes.

Reuertitur ad colligendum morales sententias pro ædificatione fidelium necessarias, quales si cum iam habitis sacratissimis sententijs in hoc libro, legerentur alicubi apud philosophos, Aristotelem, Platonem, uel Senecam, quantum fuissent uerborum floseulis adornatæ, quàm celebratæ et collaudatæ? Quas tamẽ spiritus Christi, qui & ecclesiæ est, in hoc codice legi à fidelibus ordinauit & instigauit olim, dum in ecclesia sanctitas erudita locum haberet, quam per gratiam suam restituere in scholas Christianorum dignetur, & denuo commendare studiosis sacrorum, ne pro sæculari uana eruditione ut hactenus negligi hæc & similia istis contingat ab ecclesiarum ministris. Ternarium format cum plura componere posset, sed ut memoriæ aptius imprimãtur. Re uera enim probata & placita deo sunt & hominibus, Pax & concordia fratrum uel amicorum eiusdem parentelæ, uel simul conuersantium, sine qua subsistere societas non potest in bono, sicut nec diu malis concordari potest à malis. Amor proximorum, dum ciues & uicini mutuum se diligunt, erunt enim ciuitas firma. Et deus mandauit: Dilige proximũ sicut teipsum. Tertium est, uir & uxor bene consentientes, ne discordiæ interserantur. Hæc, inquit, tria miserabilem ducunt uitam, si inter illos dissensio oboriatur, si discordent in uotis uel odiant mutuum. Apostolus ergo docet: Viri diligite uxores uestras. Et Petrus: Mulieres subditæ sint uiris suis, &c. 1. Pet. 3.

Concordia.

2 Tres species odiuit anima mea, et aggrauor ualde animæ illorum, Pauperem superbum, & diuitem mendacem, & senem fatuum & insensatum.

Odiosi homines.

Tria hominum genera recensет, odibilia omnibus sapientibus, propter uitia & abusus insignes, quæ ex animo deus odit, & sapiens quisq;, nec potest ea aduertere sine mentis angore & grauamine cordis. Primum notat pauperem qui diuitijs carens, superbiæ incitamenta non habens, tamen fastuosius incedit, quum conueniret eum cæteris esse humiliorem. Secundum, diuitem mendacem, qui promittens non reddit, cum possit per suppetentiam rerum, qui & honoratiores mendacio se suo confundũt, & risui exponunt, cum honorabiles esse uelint pro diuitijs. Tertium, senem fatuum & insensatum, qui pro multi temporis experientia sapiẽs esse poterat, nisi insolens fuisset. Cyprianus de duodecim abusionibus allegatur ad idem, ut sint abusiones sæculi: Sapiens sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obedientia, diues sine eleemosyna, fœmina sine pudicitia, dominus sine uirtute, Christianus contentiosus, pauper superbus, rex iniquus, episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege.

3 Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?

Iuuenes.

Qui in iuuentute non discit sapientiam, in senectute nesciet fructum illius. Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium parat diuitias. Et propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate & non dabitur ei. Vade ad formicam, ô piger, & considera uias eius, & disce sapientiam, &c. Hæc in Parabolis Salomonis omnia.

4 Quàm speciosum caniciei iudicium, & presbyteris congnoscere consilium.

Senes.

Ornat plurimum senes discretio & maturum iudicium ueraq; prudentia. Presbyteri uero idem qui senes, quales esse debent ecclesiarum doctores, quos oportet instructos esse ad salubria dandum consilia requirẽtibus.

5 Quàm speciosa ueteranis sapientia, & gloriosus intellectus, & consilium.

Vt gemma resplendet in auro, sic sapientia in capite cano. Intelligentia quoq; iurium, legũ & scripturarum sacrarum gloriosa est eis, unde & sanum aptumq; consilium prodire possit ex sopitis iamdudum desiderijs & perturbationibus iuuenilibus. Ideo Helih. Putabã quod ætas prolixior responderet, & annorum multitudo doceret sapientiam.

6 Corona senum multa peritia: & gloria illorum timor dei.

Experientia senum.

Insignis quidem decor est senum, multarum rerũ peritia, unde conflatur prudentia & scientia utilium, unde iuniores instruere possint, & suffulcire consilijs sanis. Omnium autẽ maxime eis necessarius est timor dei, qui initium est sapientiæ, sine quo sapientia inflat, cum quo ædificat: qui alius non est quàm colere & agnoscere creatorem suum, illiq; toto corde adhærere, ut filius parenti. Quanto enim senes uicinores sunt morti, tanto dei iudicium timere magis oportet, & componere conscientiam ad fidei & charitatis regulam, qua saluantur.

7 Nouẽ insuspicabilia cordis magnificaui, & decimũ dicam in lingua hominibus.

Insuspicabilia dicuntur, de quorum honestate & laude nullus qui sensu humano præditus est, debeat dubitare. Qualia nouem enumerat magnifica & ordine quodam subinde posita, quinq; uersibus, donec ad decimum ueniat, quod uelit distincte & absq; aliqua hæsitatione pronuntiare, quod intelligit dum dicit se in lingua hominibus illud dicturum. De quorum primo statim incipit:

8 Homo qui iucundatur in filijs, uiuẽs & uidens subuersionem inimicorũ suorum.

Primum plausibile est, si quis per dei beneficium & fauorem sanus uiuit senex, & lætatur cum filijs iucundo contubernio, quos cernit cum gaudio prosperari in bonis uirtutum & gratiæ, studere honestati & sapientiæ, eáq; ab ipso patre illos didicisse & conseruasse memoriter & in mores conuertisse, secundum illud Prouerbiorum uigesimotertio: Fili, si sapiēs fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum, & exultabunt renes mei, quum loquuta fuerint rectum labia tua. Sic de spiritualibus filijs Apostolus loquebatur: Maiorem horum gratiam nō habeo, quàm ut audiam filios meos in ueritate ambulantes. Et hoc primum est. Secundum uero est, si quis zelo iustitiæ & patriæ uel honestatis in republica uideat hostium perfidorum iustam deiectionem, ut inde gaudere, deo gratias agere, & bonis congratulari possit, quibus pax inde & tranquillitas redit, & gaudium in bono. Cuius reipublicæ hostes suos putat, et perfecto odio odire potest, dum id meretur ipsorum patens iniustitia.

Senex cum filijs.

Victoria.

9 Beatus qui habitat cum muliere sensata, & qui lingua sua nō est lapsus, & qui non seruiuit indignis se.

Tertium plausibile est, si quis fauente deo sancte & iucunde uiuere potest cum sensata & amabili uxore, quam credit & gaudet sibi beneficio domini contigisse, ut commodum adiutorium in his rebus, quæ similiter domino dispensante ipsum perficienda manent, & à domuno sunt ordinata. Insignis est enim gratia intra matrimonij difficultates sæculares, ab uxore non ferre molestiam, neq; impediri hominem sensatum in opere sancto, & à deo iniuncto, ut est ministerium ecclesiasticum in uerbo uel gladio, consilio uel doctrina, lectione sacra uel dictamine pro se & alijs. Hoc donum dei intelligatur, & ad illud cū timore dei contendatur dum tempus est, ne dum se auxilium obtinuisse confidit, impedimenta sentiat non ferenda. Et qui lingua sua non est lapsus. Quartum hic pium gaudium enumerat, si cui contingat in hac uita, ut sanctis patet, nempe ut non sit lingua lapsus. Quod licet perfectum sit rarissimum, hoc tamen sensu dictum credam, ut non quidem nunquam offenderit uerbo otioso uel inani, sed ut semper sic linguā à puero educauerit, ut nihil effutierit unquam, unde famam honestatis labefactari contigerit, & sese præcipitasse in strepitum fori, uel in confusionem aut ruborem, si uerbum illi cum dedecore improperari quispiam uere tentasset, is enim summa semper tranquillitate lætabitur, & mundi tempestates liberali animo perferet semper, & salua honestatis æstimatione euincet. Quod si quid falso impingitur, id sic affectum animum non turbabit. Cæterum, nemo ingredietur in iudicium cum domino deo nostro, etiamsi pro huiusmodi uerbis sæculum non extimescat. Nullius conscientia munda est in conspectu dei, omnium autem minime in lingua, qui scimus reddendam deo rationem de omni uerbo otioso. Quanquam & non ignoremus clementius iudicium dei in uerba & opera nostra futurum & esse, quàm experimur passim in nos hominum quamlibet peccatorum in peccatores durum iudicium. Et qui non seruiuit indignis se. Quantum habetur felicitatis donum, si quis non incidit necessitatem obsequendi malis, uel suo indignis obsequio, consentiendo inhoneſtis, uel uitijs communicando, aut abiectis se submittendo hominibus. De quo Salomon dixit: Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei uiribus tuis, & labores tui in domo sint aliena. A quo enim quis superatur, huius sit & seruus.

Vxor sensata.

Lingua uera.

10 Beatus qui inuenit amicū uerum, & qui enarrat iustitiam auri audienti.

Sexta felicitas est, si cui contingat uerus amicus. De quo superius quædam dicta sunt, & de huiusmodi amicitia quomodo inchoanda, continuanda & conseruanda multa inuenuntur in literis sæcularibus, in Platone, Cicerone, Seneca, & Augustino, Ambrosio De officijs, & in alijs multis. Et qui enarrat iustitiam auri audienti. Septima felicitas est, magistro, qui studium aliquem bene instituendi in scientia sæculari uel sacra bene collocauit, qui assequutus est beneuolum auditorem, uel quem de pertinentibus ad salutem obedienti loquitur audiri. Hoc enim bonum totum redundat in bonum & gaudium magistri. Contrario autem non leuis est infelicitas, si quis tam multi operis studium conferat in indignum discipulum, qui de sui præceptoris fide promotus erubescat confiteri unde profecerit.

11 Quàm magnus, qui inuenit sapientiam & scientiam, sed nō est super timentem dominum.

Octaua iucunditas in rebus humanis syncera est, si quis ueram & claram assequatur notitiam de rebus diuinis & sacris, quod est inuenisse sapientiam, quæ charitati & fidei semper est annexa, sacrarum scilicet scripturarum, & diuini beneplaciti cognitionem, unde certo sciat se creatori suo gratum & acceptum, ut de illius beneuolentia dubitare non possit, cuius conscientia est tanquam iuge conuiuium. Cui iungitur nona, scientia scilicet rerum naturalium & inferiorum, quæ à domino humano sunt usui deputata, quæ nosse insignis est felicitas, ut sciamus quæ à deo data sunt nobis, quantis simus ditati commodis, ex naturalium rerū historia, quam uestigasse quodamodo naturalis est beatitudo, ut omnium di & partium eius cognoscamus naturam & uires, in usum nostrum, & in conditoris contemplationem, unde ad gratitudinem adhortemur, & delitijs perfruamur naturalibus & honestis. Iam uero decimum & principale bonum additur, quod in hoc mundo dei dono consequi possimus, Timor dei. De quo multa quum dixerit, tamen hic quoq; subdit:

12 Timor dei super omnia se superponit.

Timor hic dei supremum gradum obtinet, prout sola licet includit non tantum scientiam naturalium, & sapientiam diuinorum, sed etiam affectum studiosissimum complacendi deo, & implendi sacrosanctam uoluntatem suam, prout timor dei cultum dei includit in spe & ueritate, fidem scilicet, spem et charitatē, quæ omnes includuntur in timore domini isto filiali & sancto, &

& in sæculum permanet & semper. Non ergo quæstio relinquitur de eo quod dicitur, omnibus supradictis se timorem domini superposuisse, hoc est omnia excellere. Frustra hic Dionysius Lyranum carpit.

13 Beatus homo, cui donatum est habere timorem dei.

Colligitur ex iam dictis beatitudo eius, qui huiusmodi dei timorem sanctum assecutus est, quod non fit libertate arbitrij, uel studio uirtutis, sed dono dei gratuito, unde & dicitur: Cui donatum est scilicet à deo habere timorem dei. Arram enim tenet beatitudinis, qui affectum in se ad deum sentiet filialis & sancti timoris, ut cupiat toto corde se probari domino, & ab eius offensa cauere.

14 Qui tenet illum, cui assimilabitur?

Vix uspiam in mundo inueniri potest, qui tali timore dei in hac uita præditus inueniatur, & in illo perseueret, nec quisquam scitur, de quo humano iudicio hoc possit affirmari, multo minus quenquam comparari cui quam: nemini ergo similabitur.

15 Timor dei initiũ dilectionis eius: fidei autem initium agglutinandum est ei.

Quia deum syncere timet, is omnibus modis ab ipso separari refugit, sed continuo charitatis augmento superuuri ei, & arctius agglutinari cupit. Non enim charitas uel timor filialis & sanctus sine fide locum habet. Qui pariter timor est, & offensionis & separationis. Quanto autem pius magis timet offendere deum, tanto magis abominatur peccatum, & peccati reliquias, quibus amotis dulcius sapit deus. Quanto autem dulcius sapit, tanto amplius diligitur: & sic timor dei potest dici initium charitatis, sicut & charitas timoris illius.

16 Omnis plaga tristitia cordis est: & omnis malitia nequitia mulieris.

Qui de sensata muliere relatum est, beatum esse uirum qui ei cohabitat, consequenter subditur de muliere uitiosa & insensata, perturbationi subiecta. Maxima, inquit, plagarum est mœstitia cordis, maior est enim corporali dolore: sic malitia mulierum, omnem hominis excedit malutiam, nihil enim cum modestia agunt uel cupiunt. Quæ enim naturaliter crudeles sunt fœminæ nimium sunt crudeles. Et quæ usu uel natura mites sunt, etiam in hoc excedunt, ut sint nimium piæ uel molles corde, ob fragilitatem sexus, & rationis defectum.

17 Et omnem plagam, & non plagam uidebit cordis: & omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris: & omnem obductũ, & non obductum odientium: & omnem uindictam, & nõ uindictam inimicorum.

Simplex est sententia, cum intricata sit & truncata litera. Omnem plagam corporis foris incussam facile quispiam medicus inspicere & deprehendere potest ac sanare, non sic autem plagam interiorem cordis & animi, quæ difficulter expiatur. Sic quoque facile est perpendere & inuestigare malitiam quamcunque uiri patentem ac sese manifestantem, publicus hostis uitari potest et declinari, sed non ita malitia mulieris, quæ ut pra

ua est & noxia, ita ocultare eam fœmina magis potest quàm uir, & amicitiæ signis ad uirum dissimulare potest nequitiam suam. Similiter omnem dissimulationem odij uel obductionem dissplicentiæ uel hypocrisim homo deprehendere potest per signa exteriora, non sic fictionem inueterati odij. Dum enim maxime odit, maximis amicitiæ signis obducit & dissimulat, ut Ioab ad Amasam, proditorie occisum ex osculo, & uerbis amicitiæ, Salue mi frater. Sed & ultionem & uindictam, hoc est graue malum & impẽdens exitium euadere aliquis circumspectione potest, sed non illud quod sibi ab occulto hoste imminet. Odium difficilius uitatur quàm ira. Nihil pernitiosius hypocrisi, & impia fœmina.

18 Non est caput nequius super caput colubri: & non est ira super iram mulieris.

Vt est pernitiosissimum animal coluber, ex ueneno quod gestat in capite, ex subdolo & occulto incessu, ut præsens uitari non possit, quia ignotus: sic non est durior periculosior & pertinacior iracundia quàm fœminæ malitiosæ & truculentæ, quæ per dissimulationem mortem uiro comminiscitur, ut cauenda doceatur ea quæ in sinu mariti quiescit, si sit improba. Non enim simpliciter aut leuiter malignatur dum uult male, sed cum affectu, & numis. Iracunda mulier.

19 Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.

Ex prædictis infertur, molestissimum esse & periculo proximum commorari tam pestilenti fœminæ, non minus quàm leoni & draconi. Illa enim animalia spem salutis non tribuunt, sed palam monent, ut sibi quisq; prospiciat. Nequam autem mulier, secreto & per apparatum amicitiæ insidiatur, ut perdat. Non patitur se inimicam æstimari, etiam dum maxime odit uult amari.

20 Nequitia mulieris immutat faciem eius: & obcæcabit uultum suum tanquam ursus: & quasi saccũ ostendet in medio proximorum.

Facile se mulier passionibus dedita aliam ex facie fingit quàm sit, nunc hilaris, nunc mœsta, iam infirma, iam amabilis, nunc sæua, quin & stibio & cerussa augent imposturas extrinsecus, cum nimium satis de proprio habeant, unde se fingant alias quàm sint. Et sicut obcæcatur per furiam suam ursus, ut inuadat quod proximum est, quodq; superare non potest, neglecto uulnere & periculo maiori: sic mulier iracunda, non aduertit quem lædat aut qualiter, sed tantũ ut pernitiose lædat, furiam exerat, & iræ sufficiat exercendæ. In medio autem proximorum quos ueretur, uili conuersatur habitu, humiliter se gerit, ne alteri fauorabilior & ad gratiam ornata cernatur, uel quia domesticis & uiro non uult amabilis aut elegans apparere, uel dum aliud fingere non sinitur, ex uultu ægrotantem se facit.

21 Ingemuit uir eius, & audiens suspirauit modicum.

Si audiat ingemiscentem uirum pro angustia quam patitur, uel pro malitia mulieris, uel infirmitate simulata, ingemiscit & ipsa, & uel modicum suspirat, ut im- Fingunt fœminæ.

ponat marito callida & uersipellis, fingens condolere se uiro, quem cupiat mori. Breuiter, multa de malis mulieribus ludendo, non uane dixit Baptista Mantuanus in Aegloga.

22 Breuis omnis malitia super malitiã mulieris, sors peccatorum cadat super illam.

Mala mundi propter mulieres.

Malitia quidem multiplex est & grauis in rebus sæcularibus, sed nulla maior & pernicioſior inuenta est, quàm quæ propter mulieres exorta est, mũdi seditiones, bella, cædes, & calamitatum diluuia. Quid Dauidi malitiarum, hoc est aduersitatum & miseriarum accidit propter factum Bethsabeæ? Quid tribui Beniamin propter leuitæ uxorem? Quid Troianis & Græcis? Et quæ calamitas ingens non propter mulieres exorta est, & bella nationum? Quid ob Cleopatram et Brittannicam? &c. Improba huiusmodi mulier, uel calamitosa cadat in sortem eius qui illi similis sit impius, ut quotidie unius prauitas puniatur uel exerceatur ab alia: uel infernalis damnatio, quæ sors est iniquorum, incidat in eam.

23 Sicut ascensus arenosus in pedibus ueterani, sic mulier linguata homini quieto.

Molestum ut est homini seni incedere per arenas, instabiliter enim & incertis graditur passibus, multumq; fatigatur & affligitur: sic homo quietus, amator, et philosophus tranquillus, secum per loquacem fœminam afMulier garrula. fligetur. Molesta quoq; sibijpsi est garrula mulier, ut sæpe uerbis excedens mendacij arguatur: grauior autẽ est alijs, quos traducit, & qui eam optarent correctam: sed grauissima est homini amanti quietem.

24 Ne respicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie.

Auerte oculos à facie mulieris, ne concupiscentia capiaris, & effugere nequeas. Et ubi uxorem cupis, ne at-
Vxor qualis ducenda tendas elegantiam formæ, & de facie pulchritudinem, sed mentis potius scrutare tractabilitatem, ut modestam ducas & honestam, non rixosam aut uerbosam. Et non ob libidinem fœminam concupiscas, sed ad prolis bonũ, desiderio hæredis & filiorum, ad dei gloriam & reipulicæ promotionem, quos uelis liberaliter educari. Nõ est ob speciem uxor eligenda, quæ multis occasio fuit infelicitatis. Propter speciem mulieris multi perierunt.

25 Mulieris ira, irreuerentia & confusio magna.

Confusio non parua marito est, ubi iracundam fœminam ferre cogitur, quæ indies molestare audet, & non est spes resipiscentiæ & emendationis, cum constitutus à deo, & natura sit caput mulieris, quem ipsa debeat reuereri: quæ si sine reuerentia est, maritum confundit & seipsam, & dicitur confusio magna, quia contra naturam & legem, contra morem & honestatem agit.

26 Mulier si primatum habeat contraria est uiro suo.

Imperiosa mulier.

Si permittatur fœminæ primatus in domo, & familiæ magisterium, hoc non contenta, tentabit & marito imperiosa fieri. Prudenter ergo cohibenda est in officio, & lex domini statuenda, qua dictum est: Sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in uirum, Prima Timotheiscundo. De quo apud Hester edictum legitur Persarum.

27 Cor humile, & facies tristis, et plaga mortis, mulier nequam.

Ex improba muliere incommoda multa proceduntmarito & sibijpsi. Viri enim mentem humiliat, hoc ipper tristitiam deijcit, uultum attenuat ac confundit, mortis desideriũ ingerit, uel morti similem calamitatem inducit. Et mulier quoq; talis cor gerit uile, ignauum, & abiectum, inquinatum uoluptatum illecebris. Faciem mastem simulat uiro ut decipiat, & plagam mortis irritainfert, & æternam assequitur.

28 Manus debiles, & genua dissoluta mulier quæ non beatificat uirum suum.

Mulier adultera, quæ non appretiatur, obseruat, nondiligit maritum suum, manus habet ad utiliter laborandum, & ad domesticam curam administrandum debiles ac remissas. Genua quoq; dissoluta propter inconstantiam, & mutabilitatem affectus, minume solidam stabilitatem, sed propensionem ad amores alienos, quæ genuum dissolutione designantur in fœmina. Instabilis est enim gressibus, uno loco, præcipue autẽ domi consistere non uolentibus. Honesta autem & sapiens mulier, nullum reputat similem suo pulchriorem, sapientiorem, & fortiorem, ad alios affici non potest, suum semper cogitat & colit.

29 A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.

Eua prima omnium mulier peccato suo mortem intulit mundo, & humanæ transgressioni originem dedit per inobedientiam, à qua & causam necessario moriendi omnes contraximus. Per unum hominẽ in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors. Diabolus autem iam ante peccauerat, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, qui & ipse mulierem decepit, uirum autem mulier.

30 Non des aquæ tuæ exitũ, nec modicum nec mulieri nequam ueniam prodeundi.

Aquis cisternæ si exitum permiseris uel modicum, paulatim augebitur, & peribit, tota enim euacuabitur sensim cisterna. Similiter caue ne improbam fœminam sinas frequenter prodire in publicum. Dina prodeundo licentia perijt, uirginitatem & honorem perdidit, causa stragis magnæ fuit. De fœminis honestis, sapientibus uel morigeris nihil hic dictum putetur.

31 Si non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum.

Si uxorem tuam non rexeris, si subdita tibi non fuerit, si ad manum, id est uoluntatem tuam non adstiterit, confundet te pertinacia sua, denigrabit famam tuam & suam, diripiet substantiam, derisui exponet utrosque. Qui enim adulteram tenet, stultus est & insipiens. Super filiam luxuriosam firma custodiam, ne quando faciat te uenire in opprobrium inimicis.

A cæ-

A carnibus tuis abscinde illam, ne sem-
per te abutatur.

A cohabitatione & concubitu repelle talem, non il-
lam patiaris quoties libuerit fidem fraudare suam, da ei
libellum repudij, quam perpetuo sentis tibi immorige-
ram iuxta legem, ne damnum maius incidas, si te non ti-
mere cœperit, & indulgentiam tuam persenserit.

CAPVT XXVI.

1 MVlieris bonæ beatus uir: nume
rus enim annorum illorum du
plex.

Per uices loquitur de muliere bona & mala, quemadmodum & de reliquis argumentis, quæ obiter tractat & sine ordine, ut libuit collectori. Sententias autem subinde ponit de muliere bona, de zelotypa, de ebriosa, de fornicaria, de stulta filia, deinde ad bonam redit. Magna prosperitas est, habita uirtuosa uxor, cui si similis uir sit, felicitas est ingens. Sin minus ipse probus sit, felix tamen habebitur. Corona est enim uiro suo. Eorum uita pro iucunditate & fide diutius perseuerat. Animus enim gaudens floridam facit ætatem. Zelus autem & iracundia minuent dies, & ante tempus senectam cogitatus molestus adducet. Melior quoque mors quàm uita amara: quin & melius est modico tempore uiuere cum iucunditate, quàm diutius cum cordis amaritudine.

2 Mulier fortis oblectat uirum suum, &
annos uitæ illius in pace implebit.

Fortis mulier intelligitur fidelis, solida, uirtuosa, & constans in bono, etiam si corpore fragilior sit & molliior, quæ scilicet strenue instat familiæ & domui gubernandæ, minime otiosa, dissoluta, aut uana. Huiusmodi oblectat uirum suum, in conuersatione iucunda, pacifica, honesta, & pudorosa, cum qua diutius uiuit, quia transalle usque ad finem uitæ: nõ enim senem exhorrescet, sed in primo amore perseuerabit semper, non enim tam carnalis est amor ut tabescat cum tempore, sed uirtuosus, qui cum uirtute & canicie semper matureſcit.

3 Pars bona, mulier bona, in parte bona
timentium deum, dabitur uiro pro fac-
tis bonis: diuitis autem, & pauperis cor bo-
num, in omni tẽpore uultus illorũ hilaris.

Præcipuum dei donum est uxor bona, altera pars sanctæ coniugij, cuius altera pars sit uir quoque bonus, quæ duo erunt in carne una. Pro parte bona merces digna in præsenti datur uiro bono, pro sanctis operibus uxor bona à diuina prouidentia: qualis merces decet dare deum digne timentibus. Diuitis autẽ pariter & pauperis pars tanto melior erit, tantoq; felicius uiuent, si bonas assequantur coniuges. Iucundo corde subsistent, & hilaritatis signa exhibebunt in facie, si cum honesta conuersari contigerit. Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à domino autem proprie uxor prudens.

4 A tribus timuit cor meum, & in quarto
facies mea metuit. Delaturam ciuitatis: &
colectionẽ populi: & calumniam menda-
cem: super mortem omnia grauia.

Locutionis huius modus familiaris Hebræis discitur ex parabolarum libro. Aliud enim non intendit, quàm quod quatuor sint mala uehementer metuenda, ut nescia- Formidabilia quatuor
tur propè quod eorũ altero sit amplius formidabile. Primum est, Proditio reipublicæ, præcipue horrendum malum, ut commune bonum est maxime appetendum: quo enim bonum communius, tanto diuinius. Aliud malũ graue est, Tumultus & seditio plebis, ad uiolenter aliquid moliendum, potissimum contra magistratum uel iustos. Non enim turba aliud potest quàm sæuire, & in bono dissentire, ad malum autem facile persuaderi à uafris, insidiosisq; hominibus, qui quæ sua sunt cũ perfecerint, proditores fiunt plebis miseræ, ut tandem opprimatur seuerius. Tertium malum est, Calumnia mendax, falsa et iniuriosa accusatio, hominis iusti & innocentis in iudicio. De quo Salomon: Iaculum & gladius & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum falsum testimonium. Singula hæc, inquit, tria grauiora sunt corporali morte, cum periclitentur multi de uita & ipsa iustitia, sine qua mundus & cœtus quicunq; subsistere non potest. Vnde iustus homo mori mallet corporaliter quàm talia agere.

5 Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa.

Quartum consequenter recitatur familiare malum ingens, Zelotypa mulier: uxor scilicet suspicax de fide & amore mariti ad aliam, grande uenenum pacis in matrimonio, & impedimentum iucunditatis, quæ alioqui inter pios coniuges uigere poterat. Quæ uehemẽs passio bonum maritum afficit multo dolore cordis, & continuo luctu. Idipsum cõtra dici potest de zelotypo marito. Inde enim oriuntur suspitiones, iræ, rixæ, & tentationes ad prosequendum: id quod falso timetur, uel in suspitionem assumitur.

6 In muliere zelotypa flagellum linguæ,
omnibus communicans.

Mulier zelotypa loquacitate & importunis querelis suis proprium uirum affligit, inique traducens uirum, Zelotypa mulier.
apud quoscunque oblata occasione uel accepta temere detrahendi, nulli prorsus parcẽs, quod est omnibus communicare, deponere querelas apud quoslibet, non etiam uocata. Facile enim alioqui loquaces ansas arripiunt sinistra loquendi, dum uolunt magis amari quàm diligant, uel ut amentur promereri.

7 Sicut bouum iugum quod mouetur, ita
& mulier nequam: Qui tenet illam, quasi
qui apprehendit scorpionem.

Vt iugum boum tota die mouetur arando, sic non ces- Garrula mulier.
sat tota die nequam mulier discurrere, obloqui, & accusare nunc istum nunc alium, & inquietudines excitare ubique otiosa & garrula, secundum illud Prouerbiorum septimo: Mulier garrula et uaga quietis impatiens, &c. Et Paulus: Otiosæ discunt circuire domos, uerbosæ

quoq; & curiosæ loquentes quæ non oportet, qui huiusmodi tenere cogitur, quasi qui apprehendat scorpionẽ, qui uultu quidem non lædit, sed cauda pungit infundendo uenenum. Sic mulier uiro adulatur in faciem, sed secreto insidiatur, exemplum Dalila est.

8 Mulier ebriosa, ira magna: & contumelia, & turpitudo illius non tegetur.

Ebriosa. Occasio est magnæ iræ uiro suo mulier ebriosa & suis parentibus, necessario enim fit luxuriosa. Omniaq; secreta uiri sui reuelat. Nullum enim secretũ est ubi regnat ebrietas. Ibi quoq; & tumultus est, Prouerbiorum uicesimo. Ideo additur: Contumelia & turpitudo illius non tegetur, sed omnibus patebit. Ebrietas enim operta recludit. Durum est igitur illi cohabitare.

9 Fornicatio mulieris in extollẽtia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur.

Fornicaria Incontinentia mulieris clare patet ex lasciuia faciei, & oculis gyrouagis, iuxta illud Prouerbiorum septimo: Ecce mulier occurrit ornatu meretricio, procaciq; multu blanditur. Impudicus autem oculus impudici cordis est nuncius. Sic homo apostata annuit oculis & terit pede. Et Isaias grauia comminatur filiabus Sion, quæ nutibus oculorum ibant. In palpebris agnoscetur, si inhoneste circumspiciat, & turpia loquatur.

10 In filia non auertente se, firma custodiãt ne inuenta occasione utatur se.

Libertas filiarum. Nõ permittas exeundi libertatem filiæ tuæ si eam intellexeris incircumspectã oculis, ore, uel habitu, si à procis non abhorreat, ne inuenta occasione exponat se uoluptati quam ambit. Hinc dictum est: Filiæ tibi sunt, seruа corpus earum. Idem accipiendum est et de uxore ancillis ac seruis: & prælatis quoque de suis subditis, ne scandalizentur.

11 Ab omni irreuerentia oculorum eius cauet & ne mireris, si te neglexerit: ficut uiator sitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittã aperiet pharetram, donec deficiat.

Filia patri quomodo seruanda. Si tibi filia est, de qua timere oporteat, quæ scilicet procos diligat, ut dictum est, cura multa diligentia ut uerecundiam discat & seruet in oculis. Nec tu illam nimium amanter aspicias, ut te non timere incipiat, sed matura eam instituas, & ei loquaris grauiter. Et ne mireris si te neglexerit. Si enim fuerit fornicata uel procos secuta, non te nec matrem uerebitur, sed confundet potius audax filia, denique exponet se omni immunditiæ, ubi semel occeperit ut compleat ardorem luxuriæ suæ. Sicut uiator sitiens bibit de qualibet occurrente aqua, quanquam immunda, ut sitim suam refrigeret. Contra palum quoq; sedebit ut uiator ad quiescendum sub onere uel in umbra, & nulli petenti fornicationis ignominiam denegabit. De re nimium turpi per allegoriam loquitur honeste, sed intelligibiliter, more Hebræorum, ut honestatem doceat, & absterreat à scortationis opprobrio.

12 Gratia mulieris sedulæ delectabit uirũ suum, & ossa illius impinguabit.

Delitias maiores non ducit maritus sapiens, quàm sedulitatem uxoris bonæ et gratiosæ, cuius consideratione & beneplacito gaudebit eatenus & exhilarabitur, ut ex illius communione delectatus, floridam ætatem agat, & ossa eius medullis rigentur. Sicut inuidia & odium ossium fit putredo, spiritus enim tristis exiccat ossa: sic hilaris mens corpus totum refrigerat & oblectat.

13 Disciplina illius datum dei est.

Singulare dei donum habeatur, si cui contingat disciplinata uxor, bonis redimita moribus, timorem dei habens, uerecunda foris, domi sedula & circumspecta, amans mariti, & curam habens instituendi prolem, & famulas familiamq; dirigendi, & reliqua, de quibus in Prouerbijs ultimo.

14 Mulier sensata & tacita, nõ est immutatio eruditæ animæ.

Si quis uir uere prudens habetur & eruditus, is pro re nulla commutationem faciet uxoris, quam experitur esse animo sensatam, & ore tacitam. Sed & huiusmodi mulier sic prudens & honesta, nullatenus irritabit maritum suum, non impediet in honestis & necessarijs suis, sed ipsum talem seruabit qualẽ susceperat. Hinc tistissimam uirginẽ prædicant ex hoc loco, sensatam & tacitam, de quo nemo debet dubitare, cum & huiusmodi multæ sint, & de omnibus exponi debeat, aliquoposit, quod pro omnibus scribitur.

15 Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.

Insigne beneficium & supra quàm gratiosum est si fœmina, si sit sancta, hoc est fidelis, & deum timens, & insuper casta, quod per uerecundiam demonstratur, quæ in iunioribus commendatur præcipue. Ea sibi & uiro acquirit gratiam æternam super gratiam in præsenti.

16 Omnis autem ponderatio nõ est digna continentis animæ.

Ratio hic redditur de prædicta commutatione eruditæ animæ. Nulla enim cõpensatione appendi potest prudenti casta uxor, & uerecunda, non diuitiæ, non forma, non ætas, non proles, non genus, non eloquentia, cum tum nihili æstimabitur, ubi defuerit continentia, castitatis amor & fides, non tantum à Venere, sed etiam à uino & multiloquio, discursu, auaritia. Continentia enim genus est ad quamplurimas suas species. Vt imprudentes neoterici monachi hic se locum inuenisse iactent, ubi probent summum quoque pontificem dispensare posse in uoto religionis solẽni circa castitatem. Adeo allegant factum sancti Matthæi apostoli & euangelistæ, qui noluerit sanctam Euphigeniam sanctimonialem ex Aegis Aethiopum filiam dare regi cuidam in coniugium, si tamen rex ille cum toto regno suo assumere uellet fidem Christi. Hæc Albertus. Quasi certum sit deo probatum tum uirginitatis perpetuæ, quæ ut deo placere possit, placeat, non tamen uouere illam deo placere potest, [illegible]

dæmonibus, & idololatris placuisse omnes gentilium historiæ docent de uestalibus. Qui gratiam uirginitatis habet, deo gratias agat & seruet: qui non habet, nubat in domino: quandiu seruare potest & uult, seruet in nomine domini, dum non potest diutius dispensatione hominum non eget, qui à uerbo dei se credit liberatum ut nubat. Talia fundamenta habent uota perpetua et iura pro dispensationibus. Sed hæc iam nuper cœperunt intelligi, quàm futiles & nouitiæ doctrinæ fuerint, non nisi mendacijs & figmentis, in gratiam monialium, quæ suam habent originem non ex uerbo dei, sed dæmonum & gentilium impostoris. Nihil tale cogitauit unquã Matthæus euangelista, nihil huiusmodi scripsit à Christo prædicatum, nec aliquid ecclesiæ credendum uel agendum docuit, quod non à Christo edoctus fuit, æque ut Paulus, & reliqui omnes Apostoli. Fructum aũt uotorũ huiusmodi castitatis, iamdudum ecclesia flens et dolens aspexit, & est ex animo semper detestata, sed quæstus aliud docuit.

17 Sicut sol oriens mundo in altissimis dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.

Comparationis excessiuæ locutio est, & hyperbolica dum dicitur: Sicut sol in meridie, dum ab exortu iam peruen t ad altissima, hoc est ad lineam meridianam uel circulum, per polos & cenith capitis transeuntem, mundum illuminat: sic uirtuosa mulier illuminat domum suam. Et eius honestissima species, habitudo, & præsentia, domum & domesticos suos perornat, clarificat, & gubernat. Sicut turpis & improba confundit totam suam progeniem.

18 Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem.

Et sicut lucerna super candelabrũ in amplissimo templo collocata totum illuminat, & sicut elegans facies & speciosa exornat corpus humanum, alioqui bene compositum & proportionatum, secundum ætatem perfectam & maturam ipsam substantiam plurimum exornat: sic sancta & elegans mulier, domum suam illuminat et exornat. Nihil enim elegantius & honestius conspici datur, quàm speciosa, matura, & sapiens mulier.

19 Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi sup plantas stabilis mulieris.

Vt sunt speciosæ, amabiles, & solidæ columnæ aureæ super bases argenteas fundatæ, nec mouentur ad impulsum uenti: sic honesta mulier stabilis est in fortitudine animi, et in corporis subsistentia, nec facile discurrit, sed intra domum subsistit, totius familiæ suæ pondus & curam subleuat & portat. Speciosa est enim uiro grata quoque & commendabilis deo, amata autem & reuerenda familiæ.

20 Fundamenta æterna supra petrã solidã, sic mandata dei in corde mulieris sanctæ.

Fundamenta ædificij imposita firmissimæ petræ, ut immobilia sunt & loco moueri, uel fluctibus auelli nequeunt: sic mandata dei à corde mulieris sanctæ remoueri non possunt. Sic in Euangelio Christus loquitur: Omnis qui audit uerba hæc & facit ea, assimilabitur uiro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Vnde & fundamenta æterna super solidam petram sunt omnes in Christo solidati, ubi nec mas est nec fœmina.

21 In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit.

22 Vir bellator deficiens per inopiã: & uir sensatus contemptus: & qui transgreditur à iustitia ad peccatum, deus parauit eum ad romphæam.

Sensus simplex est. Tria expertus sum grauia mala, pro quibus non potui non maxime indolere, res enim indignissimæ mihi sunt uisæ, pro quibus contristatus sum ualde, & non modica sum iracundia permotus. Vnum est, quod ut miserabile & indignum plango, uidens hominem fidelem, fortem, & strenuum, fortissime decertantem pro defensione reipublicæ, uitæq; suæ præsentissimo periculo propugnantem, qui tandem paupertate opprimitur, & necessarijs uitæ indigere in ingratissima illa urbe permittitur, non inueniens necessarium uictum in ea republica, pro qua prostituerit uitam. Alia insignis indignitas quam uidi, est uir sapiens & sensatus, cui debitus honor negatur apud suos. De simili loquitur Ecclesiastes nono: Qui per sapientiam suam liberauerat urbẽ ab obsidione, & deinceps nemo illius memoriam habuit. Tertium intolerabile malum plango, uidens pium hominem diu in iustitia uixisse, deo et hominibus gratũ fuisse, casu aliquo recidisse collapsumq; ad peccatũ, & omnem pristinam perdidisse honestatem, quod tanto grauius cæteris est, quantum iustitia dei donum illustrius est quàm uel fortitudo animi constantis, uel sapientia consulentis: sicut & peccare peius est quàm depauperari uel honorem nõ consequi. Deus, inquit, talem ad romphæam destinauit, pœnæ scilicet, & confusionis, qui ipse se aptauerat ad malum culpæ, pro ingratitudine & inconstantia de qua per prophetã loquitur: Si auerterit se iustus, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ quas fecerat non recordabuntur, sed in præuaricatione sua morietur. De hac romphæa in Iob scribitur: Fugite à facie gladij, quoniam ultor iniquitatum gladius est. Grausa mors latria.

23 Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerũt, Difficile exuitur negotians, à negligentia: & non iustificabitur caupo, à peccatis labiorum.

Duo hominum exercitia in republica, quanquam necessaria, uidi non carentia grauibus uitijs uel peccatis. Difficile cauere potest negotiator peccatum auaritiæ, ex immoderato lucro: idq; per uias malas, fraudes nempe et mendacia, periuria. Quanquam si honestũ & necessariũ sibi lucrũ sectetur, neminemq; cupiat decipere uerbo uel facto, sed suo ingenio & exercitio reipublicæ seruire, se & suos nutrire, non sit peccatum. Sed id difficile & raro contingit. Aliud uidi, cauponem non iustificari à peccatis labiorum, quibus se quotidie implicant, iurando præter necessitatem, mensuris fraudando, & liquores miscendo, in quibus tamen actus malus non res honesta damnatur. Is abominandus negotiator est, qui ambi Negotiator

Caupones.

tione lucri merces suas honorat periurio magisq; pretio.

CAPVT XXVII.

1 PRopter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari, auertit oculum suum.

Contra auaritiæ uitium doctrinas scribit, de qua iam loqui exorsus fuerat. Sed ut ordo rerum exigendus non est in hoc libro, sic capitum quoq; exordia non sunt ubique commode ordinata, sicut nec similiter. Non est per se bona paupertas sed mala, ea scilicet qua necessarijs indigetur. Sed pauca cupere, modicis contentum esse, id uirtuti datur. Sed raro pauperes sunt, qui non peccent impatienter egendo, diuitibus inuidendo, aliorum bona desiderando, furto, rapina, hypocrisi, mendacijs, blanditijs necessaria ambiendo. Qualem paupertatem Christus nec docuit nec seruauit. Salomon docuit: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, &c. ne egestate compulsus furer & periurem nomen dei mei. Qui uero diuitias bene dispensat egentibus, illis nõ fidit, non congregat, nõ præponit uoluntati diuinæ, uel cultui dei, et paratus est pro ueritate eis renuntiare. Hic Christum pauperem uerè sectatur, et est Euangelicus pauper. Et qui quærit locupletari supra necessitatem suam & suorum, comportare thesauros, is mentis suæ cogitatum auertit à domino, qui dicit: Væ qui coniungitis domum domui, & agrum agro copulatis. Et alibi: Noli laborare ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Ideo Apostolus ait: Qui uolunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli.

Paupertas bona.

2 Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium uenditionis & emptionis angustiabitur peccatis. Conteretur cum delinquente delictum.

Sicut palus infixus inter lapides muri uel acerui, undique lapidibus opprimitur: sic mercator tam uenditor quàm emptor, peccatis undique oprimitur, dum uendens rem suam commendat nimium, emens uero nimis uituperat. Iuxta illud Prouerbiorum: Malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cum recesseris tunc gloriabitur. Iustus autem negotiator, ultra iustum pretium pro re uenali non exigit, nec minus iusto dat pretio, pensatis pensandis. Sicut autem uenditor & emptor mutuum se peccatis inuoluunt, sic pariter quoq; punientur à domino. Veluti dum lapis conterendo conteritur, & carbo carbone maculatur, quod hic dicitur delictum conteri cum delinquente.

In mercatores.

3 Si non in timore domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua.

Si paulum cesses timere deum, cito incides in peccatum. Ideo in timore domini esto tota die, et habebis spem in nouissimo. Sicut igitur riuuli cito deficiunt, nisi fonti continuentur. Sic spiritualis uita corrumpitur, si à timore dei diutius separetur.

4 Sicut in percussura cribri remanebit fœtus: aporia hominis in cogitatu illius.

Quanquam discriminet cribrum grana à paleis, & admixtus reliquis remanet tamen intra foramina nonnihil pulueris & stercorum: sic remorsus & angustiabit conscientia hominis permanet post peccatũ. Et sicut in cogitatu diuitis auari remanet aporia, id est penuria & egestas, quantumlibet quotidie multa colligat, semper amor perseuerat plura corradendi. Auaro enim nimis esse uidetur tã quod habet, quàm quod non habet. Auarus autem non impletur pecunia, rationẽ Aggeus dicit, quia merces quas congregauit misit in saccum pertusum.

5 Vasa figuli probat fornax, & hominos iustos tentatio tribulationis.

Fornax probat uasa, nam bona & solida igne formacis consolidantur, mala crepant, exiliunt, & frangun-tur: sic homines iustos examinatio per aduersa. Hinc ait tientia probatrix uirtutum est. Vnde scriptum est: Tentauit quam aurum in fornace probauit iustos dominus. Et Zacharia: Ducam eos per ignem, & uram eos sicut uritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum &c. Iustitia ergo sine aduersitatibus non cognoscitur, nisi in opinione. Iactari potest, sentiri non nisi in cruce.

6 Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius: sic uerbum ex cogitatu cordis hominis.

Non suscipitur ex arbore fructus absque præuia rustificatione & cultura: sic cor hominis ex uerbis cognoscitur. Bonus enim homo de bono cordis sui thesauro profert bona, & malus similiter mala. Sunt tamen qui & patientiam fingunt uerbis, qui intus pleni sunt impatientiæ motibus, sic et igne proprij amoris et æstimationis intus ardent.

7 Ante sermonem nõ laudes uirum: hæc enim tentatio est hominum.

Homo maxime ex sermone internoscitur & ex actione. Si gloriatur cum laudatur, aut cum uituperatur dolet, ut in aduersitate murmurat, & impatientiam prodit quemadmodum in cruce. Præcipue autem ex fine sermonis intelligitur quid in corde aluerit uel intenderit. Hæc enim scriptura est hominis, ut ex abundantia cordis os loquatur. Non dicetur, & ut non ex fine, sed statim ab initio sermonis æstimatio loquentis præripiatur, ne totus sermo dijudicari possit et expendi, sed statum anteuertitur sententia fini sermonis: unde & qui prius respondet antequam audiat, stultum se esse demonstrat. Leuitatis quoq; signum est & indiscretionis, laudare antequam audias.

8 Si sequaris iustitiam, apprehẽdes illam & indues quasi poderem honoris, & induta erubescere facit te: & proteget te in sempiternum, & in die agnitionis inuenies firmamentum.

Si sic tibi iustitia placeat, ut assequi illam contendas facto studijs & amore, uirtutibus inhærendo, non tibi deo negabitur, qui largus est in muneribus suis, gaudiog; frui. Curabis tamen, ut illam integre assequaris, non per particulam. Iustitiam sectaris ad deum, ad teipsum & ad proximum, corde, ore, & opere, ne una tantum ex parte iustus sis, sed per omnia irreprehensibilis & honestus, quasi ueste poderis undique circumamictus. Si nullum corporis membrum non redoleat synceri cordis affectum, & dicere cum Isaia: Induenteo iustitiæ

cundedit me. Et cum ea inhabitabis, familiarem tibi & intimam reddes, ut proprium conclaue & domicilium, ut aliud non cogites uel uelis nisi iustitiam. Ipsa te in sempiternum proteget, ne succumbas alicui uitio, sed in sanctitate & iustitia coram deo cõuerseris omnibus diebus tuis, ut tandem pro factis aut obmissis in die iudicij inquirendus inueniaris per omnia confirmatus in iustitia, pro qua æternum coroneris à domino, qui est præsidium piorum. Tunc enim non proderunt diuitiæ, sed iustitia liberabit à morte. Qui uero sine illa comparuerint, non habebunt spem in die agnitionis, quando illuminabuntur abscondita tenebrarum, & reuelabuntur cõsilia cordiũ.

9 Volatilia ad sibi similia cõueniunt: & ueritas ad eos qui operantur illam, reuertet.

Eiusdem speciei animalia congregantur. Omnis enim caro ad sibi similem coniungitur. Sic & ueritas reducet in eos per remunerationem beatam, qui illam exercent & referunt uerbo & moribus. Si manseritis in sermone, uere discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos. Qui facit ueritatem uenit ad lucem.

10 Leo uenationi insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitates.

Vt leo & similes bestiæ rapaces uenationi suæ insistunt, ut impleant ingluuiem, & alijs inferant perniciem ad suum commodum: sic semper peccata nocent, & pernicies ingerunt eis qui peccant. Non raro etiam in hac uita præcipitant in magna incommoda uitæ, famæ & rerum. Semper autem præparant peccatores ad infernales miserias, nisi per dei gratiam & pœnitentiam diluantur, sic ut tandem emendentur. Sic in Prouerbijs: Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorũ constringetur. Et in Tobia: Qui faciunt iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

11 Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.

Sanctus qui & sapiens homo, ratione & prudentia regitur, semper ad recta intentus & ad sancta, clare intelligit & firmiter uult ea quæ conueniunt. Vt sol ipse serenitatem suam supra nubes in æthere semper conseruat, sine aliquo impedimento persœuerans lucidus & clarus: sic nullis quoq; nebulis passionum & concupiscentiarum obtunditur animus sapientis, sed illis potius dominatur, iam in probitate fundatus. De quo Prouerbiorum uigesimoquarto: Vir sapiens fortis est, & uir doctus robustus & ualidus. Stultus autem qui et impius, continuis perturbationibus uelut luna mutatur, et ut plurimum de malo in peius præcipitatur. Impius enim tanquam puluis quem proijcit uentus à facie terræ, & feruet ut mare. Cor stultorum dissimile.

12 In medio insensatorum serua uerbũ tempori: in medio autẽ cogitantium assiduus esto.

Inter insipientes parce loquaris, non multum docere uelis, serua doctrinam potius tempori opportuno, quum idoneos habueris auditores. Crebro autem interfis societati studiosorum, qui meditantur salubria, legem dei, qui dicere possunt: Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Simile Prouerbiorum 23. In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui.

13 Narratio peccantium odiosa, & risus illorum in delictis peccati.

Narratio peccantiũ.

Solent impij peccatis assueti, de suis ut plurimum studijs loqui, & ea odiosa omnibus non iniquis, nihil enim cogitant uel appretiantur præter iniqua, ideoq; prædicatio illorum odibilis est deo, angelis & sanctis. Quin & in suis quoq; peccatis & aliorum gloriari audent & iocari, lætantur enim cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Os impiorum pascitur imperitia.

14 Loquela multum iurans, horripilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius obturatio aurium.

Iurare.

Iurare per sacrosancta nomina, & cum imprecatione malorum, horrorem sanctis & timoratis hominum conscientijs incutit, siquidem uehementer horrent omnia uitiosa & inhonesta, unde & horripilatio consurgit ex rigida & horrida cogitatione magni mali. Solet enim sermo irreuerenter prolatus contra deum & sacra, bonis sic dolere, ut auertere cogantur uel obturare aures, ne audiant blasphema. Quia uero sic loquentes, dum se contemni à pijs cõsiderant insurgere solẽt, ideo dicitur:

15 Effusio sanguinis in rixa superborum: & maledictio illorum auditus grauis.

Iurgia.

Ex impiorum iurgio qui nunc stulti, nunc superbi, nunc iniqui nominantur, oriuntur homicidia & sanguinis effusiones, dum alteri alius cedere non consentit, sub sequitur sæpe grauis maledictio, & dei blasphemia sanctis non ferenda auribus. Assuescendum ergo uerbis placabilibus, religiosis, pacificis & modestis, quibus deus placatur & homines.

16 Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicũ ad animũ suum.

Secreta amicorum.

Solent amici secreta commendare sua amicorũ fidei, ut secreta seruentur, ut solus sciat quæ manifestari nõ expedit, si non multum officit. Eam fidem uiolasse grande est maleficium, & amicitiæ denuo connectendæ uenenum insanabile, ut non tantum eidem recõciliari non ualeat, sed nec ab aliquo alio assumi in amicitiã potest: prodita enim perfidia cunctos absterrebit ab amicitia eius obeunda. Est enim amicus qui conuertitur ad inimicitiã, & sunt inimicitiarum casus, qui non sunt aliquatenus reconciliabiles uel delendi. De quibus supra cap. 6.

17 Dilige proximum, & coniungere fide cum illo. Quod si denudaueris absconsa illius, non persequeris post eum.

Amicus colendus.

Qui tibi proximus est sanguine, fauore, beneficijs aut familiaritate, hunc dilige affectu & sensu, ut sis ei fidelis amicus subueniendo quum indiguerit, ciusq; secreta tegendo, ne uel suspectus illi fias, uel eius aliquatenus fortunas & tranquillitatem lædas. Quod si per imprudentiam uel etiam perfidiam absconsa fidei tuæ credita denudaueris, pristinam eius amicitiam nunquã recuperabis, est enim huiusmodi hominis uitanda amicitia. Persequi post eum, est denuo illius fauorẽ cõsequi uel promereri.

18 Sicut enim homo qui perdit amicũ suũ: sic & qui perdit amicitiam proximi sui.

Ratio additur et similitudo iam dictæ ueritatis. Sicut si quis per mortem naturalem amicum sic amittat, ut reparandum non speret, nunquam enim reuiuiscet ad uitam mortalem: sic non redibit amicitia semel per secreti periculosi reuelationem amissa. Proditio secretorum casus est rumpendi amicitiam irreuocabiliter.

19 Et sicut qui dimittit auem de manu sua: sic dereliquisti proximũ tuum, & nõ eum capies: non illũ sequaris, quoniã longe abest: effugit eñ quasi caprea de laqueo, quoniã uulnerata est anima eius: ultra eũ nõ poteris colligare, & maledicti est cõcordatio.

Aliud exemplum ad idem. Auis dimissa ut non est recuperabilis, nõ iterũ aduolabit manui: sic ea ratione qua dictum est, & alijs supradictis, amissus amicus non recuperabitur. Frustra sequeris illum ad reconciliandam pristinam amicitiam, qui etiam si in gratiam sit rediturus, & remissurus iracundiam, ut nolit uindicare iniuriam, non tamen amicitiam iunget denuo, tanta familiaritate tua opera uel persona non utetur: effugit enim de uinculo amicitiæ & celeriter exilijt, quasi caprea de laqueo expanso cui semel inciderat. Maior est enim fractura uulneris expertæ semel infidelitatis, quàm ut priore charitatis uinculo connecti possit: semper enim recordabitur maledicti, proditionis scilicet secreti, quæ cedere pessime poterat, & secundo accidere formidandũ erat, quod inter amicos integros primo contigerat.

Reconciliari amicitiæ proditori.

20 Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.

Secreta amicorum denudare non licet, inducit enim irreconciliabilem inimicitiam. Prouerb. 20. Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.

21 Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abiciet: in conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur.

Adulatores

Qui oderunt me gratis annuunt oculis, nutu enim oculorum proditiones fiunt ab illis qui fabricant iniqua, & per insidias nocere quærunt clam ei, cui se fingunt amicum, à quo se nemo tueri potest, calliditatem ignorãs & illius nequitiam, ideoq; ipsum nemo curabit abijcere, uel declinare ex ipso impendens periculum. Coram positus tibi dulcia uerba loquetur, fingetq; tuorum se uerborum admiratorem, quasi sapientissima dixeris. Sic enim adulatores consueuerunt. Dixi loquutus est, & omnes tacuerunt, & uerbum illius usq; ad nubes perducent, Supra capite decimotertio.

22 Nouissime autem peruertet os suum, & in uerbis tuis dabit scandalum.

Vtcunq; uerba dent aliquantisper dolosi & perfidi, & oculis annuant, nouissime tamẽ peruertent os suum, & patenter peruersa loquentur, ubi sibi ad id tempus uiderint opportunum, ad te scilicet confundendum uerbis & factis, ad supplantandum denuo, quem prius perfidia prima commonefecerat, qui sibi merito debuerat prospexisse admonitus iamdudum. Tanto autem grauius impingit læsus, quanto plures ex huius lapsu scandalizantur, propter amicitiam toties læsam inter familiares.

23 Multa audiui, & non coæquaui ei, & dominus odiet illum.

Post aliquoties reconciliatam amicitiam denuo amicum syncerum prodere & accusare falso, uel etiam uere tantum habetur crimẽ, cui uix aliud quodlibet nefas comparari. Cuiusmodi impostorem dominus quoq; uerus amicitiæ & amicitiæ amator abominabitur & damnabit. Sex enim sunt quæ odit dominus, inter quæ est, Cor machinans cogitationes pessimas, Prouerb. 6.

24 Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet: & plaga dolosa dolosi diuidet uulnera.

Consequenter similibus quibusdam docet, peccatum cuiuscunq; redundare in suum authorem. Facile, inquit, fit ut qui in altum lapidem proijcit, sentiat in caput redeuntem sibijpsi: sic damnũ quod homo fraudulentus dolose proximo infert, sibijpsi in primis noceat. Diuidere autem uulnera, est augere damna, & duplici contritione, qui alios uult contritos.

25 Et qui foueã fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo: & qui laqueũ alij ponit, peribit in illo.

Repetitio est eiusdem doctrinæ, per alia exempla modum clara. Omnis dolosus omnium primo sibi nocet. Goliath proprio gladio occisus est. Aman suspensus patibulo, quod ipse Mardochæo erexerat. Et Christus dicit, Qui gladium acceperit, gladio peribit. In laqueo quem absconderunt comprehensus est pes eorum.

26 Facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet unde adueniat illi.

Excogitanti improbum consilium super innoxios, super eum decidet improbitatis fructus & præmium. Regum Israel serui quidam, ut Zamri & reliqui, proprios dominos occiderunt ambitione regnandi, quorum ipsi paulo post similiter sunt occisi ab ijs à quibus minime id futurum suspicabantur.

27 Illusio & improperium superborum, & uindicta sicut leo insidiabitur illi.

Proditori & indignum consilium machinanti contra pios & innoxios, impendet diuino iudicio illusio hominum, & improperia à superbis & eundem contemnentibus, qui eum non mitius tractabunt quàm leo, qui per insidias assequutus rapinã fuerit. Dominus est enim qui his medijs illudit illusoribus. Cum despieris contemnere, contemneris, ait Isaias capite 33.

28 Laqueo peribunt qui oblectantur casu iustorum, dolor autem consumet illos antequam moriantur.

Qui in ruina alterius lætatur, nõ erit impunitus. Propria peribunt malitia, & satanæ insidijs capientur, qui oblectantur casu iustorum. Grauis quoq; infirmitas & mœror eosdem consumet antequã moriantur. Excepta

nam

narratur de Ioas rege Iuda, qui Zachariam pontificem lapidibus iussit obrui. Et de Ioram filio Iosaphat regis, qui fratres suos se meliores occidit. Similiter de Antiocho 2. Machab. 9. Et de Agrippa Actorum 12.

29 Ira & furor utraq; execrabilia sunt, & uir peccator continens erit illorum.

Virum stultum interficit iracundia, ira & furor de genere suo sunt peccata grauia, & multorum malorum causæ animum perturbant, execrantur ab hominibus & deo. Sunt tamen familiaria uitia eorum qui assueti sunt superbiæ, sed ut irasci aliquando liceat, id fiat cum moderamine & iudicio rationis contra malos.

CAPVT XXVIII.

1 Vi uindicari uult, à domino inueniet uindictam, & peccata illius seruans seruabit.

Contra iram & ex ea procedentem apposuit ultionem pro peccatis infligendam sentientis, qui cupit uel conatur uindicari iniuriã sibi aut suis illatã, idq; propria authoritate, non seruato ordine iuris, cum intentione sola se uindicandi, uel ex rancore, non solo æquitatis amore. Ideo Christus docuit: Cum statis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersum aliquem: quod si non dimiseritis, nec pater uester qui in cœlis est dimittet uobis peccata uestra. Ipse est enim qui iudicabit in æquitate pro mansuetis terræ, Isaiæ 11.

2 Relinque proximo tuo nocenti te: & tũc deprecanti tibi peccata soluentur.

Ignosce inferenti tibi damnum uel iniuriam, si tibi soli noceat, & non simul etiam ecclesiæ & aliis multis, et si illi non occasio sit indulgentia illa grauiora committendi in proximos. Tunc enim si iniuriam remiseris pro ximo, pro tuis quoq; peccatis dimittendis dominum cum fiducia certa poteris orare. Dimittite enim, & dimittetur uobis. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur uobis. Vnde & non aliter orare Christus docuit: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

3 Homo homini reseruat iram: & à deo quærit medelam?

Grauis offensa in dominum est, & prorsus quoq; irrationabile, ut homo homini in se peccanti leuiter, indulgere recusset, & tamen non ueretur, sed audet potius à deo sibi orare peccata remitti grauia quæ cõmisit in dominum, cum potius misericordiam cum proximo facere debeamus, quatenus misericordiam à deo pro nostris iniquitatibus impetremus, dicente domino: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me, nónne oportuit & te misereri conserui tui?

4 In hominem similem sibi non habet misericordiã: & de peccatis suis deprecatur?

Stultum est, fragilem hominem & peccatorem peccanti in se homini nolle misericordiam impartiri, & tamen audere dominũ deũ suũ pro suis deprecari delictis. Nisi enim fratri dimiserit homo, non dimittet eidẽ deus.

5 Ipse dum caro sit, reseruat irã: & propitiationem petit à deo? quis exorabit pro delictis illius?

Præsumptio est magna, hominem carnem & sanguinem iram reseruare cordi contra hominem fratrem, interim tamen non uereri propitiationem peccatorum sibi à domino postulare. Sic Christus: Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid contra te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offer munus tuum. Quod uero additur: Quis exorabit pro delictis illius? significat idem quod Christus: Nisi remiseritis alterutrum peccata uestra, non remittet uobis quoque pater meus peccata uestra.

6 Memẽto nouissimorũ, et desine inimicari.

Nouissimorum consideratio, mortis scilicet et iudicij, cœli & inferni, plurimum absterrere potest hominem à peccato, maxime uero ab odio fratris, unde addit: Et desine inimicari, & contra charitatem moliri quippiam. Diligite, inquit Christus, inimicos uestros, &c.

7 Tabitudo enim & mors imminent in mandatis eius.

Pro tabitudine, aliqua exemplaria habent beatitudinem. Græcus legit simpliciter: Et non mineris proximo interitum & mortem: ut referatur ad præcedens, ne inimicetur proximo suo, memor nouissimorum, multo minus minitetur eidem interitũ uel mortem. Qui tabitudinem legunt, exponunt sic: Virium naturaliũ & spiritualium defectio & mors ipsa imminet ei, qui præuaricator est mandatorũ dei. Sic contra dicitur Ecclesiastes 8. Qui custodit mandatum, non experietur quicquã mali. Qui beatitudinẽ legunt, sic interpretantur: Beatitudo manet obseruantibus mandata dei, mors uero contemnentibus.

8 Memorare timorem dei, & non irascaris proximo.

Cogita quoties & quantum tu deum offenderis, et time eius iudicium, humiliter & pro clementia deprecare clementem, discasq; indulgere proximõ in te peccanti, ut tui quoq; cupis dominum misereri, secundum prædicta.

9 Memorare testamentum altissimi, & despice ignorantiam proximi.

Totius legis diuinæ summam intelligas esse charitatẽ dei & proximi, in qua & præcipitur, ut proximo facias quod uelis tibi fieri. Et non quæras ultionem, nec memor sis iniuriæ ciuium tuorum, ideoq; peccata quæ in te committuntur à proximo per ignorantiam & humanam fragilitatem despicias, eatenus, ut nõ magnifacias ea, ut pro eis plurimum irascaris, sed imputa fragilitati, cogitans te quoq; peccasse in multos non solum homines, sed etiam deum ipsum optimum & maximum. Proximus amandus.

10 Abstine te à lite, & minues peccata: homo enim iracundus incendit litem, & uir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam.

Ad idem hortatur Apostolus: Noli uerbis contẽdere. Et: Cum sit inter uos zelus & contentio, nónne carnales estis & secundum hominẽ ambulatis? Si enim à lite abstinebis, multa uitabis peccata. Proinde noli teipsum prouo

care ad iram, unde rixæ proceduntˑ Et peccatis abstine, unde amici turbantur, cum nobis à domino præcepta sit mutua charitas. Rixosus autẽ inimicitias immittit intra eos qui pacẽ habuerãt, dicturq; per antonomasiam peccator, nihil enim deo abominabilius, qui charitas est.

11 Secundũ enim ligna syluæ, sic ignis exardescit: & secundum uirtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundum substantiam suam exaltabit iram suam.

Vt augetur & inflammascit magis ignis quanto plura ligna collecta fuerint: sic homo tanto maiorem concipit iram, quanto maioris se existimat uirtutis uel authoritatis. Et quo quisquam opulentior est, tanto iram suam minus cõprimet, sed magis exaltabit: magnificunt enim læsam maiestatem suam, et ponderant uehementer suam iniuriam, propter quod ardentius irascuntur. Ecce potentia & opulentia fomenta sunt iracundiæ.

12 Certamen festinatum incendit ignem: & lis festinans effundit sanguinem: & lingua testificans adducet mortem.

Increpatio intempestiua. Intempestiua & uehemens increpatio inflammat iræ & furoris impetum. Sit ergo mitis et syncera correctio, ut non tam exulceret animum quam demulceat, & se sibi restituat aliquantisper passionibus alienatum. Et lis festinans effundit sanguinem, hoc est, ira sine refrenatione à uerbis prorumpens ad uerbera. Et lingua testificans, hoc est, actoris causam uel percussoris approbans, aut ipsius causæ testimonium tribuens esse iustam, & adiuuans decertando, ea mortem adducit, hoc est, inducit & incitat ad alterius occisionem. Præstat autem intercedere clementem aliquem & pacificum, ut reconciliatorem partium, iracundiæ moderatorem, et sequestrem concordiæ: sic disciplina quoq; immoderata excitat furoris ardorem, & procax irritatio inflammat alioqui nimio concitatum ad grauius flagitium.

13 Si sufflaueris, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur: utraq; ex ore proficiscuntur.

Malum nõ augendum. Cauendum in primis ne iracundiæ facibus admoueatur sulphur, & exufflatione improbi incitatoris malum augescat, & succẽdatur fortius ira: expedit magis ut uerba refrigeratiua proferas, quod est expuere super iram. Vel si linguam adeo procacem corripueris, uel uilem ostenderis & impiam, extinguetur, et per hoc ira proximi minuetur. Vt enim dura locutio iram excitat: sic pia cõpescit. Vtraq; proficiscitur ex ore, hoc est, uerba tam inflammantia iram quàm mitigantia, opus sunt linguæ, secundum quod ait Apostolus: Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio. Exempla sunt Nabal & Abigail, Roboam & Gedeon.

14 Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.

Susurro. Tam susurro qui in aurem falso detrahit, quàm bilinguis aliud & aliter loquens præsenti et absenti, cupiens ubiq; placere, & utriq; imponere, maledictus est: multos enim turbauit pacem habentes, discordiam seminando & inquietudinem. Vnde scribitur Prouerbiorum 26. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: susurrone subtracto, iurgia conquiescent.

15 Lingua tertia multos cõmouit, & dispersit illos de gente in gentẽ: ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit.

16 Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit.

Lingua tertia, Græcus dicit duplex, & redit in idem, quæ scilicet male mediat inter duos, obloquendo uel detrahendo, multos permouit ad odiũ & discordiã. Et per bella & seditiones dispersit illos de gente in gentem, ubi uicti confugerint coacti de loco ad locum. Seditiones in urbibus concitauit, ut collaberentur & desolarentur, ciuibus exulceratis mutuum, eorum qui uincuntur domus ac domus subruuntur, unde subiungitur: Et domos magnatorum effodit, uirtutes populorum eneruauit, & gentes robustas dissoluit, uno populo alterum uastante.

17 Lingua tertia mulieres uiratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis: qui respicit illam, non habebit requiem, nec habitabit cum requie.

Viratas mulieres nominat probas & solidas, quas lingua mendax & bilinguis de domibus maritorum eiecit, promouendo rixas, suspiciones & discordias inter coniuges, illasq; priuauit laboribus suis, hoc est, fructibus eorum, & liberorum solatio, & domesticis opibus, quibus untibus uxoribus mariti nihil dare uoluerint. Qui respexerit credendo inconsideratius, mentis requiem non habebit, nec fidum seruabit amicum cui plene confidat. Nõ ergo facile mala fides credenda de proximis. Tutius creditur bonum quàm pernicioſum mendacium.

18 Flagelli plaga liuorem fecit: plaga autem linguæ comminuet ossa.

Grauis quidem flagelli plaga liuorem imprimit corpori, sed longe pernicioſior est plaga linguæ, quæ subsannatione & detractione intima ossium lædendo penetrat & dilacerat. Nec tantum peior est plaga linguæ quàm flagelli, quin pernicioſior quoq; est quàm plaga gladij.

19 Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierũt per linguam suam.

Multi quidem occũbunt gladio ferreo, sed multo plures pestiferis linguæ uerbis occiduntur, mentiendo, periurando, secreta reuelando. De qua Iacobus dicit: Linguam nullus homo domare potest, inquietum malum, plenum ueneno mortifero. Et Ieremiæ nono, Sagitta uulnerans lingua eorum dolum loquuta est, in ore suo pacem cum amico loquitur, & in corde suo ponit ei insidias.

20 Beatus qui tectus est à lingua nequã, qui non in iracundia illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in uinculis eius non est ligatus: iugũ enim illius, iugũ ferreum est: & uinculum illius, uinculum æreum est.

Felix qui uitijs linguæ non est læsus, nec quenquam sit, qui uitijs eis caret quæ lingua committuntur, sub specie quæ deus cadere sinit sibi ingratos: & qui miseras [illegible]

tutis linguæ non est alligatus, nec consuetudinem talium incidit uitiorum. Praua enim linguæ consuetudo difficulter exuitur. Iugum enim est ferreum, uehemens obligatio ad obsequium satanæ.

21 Mors illius, mors nequissima: & utilis potius inferus quàm illa.

Vitium linguæ nequissimum est, quia maxime charitati aduersum & fidei, quod nemo innocentium euadere potest, quod æque pijs præiudicat atq; impijs, dei quoq; sanctitatem non præterit, semel omnia bona subruere potest, & labefactare omnia sancta. Vtilis est potius infernus quàm illa. Quæuis pœna grauissima minor est quàm plaga linguæ. Sed & infernus utilior est quàm lingua nequam. Non enim infernus nocet nisi malis, lingua uero æque bonis insidiatur ut malis.

22 Perseuerantia illius nõ permanebit, sed obtinebit uias iniustorum: in flamma sua non comburet iustos.

Pertinax & inueterata malitia linguæ cito damnabitur, nec diu permanebit in uiro bono, statim enim aduertit & corrigit quod peccatum est in lingua. Obesse qui dem consueuit huiusmodi lingua uijs impiorum, quos & ledere potest dum ea utuntur, uel dum illam iuste patiuntur. In flamma autem sua iustos comburere nõ potest. Nihil enim iustus læditur, nisi à seipso lædatur. Nec feruore loquacitatis suæ ac prauitatis iustos incendere poterit, falsitas enim eius diu latere non potest.

23 Qui derelinquunt dominum, incidentur in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos.

Sanctos improba lingua non tangit: quod si tangat, non officit: impios autem facile offendit, quos ueritas detestatur, qui linguæ abusum ferre nequeunt, qui charitate nudati grandia peccata incidunt, ut improbæ & procaci linguæ obnoxij esse cogantur. Sed & in ipsis impijs manet perpetuo feruor peccandi per linguam, quæ & ætatum linguæ accusant, à quibus se tam uiui quàm mortui defendere nequeunt, in quos lingua mordax semper sæuit ut leo, & sæuiet, & ut pardus arrodet sine fine.

24 Sepi aures tuas spinis, & linguam nequã noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.

Cum tantum malum sit lingua nequã, subditur fidelis et seriosa admonitio: Aures tuas igitur undiq; obserua et custodi, per diuini timoris acutos aculeos atq; spinas considerationis diuini iudicij, ut nolis unquam auscultare ad uerba detractoria uel iniqua, sine tædio & ira, iusta & austera fronte, secundum quod scriptum est: Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Ori quoq; tuo adhibe discretionem silentij, ne quid faucas obloquenti, seu per linguam peccanti: seras quoq; repressionis ab omni uano auditu, ne pruritum sentiant ex uerbis inanibus aut peruersis.

25 Aurum tuum & argentum tuum cõfla, & uerbis tuis facito stateram, & frenos oris tuo rectos: & attende ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.

Sapientiam & eloquentiam simul iunge, ut non sit sapientia muta, nec sit eloquentia stulta. Verbis quoque tuis stateram discretionis adhibeas, considerando quid, quantum & qualiter loqui deceat uel expediat, et quid taceri. Frenumq; iustæ moderationis impone ori tuo, & ostium circumstantiæ labijs tuis. Qui enim moderatur labia sua prudentissimus est. Et alibi: Verba sapientis statera ponderabuntur. Et attende ne lingua labaris tua, & derisui statuaris hostibus tuis, cadasq; casu irreparabili. Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pauimento cadit. Orandum igitur ut à domino concedatur lingua sana et uerax. Sapientia sit nõ muta.

CAPVT XXIX.

1 QVi facit misericordiam, fœneratur proximo suo: & qui præualet manu, mandata seruat.

Hebræis misericordia frequenter est beneficentia & benignitas. Facere ergo misericordiam, est subuenire in necessitatibus. Id uero fiat accommodando de propria abundantia ei qui indiget nihil inde sperando, ut non ideo commodet pauperi, ut accipiat à paupere, sed quia indiget ipse pauper: id enim respiciendum est pio, qui à domino facultatem accepit egentibus bene faciendi. Benefacimus autem proximo consilio, auxilio & dato. Et qui sic manu præualet, ut ea utatur ad opera pietatis, ad dispensanda dei dona quæ ad hoc suscepit, is domino deo suo seruit & obsequitur digno & acceptabili cultu. Vnde Paulus Timotheo: Diuitibus præcipe facile communicare diuites fieri in operibus bonis. Non uere diues est qui multa habet, sed qui multa facit. Proximo benefacere.

2 Fœnerare proximo tuo in tẽpore necessitatis illius, & iterũ redde proximo in tempore suo.

Non claudes uiscera à paupere fratre tuo, sed da ei quo eum indigere perspexeris, ostende te amicum in angustijs. Qui enim substantiam habuerit huius mundi, & uiderit fratrem, id est proximum, necessitatẽ habere, claudereq; uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in illo? Vt autem diuitis est pie commodare, ita pauperis est humiliter ferre paupertatem, & studium fidele adhibere ad reddendum quod debet in tempore, uel humiliter significare necessitatem qua premitur, & non dissimulare benefactorem, ideo subditur: Iterum redde proximo tuo in tempore suo, hoc est, si quod primum restituit, pauper denuo repetit ut necessarium sibi, quo tu diues non indigeas ad præsens, iterum illi restitue, & diutius accommoda. Id enim et merctur officium in tempore reddentis, & necessitas indigentis, & charitas diuitis. Eleemosyna.

3 Confirma uerbum, & fideliter age cũ illo: & in omni tempore inuenies quod tibi necessarium est.

Ad pauperẽ refertur, qui docetur reddere quod promisit in tempore se redditurum: quod si omnino præter Reddere mutuata.

ſuam culpam non poteſt, agat tamen fideliter quod poteſt, humiliter & ſtatuto tempore allegare non omittat quo urgetur: ſi poteſt reddat, ut fiat bonæ fidei homo, mereaturq; ſibi ſecundo & tertio aut ſæpius ſubueniri. Omnino enim ingrati hominis nota eſt, nec reddere commodata, nec moræ cauſas humiliter dicere, nec indulgentiã impetrare dilationis. Quod ſi omnino reddere non poteſt, etiam dum ſtudioſe uereq; incumbit, ſaltem id uere indicet, & animæquiorem inueniet commodatorem, ſi non donatorem obtineat.

4 Multi quaſi inuentionem æſtimauerũt fœnus, & præſtiterunt moleſtiam his qui ſe adiuuerunt.

Ingrati fœneratoribus.

Arguuntur qui ſe ingratos exhibent fœneratoribus, non aliter beneficium mutui reputantes, q̃ ſi inueniſſent rem mutuo acceptam, & reddere non cogitant, ſed ſibi iure datam reputant. Nec tantum grati non ſunt, uel etiã non reſtituunt, ſed inſuper factis irrident, dolis differunt rationem, ſubterfugiunt ius, nec dignantur creditorem alloquio, uel ſupplicatione ut dilationem annuat, cum ſe tamen fateantur adiutos illius beneficio.

5 Donec accipiãt oſculantur manus dãtis, & in promiſſionibus humiliant uocẽ ſuã.

6 Et in tẽpore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur uerba acediæ & murmurationũ, & tempus cauſabitur: ſi autẽ potuerit reddere, aduerſabitur ſolide, uix reddet dimidium, & computabit illud quaſi inuentionem: ſin autem, fraudabit illũ pecunia ſua, & poſſidebit illum inimicũ gratis, & cõuitia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam.

Debitorum ingratitudo

De eodem proſequitur, ingratitudinem debitorum deſcribens, ut doceat contrarium. Quandiu accipiunt commodatum, fingunt reuerentiam & amicitiam cum gratia, fictaq; humilitate loquuntur grati, obſequia promittentes, & ſedulam ſatisfactionem: tempore uero præfixo ſolutioni prorogationem petent, & cauſas egeſtatis cum tædio loquentur, cauſas de non reſtituendo allegabunt, temporis difficultates cauſando, & impoßibilitatem reſtituendi iuxta promiſſiones imprudenter factas. Murmurabit quoq; contra creditorem priuatim & publice, quia ſe importunum exhibeat in repetendo, quod pauper reddere nequeat diuiti. Sed & ſi reddere debitor poßit, tamen cum indignatione aduerſabitur, & ad contentionem prouocabit creditorem, iniuriam acceptã

Pauperum ingratitudo

cauſabitur falſo. Talis ingratitudo pauperum reddit difficiliores diuites ad officium. Perquiret occaſionem qua pro tota ſumma creditori uix ſolidi dimidiũ reddere poſſit, ſi id fieri poßit impune. Modicum id quod rependit, non arbitrabitur ut debitum reddidiſſe, ſed ut inuentum & iniuſte receptum à creditore, qui ſit debitori locupletior, ut repetere à ſe mutuatum non debuerit, cum illud multa nuper humilitate ut non debitum poſtulaſſet. Sin autem hoc non egerit creditor, ut dimidium accipiat, ſed coegerit debitorem ad totius ſummæ ſolutionem, ſtudebit debitor uel pecuniã numerando uel commodatã reddendo rem aliquo ſaltem pacto fraudare creditorem, ut per partes cum inuidia: ſicq; nil aliud creditor lucratus hoc officio uidebitur, quàm inimicitiam eius qui fuerat amicus, antequam illi fuiſſet commodando gratificatus. Quin & conuitia reddet creditori ingratus debitor, & maledicta pro beneficio quod obligabatur, & pro honore contumeliam. Hoc totum & generale malum paucis exprimitur uerbis. Si, inquiunt, commodaui ingrato, non recepi: ſi recepi, non totum: ſi totum, non tale: ſi tale, de amico inimicum acquiſiui. Quæ non in hoc inducuntur ut mutuum non detur, ſed ut debitores rei indignitate admoniti cogitent quid eos deceat, ſi promptos in neceſſitate inuenire aliquando cupiant creditores. Et diuites attendant cui dent mutuum, uel liberaliter potius indigentibus donent.

7 Multi non cauſa nequitiæ non fœnerant, ſed fraudari gratis timuerunt.

Excuſat ut moralis doctor diuitum quoſdam, qui non tam ex inclementia, parcitate uel auaritia pauperibus non mutuum dant, quàm quod ingratitudinis uitium abteſtantur, & moleſtiam quæ illis ex officio pietatis regeritur. Sicut mendoſi & impij non raro cauſa ſunt, ut ueracibus quidem credatur. Verum non hoc in uniuerſum excuſatio eſt, ſed præſtat neceſſarijs deſtitutos leuare donatione ſuccurrere dum fieri poteſt, quàm reſtituenda concedere, dum id reddere non poſſe creduntur, & mendicitatem ut ingenui expaueſcunt.

8 Veruntamen ſuper humilem animo ſor tior eſto, & pro eleemoſyna nõ trahas illi.

Docet clementer indulgere creditum ei debitori qui humiliter ſe gerit, impotentiam ſoluendi in tempore confitetur, & eleemoſynæ reſpectu fortiter ferendam iacturam rei tantæ, qua pauperi propter deum ſubuenitur, agitando uerbum domini quo mandauit: Omnino indigens & mendicus nõ erit inter uos. Et: Beatius eſt dare quàm accipere. Non trahas illum, ſcilicet ad iudicium.

9 Propter mandatũ aſſume pauperem: & propter inopiã eius ne dimittas eũ uacuũ.

Pie tractandus eſt à te pauper, nam is hoc tibi præcepit, qui cunctas tibi poßeßiones tuas largitur, qui cum diſpenſatorẽ conſtituit, qui dum uolet ſimul omnia eripere poteſt, cui rationẽ redditurus es, qui tibi dicit: Panem eſurienti panem tuum, &c. Date & dabitur uobis. Segmere autem pauperem, eſt curam gerere ut paſcatur. Et propter inopiam non dimittas eum uacuum. Non ideo li mutuũ neges, quia uidetur non poſſe reſtituere in tempore, imò tãto promptius largiaris, quãto magis indiget. Qui enim deſpicit pauperẽ, exprobrat factori eius. Horrible quoq; eſt in oculis domini ſubito pauperem & amicum fieri.

10 Perde pecuniam propter fratrem & amicum: & non abſcondas illam ſub lapide in perditionem.

Elige potius damnum temporalium rerum tuarum, ſi proximis egentibus non largiri ſi poßis, & ne perdideris putes pecuniam quam pauperi donas: à deo enim mercedem rependitur in regno cœlorum pauperibus beneficentibus, & in præſenti temporalium multiplicatio reddetur ſpiritua-

spiritualiumq; bonorum. Et non abscondas pecuniã otiosam, qua tam pie & utiliter uti potes, ubi tot indigentibus iniuriaris, quot succurrere posses. Vnde Iacobus apostolus: Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, & uestimenta uestra à tineis comesta sunt. Aurũ & argentũ uestrum eruginauit, & erugo eorum in testimonium uobis erit, manducabitq; carnes uestras sicut ignis, &c.

11 Pone thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis q̃ aurum.

Opulentiam tuam eam existima, ut diuina impleas mandata, thesauros tuos in usus pios exponas, iuxta dei beneplacitum. Et hæc tibi substantia magis proderit, q̃ cuncta terrena. Manus enim pauperum dei gazophylacium sunt, ubi tuto conseruabitur res tua. Facite uobis sacculos qui non ueterascent, thesaurum non deficientem in cœlis. Opulentia iusta.

12 Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab oñi malo.

Eleemosyna tua consolare conscientiam indigentis, non publice & pro laude aucupãda, sed secreto & propter deum, quæ beneficentia sic domino placebit, ut meritorum uice illam suscepturus sit, & expiationis loco habiturus, secundum quod dicitur: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Et rursus: Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, &c. Exorabit charitas ab omni malo, hoc est, ut euadas omne malum. Eleemosyna.

13 Eleemosyna uiri quasi sacculus cũ ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit: & postea resurget, & retribuet illis retributionẽ unicuiq; in caput illorum.

Sicut in sæculo necessaria uitæ conseruantur ad artículũ egestatis, sic eleemosyna æternæ retributionis promissionem continet certissimam ad uitam gratiæ & gloriæ. Et sicut oculi pupilla conseruatur à palpebra, sic eleemosyna gratiam & uirtutes nutriet, roborabit, atq; perficiet domino concedente, & gratiam pro gratia rependente. Beati enim misericordes, quia ipsorum misebitur deus. Et in Tobia: Noli auertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies domini. Talis enim misericors ad diẽ iudicij resurget, cum fiducia auditurus dominũ benedictionẽ, sicut contra crudeles audient supplicij sempiterni sententiam.

14 Super scutũ potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit. Eleemosyna fortis.

Fortius te proteget eleemosyna, & charitatis officium à deo iunctum contra inuisibiles hostes animæ tuæ, q̃ quæcunq; exterior armatura contra inimicos uisibiles, per fidem enim domino placet, & promissionum memorem non sinit irasci deum, ei qui fratrem diligit. Vnde & Salomon: Benefacit animæ suæ uir misericors. Et Tobias: Eleemosyna ab omni peccato liberat.

15 Vir bonus fidẽ facit pro proximo suo: & q̃ perdiderit cõfusionẽ, derelinquet sibi.

Qui pius & iustus est, testatur id operibus erga proximum, fideliter se gerẽdo ad illum, omnibus modis quibus potest succurrit, opponit se infortunio proximi sui pro omni uirili sua substantiam propriam impartitur egenti, nihil obmittit pro subleuando ipso, etiã si pro ipso bona sua impignorare cogatur. Charitas enim dei diffusa est in corde ipsius, ut proximo facere delectet, quod si sibi uult fieri. Malignus autem negligit, & fert æquanimiter proximum quacunq; ratione confundi. Græcus legit: Qui perdidit uerecundiam, relinquet illum.

16 Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: dedit enim pro te animam suam.

Vt magnum periculũ est fideiubere pro homine, obnoxiumq; multis incommodis: sic fideiussoris amici gratia magni æstimari debet ab amico, pro quo oppignorauit animam suam, hoc est rem sibi ipsi necessariam. Et minime obliuisci, quin statim incũbere debet ad eius exemptionem ab obligatione, qua se obstrinxit pro amico. Fideiussor.

17 Repromissorẽ fugit peccator & immundus. Bona repromissoris sibi adscribit peccator: & ingratus sensu, derelinquet liberantem se.

Repromissorem uocat fideiussorem, quem ingratus deserit, & finit pro se obstrictum periclitari de substantia sua uel existimatione, tunc cum tempus instat eximendi fideiussorem. Hoc quia non raro usu uenit inter homines, ideo frequenter sapiens dehortatur à periculo huiusmodi fideiussionis, ut scilicet alio modo subueniatur amico, si fieri possit absq; fideiussione. Si quis eò ingratitudinis procedat, ut fideiussoris pro se bona sibi usurpet, & patiatur diripi pro se redimendo, is impius & peccator, reddit enim malum pro bono, & damnis obijcit eum qui se redemit, grauiter puniendus, quia deterret bonos diuites à gratia succurrendi egenis.

18 Vir repromittit de proximo suo: & cum perdiderit reuerẽtiã, derelinquetur ab eo.

Imprudenter agit qui spondet pro proximo, qui amicum & fautorem se fingit, donec ab ipso obsequiũ tam arduum extorqueat. Non enim diutius hæc reuerentia & obseruantia durabit q̃ ipsum illaqueauerit, fidei suæ interpositione, qua sic illaqueatum deseret, & patietur pro se periclitari usq; ad bonorum direptionem. Quæ malignitate quæ potest peior cogitari? Et tamen hæc fieri consueta fuisse in illa gente indicat tam frequens exhortatio Salomonis, de non se præstando fideiussorẽ pro proximo, nisi plurimum periclitari se leue ducat per huiusmodi impostura iniquorum. Spondere pro amico.

19 Repromissio nequissima multos perdidit diligentes, & commouit illos quasi fluctus maris.

Perfidia illorum qui suos fideiussores illaqueárunt dãnis, multos perdidit, eos scilicet pios homines, qui pro charitatis affectu se et sua ingratissimis huiusmodi nebulonibus obstringendos obtulerunt, à quibus tandem dimissi sunt, & creditoribus permissi adrapinas bonorum suorum: quos pro insipientia & numia crudelitate commouit fluctus maris, hoc est proprijs habitaculis & possessionibus exclusit, & relegauit in mendicitatem. Perfidia in fideiussores

20 Viros potentes gyrans migrare fecit, & uagati sunt in gentibus alienis.

Expositio est iam dictæ sentẽtiæ. Generalis illa & late patens inter homines tanta perfidia egenorum, multos compulit potentes & diuites, qui se fideiussores præbuerant pro eis, propria relinquere bona, quia soluẽdo non essent, pro quibus inconsulte fideiusserant. Et qui propria possederant, coacti sunt calamitosi peruagare possessiones & regiones alienorum.

21 Peccator transgrediens mandatũ domini, incidet in promissionem nequã: & qui conatur multa agere, incidet in iudicium.

Perfidia pauperum. Iudicium est non parui criminis à domino castigandi, in eo qui ex imprudenti fideiussione tantã calamitatem ex alterius malignitate incurrit, uel eius qui in suum fideiussorem tantum crimen committere potest, grauissima est & execranda perfidia uel impietas, merito graui uindicta plectenda, ut non est improbior transgressio quàm sit ingratitudo tam fœda. Quod uero sequitur in hoc uersu: Et qui conatur multa agere, incidet in iudicium, hunc uidetur habere sensum. Non est onus supra uires suscipiendum. Qui enim plura quàm exequi possit agere uel dare promittit, is imprudentiæ suæ pœnas dabit in iudicio. Sicut qui fideiussorem se pollicitus est, in causa quam prosequi non ualuit. Circumspectio ergo discenda est, & columbinæ simplicitati iungenda prudentia serpentina.

22 Recupera proximum secundũ uirtutem tuam, & attende tibi ne incidas.

Proximo necessarijs egenti & numium depauperato per imprudentiam, uel casum fortunarum, tu pro omni uirili tua succurre, interimq; tibi prospicias, ne similem te quoq; calamitatem incidere tua culpa contingat.

23 Initium uitæ hominis, aqua & panis, & uestimentum, & domus protegens turpitudinem.

Frugalitas. Consequenter frugalitatẽ docet, simplici cibo & potu homines debere contentos esse, qui nomine panis & aquæ in scripturis explicantur. Sic filij Israel manna & aquis nutriti sunt à domino, et qui carnes desideraueratẽ cæsi sunt. Vestimento quoq; quo turpitudo tegatur utendum, non ad luxum uel fastum. Et domus similiter protegens ab iniuria aeris & tempestatum, à calore & frigore nimijs, ubi & in secreto quæ turpia habentur, & tamen necessaria sunt, sine confusione peragantur.

24 Melior est uictus pauperis sub tegmine asserum, qnàm epulæ splẽdidæ in peregre sine domicilio.

Satius est tenui uictu frui in propria domuncula & lignea facileq; parabili, q̃ splendidis epulis potiri procul à patria in domo aliena instabili & uago loco: uel sub uili tugurio cum securitate proprijs uti, quàm in palatijs magnatorum seruire, uel epulas quærere alienas.

25 Minimum & magnum placeat tibi, & improperium peregrinationis nõ audies.

Siue modicum possideas siue multum, æquo id feras animo, si illo frui pacifice detur in propria domo, plus illud æma quàm multa et delicata apud alienos. Non enim cogeris audire apud peregrinos uel extraneos uerba conuitiosa, quibus plerunq; aspergunturperegrini & aduenæ.

26 Vita nequam hospitãdi de domo in domum: & ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os.

Mutare quotidie hospitium, inhonestum habetur & circumcursare otiosum: uani enim hominis & uagabundæ mentis indicium est & instabilitatis. Vnde & Christus apostolis dixit: Nolite transire de domo in domum. Et ubi hospitium sumet non fiducialiter aget, quia sociatem cui confidat non statim inueniet, perfidiam ubiq; timebit & inuidiam, quo minus cum contumelia ejiciatur. Nec aperiet os eius, præ uerecundia & timore, quia ignotus est, & dubiæ sortis uel fidei.

27 Hospitabit, & pascet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet.

In aliena domo habitabit, non sine timore dissidentia incolis & ciuibus cum quibus conuersatur extraneus & ignotus, & ad gratiam illorum aucupandam expensas patietur, non tãtum sua cibaria emendo, sed ea quoq; præsentibus dispartiendo, cibum scilicet & potum: & cum sedulo illis complacere conabitur, nihil tamen gratitudinis reportabit, sed erit spretus, quia incognitus & peregrinus, non tantũ signis & factis, sed etiam uerbis. Amara enim audiet uilipensus à reliquis.

28 Transi hospes, & orna mensam, & quæ in manu habes, ciba cæteros.

Verba sunt domesticorum ad peregrinum & hospitem, contemptibilia & amaro animo audienda. Sic enim inquilinus dicet & paterfamilias ad hospitem, quem habet modeste cohabitare cupientem: Transi nunc o hospes ex hac nostra domo, non enim integrum nobis est diutius patiamur hospitem extraneũ. Abi tibi mensam adorna. Et ex his quæ possides uel habes in manu, non nos sed alios ciba. De his quæ in promptu habes in domo alios pascas.

29 Exi à facie honoris amicorũ meorum necessitudine domus meæ hospitio mihi factus est frater.

Superuenient iam mihi amici mei hospites, seu familiariores, quorum gratia tu exibis, ut mecum ipsi commodius habitent. Et frater mihi hospitalitatis gratia superuenit, quem excludere non decet. Et angustior mihi domus est, q̃ ut pariter cum illis mecum cohabites.

30 Grauia hæc homini habenti sensum. Correptio domus, & improperium fœneratoris.

Duo commemorat per epilogum, quæ multum grauia sunt homini sensato & animo liberali prædito. Vnum si corripiatur propter domum quam ut hospes inhabitat, ut exire præcipiatur. Alterum si improperium audire cogatur à fœneratore, quod uel ob paupertatem non pretium accipere compulsus sit, uel debita reddere non potuerit. Quibus omnibus docet prudenter gerere rem familiarem, non esse otiosum, prodigum uel uoracem, sed domesticam, non esse otiosum, frugalem, laboriosum, circumspectum, domesticum.

1 Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in nouissimo suo, & non palpet proximorum ostia.

Docet ut à parentibus gubernanda sit & educanda proles. Vt diligatur ordinata charitate ad bonum, non ad luxum. Vt frequenter corrigatur cum fuerit opus, ne lasciuus euadat: ut pueris modica adest prudentia, experientia nulla, ideo ad profectum in scientia et uirtutibus non afficiuntur suapte natura, sed assuefieri necesse est eos timore pœnarũ. Ideo qui parcit uirgæ, odit filiũ suũ. Et Paulus: Patres, educate filios uestros in disciplina & correptione domini, ne ut Heli iudicentur à domino. Intrum, & non ex otio, ignauia, furto, & similibus filium de lætari poterunt senes ex moribus & sapientia filiosuum cernant confundi & seipsos, dum aliorum domos noctu ingredientur ad furandum uel adulterandum. Idipsum & de spiritualibus parentibus intelligendum.

2 Qui docet filiũ suũ, laudabitur in illo, & in medio domesticorũ in illo gloriabitur.

Exemplo & uerbo docendi sunt filij & subditi, ut in sanctitate proficiant, inde à deo & hominibus laudem assequentur parentes & prælati, qui laudes consequentur ex disciplina quam adhibuerunt, etiam si non proficiunt, magis autem à probitate filiorum, si sunt obsecuti ad profectum. Doce filium tuum, & refrigerabit te. Et in medio domesticorum de filij sui honestate & sapientia gloriabitur, sed in deo à quo omne bonum, si ad dei timorem studiose illum instituerit.

3 Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.

Felicitatis est pro bono filiorum odio haberi ab hostibus, qui fauere non possunt quandu hostes sunt. Sicut enim charitas cõgratulatur in bono, sic inimicitia in malo. Non ut odiant instituendi, sed ne lætentur de malo. Et in medio inimicorum gloriabitur, dum inter insipientes hostium filios, suus filius sapiens apparebit, & aduersarijs digne respondebit.

4 Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similẽ enim reliquit sibi post se.

5 In uita sua uidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis: reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.

Etiam si patrem mori oporteat, uiuet tamen in filio doctrina & conuersatio patris, quem hæredem probũ, & parentis memoriale post se reliquit, in quo & relucet specimen ingenij & uirtutis paternæ, & quasi mortuus non uidetur, quia uiuit in filio sibi perquam simillimo. In uita sua pater conspexit filij sui profectum, & in dolem paternam animaduertens cognouit cum gaudio, & hæredem idoneum post se relinquere, cõparatis totdiuitijs, & subditis suis acceptum & amabilem rectorem post obitum suum uehementer gaudet, & tanto alacrius maioriq; fiducia diem ultimũ suscipit, et naturæ deoq; concedit. Non enim dolet confusum se de filio praue indolis corã inimicis, sed gratulatur filium relinquere se dignũ, prudentem, & idoneum ad defensandum bona paterna, familiã & propinquos, ab aduersariorũ impetitione atq; iniuria. Et amicis reddentem gratiã, qui gratus sit & beneficus amicis suis parentumq; suorum.

6 Pro animabus filiorum colligabit uulnera sua, & super omnẽ uocem turbabuntur uiscera eius.

Idoneus is honestissimi patris non degener filius, & ipse suos quoq; habebit filios cum tempore, & filios patris sui, hoc est fratres fidelissime defensabit, proq; eorũ salute sese superimpendet, & exponet mortis periculo, quod & de spirituali patre & filio accipi debet. Et pro insigni clementia sua cum gementium & flentium uocem audierit ex animo condolebit, iuxta apostolicum illud: Flete cum flentibus. Et quis infirmatur & ego non infirmor? &c.

7 Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps.

Sicut indomitus equus et infrenatus dure currit et in præceps, sic filius à rigore disciplinæ dissolutus, præcipitanter discurrit in foueam uitiorũ & perditionis, inclinaturq; ad mortẽ domus eius, & ad inferos semitæ eius.

8 Lacta filiũ tuum, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te.

9 Non corrideas illi: ne condoleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui.

Non sunt nimium blande tractandi filij à patre, sed potius castigandi pro quacunq; morum insolentia, ne discoli euadentes ex nimia laxitate, tandem metum parentibus incutiant, dum improbis moribus sic profecisse uiderint, ut denuo retrahi & à malis compesci non posse uiderint, unde & diffamiam pater se incidisse sit perpetuo lamentaturus, & in huiusmodi angustijs moriturus. Si cum illis nimis familiariter luseris, dissoluetur ad te illius timor. Ad idem tendit sententia quæ subiungitur de risu & dentium stupore. Blanditiæ ad filios.

10 Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius.

Reprime insolentiã filij tui cũ adhuc iuuenis est, nec ad libidinẽ suam euagari permittas. Studia eius diligẽter attende, & quibus affectibus deditus sit, ut in tẽpore succurras, fouendo si bonos inueneris, absterrendo si secus.

11 Curua ceruicẽ eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.

Subdere studeas disciplinæ filium, dum humiliari & flecti potest, ne per superbiam erigatur improba ceruix eius. Virga ipsum corrige dum puer est, ne ceruicosior factus induretur, fiatq; pertinax & desperatus, ne tandem tua negligentia induratus frangatur potius q̃ curuetur. Dicit notanter ut latera tundat, uirgis scilicet, non caput fustibus, ne ingenium lædatur. Disciplina filiorum.

12 Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.

Verbo & exemplo instrue filiũ ad honesta & sancta. Et non sis in illius institutione negligens, sed sedulus & attentus, ne tibi labor solicitudinis grauis sit, ut mini me de illo desperes, sed tamen ne quid nimium illi dure succenseas, nisi exigat necessitas. Ne in turpitudinem illius offendas, hoc est, ne dum nimium cohibere tentas, rebelliorem sustinere cogaris, & tandem confusionem reportes dum iugiter pertinacius instat & furit.

13 Melior est pauper sanus & fortis uiribus, quàm diues imbecillis & flagellatus malitia.

Diuitũ fata. Robur & sanitas corporis, & cætera naturæ dona, gratiora sunt diuitijs & beneficijs fortunæ. Non raro autem diuites flagellantur incommodis corporalibus, membrorum imbecillitate, diffamia, & filiorum infortunijs, inuidia & insidijs, quæ malitia dicuntur, hoc est aduersitates et calamitates, dum interim pauperes sani & alacres contenti sunt sua sorte.

14 Salus animæ in sanctitate iustitiæ, & melior est omni auro & argento: & corpus ualidum, quàm census immensus.

Felicitas maxima. Non potest felicitas maior contingere animæ quàm sanctitas & iustitia, si fide in dominum & charitate ad proximum imbuatur. Hæc dei dona sunt, & perpetuo manent, & auferri non possunt ab homine, sicut argentum & aurum obnoxium furibus & tyrannis, morte finiendum & amittendum. Sic quoq; robur & ualetudo corporis temporaria est, & bonum nõ reddit, ideo nec felicem. Census quoq; diuitiarũ fortunæ subest, solicitum reddit, inuidiæ subdit, et in angustijs animæ non solatur.

15 Non est census super censum salutis corporis: & non est oblectamẽtum super cordis gaudium.

Sanitas & gaudium. Nihil optabilius in donis corporalibus q̃ sanitas corporis, qua absente nihil solantur omnes diuitiæ, sed & gaudium intellectuale in scientia & uirtutum operibus præfertur delectationibus carnis omnibus. Sunt enim spirituales illæ oblectationes nobiliores, puriores, diuiniores q̃; & diuturniores carnalibus. Gaudium autem cordis, corporis delicijs omnibus præfertur, si sit in pura cõscientia, etiam si foris corpus corrumpatur & mœreat, iuxta illud Pauli: Licet is qui deforis est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diẽ.

16 Melior est mors, quàm uita amara: & requies æterna, quàm languor perseuerans.

Mors piorum felix. Melior hæc mors est, quæ terminus est uitæ amaræ, & plenæ doloribus, præfertur quoq; iuxta hominis iudicium requies corporis in sepulchro, q̃ languor corporis perpetuo perseuerans. Tale quippe iudicium est rationis, non etiam iniquum. Mors quoq; iustorum melior est uita iniquorum: uita tamen amara ex compunctione cordis, & displicentia delictorum propriorum, desiderioq; patriæ cœlestis, & ex dolore criminum, quæ in mundo cernuntur, posito in maligno proueniens, mala non est, sed deo grata, & sacra tandem morte finienda. Impiorum autem mors pessima est, quia ianua ad infernũ, ideo peior est q̃ uita secundum corpus quantumlibet amara.

17 Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro.

Gentilium quondam mos erat sacrilegus, imponendi epulas sepulchris, qui tamen & in Christianorum quoq; ceremonias & superstitiones irrepsit, & duranit adhuc nostra usq; tempora, iuxta clericorum auaritiam & abusuum, qui non facile permiserũt huiusmodi quæstuum abolitionem, etiam si excogitanda essent falsa miracula per impostoras, ad quas nimium ingenioſi fuerunt. Sicq; & hodie totis uiribus harum reformationi resistunt. Huic stultitiæ uetustæ comparat negligentiam eorum, qui cum talentũ uerbi dei, & facultatem docendi à deo acceperint, infructuosam tamen retinent, non aperiendo os suum cum possint & debeant, sicut inutile est signum adhibere sepultis.

18 Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabitur: sic qui effugatur à domino, & portans mercedes iniquitatis.

Libationes intelliguntur cibaria, quæ in aris gentilium imaginibus idolorum proponebantur, quæ non idolis, sed à sacrificulis absumebãtur. Nil, inquit, prodest idolis, sed à sacrificulis absumebãtur. Nil, inquit, prodest oblatio uel incensum, nõ enim edet nec odorabitur, eum minume uiuat. Sic qui effugatur à domino, uelut seruus nequam abijcietur, & in tenebras proijcietur exterior res, qui creditis talentis uti neglexerit, iniquitatis suæ mercedem cum infidelibus percepturus.

19 Videns oculis, & ingemiscens, sic uidendo complectens uirginem & suspirans.

Videns aliquis per donum scientiæ & intellectus, quid agendũ sit ad dei gloriã, & ecclesiæ profectum, & tamen per pigritiam uel timorem periculorum cunctatur aggredi labores & studia pietatis, sed ingemiscens tantum, & dolet omnia male tractari, non uult tamen alium uare pro uiribus, is similis est spadoni, qui uirginem quidem complectitur, sed fructum nullum profert.

20 Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo.

Diligenter cauenda est immoderata tristitia & seculares mœstitia, pro re tantum corporali, sed patienter potius ferre studeas uitæ huius incommoda, sine quibus hæc hominum peregrinatio exigi non potest. Et si consilium tuum non proficiat, etiam dum bene uelis, non propterea turberis, Omnia diuina gerũtur ordinatione, quæ tibi tuas quoq; cogitationes moderari solet et opera. Vide non expedit ut tuis te cogitationibus sic affligas, & nulla eas ratione patiaris mutari. Sapiẽtis est potius mutare consilium, rationes locorum, personarum, & temporum expendere & sectari.

21 Iucũditas cordis hæc est uita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis: & exultatio uiri est longæuitas.

Hominis uita commode & feliciter consistere nequit sine gaudio uel amore, curandum igitur ut honesto aliquo re uel gaudio utatur, qui pie uiuere cupit. Gaudere enim in uitijs, mors potius est dicenda quàm uita. Lætus

ergo corde & feruenti amore domino seruiendum est: Sanctitatis autem conscientia, hoc est timor & amor dei in pectore amplissimus est thesaurus pietatis & iucunditatis syncerae, quam perfecti assidue experiuntur & gustant suauiter. Et exultatio uiri est lõgaeuitas. Cor gaudens aetatem floridam facit, & in mœrore animi deijcitur spiritus. Secura mẽs est quasi iuge conuiuiũ. Prou. 15.

22 Miserere animæ tuæ placẽs deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate eius, & tristitiam longe expelle à te.

Qui domino deo tuo placere cupis, cura eatenus teipsum, ut non peccando domino te lædas, non te gaudio conscientiæ priues, nec tristitiam incidas inordinatam. Totũ te sic colligas, ut nihil antiquius ducas timore dei. Et inordinatum timorem aut mœrorem procul expellas à te. Sed in domino gaudeas semper, fide certa intelligẽs tibi gratiosum deum.

23 Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.

Tristitia in malo.

Tristitia animi abbreuiat uitam, & peccati conscientiam uel fidei defectum subindicat. Ideoq; nõ paruum incommodum homini infertur, dum tristitiæ causa imponitur, dum alteri fit, quod sibi quisq; nolit fieri. Dum quispiam mœrere facit cor iusti, quem dominus non contristat. Nulla est in tristitia utilitas, ideoq; de inæuitabili uel irrecuperabili malo non est immoderate tristandum.

24 Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducit cogitatus.

Inuidia & odium aut iracundia immoderata abbreuiant uitã. Et qui huiusmodi passiones admittit, seipsum in primis excruciat, maxime lædit seipsum, & ueluti infernum intra se gerit. Huiusmodi quoq; cogitatus anxij & graues caniciem intempestiuam adducunt.

Inuidia.

25 Splendidum cor bonum in epulis est: epulæ enim illius diligenter fiunt.

Liberalis.

Liberalis, syncerus, & fidelis animus maxime declaratur in gaudijs communibus, & in festis diebus, dum generaliter gaudetur, non potest non esse hilaris & iucundus. Gaudet enim cum gaudentibus, & epulas suas liberaliter & ex animo impartitur amicis, & sine tristitia uel pareitatis cuiuscunq; nota. Plenus est enim charitate, gaudet gratificari amicis. Dona dei non cum inuidia partitur. Nullam ostendit in epulis parcitatem, sed cupit omnes cum gaudio refici animarum & corporum. Inuidus autem ferre nequit impensas in epulis, edentes ferre uix potest.

CAPVT XXXI.

1 Vigilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum.

Honestas in hoc authore non raro capitur pro diuitijs. Sic & hoc loco, ut sensus sit: Vigilare nocti-bus pro diuitijs exquirendis, deq; illarum solicitudine distringi, stultitia nõ solum est, sed & damnum ingens corporis ualetudini inducit, ut tabefaciat carnes, & ossa exiccet ut odium. Diuitiarum quoq; colligenda rum assiduus cogitatus auferet somnum. Adhibenda potius est moderatio, ut solicitudo de crastino abscindatur, quo sufficiat diei sua quæq; solicitudo.

2 Cogitatus præsciẽtiæ auertit sensum, & infirmitas grauis sobriam facit animam.

Græcus sic legit: Cura uigiliæ repetet dormitationẽ, & infirmitatem grauem moderatam faciet somnus. Vt sit sensus: Solicita cogitatio de rebus seriose agendis impedit somnum. Et qui interdiu anxius laborauit, noctu dormiet tanto dulcius. Et qui infirmus cũ quiete opportuna dormire potest, citius sanitati restituetur. Si dormit sanabitur, dicebant apostoli: Nostri sic literam exponũt: Consideratio prouidentiæ diuinæ, quæ uersatur circa omnia opera nostra, reuocat sensum hominis à peccato, & ad cordis custodiam uocat, iuxta illud Boetij: Magna uobis est indicta necessitas probitatis, quoniã omnia agitis ante oculos iudicis cũcta cernentis. Et infirmitas grauis in corpore efficit animum continentiorem, nam uirtus in infirmitate perficitur.

3 Laborauit diues in congregatione substantiæ, & in requie sua replebitur bonis suis.

4 Laborauit pauper in diminutione uictus, & in fine inops fit.

Diuitiæ iustæ & iniustæ.

Non congregantur iustæ diuitiæ sine laboribus. Cum uero fuerint obtentæ & collectæ cum deo, & non malis artibus uel iniuria, tunc quietem reddent possessori sapienti. Secus euenit iniustè diuitias corradentibus, quibus nunquã sufficientia uel requies concedetur. Crescit enim amor nũmi semper quantũ pecunia crescit. Pauper uero laborat semper, et tamen semper uictu diminuitur, uix enim uictum consequi potest, quia cum impatientia laborat, & non cum alacritate uel assiduo. Pauperes enim ut plurimum infideliter laborant, & cum inuidia eorum à quibus minus mercedis capiunt q̃ uellent. Ideo non crescit illorum substantia, uel numiũ tarde. Ideo in fine laborum fit inops, nunquam ad amplam possessionem perueniet, qui infideliter pro mercede laborat.

5 Qui aurum diligit, non iustificabitur: & qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea.

Diuitiæ nõ admirandæ.

Qui diuitias diligit, hoc est sic amat, ut nimium admiretur & cupiat supra modũ, is inter iustos non computabitur, iuxta uulgatum dictum: Omnis diues est uel iniquus uel hæres iniqui. Leue enim ducet pro auro mentiri, decipere et fraudare proximũ: incidũt enim in multas tentationes, qui uolunt diuites fieri. Et qui diuitũ uel auarorum pericula & peccata insequitur, nec diligenter cauet, is incidet in ea. Facilius est enim propter aurũ perire quàm ditari. Diuitiæ ergo caute ambiendæ, & ne quid nimis semper cogitandũ. Tenacitas quoq; & prodigalitas uitandæ sunt, ut consistatur in medio uirtutis.

6 Multi dati sunt in auri casus, & facta est in specie ipsius perditio illorum.

Amor pecuniæ.

Multi in grauia peccata & pericula ceciderũt ob auri cupiditatem: & ob ipsius formã, speciem, & applausum perditi sunt multi. Ex amore enim pecuniæ oriuntur pleraq; uitia, usura, fraus, symonia, furtum, rapina,

bella, proditiones, latrocinium, homicidia, falsum testimonium, mendacium, & alia multa. Quomodo autem perditionem effecerit auri species, Crassus expertus est, cui Parthi uictores dixerũt: Aurum sitisti, aurum bibe, &c.

7 Lignum offensionis est aurũ sacrificantium: uæ illis qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.

Auaritia idololatria.

Aurum nimis adamatum, & quasi idolum aliquod excultum, & per auaritiam admiratũ, ut idolorum cultus merito dici possit, huiusmodi possessori suo aliud non erit, q̃ lignum offensionis, & arbor paradisi, prohibita fuit, ne dum Adæ sed omnibus posteris. Nam sicut ex gustu fructus ligni illius, secuta sunt peccata & multa incõmoda: ita ex auro & eius numio amore, hoc est ex auaritia nascuntur memorata iam antea mala. Ideo subdit: Væ illis qui sectantur illud. Aeterna enim damnatio sequitur illos & debetur, qui auro inhiant, & auaritiam sectantur, unde Iob dicebat: Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea. Et omnis admirator rerum corporalium, qui proponit rem modicam infinito & increato bono, imprudens est, & peribit in sua auaritia, merebiturq; supplicium contemptorum dei.

8 Beatus diues, qui inuentus est sine macula: & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in uita sua.

Diuitiarum scandalum.

Scandalum re uera pluribus est, & ferè omnibus diuitiarum possessio, secundum iam dicta, & rarus admodum est, qui non ex auri cupiditate peccet. Verũ si quis est qui diuitijs moderate & sancte utitur, non afficitur illis inordinate, sed ad exercitia uirtutum cõuertit, sicut Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Dauid & alij, is beatus est, & deo amabilis, sed admodum rarus in hoc mundo, tanto autem laudabilior, quanto rarior occursus, ideo dicit: Beatus huiusmodi diues, qui ex diuitijs nõ est commaculatus, qui non abstrahitur à uirtutis uia propter aurũ, qui affluentibus diuitijs non apponit cor, qui diuitias possidet non possidetur ab eis, illis dominatur, non ab eis opprimitur, qui nõ sperauit in pecunia & thesauris, iuxta præceptum Apostoli: Diuitibus præcipe non sperare in incerto diuitiarum. Et Iob ait: Si lætatus sum super diuitijs meis multis. Quis est hic? & laudabimus eum. Paucissimi certè tales inueniuntur in tanto numero diuitum, nec tamen desunt quidam in omni gente & ætate. Hi quoq; tales ubi sunt, mirabiles sunt, rari, deo chari & hominibus, agũt enim res admirandas, tanto magis quanto difficiliores factu. Grande est enim abundare terrenis & non extolli, non affici diuitijs, quas tot tantisq; admirantur.

9 Qui probatus est in illo, & perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit:

Tẽtari pro auro.

Magnum profecto est auro tantopere tentari ad auaritiam & libidines, ad quæ diuitiæ pertrahunt communiter, & non uinci, sed in iustitia & ueritate nihilominus durare. Talis enim magnæ perfectionis specimen ostendit, cum tantum periculum euadere nititur, & euadit: quæ tanta perfectio uitæ erit diuitijs peior non euadit: quæ tanta perfectio uitæ erit diuitijs peior non euadit: quæ tanta perfectio uitæ erit diuitijs peior non

ta unam dictionẽ: ut sit sensus: Non dicas simulata esse, ficta uel non tanti ualoris quæ apposita sunt, hoc est, noli contemnere dapes. Græcus habet: Non dicas multa super eam: ut sit simplex sententia: Caue ne multa loquaris super mensa aliena. Alij intelligunt: Non multa loquaris de cibis qui apponuntur, si multi sint uel pauci, facile enim displicere poteris eis qui te inuitarunt, gratus potius taceas.

13 Memento quoniã malus est oculus nequàm. Nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie sua lachrymabitur, cum uiderit.

Oculus bonus.

Cor pro oculo accipitur, quia in oculis affectiones apparent, & oculus nequam intelligitur cor suspicax, & facile sinistre iudicans uniuersa quæ uidentur. Semper enim occasionem inuenit praue aliquid interpretandi quod malum non est. Vnde Christus dicebat: Si oculus tuus simplex est, totũ corpus lucidum erit. Oculus quoq; hominis inuidi totum corpus tenebrosum facit. Oculus uero intentio est, corpus congeries operum. Si uero oculus interior nequam fuerit, hoc est intentio & uoluntas, totum quod agit iniquum erit, nouit tamen & consueuit fingere bonitatem, & cum crudelitatem intra se foueat lachrymas tamen effundere nititur cõpassionis & amicitiæ. Lyranus exponit: Non dicas, id est nõ quæras frementiarum uarietatẽ, sed gratus accipe quod proponitur, memineris malum esse cum oculũ qui minus impleri ualeat quàm uenter. Ab omni facie lachrymabitur, ægre ferret si minus parata sint fercula delicate quàm cupiat appetitus. Et sic quæ sequuntur condependent.

14 Ne extendas manum tuam prior, & in- uidia contaminatus erubescas.

In re familiaris disciplina.

Noli simplicior inter cæteros & non primus, manum tuam ad cibos prior arripiendos extendere, ne ab aliquo præsentium inuidiose reprehendaris de edacitate, & notatus erubescas coram cæteris. Nihil præsumptuose agas in non tua mensa, ut est iubere de ordine sedẽdi, dare uel exigere cibum aut potum.

15 Ne comprimaris in conuiuio, uino.

Vinum.

Non sic superfluе unum bibas in conuiuio, ut compressus sensibus uel lingua iudicio aut multiloquio uidearis. Nolite inebriari uino in quo est luxuria. Ne tenta, licet immerito, tu autem digne. Digere paulisper uinum quo mades. Ideo Christus dixit: Attẽdite ne grauentur corda uestra crapula uel ebrietate.

16 Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso. ne indisciplinate te geras, et admittas quæ in alijs iudicares. Hinc in Prouerbijs: Noli esse in conuiuijs potatorũ, nec in comessationibus eorum &c. Idem Tobias docuit filiũ: Quod ab alio oderis fieri, uide tu ne alteri aliquando facias. Et: Quæcũq; uultis ut faciant uobis homines, & uos eadem facite illis.

17 Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur: ut non cum manducas multum, odio habearis.

Temperate utaris appositis cibis, sobrius esto, ut modum debitum non excedas, non exquisitiora desideres, nec more hypocritarum uiliora petas, ut non cum multa mãducaueris ab auaris uel alijs gulosis aut à mensæ ministris aut pauperibus odiaris, ut gulosus aut inuerecũdus.

18 Cessa prior, causa disciplinæ: & noli nimius esse, ne forte offendas.

Ad idem pertinet, ut propter honestatem à manducatione prior cesses, ne numius in edendo & immoderatus iudiceris, simulq; homines offendas ac deum. Sed & intelligi potest in omnu re quod hic dicitur: Noli numius esse. Ne præceptum illud primo natum apud Græcos Græci se iactent, Ne quid numis. Noli numius esse in cõuiuijs, in locutionibus, in somno, in otio, in lectione, in labore in omnire, imò & noli esse numium iustus.

19 Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam: nec prior poscas bibere.

Sedere in medio multorum, intelligitur de coæqualibus uel maioribus in mensa non sua. Nec prior poscas bibere. Pro more loquitur eorum qui uinum mensæ nõ apponunt, sed ad singulas potationes annuenti præbent.

20 Quàm sufficiens est homini erudito uinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem.

Homini prudenti & sensato qui disciplinis & moribus asuetus est sufficit exiguum uinum, ne natura alioqui tenera in talibus circa uini digestionem nimium fatigetur, aut affligatur ex uini uirtute caput, si præter morem cum excessu sumpseris.

21 Vigilia & cholera, & tortura uiro infrunito: somnus sanitatis in homine parco: dormiet usq; in mane, & anima illius cum ipso delectabitur.

Vini incommoda.

Enumerantur incommoda uini intemperate sumpti. Vigilia scilicet, dum dulcis quies somni intercipitur capitis dolore. Et Cholera quæ est euaporatio fellis in pectore. Tortura quoq;, intestinorũ afflictio. Quæ omnia accidunt insipienti & stolido homini, nescienti modum ponere cibo & potui, et non aduertenti corporis sui uires et sanitatẽ. Homo aũt in uictu sobrius, dormit quietius & salubrius, non grauatur illius stomachus tam fortia & plura pocula uel epulas digerendo. Dormiet enim sine molestia quacunq; dulciter usq; mane, & tranquillitatem experietur animi & corporis. Hinc scriptũ est: Ne intuearis uinũ quando flaueſcit, &c. Ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus uenena diffundet, & eris sicut dormiens in mari.

22 Et si coactus fueris in edendo multum, surge è medio & uome: & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.

Sobrietas mensæ.

Fit aliquando importuna commensalium instantia ut excedatur edendo. Hic cauendum est, ut nec indecorum aliquid admittatur coram hospitibus, nec interim corpus de ualetudine sinistra grauetur. Vomitus autem rationabiliter admissus præsentissimum remediũ est multis infirmitatibus: de quo medici consulantur, ut spiri-

tuali intelligentia hic opus non sit.

23 Audi me fili, & ne spernas me: & in nouissimo inuenies uerba mea.

Hortatur Lectorem harum dogmatum, quæ humilia uideri possunt, ne ea contemnat, quandoquidem etiam ualetudinis corporalis ratio habenda sit, & honoris & disciplinæ inter homines, unde & talia plebi proponenda nonnunquam sunt, dum morum corruptio increuisse cernitur inter homines. Tandem, inquit, uera & commoda esse quæ nunc doceo, fructum quoq; senties si fueris obsequutus.

24 In omnibus operibus tuis esto uelox, & omnis infirmitas non occurret tibi.

Velocitas. Alacriter & nõ tarde aggredere opera tua, sed post quam de opere instituendo mature consultaueris, non sis piger & pusillanimis, sed discretus & attentus negotio. Nec id agas festinantia importuna, sed congruo moderamine, alioqui qui festinus est pedibus offendet. Et in Prouerbijs: Vidisti hominẽ uelocem in opere suo, coram regibus stabit. Vnde Paulus apostolus dicit: Vigilate, uiriliter agite, confortamini. Ex torpore & ignauia corpus fit ad labores ineptum.

25 Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium ueritatis illius fidele.

Liberalitas Splendidum in panibus, nominat hilarem & liberalem in dandis eleemosynis, uel qui amicis aut egentibus splendida conuiuia non grauatim instruit: eum homines multi laudabunt, bona imprecabuntur, auarũ autem & sordidum obominabuntur & contemnent. Et quod de eodem testimonium dabitur, quia liberalis, ingenuus & pius sit, ab omnibus commendabitur, approbabitur tanquam uerax, & laude dignum & uera gloria. Insignis enim est uirtus liberalitatis. Qui pronus est ad misericordiam benedicetur, de panibus enim suis dedit pauperi, Prouerbiorum 22.

26 In nequissimo pane murmurabit ciuitas, et testimoniũ nequitię illius uerum est.

Contra auaros. Communitas ciuium in urbe merito murmurabit contra eos auaros & illiberales, qui annonam ciuibus infideliter distribuunt, dum suis consulunt priuatis compendijs cum grauamine populi. Eorum autem nequitia clare innotescet, & cum tempore non manebit impunita, seditionis enim causa erit & odij plebis contra improbum magistratum. Et uera testimonia producentur contra ciues auaros: non enim negari potest, quod publice in multos peccatur.

27 Diligẽtes in uino noli prouocare: multos enim exterminauit uinum.

Vinosi. Noli prouocare eos qui uinosos se sæpius prodiderunt, qui conuiuijs assident. Etiam amicos tuos tunc nolis prouocare & corrigere uelle dum uinum potant, nihil enim tunc promouebis, sed lites concitabis, & hostes senties ex uinolentia.

28 Ignis probat ferrum durũ: sic uinũ corda superborũ arguet in ebrietate potatum.

Vt ignis ardore suo emollit formatq; ferri duritiam, & illud facit excandescere: sic uinum superflue sumptum prodit corda stultorum, & feruorem accendit stultitiæ. Ebrietas enim sensum minuit, iram excitat, libidinem inflammat, animi secreta reuelat, rationem sepelit, fortitudinem eneruat.

29 Aequa uita hominibus, uinũ in sobrietate: si bibas illud moderate, eris sobrius.

Vinum sobrie sumptum conuenientem seruat complexionem corporis, quæ in humorum æqualitate consistit, cooperatur conuersationi honestæ & iustæ, corporis sanitatem & mentis acumen administrat, sed cauendum ne numis accipiatur, sed corporis temperamentum & dispositio attendatur. Si bibas illud moderate, erit sobrius. Sufficit homini erudito exiguum uini, acuit enim ingenium, lætificat mentem, & roborat corpus.

30 Quæ uita est ei qui minuit uino? Quid defraudat uitam? Mors.

Nullius momenti et existimationis potest esse ea uita humana, si tamen dici potest humana, quæ potius est bestialis, quæ ex uino pendet, & uino deperditur. Vitam enim abbreuiat & adimit homini, uinum ad ebrietatem & sine modestia sumptũ. Et subiungitur: Quid est quod maxime fraudat uitam? Respondetur: Mors ipsa, quæ est priuatio uitæ corporeæ. Et temulentia quoq; dici potest mors quædam, est enim priuatio quædam uitæ rationalis et humanæ, ut uix semibestialis in ebrioso permaneat uita, sensus enim opprimuntur, & ratio tota frequenter expirat, donec defruescat uinum, & ebrietas finiatur.

31 Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem, ab initio.

Ab exordio quidẽ mundi uitis producta est, sed post diluuium Noë primum legitur uinum plantasse, bibisse & ebrius fuisse ad grauem contumeliam, cum nõ esset in orbe nisi quatuor uiri, quod hic initium secundum humani generis dici potest, à quo tẽpore uini usus legitur, etiam si ante diluuium uinum fortasis fuit. Quandoquidem non ignobile dei beneficium uinum est hominibus collatum, ut iucunditatis & sanitatis sit causa, non insaniæ & ebrietatis. Sapiens dicit: Date siceram mœrentibus, & uinum his qui amaro sunt animo. Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris non recordentur amplius.

32 Exultatio animæ & cordis uinum moderate potatum. Sanitas est animæ & corporis sobrius potus.

Moderata uini potatio oblectamentum est animi, recreatio corporis, & interna alacritas. Causa quoque est bonæ ualetudinis in anima & corpore. Sobrius, ait, potus, nõ superfluus, qui lædit uehemẽter organa sensuum omnium, magisq; nocet quàm superfluus cibus.

33 Vinum multum potatũ, irritationem, & iram, & ruinas multas facit.

Prouocat uinum immodice sumptum ad iracundiam, & rixas & ruinas multas, rationem obtenebrat, unde frena laxantur paßionibus & uitijs, unde sequuntur multa peccatorum & pœnarum. Calefacit enim uinum, & irarum flammas adauget, concupiscentiam quoque inflammat.

flammat. Ideo iubet Apostolus: Nolite inebriari uino, in quo est luxuria. Vinum & adolescentia duplex incendium sunt carnis.

34 Amaritudo animæ uinum multũ potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans uirtutẽ, & faciens uulnera.

Vini incommoda.

Amaritudinem animæ nominat coleram, torturam, rixas, indignationes, & furiam, unde proueniunt ruinæ multiplices, quæ omnia ex uino oriuntur, simul & indiscreta & incircumspecta audacia, quam uocat animositatem ebrietatis. Imprudẽtis quoq; offensionem facile uinum promouet, non prudentis, qui unum non immoderate bibit, ideo nõ offenditur. Virtutes quoq; corporis & animæ ebrietas exhaurit & minuit. Vulnera quoq; facit, quia bella promouet et cædes. Ideo Salomon dixit: Cui rixæ, cui foueæ, &c. Prouerbiorum 23.

35 In conuiuio uini nõ arguas proximum: & non despicias eum in iucunditate illius: uerba improperij non dicas illi, & non premas illum in repetendo.

Arguere in conuiuio.

In conuiuijs non est aptus locus arguendi proximum, sed irritandi potius, ideo hortatur, nõ paruipendendam iram eius in conuiuio, unde periculum emergere potest. Minime autem improperij uerba ibi iaculanda sunt inuosum, ne duriora audias uerba, & sequantur uerbera. Nec debita tunc repetas, sed à sobrio, & mane.

CAPVT XXXII.

1 REctorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbet: ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationẽ consequaris corrogationis.

Rector cardinalis.

Documenta præscribit pro prælatis. Singula uerba adnumerando exponit hoc loco Cardinalis Hugo, quæ utinam Cardinales & Episcopi legerent & crederent. Rector dicitur, qui prælatus est, & Hebraico more pastor, non dominator, non mercenarius, non carnifex, non tyrannus, sed minister, rector et pastor. Pascite qui in uobis est gregem dei, 1. Petri 5. Te posuerunt rectorem, hoc est personam tuam, non diuitias, nobilitatem, progeniem tuam. Posuerunt, inquit, ut deponi possit si male præsit. Posuerũt scilicet subditi uel ecclesiæ presbyteri, canonice electum, nõ coacte datum, non inuerecunde se ingerentem. Nec enim quisquam sumit sibi honorem, sed qui uocatur à deo tanquam Aaron, ad Hebræos 5. Non ut Choritæ, quos terra uiuos absorbuit. Et Ozias prapercussus est. Si igitur præposuerunt te ecclesiæ rectorem, iudicem, prælatum aut principem, hi qui iure suo id debent, & secundum deum possunt, tu qui sic prælatus es, noli extolli intra conscientiam tuam, non intumescat cor tuum, quasi sis melior alijs & omnibus prudentior. Quod si maiora à deo beneficia suscepisti, tanto

Præpositus ecclesiæ.

humilior sis & deo gratior, & in conspectu illius timoratior. Cui enim plus datum est, plus quoq; ab eo requiretur, et id rigoroso iudicio, quod manet omnes præsidentes. Esto in illis quasi unus ex ipsis, parem te exhibe, ut Christus summus rector: Ego in medio uestrum sum, sicut qui ministrat. Et rursum: Qui maior est uestrum, sit uester minister. Consideratione naturæ parem se inueniet, humiliorem autem ex defectu et onere, superiorem præsidentia, & periculo, discretione, labore, solicitudine, et exempli præmonstratione. Curam illorum habe, fideliter rege, custodi, instrue eos quibus prælatus es, non te præcipue quæras nec solum, rationem daturus pro eis. Non eleuetur cor eius, regis scilicet, multo minus episcopi & doctoris in superbiam super fratres suos, Deute. 17. Samaritanus dicebat stabulario: Curam illius habe, hoc est, commissi saucij. Sed prius est, ut suijpsius curam regendo habeat. Si quis enim domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ dei diligentiam habebit? 1. ad Timoth. 3. Et sic considera, id est, sapienter animo tuo dispicias quæ ad officium tuum pertinent, qualiter sis ab altissimo iudicandus, quomodo se habeant tui subditi. Et cum effeceris diligenter quicquid pertinet ad tuam curam circa tuos subditos, tunc quiesce apud temetipsum, quod reliquum est prouidentiæ diuinæ commenda, & profectum totius studij tui. Ne quid tibi tribuas aut uiribus tuis. Nec etiam priuatas commoditates tuas præferas fructui & profectui subditorum tuorum. Permittitur quoq; tibi ut lateris de officio tuo, sed propter illos tuos subiectos ne non in tuo glorieris officio, sed in profectu ipsorum & in domino, uidens curam & laborem tuum non esse inanem, sed in gloriam dei proficere, ex emendatione fidei & morum in tua ecclesia. Sic enim digne lætantur præsides, sicut & Ioannes dixit: Maiorem horum gratiam non habeo, quàm ut audiam filios meos in ueritate ambulantes. Et ornamentum gratiæ accipias coronam. Pro fideli enim administratione tua in huiusmodi officio rependetur tibi in præsenti gratia, obedientia, honor & laus à tota ecclesia, cuius profectui fideliter incumbis. Et insuper accipies regnum decoris & diadema speciei de manu dei. Et dignationem cõsequaris corrogationis. Vel, ut alij libri habent, Dignitatem congregationis. Cui in Græco prorsus nihil respõdet. Vult dicere: Vt glo
2 ria cœlesti honoreris pro fide & opera in tuã ecclesiam.

Pastoris officium.

2 Loquere maior natu (decet enim te) primum uerbum diligenti scientiam, & non impedias musicam.

Difficultas libri huius.

Obscuritas multa est in hoc toto libro, quæ exemplariorum uarietate alicubi uix potest cuinci. Quandoquidem & Græci uariant & incorrecta sæpe legunt. Sensus rationabilior is uidetur: Tu qui senior es, & honoratior ob opinionem sapientiæ per ætatem, loquere sine cunctatione, te enim præ alijs decet sapientia, & rerum multarum experientia, ut maiori cum fiducia loquaris, quæ expediunt iunioribus ac simplicioribus. Loquere autem in primis erudita eis qui scientiam desiderant. Et nihil importune uel non suo loco aut tempore, ne musicam in luctum inferre uidearis. Quæ hilaritatem adfe-

rant & consonantiam, non errores & confusionem sen suum loquaris. Consonantiæ quoq; uerborum adsit ope rum comprobatio, ut impleas quod doces, sicut Iesus cœ pit facere & docere: ut uoci consonet actio.

3 Vbi auditus non est, nō effundas sermo nem, & importune noli extolli in sapien tia tua.

Doctor ubi taceat.

Vbi non adfuerint idonei auditores, ibi non docere præsumas, secundum illud Prouerb. 26. In auribus insi pientium nō loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui. Et qui derisorem erudit, ipse sibi iniuriam facit. In sapientia autem sua extollitur, qui sibipsi sapiens uide tur, qui quæ gratiæ dei sunt sibi usurpat, & de eis se ia ctat quasi non acceperit. Væ qui sapientes estis in oculis uestris. Non glorietur sapiens in sapientia sua. Addit au tem, Importune: magna enim importunitas est seruo, de bonis domini superbire, quem toties humiliari præcepit, & qui uult ut solum in domino glorietur.

4 Gemmula carbunculi in ornamento au ri, & comparatio musicorum in conuiuio uini.

Conuiuia læta.

Sicut carbunculus gemma multum habens splendo ris & uirtutis, aurum ornat & ab ipso ornatur: sic con gruit melodia in conuiuio. Sicut enim cibus & uinum reficiunt corpus: sic melodia bene consonans mentem & aures oblectat. Quæ delectatio utrinq; à domino nō est prohibita, ideoq; nec iniqua, nisi ad finem mdum or dinetur utrunq;, ad libidinem excessuam, & ad impedi mentum eorum quæ domino præcipiente à nobis agenda sunt. Quod uero ex prophetis opponitur, Isaiæ quinto: Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam: Cy thara & lyra, tympanum & tibia, & uinum in conui uijs uestris, non contradicit huic sententiæ. Non enim hic laudantur conuiuia ebriosorum & comessatorum, et eorum qui sacrosancta contemnunt, & impia consectan tur, toti sensualitati indulgentes. Alioqui Dauidi & Sau li, Heliseo & prophetis musica inutilis non fuit, æque intra cœnas et conuiuia ut alijs temporibus. Bonis enim omnia cooperātur in bonum. Et ibidem statim sequitur: Et opus domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis, hoc est deo ingrati estis, & ad quæ obliga mini non agitis.

5 Sicut in fabricatione auri signū est sma ragdi: sic numerus musicorum in iucun do & moderato uino.

Declarat sententiæ prædictæ ueritatem. Sicut sma ragdus gemma uirore herbas uincens, aēremq; uicinum suo splendore uirescere facit, decorem infert uasi aureo: sic numerus musicalis conuiuio honesto coniunctus, re creat animos hominum modestiam edoctorum. Sic quoq; consonantia doctrinæ & operum ornant prædicatorem & episcopum de quibus hic agitur. Nam plus docent et mouent efficacius exempla quàm uerba.

6 Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.

Silendum iuuenibus.

Cum silentio audi iuuenis beneuole et attente doctri nam maiorum, inde addetur gratia capiti tuo. Et pro re uerentiâ quam exhibes loquenti seniori apud deum & homines gratiam inuenies. Sit omnis homo uelox ad aue diendum. Et apud Iob: Si habes intellectum, audi quod di citur. Et Apostolus: Intellige quod dico, dabit enim tibi dominus de omnibus intellectum, 2. Timoth. 2.

7 Adolescēs loquere in tua causa uix cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, ha beat caput responsum tuum.

Nihil autem omnino loquaris, ô adolescens, in negos tio ad te non pertinente, ideo cum necesse fuerit loqui aut expedit uix loquaris. Valde autem loquacitas uitiosa est iuuenibus, sicut taciturnitas, uerecundia, maturitas, optimæ indolis indicia sunt. Si bis interrogatus fueris, hoc est sæpius & iterato, motu capitis respondē si fieri potest, hoc est, paratus sis etiam sine uerbis satisfacere inquirenti, ut tædeat te uerborum qui loqui erubescas eo ram maioribus. Quidam nimium uiolenter trahunt ad themata præmittenda prædicationibus ecclesiasticis.

8 In multis esto quasi inscius, & audi tā cens simul & quærens.

Inter multos constitutus nolis arrogare tibi eruditio nē præ alijs, ut incipias non rogatus loqui de causis, per suasum potius habeas tibi, appositius posse ea dere alijs loqui, donec experimēto discas oportere te quoq; loqui. Id contra sophistas dicitur, qui uolunt uideri sapientes & in nullo inscij inueniri. Sed audi tacēs simul et quæ rens, ut paratior sis discere quàm docere. Id ad iuuenes potissimum pertinet. Vnde & Christus duodecim anno rum inter doctores sedens, audiebat et interrogabat eos.

9 In medio magnatorum loqui non præ sumas: & ubi sunt senes, non multum lo quaris.

Non præsumat loqui iuuenis inter seniores, nisi inter rogatus. Vnde Heliu non insipienter dicebat: Iunior sum tempore, uos autem antiquiores, idcirco capite demis ueritus sum uobis indicare scientiam meam. Noli uerbo sus esse in multitudine senum: prius dixerat, Vbi uero omnino loqui cogeris, cura ut dicas quambrevissime. Et ubi quid interrogandum est, hoc humiliter, sincere, & non quasi tentando interroges.

10 Ante tonitruum præibit coruscatio: & ante uerecundiam præibit gratia, & pro uerentia accedet tibi bona gratia.

Nubium & uentorū concussione & uehementi colā lisione generantur coruscationes, tonitrua, fulgura, & grandines. Fulgur autem præcedit tonitruum, sic gratia ante uerecundiam. Pudor enim uirtutis & gratiæ effec tus est, & uerecundia quæ ornat adolescentis faciem, proficiscitur ex gratia. Et pro humili confessione insipi cientiæ tuæ accedet tibi honor & gratia.

11 Et hora surgendi nō te trices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic noli care, & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis & uerbo superbo.

Non sis piger dum surgendum est è strato, non te ip trices tegumentis dum fuerit somnus excutiēdus, sed ali criter discutias ab oculis somnū in tempore. Procede

tius ad locum operarum tuarum, ad domũ officinæ tuæ, ferues in institutis tuis et agilis. Nõ dicatur tibi illud Prouerbiorum 26. Sicut ostium uertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo. Illic, inquit, auocare à somno & pigritia quacunq; Et ne desideas, sed munia tua alacriter aggredere. Illic lude delectabiliter, exerceas te in actibus bonis, pijs et fructuosis, deoq; placentibus, proximo conducentibus & tibi. Ibi peragas functiones tuas, & insiste fortiter operi instituto uel tibi commẽdato, ad quod uocatus es & idoneus, ac destinatus à domino, siue artifex es siue miles, rusticus uel literarũ studiosus. Non externa opera cogites à professione tua, sed rem tuam tecentem prosequere cum omni diligẽtia, studijs tuis incumbe diligenter. Hoc est agere quenquam conceptiones suas. Et non in delictis et uerbo superbo. Omnia agas sbrenue, fideliter, sine aliorum contemptu uel propria complacentia. Et dum egeris omnia pro uirili, operis tui

12 prouentum domino committas, nihil boni tibi ascribas.
Super his omnibus benedicito dominũ qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis.

Gratiam dei in omnibus tuis actibus cognosce, beneficia illius gratus amplectere, omnia enim bona tua opera munera dei sunt, ex quo pendet esse, fieri & operari tuum, illi soli accepta referas beneficia naturæ generalia & specialia, ille dat pluuias & tempora fructifera, im-

13 plens cibo & lætitia corda nostra.
Qui timet dominũ, accipiet doctrinam eius: & qui uigilauerint ad illũ, inuenient benedictionem.

Timens deum. Qui domini dei beneplacitum semper cogitat, & ab offensa eius turbatur, is aptus est ad suscipiendum inspirationes diuinas, ad spiritus sancti gratiam, ad scripturæ intellectum, ad docendum fideles, ad domino seruiendum in omni sancto opere, ad obediendum mandatis dei. Et qui studiose incumbit, quod est uigilare uerbo dei, & ut domino placeat ac probetur, fide et charitate adhæreat, is benedictionem dei inuenet, dona gratiæ in præsenti accipiet, & gloriã in futuro. Qui enim appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Si quæsieritis

14 dominum, inuenietis.
Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui infidiose agit, scandalizabitur ab ea.

Lex dei commenda. Qui studet legi diuinæ & scrutatur eatenus, ut custodiat illam in toto corde. Quæ ut unica est & nõ plures, sic unice est quærenda, licet non unico modo, sed audiendo, legendo, meditando, orando, operando, idq; fideliter, diligenter, humiliter & perseueranter, is ex ea dei lege implebitur scientia salutari, & gratia sancti spiritus imbuetur. Qui autem infidiose agit, infideliter et superbe, & non iuxta rationis dictamen, sine fide & charitate, cum dolo, ad iactantiam & fastum, ut appareat uel honoretur, aut alteri obsit, ut hæretici consueuerunt & homines uani, tales scandalizabuntur ex uerbo dei. Vnde Osee ultimo: Rectæ uiæ domini, iusti ambulabunt in eis, præuaricatores uero corruent in eis.

15 Qui timent dominũ, inuenient iudiciũ iustum, & iustitias quasi lumen accendẽt.

Qui sancto timore deum reuerentur, ut fugiant quic quid peccatum est, & abominentur, iudicium iustum inuenient, copiosam à deo remunerationem suscipient, discretionis spiritum ad iudicandum de occurrentibus cautis omnibus. Et iustitias quasi lumen accendent, iustitiæ opera deo placita strenue exequentur, docebũt alios iustitiam uitæ. Qui enim dominum timet, nihil negliget. Vnde in Psalmo: Educet quasi lumen iustitiã tuam. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur.

16 Peccator homo uitabit correptionem, & secundum uoluntatem suam inueniet comparationem.

Homo peccator declinat correptionem. Græcus legit: Qui uitijs inoleuit et malitiosus, non se patitur corrigi. Odio habent impij corripientem in porta. Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes gradi tur. Secundum uoluntatem suam inuenet comparationem, id est consonantiam aliquam uoluntati suæ conformem in uitijs, quam sequitur, uel cuius simili malitia sese excusabit. Seneca: Summa malorum est quod uiuitur ad exemplar.

17 Vir consilij non disperdet intelligentiã, alienus & superbus non pertimescet timorem: etiam postquam fecit cum eo sine consilio, & suis insectationibus arguetur.

Superbus insipiens. Vir consilij dicitur, qui solet acquiescere sanis consilijs, & uti aliorum iudicio, is non disperdet intelligentiam, non contemnet quæsitum consilium, sed perficiet studiose: & quod alijs consuluit faciendum, id ipse non obmittet. Alienus aũt et superbus, qui à deo auersus est, & in sua arrogantia induratus, non pertimescet iudicia dei & futura tormenta, uel etiam comminationes de eis. Superbus homo etiam si bona aliqua iuxta propriũ sensum egit contra consilium sapientis, non tamen re uera æstimantur bona, quia absq; sapientis consilio magis naturalia uel fortuita habebuntur quàm sancta, quandoquidem non tutum est sapientum consilia spernere. Non probabat Romanus uictoriam obtentam à filio contra disciplinam militarem.

18 Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.

Consilium operi præmittendum. Nihil arduum aggrediendũ temere & absq; consilio. Vnde Tobias dicebat filio suo: Consilium semper à sapiente perquire, & à deo pete ut uiam tuam dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Væ filij desertores, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam & non per spiritum meum, & os meum non interrogastis, hoc est, uerbum domini sacram scripturam. Semel enim loquitur deus, & secundo idipsum non repetit, id est, in scripturis docet quid agere debeamus, nec singulis repetit eadem. Consilium ergo tutum ex scripturis repetendũ, in quibus spiritus sanctus ipse deus loquitur. Et post factum non pœnitebis, quum sano acqueueris consilio, quod tamen nõ est à iuuenibus, ab amicis se-

cundum carnem, non à multis, non ab inimicis uel perfidis postulandum.

19 In uia ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te uiæ laboriosæ, nec ponas animæ tuæ scandalum.

Via ruinæ. Occasionibus peccandi non te exponas, non per latam uiam quæ ducit ad mortem incedas. Via ruinæ, est conuersatio praua, carnalis, mundana, quæ præcipitat in infernum. Grauia salutis impedimenta nõ incides, nec in aliorum peccatis scandalizeris, quod est non offendere ad lapides. Nec credas te uiæ laboriosæ, non exponas te difficilibus quæstionibus, quæ plus uanitatis habent quàm utilitatis. Est autem uia ardua pro superbis, lutosa pro luxuriosis, spinosa pro auaris, petrosa pro iracundis, tortuosa pro dolosis. Contritio autem & infelicitas est in uijs eorum. De quibus sapiẽtiæ quinto: Lassati sumus in uia iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles. Viæ autem domini pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Et ne ponas animæ tuæ scandalum, ne præcipites te in peccatum, iuxta illud: Homo per iniquitatem occidit animam suam.

20 Et à filijs tuis caue, & à domesticis tuis attende.

Filijs nõ nimis credendum. Simplices & morales sententiæ sunt, non esse nimis credendum filijs etiam proprijs, quod sint frequẽter ingrati et infideles: nec eis secreta quoq; tua reueles, filius enim nonnunquam contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam. Caue ne tua tibi occulte subtrahant, sed & caue ne ipsorum amore male acquiras aliorum bona, & ne tua eis bona te uiuente cuncta resignes, ut ex eorum pendere gratia cogaris. Et à domesticis tuis attende, ne uel decipiant adulando, uel tua tibi subdole auferendo: inimici enim hominis domestici eius, Micheæ septimo.

21 In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ: hoc est enim conseruatio mandatorũ.

Lyranus Carensis Dionysius. Lyranus sic exponit: In omni opere tuo crede, id est, fidei fundamentum suppone, sine qua nullum opus Deo placet. Hebr. 11. Sine fide impoßibile est placere deo. Ex fide animæ tuæ, id est cordis tui, & non tantum oris. Romanorũ decimo: Corde creditur ad iustitiã, ore autẽ fit confeßio ad salutem. Hæc est conseruatio mandatorum, scilicet fides operans per dilectionem. Hæc ille post Carensem, quem libenter sequitur, quos & Dionysius, dum melius aliquid non occurrit. Quos & eadem sorte nos sequi non erubescimus, cupientes ut meliora sequantur, & solidiora magis Lectores nostrorum.

22 Qui credit deo, attẽdit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur.

Qui per uerbum domini credit promißis & comminationibus diuinis, non sine charitate & affectu in deũ, cui complacere uelit & optet, is summopere curabit, ut mandata eius diligenter obseruet. Siquidem fides sine operibus mortua est. Qui etiam tota fiducia pendet ex dei bonitate, quam credit, & reueretur illius iustitiam, iste magnus & dives erit in domino. Beatus enim homo qui sperat in deo. Quandoquidem spes non confundit. Iob dixit: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Deus iudicij dominus, beati omnes qui expectant eum. Erit enim dominus fiducia eius.

CAPVT XXXIII.

1 Timenti dominum non occurrent mala, sed in tẽtatione deus illum conseruabit, & liberabit à malis.

Nihil deo & nobis de timore illo pœnarum & ca- Timor [illegible] lamitatum, qui animalis est, tantum author de pio timore loquitur, quo reueremur dominũ deum nostrum, à quo omnia bona accepimus, & donanda maiora speramus, tanquam filij hæreditatem nobis destinatam & inamissibilem, nisi dominum et patrem nostrum odisse incipiamus. Qui igitur sic deum timet filiali charitate, nihil negliget, is timor dei uitæ fons est, ut declinetur à ruina mortis & perditionis. Non est autem pius quicunq; sine tentationibus in hoc mundo, tam ex malis culpæ quam pœnæ, sicut & impius quoq; suis malis laborat. Sed hoc discrimen est inter utrosq;, quod pius & deum timens, in tentationibus dæmonum, carnis & mundi conseruatur à domini gratia, & liberatur sic à malis, ut illi non obsint, sed prosint magis domino protegente. Hinc orãt pij quotidie: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Id quod impij nec timent nec orant liberari, nec euadunt, sed potius cadunt sponte & pereunt. Fidelis est autem deus, qui non permittit uos tentari supra id quod potestis. 1. Cor. 10.

2 Sapiens non odit mandata & iustitias, & non illudetur quasi in procella nauis.

Imò magis ex animo sapiens diligit mandata dei & iustitias, dicens cum sancto: Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti. Quicquid enim uult ut faciant illi homines, hoc ipsis facit: & quæ odit ferrè, odit & inferre. Non igitur illidetur periculosis procellis & impulsibus perturbationum, tentationum pugnis, motibus uitiorum, non impellitur statu salutis, sicut impellitur nauis in pelagi tempestate, deo autem firmiter adhærebit ancoram cordis fixam habens in domino. Et sic in sapientia homo sanctus permanet ut sol. Non contristabit iustum quicquid acciderit ei.

3 Homo sensatus credit legi dei, & lex illi fidelis.

Qui credit legi diuinæ, is solus sensatus habetur, & Credit [illegible] est sapiens. Credit autem uere datam esse desuper, & diuinitus confirmatam & esse ipsißimam ueritatem, sic ut si angelus de cœlo & mundus sapientum contrarium doceant, non credet, iam ab initio traditam, & omnia sanctißima continentem ad omnipotentis dei gloriam, & hominum in mundo uiuentium salutem, felicitatem, & pacem: ut nihil in mundo certius sciri possit, non euidentia sed intelligentiâ & adhærentia, quæ est per dei donum & gratiam, operum certitudine confirmatam. Et lex dei fidelis est illi, fallere enim credentem non potest: & quæ promittit futura, ex traditis iam beneficijs in præteritũ credenda persuadet. Testimonium, inquit, domini fidele.

Qui

4 Qui interrogationem manifestat, parabit uerbũ, & sic deprecatus exaudietur, & conseruabit disciplinã, & tũc respondebit.

Sic exponitur communiter litera ut iacet. Qui officium habet clare respondendi ecclesiæ, uel alicui fideliũ ad quæstionem utilem & difficilem, is primum cogitando parabit uerbũ quod respondeat. Nõ enim temere & impremeditate loquetur, sed & orationẽ interponet ad dñm, ut non erretur in responso. Id ubi factũ fuerit sine dubio à domino exaudietur, qui & in respõdendo & docendo ordinẽ seruabit, ut capi possit, & quærenti prodesse, sicq; negotio quæstionis, & responsionis legitimus fructus succedet. Græcus aliter legit, æque obscure.

5 Præcordia fatui quasi rota carri: & quasi axis uersatilis cogitatus illius.

Desideria & passiones impij & non timentis deum hominis, sunt omnino instabilia, sursum deorsumq; rotata. Secundum quod pius orat: Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem uenti. Et superius dictum est: Stultus ut luna mutatur. Gratia autem uirtus & sapientia mentem confortant figuntq; in bonis: sicut insipientia & peccatum exagitant, quod consequenter repetitur per iugum: Quasi axis uersatilis cogitatus illius. Impius enim quasi mare feruens.

6 Equus emissarius, sic & amicus subsannator, sub omni suprasedente hinnit.

Sicut equus emissarius, & ad libidinem accensus insolenter hinnit, & lasciuiã suam exerit ad omnẽ sibi occurrentẽ equam, non habito respectu ad eum qui insidet: Sic amicus petulans, leuis et non fidelis, sed magis subsannator & adulator, absq; discretione adulatur & irridet bonos & malos, nulli addictus, nisi ob suam libidinem uel utilitatem, & idipsum quoq; sine ratione & fide.

7 Quare dies diem superat, & iterũ lux luce, & annus annũ à sole? A domini scientia separati sunt facto sole, & præceptũ custodiente, per dei sapientiam diuiduntur.

Sapientia, prouidentia, & potentia dei omnia facta esse quæ sunt, et omnia fieri iuxta eius uoluntatẽ & ordinationem, ostendit exemplariter in cœlestibus & terrenis, solo homine stulto, domini beneplacitum præuaricante in facto, cui tamen subijcitur in uindicta. Quærit ergo: Quare unus aliquãdo dies alio longior, clarior, cælidior, & felicior est? Et quare lux solis maior est luce lunæ, quæ suum lumen à sole mutuatur, cum proprium nõ habeat, ut patet ex ecclypsi lunæ? Et quare lux utriusq; maior uidetur luce syderum tam fixarum quàm erraticarum stellarum? Et quare annus annũ superat, solaris scilicet lunarem diebus undecim unusq; annus alio fertilior, iucundior, et salubrior ex influentia solis, quam à seipso non habet, unde ergo hæc cuncta sic habent? Ad hæc ergo omnia simpliciter respondetur: A domini dei omnipotentis scientia hæc omnia sic sunt distinctim ordinata. Postquam semel à principio creationis rerum factus est sol inexhausti uigoris & motus, qui & domini dei creatoris sui præceptum pertinacissime & incessanter conseruat. Hæc omnia, inquit, dei sapientia definuit, & distinctim ordinauit, cuius ordinem præterire nunquam possunt uel uolunt. De his omnibus rebus ad dei magnificentiam conditis, multa dici hic possent: sed remittimus te studiosum Lectorem ad libros de cœlo & mundo Aristotelis, ad sphæræ materialis tractatum, & ad theoricas planetarum, si sapientiam dei in huiusmodi tantarũ rerum ordinem contemplari delectet.

8 Et immutauit tẽpora, & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebrauerunt ad horam.

Sapientia quoq; dei per solem, nobile instrumentum suum, & lunam, mutat tempora anni, succesßionem hyemis & æstatis, autumni & ueris, solenniumq; dierum secundum legem dei, scilicet sabbathorũ, neomeniarum, paschæ, pentecostes, & tabernaculorum, cum reliquis iuxta motum solis & lunæ in suis obliquis circulis, sub & iuxta circulum ecclypticæ lunæ. Ad horã autem constitutam, et à deo ordinatam, inchoandæ erant huiusmodi feriæ secundũ legem, à uespera scilicet in uesperam. Solis & lunæ miraculum.

9 Ex ipsis exaltauit & magnificauit deus, & ex ipsis posuit in numerum dierum.

Ex ipsis festis diebus quosdam statuit solennes duci à fidelibus suis, ut cum lætitia & gaudio, cum quiete & epulis, eum uacatione sacrorum exercitiorum, orando, legendo, audiendo legem, psallendo, & sacrificando. His enim dies illi dicabantur exercitijs spiritualibus prorsus, alioqui ab operibus seruilibus abstinentes iussu dei. Sic ergo magnificauit quosdam dies, & posuit in numerum celebriorem, ut secundum eos reliqui calcularentur dies, operibus manualibus destinati. In anno enim semel celebrari uoluit solennia paschæ, & pentecostes, ac tabernaculorum, sed per hebdomadam. In quolibet mense festum kalendarum. Sabbatha autem singulis septimanis. Sic domino placuit, sic profuit hominibus. Festi dies.

10 Et omnes hoies de solo, & ex terra unde creatus est Adã. In multitudine disciplinæ dñs seperauit eos, & immutauit uias eorũ.

Applicat sententias magis ad institutum de dei prouidentia circa homines, quos secundum originem primam omnes de terra formauit, quantum ad corpora, quæ quidem ex quatuor elementis confinxit, sed terra reliquis prædominante, ut in eandem suo tempore reuerteretur. Ex terra enim procreatus est Adam primus, de limo scilicet & ex puluere, iuxta quam originis sortem omnes similes sunt, & eiusdẽ nobilitatis, quia mortales cuncti, & obnoxij multis secundũ corpus miserijs, ab hora natiuitatis ipsorum usque ad mortem, & resolutionem corporis denuo in puluerem, secundum quod dicitur: Puluis es et in puluerem reuerteris. Discrimen tamẽ multiplex inter homines ordinauit sapientia dei, ut longe ingeniosior sit unus, & ad intelligentiam magnarũ rerum habilior, quàm alter, ut patet ex artium tam pluriũ inuentione & usu, uariarumq; disciplinarum. Sed & mores, studia, linguas dispares cõdidit inter homines. Terræ quoq; habitacula partitus est hominibus iuxta gentes & generationes multiplices, iuxta regiones fœcũdas aut steriles, secundum maius & minus. Sic enim in Actis decimose- Origo hominum de terra.

ptimo, inducitur Paulus disserere, quomodo deus fecerit ex uno omne genus hominum, inhabitare super uniuersam faciem terræ habitabilem, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum.

11 Ex ipsis benedixit, & exaltauit, & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit: & ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuertet illos à separatione ipsorum.

Sanctorum à deo ordinatio.

Multis hominibus ad idololatriam & uaria crimina declinantibus per sapientiam suam quosdam elegit & benedixit, Abraham scilicet & posteros eius, quos gratia & beneficijs uarijs, magnis, & conspicuis exornauit præ cæteris, & sublimauit, sub Mose, Aaron, & Iosue. Ex eisdem quoq; Israelitis iam multiplicatis sanctificauit & sibi applicauit tribum Leui, quam ad pietatis & doctrinæ exercitium deputauit cultui suo, secundum uerba Mosis: Num, inquit, parũ est uobis, quod separauit uos dominus, & iniunxit ut seruiretis ei. Et secundo Paralippomenon Ezechias dicebat: Vos elegit dominus ut staretis coram eo, & ministraretis ei, colatis eum & cremetis ei incensum. Ex eisdem quoq; Leuitis non omnes morigeros habuit, sed rebelles, quos & maledixit & afflixit dignis pœnis, ut de Choritis legitur, Numeri decimosexto. Quorũ multos iterum reiecit à uocatione ipsorum, ut patet de ducentis quinquaginta uiris complicibus Choræ, quos eiecit à Leuitarũ consortio ad inferos. Et de uarijs quoque alijs gentium distinctionibus, quas dominus ordinauit secundum illorum regna, quas pro malitia sua puniuit, resipiscentes autem, beneficijs multis locupletauit & benedixit. Sic autem sibi placuit, & hæc ratio omnium, quæ aguntur, sancta uoluntas dei, cuius non est ab hominibus ratio requirenda.

12 Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud & disponere.

13 Omnes uiæ eius secundum dispositionem eius: sic homo in manu illius qui se fecit, et reddet illi secundum iudicium suum.

Homo in dei manu

Sicut in arbitrio figuli est, uaria ex luto formare uascula, secundum omnes uias eius, hoc est quomodocunq; illi placet & collibitum est, iuxta uarias luti formationes, magnum aut paruum, quadratum aut rotundũ, pulchrum aut turpe, iuxta imaginationem figuli: sic in uoluntate & potentia dei est, facere de homine quicquid uoluerit, nempe ex gratia saluare & iuste damnare, unũ sublimen reddere alium deijcere, sine iniuria & contradictione alicuius. Nunquid dicet lutum figulo suo: Quid facis? & opus tuum absq; manibus est. Et nunc domine pater noster es tu, nos uero lutum, & fictor & opera manuum tuarum omnes nos. Et Paulus: Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me feci sti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorem, aliud uero in contumeliam? Est igitur homo totus in manu dei, qui se fecit, qui et illi reddet secundum iudicium suum, secundum discretionem sapientiæ suæ, unumquenq; pro suis remunerat meritis, impios longe citra condignum puniens, electos uel per gratiam ultra omnia merita hominum, sed non Christi.

14 Contra malum bonum est, & contra uitam mors, sic & contra uirũ iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera altissimi.

Quanquam malorum author deus non sit, qui uult et iussit omnes homines saluos fieri, est tamen author ordinationis tam malorum quàm bonorum quæ fiunt. Iuxta Augustinum enim in Enchridion: Deus adeo est omnipotens & bonus, quod non sineret mala fieri, nisi ex illis eliceret maiora bona. Inde intelligitur quod hic dicitur: Contra malum bonum est. Sicut bono secundum naturam contrarium est malum & aduersum naturæ, ut sanitati ægritudo: sic malo culpæ opponitur uirtutis bonum, & malo miseriæ sempiternæ bonum gloriæ sine fine. Et contra uitã est mors, uitæ enim naturali mors corporalis opponitur. Vitæ gratiæ mors peccati, uitæ gloriæ mors inferni. Sic & contra uirum iustum peccatorem. Iniquus enim iusto contrarius est, electus reprobo, & sapiens stulto. Sic in omnibus creaturarum generibus inuenies contrarietatem quandam, ubi diligenter attenderis, sed à deo mirabiliter ordinatam. Non enim deus est conditor mali, qui fecit omnia ualde bona. Mortem quoque non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum. Nec mors tamen mala est, sed multipliciter bona.

15 Duo contra duo, & unũ contra unum.

Vbique inuenies duo contra duo, habent enim duo bona contraria sibi duo mala per omnia. Sic unum bonũ & uerum inuenies alteri bono seu uero contrarũ. Nihil est autem essentialiter malum, corrumperet enim se ipsum, unde quicquid essentiæ est in rebus malis, à deo est. Ego dominus formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. De quo in Amos: Si erit malum in ciuitate quod dominus nõ fecit. Malum autem culpæ defectus quidam est, & casus à bonitate uel ueritate, ut causam proprie non habeat nisi defectuam.

16 & ego nouissimus euigilaui, et quasi qui colligit racinos post uindemiatores. In benedictione dei & ipse speraui: & quasi qui uindemiat, repleui torcular.

Hic author huius uoluminis de se loquitur. Ego, inquit, nouissimus euigilaui, hoc est post omnes præcedentes sacræ scripturæ authores uacaui studio ueritatis conscribendæ. Tempore enim Ptolemæi Euergetis uixit hic Iesus filius Syrach, qui regnauit in Aegypto post tempora Alexandri magni. Et præcedentium sapientissimorum patrũ fragmenta, & elegantissimas sententias, quasi racemationẽ faciens post uindemiatores, collegi in unũ hoc uolumen, ne neglecta perderentur. Speraui enim & ego in benedictionem dei, hoc est auxilium dei mihi ad futurum speraui, ad doctrinas sacras & utiles colligendum & cogitationes à spiritu dei mihi suggerendum, non minus quàm reliquis pijs, & ad profectum publicum scribentibus. Cuius beneficio factum est, ut ego ecclesiam repleuerim salutaribus documentis, & spiritualibus prouentibus, non secus atq; si quis torcular impleat musto, sic uino redundabunt torcularia hæc mea, scientiæ salutaris.

Respi-

17 Respicite quoniam non mihi soli laboraui, sed & oibus exquirentibus disciplinã.

Laboraui cogitando & scribendo non mihi tantum, sed ad informationem omnium, qui futuris temporibus ex hoc libro meo proficere uolent. Sic uos quoque lectores studete proximis proficere uerbo, exemplis, & scriptis, quoad dominus uobis quoque gratiam fuerit elargitus. Idipsum & supra uicesimoquarto capite dixerat: Videte quoniam non solum mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus ueritatem.

18 Audite me magnates, & omnes populi, & rectores ecclesiæ auribus percipite.

Quicunq; ergo magni estis in populis, uel qui haberi multis magni in uita, scientia, & dignitate, et omnes qui à domino positi estis rectores ecclesiarum & pastores, auribus percipite sequentia quoq; documenta. Expedit enim ea scire, docere, et facere, ad salubre regimẽ cuiuslibet gentis. Quantumuis enim sæcularia sint, necessaria tamen sunt habitantibus in sæculo, & sæcularia ut plurimum cogitantibus & agentibus. Expedit enim ad tranquillitatem uitæ & morum, talia non ignorare, sed ecclesijs prædicare, in quibus semper sunt homines humana sapientes, & quæ carnis sunt in desiderijs habentes. Pertinent hæc enim ad politicam uitam, cum pace transigendam, & non sunt ab ecclesiasticis negligenda.

19 Filio & mulieri, fratri & amico non des potestatem super te in uita tua: & non dederis alij possessionem tuam: ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis.

Non te uincat ad horam carnalis affectio, ut quenquam sinas dominari tibi, siue filius sit aut uxor, frater uel amicus. Cum enim maiorem te deus constituerit & rectorem familiæ, & multarum rerum peritiorem, non permittas tibi authoritatem adimi ab insipientioribus, si positus tu quoq; munus obire regiminis, non præualeant minores authoritati tuæ, & præsidentiam tibi à deo donatam inferior tibi non usurpet. Nec possessionem tuam expendas prodigaliter & inconsulte in sobolem uel famulos, ne fortè si tibi aliquando ingratos uideris, pœnitead te, & cogaris tu illos humiliter & cum rubore rogare, ut tibi subueniant, dando tua tibi, qui pro tua prudentia & authoritate illos regere, non ab illis regi debueras. Voluntas est enim dei, ut seniores, sapientiores, exercitatiores præsint iuuenibus & filijs, seruis & familiæ. Non otium datur eis qui agere possunt. Si una parte quietem otio exquisieris, alia parte duplo calamitatibus obrueris. Multo minus id agendũ propter deum, cui in talibus nõ placemus, qui hæc non præcepit, sed ut quisque in uocatione sua, qua à domino uocatus est permaneat, donec illi sufficere potuerit. Nihil ad hunc locum facit uerbum Christi de uendendis omnibus, & pauperibus adiuuandis. Habentes, esse per dei gratiam, tanquam non habentes, imò tanquam nihil habentes et omnia possidentes, etiam si bona possideamus terrena, tantum ut non possideamur ab illis.

20 Dum adhuc superes & aspiras, non immutabit te omnis caro: melius est enim ut filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.

Donec uita tibi comes est, nullus hominum ab hac te doctrina abducat, nec te sinas allici, ut tu alteri sic tua des, ut deinde ab eo te mẽdicare oporteat. Omnino enim commodius est & ordinatius dignusq; ut tui te precentur filij, & de tuis communicare bonis postulent, minores à maioribus, iuuores à senibus, quàm te respicere in manus & gratiam filiorũ ad munera accipienda á filijs, quàm ut tu preceris ab eis eleemosynam præter decorũ & contra legem dei. Nõ debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs. Mulieri non permitto dominari in uirum, multo minus filios in parentes. Filiorũ est enim obedire parentibus. Nihil hic contra eleemosynarum largitionem docetur, sed prudentia parentum ad filios, ne insipientiæ tandem uel sero cum dolore pœniteat. Dominium parentum in filios.

21 In oibus operibus tuis præcellens esto. Ne dederis maculam in gloriam tuam.

Quod agendum susceperis, hoc diligenter, sedulo, et cum authoritate prosequere. Cura ut quàm optime agas alijs ad exemplum, non ad gloriam aucupandam, sed ad prosequendum studiosè & fideliter, quod habetur laude dignum, & multis fructuosum. Si paterfamilias es, uide sis toti familiæ eminentior conuersatione & exemplaritate. Ne dederis maculam in gloriam tuam: dignam æstimationem tuam, & officij tui manus noli fœdare uitijs. Ne cui des ullam offensionem, ut non uituperetur ministerium tuum. Agendum strenue.

22 In die consummationis dierũ uitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam.

Dum instare uideris ultimam ætatem tuam, nõ obmittas ordinare de possessione tua inter amicos uel hæredes tuos, ut decernas ordinato testamento quid quis capiat, iuxta tuam prudentiam et illorum merita. Non hoc differas in ultimum diem, quem non nosti, ne præoccupatus morte, negotium pessime cedat, dum rixæ oriuntur inter successores. In tempore ergo ordinandum, sed non res dispensandæ, nisi post obitum, ne ingratitudo de qua dictum est ingruat. Illis autem distribuas tua, quibus secundum iura debetur. Distribuas autem non facto sed testamento, quod in mortuis confirmetur: ne contingat hæredibus quod in prouerbijs legitur: hæreditas ad quã festinatur in principio in nouissimo benedictione carebit. Testamentum ordinandum.

23 Cibaria, & uirga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo.

De filijs & hæredibus dixerat, nunc de seruis, qui habebantur emptitij, homines stolidi & prorsus illiberales, ad nihil utiles nisi ad labores ut plurimum, non tamen semper. De quibus dicitur: Quemadmodum asino pabulum pro sustentatione rude & grossum proponitur, ut ad excitandum tardum uerbera adhibentur, onus quoq; ad commodũ dominorum: sic seruo ad labores destinato simplex & non delicatior uictus tribuatur, ut laborisufficiat, et castigatio, ne torpescat. Simile Prouerbiorum uicesimosexto: Fagellum equo, chamus asino, & uirga in dorso imprudentium. Serui quomodo alendi & tractandi.

24 Operatur in disciplina, & quærit requiescere: laxa manus illi, & quærit libertatem.

Seruile ingenium. *Seruus quandiu disciplinæ subditur, & sub uirga tenetur, agit quæ iniunguntur, et nihil aliud cogitat, quàm ut post labores requiescat, nihil de rebellione cogitat uel seditione, sed ut utiliter domino laboret, eius gratiam & beneuolentiam promereatur. Disciplina eius & operis labor superbiã castigabunt. Si uero illi laxaueris manus ab opere, cogitabit per otium omnino euadere iugum seruitutis.*

25 Iugum & lorum curuant collũ durum, & seruum inclinant operationes assiduæ.

Ad idem sententia est, alijs autem uerbis. Durißimũ camelorum & equorum collum habena & lorum curuant: sic seruum quamlibet durum aßiduæ operationes humiliant, à domino iunctæ. Sic et caro hominis affligenda est, ne insolescat: otia enim dant uitia.

26 Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationẽ, ne uacet: multam enim malitiã docuit ociositas: in opera constitue eum: sic enim condecet illum.

Serui quomodo tractandi. *Seruo qui maligne & infideliter agit cum suo domino, adhibendæ sunt torturæ & compedes, ut ipsius malitia debite castigetur & emendetur, uel si expedit prodatur occulta malitia in dominũ suum, ut præuenire possit fugã quam molitur. Satis enim improbũ genus hominum sunt illi serui, qui à puero tantum ad labores nutriti sunt, & sine omni disciplina liberali, sine humanitate, nullis fermè beneficijs, ut feré bestiali ingenio sint, præter insignem astutiam insidiandi, & sese uindicandi per fas & nefas. De huiusmodi seruis hic loquitur scriptura, qui nõ nisi duritia in officio retinentur, nullis beneficijs, quibus magis incitantur ad contemptum dominorum & ad inobedientiam ut minus timeant, quando absque solo timore pœnarum recte nihil agunt sed se quærunt per omnia. Tales mittendi sunt ad operationes, ne uacent ad malitias suas adimplendas, quas ingeniosè comminiscuntur, si otio torpeant. Multam enim malitiã docuit otiositas: uitiorũ enim occasio & nutrix est cessatio ab opere bono & licito. Vnde Salomon: In desiderijs est omnis piger uel otiosus. Et tota die concupiscit iniquus. Ideo semper te satanas inueniat occupatum. Vno tentatore occupatus tentatur, otiosus à multis. In opera ergo constitue seruum improbum, ne sit otiosus, & ad deteriora tentetur. Non intelligitur de seruis conductitijs, quales nobiscum sunt.*

Otiositas.

27 Quòd si non obaudierit, curua illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem. Verum sine iudicio nihil facias graue.

Seruus contumax. *Si seruus contumax tibi non obedierit, curua, hoc est humilia illum compedibus. De tali seruo scriptum est, Prouerbiorum uicesimonono: Seruus uerbis non potest erudiri, quia quod dicis intelligit, & respondere contemnit. Et non amplifices eum super omnem carnem, hoc est non eum præferas alijs hominibus, non commendes illi honestum officium in alios. Sicut Salomon Ieroboam suum seruum præfecit multis, tandem inuenit eum rebellem, tertio regum undecimo. Non quidem seruus talis idem erat, de quo nunc dicimus Ieroboam, sed subditus fuerat Salomonis, de tribu Ephraim: unde non licebat habere proprie seruos. Verum sine iudicio nihil facias graue, nihil ex ira & furia graue committas in seruum, nec tu arbiter & iudex sis in tua causa grauis contra seruum, sed grauis uindictæ aut necis iudicium sit penes alios. Ne seruo tuo pœnas graues inferas, nec despicias ex te, quasi bestiæ sint, sed ut proximos dilige, tantum improbitatem illorum prudenter castiges, si fieri posßit, ut emendentur, & tractabiliores reddantur.*

28 Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illũ.

Si intellexeris tibi fidelem esse seruum tuum, bonorem tuum & commodum zelantem, atque ex charitate magis quàm timore tibi obsequentem, ut teipsum illum diligas, eius salutem & consolationem quæras, pie & humaniter illum tracta, non urgens ut seruum, sed utere ut fratre, & nõ te illi ostendas illiberaliorem, reddens malum pro bono, duritiem pro fide. Frater enim tuus eundem tecum patrem habet in cœlis. Sic te dominus tuus tractabit in cœlis, quomodo tu tuum seruũ tractas in terris. Quoniam in sanguine animæ cõparasti illum. Cruento enim in prælio, & cum periculo mortis tuæ illum comparasti. Sic enim olim seruitute premebantur mancipia. Vel si pecunia emptus est, ipsa tamen pecunia labore acquisita est & sudoribus multis, & pro utilitate uitæ tuæ tibi seruit & utilis est. Ideo non odiendus, quod coactus facit non infideliter agat. Hinc Seneca alicubi: Viue cum seruo fideli communiter & prudenter, & in sermone illum admitte, & in conuictu.

29 Si læseris eum iniuste, in fugam conuertetur: & si extollens discesserit, quem quæras, & in qua uia quæras illum, nescis.

Pietas ad omnia ualet, potens etiam seruum consilia suggerere, & æquanimiorem reddere. Si nimium lædatur, occasionem inuenet aufugiendi. Quod si de rebus tuis quicquam fugiens, abstulerit, duplum tibi nocumentum restituet. Iniusti pro simplici. Non enim sine maiori periculo illum inquires. Poterit enim statim mutasse nomen & habitum. Et tu duplicatum damnum restitui quærens, sustinebis triplum & maius, etiam de uita propria periclitaberis. Principijs ergo obsta, & hominem humaniter homo tractes. Hinc Paulus: Vos domini remittite minas, scientes quia dominus uester & illorum in cœlis est.

CAPVT XXXIIII.

1 VAna spes, et mendacium uiro insensato: & somnia extollunt imprudentes.

Homo nõ sapiens quæ dei sunt, sed mũdum & carnem, is fiduciam nullam habet in uero bono, sed in uanis, caducis, & in mendacio. Luxum sectatur et honores, diuitias, & delitias, de deo & eius beneplacito nihil solicitus, interim tamen sibi promittere audet non minora bona post mortem, quàm alij sperent, qui sancte uiuunt,

uiuunt. Sed uacua est spes illius, & labores sine fructu: impij spes tanquam lanugo est, quæ à uento tollitur. Imprudentes autem putant somnia sua esse diuina oracula, quod dæmon aduertens, superbiam scilicet sensus humanum, & sanctitatis præsumptionem, huiusmodi somnia immittit, unde sibi sancti uidentur, & cæteris meliores, uel prophetæ, ut iudicent quicquid illis placet, omnibus amplectendũ, diuina esse quicquid in somnis reuelatur eis: suas omnium sensibus præferentes.

2 Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur uentum: sic & qui attendit ad uisa mendacia: hoc secundum hoc uisio somniorum.

Qui credit uisionibus nocturnis & somnijs, quæ non concordant cũ ueritate uerbi diuini, imò contra dei mandatum, Leuitici decimonono: Non obseruabitis somnia: similis est fugientem umbram persequenti, & uentum comprehendere studenti, uana sunt enim huiusmodi figmenta. Sic enim omnino se habet uisio somniorum, uana scilicet & fallax imaginatio somnuantium. Sunt tamen hominum quædam complexiones, quæ pro cerebri & imaginatiuæ uirtutis natura singulari præsentiunt non raro futuros euentus, quos tamen uitare non possunt.

3 Ante faciem hominis similitudo alterius hominis.

Somnia fiunt facierum quarundam, in imaginatiua uirtute dormientis, ex imaginatione habita in uigilia, ideoq; non sunt æstimanda tanquam diuinitus formata somnia, sed ex præcedente phantasia. Quanquam non raro somnia habeantur rerum nunquam uisarum, et eorum quæ omnino mendacia sunt, ut appareat quàm uana sit somniorum obseruantia.

4 Ab immundo quid mundabit? et à mendace quid uerum dicetur?

Contra rationem & omnem experientiam est, mundari quenquam posse per eum qui ipse sit immundior. Et qui natura uel usu mendax est, ut dæmones, quomodo ueritas disci ab eo potest? Qualis certitudo de doctrina eius, qui semper est mendax? Potest quidem homo mendax & impius uera loqui, et salubria prædicare, non tamen docere uel proficere: spiritus aũt audiẽtis et pij, is uerus doctor est ueritatis, is docet & suggerit quæ sint credẽda. Deniq; uerũ cum dicitur, à spiritu ueritatis intelligitur proficisci. Prouentus autẽ ueritatis & fructus proprius, nõ nisi à deo procedit. Fateri autem ueritatẽ, & loqui dæmon quoq; potest, sed ad suam perniciem.

5 Diuinatio erroris & auguria, mendacia & somnia malefacientium, uanitas est.

Occasione somniorum superstitiosorũ de quibus dictum est, incidit etiam sermo de reliquis malis artibus, quales sunt diuinatio, auguriũ, mendaciũ et maleficium. Quanquam Græcus tantũ legat de diuinatione, augurio, & insomnijs, pronuntiando ea uanitatẽ esse. Est autem diuinatio uel uaticinium, mendax aliqua futurorũ prædictio quæ per pseudoprophetas spiritu improbo agitatos dicitur cum mendacio, de quibus Ieremias uicesimo tertiò: Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: nõ loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Talis quoque diuinatio erroris in dæmonibus quoq; est, & in obsessis aut pythonicis. Augurium autem auium uolatu futura diuinat. Mendacium, non hic dicitur, & somnia malefacientium. Græcus legit, insomnia, de quibus dictum.

6 Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur: nisi ab altissimo fuerit emissa uisitatio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia, & excederunt sperantes in illis.

Sicut mulier uel uicina iam partui, uel post partum pro capitis debilitate & cerebri confusione multas patitur phantasias, ut horrenda sese uidere putet, quæ nihil sunt: Ita cor superstitiosi hominis & diuini uel somniatoris imaginationibus friuolis impletur, maxime anxietatum temporibus. Sicut in libro sapientiæ de Aegyptijs legitur, tempore palpablium tenebrarum. Sicut & Iob conqueritur. Per somnia, ait, me terrebis. Hoc autem nõ fit, nisi ab altissimo fuerit emissa uisitatio, cuius gratia & illustratione discernatur uisio & somnium, oratione præuia, ut dicatur: Visita nos deus in salutari tuo. Ne dederis in illis cor tuum, id est non intendas nec credas huiusmodi somnijs. Multos enim errare fecerũt somnia, & exciderunt à statu salutis, quia nimium confidebant in illis contra præceptum domini. Sicut & in prophetis frequenter conqueritur dominus, de pseudoprophetis, Deceperunt populũ meum, propter somnia sua, dicentes: Somniaui. Vnde dicitur: Vbi multa somnia, ibi multæ quoq; sunt uanitates, Ecclesiastes quinto.

7 Sine mendacio consummabitur uerbũ legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.

Vana & falsa sunt auguria & somnia, ut non sit illis credendum. Quæcunque autem in lege domini sunt, uerissima sunt, prædicta quoque in scripturis prophetarum certissime implebũtur, diuinitus enim reuelata sunt. Et sapientia in ore fidelis complanabitur, uir fidelis & eruditus sapientiam scripturarum plane ac dilucide ad mentem domini & diuini spiritus explanabit. Fidelis autem dicitur, qui in doctrina sua, nõ suam sed dei gloriam quærit, cupiens salutem animarum, & domino deo suo per omnia fidelis probari. Bene autem prædicat, si & uitia reprehendit, et mysteria exponit, de quo Beda: Qui sermonem facit ad populum, nõ solum increpandis reatibus, nec solum reserandis sententijs scripturarum debet insistere, ne tantum de peccatorum correctione disputans, minus audiatur, uel mysteriorum tantum secreta reserans, minus prosit. Contra auguria & somnia. Beda.

8 Qui non est tentatus, quid scit?

Tentantur sancti à carne, mundo, & diabolo, nõ tantum ut proficiant, sed ut alios ualeant consolari, & tentatis credere, & in conscienia propria humiliari. Expedit non tantum aduersa legisse, sed per experientiã pertulisse, ut aptior fiat ad docendum & regendum subiectos. Periculosum sane est hominibus quamlibet eruditis uel senibus, proprias reuelare tentationes, nisi de eorum Tentationes prosunt

multiplici experientia constet, alioqui præstat dicere secretum meum mihi.

9 Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum.

Experiẽtia magistra. Experientia optima dici solet rerum magistra, ideo expertus multa cogitat, circumspecte considerat, quid, cui, quando, & quomodo dicendum, idq; non aliunde quàm ex uerbo domini. Et qui multa didicit exercitatione studij, illuminatione spiritus sancti, propria experientia, aliorum institutione, is uerum sensum scripturæ enuntiabit, unde & secunda Corinthiorum primo: Benedictus deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, &c.

10 Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis fatuus est, multiplicat malitiam.

Eadem repetuntur: quoad primum, inexpertus consilium idoneũ non præstat. Qui autem in multis fractus est, hoc est sæpe periclitatus, inter malos & mala. Alia litera habet, fatuus est, & male. Græcus habet, Qui autem deceptus est multiplicat astutiam. Is aptior erit in conferendis consilijs indigenti. Alij dicunt: Qui in multis fatuus est, multiplicabit malitiam: qui inuoluitur erroribus, opera uitiosa proferet, alios scandalizabit.

11 Qui tentatus non est, qualia scit?

12 Qui implanatus est, abũdabit nequitia.

Eadem prius dicta, mutato tamen quid in quale. Et quod sequitur, Qui implanatus est abundabit malitia, idem est cũ præcedente. Et est duplex expositio eiusdem uersus, qui apud Græcos unicus legitur, unde & sequitur apud eosdem & nostros:

13 Multa uidi errando, & plurimas uerborum consuetudines. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, & liberatus sum gratia dei.

Exemplaria multa habent Enarrando, correctiora, Errando, sicut et Græcus. Multa uidi in deceptione mea. Multa existimaui me scire cum planè ignorarem: intellectus humanus non raro decipitur, ut falsum pro uero putet. Et uarietatem rerum & uerborũ multã esse didici, unde error oriri solet. Nec solum animo, cogitatione, et ex uerbis erraui, sed & corpore periclitatus sum sæpe usque ad mortem, propter errores uerborum et actuum, sed per dei gratiam liberatus sum. Incommoda autem et pericula occurrentia, expertos homines reddunt, doctos & cautiores. Ideoq; nõ pauci philosophi pro doctrinarum adeptione longinquas regiones petierunt, & magistros clarissimos accesserunt discendi gratia, per multa uiarum discrimina.

Error multorum.

14 Spiritus timentium deum quæritur, & in conspectu illius benedicetur: spes enim illorum in saluantem illos, & oculi dei in diligentes se.

Deus quomodo colendus. Exigitur per dominum à cultoribus suis, timentibus ipsum, non tam opera quàm mens & spiritus, uult enim in fide & ueritate, in spiritu & deuotione coli, non externis tantum ceremonijs, spiritus enim est, unde & spiritualiter benedicit eos, qui spiritu ipsum colunt. Et ut si corporalibus nonnunquam afflictionibus uisitet, ut spiritus roboretur. Dum enim infirmor, ait Apostolus, tunc fortior sum. Oculi etiã domini super timentes eum, &c. Talis autem spiritus quæritur, quo toto corde homo se deo credat, & plene speret in dominum, ut non ab alio salutem postulet & beneficia quæcunque, quàm à solo deo, qui exaudit sperantes, & saluat de sua bonitate & auxilio præsumentes in fide. Non enim potest nõ amare & beneficijs afficere eos, qui illum diligunt & honoriter colunt.

15 Qui timet dominum, nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipse est spes eius.

Dum dominus timentes se diligat, & filiorum loco susc... suscipiat, ac in se tantum sperare iubeat, iugiterq; proximus sit & oculis inspiciens, non est ut sibi timere fideles debeant aut trepidare in quacunque angustia. Non enim pater filios derelinquet, non ignorat necessitates, nõ odit ut succurrere nolit inclamantibus ipsum, & sperantibus in eum. Iustus quasi leo confidens absque terrore erit. Dominus enim spes eius est. Dominus, inquit, illuminatio mea & salus mea, quem timebo?

16 Timentis dominũ beata est anima eius.

Nulla beatitudo uerior & maior homini in hac uita contingere potest, quàm ut sic colat dominum, ut creder... dat eum sibi propitium & beneficum, totus fide, spe, & charitate ei coniunctus sit, ut illi soli cupiat placere, abhorreat ab omni crimine studiosusq; sit in lege domini meditanda & obseruanda. Id si minus procedat semper atque cupiat, intelligat clementem deum, et eundem pro misericordia & indulgentia secundum eius beneplacitum imploret.

17 Ad quem respicit, & quis est fortitudo eius? Oculi domini super timẽtes eũ, protector potentiæ, firmamentũ uirtutis, regimen ardoris, & umbraculũ meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & uitam, & benedictionẽ.

Quæritur cui deus in primis faueat, quem diligat magis. Vt & Isaiæ sexagesimosexto: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum? &c. Sic de anima beata quæritur, ad quem ipsa respicere debeat, uel ad quem pium deus respiciat, cuius sit fortitudo. Et respondetur: Oculi domini respiciũt ad eos qui ipsum timent, qui in ipsum deũ respiciunt, qui deum colere satagunt pura mente. ipse dominus illorum est, uniuersa fortitudo & potentia, sine quo nihil possunt, qui illorum protector est potentissimus & clementissimus, uult enim & potest. Et ipsorum quoq; omnis potentia ex eius uirtute pendet, quem metuunt et amant, qui sic firmamentum uirtutis est, ut eos confirmet & stabiliat in spe. Et protegit ab ardore tentationum, refrigerium præstans contra æstum libidinum & persecutionum. Est etiam eis deus deprecatio offensionis, id est, is quẽ pro offensis deprecari audent & iubentur, ignoscat ipsorũ culpis. Vnde ait Apostolus: Ipse spiritus postulat

postulat pro nobis, id est facit orantes. Est & adiutorium casus à ruina præseruans, aut in casu accurrens & adiuuans ut resurgatur. Alleuat enim dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos. Cum ceciderit non collidetur, quia dominus supponit manum. Exaltans est animas ab infimo lapsu ad summum bonum, ut faciat animam fidelem sponsam, hæredem, filiam, & amicam dei. Illuminans oculos cordis per fidem & spiritus sancti dona, sapientiam, scientiam, cõsilium, &c. Dans sanitatem mentis & corporis, uitam naturæ, gratiæ & gloriæ, & benedictionem, id est, dona charismatum diuinorum, & felicitatem beatam. Ecce undecim bona enumerata sunt, quibus ꝓsequitur deus timentes se, cui additur fortitudo duodecimũ, de qua præmiserat: Quis est fortitudo eius?

18 Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes iniustorum.

Quasio ui ta.

Dominus nõ respicit ad oblationes uitiosas, cum quis deo offert iniuste acquisita de rapinis, quæ potius restitui mandat quàm ut sibi offerri uelit. Et non sunt deo beneplacitæ subsannationes iniustorum, hoc est, oblationes deo factæ ex possessionibus aliorum: sic ei displicent, ut pro subsannationibus potius ducat & irrisionibus, unde magis irritetur quàm concilietur bonitas & iustitia dei, qui odio maximo prosequitur omnes iniquitates huiusmodi. Nónne improba est irritatio et irrisio, offerre illud domino, quod eidem maxime displicere cognoscitur? Vnde dicitur: Victimæ impiorum abominabiles domino.

19 Dominus solus sustinentibus se in uia ueritatis & iustitiæ.

Sufficit solus dominus sua bonitate & potentia omnibus eis qui confidunt in eum, qui illum expectant ac sustinent, iuste & pie uiuendo, & in ueritate uerborum eius perseuerando, iuxta illud: Pars mea dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum. Et alibi: Quid mihi est in cœlo, & à te quid uolui super terram? Deus cordis mei, &c.

20 Dona iniquorum nõ probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorũ, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.

Sacrificia impiorum.

Repetit fermè iam prædicta de oblatis sacrificijs impiorum, quæ minime placent, etiam si ex propria defecrantur substantia. Quandoquidem & piorum sacrificia secundum legem non accepta domino erant ex se, sed ex offerentium deuotione & fide. Ideo non respexit deus ad Cain, neq; ad munera eius. Hinc subditur: Nec respicit in oblationes, &c. Non remittet peccata illorum propter eorum sacrificia quamlibet multa. Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas? Et nunquid placari potest dominus in millibus arietum, & in multis millibus hircorum pinguium?

21 Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui uictimat filium in conspectu patris sui.

Substantia pauperum.

Pauperum certe est omnis substantia diuitum, qua illi abundant, isti autem re uera indigent ad sustentationem naturæ, ideoq; domino placere non potest sacrificium diuitum quod cum pauperum egestate defertur. Quid autem horribilius dici posset de huiusmodi sacrificijs, quàm quod non magis deo probentur, quàm si quis patri complacere cupiens, proprium illius filium ipso aspiciente occidat. Rabanus: Quidam quanta largiuntur respiciunt, sed quanta rapiunt non attendunt, ideo quæ largiuntur in sacco pertuso reponunt.

22 Panis egentium uita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.

Tenui cibo egentes contenti sunt, non delicata requirunt: uita enim pauperis non ad delicias, sed ad necessitates respectat. Tanto execrabilius est fraudare illos tam tenui sustentaculo, ut digne homo sanguinarius habeatur, qui pauperi diues non succurrit. Pasce fame morientem: si non paueris, occidisti.

23 Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.

Qui necessaria uitæ alicui tollit, quæ iste cum laborũ sudore acquisiuit, tam grauiter peccat quàm si proximũ occidisset. Ideo per Isaiam loquitur: Rapina pauperis in domo uestra. Quare faciem pauperum commolitis? Et Micheas: Comedunt carnem populi mei, & pellem desuper excoriauerunt.

24 Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.

Similes malitia & pœna sunt, qui iniuste occidunt hominem, & qui mercenarium fraudat suo præmio, minuendo uel differendo cum eius incommodo. Ideo Leuit. 19. Non morabitur opus, hoc est merces operis, apud te usq; ad mane. Et Iacobus: Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones uestras, quæ fraudata est uobis clamat, & clamor eorum in aures domini sabaoth introiuit. Non potest ergo non magnum apud deum peccatum haberi quod homicidio comparatur.

Fraudare mercenarios.

25 Vnus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi labor? Vnus orans, & unus maledicẽs, cuius uocẽ exaudiet deus?

Responsio est ad quæstionem dicentium, non quidem oblationem huiusmodi prodesse offerenti de alieno, prodesse tamen ad exemplum eleemosynæ intuentibus, uel pauperibus alijs quibus distribuitur. Istis enim dicitur, nihil esse si unus domum ædificet hodie, alius crastino destruat: sic si quis offerat hodie domino sacrificium, cras autem pauperem spoliet, ut amissa recuperet: uel hodie aliena surripiat, ut crastino deo offerat: aut uni pauperi auferat per uim, quod alteri egenti sub specie pietatis impartiatur. Hoc est enim unum ædificare, & alterum destruere: unum orare, alterum blasphemare: unum offerre deo, alterum proximum spoliare. Vel si unius promereatur orationem pro eleemosynis, quas eripuit alteri per uiolentiam. Talis fuit religio eorum qui mendicantium monachorum collegia erexerunt, ut uere pauperibus laborantibus bona auferrent per fas & nefas, quæ largiretur otiosis, quo minus indigerent.

Mendicantium monasteria.

26 Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuũ, quid proficit lauatio illius? sic

homo qui ieiunat in peccatis suis: & iterũ eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?

Si quis ob contactum rei immundæ iuxta legem baptizetur, & aqua lustrationis aspergatur, iterũ autem contimuo polluatur alterius immunditia, quid proficit lotio eius legitima, cum mox denuo polluatur? sic si quis hominum pœnitentiam teneat, ieiunijs, eleemosynis aut baptismatibus redimendo peccata, & animam humiliando, iterum autem committat eadem crimina, quid illi prodest pœnitentia, quam ingratitudinis uitio statim inficit, & hypocriticam fuisse demonstrat? exemplo canis, qui reuertitur ad uomitũ suum, cui similis fit imprudens qui iterat stultitiam suam. Vnde Rabanus: Post lauacrũ mundus esse negligit, qui post lachrymas uitæ innocentiam non custodit. Orationẽ illius quis exaudiet? Quasi dicat: Non eam deus exaudiet, nubes enim iterati criminis interposita est ne in cœlum transeat oratio. Veruntamen non est abbreuiata manus domini, ut misereri non possit, sed difficultas ostenditur redeundi ad iustitiã post toties reiteratam & in consuetudinem redactam iniustitiam. Vtcunq; septies in die cadat iustus, & septuagies septies homo iubeatur in die remittere offensam, cum longe clementior dominus sit, sed sperantibus & credentibus in deum, et non ex contemptu peccare semper pergẽtibus.

Pœnitentia inutilis.

CAPVT XXXV.

1 QVi conseruat legem, multiplicat orationem.

Qui studiosus & diligens est obseruator mandatorum dei, cuius tota uoluntas est, ut beneplacitum domini sectetur, eius tota uita & conuersatio oratio quædam est, & domino grata, eius respectum semper conseruat dominus, ut illi præstet clementiam, exaudiat omnes orationes. Græcus pro oratione legit oblationem, & est eadem sententia cum illa: Obedientiam uolo magis quàm sacrificium & oblationẽ. Non est deo grata oblatio sine legis obedientia. Abunde autem sacrificat, qui deo per legis obseruantiam probari studet.

Oratio est tota uita.

2 Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate: & propitiationem litare sacrificijs super iniustitias: & deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia.

Eadem sentẽtia alijs uerbis. Deo digne sacrificat, qui præceptis obsequitur, qui ab iniquitate abhorret. Dolere quoq; de iniustitia, est litare sacrificia pro peccatis. Sacrificium enim domino spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non despicies. Sed & gratius longe est domino, diligenter recedere ab iniustitia, & resipiscere de impijs commissis, quàm multa deo sacrificare sacrificia legalia pro peccatis. Non enim tam oblationes pecudum exigit deus quàm mortificationes bestialiũ & carnalium affectuum, quibus pertrahimur ad transgressiones legis diuinæ.

Digne sacrificare.

3 Retribuet gratiam qui offert similaginẽ: & qui facit misericordiam, offert sacrificiũ.

Non minus deo gratus est, & accepta fides & deuotio, eius qui pro beneficijs dei deo offert gratiam corde, ore uel opere, quàm si quis secundum legem similaginẽ offerat cum oleo inunctam. Hæ enim ceremoniæ legales tantum testimonia erant fidei, quæ sola iustificat: unde et ante legem gratiarum actionis sacrificium deo acceptum erat, sicut & post abolitas ceremonias legis destructo templo & altari, eucharistia, id est gratiarum actio, acrum sacrificium semper manet pro beneficijs acceptis dodomino per Christi mysterium, passionem & mortẽ, qui est sacerdos noster, altare & hostia, simul & propitiatio pro peccatis nostris, & omnium electorum iustitia, semel in crucis ara oblata, sine intermissione cum gratiarum actione recolenda, ad conscientiarum consolationẽ, & spiritualem animarum cibum, fide & gratiarum actione digerendum & masticandum. Et qui facit misericordiam offert sacrificium, iuxta Pauli ad Hebræos doctrinã dicẽtis: Per ipsum offerimus hostiam laudis semper deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Communicationis ne obliuiscaterum beneficentiæ & mini, talibus enim uictimus placatur deus.

4 Beneplacitum est domino recedere ab iniquitate: & deprecatio pro peccatis recedere ab iniustitia.

Sacrificium in odorem suauitatis & domino beneplacens est, recedere ab iniquitate, pœnitentiam agere de commissis, instituere meliorem conuersationem, carnis tentationibus reluctari. Et sacrificium pro peccatis est, quod hic nominat deprecationem, non enim sine oratione fiebant secundum legem sacrificia, quæ peccatum dilecebantur, id est, sacrificia pro peccatis. Domino placens & probatissimum est, abhorrere animo & studijs recedere ab iniustitia.

5 Non apparebis ante conspectum domini uacuus. Hæc enim omnia propter mandatum dei fiunt.

Semper memineris te expositum aspectui domini dei tui, qui contemplatur cordium secreta, & operum iustitias. Curandum igitur semper tibi erit, ut aliquid boni eogites, loquaris uel facias, legis diuinæ mandata custodias, & sine operibus pietatis non compareas unquam conspectui diuino. Semper quoq; beneficium inde diuinæ benedictionis reportabis, ubi ipsum humiliter & ex fide fueris deprecatus. Quicquid enim sacrificiorum, oblationum & ceremoniarum multarum defertur, non alia ratione bonum est, & deo gratum, quàm quia mandatum dei est: sic illi placuit, sic populo profuit, sic mundi status exigebat, sic deus uoluit.

6 Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi.

Oblatio quæcunq;, etiam iuxta legem oblata, secundum tempora & causas, non ideo deo placet quia oblatio est, sed quia iusti sacrificium est, qui non aliter quàm per fidem iustificatur, ut iustus habeatur & sit, unde gratissima deo oblatio, est pinguedinis typo significata, quæ ex fide charitateq; defertur à iusto. Hoc est quod dicitur, Odor suauitatis est in conspectu altissimi, non ex lege, sed

sed ante legem. Vnde & Gen. 4. de sacrificio Noe dicitur: Odoratus est dominus odorem suauitatis. Suauiter enim redolebant sacrificia illa deo, propter deuotionem & fidem iustitiamq; sacrificantium.

Sacrificium iusti

7 Sacrificium iusti acceptum est, & memoriam eius non obliuiscetur dominus.

Sacrificium deo non alia ratione acceptum est, quàm quia à iusto & ex fide iustificante. Sed & sacrificium Christianorum Christus est, qui & iustus est sacerdos, sacrificans seipsum pro nobis. Nostri sacrificuli uolunt accepti esse in officio suo, etiam si impij sint uirtute operis operati. Non cadit obliuio iustorum in dominum. Non iniustus est ut obliuiscatur operis uestri & patientiæ, ad Hebræos 13.

8 Bono animo gloriam redde deo, & non minuas primitias manuum tuarum.

Prompta iucundaq; mente gloriam & honorem deo exhibe, omne illi bonum adscribe, tibi autem iniustitiam & reatum peccati, & deo confessionem. Et primitias fructuum terræ tuæ ex integro offer deo, in sustentationem Leuitarum & sacerdotum, quibus id lege obligaris diuina. Et quicquid præcipuum, illustre, bonum & laudabile est in tuis operibus, deo adscribas, illi soli & eius bonitati & gratiæ refer acceptum. Non minuas, non de peioribus offeras, nihil tibi subtrahas de eis quæ domino obligaris.

Hilariter dantib. deo.

9 In omni dato hilarem fac uultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.

Quicquid deo sponte uel secundum ipsius legem obtuleris, uel hominibus propter deum, hilariter & ex corde præbeas, uultu quoq; gaudium commonstrante, in signum liberalitatis in animo, charitatis & deuotionis, non ex tristitia aut necessitate: hilarem enim datorem diligit deus. Et quum decimas tuas domino offerendas segregas, deuoto id agas animo, sponte & cum exultatione: non tam ea cogitans quæ reddis domino, quàm quæ decuplo domum ingeris.

10 Da altissimo secundum datum eius, & in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum: quoniam dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.

Pro beneficijs à deo acceptis ex terra, quæ domini est non tua, offer deo liberaliter, & tanto copiosius, quanto tibi plura donata conspicis. Vnde dicebat rex sanctus: Quæ de manu tua accepimus dedimus tibi. Quicquid in uenerit manus tua ex donis dei, quo carere possis, hoc hilariter, cum gaudio, & bono uultu da deo, hoc est, ei cui dandum ille mandauit: quandoquidem bonorum tuorum dominus non indiget. Copiosius enim remunerator est dominus eorum, quæ in gratiam eius data uel facta fuerint, qui plenam rependet mercedem bonis operibus, & perfectam beatitudinem, quæ septenario numero demonstratur. Mensuram enim bonam & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinus uestros.

11 Noli offerre munera praua, non enim suscipiet illa.

Non offeras domino male acquisita uel peiora de tuis rebus, non enim suscipiet illa: non offeres mercedem prostibuli. Vota quæ improbe feceris non reddas, sed in bonũ conuertas, ut facias quæ domino placere certo cognoueris. Maledictus quoq; ex lege, qui habet in grege suo masculum, & uotum faciens immolat debile domino. Victimæ quoq; impiorum abominabiles domino quæ offeruntur ex scelere. Vota improba.

12 Et noli inspicere sacrificiũ iniustũ, quoniam dominus iudex est, & non est apud illum gloria personæ.

Noli magnificare & iactare te uel gaudere de sacrificio tuo, quod iniuste domino litatum est, quod ex rapina uel de alieno domino obtulisti. Dominus enim iudex est iustus, qui iniustitiam non patitur inultam relinqui. Iustus enim est dominus & iustitias dilexit. Non habet apud deum locum acceptio personarũ, secundum id quod dicitur in Iob: Qui non accipit personas principum, nec cognouit tyrannum cum disceptaret contra pauperem, opus enim manuum eius sunt uniuersi. Hoc est quod subditur: Acceptio personarũ.

13 Non accipiet dominus personã in pauperem, & deprecationem læsi exaudiet.

Non accipiet dominus diuitum personas in præiudicium pauperum: quin potius teste Apostolo, contemptibilia & infirma mundi elegit deus, ut confundat fortia. Et deprecationem læsi exaudiet, orationem humilẽ eius qui iniuriam passus est, si ad deum syncere confugiat: ait enim: Mihi uindictam & ego retribuam. Qui & facit iudicium iniuriam facientibus.

14 Non despiciet preces pupilli: nec uiduã, si effundat loquelam gemitus.

Verba gemebunda, amaras in angustia preces oppressorum, maxime autem pupilli & uiduæ, qui destituuntur humanis præsidijs, tantoq; magis domino commendati sunt. Deprecatio pauperis ex ore usq; ad aures perueniet, & iudicium festinato aduenuet illi.

15 Nónne lachrymæ uiduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas?

Grauis sententia contra improbos & iniquos iudices, magistratus & reges, oppressores miserabilium personarum, qui sese uindicare non possunt, & proximos uindices nullos habent, & sola hac ratione patiuntur iniuriam, quia pati coguntur, & auxilio indigent quod nemo adfert. Lachrymæ quidem uiduarum ad maxillas, miserias suas deflentes, descendunt ex oculis: clamor autem ipsarum ad deum perrumpit, contra oppressorem & cogentem ad lachrymas. Contra tyrannos.

16 A maxilla enim ascendunt usq; ad cœlũ, & dñs exauditor non delectabitur in illis.

Non inanis erit clamor calamitosæ uiduæ ad clementissimum deum, qui pater est orphanorum & uiduarũ, adiutor & uindex, nubes & sydera transcendunt hæ lachrymæ: in altis enim sedet & respicit humiles. Et dominus miserorum exauditor non delectabitur in illis, hoc est, maxime omnium displicebunt, uindicabitq; pro suo promisso. Deuteronomij decimo: Facit iudicium pupillo Viduarum clamor.

& uiduæ, amatq; peregrinum.

17 Qui adorat deum in oblectatione, suscipietur: & deprecatio illius usque ad nubes propinquabit.

Qui dominum deum colit cum gaudio & fide syncera, eo quoq; modo quo dominus sibi seruiri uult & ordinauit, ille cum gratia dei suscipietur, & bene habebit à domino. Eius quoq; oratio non poterit non exaudiri, nihil enim orabit, nisi quæ domino nouerit complacere, & ad dei gloriam pertinere, idq; faciet non sine instinctu diuinæ gratiæ.

18 Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec altissimus aspiciat.

Oratio humilium.

Quanto se orans humilius deprimit, profundiusq; dejicit coram deo, tanto amplius sublimatur, & uelocius ac gratiosius acceptatur, iuxta illud: Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. Hinc Christo testante, publicanus oculos in cœlum leuare non audens, sed pectus humiliter et cum confessione percutiens exauditus est & iustificatus. Vnde & Iudith dicebat: Mansuetorum & humilium tibi semper placuit oratio. Verus hic orator cum perseuerantia orabit, quæ necessaria est conditio orationis efficacis, donec se intellexerit exauditum. Et misericordiam suam deus à tali oratore minime subtrahet: orationes enim iustorum exaudiet dominus.

19 Et dominus non elongabit, sed iudicabit iustos, & faciet iudicium & fortissimus non habebit in illis patientiam, quousque contribulet dorsum ipsorum, & gentibus reddet uindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet, donec reddat hominibus secundum actus suos, & secundum opera Adæ, & secundum præsumptionem illius, donec iudicet iudicium plebis suæ, & oblectabit iustos misericordia sua.

Impij iudicandi.

Prope est dominus omnibus ipsum inuocantibus in ueritate, ut deprecationẽ eorum exaudiat. Iustos autem iudicare, est de impiorum oppressionibus uindicare, & ulcisci iniurias quas iusti non inferunt, sed ut plurimum patiuntur: unde & fortissimus & omnipotens dominus simul & iustissimus non habebit in huiusmodi tyrannos patientiam, sed tormenta potentia inferet potenter quæ meruerunt. Grauiter & digne flagellabit impios, parata sunt enim derisoribus iustitiæ dei iudicia, & mallei percutientes stultorum, hoc est impiorum, corporibus. Gentibus quoq; reddet uindictam, hoc est, impijs & infidelibus infliget iustam damnationem. Qui enim non credit, iam iudicatus est. Donec tollat plenitudinem superborum. Omnes omnino, nullo euadente, superbos, innocentium tribulatores auferet de hac uita à consortio electorum, iuxta illud Isaiæ uigesimosexto: Tollatur impius, ne uideat gloriam dei. Sceptra quoq; iniquorũ contribulabit, reges, principes, tyrannos iniustos, cum auxiliarijs eorum quibuscunq; copijs, condemnabit & punniet ob uiolentiam suam. Vnde Amos: Ecce ocult dominus super regnum peccans, ut conteram illud à facie terræ. Donec reddat hominibus secundum actus suos. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. Et secundum opera Adæ. Puniuit primum hominem, & non pepercit pro suo excessu: multo minus reliquis parcet pro impietatibus tantis. Sic & tabrigesimoquarto: Absit à deo impietas, & ab omnipotente iniquitas, opus enim hominis reddet ei, & iuxta uiam singulorum restituet. Et secundum præsumptionem ipsius qua dei præceptum uiolare præsumpsit, & sese super suas uires erexit. Donec iudicet iudicium plebis suæ. Tandiu & atrociter impios huiusmodi uindicabit, donec iudicando proferat iudicium iustum & consolabile pijs pro plebe fideli, eam saluando & aduersarios damnando. Et oblectabit iustos misericordia sua, clementissime enim eos consolabitur, & perfecta beatitudine coronabit, exhilarabitq; tandẽ pro iniurijs tantis tandiu perpessis, gloriæ corona præmiandos: reprobis apponet pœnam æternã. Tunc lætabitur iustus cũ uiderit uindictã.

20 Speciosa misericordia dei in tempore tribulationis quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.

Semper & inuariabiliter speciosa & gloriosa est misericordia dei super omnia opera eius, sed tam ipsa quam signa ipsius, quæ sunt iuuare, consolari, liberare, & saluare electos, tunc maxime apparet cum aduersitatũ tempore succurrit & exhibetur afflictis, dulciusq; sentitur post experientiam afflictionis. Sic enim sanitas post infirmitatem, refectio post esuriem, potus post sitim magnum suauiores censentur. Ideo subiungitur: Quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis. Gratior est enim pluuia post quam expectata est diutissime: & dum post tempestatẽ tranquillitas, & post fletum exultatio succedit.

CAPVT XXXVI.

1 MIserere nostri deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum, & immitte timorem tuum super gentes quæ non exquisierunt te: ut cognoscant quia non est deus nisi tu, ut enarrent magnalia tua.

Orat sanctus author, ut speciosa illa dei misericordia impendatur omnibus quidem gentibus ad gloriam dei in toto orbe propagandam, specialiter tamen pro sua gente Iudaica, quæ suo tempore maxima ex parte dispersa, uagari cœperat in toto orbe, quanquam multiplicati iam esset ex omnibus tribubus Israel habitatores Ierusalem, & totius terræ Israeliticæ, iamq; expectabatur Messias, sed in longinqua adhuc tempora, secundum prophetiam Danielis. Intelligi autem totum debet de fidelibus & electis, dei unius & ueri cultoribus, qui iam tunc multiplicari cœperunt in toto orbe terrarum ex dispersione Iudæorum, donec temporibus Christi & apostolorum gloria

gloria dei plene eluceſceret, & fidelium numerus ubiq; augeretur, eccleſia credentium toto mundo ex Iudæis et gentibus coaleſceret. Intelligitur igitur de fidelibus Iudæorum & gentilium, maxime uero intendebat bonum ſuæ gentis, quam ſciebat habere promiſſiones dei, factas patriarchis & prophetis. O tu deus omnium, unus ſolus ſanctus, omnipotens, ſapientiſſimus & optimus, miſerere omnium fidelium, quos in toto mundo tuos noſti & elegiſti, attende ad omnium neceſſitates & pia uota. Et lucem miſerationum tuarum quam promiſiſti fidelibus tuis, & gentibus expectatam tandiu benedictionem per Meſſiam tandem, nunc & citius, ut placere poteſt, oſtende electis tuis, qui lux eſt futurus & lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Qui ut ueniat citius, immitte quæſo tui timorem, agnitionem, reuerentiam, cultum, & dignum amorem in omnes gentes, ut abiectis idolis omnibus & deorum ſacrilegijs, ipſi qui te hactenus non cognouerunt, nec exquiſierunt, nec tui agnitionem, neq; uoluntatem aut beneplacitum, hi iam nunc ſtatim per tuam miſericordiam & gratiam certa fide cognoſcant, quia non ſunt iſti qui dicuntur in toto mundo, ſed tu ſolus. Ideo autem illumina eos omnes, ut agnitam tuam bonitatem & potentiam enarrent & uerentur, tuamq; per omnia uoluntatem & legem obſeruare conentur, ut totus tibi ſeruiat orbis, non minore fide & deuotione, quàm ſancti amici tui olim patriarchæ noſtri, & qui fideles fuerunt in generatione noſtra, ſicut promiſiſti mundo toti, & nobis famulis tuis.

2 **Alleua manum tuam ſuper gentes alienas, ut uideant potentiam tuam.**

Non alia ratione cupio exaltari iuſtitiam tuam contra gentes, ipſas terrendo, & rebelles caſtigando, quàm ut cognoſcant te ſolum eſſe uerum deum, quem ſuis male dictis idolis poſtponunt, & illorum reſpectu contemnũt, ut per uindictam peccatorum ſuorum iuſtitiam tuam experiantur, qui tuam miſericordiam non credunt. Opto enim magnificari nomen tuum in omnes gentes, ſicut pollicitus es futurum per ſanctos prophetas & patres noſtros, ut te ſolum omnipotentem edocti, te ſolum glorificent.

3 **Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis, ſic in cõſpectu noſtro magnificaberis in eis: ut cognoſcant te, ſicut & nos cognouimus quoniam nõ eſt deus præter te domine.**

Authoris ſanctitas.

Ex Iſraelitis ueris & ſanctis piiſſimum & uere ſanctum fuiſſe conſtat hunc authorem, qui id tantum maxime cupiebat, quod ſolum decet omnes & ſolos ſanctos, ut ſcilicet ſanctificetur nomen domini dei ſui, & ut adueniat regnum dei, fiatq; uoluntas domini in tota terra ab omnibus gentibus, ſicut fit in cœleſtibus tam ſpiritibus quàm corporibus, quæ omnia uoluntati diuinæ perfectiſſime ſeruiunt & obſequuntur. Sic, inquam, deſiderat et orat, ut in cõſpectu omnium gentium ſanctificetur deus, uidentibus pijs & electis Iſraelitis, ſicut olim magnificatus eſt in Aegypto coram Pharaone, in mari rubro, coram Iſraelitis in ſolitudine, coram uicinis gentibus in Iordane, & in ingreſſu terræ coram Chananæis, & conſequenter coram omnibus gentibus ad illarum perditionem. Sic olim magnificeris & ſanctificeris in toto orbe, ut ab omnibus cognoſcaris iuxta prophetarum prædictiones, non minore fide, deuotione & cultu, quàm nunc nos fideles te ex uerbo tuo cognoſcimus, & te unum ſolum deum & dominum omnes uno humero glorificent & adorent, ut ſit nomen tuum unum, & gloria tua & maieſtas glorificata per totum mundum, eliminatis omnibus erroribus gentium & idololatrarum.

4 **Innoua ſigna, & immuta mirabilia. Glorifica manum, & brachium dextrum. Excita furorem, & effunde iram. Extolle aduerſarium, & afflige inimicum.**

Quid orandum.

Aliud non precor, quàm ut innoteſcat ſacroſanctæ diuinitatis tuæ maieſtas toti mundo, ad id utaris pro tua infinita ſapientia ſignis tuis, quibus & qualibus uis & noſti expedire gloriæ tuæ & ſaluti electorum, ſiue id fiat operibus iuſtitiæ pœnas infligendo, ſiue clementiæ tuæ ſignis, docendo, terrendo & alliciendo uocandos, uel ex illis damnandos, tantum ut glorificetur ſacroſanctum nomen tuum per miracula potentiæ tuæ. Sicut feciſti nuper temporibus Danielis in regno Babylonico, Perſarum & Medorum: ſic nunc age in regno Græcorum cum ſuperbiſſimis regibus & gentibus, populum tuum conculcantibus, & blaſphemantibus nomen tuum. Glorifica potentiam tuam maximam, & dextrum brachium tuum. Excita furorem tuum in eas gentes, qui tuam gloriam blaſphemant & uolunt conculcatam, ut ſtatuant gloriam ſuam propriam & ſolam, idolorumq; ſuorum ad tuam iniuriam. Effunde iram in eos, qui tuam clementiam non reuerentur, ſed blaſphemant. Sic extolle aduerſarium tuum & noſtrum, ut tanto fortius & horribilius decidens conteratur, quanto ſuperbiẽdo cum blaſphemia nominis tui magis extollitur, & ſeſe uult coli ſupra omne quod deus dicitur, uel in mundo nominatur.

5 **Feſtina tempus, & memento finis, ut enarrent mirabilia tua.**

Pro Meſſia oratur.

Memineris nouiſſimorum dierum, qui ſunt dies Meſſiæ tandiu expectati: utinam diſrumpens cœlos, deſcenderes & ſaluares populum tuum, electos ab initio, ad laudem gloriæ nominis tui. Veniant illi dies citius, feſtinetq; tempus à prophetis prædefinitum, & oſtende magnitudinem omnipotentiæ tuæ in conſpectu omnium populorum, ut hoſtes pietatis & gloriæ tuæ indurati hactenus, & fidelium tuorum truculenti perſecutores, qui ſunt et erunt propediem, iuxta prophetias Danielis, per pœnas facinoribus ſuis dignas cogantur fateri mirabilia tua, & alijs præbere cauſam laudandi tuam bonitatem atq; iuſtitiam, & mirabilia operum tuorum.

6 **In ira flammæ deuoretur qui ſaluatur: & qui peſſimant plebem tuam, inuenient perditionem.**

Qui in hac uita ſeruantur incolumes in malitia procedentes, & tuam clementiam irridentes, quaſi nulla ſit apud te iuſtitia uel potentia, illi eam ſentiant in ira illa perpetuæ flammæ & æterni ignis, quem præparaſti dia

bolo & omnibus ſocijs ſuis, & negatoribus bonitatis et diuinitatis ſuæ. Et qui impune ſe credunt perſequi & malefacere fidelibus tuis poſſe, & atrocibus diuexationibus nos propter unius diuinitatis tuæ ſacroſanctum nomen tuum perſequuntur in gratiam dæmoniorum ſuorum, quos tibi præponunt, iſti iuſto iudicio tuo inueniant perditionem quam merentur, quamq; promiſiſti omnibus hoſtibus tuis & blaſphematoribus, ut iniquæ iſtæ nationes diram inueniant ſortem ſuam, quæ ipſos manet iuſtiſſima.

7 Contere caput principum, & inimicorum dicentium: Non eſt alius præter nos.

Monarchia iniquitatis. Monarchiam impiiſſimæ potentiæ dum tibi uidebitur, & caput regnorum iniquorum contere, qui inimici ſunt fidelium tuorum, & continui perſequutores, qui dicunt pariter mentientes & blaſphemantes gloriam tuam, quod alius deus non ſit in cœlo & in terra præter ſeipſos, tam impios principes principum, qui ſe reges regum adorari uolunt, & ſalutari deos huius mundi, cum ſint miſeri mortales, in tuæ uoluntatis potentiſſima manu, qui rex regum ſolus es & dominus dominantium. Vel qui dicunt: Non eſt alius quicunq; rex uel populus in orbe ſimilis nobis, qui dominari nobis poſſit, ſuper quem non habeamus poteſtatem.

8 Congrega omnes tribus Iacob: & cognoſcant quia non eſt deus niſi tu, ut enarrent magnalia tua: & hæreditabis eos, ſicut ab initio.

Meſſiæ tempora deſiderata ſanctis In uotis habebant omnes ſancti Meſſiæ tempora, quibus Iſrael totus congregandus ſperabatur, qui erat diſperſus à tempore Ezechiæ regis Iuda, & partim cœptus congregari ſub Cyro & Dario, quas omnes tribus optat & orat colligi. Et congregentur ſic contra uoluntatem dominorum quibus nunc ſeruiunt, ut omnes gentes cognoſcant, quia non eſt deus niſi tu. Et enarrent omnes gentes magnalia mirabilium & portentorum dei. Id cum iam ante mille quingentos annos completum ſit, ut unus tantum deus Iſrael deus uerus creditus ſit, & idola cuncta ceſſarint, ſatis conſtat congregatas quoq; tribus Iacob filios Iſrael, omnes fideles in unam eccleſiam, qui uno loco conſiſtere non poſſent nec uellent, ſed in unitatem fidei, charitatis, pietatis, & cultus dei unius: quam unitatem omnes ſancti ſemper maxime deſiderarunt, & in Chriſto conſequuti ſunt, niſi quod inimicus homo dormientibus paſtoribus noctu ſuperſeminauit zizania errorum. An non enarrantur in toto mundo magnalia dei per ſcripturam ſacram, cui ubiq; creditur, & quæ ſola ſacroſancta habetur in toto mundo? Et hæreditabis Iſraelitas totius orbis ſecundum fidem, ut ſint populus tuus per fidei cultum & gratiam tuam. Sicut ab initio totus mundus unum deum coluit: ſic eliminatis idolis omnibus, deus ſolus colitur, & plebs dei nunc eſt eccleſia fidelium omnium.

9 Miſerere plebi tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum: & Iſrael, quem coæquaſti primogenito tuo.

Plebs quidem domini habita eſt Iſraeliticus populus, ſed propter eorum fidem, & propter fidem patriarcharum, & quia eis Chriſtus promiſſus fuerat ex eorum ſemine generandus. Re uera autem fides hæc facit populum dei & filios regni, fiducia quoq; in deum per Ieſum Chriſtum, quem qui ſuſcipiunt & agnoſcunt fideles ſunt & dei populus in toto mundo. Pro utroq; populo fideli oratpiiſſimus Ieſus, dicens: Miſerere plebi tuæ quam elegiſti, ſuſcepiſti, fide donaſti, & beneficijs auxiſti. Super quam inuocatum eſt nomen tuum, qui ſe gaudent te habere deum & dominum, qui & populus tuus appellari gaudent & uolunt, dum deos alios omnes abijciunt tui gratia, quem ſolum adorant & prædicant. Addit Iſraelem, ſubindicans ſic gentes aſſumptas, ut Iſraelem uerum non reſpuerit, ſed in reliquijs apoſtolicis aſſumpſerit, & eorum qui per apoſtolos crediderunt promiſſis dei & Chriſto. Iſraeliticum autem populum ſatis conſtat coæquatum in amore & electione, & prærogatiuis primogenitorum amori, ut inter cunctas nationes eidem primum familiariter innotuerit, legem dederit, prophetas deſtinarit, & ex eis uoluerit incarnari.

10 Miſerere ciuitati ſanctificationis tuæ Ieruſalem, ciuitati requiei tuæ.

Orat enixius pro bono ſtatu Hieroſolymæ urbis, quæ tunc uarijs impetebatur hoſtium inſultibus, ſcilicet ſub regibus Græcorum. Quæ dicitur ciuitas ſanctificationis, hoc eſt cultus diuini propter templum & ſacerdotium, propter aram & ſanctum ſanctorum, in quo dominus ueluti in talamo quieſcere uidebatur.

11 Reple Sion inenarrabilibus uerbis tuis, & gloria tua populum tuum.

Sion ſignificat templum & cultum unius dei, & eccleſiam fidelium, quam orat repleri ſcientia ſalutari uerborum dei, fide & donis ſancti ſpiritus. Alij codices habent: Virtutibus tuis. Græcus: Oracula tua, quæ dicuntur inenarrabilia, hoc eſt, plurimum reuerenda & myſtica, nec niſi ſancto ſpiritu edocenda uel explicanda. De quibus dicitur ad Romanos undecimo: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius. Quam eccleſiam ſemper ſancti orant inſtrui, & impleri ſcientia ſalutari, uirtutibus quoq; diuinis, quas docet dei uerbum fideles. Et gloria tua repleatur populus tuus, ignoſcant bonitatem & maieſtatem tuam ex beneficijs & admirandis ſignis & prodigijs, unde te ſolum deum credant ac uenerentur, glorificent & adorent, inuocentq; in ueritate. Nec alia maiori gloria Iſraeliticus populus repleri potuiſſet, quàm quod ex eis deus carnem aſſumpſit, & dominus deus eorum factus eſt deus omnium gentium, reiectis omnibus dijs ipſorum: & quod lex domini per Moſen accepta & data, ſuſcepta eſt à toto mundo, omnia autem per Chriſtum & apoſtolorum doctrinam Euangelicam peracta ſunt ad dei gloriam, cum laude & gloria populi Iſrael.

12 Da teſtimonium quia ab initio creaturæ tuæ ſunt, & ſuſcita precationes quas loquuti ſunt in nomine tuo prophetæ priores.

Oſtende

Promissa bona.

Ostende quæso per beneficia tua & miracula potentiæ tuæ & maiestatis tuæ circa nos tuum populum, quod nos & patres nostros ab initio gentium elegeris in peculium tuum, & præ gentibus cunctis tibi familiarem & charam, ad tuum cultum electam, & uocatam ad obseruantiam legis, inito pacto cum patribus nostris, non tantum in monte Oreb, sed longe antea cum Abraham & semine eius. Quem pactū & in Christo confirmauit cum mundo uniuerso, & tota ecclesia fideliū ex Iudæis & gentibus cōgregata, quam & genuit per spiritū sanctum uoluntarie uerbo ueritatis. De quibus Petrus apostolus: Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, &c. Et suscita precationes, &c. hoc est, adimple prophetias & uota prophetarum ueteris testamenti, pro aduentu Christi, & de eius mysterijs iamdudum prædictis. Aliquando enim orando, aliquando simpliciter prædicendo de Christi aduentu locuti sunt Dauid & alij.

13 Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inueniātur, & exaudi orationes seruorum tuorum.

Expectantibus fidelibus tuis adimpletionem promissorum tuorum, da quæso gaudium uisionis earū rerum, quæ credunt futura in tuam gloriam, da illis spei suæ solatium, & mercedem beneficiorum, quæ es pollicitus, ut uidere cum iucunditate liceat non nisi uerissima à prophetis tuis sanctis prædicta esse. Exaudi quoq; uota, hoc est imple desideria sanctorum, Christi aduentum expectantium & desiderantium, & salutem suæ gentis Israeliticæ anxie semper deprecantium.

14 Secundum benedictionē Aaron da populo tuo, & dirige nos in uiam iustitiæ: ut sciant omnes qui habitant terram quia tu es deus conspector sæculorum.

Id autem fac secundum benedictionem Aaron, cui tu præscripsisti formulam benedicendi, & optima quæque imprecandi populo tuo. Numeri 6. ubi locutus est dominus Mosi & Aaron: Sic benedicetis filijs Israel, Benedicat tibi dominus & custodiat te. Ostendat dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat dominus uultum suum ad te, & det tibi pacem. Secundū istam tuam benedicendi formulam oro, nunc quoque benedic populo tuo. Vt dirigas primum nos in uiam iustitiæ, ut iuxta æquissimam tuam legem uiuamus, & tibi placere conemur, ut & cæteræ quoq; gentes ex cuidētia beficiorum tuorum ad nos aduertant, te dominum deum nostrum cognitorem esse omnium rerum & cordium, prouidentia tua gubernantem mundum per omnia sæcula.

15 Omnem escā manducabit uenter, & est cibus cibo melior. Fauces contingūt cibū feræ, & cor insensatum uerba mendacia.

Discretio in uerbis.

Ad aliud institutum progreditur, de discretione seruanda in uerbis ac doctrinis, non minus quàm in cibis, secundum quod dicitur in Iob: Auris uerba dijudicat, & fauces comedentis saporem. Vult ergo dicere: Venter quidem oris officio suscipit ad digerēdum omnē escam, dum est famelicus, & sine discrimine, quamuis unus cibus alio sit melior. Sicut fauces hominis etiam ferarum carnes quālibet parum sanas in delicijs habent: sic mens hominis insipientis, indifferēter amplectitur uerba quæcunq; sine discretione, siue mēdacia sint siue uera. Mens autem sensati hominis iudicat de auditis, dicente Ioanne apostolo: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sint. Periculosa numium est indiscreta credulitas.

16 Cor prauum dabit tristitiam, & homo peritus resistet illi.

Prauis & irrationabilibus uerbis irritantur auditores & contristantur, homo autem sapiens per rationabilia uerba sua consolabitur audientes, & hominem prauum stolidumq; comprimet. Sic Nabal Dauidem & socios irritauit, quos prudentissima Abigail sermonis gratia reconciliauit.

17 Omnem masculum excipiet mulier, & est filia melior filia.

Omnis quidem mulier concipiens optaret generare filium, tanquam natura perfectiorem partum, quod si illi contingere non potest, ut uirilem pariat fœtum, gratū labitur tamen de filia cum salute & incolumitate generata. Quandoquidem & inter filias una alteri gratiosior est, & gaudium ingens infert matri, non enim omnes miseræ sunt & ingratæ filiæ. Cum & ad speciei conseruationem æque necessaria & grata sit ut filius.

18 Species mulieris exhilarat faciem uiri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.

Pulchritudo & gratiositas muliebris faciei oblectat uirum. Nec est efficacius desiderium & magis necessarium ad speciei continuationem, quàm sit desideriū mariti ad uxorem, nec syncerius oblectamentum, quod dominus in naturam constituit, & uoluit honestum & fidele conseruari, data lege matrimonij. Verum non raro uertitur is amor in stultitiam, & dei dilectionem præfertur. Species mulieris.

19 Si est lingua curationis, est & mitigationis & misericordiæ: non est uir illius secundum filios hominum.

Si contigerit mulierem habere linguam prudentem, mansuetam, & salubriter monentem, & austeritatem uirilem nonnunquam mitigare potentem, non mirum est si eximium & nobilem uirum reddat, qui uirtute alijs præstare uiris uideatur. Sicut contra, stulta & procax mulier ad multas uirum pertrahit passiones, ut loquendo et agendo cōmittat plerunq; uel inuitus quæ uirum iustum non decent. Potest enim per mulierem bonam saluari uir malus, ideo subditur: Prudentia mulieris.

20 Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adiutorium secūdum illum est, & columna ut requies.

Qui de speciali dono dei assecutus fuerit uxorem bonam, hoc est benignam corde, modestam eloquio, piam in opere, castam in corpore, is diues fieri illico incipit. Magnus est enim thesaurus bona uxor. Est enim utilis uiro, & adiutorium delectabile in omnibus huius uitæ negotijs, in prosperis & aduersis, secundum mariti uolum Vxor bona.

tatem, de qua & gratulatur semper. Firmamentum illi est in infirmitatibus, & requies in domesticis curis, quas pro maxima parte prudens & concors uxor eleuat & sustinet.

21 Vbi non est sepes, diripietur possessio: & ubi non est mulier, ingemiscet egens.

Vxor sedula. Necessarium est munimentū agris & uineis, ut præcludatur feris & extraneis facultas nocendi, quod ubi defuerit, nullus ex fructibus prouentus redibit post labores. Sic ubi in familia uel domo uiri, prudens & sedula uxor non fuerit, frustraneus deprehendetur omnis labor patrisfamilias. Et sedula curatrix uiri non erit ægroti, et pauperes quoq; ingemiscent pro absentia fœminarum, quæ procliuiores ad eleemosynas, propensiores ad misericordiam sunt, & liberaliores, ut plurimum quàm uiri.

22 Cui credit, qui non habet nidum? Et deflectens ubicunq; obscurauerit, quasi succinctus latro exiliēs de ciuitate in ciuitatē.

Propria domus. Qui proprium habitaculum non habet, sed cogitur trāsire de domo in domum, is nullibi tutus est & animo securus, ideoq; non facile cuiq; confidit, sed omnes habet suspectos, ne magis sua illi quærant, quàm quæ huiusmodi uago tanquam ignoto prosint. Talis qui sic uagus incertis sedibus obambulat, nesciens ubi pernoctaturus, sed ubi eum solis occubitus deprehenderit, ibi cogitur subsistere, eidem quoq; nihil boni uel honoris tribuitur, suspectus est de nequitia & occultis criminibus, ut sunt latrones & fures, qui otiosi uel curiosi circumeunt, ad homines fraudandos, & otiose uitam transigendam, de quibus Prouer. 24. Sicut auis transmigrās de nido suo, sic uir qui relinquit locum suum.

CAPVT XXXVII.

1 OMnis amicus dicet, Et ego amicitiam copulaui: sed est amicus solo nomine amicus.

Amicitia uera & falsa. Nullus haberi uult causa amicitiæ uiolatæ cū suo amico. Reijcit enim uterq; simultatis occasionem in alterum. Læsæ amicitiæ nemo uult reus haberi. Sed institutæ concordiæ & charitatis rationem singuli sibi arrogant. Nemo non fidam suam amicitiam iactat, quod ea sit insigne inter homines bonum. Raro autem syncera inuenitur, sed iactata tantum, & solo nomine, sine fructu & signis legitimis.

2 Nónne tristitia inest usq; ad mortem? Sodalis autem & amicus ad inimicitiam conuertentur.

Perfidia amici indigne perpessa, facit longo & graui mœrore compungi, quod est ob læsam amicitiam usq; ad mortem tristari. Qui socius est mensæ, & amicum se simulat, sodalisq; uocatur, is non diu seruabit amicitiam cum proximo, proprium enim sectatur commodū, quod est uenenum amicitiæ, proditq; fictam amicitiam. Veri autem amici, quia boni sunt & fideles, perpetuo perseuerant amici.

3 O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, & dolositate illius?

Exclamando damnat hypocrisim, quæ mundum uniuersum decipit, & eam nominat dolositatem, præsumptionem autem uocat cogitationem secretam de proximo decipiēdo. Vt sit sensus, uix aliquod malum peius in mundo creatum est, id est contingere solet, quàm simulare amicitiam & hostem præstare, fidem promittere & perfidiā committere. Et cum tanta sit ipsius malitia, nihilo tamen abest. Nunquid fides in mūdo reperietur dum Christus uenturus est?

4 Sodalis amico coniucundabitur in oblectationibus, & in tēpore tribulationis aduersarius erit.

Socius mensæ amicus est fortuna durante, coniucundare nouit, sed non condolere, quin in angustia aufugiet, si non insuper aduersabitur. Quo contra, omni tempore diligit qui amicus est. In prosperis ignoratur, si fortuna diligatur, an persona amici.

5 Sodalis amico condolet causa uentris, & contra hostem accipiet scutum.

Fingit condolentiā, ut interim delicatius reficiatur. Quod si etiam uidcatur facto ostendere se fidelem periculo se exponens contra amici aduersarium, nihil tamen syncere perficiet, qui uentris tantum causa diligit. Qui enim uentris curam tantopere gerit, quomodo uitā pro digeret pro proximo? Verus autē amicus, corde & opere diligit, non tantum uerbo & uentri suo.

6 Non obliuiscaris amici tui in animo tuo, & nō immemor fis illius in operibus tuis.

Veri & fidelis amici memoria semper tibi recens habeatur, ut nullam occasionem obmittas gratificandi eidem. Si uero nouus sit, diligenter attende in illum, considerando illius ad te signa & opera, antequam per omnia illi te credas. Probatio dilectionis est exhibitio operis.

7 Noli cōsolari cum socero tuo, & à zelantibus te abscondi consilium.

Dubium est ualde soceri consilium, ne fortè obsilium tibi placere cupiat magis quàm libere loqui, ne profilia loquatur & moliatur, quam te ardentius amat, cuius fortassis instinctu loquitur. Et ne secretum cōsilij tui prodas insynceris & odientibus te, ne prodant uel impediant, unde Prouerbiorum uicesimoquinto: Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum tuum extraneo ne reueles.

8 Omnis consiliarius prodit consiliū, sed est consiliarius in semetipso.

Nemo est qui non ad gratiam proximi adsert consilium suū de eo requisitus, semper aliquid succurrit quod dicatur: rarum est autem consilium appositum tuis rebus, ut rari admodum sunt fideles amici. Multo frequentius fit, ut consilium suum quisq; dirigat ad proprium commodum, ideoq; diligenter in consultationibus est adspiciendum.

9 A cōsiliario serua animam tuam: prius scito quę sit illius necessitas: & ipse enim in animo suo cogitabit: ne forte mittat sudem

dem in terram, & dicat tibi, Bona est uita tua: & stet econtrario uidere quid tibi eueniat.

Consiliarius maximus.

Obserua caute consiliarium tuum, donec experimento discas multiplici fidelem tibi amicum esse qui dat consilium. Prius scito si pauper sit & consilio suo dando rebus suis prospicere possit. Dubius autem tũc consiliarius tibi erit. Sed et ab exterioribus illius uerbis et factis perpende quæ sit eius intentio, ut secundum illam diffidere possis uel confidere. Fieri enim potest, ut si fidelis non sit, uersutum aliquid in te machinetur, quod est sudem aut palum in terram figere. Et dicat tibi omnia placentia, donec impingentem & cadentem rideat in animo, iuxta illud Prouerbiorũ 26. Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per uiam non bonam, ponitq; subter ipsum insidias.

10 Cum uiro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia, & cum mulie re de his quę æmulatur, cum timido de bel lo, cum negotiatore de traiectione, cũ emptore de uenditione, cũ uiro liuido de gratijs agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de oñi opere, cũ operario annuali de consummatione anni, cum seruo pigro de multa operatione: non attendas his in omni consilio.

Consilium cũ quibus tractandum.

Ex fine huius sententiæ clare docetur, omnia quæ hic dicuntur ironicos intelligẽda. Vt sit sensus: Vide ne conces hominem irreligiosum, is enim consilium dabit pro suo studio sectando, ut ambuletur lata potius uia, quæ mundi est, & secundum carnis oblectamenta minime negligenda. Imprudens est enim, qui religiosus non est, & timens deum. Neq; consilium ineas cum iniusto de iustitia, quid enim aliud iniustus consuleret quàm quod illi placet? nisi contra mentem loquatur, uel seipsum condamnet, aut facto damnet quod suadet. Neq; cum muliere de his quæ æmulatur, hoc est immoderate amat aut odit, secuta passiones suas. Peruertunt autem iudicium amor & odium, maxime in fœminis, quæ pro debilitate rationis facile uincuntur suis passionibus. Nec de bello consultes cum timido, quod plurimũ alioqui abhorret & refugit. Cum negotiatore de traiectione uel commutatione mercium, quorum nullus non uelit plurimum lucrari ex suo, & paucos adesse alios similes merces uẽdentes, quo pluris uenderet sua. Cum emptore de uenditione inutili ter tractabis consilium, scilicet de pretio rei uendendæ. Omnis enim emptor dicit, Malum est, malum est: ubi autem uendere uoluerit laudat & magni æstimat. Omnes enim cupiunt magno uendere, & leui emere. Cum uiro liuido de gratijs agendis non est consilium captandum, nempe de beneficijs gratis præstandis, ei cui non fauet. Nunquam uolet donandum quenquam qui omnibus inuidet, paratus accipere semper, nunquam dare. Cum impio de pietate nihil utiliter tractabis, odit enim quicquid ad pietatem pertinet. Similiter de honestate cum inhonesto. Sed & de omni opere militari & ciuili uel literario non consultabis cum agricola, qui quæ sui tantum sunt studij nouit, rudis ad huiusmodi liberaliora studia. Cum operario conducto ad annum, nihil de eadem occupatione consultes, optaret enim annum quàm citissime finiri, pro stipendij solutione tantum solicitus, contendens annuum laborem existimandum esse, qui in dimidio compleri posset. Cum seruo pigro noli tractare de multa operatione, quandoquidem gaudet magis otio indulgere, et abhorret ab omni opere. De his quidem rebus tractari potest cum talibus, ut mutent sententias, & ad contrarias uirtutes & exercitia se conuertant. Sed non expedit attendere ad illorum consilia.

11 Sed cũ uiro sancto assiduus esto, quemcunq; cognoueris obseruantem timorem dei, cuius anima est secũdum animam tuam: qui cum titubaueris in tenebris, condolebit tibi.

Cõsilia sanctorum.

Consilijs sanctorum & piorum libenter & frequenter utere, societates ipsorum ambias, & morum doctrinarumq; conuersatione emenderis. Ei tuto consilia tua communices & secreta. Cum sancto enim sanctus eris. Eius consilio à malis reuocaberis, & ad bona induceris. Ex familiaritate enim cum huiusmodi emendaberis, cum uideris eum timentem deum, & solicitum ad uitandum omnia peccata. Eidem studeas conformari ex animo, in sanctaq; & uera amicitia copulari, unde proficias in bono. Is si offenderis in aliquo per ignorantiam uel fragilitatem, pro iustitia & prudentia sua tibi poterit consulere, & si minus id succedat, saltem condolere erranti, et non improborum more scandalo posito præcipitare.

12 Et cor boni consilij statue tecum: nõ est enim tibi aliud pluris illo.

Familiaris sanctus.

Virum iustum, prudentem & sanctum fac tibi familiarem, unde opportunum semper & utile sacrumq; suscipies consilium in conscientia & agendis, quandoquidem sapientiam & zelum sanctum apud eundem inuenies. Et non est tibi alius plus illo. Græcus habet: Non est enim tibi fidelior eo. Nemo scilicet est tibi in hoc mundo utilior. Proferet enim tibi, ut fidelis paterfamilias de thesauro suo noua & uetera. Ex uerbo domini fidẽ & charitatem, legẽ & gratiã, idq; cum multo fructu pietatis.

13 Anima uiri sancti enunciat aliquando uera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum,

Sanctorum sententiæ.

Ratio prædictæ sententiæ est, quod hic dicitur: Viri sancti & uerbo dei instructi, cui per omnia credunt & nituntur, per sapientiam uerbi & spiritus sancti instinctum diriguntur supra naturam in consilijs & actibus suis, ut de occultis & arduis saluberrima proferre possint consilia: quod & ecclesia Christi non raro experta est in consilijs generalibus, & magni in orbe principes, qui longe salubriora consilia susceperunt ex pijs, sanctis & secundum mundum simplicibus, q̃ ex doctissimis & eloquentissimis uiris. Plus quàm septem, hoc est quicunque circumspectores oculatissimi sedentes in excelso ad speculandum, hoc est magistri humanæ prudentiæ &

philosophicæ eruditionis. Vnde & Christus dixit: Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudẽtibus, & reuelasti ea paruulis. Et Prouerb. 3. Cum simplicibus sermocinatio eius. De quibus Euangelista Ioannes: Vnctio eius docet uos de omnibus.

14 Et in his omnibus deprecare altissimũ, ut dirigat in ueritate uiam tuam.

Doctor uerus. Doctor ueræ sapientiæ dominus solus est, qui & solus inuocandus pro sapientia impetranda, unde & ante omnia implorandus, ut uiam sanctorum dirigat in ueritatis uiam, hoc est in sanctam conuersationem, qui primus est & principalis director, quem Dauid inuocans, ait: Dirige me in ueritate tua & doce me. Et iustum deduxit dominus per uias rectas, Sapientiæ 10. Et Iacobus: Si quis uestrum indiget sapientia, postulet à deo, qui dat omnibus affluenter.

15 Ante omnia opera uerbũ uerax præcedatte, & ante omnem actũ consiliũ stabile.

Verbum uerax. Verbum uerax, hoc est cogitatio discreta & pura, secundum quam disponitur exterior actio & locutio, Ex abundantia enim cordis os loquitur, ea præcedat omnia opera tua. Verbum autem uerax sacrã scripturam esse non dubium est, secundum quam instituenda est tota conuersatio hominis fidelis. Et ante omnem actum consilium stabile, idem superius dictum est: Sine consilio nihil facias. In hoc autem libro eadem sententia non raro alijs uerbis repetitur, unde & quæ hic dicuntur de amico uero & falso, de consiliario bono ac malo, dicta sunt etiam cap. 6.

16 Verbum nequã immutabit cor: ex quo partes quatuor oriuntur, bonũ & malum, uita & mors, & dominatrix illorum est assi dua lingua.

Fallax consiliũ & erroneum dogma facile mentem pertrahit ad iniqua, unde et quatuor ueluti riuuli procedũt ex fonte, cogitationes bonæ & malæ, uita gratiæ & mors culpæ, desideria praua & iusta, pia & impia. Ideo omni custodia custodiendum est cor, unde procedant bona & mala. Cuius tamen dominatrix & custos est lingua salubris, quæ profert utilia & sancta, similiter & mala colloquia, unde corrũpuntur mores boni. Vnde et Christus Matt. 12. disseruit: Ex uerbis tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis cõdemnaberis. Et in Prouerbijs: Mors & uita in manibus linguæ, qui diligunt eam, comedent fructus eius.

17 Vir peritus multos erudit, & animę suę suauis est.

Eruditio sacra. Qui in sacris scripturis eruditus est, & unctione diuini spiritus imbutus, is studet erudire multos uerbo & exemplo, consilio & auxilio. Labia enim sapientũ disseminabunt scientiam. Animæ quoq; suæ, hoc est sibijpsi uel apud semetipsum hilaris est, quia sana cõscientia exhilaratur semper, & fiducia in deum cui inhæret toto corde, uersaturq; semper in sacris meditationibus, nec quærit cõsolationes carnales in externis, habet enim intra se perpetuas consolationum occasiones.

18 Qui sophistice loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur: nõ est enim illi data à domino gratia: omni enim sapientia defraudatus est.

Ambigua semper loquens, & ad utranq; partem de Verbo fensabilia, odibilis est deo, angelis, hominibus: nihil enim synceri fouet in pectore, non simplex est & solidus. De quibus in Prouer. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & os bilinguæ detestatur. In omni re fraudabitur, maxime fallit & fallitur, seipsum lædit, & infamis esse citur, quod alijs inferre molitur multoties patitur. Etiam si aliquantisper prosperari & procedere uideatur, sed tandem illi totum uertitur in iacturam rerum & famæ.

19 Est sapiens, animæ suæ sapiens: & fructus sensus illius laudabilis.

Iste tandem uere sapiens est & habetur, qui animæ Vera cui suæ propriæ salutem est sapiens, ut domino deo suo ex animo adhæreat, qui sapit quæ sursum sunt, qui bonis consentiens est, plenus fructibus pietatis, unde subiungitur: Et fructus sensus illius laudabilis, hoc est usus et profectus sapientiæ eius multis est utilis, & ad dei gloriam proficiens, quæ enim deo placent mente pertractat, & quod ore docet, operibus contestatur.

20 Vir sapiens plebem suam erudit, & fructus sensus illius fideles sunt.

Nõ est uir uere sapiens otiosus, intelligit sibi nõ solũ sa Sapiens cipiendũ, sed ad ædificationẽ ecclesiæ erudire cupit quas potest, domesticos ad minus uel sibi alioqui cõmissos, maxime si pastor ordinatur ecclesiæ. Plebẽ huiusmodi suam sapiens erudit per auxiliũ & uoluntatẽ dei. Dabo, inquit, uobis pastores iuxta cor meũ, & pascent uos scientia & doctrina, hoc est de pertinentibus ad salutẽ. Et fructus sensus illius fideles sunt, doctrina eius & cõuersatio salubris est, quia fundata in fide, ueritati et rationi soli xa, magnũ quoq; apud deũ et homines præmiũ habitura.

21 Vir sapiẽs implebitur benedictionibus, & uidentes illum laudabunt.

Qui in dño sapiens est, hoc est dei beneplaciti nouit ac amplectitur, is gratiarũ & donorum multorum profectibus à dño exornabitur, ut & diuina contempletur & intelligat, & hominibus prosit, fideliter ad dei cultũ instituẽdo homines, qui illum probi & fideles uiderint, honore & reuerentia laudeq; dignum fatebuntur & hebebunt. Et dominus quoq; de illo loquitur tandem: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

22 Vita uiri in numero dierũ: dies autem Israel innumerabiles sunt.

Vita hominis breuis est, ut idiotismus sit Hebraicus, uiri numeri, id est pauci. Facile possunt dies uitæ hominæ numerari. Quod & Iob dixit: Dies hominis breues sunt, dies annorũ nostrorũ in ipsis LXX. anni. Dies autem fidelium, qui non tam secundum carnem quàm fidelem & Abraham referunt, & de eorum gloria, fide, & benedictione gloriantur, de quibus isti patriarchæ propter fidem & cultum in dominum deum suum nos minus sibi gratulantur & gaudent, quàm de propriis secundũ carnem filijs, qui illis hodie magis dedecori sunt, & ta-

& tædio quàm honori. Iſtius, inquam, Iſraelis dies innumerabiles ſunt, durant enim à conſtitutione mundi uſque ad finem, à primo iuſto ad ultimum. Cum iamdudum ſtatus Iſraelis iuxta carnem ceſſarit, & breuium dierum fieret comparatione fideliũ ex gentibus deum colentium.

23 Sapiens in populo hæreditabit honorẽ, & nomen illius erit uiuens in æternum.

Qui ſapiens eſt & propenſus ad colẽdum deum, ac proximis conſulendum, modis omnibus quibus poteſt, is numirũ honorabitur à plebe & maioribus natu, & prolius, hoc eſt memoria honeſta & laudabilis, manebit tam in triumphante eccleſia, q̃ in militante, iuxta illud: Laudatio eius manet in ſæculum ſæculi. Et in libro ſapientiæ octauo: Habebo propter ſapientiam claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores. Et in memoria æterna erit iuſtus.

24 Fili in uita tua tenta animã tuã: & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem: nõ enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.

Multo ſtudio cura, ut teipſum probe noſcas, examina propriàs paſſiones tuas, & uires reſiſtendi naturæ in declinationibus improbis, ut ſcias quàm animoſus ſis ad perferenda mala propter ueritatem & iuſtitiam, ne aliquid tentes ſupra uires, & in ipſa tentatione deficias. Poſt tentationem Abrahæ de filio ſuo immolando, tunc demum dictum eſt ei: Nunc cognoui quod timeas deum. Saluberrima hæc eſt exhortatio, ut ante omnia homo ſe ipſum cognoſcat. Quod ſi ſe adhuc in uitijs delectari ſenſerit, & procliuem ad concupiſcentias, nec dum mortificatum per ſpiritum, curandum eſt ab obiectis malis reprimatur & caſtigetur caro, iuxta illud Deuteronomij quarto: Cuſtodi teipſum & animã tuam ſolicite. Et Chriſtus: Regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in uitam æternam cuſtodit eam. Non enim omnia omnibus expediunt. Nulli quidem illicita proſunt, ſed nec indifferentia quæ dicuntur. Sunt enim quædam per ſe licita quibuſdam occaſio ad peccandum, quæ & uitanda erunt ſapienti tanquã illicita. Et non omni animæ omne genus placet: afficiuntur quædã delicijs, quædam diuitijs & honore: prodigalitas quibuſdam placet, alijs auaritia, melioritas tanto diligentius quanto periculoſius inclinatur.

25 Noli auidus eſſe in omni epulatione, & nõ te effundas ſuper omnem eſcã: in multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit uſq; ad choleram.

Eadem ſaluator docuit. Attendite ne grauentur corda ueſtra ebrietate. Et Paulus: Carnis curam ne feceritis in deſiderijs. In multis eſcis, quo ad ſpeciem & numerũ, ſuperflua quoq; potatione & eſu, contrahitur infirmitas multiplex corporis & animi. Saturitas diuitis non ſinit illum dormire. Et guloſitas nimiaq; effuſio ad ſuperfluos cibos generat dolorem capitis & ſtomachi, bilem promouet, & choleram mouet, & ad graues inducit morbos, ut ſupra: Vigilia & cholera & tortura uiro infrunito.

26 Propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adiiciet uitam.

Crapula uitam abbreuiat, infirmitates citat, carnis inducit laſciuiã, ineptum ad omnia ſpiritualia relinquit, ſenſum obnubilat. Qui autem abſtinens eſt & ſobrius, prolongabit uitam, ſanitatẽ conſeruabit animæ & corporis, ut Seneca dixerit, plures gula interire q̃ gladio.

CAPVT XXXVIII.

1 Onora medicum propter neceſſitatem: etenim illum creauit altiſſimus.

Ob nobilitatem & neceſſitatem artis medicæ honorandum docet peritum in medicinis: propterea enim uires corporalibus rebus per naturam indidit admirabiles & diuinas, & ad uarias hominum neceſſitates, quin & animalibus reliquis utiles, ut eas uel ex experientia diſcant homines & utantur, exemplo etiam ferarũ, unde ad homines uidetur partim dimanaſſe medicina. Laudabilis eſt igitur ſcientia medicinæ, neceſſaria quoq; apprime utilis & honeſta ex ordinatione diuina. Medicũ altiſſimus creaſſe dicitur, hoc eſt ordinaſſe ad hominum conſolationem. Primo enim hominũ Adæ ſcientiam indidit rerum inquirendarum, ut & nomina eis indiderit, iuxta earum uires & naturas. Medicus honorandus.

2 A deo eſt enim omnis medela, & à rege accipiet donationem.

Tam inſpiratio artis, quàm inſtinctus naturalis quorundam ad experimenta artis medicinæ, ſicut & eius materia, humanum corpus, & quæ ex terra oriuntur & cæteris elementis, ſalubria à domino ſunt omniũ creatore & ordinatore. Digne quoq; tractandi ſunt naturalium rerum ſcrutatores, qui cum multa ſolicitudine & diſcurſuum moleſtia & obſeruatione aſſidua opus habeant, & compoſitioni medicinalium eos intendere neceſſe ſit, ut de familiarum ſuſtentatione curam gerere neceſſariam non poſſint, iuſtum eſt & neceſſarium, ut de communi fiſco ſuſtentetur medicus, qui communitatis uſui expoſitus eſt, & omnibus ſeruiens, & ſubueniens in maximis anguſtijs, & optatiſſimus occurrit, is etiam ab omnibus cum honore & charitate ex debita gratitudine tractetur & foueatur, ut ſufficere poſſit ad labores ſuos, quos quoad uixerit non unquam finire poterit, ſed nouis ſemper indagandis tam morborum cauſis, quàm medicinarum conſilijs intentiſſimus erit. A rege, inquit, donationem accipiet, hoc eſt à rectore plebis in qualibet communitate, ne pauperes ex charitatis numero excludantur, & gratiæ dei non exiſtimentur participes, ſine quibus æque non poteſt durare & cõmode uiuere communitas uel eccleſia, ſicut abſque diuitibus. Quis enim diues felix eſſet, ſi pauperes neceſſarij ad multas operas non adeſſent? Non ſunt ergo nec illi à medicis negligendi. Sunt illis enim filij & filiæ, parentes & pueri, quibus æque nutriendi neceſſarij ſunt pauperes, imò magis quàm diuites ſuis ſuperſtitibus. Generale ergo quum ſit officium, ab eccleſia erit medicus quoque, ſicut & alij Stipendia medicorũ.

ministri alendus, & id cum honore, & nõ contemptim, ne minus alacriter accurrat ad morbosos uel patientes, ubi officium & operas suas negligi uiderit cum mœrore. Nihil hic interest discriminis, si sacrarum rerum doctor sit & prædicator, cum talibus æque & magis competat benefacere exemplo apostolorum & Christi, multorumq; sanctorum. De quo necessario & digne monuit nuper pijssimus & eruditissimus medicus, & ob eruditionem insignem laurea donatus à Cæsare, & à sua gente electus in regem, hoc est consulem, in sua epitome elegantissima Vadianus noster.

Medicus religiosus.

3 Disciplina medici exaltabit caput illius, & in cõspectu magnatorũ collaudabitur.

Medicus ob honestæ & necessariæ artis peritiam digne assequetur fauorem, famam, honorem, & opes, quibus & bene utetur, ad rerum naturalium experimenta persequenda: hoc est autem exaltare caput, esse honoratum & reuerendum cunctis. Et in conspectu magnatorum collaudabitur, erit enim dilectus, familiaris, & acceptus, inter primos peritus & expertus ac fidelis medicus. Ideoq; eidem necessitas imponetur ex hoc maior ad studiosam nauandam operam suæ artis, ne unde prodesse debeat, inde nimium obsit.

Laus medicorum.

4 Altissimus creauit de terra medicinam, & uir prudens non abhorrebit illam.

Ex terra produxit diuina sapientia & bonitas herbas, fructus, gemmas, & infinitam medicinæ materiam, quarum effectibus & uiribus medico utendum, non magicis, geomanticis, astrologicis, & necromanticis medijs quibuscunq;, quæ humani generis hostis excogitauit & docuit. Et uir prudens non abhorrebit illam, id est maxime eam appretiabitur, ceu diuinum beneficium dei, & admirabile miraculum in natura. Nec est præter sacras literas in mundo quicquam, unde sic in dei gloriæ contemplationem assurgere ualeat mens humana, ut ex naturalium rerum intuitu & experientia physica.

Artes utiles.

5 Nõne à ligno indulcata est aqua amara?

Vtiq; ex immissione ligni cuiusdam in aquas nimium amaras, factæ sunt suaues et saluberrimæ, ut legitur Exodi 15. Clamauit enim Moses ad dominum, & ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, uersæ sunt in dulcedinem. Non tantum uirtute ligni, quam potest dominus donare quando placet & auferre, qui istis rebus ut instrumentis sic dum uult utitur, ut sine eis æque omnia agere possit, ut causa omnium prima & altissima sine causis secundis omnibus.

6 Ad agnitionem hominum uirtus illorum, & dedit hominibus scientiam altissimus, honorari in mirabilibus suis.

Peruenit dei gratia, cognitio rerum naturalium & uirtutum herbarum & rerum omnium ad homines, per multiplices experientias rerum, & ex reuelatione quarundam rerum, & naturali instinctu studiosis facto, ut patet de Salomone, qui disseruit per scientiam cœlitus sibi datã, de uirgultis, herbis & speciebus à maximo usq; ad minimum. Et dedit hominibus scientiam altissimus, medicinalem scilicet, ut potentia & sapientia admirabilis dei honoretur ab hominibus, et glorificetur, & timeatur ab omnibus.

7 In his curans mitigabit dolorem, & unguẽtarius faciet pigmenta suauitatis, & unctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera eius.

Per harum creaturarum uires medicus curãdo mitigabit dolorem ægroti, uel omnino expellet & restituet sanitati. Et unguentorũ confector apothecarius compositione artificiosa conficiet pigmenta, unctiones et pharmaca iuxta languoris exigentiam, quam ex arte didicit, & signis ad hoc obseruatis, unde restituetur domino fauente sanitas. Sine cuius uoluntate & gratia nihil agit medicina, nihil ualet curatur, unde & pro uitæ periodo prolonganda nihil unquæcunq; humana opitulatio, quin uel non sinit in tempore adhiberi, uel nõ petitur, uel nihil agit medicina dominõ cooperante, qui omnia agit in omnibus. Et nõ consummabuntur opera eius, imperscrutabilis est ad integrum miraculosa uis naturæ in omnibus. Etiam si non parua ex parte multa perquisita nunc sciantur, sed & non omnino ex naturæ uiribus uel physici peritia & diligentia sanantur infirmi, sed ex uoluntate & potentia dei, omnia etiam minima moderantis.

8 Pax enim dei super faciem terræ.

Salus hominum & sospitas membrorum, & idolorum quies, totum pẽdet è cœlo, & à domino largitur, prout & quando uult, super omnes qui habitant in terra, homines & iumenta. Omnia enim sustentantur, conseruantur, & salua cõsistunt, non alia uirtute quàm dei uoluntate, à qua omnia pendent. Vt omnis essentia & substantia, lubritas, dei solius donum et beneficium agnoscatur, qui per causas quidem secundas agit & creatas, sed ut ipse prima sit & principalis & immediatior in omnibus eorum naturæ actionibus.

9 Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora dominum, & ipse curabit te.

In infirmitatibus etiam grauibus non illico desperandum, non contemnẽda dei munera & beneficia, per quæ curaturas exhibita, non gratis omnia creauit, sed ut eis homines uterentur. Curandũ igitur est de medicina. Sic timen, ut prima fidutia ad dominum feratur, qui pro sanitate unus & solus oretur, nõ aliquis duus tutelaris, uel Veiouis pro errore gentilium, quem Christiani interim supra modum auxerunt, ut nõ fuerit morbus cuiuscunq; etiam membri, qui non habuerit proprium deum & principem, ad quem cucurrerint cum oblationibus & orationibus, numia superstitione. Cum hic doceamur ad dominum solum confugere, qui & solus curare possit & uelit, si tamen expediat: unde & semper addenda conditio, Si fuerit uoluntas tua, & si non obsit gloriæ diuinæ penes homines & saluti animæ, cui nõ raro expedit magis infirmitas membrorum quàm incolumitas.

10 Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.

Præsentissimũ malagma hominibus in omni infirmitate quærendum, & diligenter adaptandum, est tædium trãsactæ in peccatis uitæ, diuertere à malo, quo dominus irritatur,

irritatur, per fidem & orationem ac propositum melioris uitæ conuerti ad dominum. Tunc enim re uera nulla homini nocebit infirmitas, si nulla ei dominetur iniquitas. Dirigere manus, est recta, proba, & domino placita secundum uerbi dei regulam operari. Nec tantum externa indigna bono uiro opera sunt ablegãda, sed cor ipsum ab omni delicto mundandum est, ut per fidem in dominum & pietatem in proximum sanctificemur in Christo, secundum eius doctrinam & gratiam. Domini quidem solius est mundare cor, quod tamen & homini tribuitur, quia sine obedientia hominis & uoluntate non perficitur, quorum tamen utrunq; sine gratia dei non habetur uel suscipitur.

11 Da suauitatem, & memoriã similaginis, & impingua oblationem, & da locum medico: etenim illum dominus creauit: & nõ discedat à te, quia opa eius sunt necessaria.

Sacrificia pro peccatis.

Pro peccatis tuis propitiandis in ecclesia quam scandalizasti, publice quoq; iuxta legem domini sacrificia offeras pro peccatis, suauitatis suffitum, & similaginem conspersam cum uino & pecore, iuxta legem. Et impingua oblationem tuam, hoc est, ostende te multum anxie desiderare reconciliationem & gratiam dei, pro qua impetranda non parcas melioribus quæ habes sacrificandis rebus secundum legem. Quia autem non nisi Hierosolymis sacrificia offerre licebat, & iam totum orbem fere Iudæi incolebant, apparet authorem hunc quoties de reconciliatione dei loquitur per sacrificia, intellexisse nõ tam corporalia quàm spiritualia, ut sunt tædium peccati, & deprecatio eusdem, humilitas & contritio cordis, fergatio utilis, eleemosyna, & humilis confessio, publica si publice deliquissent. Quæ tamen Iudæi etiam hæc legentes corporaliter intelligebant, & à diuersis mundi partibus pro notabilibus peccatis suis sacrificia pecuniaria Hierosolymam mittebant, unde à sacerdotibus sacrificia emebantur, donec templum stetit & ara. Ad quam religionis obseruantiam studebant solicitare etiam deuotos unius dei cultores ex gẽtibus. De quibus multa aliâs. Nec tantum deo te supplicem præbeas ægrotus, sed etiam medico non abhorreas si præsto sit, de quo dictum nunc est, nam & eum ad hoc dominus ordinauit, & medicina illi creauit, ut illum tibi & operas eius adhibeas morbo: nescis enim si prolonganda forsitan sit uitæ tuæ periodus, ut adhuc conualescere possis: quod si id minus fiat, tamen deo obedias & naturæ.

12 Est enim tempus quando in manus illorum incurras: ipsi uero dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum & sanitatem, propter conuersationem illorum.

Medicus non contemnendus.

Non unquam contemnas medici personam uel discipinam uel operas, certissime enim credas te aliquando incursurum morbum, quandoquidem moriturus es, & non uelles subito uel uiolenter perire, ideoq; tempus uenet, quando illius opera indigebis, & cupies alleuiari morbum, & si fieri possit uitam prorogari. Nec unquam cogitet medicus, non esse officij sui orare pro ægroto dominum, ut illi prosit sua opera et medicina, si pius sit: nõ uit enim totum quod geritur pendere ex uoluntate dei, qui se iubet orari, etiam si nolit tunc exaudire: charitatis enim est proximo uelle quod sibi. Ideoq; & Apostolus Iacobus orationem iunxit unctioni, id est medicinæ. Hic est enim simpliciter sensus & certior, ut medicinæ iungatur oratio, & non tam corporis sanitas optetur infirmo, quàm animæ & morum, quum non raro morbi sint propter peccata immissi à domino, ut prædictum est. Orabunt autem omnes qui medendæ infirmitati instant, simul & medicus ipse, ut uel sanetur, si illi prosit, uel si moriturus sit, domino uocante ex hac uita, saltem requiẽ conferat ægroto, ut non nimis doloribus discerpatur & inquietetur, ut attendere possit consolationi, & inter de re orationi ad dominum, ut sic cum requie corporis assequatur requiem æternam animæ in sorte beatorum, in sæculo animarum, donec redeat in corpus resuscitandum ultimo die ad iudicium generale. Quod additur: Propter conuersationem illorum, nempe infirmorum, quorũ conuersatio talis est in hoc mundo, ut sine oratione & confessione tam fidei quàm peccatorum nullus decedere debeat, ideoq; in fine uitæ monendi sunt à sacerdotibus & alijs pijs & prudentibus hominibus, ut inquietæ conscientiæ per fidem in Christum & merita eius ac iustitiam, quæ nobis quoq; credentibus sufficiat, gratiam dei imploret, utæ suæ insolentias plangat, & dei clementiam deprecetur. Nihil hic de meritis dicitur sacerdotum & monachorum, uel Nonnarũ, quos, ut hactenus fuerunt, præstiterit procul abesse, audiri autem orationem dominicã, symboli confessionem, & Christi solius merita, quibus saluantur omnes qui electi sunt, circa moriturum necesse est. Multitudine autem clamorum minime obturbandum cerebrum moribundi, alioqui satis nonnunquam tumultuosi, nisi ubi id flagitet ægrotus, & id fiat cum ædificatione præsentium, qui iam tunc ibi discant quomodo ipsis quoq; propediem sit moriendum.

Infirmo orandum.

Confessio.

13 Qui delinquit in conspectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici.

Exponunt hæc omnia de prælato & confessore medico animarum. Simplex mihi per omnia sensus uidetur, de medico corporum, de quo hoc capite loquitur. Et hoc sentire uidetur: Si quis medici officium & beneficium inuitus sustinere uelit, hoc est, optet corporalibus morbis carere, quibus non raro, licet non semper, dominum peccatis suis irritantes puniuntur, is infirmitatũ causas, peccata in dominum, quæ pertinaciter & ex contemptu fiunt, multa diligentia caueat & obmittat.

14 Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum iudicium contege corpus illius, & nõ despicias sepulturam illius.

Condolendum afflictis.

Ex charitate mutua inter homines & fideli amicitia, quam dominus exigit & læsam ulciscitur, seruatam autem remunerat & collaudat, procedit, & ut debitum ob seruanda præcipitur charitas etiam ad defunctos, nempe ut moderate & ex pietate et humanitate deploretur defunctus amicus & proximus, iuxta naturæ & moris

leges, ne quis de alterius morte gaudens, ostendatur uiuum odisse contra dei uoluntatem, qui charitatem mandat ad proximos, ideoq; separationem ab amico irreuocabilem lugere, deo non displicet, syncero & non hypocritico apparatu si fiat, non secus turbandus quàm si dira quædam passus esses. Sic autem plorare incipias ut cessare possis, & non inconsolabiliter, mortuus est enim tantum secundum corpus, anima autem immortalis in sæculum transfertur fidelium animarum. Corpus igitur iuxta morem & pietatem, prout decet humo contegas, ultimo obsequio pietatis. Nec despicias eatenus demortui corpus, ut insepultum iacere sinas uel ab auibus lacerari aut feris humanũ corpus: hoc enim domino displicet, & charitati non quadrat, quod nemo nõ sibi deferri peroptat. Et Tobias perquàm religiose fecisse collaudatur à domino. De sacrificijs uel intercessione nihil uspiam dicitur, nisi in institutis monachorum.

Quomodo flendum.

15 Propter delaturam autem amare fer luctum illius uno die, & cõsolare propter tristitiam, & fac luctum secundũ meritũ eius uno die uel duob⁹ propter detractionem.

Exequiæ.

Ne existimeris gaudere de morte proximi, & ut inimicus illius deferri te contingat, & non immerito uiuorum incidere odium, aliquandiu pro more cæterorum habitum lugentis præfer. Sed non nimis uel incõsolabiliter quempiam lamenteris, sciens & cogitans ineuitabile incommodum, uel potius maximum bonum in hoc mundo hominibus præstitum, uitam mutare in melius, & miserias huius uitæ tandem euadere. Sed & secundũ personæ meritum licebit magis uel minus plangere subtractum amicum, & iuxta naturæ ordinem, quem mutare non possumus, ut diebus primis lugeamus acerbius, & iuxta lapsum temporis patiamur nos consolari. Quod si minus ex corde doleamus propter causam hæreditatis uel odij, idipsum tamen præstat dissimulare, ne detractionem incidas, & inimicitiæ notam inhonestam.

16 A tristitia enĩ festinat mors, & cooperit uirtutem, & tristitia cordis flectit ceruicẽ.

Immoderata tristitia uitanda est, multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa: spiritus enim tristis exiccat ossa, roburq; naturæ remittit, uirtutes quoq; animi extenuat, & earum impedit actiones. Sed & ceruicem cordis flectit tristitia, collum deprimit & incuruat.

17 In abductione permanet tristitia: & substantia inopis secundum cor eius.

Certius hic nihil occurrit quàm quod Lyranus tradit, abductione hominis à bono, uel inductione secundũ Græcum in malum, permanere tristitiam, quæ non tantum, ut dictum est, corpori nocet, sed etiam animæ, quam inducit ad desperationem, & ad omne opus uirtuosum reddit ineptum & acediosum. Hæc autem tristitia etiam si diuiti incidat, facit eum pauperem & infelicem. Quid enim iuuant omnes diuitiæ, si amaro & deiecto animo retineantur? Sicut contra, satis ampla possessione ditatus est, quantumlibet rebus pauper & tenuis, si hilari corde habitis uel modicis contentus sit, si sit animo quietus & alacer, modicis alacri animo perfruatur. Ingẽs igitur malum tristitiæ est, quæ diuitem reddit egenum, & pauperem facit duplo infelicem.

18 Ne dederis in tristitia cor tuũ, sed repelle eam à te: & memento nouissimorum, & noli obliuisci: neq; enim est conuersio, & huic nihil proderis, & teipsum pessimabis.

Ad idem loquitur de tristitia repellenda in uita humana, ob præsentes aduersitates, quibus conditio humana carere non potest. Hortatur tamen ad salubrem illam tristitiam, quæ à peccato abstrahit, dum mortalis conditio contemplata, & finis hominis, iudicium dei iustum, & mors horrenda, humilitas quoq; maxima cum horrore infernali cogitatur, ut mens humana peccare formidet, & extremo iudici summoq; suo conditori probari in omni opere, uerbo & cogitatione studet: ex morte enim & iudicio extremo nulla datur reuersio, ubi tunc lignũ ceciderit, ibi manebit semper, nec etiam ex mortuis resurrexit unquam, qui non postea denuo mori coactus est, & non redire. Huiusmodi mortalitatis memoria, & eorum quæ post mortem homini impendunt optima et pessima, sæpius ruminata, impediunt à peccato, & inducunt salubrem tristitiam, mixtam scilicet fide in dominum bonitatẽ, & proximo quoq; faciunt condolere & non superbire. Et infert sententiam pro reprimenda nimia tristitia propter defunctum amicum, dicens: Etiam si multum ingemueris, & teipsum macie & morte afficias, illi iam uita functo nihil proderis, & tibijpsi inferes doloris & tristitiæ inutilis nocumenta, quibus possès consulere, æquanimiter ferendo quod impedire non potes.

19 Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.

In persona mortui dicitur: Tu qui ita inconsolabiliter plangis mortem meam, repone potius in tuam memoriam, simile propediem tibi quoq; usui futurum, nam tu quoq; euocaberis ex hoc mundo per mortem, secundum diuinæ uoluntatis ordinem: mihi heri mors contigit, tibi hodie est expectanda, hoc est, post breue tempus. Ideo quicquid potest manus tua instanter operare dum tempus est tibi, quod iam nunc mihi ademptum est, ut negligatur recuperare non possim.

20 In requie mortui requiescere fac memoriã eius, & cõsolare illũ in exitu spiritus sui.

Sine memoriam demortui quiescere in suo memoriali, non deleas uel destruas, si quid honestum & utile in sui memoriam ordinauit apud suos, hoc enim est contra charitatem, nemo enim id sibi fieri uellet: nisi nimis id ambitiosum & uiuentibus damnosum statuisset. Quod multis modis factum nuper est, & fit pro memoria illorum, qui indigni sunt bonorum memoria, qui multifariam hominibus per omnem uitam negotium facientes, & hostes humani generis, tandem mortui celebrari uolunt, cum tædio uiuorum & impedimento publicæ utilitatis ab hominibus sumptuosa extruentes memoracula. Alioqui pium & rationabile est, licet non necessarium, sepulturæ locum maioribus conseruari à iunioribus, sed sine fastu & impedimento uiuorum: quod etiam apud gentiles ne fieret olim constitutum est. Quod autem additur: Cõsolare illum

illum in exitu spiritus sui. Græcus legit: Consolare te in illo in exitu spiritus sui. Vtrunq; bono sensu, ut & ille consoletur de uita quam amittit corporea, & miseriarum plena, per uitam immortalem animæ quam in sæculo animarum sanctarum ingrediatur per mortem, pro eius consolatione. Vel, ut ex necessitate mortis suæ, quã nemo effugere potest, & quam tu quoq; propediem obiturus es, te recolligendo comprimas, ne immodeste contristeris prore irrecuperabili, sed emenderis.

21 Sapientiam scribe in tempore uacuitatis: & qui minoratur actu, sapientiam percipiet: quia sapientia replebitur.

Dum uacat tibi à negotijs charitatis, quæ dominus mandauit ad præsentes, & ad tua opera indigentes, quæ necessario tibi agenda sunt iuxta legem dei & charitatis, tunc si potes etiam post te futuris & absentibus prodesse studeas, libros conscribendo utiles, & ueram sapientiam continentes. Quandoquidem ut nihil in mundo utilius est libris ueris & bonis, quibus & uoluntas dei, & artes ingeniaq; hominum ad communem utilitatẽ in hoc mundo, ueluti in uiuo exemplari, & rerum omnium bonarum magistro immortali, continẽtur: sic etiam nihil fructuosius ages, quàm multiplicare tales, ad posterorum & absentium consolationem, ne quando necessariæ artes, & utiles historiæ rerum naturalium & humanorum actuum intercidant, & tantus mundi prouentus pereat. De quorum scriptorum laudibus Gerson Parisiensis libruin ædidit, longe laudabiliora dicturus pro librorum fidelibus impressoribus, quos nostra ætas accepit maximũ dei donum à domino, per quos mundo tanta sapientia et eruditio tam sacra quàm sæcularis inclaruit, ut ea sola uideatur sufficere posse ad totum orbem tandem concilandum, in religione & charitate, per donum linguarũ, quod his nostris temporibus per artem chalcographicã sic copiose & apte traditur, ut omnium linguæ nationum sine præceptoribus in qualibet orbis parte disci possint quàm commodissime, & conscribi tanto fructu, ut nulla natio non possit clarissime colloqui alteri cuicũq;. Id uero unice nunc curandum moderatoribus orbis & gentium, ut non nisi utilia, uera & consona fidei & charitati passim imprimantur, & non tam quæstus bibliopolarum, quàm fructus populorum attenderetur, & gloria dei, cum salute animarum, & publica pace. Sequitur: Et qui minoratur actu, sapientiam percipiet. Qui non se nimium occupat in sæcularibus negotijs, pro diuitijs et honoribus assequendis, nec delicijs indulget corporeis, quæ mentem hominis uehementer distrahunt, is idoneus erit ad sapientiam ueram percipiendam, & si ad hoc gratiam acceperit etiam conscribendam. Sapientia enim replebitur, qui illam à domino postulauerit, eam humiliter consequetur, non ad fastum utetur uel iactantiam, sed ad dei solius gloriam proximorumq; salutem fideliter agẽs, & necessaria charitatis officia non obmittens.

22 Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, stimulo boues agitat, & conuersatur in operibus eorum, & enarratio eius in filijs taurorum.

Post sapientiæ descriptores & doctores, sanctus quoque spiritus per sacrum authorem commendat primo loco agricolas, qui terram colunt, iuxta domini creatoris primum decretum, hominibus datum post peccatum. Nullum enim artificium simplicius, utilius et sacratius quàm agricultura, cuius studiosi nobilissimi habiti sunt apud priscos, cum optime haberet respublica sapientum etiam Romanorum. De quo lege Plinium, si tibi hæc sacra non sufficiunt, ubi studium rusticorum commendatur. Agricola, inquit, aratrum tenet & dirigit, stiuam manibus apprehendens, & iaculo uel telo boues stimulans propinquiores, reliquos iaculo, omnes autem sibilo & cantilenis deliniens ut procedant, cum quibus progreditur ipse quoq;, & non cessat operari solicitus, ut omnia scite agantur & utiliter. Narratio eius in filijs taurorum, hoc est, omne suum studium & colloquium est cum familiaribus suis de iumentorum suorum numero, ualore, fructu, uiribus, labore & prouentu: quæ singula proprijs nouit nominare uocabulis, in quibus deliciatur uir iustus, et reipublicæ utilis, in laboribus exercitatus, ad bonum publicum & priuatum, domi sapientissimus terræ cultor, foris miles laboriosus & fortis, aptus ad ardua obeunda, siue aliquid operandũ sit siue patiendum uel tolerandũ. Agricolarũ laus bonorum.

23 Cor suum dabit ad uersandos sulcos, & uigilia eius in sagina uaccarum.

Studium omne pacis tempore collocat in uersandis sulcis in tempore, glebis scilicet terræ, ad excipiendum semina, sub diuo interdiu, domi autem & noctu uel tempestatum tempore. Peruigil est & diligens ad bene nutriendum boues arantes aut uaccas, utroq; enim nomine nominantur, ut fortius instent euoluendis agris & excolendis segetibus, tandem pro regionum more triturandis: multa sunt enim honestissima & reipublicæ maxime necessaria opera agricolarum, qui olim uel soli uel inter primos nobiles habebantur & magnifiebant.

24 Sic omnis faber & architectus, qui noctẽ tanquam diem tranfigit, qui sculpit signaculo sculptilia, & assiduitas eius uariat picturam: cor suum dabit in similitudinẽ picturæ, & uigilia sua perficit opus.

Alterum operarum genus nobile & laboriosum semper & honorabile & aptum militiæ & domi, fabrorum est & architectorum, qui ædificia hominibus præparant ad tranquillam habitationem, ex diuersis materijs lignorum & lapidum, isti noctem expendunt cogitationibus operum suorum, ut omnia apte concinnare possint, non sine multa arte sculpendi, non imagines diuorum, sed ligna & lapides, ad legitimam iuncturam & elegantiam aptam habitaculis domorum. Et etiam picturas addit, pro oblectamento inhabitantium, multa arte & pulchra proportione, omnia ad utilitatem & iucunditatem hominũ: quæ non nisi assiduitate homines discunt, & excogitant semper elegantiora & aptiora usibus hominum. Maxime uero noctu de talibus cogitant, & in quieta mente à distractionibus. Quod dicit cor dare, hoc est, cogitando incumbere noctu, quod interdiu expediat. Fabrorum cõmẽdatio.

25 Sic faber ferrarius sedens iuxta incudẽ,

& considerans opus ferri. Vapor ignis uret carnes eius, & in calore fornacis concertatur. Vox mallei innouat aurem eius, & contra similitudinem uasis oculus eius.

Hactenus de fabro lignario & lapicida, nunc de ferrario, qui moratur apud incudem, quod Hebræis sedere est, ut igne mollitum ferrum formet & diducat ad placitum, artificiose considerans naturam ferri, & formã rei conficiendæ: unde & ex ignis & carbonum uicinia carnis suæ superficies aduritur & decoloratur: cõtinuo certamine ignis, ferrum, mallei & incus manu artificis concertantur, donec opus absoluatur institutum. Vox quoq; mallei & exufflatio uollium & aeris, auditum iugiter infestant & obtundunt multa uiolentia & concussione, oculosq; sine intermissione dirigit in ferrum parabile, & exemplar eius rei quod arte sua exprimere nititur.

26 Cor suum dabit in consummationẽ operum, & uigilia sua ornabit imperfectionẽ.

Tota diligentia intendet suo operi, ut inde lucrũ suum consequatur & mercedem operæ, perq; uigilantiam & mentis industriam supplere studebit, quicquid in opere imperfectionis aspexerit. Omnis autem harum rerum et operũ tractatio, sapientia humana à domino donata conficitur, & naturæ beneficio ad commodum humani conuictus utiliter ordinatur.

27 Sic figulus sedens ad opus suum, cõuertens pedibus suis rotã, qui in solicitudine positus est semper propter opus suum, & innumera est omnis operatio eius.

Figulorum opera.

Consequenter de figulo tractat, honesto & necessario artificio, quod prosequitur non tantum oculis & manibus, ingenio & arte, sed etiam pedibus excogitauit rotæ uolubilitatem ad tornandum ex luto uasculum pro arbitrio suo in uarias formas, multa solicitudine intendens, ne impediatur opus, uel iam formatum denuo dissipetur, unde & multiplex ualde est operatio eius, id est, uasorum differentia, & formarum uarietas in quantitate, colore & figura.

28 In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curuabit uirtutem suam. Cor suum dabit ut cõsummet linitionem, & uigilia sua mundabit fornacem.

Multo labore & robore brachiorum & tibiarum, ante omnia macerat lutum suum, ut disponatur ad opus, & robustum corpus suum inclinabit ad faciendum quod instituit opus necessarium & utile manu & rota, quam pedibus uertit, & manu sua linitionem absoluit, præparatq; ad arefactionem, ut tandẽ ex fornace absoluatur in usum legitimum. Quem quoq; furnum diligenter à cineribus purgat & lapillis, ne quid extraneum insertum luto igne examinatum rumpatur & fiat inutile.

29 Omnes hi in manibus suis sperauerũt, & unusquisq; in arte sua sapiens est: sine his omnibus non ædificatur ciuitas.

Artifices necessarij.

Non aliter sperant huiusmodi artifices in manibus, quàm quod sperant labore manuum uictus sui necessaria procurare sibi & familiæ, exercitijs nimirum mœchanicis, sine quibus respublica cõmode subsistere non potest, iuxta regionum conditiones & hominum, similiter & temporum. Etenim secundum tempus semper noua inter homines utilia excogitantur, & de gente transferuntur ad gentem, ad ædificationem & consistentiam urbium, necessaria habitatoribus & operibus agricolarum.

30 Et non inhabitabũt, nec inambulabũt, & in ecclesiam non tranfilient.

Nec tantum non conseruatur ciuitas sine istis, sed nec quæcunq; hominum congregatio carere potest huiusmodi artificibus, quorũ opera hominibus necessaria est. Nec tamen isti artifices utcunq; utiles & necessarij communitati apti sunt ad regendum ecclesiam, qui omnem atq; tem suam contriuerunt in artificio suo, nocte & die de eo cogitare coguntur, familiam nutrire & seruos, quorũ opera artem prosequuntur suam, ut non uacet illis deru bus magnis, diuinis, liberalibus disciplinis, & speculationibus cogitare diligẽtius, unde & ad officia publica communitatis non assumuntur.

31 Super sellam iudicis non sedebunt, & testamentum iudicij nõ intelligent, neq; patefacient disciplinam & iudicium, & in parabolis non inuenientur.

Non sunt isti artifices & agricolæ apti ad iudicia discernenda in senatibus urbium, cum non sint legum publicarũ periti uel exercitati in ciuilibus causis, non possunt abesse suis officinis uel agris, unde se nutrire cogantur, & de quibus semper cogitant, ut non illis integrum sit ac publicis negotijs sese intromittere. Testamentum quoq; iudicij, hoc est legumlationes, secundum quas sunt dirimenda iudicia, de pœnis scilicet infligendis iniquis, & præmijs adsignandis dignis, iudicare non possunt, quonim intelligunt, neq; docere possunt ea quæ concernũt iudicia iusta, nec discere, alijs occupati. Parabolarũ quæque scientia & explicatio ab istis non est petenda, sed à doctis & iurisperitis, à multarum rerum expertis, ab instructis liberalibus disciplinis, ex libris hominum peritorum, & ex multa rerum experientia, cum singuli horum circa singula occupentur, non omnia.

32 sed creaturam æui confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis accommodantes animas suas, & conquirentes in lege altissimi.

Quæ autem hoc in sæculo necessaria sunt, corporalia scilicet & artificialia, sine quibus homines cohabitare non possunt, nihil cogitant isti artifices. Et omnis eorũ deprecatio, studium, intentio & cogitatus est circa operationes artis suæ, in quibus toti sunt, ut de alijs sese non occupent. Accommodantes animas suas, hoc est, seipsos ad operationes asuetas, quibus omnem suam operam tribuant, nihil aliud scire cupientes præter ista, præter solum timorem domini, qui illos condidit, per quem uiuunt & operantur. Eidem soli altissimo si placere possunt, & legem eius obseruare, quæ breuiter descripta est in decalogo, à qua nemo excipitur, siue iudex siue agricola, ac artificio manuum suarum proximis adiumento esse, et sese sustentare in uita cõmode cum suis, abunde sibi sufficere credunt.

credunt, ut tranquille uiuant in hoc mundo. Græcus hic legit: Possessionem sæculi firmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, præter dantem animam suam & cogitantem in lege altissimi. Vt uideatur elici posse hæc sententia: isti homines cogitant tantum de firmanda sua possessione pro se & hæredibus, & omni studio incumbunt artificio suo, de reliquis nihil cogitant, quàm ut probentur ei à quo habent animam suam, domino deo suo: deinde curam quoq; habent eorum à quo instituuntur in lege domini dei sui.

CAPVT XXXIX.

1 SApientiam omnium antiquorũ exquiret sapiens, & in prophetis uacabit.

Sapientia inquirenda

Nemo tam sapiens est, qui non cupiat sapientior fieri, & semper putat modicum se assecutum, multoq; se plura ignorare fatebitur quàm didicerit, donec etiam sepulchro sit proximus. Vna autem uia acquirendi sapientiam est, exquirere quid prisci patres sapientes habiti in mundo olim sciuerint, scripserint & docuerint, tam gentiles quàm fideles, quorum sapientiores & antiquiores non leguntur, quàm patriarchæ sancti, Abraam, Isaac & Iacob, Moses & Salomon, Samuel & Dauid, quorum scripta supersunt & dicta, ex quibus sapientia uera discitur. Et in prophetis, qui legem domini declararunt, & omnia scitu necessaria docuerunt, uacandum est: qui non suo, hoc est humano, sed diuino spiritu scripserunt sacrosanctam domini dei uoluntatem. Quam & gentilium fuerint uates ac Sibyllæ, rerum naturalium scrutatores, & actuũ humanorũ historiographi.

2 Narrationẽ uirorum nominatorũ conseruabit, & in uersutias parabolarũ simul introibit.

Famati in eruditione & sapientia plerunq; loquuntur sapientissima, quæ à discipulis excipiũtur in scriptis, ex talibus collectæ sunt disciplinæ moralesq; libri, qualis & hic est, collectaneus nimirum narrationum uirorũ nominatorum, quæ memoriter conseruandæ sunt. Versutias autem nominat, mentis ratiocinationes & uersaturas, acumina & subtilitates obscurarum locutionum, ueteres enim sapientiam suam ut plurimum parabolicis obtexerunt uerbis, ut & tenacius imprimerentur memoriæ, & non passim, sed à studiosis tantum cognoscerentur. Introibit, inquit, hoc est tantopere scrutabitur, ut ad eius certam penetret cognitionem. Nihil enim iuuat parabolas scire sine earum reconditiore & uero sensu.

3 Occulta prouerbiorũ exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur.

Idem fermè eloquitur alijs uerbis. Exponunt de mysticis sensibus, allegorico, tropologico ac anagogico, quibus tamen caute insistendum, nec nimis emungendum, ne friuola pro certis tradantur, more nostrorum maiorum, qui quicquid comminisci potuerunt iuxta literam, hoc pro mysterijs obtruserunt, quasi omnia tradantur omnibus in locis. Curandum potius, ne doctrinis uarijs & peregrinis abducamur.

4 In medio magnatorum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit.

Eruditus in sapientia maiorum, multarũq; rerum peritus ac simul timens deum, & in agendis fidelis, is magnatis, hoc est, regibus & principibus gratus erit, idoneus ad functiones insignes, quibus gubernantur nationes & regna. Et in conspectu præsidis, hoc est præsidum, numerum accipiendo pro numero, apparebit cum laude ac honore, dignus enim habebitur præsentia principum & regum, secundum illud Sapientiæ: Acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentum admirabilis ero, &c.

5 In terram alienigenarũ gentiũ pertransiet: bona enim, & mala in omnib⁹ tẽtabit.

Sapientia de remotis.

Sapientiam amplissimam ambientes, non obmiserunt pro audiendis & uidendis celebratissimis uiris, alienigenarum gentium terras petere, ut de Solone dicitur, è Græcia intrasse eum Aegyptum. Regina Saba ab Aethiopia Hierosolymã uenit, Salomonis audiendi gratia. Et de Platone Hieronymus scribit, & de Pythagora, terras remotissimas pro doctis audiendis migrasse eos. Et idem diuus Hieronymus è Dalmatia Romam, hinc Treuerim & Gallias cum Germania pertransita, Constantinopolim uenit, inde Alexandriam Aegypti, deinde Hierosolymam, totum uidendorum & audiendorum magnorum uirorum gratia, & in uera semper sapientia proficiendi. Bonam enim & malam doctrinam, læta et tristia in omnibus tentabit: errores enim & uitia scire malum non est. Omnia, ait Apostolus, probate, quod bonum est tenete.

6 Cor suum tradet ad uigilandum diluculo ad dominum qui fecit illum, & in cõspectu altissimi deprecabitur.

Sapientiæ sitis.

Qui ueram sapientiam desiderat & assequitur, is nõ desinet proficere, sed quanto magis de ea gustauerit, & ederit, tanto magis esuriet: eam autem non tantum assidua lectione assequetur, sed & oratione deuota & humili, pro quibus diluculo uigilabit, de mane consurgens illã postulabit à domino deo suo & creatore. Et in cõspectu altissimi pro illa assequenda deprecabitur. Non diuam Catharinam, uel Annam, & reliquos quoscunq; diuos, quos olim religiose nobis patronos eruditionis assequendæ elegeramus, sic misere seducti à seductis.

7 Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.

Non tantum corde & uoto, sed ea deuotione mentis non sibi temperat ab orando uocaliter, unde & affectus feruentius incitatur. Cum sit enim oratio ascẽsus mentis ad deum, naturali ordine præcedit uocalem orationem. Vnde & dicit: In oratione aperiet os suum, non nisi ad altissimum, qui solum omnia nouit, & cordium est scrutator, nulla pura qualiscunq; creatura. Quanto autem sapientior euaserit, tanto imperfectum suum clarius agnoscit, cuius remedium penes nullũ quærit uel sperat quàm apud deum, quem sine intermissione deprecabitur pro suis delictis ut sibi remittantur, sciens in maliuolam animam non introire sapientiam.

8 Si enim dominus magnus uoluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ,

& in oratione confitebitur domino.

Sapientiæ fructus ex deo.

Non pendet ex ſtudioſorum uotis, ſtudijs, & lectionibus ſapientiæ fructus, ſed ex dei gratia, qua per ſpiritũ illabitur donum ſapientiæ, intellectus & ſcientiæ: uult autẽ dominus exaudire cum humiliter oratur, quod ſine dei inſtinctu non contingit. Replebit autem quem uoluerit, hoc eſt, iuxta menſuram donationis inſpirabit, ſed tamen amplam. Et inſigniter illuſtrabit cœlitus ſibi donata ſapientia, & copioſe erudiet, ueluti riuos ſapientiæ influẽs fratribus ſuis, ut multos poſt ſe diſcipulos relinquat. Cuiuſmodi tamen opus non proprijs uiribus, ſed diuino muneri adſcribet, dominũ collaudando, & ſeſe humiliter accuſando, iuxta illud: Laudans inuocabo dominum. Et alibi: Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, &c.

9 Et ipſe diriget conſilium eius, & diſcipli nam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur.

Dominus ipſe quem inuocat ſapiens doctor ille & exorat, diriget conſilium eius, ut nihil inſipienter aggrediatur, nec infeliciter proſequatur: & diſciplinam eius ſic proſperabit, ut non fruſtra multos docuerit, & ſine fructu imbrem eloquiorum non effuderit, ſed cum multo prouentu ſapientiæ. Largietur quoq; cõſilium in dubijs, incertis ac arduis, iuxta illud Danielis: Ipſe reuelat abſcondita & profunda.

10 Ipſe palàm faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamenti domini gloriabit.

Vere ſapiens à domino edoctus, alios quoq; plane docebit ſcientiam à domino ſibi conceſſam, uerbis ſimplicibus & claris, eiſdem ſiquidem uerbis quibus edoctus eſt. Nec in alia quacunq; doctrina humana gloriabitur, etiã ſi eas nõ negligat uel contemnat, ſed undiq; gentium diſcurrendo inquirat, ſed in lege uel teſtamento tantum domini gloriabitur, tanquam quæ ſola certa ſit & ſalubris, pertinens ad ſalutem animæ, & ad gloriam dei.

11 Collaudabunt multi ſapientiam eius, et uſq; in ſæculum non delebitur.

Quotquot eiuſdem de lege domini ſapientiam ex illo audierint, omnes collaudabunt eam, agnoſcentes ueritatẽ & ſoliditatem eius. Et uſq; in ſæculũ non delebitur ſapientia iſta, nec in corde eius qui docuit, nec diſcipulorum eius quos inſtruxit, ſed & ex libro uitæ apud deum non unquam delebitur. Sapientia autẽ humana admixtas habens plurimas falſitates & dubia, ſicut et humanæ traditiones oẽs, cum tẽpore & hominibus mutantur, et tandẽ falſæ deprehendũtur, quæ fuerant exiſtimatæ uerißimæ.

12 Non recedet memoria eius, & nomẽ eius requiretur à generatione in generationẽ.

Fama ueritatis & iuſtitiæ de ſapiente illo & ſancto uiro minime apud deum & homines labefactabitur, ſed florebit ut lilium, etiam poſt mortem in diſcipulis, libris, uel doctrina. Memoria enim iuſti cum laudibus. Inde in libro Sapientiæ dicitur: Habebo per hanc immortalitatẽ, & memoriam æternam his qui poſt me futuri ſunt relinquam. Et nomen eius requiretur à generatione in generationem. Id ſatis liquido conſtat de ſanctis prophetis & apoſtolis, epiſcopis quoq; & alijs, qui in lege domini ſedulo laborarunt: quos dominus non tantum in cœleſtibus, ſed & ſuper terram celebri & claro nomine tanto magis exornat, quanto id minus optauerunt, ſed diuinam ſolius gloriam, & ſalutem electorum intenderunt.

13 Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enunciabit eccleſia.

Multæ gentes enarrant laudem & beneficia eorum, à quibus dei uerbum didicerunt, apoſtolorum ſcilicet & ſanctorum doctorum, quorum non delebitur memoria apud deum, quicquid de hominibus fiat. Etiamſi Hipponenſes ciues hodie Auguſtini nomẽ ignorent, & Alexandrini Athanaſium, non tamen propterea non clarum habetur utriuſq; nomen, in doctrinis quoq; meritis: ſicut et aliorum, quorum extant piißima ſcripta, & ſolidiſſima dogmata catholica. Et laudem eius annunciabit eccleſia, non ut eum pro diuo colendum ſuſcipiat, ſed gloriam dei in illo concelebret, & exemplum doctrinæ & uitæ propoſtituat hominibus æmulandum. Hæc enim, & non alia, eccleſiæ intentio olim fuit, cum confeſſorum & martyrum doctorumq; celebrium memorias inſtituit ſeruandas quotannis, unde tandem prodijt quæſtuoſorum clericorum ſtudio, cultus, inuocatio, & miraculorum fictio.

14 Si permanſerit nomen eius, derelinquet plus q̃ mille: & ſi requieuerit, proderit illi.

Si in uita ſua diu permanſerit uir ſanctus, ſapiens & doctor, multos poſt ſe relinquet idoneos ſucceſſores, eccleſiæ informatores, in quibus nomẽ eius celebrabitur. Si uero citius ex hac uita migrauerit, & ſine multis diſcipulis, ſancta tamen uoluntas & intentio proderit ei in uitam & beatitudinem æternam.

15 Adhuc conſiliabor, ut enarrem: ut furore enim repletus ſum.

Prologus in ſequens canticum hic inchoare uidetur, ſi tamen non & ipſum pertineat ad cantici ſubſtantiam, ueluti quoddam exordiũ. Poſthac, inquit, & præter iam dicta, meditationem quandam inſtituam & carmen, de dei erga genus humanum beneficijs, & admirandis operibus, unde illi gratiam & laudem repẽdere obligamur, unde & nos & qui audiunt ædificentur. Sic enim deuotionis feruore repletus ſum, & æſtu quodã plura loquendi, ut tacere nequeam, quæ ſpiritus ingerit & uiri non diſſimulari, uel fileri. Græcus ſic habet: Quoniam ſicut luna ſemiplena repletus ſum, & in continuo augmento proficere cupio ad perfectum.

16 In uoce dicit: Obaudite me diuini fructus, & quaſi roſa plantata ſup riuos aquarum fructificate.

Spiritus interior ſic feruet, ut exterius ſe à loquela continere non poßit. Sic autem dico: Audite me obedientes filij ſapientiæ, & adoptiuum germen dei omnipotentis, quotquot illum conditorem & patrem agnoſcitis, ac ſancti eſſe cupitis, quãdo & dominus deus ueſter ſanctus eſt, ut germinetis & proficiatis in fructus benedictionis, & redoleatis ut flores ſuauißime fragrantes, in odorem ſuauitatis domino. Non aliter quàm ut roſa plantata ſuper exitus aquarum, ut uirtutum multiplicium redundantiam proferatis, in odorem ſuauitatis domino, ſacrificium

eium

cium gratum & uobis salutiferum.

17 Quasi Libanus odorẽ suauitatis habete. Florete flores quasi lilium, & date odorem & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite dñm in operibus suis.

Non solum ut rosa floreatis, sed & odore bonæ fame, ueluti thus & balsamus odorem suauitatis spargite ad refocillandum alios, ut uobiscum currant in odorem suauitatis: & dignum deo canticum canatis: intus dulcedine charitatis referti, foris autem fructibus pietatis redolentes: intus sanctis & puris desiderijs affecti, foris autem redundantia operum fructificantes. Omnia autẽ bona interiora & exteriora, nõ uestris uiribus accepta referte, sed gratiæ dei & beneficentiæ, propter quod & in canticum laudis & gratiarum actionis erumpite, & dominum deum uestrum patremq; in suis circa uos operibus collaudate.

18 Date nomini eius magnificentiã, & confitemini illi in uoce labiorum uestrorum, & in canticis labiorum, & citharis, & sic dicetis in confessione:

Non est aliud in cœlo & terra nomen tanta maiestate gloriosum, ut & maxime à uobis reuerendum est, & magnificandum in humili ac deuota confessione à uobis, quicunq; fideles estis, ut non tantũ corde et uotis ipsum reuereamini, sed etiam in uerba confessionis effundamini, uocibusq; labiorum uestrorum glorificetis eum, qui uos quoq; glorificat, & beneficijs omnifariam cumulat sine intermissione. Quod si minus exprimere uoce potestis cordis affectum, & fidei sanctæ feruorem, adhibete & musicã, ut plene se animus effundere possit, ad confitendum cum admiratione & iubilo beneficia domini, quibus iugiter se sentit affici & perfundi. Sic autem dicite:

19 Opera domini uniuersa bona ualde. In uerbo enim eius stetit aqua, sicut cõgeries: & in sermone oris illius, sicut exceptoria aquarũ: quoniã in præcepto ipsius placor fit, & non est minoratio in salute ipsius.

Sic Genesis testatur: Vidit deus cuncta quæ fecerat & erant ualde bona. Iuuant se mutuum & ornant, sicut in exercitu unus corroboratur ab alio, ut pulcherrimus ordo consurgat simul ex omnibus, in quibus pariter omnium creatoris & moderatoris excellentia resplendeat & repræsentetur. Intricata hic est litera, & apud Græcos inuoluta. Nos nostros Latinos sequimur, quandoquidem etiam Græcorũ codicum uarietatem suspectã habemus. In uerbo domini aqua stetit uelut congeries. Quando dominus dixit: Congregẽtur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida, & quando certa lege & gyro uallabat abyssos, primũ quidem, postea cum placuisset iussit etiam stare aquas maris rubri & Iordanis, ut murum & congeriem saxorum in ædificium. Et sermone dei ueluti quodam receptaculo aquæ & fluminа firmiter fixa steterũt loco suo, ueluti mons aliquis, in tumescentes uno loco, ut procul apparerent. Verbo uirtutis diuinæ, cum dominus iusserit, tranquillitas fit in omnibus, nõ tantum in aquis & mari, sed & in aere, uentis, & omnibus elementis, in hominum quoq; mentibus. Dixit enim & stetit spiritus procellæ, ipse gentes commouet & compescit. Cœlorum motus & elementorum omnium in arbitrio illius sunt. Stellarum quoq; & solis motus, aut statio luminarium, splendor & eclypses. Et non est minoratio in salute ipsius. Eo saluare uolente, nemo est qui perdere possit. Salutem ipse perfectam impartitur, et plene curat solus, ut uult. Dei enim perfecta sunt opera, qui si pro nobis fuerit, quis contra nos?

20 Opera omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis eius.

Sine deo nihil.

Actus hominum cunctorum, interiores & exteriores, deo certissime & distinctissime innotescunt. In ipso enim omnes uiuimus, mouemur & sumus, antequam fiant domino nota sunt creaturarum omnia opera. Et non est quicquam absconditum ab oculis eius. Omnia siquidem nuda & aperta sunt oculis eius, sapiẽtiæ scilicet & intellectui dei, iuxta id quod Ieremiæ uicesimoprimo dicitur: Si occultabitur uir in absconditis, & ego non uidebo eum? Et in Iob: Oculi eius super uias hominum, & omnes gressus eorum considerat: non sunt tenebræ & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.

21 A sæculo usq; in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius.

Præterita & futura omnia dominus in uno instanti æternitatis, hoc est semper præsentialiter cognoscit. Omnia enim deo nota sunt, etiam ante mundi constitutionem, nihil enim uel ignorare potest uel discere, multo minus admiratione moueri, qui omnium rerum causas non tantum nouit, sed & ordinauit, ut nulla in deum cadere possit admiratio, in cuius iudicio nihil magnum est uel admirabile. Non est enim impossibile apud deum omne uerbum, sicut nec ignorabile.

22 Non est dicere, Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur.

De dei creaturis iudicãdum nobis est cum modestia, nec aliquid superfluum aut inutile æstimandum, nec de singulis curiose nimium perscrutari et ad superstitionem usq; expediet, uerũtamen nihil tam deforme uel uenenosum homini, quin prosit ad multa. Habent enim uenena mirabiles uirtutes suas et utiles in loco & rebus. Omnia enim in tempore suo ad suum aliquod commodum requiruntur, ut non sit quicquam in orbe otiosum, quin & uenenosissimus basiliscus suo loco mortuus à medicis inquiritur, & serpentium carnes in confectionibus medicinalibus suum quoq; locum inueniunt & usum.

Vtilitas omnium.

23 Benedictio illius quasi fluuius inundabit: & quo modo cataclysmus aridam inebriauit, sic ira ipsius gentes quæ nõ exquisierũt eum, hæreditabit.

Copiose largitur dominus munera gratiæ suæ electis, qui student honorificẽtiæ dei per omnia, & eius uoluntati gratificari desiderant. Sic quoq; contra, iram furoris sui effundit in impios: cuius exemplũ ædidit olim in

uniuersali diluuio, quo terram ultra modũ repleuit, quin decim cubitorum altitudine obruendo montes, quia non exquisierant uoluntatem dei. Idipsum & sibi timeant omnes populi reprobi, qui deum cognoscere, diligere, et uenerari contemnunt. Enumerat Hugo de sancto Charo diluuia multa suo more, scilicet culpæ, uindictæ, pœnæ, concupiscentiæ, gratiæ, & gloriæ.

24 Quo modo conuertit aquas in siccitatẽ, & siccata est terra, & uiæ illius uijs illorum directæ sunt: sic peccatoribus offensiones in ira eius.

Sicut desiccatione terrarum post diluuium, & maris rubri semitam deus hominibus patefecit perambulandi ex gratia qua uellent, & periculum euadendi: sic uiæ & opera dei, beneficia scilicet ad homines, iniquis sunt occasio corruẽdi, deo eosdem iuste derelinquente, secundum illud Micheæ: Nónne uerba mea sunt bona cum eo qui recte graditur, & econtrario populus iste in aduersarium consurrexit.

25 Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala.

Electis omnia creata sunt & proficiunt ad salutem, propter quod & Apostolus: Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum dei uocati sunt sancti. Similiter & in libro Sapientiæ: Creaturæ dei factæ sunt in odium & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. Impijs enim non tantum mala, sed & bona alioqui in malum cedunt, quia bonis etiam abutuntur.

26 Initium necessariæ rei uitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis simi lagineus, & mel, & botrus uuæ, & oleum, & uestimentum.

Bona utilia hominibus. Enumerat bona quæ ab initio homini ad usum bonum creata sunt. Præcipua uero, non omnia sunt, aqua & ignis, quæ ut in multis seruiunt, sic sine eis uita hominis sustentari non potest, non enim sine talibus panis cõficitur, nec cibi coquuntur. Ferrum quoq; ad arandũ, ædificandum, secandum ligna & lapides, ad propugnandum rempublicam à bestijs, & inimicis hominibus. Sal quoq; pro condimento ciborum. Lac ad sustentationem teneris ætatis in hominibus & bestijs. Panis similagineus, hoc est triticeus. Vuæ quoq; & mel, oleum & uestes, & alia multa præter aerem & temporum uicissitudines, quæ omnia necessaria sunt sustentationi naturæ humanæ.

27 Hæc omnia sanctis in bona: sic & impijs, & peccatoribus in mala conuertentur.

Vsus creaturarum. Si quis his omnibus & alijs creaturis dei bene utatur, salubria sunt & utilia. Bene autem utitur, qui cum gratiarum actione ad deum, cum modestia & moderamine utitur sine iniuria proximi. Impijs autem utcunq; sint bona, sunt tamen peccandi materia. Secundum id quod dicitur: Venite fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Vicissim quoque creatura factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in deum confidunt.

28 Sunt spiritus qui ad uindictã creati sunt, & in furore suo confirmauerũt tormenta sua: & in tempore consummationis effundent uirtutem: & furorem eius qui fecit illos, confundent.

Spiritus quosdam deus bonus creauit equidẽ bonos, sed ipsi per inobedientiam suam fecerunt se eatenus malos, ut mudeant tam domino deo gloriam, quàm hominibus salutem & felicitatem cœlestem, unde ipsi propter superbiam deiecti sunt. Hi tamen non otiosi sinũtur, sed deo seruire coguntur ad uindictam malorum, quæ fiunt ab hominibus in hoc mundo. Non solum enim ipsi propter peccatum puniuntur suũ, sed instrumentũ dei sunt puniendi peccata hominum, in hac uita & in futura, nihil tamen ultra uel citra uoluntatem & ordinem dei. Et in furore suo, id est per uel propter odiũ immane & indignum contra deũ, meruerunt sibi tormenta perpetua, sicut & peccant perpetuo & irremissibiliter. Tempore autem consummationis mundi effundent mandante domino uirtutem, ad malefaciendũ damnatis, in quos sunt executores diuinæ iustitiæ, quæ dicitur furor domini in impios, quem exercebit in eos qui cum dæmonibus damnabuntur in supplicium æternum.

29 Ignis, grando, fames & mors, omnia hęc ad uindictam creata sunt: bestiarũ dentes, & scorpij, & serpentes, & rhomphæa uindicans in exterminium impios.

Non solum dæmones, sed & ignis, grando, fames, & mors à domino ordinata sunt, ut exerceant pios ad patientiam, impios autem ad uindictam, quam dominus pertinet iustitiam suam non potest non inferre. Sicut & dentes bestiarum & scorpij & serpentes, & gladius tam piorum quàm impiorum, à diuina iustitia ordinantur ad impiorum exterminum, ut uideatur nihil esse otiosum in mundo, deoq; omnia seruire ad suam uoluntatem, qua bonos remunerat gaudio & beatitudine, impios autem supplicijs & æterna damnatione.

30 In mandatis eius epulabuntur, & super terram in necessitate præparabuntur, & in temporibus suis non præterient uerbum.

Cum dominus mandauerit rebus prænominatis, iustis iudicij sui dictamine, ut inuadant impios, & deuorent quos illis proiecerit, statim aderunt nihil obmittendo uel cunctando circa punitionẽ impiorum, sed epulabuntur, deuorantes corpora à domino illis adiudicata, inuadentq; terram aliquam propter impios eam inhabitantes ad iudicium domini, quod uitare domino sic ordinante non possunt. Quandoquidem certissime implebitur uerbum domini, de peccatorum punitione prædictum in quacunq; terra uel habitatione. Iudicia enim domini per prophetas prædicta & prædicenda, exequuntur hæc mala prædicta, ut nemo ea impius euadere possit. Nihil enim obmittent omnia hæc dei seruitia, eorũ quæ dominus ipsis exequẽda in impios et dãnatos præceperit.

Propte-

31 Propterea ab initio confirmatus sum, & consiliatus sum, & cogitaui, & scripta dimisi.

Cum tanta mala scirem decreta à domino contra impios & peccatores, ideo iamdudum & ante initium huius libri, firmiter mecum statui scribere exhortationes & dogmata pietatis & iustitiæ, in hunc codicem, cupiens eodem labore meo consulere multis, ut tanta mala à domino iniustis inferenda, possint euadere iuste, pie & sancte uiuendo in hoc sæculo. Neq; id tantum præsens uiuus & semel persuadere uolui, sed in codicem conscribere, qui per multa sæcula Lectores pios & studiosos à tantis malis declinandis commonefaceret.

32 Omnia opera domini bona, & omne opus hora sua subministrauit.

Bona omnia.

Nulli dominus deus facit iniuriam, sed æquissimus iudex est, cuius omnia opera bona sunt iusta & sancta. Cumq; sine eo nihil fiat in hoc mundo, bona tamen peculiariter facere dicitur, quia placent ei, & suæ bonitati congenea sunt. Mala autem quæ impijs mala habentur & sunt, domino bona sunt, quia iustitiæ ordinem redintegrant, quem mali sua corruperant prauitate. Vnde et nihil tam malum in mundo fit etiam à malis, quin cadat domino ordinante ad occasionem magni alicuius boni. Suo tamen id tempore contingit, domino deo noto, non nobis, nisi post factum domino reuelante.

33 Non est dicere, Hoc illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobabuntur.

Nihil omni no malum.

Nemo dicere audeat aliquid esse omnino malum à domino in hoc mundo. Omnia enim quæ fiunt, etiam si hominibus pro tempore mala uideantur, domino ordinante in bonũ usum prouidentiæ dei ordinabuntur, suo quoque id tempore manifestabitur electis, & secundũ deũ sapientibus in speciali. Generaliter autem id uerum apparebit in die extremi iudicij, & deinceps electis omnibus, quin & impijs sua damnatio iusta, æqua & sancta esse, in ipsorũ pœnam acerbissimam iudicabitur. Cum ergo tam bonus, iustus, & sanctus sit deus in seipso & in suis operibus, merito admonet Lectorem, sic dicendo:

34 Et nunc in omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen domini.

Nunc itaq; cum durat gratiæ tempus acceptabile, quo dominus non mala sed bona perficienda mandauit, & ut fiant adiuuat conantibus & uolentibus toto corde, quotquot pij estis & sapientiam amatis, dominoq; placere gestitis, toto affectu dominũ collaudate, & ore confitemini illi bonitatem, sapientiam, & potentiam suam. Et benedicite nomen domini, hoc est ipsissimum dominum deum optimum & maximum, omneq; eidem bonum soli adscribite, uno ore pariter honorificantes bonitatem & iustitiã eius. Exemplo trium puerorum, qui in camino ignis maximo malorum, experti domini bonitatem & summum bonum, dei gloriam, dicebant: Benedictus es domine deus patrum nostrorum, &c. quæ apud Danielem inuenies.

CAPVT XL.

1 Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugũ graue super filios Adam à die exitus de uentre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.

Labor humanus.

Occupationem intelligit molestum exercitium, & miseram distractionem animi & corporis, per nimiam multarum rerum necessitatem, curiositatem & cupiditatem, quæ inflicta est toti humano generi, sicut uolatus auibus. Et graue iugum & copia ærumnarũ, laborum, & afflictionũ impositum est super filios Adam, hoc est super posteros utriusq; sexus primorum parentum, imò super filias magis quàm filios, quandoquidem & prima mater citius quàm uir peccauit. Hæc autẽ tanta & tam generalis miseria durat in hominibus à die exitus de uentre matris eorum: mox enim ut maternum egrediuntur uterum, clamant & plorant ob maximã imbecillitatem corpusculi, qua maior nulla inuenitur in aliquo quantũlibet misero animali. Et ea tamen miseria multiplex durat usq; ad diem sepulturæ in terram, quæ dignissime dicitur mater omnium, ex qua corpus humanũ sumptum est, ex qua nutritur, & per quam baiulatur, & in quam tandem recluditur.

2 Cogitationes eorum, & timores cordis adinuẽtiones expectationis: & dies finitionis à præsidente super sedẽ gloriosam, usq; ad humiliatũ in terram & cinerem, ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam usq; ad eum qui operitur lino crudo.

Terror humanus.

Torquentur iugiter multis cogitationibus corda hominum de futuris malis, quæ ingruere timentur, quibus multifariam affliguntur, dum non sufficit præsens uitæ ærumna, sed pro uanitate cogitationis humanæ multò semper deteriora formidantur & præformãtur per imaginatiuam phantasticam priusquam futura sint. Semper enim sæua præsumit perturbata cõscientia. Quandoquidem et ex sonitu lapsi folij formidolosus terretur, & concutitur anxie. Sic in Iob: Sonitus terroris semper in auribus impij, & cũ pax sit, ipse insidias suspicatur. Deniq; dies mortis quæ finitio est uitæ præsentis, semper immineat omnibus non solũ paruis sed & magnis. A præsidente, inquit, hoc est à rege, principe, iudice, diuite, prælato uel doctore, usq; ad abiectissimũ & maxime humiliatum & deiectũ in terram & cinerem: ab eo quoq; qui sedet in maxima gloria, & de diuitijs maximis superbit, hyacintho indutus & gemmis exornatus, corona quoq; adornatus, usq; ad eum qui sacco & cilicio rudi induitur. Nemo ex regibus uel seruulis aliud unquam habuit natiuitatis suæ inuitũ: unus ergo omnibus introitus est ad uitam calamitosam huius sæculi, & similis exitus.

3 Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseuerans, & contentio, & in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam eius.

Multa pœnalia sustinet genus humanũ, propter peccatum primi hominis, propter destitutum humanum genus originali iustitia, & casum grauem in uitia multa,

ad quæ corruptio naturæ & peccandi fomes incitat, ut sunt ira prædominans, & in furorem exiens: inuidiæ zelus, & mutua displicentia prosiliẽs ex amore sui: tumultus quoq; distractionum & desideriorum, rapientium hominem huc & illuc: fluctuatio, instabilitas, & prolixa cordis anxietas, & timor mortis immoderatus, propter quem crebro receditur à bono uirtutis. Iracundia quoq; non leuis & momentanea, sed ut plurimũ diutius perseuerãs ut pariat rancorem. Ex quo sequitur contentio, quæ mater est inconstantiæ & operis praui. Sic autem obruitur miserijs mens humana, ut nec dormitionis nocturnum tempus uacet ab angoribus, nec refectionis & manducationis tempus exigitur sine molestia, quin & somnus ipse non uacat ab insomnijs terribilibus, quibus homo etiam quietis tempore non sinitur quiescere, uel à calamitatibus huius miseræ conditionis uacare.

4 Modicũ autem tanquã nihil in requie, & ab eo in somnis, quasi in die respectus.

Requies tam modica homini contingit in somnis, ut pro nihilo haberi possit, & uisio uel respectus in somno per imaginationem fit non secus q̃ uigiliarum tempore & interdiu. Somnianti enim apparet frequenter quod uigilet, & quædam disponat aut operetur, iuxta illud Isaiæ: Sicut somniat esuriens quasi comedat, expergefactus autem, uacuam inuenit animam suam, utitur enim imaginatiua uirtus similitudine rerum pro rebus.

5 Conturbatus est in uisu cordis sui, tanquam qui euaserit in die belli.

Tam uehementi horrore perturbatur homo in somnis, ut uix expergefactus quoq; formidinem aliquando excutere possit, haud secus ac si quis prælium effugerit. Vnde in Deuteronomio dicitur: Timebis nocte & die, & non credes uitæ tuæ: mane dices, Quis mihi det uesperum? & uespere, Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea quæ tuis uidebis oculis.

6 In tempore salutis suæ exurrexit, & admirãs ad nullum timorem cum omni carne, ab homine usq; ad pecus, & super peccatores septuplum.

Cum uero post euigilationem de tam graui & horribili somnio homo senserit somnium tantum fuisse, & non factum, quia sanitatem suam sentit, uix ad sufficientiam admirari potest de sua sanitate præsente, qui se omnino iam moriturum crediderat inter somniandum, unde & excutere terrorem tardius ualet, quẽ incidit propter spectrum terribile de homine uel bestia, uel quocunque alio, quod hominem terrere solet in somnis. Tales autem horrores potissimũ cadere solent super tyrannos reges crudelesq; hominum oppressores, tantoq; terribilius perturbari, quanto crudelioribus studijs inter homines occupantur, ut sustineant in hac quoque uita infernum suum & iustum supplicium, idq; septuplum, hoc est horribilissimum, ut Aegyptijs contigit, de quibus in libro Sapientiæ: Visus somniorum malorum turbauerunt illos, & timores superuenerunt insperati, &c. & alibi: Solis illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, & ipsi sibi erant grauiores tenebræ.

Tyrannorũ terror.

7 Ad hæc mors, sanguis, contentio, & rhomphæa, oppressiones, fames & contritio, & flagella: super iniquos creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus.

Præter prædictas tot hominum calamitates, & grauia onera filiorum Adam, accidit etiam tandem mors uiolenter nonnunquam inflicta, ad quam præcedit ut inducat eam, uulneratio enormis & lætalis, quam præcesserat contentio, & ex contentione insultans euaginato gladij horrenda cum furia, ut fieri solet. Præterhoc malum etiam inter homines, oppressio est simplicium à potentioribus & tyrannis, qui nullis parcunt, donec expleant nocendi libidinem. Et ut hoc absit, sæpe tamen fames oboritur in terra, non solum ob sterilitatem soli, & uarias tempestates, sed & propter improbitates hominũ, qua sibi mutuum infideles sunt, ut proprium quisq; commodum magno sectentur studio, cum detrimento proximorum, dum diuites ambiunt bona pauperum omnia. Ita de iusto dei iudicio sequuntur contritiones populorum & bella, seditiones, & consequenter grauissima flagella cum cædibus. Hæc uero omnia & his maiora à domino ordinantur, contra eos qui suis legibus parere nolũt, qui fidem nec domino seruant nec proximo. Quæritur et tanta crimina cum olim occupassent totum mundum, omni timore dei postergato, uno cataclysmo totum peridit orbem impiorum, iuxta id quod dicitur in Genesi: Dixit dominus ad Noe, Repleta est terra iniquitate, a facie eorum, & ego dispergam eos cum terra.

8 Omnia quę de terra sunt, in terram conuertentur, & omnes aquæ in mare conuertentur.

Miseria quoq; generalis omnium terrigenarum est, ut omnia quæ de terra nascuntur, per resolutionem naturalem medio mortis conuertantur denuo in terrã: quantum ad corpus enim homo de terra terrenus est, quoad animam autem de cœlo à creatore omnium animarum, quas & fecit sempiternas et immortales, ut reliquas substantias separatas in sæculo animarum. Hic quoq; dissimus copulatiuam stare pro similitudinis nota. Sic enim in terrã corpora redeũt, ut aquæ fontium & fluuiorum ad mare: quanquam non sint similitudines aliquæ, quæ quatuor, ut loquuntur, incedant pedibus.

9 Omne munus & iniquitas delebitur, & fides in sæculum stabit.

Munus quoddam gratuitum est, de quo saluator: Date & dabitur uobis. Et beatius est dare quàm accipere, & pro amicitia reparanda munus non male datur. Sed munus de quo hic dicitur, illud intelligitur, quod datur & accipitur ad subuertendum iustitiam, quod execrare solet etiam prudentes, & subuertere uerba iustorũ. Tale munus & sua iniquitas delebuntur. Fides autem in sæculum stabit, hoc est fidelitas in hominibus iustis, et quæ in deum tenetur pertrahet ad tentationem beatitudinis perfectæ, quæ spei succedit.

Substan-

10 Subſtantiæ iniuſtorum ſicut fluuius ſic cabuntur, & ſicut tonitruum magnum in pluuia perſonabunt.

Impij prauis artibus comportantes diuitias, illis non ſecus priuabuntur, quàm ut torrens ſiccatur Solis ardoribus, ut tandem nihil ſuperſit, ſi non caſibus dignis inter homines, dum par pari rependitur, ſaltem in morte miſerabili. In Prouerbijs enim dicitur: Cuſtoditur iuſtorum, & tranſiui, & ecce non erat. Et Iob: Si comportauerit impius quaſi terram argentum, & ſicut lutũ præparauerit ueſtimenta, præparabit quidem, ſed iuſtus ueſtietur illis, & argentum innocens diuidet. Quæ intelligenda ſunt ut regulæ aliæ morales, prout ſæpe, & pro iudicio humano. Et ſicut tonitruum magnum in pluuia perſonabunt: intonabunt breui tempore eximiam pompam, iactantiam, & faſtum horrendum, ſed inſtar tonitrui cito deficient.

11 In aperiendo manus ſuas, lætabitur: ſic pręuaricatores in cõſummatione tabeſcẽt.

Auarus & impius lætantur, dum aperiunt manum ad munera accipiendum. Donec enim accipiunt oſculantur manum dantis. De quibus Iſaiæ 10. Omnes diligunt munera, ſequuntur retributionem. Contra quod dictum eſt: Nõ ſit porrecta manus tua ad accipiendũ, & ad dandum collecta. Sic impij & legum diuinarum prævaricatores, dum maxime proſperari uidentur deficiunt, iuxta illud: Quoniam tanquam fœnum uelociter areſcent. Et 2. Reg. 23. Prævaricatores quaſi ſpinæ euellẽtur omnes.

12 Nepotes impiorum non multiplicabũt ramos, & radices immũdę ſuper cacumen petræ ſonant.

Nepotes impij.

Qui parentum ſuorum impiorum ſcelera nepotes ſectantur, prolem ſuam non multiplicabunt. Nationes enim iniquæ diræ ſunt conſummationis. Et ab iniquo toto ſemen exterminabitur. Et Prou. 28. Bonus relinquet hæredes filios, & nepotes peccatores perſequetur malum. Si multiplicati fuerint hæredes uiolentorum, filij eorum in gladio erunt, & nepotes eorum non ſaturabuntur pane, qui reliqui fuerint ex eo ſepelientur in interitu, Iob uiceſimoquinto. Vnde ſubiungitur: Et radices immundæ ſuper cacumen petræ ſonabunt: uitioſi parentes cito deijcientur, quemadmodum quod creſcit ſuper lapidem, fixam radicem non habet, ſed uenti impulſu diſijcietur. Sicut multigena impiorum multitudo non erit utilis. Et ſpuria uitulamina non dabunt radices altas, Sapientiæ quinto.

13 Super omnem aquam uiriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnũ euelletur.

Iuxta aquarum irrigua gramina creſcunt in copia, & antequam eadem gramina conuertantur in fœnum, à pecoribus illic paſcentibus carpẽtur: ſic generatio impiorum mox labitur, iuxta illud Iſaiæ quarto: Et quidem neque plantato neque ſato neque radicato in terra truncо eorum, repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos. Id ſi minus ſemper fieri uidetur, iudicium dei iuſtum ſed occultum cogitetur, non enim omne illud ſanctum eſt quod ſanctum uidetur, & impij ad tempus per dei gratiam conuertuntur aliquando occulte apud ſemetipſos.

14 Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus, & miſericordia in ſæculo permanet.

Amœniſſimus locus eſt, qui ſemper tranquillus, fructus optimos & ſufficientes producit, & paradiſus domini dicitur. Sic dei gratia impetrata & captata delectat, reficit, & paſcit perpetua ambroſia iuſtos, & beneficijs multis beatificat. Optimum eſt ergo gratia ſtabilire cor. Et miſericordia in ſæculum permanet. Pietas dei ad ſanctos, & ſanctorum beneficentia ad proximos non deficient. Miſericordia enim domini ab æterno, & uſq; in æternum ſuper timentes eum.

15 Vita ſibi ſufficientis operarij cõdulcabitur, & in ea inuenies theſaurum.

Victus honeſtus.

Neceſſaria uictui ſibi rectis mediis & intentione acquirens, deſuper domino proſperante condulcabitur, proprijs operibus bonis delectatur, & ſalutem conſequitur poſt hanc uitam. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Omnis operatio & labor talis pij hominis, & ſomnus ipſe dulcis erit, et ipſa quoq; refectio: unde & dicitur, Qui operatur terram ſuam, ſaturabitur panibus: qui autem ſectatur otiũ, ſtultiſſimus eſt. Sufficientia rerum neceſſariarũ illi nunquam aberit, ideoq; optimo theſauro ditabitur. Diues eſt enim, qui neceſſarijs non eget, & alia non cupit.

16 Filij, ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & ſuper hãc mulier immaculata computabitur.

Celebre, magnificũ, & gloria perpetua dignum eſt, ſi quis urbem ædificat. Exempla habentur in prophanis literis & ſacris multa. Sed longe commendatior & gloriоſior habetur mulier immaculata, hoc eſt caſta, prudens, fidelis, & mater familias ſtudioſa. Gratia enim ſuper gratiam mulier pudorata & ſancta. Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à domino autem proprie uxor prudens.

17 Vinum & muſica lætificãt cor, & ſuper utraq; dilectio ſapientiæ.

Muſica bona.

Inſignis oblectatio eſt hominis, liberali ingenio prædiți, muſica quidem in primis, & uinum ſumptum ad hilaritatem, hoc eſt moderate. Qui autem ſapientiam diligit, eius poſſeſſione & actu plurimum delectatur. Eſtq; huiuſmodi delectatio multo nobilior, diuinior, & ſtabilior delectatione quacunq; carnali, unde Sapientiæ octauo dicitur: Intrans in domum meam conquieſcam cum illa, non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus eius, ſed lætitiam & gaudium.

18 Tibiæ & pſalterium ſuauem faciunt melodiam, & ſuper utraq; lingua ſuauis.

Suauem quidem melodiam adferunt tibiæ & pſalterium, ſed longe ſuauiorem elocutio ſyncera, ſimplex, clara & elegans: eſt enim illis ambobus ſuauior, iuxta illud Prouerbiorum 16. Fauus mellis uerba compoſita.

19 Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus tuus, & ſuper hæc uirides ſationes.

Opera naturæ & artis.

Longe illustriora & efficaciora sunt opera naturæ quàm artis. Vnde & oculus quidem hominis oblectari quidem quærit ex artificialibus formis eleganter fabrefactis, & pictis multa diligentia & arte. Sed longe magis oculum oblectant & confortãt uirides sationes, quæ sine studio humano & pretio sic florẽt, ut Solomon quoque non tam splendide exornatus fuerit in omni gloria sua, sicut unus ex agro uirente flosculus uel surculus graminis. Cogitanda ergo semper est dei uirtus & sapiẽtia supra omne quod fit & uisitur, dum tam mirabilia illius opera, & stupendæ naturæ miracula conspiciuntur. Nec sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, beneficia ad nos dei ignoremus, & sine gratitudine tantis circa nos dei donis abutamur, quasi ratione & intellectu carentes. Cum grauius delictum non sit, q̃ incogitantia de tanto benefactore et ingratitudo, unde reliqua quoq; uitia & crimina oboriuntur. Quod tam beneficum patrem tam leui ratione & delectatione admissa contra legem offendere non horremus.

20 Amicus & sodalis in tempore conuenientes, & super utrosq; mulier cum uiro.

Iucunda sodalitas.

Nihil in hoc mundo dulcius homini, quàm grata & iucunda sodalitas, quam etiam bruta sectantur & diligunt, applaudet enim simile simili. Homo autẽ præcunctis sociale animal, multo minus solitarie uiuere potest, ob multas necessitates naturæ, ob quas unus necessario indiget auxilio aliorũ, ex ipsa natiuitatis origine, ut non sit imbecillius animal in orbe, quatenus tanto amabilior coalesceret charitas & amicitia hominum ex mutuis beneficijs. Iucunda est ergo amici cum sodali suo conuentio in tempore, dum sibi pulchre concordant, & afficiuntur ex animo. Sed super omnia est amicitia mariti & uxoris, dum concordant uotis, & pacifice conuiuantur. Sunt enim à domino ordinati, ut sint una caro, & sibi se mutuum communicent animam, uires, officia & solicitudines, ad prolem legitime educandam. Sed tamen excipitur amor fidelium animarum cum creatore suo, Christi & ecclesiæ, qui non tantum per omnem uitam durare potest mortalem, ut amor coniugalis, sed sic in præsenti uita coalescere debet & roborari, ut perseueret in sæculo animarum sine fine.

21 Fratres in adiutoriũ in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit.

Fratrum amor.

Magnum quidem & plenum spebus solatium est, ex adiutorio fratrum mutuo, ex familiaritate, ex sanguinis consensu & cõsortio. Fraternus quippe amor uehementer conciliat homines, & naturæ insertus est ex parentum concordia, cõuictu & solicitudine. Sed longe ardentius amant, qui sese beneficijs & amica conuersatione coadunarunt animis, uirtute scilicet & ratione, non solum natura & educatione. Longe enim utilior & gratior est beneficus succurrens & adiuuans in necessitate extraneus, quàm frater sine beneficio & negligens periclitantem propinquus. Accipitur hic misericordia Hebraico more pro beneficentia, quæ magis amicitiam roborat quàm sanguinis consortium.

22 Aurum & argentum est constitutio pedum: & super utrunq; consilium beneplacitum.

Gratia quidem hominibus sunt dona auri & argẽti, quibus status hominis sustẽtatur, quod hic significat per constitutionem pedum, ut firmiter homo subsistat, ad hoc enim prodest beneficentia & collatio mutua munerum. Sed ambobus his præualet in casu sanum, fidele & utile consilium. Longe enim in loco & tempore prodest magis salubre consilium, q̃ diuitiæ communicatæ, uel munera tuum donatæ. Exponunt hoc quidã de adimpletione consiliorum dei, maxime de paupertatis uoto domino faciendo & seruando, deq; facultatibus mundi abijciendis, quod nemo unquam apostolorum aut prophetarum nec etiam Christus sic docuit, ut illi intelligunt & obseruarunt, ut pauca cum laboribus possessa propria obmisserint, & multa in otio mendicarentur, uel etiam possideren-tur aliena. Longe aliter Christus docuit & seruauit, & sancti patriarchæ & apostoli, qui de suo nihil seruarunt quod non egentibus pro charitate administrarent, & pro charitate Christi seruanda parati essent resignare, ueritatem uirtutemq; & euangelij prædicationẽ amplecti, & toto studio sectari: de quo alij plura.

23 Facultates & uirtutes exaltant cor, & super hæc timor domini.

Exaltari solet animus ex consideratione & fiducia facultatũ & mammonæ comportati, dum proximorum auxilia non sibi necessaria credit. Diuitiæ enim sciunt superbiam. Timor autem domini & consideratio beneficiorum dei, ex quibus tantummodo pendent hæc bona corporalia huic superbiæ medentur, dum cogitatur ea esse in manu dei, qui auferre potest superbis, quod bonis miliatis distribuit. Cui displicet arrogantia & ingratitudo, similiter & inobedientia, si minus legitime utantur donis dei, & obliuiscantur legis dei qua præcipitur, ne sublime sapiant diuites.

24 Non est in timore domini minoratio, & non est in eo inquirere adiutorium.

De diuino adiutorio semper est habenda fiducia homini, dominum deum suum timenti, & pie & in spiritu colenti. Non enim minuentur omni bono timentes deũ, & non superbientes de donis dei spiritualibus uel corporalibus. Nulla eis ad salutẽ necessaria desunt qui dominum colunt, de quibus dicitur: Timete dominũ omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Nec auxilio aliorum indigent, quibus fauet dominus, ut ad alios quoscũq; domino diffiso curratur. Non quod fides, spes, charitas, & angelorũ subsidia & humana auxilia contemnantur, & dominus tentetur, sed quod domino fiducialiter confidendum, & ipse solus inuocandus, qui solus succurrit & submittit, qui adiuuerit, ipso principaliter intendente & succurrente, dum illi creditur.

25 Timor domini sicut paradisus benedictionis, & super omnem gloriam operuerunt illum.

Qui in timore domini sancto cõuersatur in hoc mundo, is ueluti in paradiso benedictionis cõmoratur, & in perpetuo gaudio conscientiæ, in domino semper lætus, omnia-

omnibus hominibus fauens bonum, neminem odiens uel offendens, charitate plenus, & seruiens omnibus quantum potest, cui uita tota suauis est & iucunda, ueluti paradiso dei donatus etiam in hac uita, dum usus fructuum & donorũ dei beatũ hominem reddit, & amœnitate mira oblectat affluenter. Et super omnem gloriam operuit illum. Benedictio domini huiusmodi hominem totum replet, & circundat ueluti uestimento gloriæ, quo ornatur longe felicius quàm quacunq; gloria temporali.

26 Fili, in tempore uitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori quàm indigere.

Timor autem domini otiosus non est, quia charitate stipatur, quæ omnibus benefacere cupit, prodesse, & auxilio esse, ideoq; admittitur, ut nemini sit molestus, sed pluribus utilis. Ideo studijs sanctis & utilibus incumbit, ut piendum. Ideo hortatur hic ad exercitium bonorum operum. Omni, inquit, tempore uitæ tuæ præsentis insiste bonis actionibus, & omnino cura ne aliorum obsequio & beneficijs indigeas per torporem tuum & ignauiam, ne ab alio mendicare cogaris quod tua opera possis parare. Otium enim iners sequitur egestas, & multam docet malitiam, ut melius sit mori quàm indigere necessarijs, & ex ignauia torporis confundi ob turpem mendicitatem uel indigentiam. Omnino enim lex domini & eius sacra sancta uoluntas est, ut patet Deuteronomij 15. Indigens & mendicus omnino non erit inter uos. Nemo otiosus simi iustas & sibi utiles nemo gratis cupiat, uel irremuneratas negligat. Si quis per legitimas causas operari non potest, & indigeat necessarijs, non expectandus tunc est donec abs te uerecunde mendicet, sed anteuertenda est oratio eius, occurrendum illius indigentiæ. Talia dictat lex charitatis & fidei, suntq; de lege non tam ceremoniali quàm euangelica, exemplis Christi & apostolorum monstrata, ut non tam consilium habeantur quàm legis diuinæ præceptum.

Beatitudo rerũ utilium cõtra otiosos.

27 Vir respiciens in mensam alienam, non est uita eius in cogitatione uictus: alit enim animam suam cibis alienis.

Otium & ex otio egestas, & ex egestate mendicitas, nullam habent in sacris literis cõmendationem. Et diuus quoq; Franciscus pauperum patriarcha, ut uocant, non docuit eam mendicitatem quæ est ab otio, qui in Regula secunda, quæ magis Papæ est quàm sua, similiter & in testamento moriens damnauit otium. Sed parsimoniam docuit uerbo & exemplo, ut ubi laborassent fideliter & de uote, & nihil pro laboris pretio illis redderetur, uel ex liberalitate, cum uerbo & opere omnibus prodesse cuperent & studerent: tunc tandem mendicare possent necessaria uictus & amictus. Hoc semper cauto diligentissime, ne quæstum sectarentur, qui pecuniarum studio augetur, à quo iam pius homo uiderat pietatem ueram & humilitatem, cum studio prædicandi Euangelium, labefactata omnia, prorsusq; neglectam fidem in deum & charitatem ad proximos. Iam enim qui religiosi dicebantur, uelle sibi solis prodesse statuerant, & solum orationibus

Franciscus in regula cõtra otiosos.

suis & cantilenis deo populoq; seruire. Euangelium autem prædicandi studium, istis tunc temporibus prorsus cessauerat, episcopis iam ditatis, & principatuum magis quàm prædicationis studiosi. Qui satis commode suis diuitijs consulentes & otio, negotium Euangelij prædicandi, quod reliqui monachi iam ditati obmiserant, in humeros Prædicatorij & Minoritani ordinis fratrum posuerunt, & mendicitate honesta ex hoc uiuere decreuerũt. Qua ex mendicitate & diuite paupertate, quæ scilicet esset sine penuria, amplissima palatia Christo primum, deinde nomine tantum pauperibus extruxerunt, quibus magnifice extructis, quum non cessaret deuotio fideliũ, & timor iam purgatorij ignis incensus esset, cœperunt ex anniuersarijs, tricesimis, septimis, depositionibus, testamentis, & legationibus eatenus abundare, ut census annuos cõtra professiones suas exercerint, ut multos otiosos nutrire possent, ex quibus unus & alter omnium aliorum otiosorum uice Euangelium prædicaret. Cuius doctrina, cum ipsorum conuersationi reclamaret, cum tempore obfuscata est, ideo ex sanctorum suorum exemplis & miraculis pro sua utilitate, uel à patre mendaciorum domino permittente conflictis, populum adduxerunt ad oblationes, ad fraternitates eleemosynis promerẽdas uel censibus, quibus meritorum illorum particeps fieret, & de his omnibus nihilo dubitaret, unde & confessionale secretum excogitatum est, ut cogitationum quoq; secreta contra illorum doctrinam authoritatem & factiones, minime illos laterent, excommunicationes quoq; Papales & exemptiones ab episcopis tandem, & dispensationes contra humana uetita obtruderentur, omnia in libertatis Christianæ iacturam, & in emunitatis ecclesiasticæ libertatem prodessent, donec in tantum creuit malitia & impostura ecclesiasticorum, ut iam latere mundum non posset, & iam sacri codices proderentur, qui apud priscos melioris notæ religiosos, olim reconditi asseruabantur, & per impressuræ beneficium ecclesiæ restituerentur, unde discere licuit uiam ueritatis, unde iam olim deuiatum fuerat per monachorum & episcoporum auaritiam, & exinde enatum otium & socordia, imò potius impostura. Hæc nobis circa hanc sententiam de mendicitate non ferenda cogitanti, breuiter exciderunt in buccam, utinam non tam uera essent, quàm multorum piorum hominum graui iactura sunt iamdudum longa experientia comprobata, cum tamen uerissime hic spiritu dei, sicut & alibi in scripturis mendicitas sit exposa, qua respicitur ad alienam mensam, ad quorum gratiam non perdendam multa sunt tam dicenda quàm agenda, sed & tacenda ac dissimulanda, ne cesset eleemosyna. Et nulla prorsus cura habetur de uictu & amictu parandis proprijs manibus uel labore. Omnia enim apud illos sic sunt ordinata, ut cum summam paupertatem, quam apostolicam uocant, profiteantur, nihil tamen desit ex omnibus quæ desiderant cum otio & pace summa, præter cantica sua choralia continuo aucta, nulli utilia, nec sibijpsis nec alijs, multo minus deo grata, quæ tamen multo uenditant diuitibus, sicq; tot uirorum & fœminarum millia, cibis alere didicerunt alienis. Interim sese mendicantes

Diues mendicitas quæ lis & unde & ad quid.

Vnde ueritatis reuelatio.

Cantica choralia.

pariter & poßidentes eccleſiæ ſanctæ obtruſerunt, continuo maiore grauamine mundum onerantes, uerbo quoque dominu illudentes, donec non ſolum dei iuſtitia, ſed nec mundi iudicium tot malorum impoſturas ignorare uel ferre potuit. Quin imprudenter cœpta, & perperam tranſacta, uerbi dei decreto manifeſtata ſunt omnia & damnata, magis autem damnanda.

28 Vir autem diſciplinatus, & eruditus cuſtodiet ſe.

Diſciplinatus. Vir autem pius, bonus & ſapiens nunquam uolet otioſus inueniri: dum enim tempus inuenit operandi quod bonum eſt, nihil negligit, non uult aliorum operas deuorare otioſus, cuſtodit & obſeruat ſe ab omni otio ignauo, negligentia, paupertate & mendicitate. Diſciplinatus dicitur, qui à puero bene eſt inſtitutus, ut non niſi honeſta uelit & ſectetur: unde & otium deteſtatur, quod una omnium ſapientum ſententia dicitur ſentina malorum. Similiter & mendicitas, quæ quantum nocuerit eccleſiæ, non poteſt ad ſufficientiam explicari, dum multa & dicta, & ſcripta, & facta ſunt, ſimiliter & admiſſa in gratiam eorum, à quibus mendicabantur diuitiæ, uel etiam neceßitates naturæ, à quibus ſibi cauet ſapiens.

29 In ore imprudentis condulcabitur inopia, & in uentre eius ignis ardebit.

Otium uitandum. Multis uerbis docet uitandam otioſitatem, quæ egeſtatem non ſolum corporalem, ſed etiam ſpiritualem inducit. Imprudẽtem nominat, qui uerbum dei contemnit, qui dominum non timet, qui corpori tantum uiuit & ſectatur libidines, is certe nihil curat præter cibum & uentrem, ut dulcibus ueſcatur alimentis, et id aſſequi nititur ſi fieri poßit abſq; labore, tandem autem deuoluetur ad inopiam & extremam penuriam: & tarde tandem pœnitere cogetur, dum infeſtabitur tandem fame importabili miſer ſtomachus, & nemo illi dabit qui renuit laborare in tempore. Simile dicitur Prouerbiorum uigeſimoſexto: Anima laborantis laborat ſibi, quia cõpulit eum os ſuum: uir autem iniquus fodit malum, & in labijs eius ignis ardeſcit. Et alibi: Qui cõgregat in meſſe filius ſapiens eſt, qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.

CAPVT XLI.

1 O Mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habẽti in ſubſtãtijs ſuis, uiro quieto, & cuius uiæ directæ ſunt in omnibus, et adhuc ualenti accipere cibum.

Mors qualis habenda. Quo loco habenda mors ſit docet, & ut non timenda ſapienti & iuſto nimis. Mortem uero alloquitur ſapiens ut perſonam humano more, quam corpoream intelligit, quæ ab hominibus hanc tantum uitam credentibus maximum habetur malorum: pijs autem & uerbo dei ipſiq; deo credentibus lucrum habetur, initium quoque bonorum æternalium & feliciſſimæ uitæ. Vnde non abſolute dicit amaram memoriam mortis eſſe hominibus nempe omnibus, ſed homini, cui omnia pro uoto accidũt, qui requiem habet in hoc mundo per omnia, uel habere ſtudet & magnopere contendit, nihil interim ſolicito quomodo deo placeatur uel pie uiuatur, aut bonis operibus hæc uita præſens exigatur, cum tamen Pſalmiſta dicat: Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum uidens. Si autem talibus tam amara memoria mortis eſt, quanto amarior præſentia erit et uictoria? Addit: Habenti pacem in ſubſtantijs, hoc eſt diuitijs ſuis, quo nõ tantum ſubſtantia diuitiarum intelligenda eſt, ſed etiam gloriatio in honoribus, uoluptatibus, amicis, filijs & fautoribus. Hæc enim omnia ſimul morte auferri, quid ni terreat hominẽ in quiete habitantem in hoc mundo, in otio & ſanitate, à nemine moleſtiam patienti? Et cuius uiæ directæ ſunt in omnibus, qui nullo infortunio affliguntur, quibus omnia oblectamenta carnis ſuppetunt, quorum & ſeſe pariter pem facere poteſt & frui cum uita ſana & felici: quibus fide carentibus futurorum bonorum mirum non eſt ſimnium terribilium terribiliſſimum mors ſit non tantum præſens, ſed dudum etiam præmeditata. Fidelibus autem pijs mors eſt expectatiſſima iuxta iudicium rationis, cui tamen reclamat iudiciũ carnis, ſicut & in Chriſto, quamlibet ſe poſt triduum reſurrecturum ſciret, cui tamen fides & obedientia medetur.

2 O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur uiribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt, & incredibili, qui perdit ſapientiam.

Ciuiliter & iuxta humanum iudicium ſapiens hæc ſcribit, quæ ex uſu mortalium conſtat eſſe certiſſima, & non ſine fructu cogitanda frequenter. Re uera enim corporalis hæc mors commode ſuperuenit multis & expectata & optata, non tamen ſine horrore præſentiæ & memoriæ eius. Bonum eſſe iudicium mortis, intelligitur iuxta phraſim Hebraicam, negotium & caſus mortis, ratio uel euentus, procedit enim ex uoluntate & ordinatione diuina. Id uero contingit maxime homini indigenti neceſſarijs huius uitæ, uel cuius uires corporis continuo decreſcentes iam penè deficere ſentiuntur, uiſus ſcilicet, auditus, guſtus, & ſtomachus, quod eſt uiribus minorari. Qui iam peruenit ad grandæuam ætatem, ut deſtituatur corporeis, quod Hebræis eſt eſſe ſaturum uitæ huius, & plenum dierum: Qui iam de omnibus curã habet, aduertit omnia, & penè nihil illi placere poteſt quo iuniores oblectantur & gaudent: Qui iam nulli rei dere poteſt oblectamentis dedito, & carnis delicias ſectanti præ ſenectutis moroſitate, ſed plenus ſit ſuſpicionibus. Vnde & ſequitur: Qui perdit ſapientiam, hoc eſt ex ætate decrepita rationis uſu deficit, & denuo repueraſcere incipit. Talibus etiam iuxta carnis ſenſus non eſt moleſta nimium mors, ut iſtis de quibus dictum eſt ueriſ priore: Melior eſt enim mors quàm uita amara. Et ſimiliter di ergo hominibus mors deſiderabilis eſt, ut terminus ærumnarum, & ianua ad felicem uitam poſt has mundi tantas miſerias.

3 Noli metuere iudicium mortis.

Sic uiuas & ſentias, credas & opereris in hac uita, ut mortis iudicium timere non cogaris: & ſi iuxta carnis iudicium timere cogeris, fide tamen & ſpe futurorum conſoleris, alacritatem ſpiritus & libertatem in domino non amittas, ſed potius mortem ſecurus expectes, ſcias

cui crediderís, & certum esse tibi depositum tuum in illum diem, ut cum Apostolo dicas: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et Seneca quoq; in hanc sententiam loquitur: Illum laudа, illum imitare qui non timet mori, dum iuuat uiuere.

4 Memento quæ ante te fuerũt, & quæ superuentura sunt tibi: hoc iudicium à domino omni carni: & qui superuenient tibi in beneplacito altissimi, siue decem, siue centum, siue mille anni.

Cura uitæ potior q̃ mortis.

Non tam curandum tibi fuerit quando & quàm acerbe sis moriturus, quàm quomodo hactenus uixeris, quid boni in hac uita egeris iuxta uoluntatem creatoris tui, et quid posthac tibi sit faciendum, ut illi maxime proberis, qui tibi uitam concesserit mortalem, per quam ad immortalem transeas, ipso uocante & beatificante. De iudicio autem mortis, id est casu & necessitate, non sis eatenus solicitus ut distringaris sic metu mortis, ut à sanctis exercitijs impediaris, sed cogita te totum secundum esse uiuere & operari pendere à uoluntate domini, qui ut uitam donauit, sic prorogabit, quoad illi complacitum fuerit, sicut & egit cum omnibus alijs. Quorum quibusdam uitæ dedit annos decem, alijs centum, quibusdam ferè mille, ut primo homini, & Mathusalem, & Sem, cum alijs multis. Numerum autem determinatum ponit scriptura rum more, pro indeterminato. Sufficiant tibi tui anni, si eos expenderis ad dei gloriam, & proximorum commodum, tuamq; salutem: quod reliquum est, diuinæ subijcias uoluntati.

5 Non est enim in inferno accusatio uitæ.

Non oberit uel proderit in inferno, uel post hanc uitam diutissime uel breuiter uixisse, sed si pie, sancte & iuste uixerit in hoc sæculo. Nemo accusabitur de breui uita, sed de inuirtuosa & impia. Nec quisquam excusabit improbam uitam suam, allegando ipsius bonitatem, quasi sese emendaturus fuerit, si aliquanto diutius uiuere permissus esset.

6 Filij abominationum fiunt filij peccatorum, & qui conuersantur secus domos impiorum.

Qui parentes impios imitantur ad malum, fiunt abominabiles deo & hominibus iustis, corrumpuntur enim & abominabiles fiunt in iniquitatibus. Et qui conuersantur secus domos impiorum, hoc est, consortia sectantur & peccata, abominabiles similiter erunt. Vnde Sapiens dicit: Fili, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis: si dixerint, Veni nobiscum, prohibe pedem tuũ à semitis eorum. Et in Numeris capite decimosexto: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, id est, malis & uanis actibus non consentiatis, ne inuoluamini peccatis eorum.

7 Filiorum peccatorum periet hæreditas, & cum semine illorũ assiduitas opprobrij.

Hæreditas impiorum.

Non sufficit nec prodest filijs magnificam prospexisse hæreditatem, nisi & in timore domini instruantur, et ea secundum deum uti discant, & id quoq; fiat, nempe hæreditatis & diuitiarum collectio cum omni timore dei, sine alicuius iniuria: alioqui si filij impij fuerint & peccatores, diuino iudicio peribit illorum hæreditas, nõ tantum ea quam pater temporalẽ comportauit, sed multo grauiori damno hæreditas cœlestis benedictionis, quã pijs ab æterno præparauit altissimus. Quin & parentes religiose uiuant & ditentur cum timore dei, si filijs prospicere uelint, alioqui male parta, male quoque à filijs dilapidabuntur: parentum quoq; malitia & criminum dif famia etiam filijs ad ignominiam perpetuam deputabitur, assiduo opprobrio filij cum parentibus notabuntur. De quibus Danielis duodecimo: Dabo uos in opprobriũ sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquã obliuione delebitur.

8 De patre impio queruntur filij, quoniã propter illum sunt in opprobrio.

Filij quemodo educandi.

Ex iam præmissa sequitur admonitio sacra, ut filij multa cura erudiantur in timore domini, ne tandem improbi filij de parentum circa se negligentia perpetuo iuste querulentur, uel malo ipsorum exemplo quo sunt deprauati, quorum tandem damnatio redundat in parentes, quorum scandaloso exemplo prolapsi sunt ad peccata, unde & conijciuntur ad inferna. Id autem intelligendũ æque de spiritualibus parentibus, prælatis & præceptoribus uerbo uel exemplo deprauantibus subditos uel discipulos. Vnde & Sapientiæ quarto: Ex iniquis omnes filij qui nascentur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua, dum scilicet de ipsis deus iudicabit & mundus.

9 Væ uobis uiri impij, qui dereliquistis legem domini altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: si mortui fueritis, in maledictione erit pars uestra.

Impij qui dicantur.

Impios quos nominet statim explicat, eos esse qui legem domini derelinquunt, & eidem obsequi uel subesse contemnunt, legem & legislatorem detestando, iuxta carnis legem & desideria uiuendo, non credentes altissimum esse, cui subesse uelint nolint cogentur. Tales uerbum dei accusat, damnationem iustam prædicit, & maledictionem non tantum ingratis, sed etiam contemptoribus. Maledicti enim qui declinant à mandatis tuis. Tam uiui quàm mortui eritis à domino maledicti, quotquot altissimum spernitis. Vita enim uestra tota peccatis semper commaculanda diffamabitur. Malis enim omnia mala sunt quæ cogitant, loquuntur & agunt: destituti sunt enim fide, qua sola iustificari poterant. Et post impie exactam uitam iubebuntur abire in ignem æternum. Sed & diabolo nascuntur impij, quoties ex contemptu dei peccant: sicut & renascuntur sancti, dum per dei spiritum fide & charitate imbuuntur, ut filij dei nominentur. Viri autem impij etiam de fœminis intelligitur: quasi dicatur: Quotquot impij estis homines, quicunq; dominum spreueritis, maledicti eritis, uiuentes & mortui, in præsenti uita pariter & futura.

10 Omnia quæ de terra sunt, in terram conuertentur: sic impij à maledicto in perditionem.

Sicut per dei uirtutem omnia hominum corpora de

terra semel condita terrena sunt, è terra nutriuntur, conseruantur & terra manent, iuxta prædominantē in corpore terrenam molem contemperatam cæteris quoque elementis, aqua, aere & igne, ut sit aptum domicilium animæ creatæ à domino spiritualis naturæ & desuper infusæ: sic ipsum quoq; corpus in terram resoluetur & remigrabit per mortem. Impij autem pro impietate sua maledicti, & salutis per deum increduli, sicut & iudicio diuino indigni in perditionem supplicij sempiterni mittentur. In hac enim uita à domino maledicuntur, cui obedire & credere contemnunt, idcoq; in futura uita inter perditos damnabuntur. Væ enim impio in malum, retributio enim manuum fiet ei, Isaiæ 3.

11 Luctus hominum in corpore ipsorum, nomen autem impiorum delebitur.

Luctus perpetuus. Perpetuam causam luctus habent homines quandiu uiuunt in suis corporibus, quandoquidē caro semper bel ligeratur aduersus spiritum, & peccatorum onere semper animus grauatur ex fragilitate corporis, ut longe tutius sit ire ad domum luctus quàm conuiuiorum, tristari de continuis calamitatibus huius uitæ, quæ pie uiuere uolentibus occurrunt, quàm gaudere de huius uitæ blanditijs uel peccatis. Vel erit fortassis sensus talis: Homines luctum simulant pro impijs iuxta corpus intereuntibus, cum plangendi sint magis pro æterno supplicio cui addi cuntur à domino. Nomen autem & fama apud utroq; male audiet, et sordebit perpetuo apud omnes, donec tandem omnino deleatur, uel cum ignominia perpetua post fata perduret. Aliter exponit Lyranus: Hominum humaniter, hoc est rationabiliter uiuentium luctus in hoc sæculo durat: affliguntur enim in uita præsenti, dum mortales degunt in corpore mortali. Præter hoc enim quod multa iuxta corpus patiuntur aduersa, dolent etiam incolatum præsentis miseriæ prolongari, differri patriæ desideriū, & continuo peccato grauari in deum. Impiorum autem nomen de libro uitæ delebitur, & insuper in damnatione gehennæ perpetuo cruciabuntur.

12 Curā habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri preciosi & magni.

Desiderium sui relinquere. Sic uiuas in hoc sæculo, ut tui desiderium multis post te pijs hominibus relinquas, ne quiddam designes criminis, unde nō tantum in præsenti uita, sed etiam post mortem apud pios diffamiam incidas, quam neutiquā ualeas abstergere. Non autem tibi finem studiorum bonorum præstituas famam in hoc sæculo, qua nihil stultius, creatori te comprobare summopere studeas, & neminem tuis malefactis scandalizare. Potest quidem & debet fama probitatis desiderari, sed ea domino offerri, à quo omne bonum, cui placere summa laus est. De consarcinatis autem diuitijs mille thesaurorum gloriari stultissimum est, quando diues omnis aut iniquus est, aut hæres iniqui. Et si quoq; iuste colligantur, non tamen per se bona sunt, nec bonum reddunt, nisi dei intuitu illis bene utantur. Longe ergo honestior fama iustitiæ est quàm diuitiarum.

13 Bonæ uitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in æuum.

Difficile quidem carnali homini est bene uiuere, spiritui diuino obsequi contra carnem & sanguinem, & bellum incessabile meditari cum uitijs & concupiscentijs, sed breue tempus durat, non diu uiuitur in ea angustia, ideo magnanimiter ferenda, & honestas conseruanda ad deum & homines: meditanda potius est æterna felicitas apud deum promissa & obtinenda, simul quoque fama probitatis post fata, ne etiam sanctus frustra apud homines uixisse uideatur. Crudelis enim habetur homo, qui famam honestatis negligit, & proximos scandalizat. Simus potius bonus odor Christi in omni loco, secundum quod ipse Christus hortatur: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est.

14 Disciplinam in pace conseruate filij: sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ utilitas in utrisq;?

Alloquitur fideles sapientia dei, deus ipse, & filios appellat, hortaturq; ut dum omnia ipsis in hoc mundo saua uidentur & felicia, tunc maxime sibi prospiciant, & in disciplina morum & carnis perseuerent, ne relaxent custodiam spiritus, uel corporis oblectamenta sectentur, sed tanto sint cautiores, quāto sibi tutiores uidentur. Vel sic: Si quando dominus increpauerit hominem pium pro erratis uel delictis, ac aduersis huius mundi castiget, tauerit, annitendum omnibus modis, ut pax & patientia animi conseruetur, ut sese totum homo diuinæ subdat bonitati & iustitiæ. Quod autem sequitur de sapientia abscondita & thesauro abscondito, propria sententia q[uo]d & non coniungitur per notam causalem in Græcis. Cōparatur autem sapientia hominis, quæ non ordinatur in usum proximi uel ad gloriam dei, sed manet abscondita, nulli utilis, thesauro inuiso nemini cognito. Vt enim thesaurus absconditus putrescit & tandem perit: sic sapientia cælata, cum iniuria dei, cuius donum est, & talentum concreditum ad usuram, & hominis qui ea indiget & fraudatur. Non tamen prodenda sapientia est ex ambitione uel iactantia, uel ad indignos. De quo dicitur: Sapientes absconduntsapientiam. Sed cum modestia tali uitentes absconduntsapientiam. Sed cum modestia tali uitentes absconduntsapientiam. Sed cum modestia tali uitent

cedunt de ore meo. Non est enim bonum omnem irreuerentiam obseruare: & non omnia omnibus bene placent in fide.

Cum multa reuerentia & gratitudine, fide & deuotione suscipite quotquot fideles estis sapientiam uerborum dei, cœlitus uobis datam eruditionem, qua sola sapientes esse potestis, procedunt enim hæc prophetarum dicta et sapientum spiritu meo afflatorum ex inspiratione mea. Omne enim uerum, iustum & pium à domino est, & non nisi uerbo dei discitur, quod & cum multa fide & reuerentia legendum est, et inquirendum humiliter, ut inde cõscientia propria & proximi ædificetur in spiritu. Habent quidem exemplaria omnia, reuertimini, quum Græcus legat ἐντραπήσεται, reuerebitur in uerbo meo. Non enim est omnem uerecundiam seruare bonum. Vt uideatur dicere uelle: Omnino reuerendum & uenerandum quàm maxime est, quicquid ex ore domini proficiscitur. Quod contrarium est illis, qui distinguunt inter consilia dei & præcepta, quasi non patris pientissimi consilium æque amplectendum sit filio, ut seriose mandatum. Quæ uero dicuntur ab alijs quibuscunq;, non apud omnes fidem merentur, sed tantũ apud eos qui uerum esse experiuntur & sentiunt, ratione persuasi & authoritate: quibus non omnia bene placent ad credendum, sed tantum uerisimilia, & uerbo dei comprobanda.

17 Erubescite à patre, & à matre de fornicatione: & à præsidente, & à potẽte de mendacio: à principe, & à iudice de delicto: à synagoga & plebe, de iniqtate: à socio & amico de iniustitia: & de loco in q̃ habitas, de furto, de ueritate dei, et testamẽto, de discubitu in panib⁹, & ab obfuscatiõe dati & accepti: à salutãtib⁹. de silẽtio: à respectu mulieris fornicarię: & ab auerfiõe uult⁹ cognati.

De quibus erubescendum.

Potest intelligi consequenter ad hunc uersum is qui præcessit, ut sit talis sentẽtia: Dicturus uobis sum ex ore meo de erubescentia non negligenda, quãdoquidem non raro displicere cõtingit alicui uerbis uel factis, quod credebatur placiturum reuera: nõ enim omnibus omnia placent. Dicam autem de quibus, corã quibus uerecundandum sit homini. Erubescite, inquam, de fornicatione, ut illam nullo modo cõmittatis, est enim ignominiosum crimen, & lege diuina prohibitum, in cuius remediũ institutum est legitimum matrimonium. Maxime autẽ uerecundãda est proli, scientibus parentibus, fornicatio filiorum: quandoquidem filia quæ in domo paterna fornicatrix deprehenditur, lapidibus præcipitur obruenda in ostio domus paternæ. Inuritur enim confusio horrenda parentibus ex insolentia filiorum, ut iudicentur & ipsi tales fuisse uel esse, quales sese ostẽtant filij, à patrum ingenio raro degenerantes, maxime autem in malo. Et uos quotquot subditi estis, & minori fortuna præditi, pluri mum erubescite, ne mendacium aliquod dicatis coram uestris præsidibus, magistratibus uel uobis potẽtioribus quibuscunq;, facile enim deprehendemini per testes, qui ad ipsorum gratiam & in tuam contumeliam non obmittent prodere tuam in uerbis perfidiam, ut tibi incommodent, et ijsdẽ magnatibus sese gratificando insinuent, nihil enim eos latere potest uerborum tuorum. Tertio ô uos subiecti principibus, regibus & iudicibus, cauete uobis summopere, & per erubescentiam uitate omne delictum graue, pro quo inferre hi solent grauia supplicia, uel pœnas pecuniarias, proculdubio enim prodẽtur illis peccata uestra. Cupiunt enim proditores prœuaricationum, ut occasio illis detur mulctandi iactura diuitiarum & uitæ: maxime autem studeas, ne obmittas implere imperata ab illis, non enim impune delinques in leges & mandata ipsorum. Quarto erubesce de crimine quocunq;, unde contrahitur infamia & contemptus coram plebe uel ecclesia, nempe de contractibus quibuscunq; iniquis & iniuriosis, publicis scilicet. Odium enim publicũ & populare ferre nec tu nec familia tua poterit, sed cura publicam iustitiam & charitatem, ut pacem ecclesiæ tuis iniurijs non perturbes: difficile est enim ferre populum sibi communiter infensum, & publicum odium. Quinto, plurimum erubescas à quacunq; iniustitia committenda pro quocunq; lucro uel commodo, in familiares amicos et fautores, quos tibi sensisti fideles, & de te sibi bona promittentes. Huiusmodi enim illusisse & perfidia aliqua imposuisse indignissimum facinus habebitur & conciliandæ amicitiæ reditum præcludit. Quid enim turpius quàm respondere maleficijs uel maledictis ei qui amicus est & sibi de te omne bonũ pollicebatur? Sexto, erubescere te oportet semper quidem de furto, maxime autem ab hominibus tui loci, ne eis inuitis quippiam auferas rerum suarum. Non enim tantũ furaris rem illi utilem, qua forsan posset carere, sed mentẽ & cogitatum eius totum inquietum reddis, dum cogitur multos habere suspectos innocentes, & pij interim homines fraudantur charitate eorũ qui se ab ipsis damnificatos suspicantur indigne, cuius simultatis, iniuriæ, odiorum inquietudinis tu te nosti authorem per totum eum locum uel uicum. Septimo, uerecundandum maxime tibi est in conspectu dei omnia peruidentis & omniscientis, si ueritati uerborũ eius non ex corde credideris, si illum uelle aut posse fallere uel falli cogitaueris, si uerbis humanis comparaueris, & non tota conscientia te illi ut infallibili credideris. Nihil enim impudentius & sacrilege magis cogitari potest, quàm si ipsissima ueritas, quæ deus est, falsa calumnietur. Et si testamentũ ipsius, quod cum genere humano & patriarchis sanctorum pepigit, non fidele, firmum, perpetuum & incorruptibile credideris firmiter. Vel dum tibi fidelem experiris atq; credis, tu illi uicissim non te exhibueris testamento stantem, & promissis suis fidem non habueris. Octauo, uerecundamini excedere, & sine disciplina agere quiddam in cœtu hilariter, amice & honeste conuescentium, ne scilicet effundaris in cibum & potum, in uerba ludicra, inhonesta uel nimia, in detractiones uel querelas de appositis. Sed & de discubitu ambitioso, & de præsumptione loci honestioris inter uocatos & conuiuas, cum scriptum sit: In loco magnorum ne steteris. Melius est enim ut dicatur tibi iuxta Christi domini documentum, quo ex hoc loco pha

risicos confudisse uidetur, nempe ita: Ascende huc amice superius. Nono, uerecunderis apud temetipsum & alios, si pro dono captato gratum te non exhibueris: & ubi aliquid dare uolueris, si id non cum decoro & digna alacritate tradideris, sed ueluti coactus uel inuitus ex necessitate & cum tristitia. Obfuscare autē datum & acceptum est improperare datum uel acceptum uilipendere. Vnde iuxta Senecam: Lex beneficij est inter duos, ut alter statim obliuiscatur dati, alter semper memoriam seruet accepti. Vnde superius capite uigesimo dixit: Donum insipientis non erit utile tibi: pauca dabit, & multa improperabit. Sed & obfuscare datum dicitur, cum tristitia donare. Decimo, cōfusione dignū est, salutatum non gratias referre, non resalutare, cum sit significatio odij uel rancoris, aut nimiæ superbiæ. Vnde superius 22. Amicum salutare non confundaris. Cum uero dicitur à propheta: Si te salutauerit quispiam, non resalutes. 4. Regum quarto ibidem expositum est. Cui simile est quod Christus dominus loquitur: Neminem per uiam salutaueritis: ut expositione non egeat. Vndecimo, erubescite aspicere diligenter mulierem fornicariam, dure enim aspicienda est, ut intelligat suam procacitatem, & frontem carentem rubore contemni, & detestari inuerecundiam. Vel, quod tutius est, auertendi sunt oculi. Non enim aspicere licet, quod concupiscere non licet. Et Iob capite trigesimoprimo: Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de uirgine. Supra cap. nono: Virginē ne conspicias, ne forte scādalizeris in decore illius. Multo minus fornicatrices & uilia scorta aspicere licet, ad cupidinem citandam paratas. Duodecimo, docet erubescendum, si à cognati facie tuum uultum indignabundus auertas propter paupertatem, ob quam illum magis clementer aspicere & consolari deberes. Si quis enim, iuxta Apostolum, suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Veruntamen non tantum iuxta carnem propinquis condolendum est, sed omnibus omnino egentibus, qui eoipso quod auxilium nostrum postulant, proximi sunt iuxta Christi domini nostri parabolam de Samaritano proximo, Lucæ decimo.

18 Ne auertas faciem tuam à proximo tuo, & ab auferendo partē, & non restituendo.

Proximus quis dicatur.

Proximus qui haberi debeat & uere sit, Christus docuit, eum qui multum ope nostra indigeat. Idem 1. Ioannis 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Et Tobiæ quarto: Noli auertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te auertatur facies domini. Quasi aliquid superioribus adiecturus infert: Et ab auferendo partem & non restituendo. Quasi dicere uolens: Erubescere quoq; & de hoc debes, si non restituas diligenter & cito, si quid cuiquam abstuleris iniuste, & iniuriato non cito satisfeceris de damno uel iniuria.

19 Ne respicias mulierem alieni uiri, & ne scruteris ancillam eius, neq; steteris ad lectum eius.

Non tantum adulterium in facto prohibet, sed etiam ipsam concupiscentiā. Qui enim uiderit mulierē ad concupiscendum eam, iam eam mœchatus est in corde suo. Et opportunitas oblata raro negligitur. Satis exponitur facto Dauidis cum Bethsabee 2. Regum undecimo. Et Holofernis concupiscentia exitialis ad Iudith. Ideo superius dictum est capite nono: Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Et ne scruteris ancillam eius, perscrutando per eandem secreta dominæ suæ, quo pacto perueniat ad explendam prohibitam cum aliena libidinem. Neq; sistere ris ad lectum eius, ut occasionem loci ac temporis auscultari uelis, & periclitari de improbo actu, solicitare fœmineam fragilitatem.

20 Caue ab amicis de sermonibus improperij: & cum dederis, ne improperes.

Erubescas quoq; non parum, si amico tuo uel proximo imperiose respondeas, quum sit superius dictum: Homo asuetus in uerbis improperij, omnibus diebus uitæ suæ non erudietur. Et qui conuiciatur proximo suo, dissoluit amicitiam. Et: Cum dederis donum, ne improperes, sed dominum deum imitare, qui dat omnibus affluenter, & nulli improperat, Iacobi primo.

CAPVT LXII.

1 NOn duplices sermonem audiueris de reuelatione sermonis absconditi, & eris uere sine confusione, & inuenies gratiam in conspectu omnium hominum.

Docet taciturnitatem in secretis commendatis ab amico. Duplicationem intelligit iterationem, ut semel secreto dictum, secretum manens, nulli reuelādo iteretur, secundum dicta superius cap. decimonono: Audisti uerbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te, confidens quoniam te non dirumpet. Deniq; qui denudat secreta amici arcana, fidem perdit. Et Prouerbiorum 20. Et qui reuelat mysteria non cōmiscearis: id si feceris, uere eris sine confusione, hac saltem parte, propter loquacitatem & perfidiam confundi non poteris. Si enim uere pius fueris, non te mouebunt mala audita de alijs, non infidebunt animo, non facile credes, non alijs reuelabis, habebis quasi non audieris. Quin & re uera citius pleruq; obliuiscēris, nec te patieris huiusmodi loquacium linguis in tuis sacris studijs interturbari. Cumq; talem te gesseris, inuenies gratiam in conspectu omnium hominum, cunctis eris acceptus ob fidem & modestiam sermonis, ob taciturnitatem. Non traheris in forum ob perperam effutita uerba in quenquam, sed tecum manebis in pace, tranquillus in conscientia & in foro, dilectus ab hominibus, & deo gratus.

2 ne pro his omnibus confundaris: & ne accipias personā, ut delinquas. De legalissimi, & testamēto, et de iudicio iustificare impiū, & de uerbo sociorum & uiatorū, &

& de datione hæreditatis amicorũ, de æqua litate stateræ & ponderum, de acquisitione multorũ & paucorum, de correptione emptionis & negotiatorũ, & de multa disciplina filiorum, & seruo pessimo latus sanguinare.

Adhuc plura enumerat mala cuitanda diligenter ab hõminibus sanctis, ne confusio incidatur & damnatio in iudicio dei. Ne, inquit, pro his omnibus confundaris, de quibus ſum nunc loquturus. Primũ aũt contrariũ omni iustitiæ est, accipere personatũ, hoc est, ob personæ respectum, quia chara, honorabilis, diues, munifica, cõsanguinea, uel potẽs, decernere iudiciũ iniquum. De quibus dicitur: Multi colunt personã potentis, & amici sunt data tribuentis, quod odit dominus, quia non ipse sic facit. Additur: Vt delinquas. Quia alioqui amare eos qui pro deſſe possunt, iniquum nõ est, et qui redamant naturale est, sed non delinquendum est propter tales, ad iniuriam alterius, & à iustitia declinando. Primum autem de personarum acceptione admonet, quãdo ea peccatur cõtra totã legem, quia contra charitatem ad proximum & ad deũ, in qua pendet lex tota & prophetæ. Deinde cauẽdũ monet à trãsgressione legis quã tulit altissimus et omnipotens, in qua docetur, quid domino deo nostro debeamus & proximo, omnibusq; hominibus, ut saluus consistere possit status hominum, cuius obseruantia dominus non indiget, sed nos homines, iubet tamen propter nos. Cauendũ quoq; docet ab offensa in testamentũ domini, ut pactis cũ deo stetur, illi credatur, ipse tantũ habeatur deus omnis sufficientia nostra, ille solus colatur, fide, spe, & charitate. Sicut ipse cõtinuo seſe nobis præstat pientissimum patrẽ, & in omni bono noster est, & in nobis omnia operatur, & nos in illo uiuimus. Testamentum autẽ dicitur unum ueteris & noui canonis scripturarũ, in quo discimus quid nobis dominus sit, beneficiat, impetret, quid illi obligemur uicissim, & quid proximis, propter quid animã acceperimus & corpus, mentẽ et sensũ. De quo iã alij plura. Cauendũ præterea docet, ne quacunq; de causa impius in iudicio iustificetur, qui meruit damnari, ne iniqua dicatur cõtra quemcunq; sententia, sed iustum iudicium iudicetur. Ne interficiantur animæ quæ uiuificari debent, & iustificentur impij qui dãnari. Dicitur enim Prou. 17. Et qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est uterq; apud deum. Caue deniq; ne confundaris ex incircumspectione uel perfidia contra proximũ tuũ, sociũ uel comitẽ itineris, uel laborem itineris effutita, in illius iacturam, iniuriã, confusionẽ prodas, quod ipse ferre nolles uel nõ possis. Reuelatio enim huiusmodi secretorum maxime charitati repugnat, & paci publicæ. Sed & ne pecces cauendo circa distributionem hæreditatis tuæ, ne quod dignis & amicis iustisq; debetur hæredibus & simul indigentibus, id inique dones indignis, extraneis, iniustis, otiosis & bonorum tuorum inuentaris iniquus administrator, quæ dei beneficio legitime distribuenda accepisti. Hæc enim peccata clamant in cœlũ, & audiũtur ab irato, sed iusto iudice, pauperũ & orphanorũ patrono clemẽtissimo. Septimo iã caueas, ne ponderũ & stateræ æqualitatẽ transgrediaris, hoc est ab omni iniquo cõtractu cũ proximo, ne quẽ decipere uelis, ne sint in domo uel usu tuo põdus & põdus, mensura & mensura, ut publico furto graues non tantum diuites sed & pauperes. Et ea ratione qua seſe tueri non possunt, per iniustitiam tyrannicam quãcunq;. Stateram insuper dolosam habet, quicunq; aliter causam potẽtis librat quã pauperis, qui errata propria leuiora putat quàm aliorum, qui imponit onera gratia alijs quæ ipse digito non contingit. Octauo cauendum, ne in acquisitione multorũ uel paucorũ inique se gerat quispiam ad suum quemlibet proximum, per fraudem, rapinam, furtum, aut aliter. Quasi dicere uelit: Nihil ac quiras iniuste uel acquisitum retineas, siue id parum sit siue multũ, quod enim tibi parũ uideri potest, id egenis habetur multum: & domino deo similiter tam in dato quàm in accepto, ut Christus de uidua loquitur. Nono quoq; prospiciendum cuiq; docet, in negotijs negotiatorũ nominatim & emptionũ, ne corrupta mente & cum perfidia tẽtetur, mendacijs scilicet & iniusto pretio per dolum, plus iusto uendendo sua, uel minus iusto emere aliena. Quod nostri codices quidã, corruptionem emptionis habent, quidam correptionem, Græcus habet ὑπεροχὴν excessiua uel differente: hoc est, ne pluris nimio emptio constet aut uenditio. sed iuxta moderamen charitatis utrinq;, ut ea æstimatione detur, in qua cæteris paribus accipi posset. Decimo monet, ne excedatur in diligentia filiorum corrigendorum, ne in utranq; partem peccetur, uel nimium indulgendo, uel nimium corrigendo, sed medium seruetur, secundum illud Pauli: Nolite ad indignationem prouocare filios uestros, ut non pusillo animo fiant, ad Ephes. 6. ne fugitiui fiant & acerbi nimium, & crudelia meditentur uel stupidi. Id quoq; de discipulis intelligendum, & omnibus qui patres aliorum sunt uel dicuntur. Ne quid uel nimis uel minus. Vndecimo quoq; curandum, ut seruo improbo non nimium parcatur, qui nec gratia nec uerbis nec mediocri disciplina uult emendari, is grauiori mulcta afficiatur, ne quid peius meditetur, usq; ad dorsi laterum læsionem, & sanguinis perfusionem, quo fiat humilior & timoratior. Simile quid superius quoq; cap. 33. dictum est: Seruo maliuolo tortura & compedes. In omnibus tamen istis flagellis moderamen seruandum est, & humanitas cogitanda, ut iuxta mensuram delicti, sit & plagarum modus.

Accipere personas.

Testamentum domini

Reuelatio secreti.

Fili corrigendi.

3 Super mulierem nequã bonũ est signũ.

Connumerare uidetur prædictis aliud quoddam quod si duodecimũ, de quo uel maxime etiam curandum sua deat sensus & experientia. Vt adhibeatur signaculum uel clausura, et non indiligens cura, uxori prauæ, uagæ, & lasciuæ, ne euagetur & libere peccet, maritiq; bona dilapidet. Et de filiabus quoque supra monuerat 7. cap. Filiæ tibi si sint, serua corpus illarum. Non displicet iste quoque sensus, ut connectatur priori hac ratione: iuxta mulierem nequam seruum pessimum acriter flagellare, uel ea ratione potes, ut ipsa uisa disciplina serui, sibi quoque timendo ut sine uerberibus proprijs emendetur &

Mulier nequam curanda.

percuti eam necesse nõ sit, iuxta illud Prou. 19. Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.

4 Vbi manus multæ sunt, claude: & quod cunque trades, numera et appende: datum uero, & acceptum omne describe.

Religio dati, & accepti.

Moralia documenta multa & apprime utilia tradit, qualia & nõ raro Christus dominus docere dignatus est, ne nos talium eatenus pudeat, ut allegorias comminisci malimus. In domo uel familia ut commorantur multi homines, siue filij sint siue famuli uel ancillæ aut etiam hospites, ibi res tuas diligentius claude, ne forsitan inter tot nõ desit quispiã qui furari audeat, cernens se inter multos minus posse notari uel deprehẽdi, dũ suspicio interim augetur, & non raro incidit in innocentiores, & sic trãquillitas ex hoc in domo læditur. Aliud subinde documentum est utile: Si quid alicui de familia patersfamilias dare uelis, quod uel restituendũ sit uel pretio uendendũ, istud diligenter numera uel appende, aut mensuratim expone, ut & accipiens intelligat se non posse quicquã ad numerum fraudare, & tu non erres in exactione uel supputatione. Nec id uult sufficere, nisi & datum uel acceptum in rationarium annotetur, ne quis iuxta tempus error incidat, & tranquillitatẽ interturbari cõtingat. Pertinent enim ad pacẽ priuatã & publicam, certæ, fideles, & diligentes supputationes, quæ sine huiusmodi diligentia facile corrũpuntur, ut charitas lædatur, quæ uinculum est reipublicæ. Certa ratio confirmat amicos. Huiusmodi doctrinæ etiam ecclesijs propositæ multum prosunt, & negligendæ non sunt, & non sine sancti spiritus illustratione insertæ sunt sacris literis & ecclesiasticæ doctrinæ.

5 De disciplina insensati & fatui, & de senioribus qui iudicantur ab adolescẽtibus & eris eruditus in omnibus, et probabilis in conspectu omnium uirorum.

Corrigendi qui nõ sint.

Iterum ut in superioribus subintelligendũ est uerbũ, Caue tibi à disciplina insensati & fatui, hoc est abstine à correctione uel exhortatione eius, quem nosti fatuum, nihil enim proficies in ipso, & apud te ipsum pericliteberis, non enim æquanimiter audiet, sed ad iracundiam concitabit, ubi autem auditus non est, nõ effundas sermonem. Et Prou. 23. In auribus insipientiũ ne loquaris, quia despicient doctrinã eloquij tui. Caue denicq; ab his senioribus, qui sic uiuunt immoderate et insolẽter, ut de eis etiam iuniores scandzaliari possint, & non sine iusta ratione iudicare eosdem. Non raro enim iuueniuntur iuniores quibusdam ætate senibus circumspectiores & doctiores, magisq; pudici & maturi. Nõ est enim ætas iuniorum semper despicienda comparatione seniorum, in doctoribus maxime & prælatis, unde & ad Titum Paulus: Nemo adolescentiam tuam contemnat. Quanquam & intelligi possit ad contrarium, ut abusus tollatur, quo iuniores ætate & moribus, senes iudicare præsumant. Quod autem sequitur pertinere uidetur ad omnia prædicta documenta, ut si illa diligenter didiceris & perfeceris, eruditus eris in omnibus, hoc est multis. Ex his enim paucis, alia quoq; multa intelliges, erisq; probatus & charus ceteris hominibus, quibus cum conuersaris. Qui enim per congruam disciplinam quenquã arguerit, eruditum & probabilem doctorem in conspectu sanctorũ sese ostendit, quibus solis placuisse sufficerit, etiã si interim ut sit fatui oderint.

6 Filia patris abscõdita est: uigilia & solicitudo eius aufert somnũ, ne forte in adolescentia sua adultera efficiatur, & cum uiro cõmorata odibilis fiat, ne quando polluatur in uirginitate sua, et in paternis suis gratur in uirginitate sua, et in paternis suis gratuida inueniatur, ne forte cũ uiro cõmorata transgrediatur, aut certe sterilis efficiatur

Admonitio quædam uidetur communis dicti: Proles cõminor paruam exigit solicitudinem, maiores maximã, ut uero in primis de filiabus sentitur, quæ cum nubiles esse cœperint, non sine graui & molesta solicitudine asseruantur, quæ etiam si pater domi absconderit, non tamen solicitudine exonerabitur. Possunt enim et domi, si ambiãtur, comprimi. Vnde & parentibus adducit uoctes insomnes pro cura filiæ & impendentibus periculis. Timere enim cogũtur ne insolenter uiuẽs filia, familiæ et parẽti dissimiam inferat, si copulata marito fidelis non perstiterit, sed non contenta eo marito, fiat odibilis propter lasciuiam. Alius quoq; parentum timor incumbit, ne sorte supretur adhuc existens in parentum domo, unde ignominiam patris, eam iuxta legem lapidari cõtingat. Sed & nõ modica olim patribus cura erat, ne sortè qualibet ratione sterilis filia fieret, & maledictionis illius rea iudicaretur, quæ habebatur de sterili Deut. Longe autem probrosius, si iam marito cohabitans, ex educatione mala insolentior adultera deprehendatur et lapidanda. Multa ergo solicitudine ab infantia instituendæ sunt filiæ, ut discant castimoniam, pudicitiam, horrorem uirorum, donec tradendæ sint nuptui.

7 Super filiam luxuriosam confirma custodiam: nequando faciat te in opprobrium odiosum, & uenire inimicis, à detractione in ciuitate, & obiectione plebis, & confundat te in multitudine populi.

Si ex signis, quæ multa sunt, deprehenderis filiã tuã propensam ad luxuriam, procliuẽ ad consortia & colloquia adolescentum, diligenter talem custodias domi et foris, ne quando occasione oblata stupretur, & tu incurras ignominiam et confusionem, non tantum in tua conscientia et familia, sed etiam derisui pateas inimicorum tuorum, insultantium, & tibi imputantium turpitudinẽ filiæ tuæ, & de angustia tua lætentur, ut sis duplo miser, dũ de tua miseria hostes tibi gratulantur: sed & conciuium tuorum iudicio iustè increpaberis, ex ruina eius, quã imprudentiæ tuæ adscribent & negligentiæ: unde & abiectio plebis in multitudine populi eris, & abominatio ex confusione filiæ, quam nimis blande nutrieras et sine solicitudine necessaria. Cõsuetum enim totum uulgus obloqui parentibus, & non indigne, qui filiam meretricem sortiuntur & petulantem.

8 Omni homini noli intẽdere in speciem: & in medio mulierũ noli commorari: de ue-

stimen-

uestimentis enim procedit tinea, & à mulliere iniquitas uiri.

Non est incaute & curiosius inspiciendum, quod non est desiderandum, ideoq; nec mulier uirum, nec uir mulierem ex specie admiretur, & cum uoluptate aspiciat, ne sensualiter & ad peccatum afficiatur, unde anima polluatur, & insurgat tentatio, & mors per fenestras introeat. Multo minus iuuenis uel uir quicunque, tutum sibi putet cohabitare extraneis mulieribus, unde periculum inciditur castitatis. Species enim mulierum, eloquium, gestus & ornatus, & quicquid in eis est flamma est, ideoq; speciem mulieris alieni multi admirati, ardescit. Nihil autem tutius & sanctius quàm matrimonium colere. Sicut autem de uestimento generatur tinea ad eius corruptionẽ, sic ex muliere iniquitas mulieris: sic enim Græcus legit. Vel ex muliere extranea uiro accidit scilicet affectuum malitia & carnis iniquitas, dum aspectu, affatu, tactu, & cohabitatione uiri ad libidinem excitantur, & mulieris nutibus capiuntur. Mulier enim uiri pretiosam animam capit, & iniquitatis ream constituit, uel solo aspectu. Nunquid enim potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut uestimenta illius non ardeant? &c.

Tollerũ pe cula.

9 Melior est eẽ iniquitas uiri, quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium.

Commoratio fœminæ.

Securius est homini habitare & commorari cum uiro aliquo malo & insensato, quàm cũ muliere bona & speciosa longo scilicet tempore: parit enim societas familiaritatem, familiaritas affectus conciliat, qui ut uehementes sunt inter amantes, & maxime in fœmina, tandem & fragiles deprehenduntur. Quin & honestas, uerecundia, probitas, & facetiæ, omnia promouent in uiro amorem, qui licet ab initio syncerus appareat, degenerat tamen in carnem. Omnibus enim istis rationibus fœminæ placent, & ad libidinem etiam nolentes trahunt, unde peruenitur tandem ad confusionem & opprobrium.

10 Memor ero igitur operum domini, & quæ uidi annunciabo in sermonibus domini opera eius.

De magnificis dei operibus consequenter dicturus quædam, hic ueluti per modum præfationis incipit, dicens, Posthac studebo bonitatem dei & potentiam ostendere, inuestigandam ex suis operibus, quæ sunt omnis uisibilis & inuisibilis creatura, cœlestis, terrestris, homines quoq; sancti, quorum omnium fieri & esse & operari, ex domini uoluntate omnipotente dependet. Ideoq; ab omnibus unicus unice est suspiciendus. De quibus omnibus pro uirili dicam ea quæ uel ipse uidi, & didici experientia iugi, uel ex diuinis uerissimis & infallibilibus sacris libris & literis legi, diuinitus reuelatis. Ea autem annunciabo, ad creatoris honorem & ad proximorum ædificationem.

11 Sol illuminans per omnia respexit, & gloria domini plenum est opus eius.

Solis laudes.

Inter omnia creata, nullum est clarius speculum manifestatis diuinæ & supereffluentissimæ bonitatis, generalium operum diuinorum uestigium & exemplar, quàm sit sol ipse, indeficiente lumine & calore, uim suam semper omnibus administrans, sine omni parcitate & defectu ex parte eius. Vnde ut omnibus lumen: sic quoq; uirtus & operatio, tanquam per nobilissimum dei instrumentum per omnia diffunditur, omnia enim respicit et intuetur, sine quo nihil aspici potest aut uideri oculis, ipse tamen à nullo homine uisibilis, cũ spectabilia reddat solus omnia. Lux enim ad uisionem requiritur. Ipse enim sol omnipotentis dei opus, & manuum eius factura nobilissima, plenus est gloria domini, qui & ipse maiestate sua penetrat uniuersa. Pleni sunt enim cœli & terra gloria eius, in quibus omnibus operibus suis dominus lætatur. Maxima autem & summa operum diuinorum impletur per solem, qui omnia reliqua illuminat, & sine cessatione renouat terram herbis & floribus, iuxta uarietatem aspectus. Non est enim dies in anno, in quo non alicubi in terra uer est aut æstas, aliter quidem & alibi nobis aquilonaribus, & alio tempore, alio autem austra libus, pro uarietate zonarum quinq;, quæ adsignantur in cœlis & in terra. Nunquam enim uirtute sua cessat, deficit, uel fatigatur, multo minus exhauritur. Longe potentior & bonitatis suæ liberalior dispensator est solis illius creator, gubernator & conseruator, à quo sol ipse esse & operari mutuatur & accipit.

12 Nónne dominus facit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmauit dominus omnipotens stabiliri in gloria sua?

Dei gloria.

Dominus ipse deus stabilis in gloria sua, inuariabilis in maiestate & omnipotentia sua, & in beatitudine sua, summe & supra quàm summe felix, & nullius indigens, uel susceptiuus boni, cuius est infinita perfectio omnium, quæ est & habet. Is est omniscíens, & nihil non præsentialiter cognoscens, sine principio uel fine, uno æternitatis instante uel momento omnia coram cernẽs. Qui secundum temporis ab ipso pro nobis decreti ordinem, sanctos patriarchas, prophetas, apostolos, aliosq; heroicos, ex sua gratia uiros, illustrauit & instigauit suo spiritu, ad prædicanda uniuersa magnalia opera sua, & ad posteritatis usum scribenda. Cum tamen interim ipse suo spiritu doceat de omnibus, quos & quantum uult, mysteria naturæ, gratiæ, & gloriæ. Hinc & Psalmista ait: Confitebor domino in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Habent codices quidam, Dominus omnipotens stabilis in gloria sua. Græcus autem, Firmauit dominus omnipotens, ut firmaretur in gloria sua uniuersum. Totam enim gloriam ornatum & mirabilem ordinem suum mundus habet ex unica uoluntatis diuinæ iussione, & inenarrabili omnipotentia, bonitate & sapientia sua.

13 Abyssum, & cor hominum inuestigauit: & in astutia eorum excogitauit.

Abyssum intelligit quicquid in mundo imperuestigabile est, secundum profundum, altum, longũ, & latum, omnia autem quantumlibet abstrusa & recondita domi

Cordis abyssus.

nus clarißime intuetur, & sic conseruat, quasi iam nũc faciat: omnia enim deo sunt præsentia, uno ut dictum est mdiuisibili momento, nihil illi præteritum uel futurum. Et insuper omnibus cæteris creaturis imperuestigabile cor humanũ, solus dominus clarißime perspicit, discernit, & semper iudicat, longe illi præsentior, quàm sit ipsummet sibi. Vt non sit quæcunq; astutia, hoc est cogitatus quicunq; hominis, quem deus non intueatur, sicut nec uolitio uel consensus, multo magis opus tam spiritus quàm corporis humani. Sic agnoscit coram dominus astutias, id est cogitationes quascunq; homunũ, quasi ipse cogitasset, qui omnia agit in omnibus. Et uult cor humanũ solus possidere, unde & illud toties in scripturis poscit, & illud inhabitare dignatur.

14 Cognouit enim dominus omnẽ scientiam, & inspexit in signum æui, annuncians quæ præterierunt & quæ superuentura sunt reuelans uestigia occultorum.

Scientia dei.

Dominus sic scientiarũ dominus est, ut ignorare prorsus nil possit, est enim substantialiter intellectus, & sapientia ipsa perfecta & infinita, eminenter & exemplariter continens quicquid sciri potest, nulla enim creatura illi est inuisibilis, cuius ubiq; sunt oculi. Et inspexit in signũ æui. Quicquid durat & stabile perseuerat post initium, æuo mensuratur, totum autem simul unico aspectu intuetur semper, omnes mundi ætates luculentißime sibi præsentes uidet & moderatur, apud quẽ nihil præteritum, nihilq; futurũ. Qui uocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Roma. 4. cap. Annuncians quæ præterierunt. Sic enim de mundi exordio, deq; his quæ ante diluuium erant necessaria scitu Mosi reuelauit, & quæ interim facta sunt per prophetas & scripturas. Et quæ superuentura sunt, ueteris & noui instrumenti mysteria quoq;, iuxta illud Isaiæ: Priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierũt. Reuelans uestigia occultorum. Opera sapientiæ creatricis per quasdam similitudines & uestigia quædam dei reuelat. De quibus Iob 11. Forsitan uestigia dei comprehendes, & usq; ad perfectum omnipotentem cognosces. De quo Danielis 2. Ipse reuelat profunda & abscondita, nouitq; in tenebris constituta.

15 Non præterit illum omnis cogitatus, non abscondit se ab eo ullus sermo.

Scientiam & usum dei non præterit ullus cogitatus hominis, dæmõis uel angeli, siue bonus siue malus, subq; eius iudicio uniuersa cadunt, secundum illud in Iob: Scio quod omnia potes, & nulla te cogitatio latet. Nec res aliqua quæcunq; sit ipsa, quin & uel minimus sermo et elocutio, dominum hunc uniuersorum latere potest, ut nobis cognoscamus adesse maximam necessitatem bene cogitandi, loquendi & agendi, positis in conspectu dei omnia cernentis, & omnia iudicaturi. Qui & loquetur in nobis de suo beneplacito, & iugiter pulsat pectus animæ, si dignetur attendere & audire quid in ea loquatur dominus, & paulisper feriari à carnis operibus & cogitatibus, dominoq; sabbathum agere, ut opus suum operetur in nobis.

16 Magnalia sapientiæ suæ decorauit: qui est ante sæculum & usq; in sæculum, neq; adiectum est neq; minuitur, & nõ eget alicuius consilio.

Magnitudinem sapientiæ suæ deus monstrat in admirabilibus operibus suis, in decore insignißimo, Solis, Lunæ, & stellarum, in terræ germinibus, animalibus, & reptilibus maris, quæ cuncta moueri dat ipse immobilis. Temporaliaq; cuncta moderatur & ordinat ipse æternus. Diuinæ perfectioni ne dum sapientiæ, sed & potentiæ & bonitati addi aut subtrahi nihil potest, quorum omnium intrinsecus modus est sine modo, & infinitas ipsa, ut accidens nullum cadat in diuinitatem. Nec egeat alicuius cõsilio, sine quo nullus est intellectus. Perfectus est enim in seipso, & ipsißima sapientia uel sapientiæ abyssus. Cum quo igitur iniret consilium? quis ipsum instrueret? quis illum semitas iustitiæ doceret? Quis consiliarius eius fuit? non qui acciperet eius consilium inspiratum, quales multi semper, sed qui daret deo cõsilium, & de agendis doceret.

17 Quàm desiderabilia omnia opera eius, & tanquam scintilla quæ est considerare.

Valde bona, pulchra & amabilia sunt omnia opera dei. Vidit enim dominus cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona, quia dei bonitatem prædicantia, & miram dei potentiam & sapientiã dei. Quæ tamen omnia quamlibet magnifica opera, si diligentius considerentur, tanquam scintilla quædam modica erunt, respectu uocis cum scriptibilis dei creatoris. Parum enim clare intelligimus creaturas & minimo numero, iuxta illud in Iob. Ecce hæc ex parte dicta sunt uiarum eius, & cum uix paruam stillam sermonum eius audierimus, quis potest tonitruum magnitudinis eius intueri?

18 Omnia hæc uiuunt, & manent in sæculum, & in omni necessitate omnia obediunt ei.

Nobis quidem hominibus uiuere tantũ uidentur quæ crescunt, sentiunt, & intelligunt, de talibus enim iudicare potest intellectus humanus. Quid autem prohibet uerum esse quod hic dicitur, Omnia hæc uiuunt, scilicet ea uita qua dominus ea uiuere uoluit & instituit, etiam nobis miseris caducisq; hominibus non intelligibilibus? habent enim & angeli & animæ suas uitas, deo subiectas, longeq; feliciores, q̃ ut eas nos complecti mortalitatione possimus. Recte ergo utriq; dixerunt, qui uiua omnia dixerunt, & qui negauerunt: nemo non intelligit ea moueri intelligentia quadam mouente, qualiscunq; ea sit, aut qualitercunque adiuncta. Vt autem in sede maneant inquisitione non eget. Vtq; omnia hæc subiecta sint ordinationi creatoris, cui perfectißime obsequuntur & obediunt, satis liquet aliter ea non posse, nec si intelligant aliud uelle possint, quàm diligentißime impleta perficere. Ea autem dei opera quæ corruptibilia facta sunt, manent tamen semper in suis similibus donec finiatur domino uolente mundus, semper permansura hoc modo, si deo placuerit.

19 Omnia duplicia, unum contra unum, & non fecit quicquam deesse.

Omnia

Omnia esse duplicia eatenus uerum est, ut uix possit ad integrum explicari. Est enim deus & creatura, spiritus & corpus, uerum & falsum, iustum iniustũ, sursum deorsum, dextrum sinistrum, uirtus uitium, Babylon Ierusalem, præteritum futurum, calidum frigidum, humidum siccum. Quorum omnium semper unum est cõtrarium. Vtcunq; autem contraria uideantur, omnia tamen et singula perfecta sunt in essentia sua, ut nihil ipsis desit, sed pro ratione propria quodlibet in seipso mundum adornat, & deo creatori seruit ad bonũ. Electisq; omnibus bene hæc cedunt, & ad completionem ordinis in uniuerso, in quo unum contra unum, ut utrunq; consistat, & seruiat domini uoluntati, qui omnia constituit in numero, pondere & mensura, in quo nullus defectus. Sunt enim dei perfecta opera, uestigia quædam perfecti onis diuinæ, finita infiniti.

20 Vniuscuiusq; cõfirmabit bona. Et quis satiabitur uidens gloriam eius?

Quicquid boni inuenitur in rebus, domino cõseruante durat, qui omnium rerum naturas dedit, conseruat et in eis operatur, ut sit ueluti ipsa natura omnium, natura scilicet naturans, secundum aliquos, à quo omnia pendent, & ad certam periodum perducuntur, ut cessent, & in melius transmutentur, iuxta ordinem primæuum institutum à domino, in iustitia & sapientia, secundum quem conseruantur ac durant. Et quis satiabitur uidens gloriam dei? Quanto enim quisquam amplius proficit & lætatur, contemplando creatoris magnificentiã, tanto plus perfici quærit et desiderat, donec facietenus tandem anima summum illud bonum assequatur, sine molestijs corporalibus in hac uita, illo bono immenso fruitorus, sine omni fastidio, cum plena satietate de omnibus pariter bonis.

1 CAPVT XLIII.

ALtitudinis firmamentũ pulchritudo eius est, species cœli in uisione gloriæ.

In fine capitis præcedentis inuitauerat author ad laudem dei ex eius operibus, incipiens à sole, ubi & fuerat iussius caput inchoandum. Sed iamdudum didicimus perperam diuisa capitula. Hic uero de firmamento prosequitur, octauo scilicet cœlo, quod & stellatum est, quod licet lumen pro stellis mutuetur à sole, & multo sit altius, Solẽ tamen in primis nominauit nũc firmamentum, quod nominat altitudinis firmamentum, hoc est omnium quæ uidentur altissimum. Videtur autẽ non aliter firmamentum illud q̃ per stellarum lumen. Supra quod nona sphæra ab astrologis, propter motum trepidationis, qui notatur à stellarum motu. Et insuper decima, quæ primum mobile dicitur à philosophis, quibus omnibus altius cœlum & immobile assignatur à theologis, quod Empyreum nominant uel igneum, ob splendorem, locus secundum doctores spirituum & animarum sanctarum proprius. Hic uero firmamentum istud pulchritudo dicitur omnipotentis scilicet dei, propter claritatem, ordinem, uenustatemq; astrorum, quorum præcipuum sol est, fons luminis & omnis puchritudinis: sine quo nihil conspicuum cum sit, nihil pulchrum absq; eo dici meretur, cum tamen sit opus dei, & species cœlorum mundiq; totius, unde est omnis gloria, decor & iucunditas uisionis, & omnium quæ uidentur. Quid enim in dei uisibilibus operibus gloriosius, pulchrius, speciosius, & uirtuosius sole? quo nobis indicatur diuinæ bonitatis, sapientiæ, & omnipotẽtiæ præstantia, ut à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, ipsa dei inuisibilia conspiciantur. A magnitudine enim creaturæ & specie sic potest creator horum uideri.

Firmamentum.

2 Sol in aspectu annuncians in exitu, uas admirabile opus excelsi.

Solis pulchritudo.

Quid potest cogitari illustrius & admirabilius, iucundiusq; Sole ipso in omnibus actionibus eius, quas experiuntur omnia naturalia, maxime uero in exortu suo, dum rutilando per auroram orizonta pertingit, et egreditur ueluti sponsus de thalamo suo, ut ueluti fortissimus gigas currat ab ortu suo, usq; ad summum, & à summo cœlorũ occursus eius usq; ad summum oppositum. Nec est alicubi quod sese abscondere possit à calore eius. Vere itaq; uas est admirabile, & instrumentum dei omnipotentis aptissimum, quod ipse condidit, & ad operandum uitæ sensibilis & naturalia ordinauit, propter quod & stulti philosophi, creatorem omnium ignorantes, hanc solis creaturam nominauerũt patrem hominum & deorum: cum sit potius opus excelsi & summi ac unici dei patris, euidentissima summæ & increatæ lucis imago.

3 In meridiano exuret terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere?

Locutiões scripturæ.

Scriptura sacra ubiq; dissimulat eruditionem sapientiæ humanæ, loquiturq; non philosophorum more, sed populari & simplicissimo, ideoq; nihil de quinq; mundi zonis, nihil de solstitijs & æquinoctijs, de climatibus nihil, de planetis uel constellationibus, cœlorum numero, motu, & cæteris. De sensibilibus tantum rebus, & omnibus hominibus nõ ignotis loquitur, adq; eam formã qua passim homines utuntur loquendo & iudicando. Alioqui meridies semper est soli, semper oritur, semper occidit, semper utitur radijs directis & obliquis, omnia iuxta uarium aspectũ terrarum ad ipsum, de quibus uulgus non nouit, sed iudicat iuxta sensum cõmunem, quem omnes assequuntur in rebus istis. Calore fortissimo sol exurit terram, quando meridianum assequitur circulum siue plagam. Cuius directos alicubi radios nemo hominum sufferre potest, in australi plaga habitantium, præsumio caumate: unde meridiano tempore sese abdũt homines & pecora, idq; fit in toto mundo, eodem calore, unici solis, domino sic uolente.

4 Fornacem custodiens in operibus ardoris.

Sol iste inflat & calefacit, non aliter mundum totum sine intermissione, quàm fornax aut furnus ex ignibus, miraculum maximum totius naturæ, & stupendum omnibus intelligẽtijs, nisi assiduitate tantũ dei miraculũ, & tanta solis uirtus stultioribus uiluisset. Græcus legit, Fornax insufflans in operibus ardoris. Similitudinis notasubintellecta, pro more Hebræorũ. Quasi dicatur ad

literam: Sol ipse talis & tantus, maximi & uirtuosissimi ardoris fornacem præ se fert, totum mundum custodiens, & conseruãs in operationibus naturalibus à deo ordinatis.

5 Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens, radijs suis obcæcat oculos.

Longe uero efficacius suscipiunt montes ardores radiorum solarium, quàm ualles quæcunq;, aut planicies. Opponuntur enim istis radijs mane, meridie & uesperi, semper suscipientes aliqua sua parte directos solis radios. Dum oritur enim sol, recta iaculatur in latus montis orientale: sic de latere australi & occidentali. Nihil hic subtile & artificiosum intendit spiritus sapientissimus, alioqui de montibus sub æquinoctiali, iuxta uarias anni partes nasutiora tractasset, & de uarietate umbrarum, ad quatuor uel tres partes, deq; dierum longitudine, usq; ad uiginti & amplius horas uno die, deq; perpetua nocte & die per aliquot menses, de quibus omnibus uerissimis etiam dogmatibus, nihil docet spiritus scripturæ sacræ, de quibus prophanæ literæ mire sibi placent, & qui talia didicerunt. Et hic uehementer allegorizant alij, ut explicent triplicem hunc solis ardorẽ, cum omnia clare dicat, igneos solem intendere radios, uehementissime refulgere in omnia omni tempore. Et oculos quoque numium curiosos aspectu irreuerberato intendentes excæcare: quid hac re lucidius & mirabilius?

Eruditio humana.

6 Magnus dominus qui fecit illum, & in sermonibus eius festinauit iter.

Pauca quædam, sed magnifica cum dixisset de creatura solis, præter omnẽ philosophorũ morem, statim rapitur in admirationem & gloriam creatoris, illum glorificando in suo opere. Hæc enim pia doctorum consuetudo est, ut ex factis opificẽ prædicent, ut cuncta de quibus inquirunt & quæ reperiunt in gloriã referant conditoris, nihil de sua eruditione superbiant, simpliciores non contemnant, non placeant sibijpsis, sed unde sint sapiant, pendeant, & cui obligentur omnia, cogitant ac sunt soliciti. Id si quis doctior sibi uisus non agat, is nondum nouit quomodo sit sapiendum, is non se existimet sapientem. Ideo hic author statim ad solis magnifici considerationem, assurgit digne ad contemplationem conditoris. Magnus, inquit, dominus qui fecit solẽ, qui in uno solo corpore tantum posuit lucis, uirtutis, & causalitatis, ut ad præceptum dei, à tanto tempore non cesset festinanter exequi, & sine tædio tantum cursum quotidie ac sine intermissione cõficere, ad salutiũ & conseruationem omnium quæ sunt in mundo superiori & inferiori. Tale aliquid prophanos didicisse uel dixisse non inuenies in omnibus libris ipsorũ, taliũ discipuli hodie sunt, qui ut sapiant præ alijs, cogitant: præterea nihil.

Ex factis factor.

7 Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, & signum æui.

Luna quoq; secundum motum suum, & iuxta luminis sui augmentum & decretum, secundum propinquitatem & distantiam cum sole, unde lumen suum sensibiliter mutuatur, apud omnes in orbe gentes, ostensio est temporis, ut intelligant quid quo tempore seminandum, plantandum, eradicandum, resecandum, &c. Sed & apud omnes signum est æui. Quandoquidem ex motu solis menses, & ex mensibus annus supputãtur. Aspici enim diligentius potest, & distinctius discernitur ipsius lunæ motus, qui & breuior est, & hominum curiositati excendæ aptior ob uicinia, & nobis notabiliorẽ magnitudinem prodit, cum sit astris cunctis mole minor, præter Venerem, ut aiunt, atq; Mercurium.

Luna.

8 A luna signũ diei festi, luminare quod minuitur in consummatione.

Vsus alius lunæ describitur, pro conuocandis coetibus sacris, ad solennia excolenda, non tam dominorum quã hominibus, qui exhortatione egemus ad fidem & charitatem, uerbis, signis, doctrinis, & gratiarum actionibus, cuiusq; sionibus quoq; laudum diuinarum & peccatorum. Hinc instituta sunt à domino festa secundum tempus determinatum ex motu lunæ, ut Paschalis dies ad XIIII. lunæ primi mensis ad uesperam. Et neomeniæ uel kalendæ, solennitas ad incensionem quamlibet uel conuentionem solis cum luna. Tunc enim diminuta hominibus uidetur usq; ad consummationem, ut uideatur nihil habere luminis, cum tunc omnium maxime clarescat ea pars, quæ soli opponitur, etiam si fiat eclypsis solis, tunc enim proxima est luna soli, nullo medio intercedente, quam sit in oppositione remotissima à sole.

9 Mensis secundum nomen eius est crescens mirabiliter in consummatione.

Dicitur non tantum Græcis mensis à luna, sed etiam Hebræis mensis dicitur à nouitate, quando scilicet nouum uidetur iam incepisse luna, iuxta iudicium simplicium et plebeiorum, quibus sacræ scribuntur literæ, non doctrina multiplici turgentibus & sibi placentibus, quibus et hæc quoq; nostra commentaria non scribuntur. Non tamen à luna Hebræis mensis dicitur, sed ut dictum est à nouitate, חדש enim iuxta uarietatem lectionis, nouum sonat & mensem. A coniunctione enim lunæ cum sole incipit, ut uidetur, lumen paulatim crescere usq; in quartumdecimum diem, cum sex integris signis, hoc est sex gradibus à sole distat, & ex diametro, tunc enim in consummatione est, hoc est in pleno lumine cernitur, nisi in capite uel cauda, ut loquuntur, existat, ut terræ interpositione directa lunæ eclypsis tota uel iuxta parte cernatur per umbram terræ.

10 Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens.

Dicuntur sol & luna, sicut & uidentur, duo luminaria magna, ideoq; post solis laudes nunc quoq; luna nominat, uas in excelsis magnificũ inter militias cœli, quæ astra dicuntur, post solẽ luminare, quod in cœlis resplendere cernitur præ alijs, sentiturq; mirabiliter influere in hæc inferiora humorem naturalem, sine quo nihil creascit, sicut nec sine calore solis admixto. Hinc olim dicta est & habita regina cœli, quam & cum reliquis astris cœli, quæ militia dicuntur, gentes adorauerunt ut deam. Firmamenti autem nomine in alia significatione intelligitur quicquid elementis est altius.

Species

Obedientia naturæ & hominum.

Species cœli gloria ſtelarum mundum illuminans in excelſis dominus.

Gloria quidem & maieſtas inclyta mundi conſiſtit in pulchritudine ſtellarum illuſtrium, ſplendentium in cœlo, & motu, uiribuſq; ſuis influentibus in hæc inferiora, omnes elementorum creaturas regentium uirtute ſua, quam ab omnium creatore ſuſceperunt, non ad otium, ſed ad irrequietum influxum, qui illis ſit perpetuus & naturalis, ut eſſe ipſorũ ſit agere, iuxta acceptum à deo mandatum. Veruntamen omnium illorum corporum illuminator, director, conſeruator & gubernator dominus eſt, cui omnia ſic ſubſunt, ut pro nihilo agant uel poſſint, niſi præciſe id quod in mandatis acceperunt à domino, imò quod in ipſis dominus operatur, ſine omni illorum corporũ inobedientia uel contradictione, ſed reſignatiſſima natura & actione, ad ſolam domini uoluntatem. Non ſic homines operantur, reſignati toti ad operantem in ſe ſpiritum dei, cuius templũ ſunt, ſed pro affectionibus quas caro operatur, non audiunt quid dominus loquatur, ſed ad quid caro ſolicitet, cui & carnales gratius obſequuntur. Spirituales autem nil uolunt uel cupiunt, quàm quod intelligunt ſpiritu dei in ipſis loquente domino ſuo placere, à quo & cui conditi ſunt, ut toti domino obaudiant: continuoq; orant ad Chriſti domini præſcriptũ. Fiat, inquiunt oramus, uoluntas tua in terra ſicut in cœlis. Hoc eſt, ſic toti pendeamus in uotis & actionibus à tua uoluntate nos homines tui et terreſtres, ſicut cœli & cœleſtia cuncta corporalia & ſpiritualia pendent prorſus in eſſe & operari à tua ſanctiſſima uoluntate, qui gloriam tuam & ſplendorem perfectionis tuæ oſtendis in omnibus.

12 In uerbis ſancti ſtabunt ad iudicium, & non deficient in uigiliis ſuis.

Omnia hæc cœleſtia & pure terrena & mixta, ſtabunt & ſtare obligantur in ordine ſuo in mandatis dei, ut ſolum agant & uelint quod uult eorum creator & dominus, quodq; ſe decet ſecundum iudicium, hoc eſt, ut conuenit, & dignũ eſt obſequi creaturas omnes ſuo ſanctiſſimo, optimo & maximo creatori. Nec eſt ex omnibus prædictis iam creaturis dei, ſol, luna, ſtellæ, firmamentum, terra & aquæ, quod deficiat uel in minimo à functione ſua ſibi à domino demandata. Quales priuatim actiones & officia Hebræis dicuntur uigiliæ, ſicut Lamentationis prouinciæ. Ne quid Latine mireris, In ſuis, ait, pro-

Vigiliæ creaturarũ

uincijs à deo ſibi delegatis, uigilantiſſime incumbunt, & ſua munia ſtrenue proſequuntur. Solus eſt miſer homo, qui ſua contra dominum abutitur uoluntate, & non reſpicit quid in ſe dominus loquatur, ſæcularibus & carnalibus intentus, ſicut et dæmon refuga ſpiritus, magiſter ſuus in malo, cui & obſequi maluit à principio peccans.

13 Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum: ualde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo.

Sacramentum clementiæ diuinæ ad humanum genus quamlibet deprauatum inſtituit dominus omnium, iridis arcum illum, utcunq; naturaliter, hoc eſt, ad domini uoluntatem in tempore oboriatur, horribilem & pulcherrimum, quo nihil in omnibus elementis ſit pulchrius. Illud aſpici dominus uult & mandauit, non ut adoretur aut ueneretur, ſed ut ſacratiſſimæ rei ſignum oſtendat, et ob oculos ponat nobis miſericordiæ diuinæ promiſſum, conſcientijs fidelium perquàm neceſſarium ſignum uiſibile & cõmune omnibus. Quale & poſtea ſtatuit ſacramentum corporis & ſanguinis domini, ut tam hic in iride contemplemur dei iudicium & clementiam dum iridem aſpicimus, quàm miſericordiam & iudicium ibi quoq; in corpore & ſanguine ſcilicet Chriſti pro nobis effuſo, ut ſatisfieret iuſtitiæ dei, & promiſſionem deuoti aſpiciamus in fide miſericordiæ diuinæ pariter in Chriſto, qui corpus eſt & nguis, à diuinitate per animam ſimul aſſumpta. Nimium negligenter fideles arcum attendunt, ſicut & ſacramenta Chriſti ſacratiſſima ſymbola myſteriorum dei ad ſalutem delata credentiũ. Iubemur aſpicere arcum iſtum, & id non tantum, ſed & benedicere eum qui illum producit, et exurgere iubet: poſuitq; in ſignum, utcunq; naturale ſit opus dei. Semper ad aſpectum etiam naturalium rerum magnificarum, creatoris memores nos eſſe conuenit, & gratos ei, quod eſt benedicere & collaudare uotis & uoce eũ qui facit iſta, & inſtituit ad noſtram commonitionem. Valde inquit, ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo. Non hic, licet in loco, explicat numerum, ſpeciem, cauſas, & naturam colorum iridis, quæ ſi nimium aſtute & curioſe inueſtigare pergamus, auocabimur tantiſper à domini dei inſtituto quod ipſe ordinauit, & uanitatem incidemus ſenſus carnalis, qui importunior eſſe ſolet, & alioqui carnalem animũ longe potentius auocat, quàm leuis ille & tenuis auræ ſpiritus dei. Verum ſi id quod dominus in iride conſiderandum principaliter & primũ ordinauit, primũ quoq; fiat ab homine pie ingenioſo, poterit & conſequenter cum fructu cætera theoremata iridis apud ſuos authores inquirere, ut eſt Ariſtoteles ille in ſuis Metheorologicis: ſic tamen ut non obliuiſcamur aliud nihil eſſe opus naturæ in huiuſmodi rebus, quàm ipſiſſimam domini dei actionem & uoluntatẽ, ad finem intendendo quem ipſe inſtituit & quem mandauit, hac prædicta ratione contemplari, ne in meditatione creaturarum excidamus à dei noſtri uoluntate curanda præ omnibus.

Sacramentum iridis.

Aſpectus rerum naturalium.

14 Gyrauit cœlũ in circumitu gloriæ ſuæ, manus excelſi aperuerunt illum.

Poſſet fortaſsis hoc intelligi de alio arcu cœleſti, quẽ lacteum uocant circulum in firmamento, quem noctu uidemus, de quo multa poëtæ & philoſophi, quem cœlum gyrare conſpicimus cum magna dei gloria, nobis inæſtimabili, à quo & conditus eſt, & ſic ordinatus, non ſine cauſa, quam dominus nouit. Verum ſimplicius, ut uidetur, de iride exponitur, quæ ex Solis oppoſito in ſemicirculum formatur manu domini dei per naturam, & gloriam dei prædicat, ut dominus ſit omnium, improborum iuſtiſſimus uindex, ut patuit per diluuium uniuerſale, & fidelium clementiſſimus miſerator ipſum timentium, & pro omni uirili obſequentium. Solius domini dei excelſi manus huiuſmodi arcum formare poteſt, cui & ſoli ſeruit, quemq; ſolum aſpicientes, colere, reuereri & adorare debemus.

15 Imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscationes emittere iudicij sui.

Ex operibus dei spiritus scripturæ religiose docet contemplari & admirari magnificentiam, potentiam, & sapientiam dei. Id quod obmittunt philosophi gentilium, uel tenuiter attingunt, destituti spiritu sancto, suam magis scribendo gloriam intendentes, quàm eius cuius opera admirantur, & tantum admiranda proponunt. Ideo
De Niue. post iridis mentionem de nue admonet terris utilissima, & admirabili creatura, imperio dei, suo tempore & loco per naturam formatur celeriter, ut et aliæ impressiones aëreæ, ex uapore calido & humido solis astrorumq; uirtute eleuato ad infimam regionem aëris, quem & ob raritatem & frigora aëris circumstantis resoluit in aquam, & ad modum lanæ congelat aliquantisper. Illud autem humidum aëreum quia calidius est & uiscosum, mollitiem causat, & ouibus alimentũ præstat: & in infima regione aëris aliquanto calidiore in aquam resoluitur, cum in summis montium iugis nix ferè perpetuo duret ob frigora. Sed & coruscationes in aëre, dei opus & actio sunt per naturam, & signa iudicij diuini accelerantis de improuiso in impios, dum se tutos putant posse & agere quicquid desiderant. De coruscatione autẽ & tonitru quæ traduntur à philosophis, hunc in locum referri possent, sed in suis locis commodius leguntur. Non sunt enim negligendi boni authores, & historiæ rerum naturalium, de quibus Plinius, sed ad sobrietatẽ gustandæ sunt, & earum omnium author & opifex præcipue & ante omnia considerandus, uenerandus & colendus.

16 Propterea aperti sunt thesauri, & euolauerunt nebulæ sicut aues.

Nebulæ. Thesauri locupletissimi sunt iudiciorum iustorum apud deum, quibus instrumentis & ministris suis impios iudicat, tonitru, fulgure, fulminibus, aquis, ignibus, pruina, grandine, uentis, & imbribus: omnia enim domino deo suo seruiunt ad ipsius uotum, armanturq; eo uolente in ultionem inimicorum dei. Et ueluti nebulæ quædam euolant super terras, ut impios eius colonos & infideles suo domino cædant & opprimant, alijs impijs in exemplum. Per aëra autem uolant, sine quo uiuere ne impij quidem possunt, ut puniantur, habentq; causas suas occultas, non solum demerita impiorum, ut plurimum secreta, sed etiam naturarum proportiones & influentias, actuitates & uires. Quas etiam philosophi non omnes inuenire ualent, certas quidem & ordinatas à domino naturæ, sed communiter hominibus incognitas.

17 In magnitudine sua posuit nubes, & cõfracti sunt lapides grandinis.

Nubes. Per infinitam magnitudinẽ omnipotentiæ suæ dominus in aëre uel aquis ponit nebulas, quæ condensantur in nubes, impelluntur à uentis, frigore accenduntur per antiperistasin, uel contrapositionem actionũ, unde grandinis lapilli generantur: nempe dum solis uel astrorum uirtute uapores eleuantur calidiores in mediam aëris regionem, ubi circumstante frigore congelantur guttæ magnæ uel paruæ, iuxta frigoris & uaporis diuersitatem. De quibus inquirendi idonei authores. Hic uero discendum, ut iustus iudex omnium hisce rebus suis ueluti iaculis & sagittis appetat quos uult punire pro demeritis, non tantum minores, sed & maximos, quos tonitru, fulmine & subitaneis casibus arripit, dum se putant tutissimos & diuinos.

18 In conspectu eius cõmouebuntur montes, & in uoluntate eius aspirauit Notus.

Terræmotum quoq; docet iudicium dei esse, quo impios affligit, uel exercet iustos: opus est enim dei in natura obsequenti sibi per omnia, dum nutu iubet. Quanquã & eiusdem causas naturalium doctores perhibeant esse uapores obstructos in terræ uisceribus, non inuenientes exeundi locum, dum aliqua ratione subtiliantur, & denuo ingrossantur, concutiuntq; latera terræ, concauas & cauernas, & nonnunquam rumpunt, & terræmotus mere faciunt. Qui si uenenati fuerint, aërem insicium et pestis subsequitur. Hæc autem omnia dicuntur fieri conspectu dei, ipso uidelicet præcipiente & disponente, cuius etiam iussu uenti oriuntur horrendi & uehementes, exhalationes calidæ & siccæ, quæ & ipsæ generantur in uisceribus terræ, quæ egressæ circa terram lateraliter motæ, uentus dicuntur, propter occurrens frigus in media regione. Cum sint autem quatuor principales uenti, à quatuor mundi plagis orientes, quorũ quilibet duos habet collaterales, fiunt simul numero duodecim. Dicunt bus extant tractatores, & talium peritiores nautæ & agricolæ. Ventus autẽ qui hic Notus dicitur, Auster est, calidus & humidus, habens collateralem ab Oriente Eurum, ab Occidente uero Aphricum. Corrumpit autem Notus aërẽ, & calore suo aquas dissoluit cõgelatas.

19 Vox tonitrui eius uerberauit terrã, tempestas Aquilonis, & congregatio spiritus, & sicut auis deponens ad sedendum, aspergit niuem, & sicut locusta demergens descensus eius.

Horrendus sonus tonitrui quod dominus ædit in nubibus, tantus est, ut non solum terreantur animantia cuncta & homines, sed etiam terra ipsa trepidat & commoueatur. Sed & in uoluntate domini est tempestas omnis, etiam Aquilonis, hoc est, ab Aquilone consurgens. Congressus quoq; spirituũ, deo uolente, mirabilia multa peragit, ut aliquando exhalatio nube egressa, & per frigora uersus terram depulsa accendatur, & uillas absumat & syluas, uulgoq; diluuium ignis dicatur. Duo quoq; uentorum fortes congressi obuiam, uno aliũ impellente, per gyrum eleuantur pulueres, & turbo dicitur. Dominus quoque deus naturæ author, niuem descendere facit ex aëre, uel aliquandiu uapor uel exhalatio requieuit: non secus atq; auis, quæ sublata in aërem præsidio alarum, dum illi libet descendere placet alas colligit, paulatimq; descendit, ubi quiescat in terra aut arbore. Copioseq; descendit nix super terram, quemadmodum locustæ multo numero deuolant super gramina, ut cuncta deuorent ac absumant.

20 Pulcritudinem candoris eius admiratur oculus, & super imbrem eius expauescit cor.

Primum quidem nix miri candoris est, & oculorum

ob splendorem offensiua pro frigiditate naturæ, quæ cau sat albedinem: deinde calore resoluta in aquam, subito torrentes emergunt horrendi, cum impetu uastantes a= quam rerum damno. Omnibus his naturalibus rebus ma gnificis dei effectibus utitur iustitia dei ad uindictam ma lorum, & insuper ad profectum bonorum, quibus omnia hæc multum prodesse possunt dum miserebitur dominus.

21 Gelu sicut salem effundet super terram: & dum gelauerit, fiet tanquam cacumina tribuli.

Gelu. Pro gelu pruina accipi potest, quæ reddit terram ad modum salis sterilem. Græcus crystallum habet uel gla= ciem, in qua nihil crescere potest. Est enim crystallus gla cies cõgelata longo ex tempore. Nihil igitur glaciei tem pore & multi frigoris super terram germinat, sed hor= ret tota ex aëris asperitate. Quæ omnia domino sapien= tissime moderante proficiunt ad terram, suo tempore fœcundandam.

22 Frigidus uentus aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua:

23 super omnem congregationem aquarũ requiescet, & sicut lorica induet aquam.

Aquilo. Ordine diuinitus instituto, & potentia dei, Aquilonaris uentus frigidissimus suo tempore spirat, unde glacies condensatur mirabile dei opus, quod homines unuersi nullo artificio consequi possent, ut uentus inuisibilis & mobilissimus, aquas mollissimas in tantam subito trans= formet duritiem. Is quoq; gelidissimus uentus nullis in frigore parcit aquarum congregationibus, quin earum superficiem arripiat & constringat in glaciem uel cry= stallum, qua sese ab hoc uento tutari ueluti quadam nu= untur lorica impenetrabili, donec fauorabilior Austra= lis uenti aura succurrat.

24 Et deuorabit montes, & exuret desertũ, & extinguet uiride sicut ignem.

Cõtrarius hic Aquilonaris uentus terrænascentibus, cum frigidus sit et siccus, quicquid in montibus quos at= tingit sic deuorat, ut reddat sterile: non secus atq; ignis, qui callidus est & siccus. Humor enim & calor princi= pium sunt fœcunditatis, legitime temperata. Exurere etiam dicitur desertum, ut scilicet desertum et sterile fiat quod poterat alioqui florescere: uirentia enim absumit, perdit & extinguit, non minus quàm ignis ipse extin= guit uirorem, & Aquilo quoq; excessiuo frigore suo. Similis est enim in hoc uis excessiui caloris & frigoris.

25 Medicina omnium in festinatione ne= bulæ: & ros obuiãs ab ardore uenienti hu milem efficiet eum.

Auster. Cõtra hæc omnia mala prouenientia ex uento Aqui= lonari, remedium dominus & natura prouidit, nebulas in tempore, si festinato incidant, & pruinæ, aliorumq; incommodorũ occurrant effectibus uenenatis: qualis est inter alia conueniens nubes susceitata ab Austro, quæ con uertitur in pluuiam terram fœcundantem. Vnde & in Canticis: Surge Aquilo, & ueni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Quia uero ab Austro in currit non raro immoderatus calor, ideo bonitate dei or= dinatus est ros cœlestis, ut humiliet et impediat ardorem numium, & nocentem frugibus aut etiam floribus, pro= uenientem à sole uel Austro.

26 In sermone eius siluit uentus, & cogita= tione sua placauit abyssum, & plantauit il= lum dominus Iesus.

Dum iusserit dominus perflat uentus, cessat quoq; dũ prohibet. Sunt enim & illi spiritus in ministerium ele= ctis, iuxta domini dispensationem, ut nunc pestem adfe= rant, nunc auruginem, nunc pluuias, nunc ardores. Dum cogitat dominus, hoc est, nutu suo annuit, prodeũt abyssi aquarum, & denuo abscedunt. Vt satis liquet ex mira= culis in Iordane & mari rubro, in diluuijs & pluuijs con tra cursum naturæ ab Helia & Eliseo impetratis. Om= nia enim electis suis ordinat ad salutem, qui sibi fiden= tium & adhærentium saluator est, quod Iesus ualet in= terpretatum. Græci hodie sic legunt: Et plantauit in ea, id est in abysso insulas, nempe νήσους. Quod satis intel= ligitur, insulas creatas à domino in mari: quod forsitan alij νήσους fecerũt, saluatorem scilicet, ut habet nostra.

27 Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: & audientes auribus nostris admira= bimur.

Maris mi= racula. Cum uero tanta sint dei magnifica opera in cœlesti= bus in aëre & terra, non minora quoq; in mari depre= henduntur monstra & admiranda, de quibus narrant homines sæcularia sectantes, quibus non sufficit latitudo terræ, nisi & maria transfretent, insigni periculo ani= marum suarum, quod deus nusquam præcepit, sustinet ta men hanc hominum occupationem uanam, uel ea ratio= ne, ut agnoscantur mirabilia sua quæ constituit in mari. De quibus non possint homines non plurimum admirari, quando rara sunt eis qui mare nunquam uiderunt.

28 Illic præclara opera, & mirabilia: uaria bestiarum genera, & omnium pecorum, & creatura beluarum.

Concinit Psalmista, dicens: Hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia quorum non est nume= rus. Beluæ scilicet marinæ, & omnium fermè pecorum terrestrium genera. Inuenuntur enim aquatilia anima= lia ad figuras canum, porcorum & boum. Et in Genesi legitur: Creauit deus cete grandia, & omnem animam uiuentem atq; motabilem, quam produxerant aquæ in species suas. De quibus passim multa Plinius mirabilia scribit.

29 Propter ipsum confirmatus est itineris finis, & in sermone eius composita sunt o= mnia.

Omnium rerum finis & institutio, causæ & ordo, o= ptime dispositi sunt per dominum omnium conditorem: omnia enim ualde sunt bona quæ fecit ipse. Græcus le= git. Propter ipsum prosperatur angelus eius. Leo noster transtulit: Per ipsum omnia bene sunt condita & abso= luta. Et in sermone eius composita sunt omnia, hoc est, iuxta illius præceptum uniuersa legitime consistunt & conseruantur. Dixit enim deus, & facta sunt omnia. Leo Iudæ.

Omnia constituisti in pondere, numero, & mensura, Sapientiæ undecimo.

30 Multa dicemus, & deficiemus in uerbis, consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.

Quanquam plurima de creaturis dei dixerint multi, & hic quoq; author quædam loqui cœperit, unde creatoris perfectionem inuestigare possimus, ad plenam tamen eius cognitionẽ & claram notitiam pertingere non possumus. Ineffabilia sunt enim opera dei, quanto minus dei ipsa perfectio potest cogitari ab intellectu, multo minus eloqui: deficiunt enim omnium hominum & angelorum uerba, ad explicandum uirtutem dei & bonitatem. Vtcunq; uero parũ eloqui de eius perfectione possimus, non tamen ab illius uel contemplatione uel laudibus aut beneficijs tacendum erit. Ipse scopus sit omnis eruditionis nostræ, materia omnium sermonum nostrorum, finis omnium studiorum. Qui ut nobis intimus est, & ipsa nostra uita intimior, imò & ipsa est tam uita nostra quàm essentia: sic nunquam non nobis est cogitandum quid sit in nobis, quid uelit, quid placeat, quid nobis agendum propter ipsum, cui omnia debemus, et sine quo nihil sumus nec possumus.

Ineffabilia opera dei.

31 Gloriantes ad quid ualebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua.

Si de nostra qualicunq; scientia circa creaturas omnes gloriari uoluerimus, stulte agemus, cum omne nostrũ scire nihil sit, ut ne unam quidem creaturam perfecte scire possimus: sunt enim etiam doctis hominibus essentiales rerum substantiæ ignotæ, sed nec nosipsos intelligere possumus, nec animam propriam, quomodo ergo de rerum diuinarum notitia gloriari præsumeremus? Omnipotens est autem dominus, qui quicquid uult facere potest, imò illius uelle est facere: sicq; subditas sibi tenet creaturas omnes, ut de eis agere possit quicquid uelit. Nec est quicquam in rerum natura, quod se non deo subesse fateri possit. Sine ipso enim factum est nihil. Et quicquid est, ab ipso est: quod ab ipso non est, nihil est. Peccatum ergo & defectus à deo non est, quia nihil est.

Ignorantia sapientum.

32 Terribilis dominus, & magnus uehementer, & mirabilis potentia ipsius.

Terribilia sunt & incomprehensibilia iudicia dei, & non est ex omnibus creaturis, quæ discutere ualeat rationes operum diuinorum. Reuerendus est quoq; omnibus, à cuius arbitrio pendent omnia, qui nullum malum impunitum relinquit. Non permittit dedecus iniquitatis consistere sine decore iustitiæ, propter quod & unigenitum suum tradidit, satisfactionem pro mundi peccatis. Magnus quoque est uehementer, hoc est summus, optimus, maximus, cuius magnitudinis nullus est finis, non magnitudine molis, quum omnia tamen impleat, sed infinitate perfectionis. Cui non solum nihil est impossibile, sed nec quicquã est illi difficile: sicut nec cuiq; suum uelle graue est, quod ipsi domino est facere. Nobis quoq; & omnibus creaturis intellectualibus mirabilis est potentia dei: omnia enim potest, quæ uelle potest.

33 Glorificantes dominũ quantumcunq; potueritis, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius.

Non pendet à nobis gloria dei, qui etiam gloria sua non caruit ante omnem creaturam, nihil illi accidere potest perfectionis & gloriæ. Nostrum tamen est totis uiribus glorificare deum, credere & fateri omne bonum ex ipso proficisci, quod nullius indigeat. Similiter & nobis credendum, omnem nostram æstimationem ipsum excedere in infinitũ. Et admirabilis est magnificentia eius, non perquisibilis & imperuestigabilis alicui intellectui, etiam angelico. Non est similis tibi in dijs domine, & non est secundũ opera tua. Non igitur de alterius cuiusquunq; celebranda gloria soliciti simus, cum soli deo honor debeatur & gloria: multo minus de nostra gloria cogitandum nobis, cum omnis sufficientia nostra ex deo sit, sine quo nihil sumus, ipse autem omnia est in omnibus. Confusio potius faciei nostræ cooperiat nos, & agnitio imperfectionis, qua sola perficimur & docti euadimus, si crediderimus nos id esse quod sumus, hoc est nihil, & peccatores, ut de sola dei in nobis gratia & bonitate cogitemus, & ut illi probemur humiles.

34 Benedicẽtes dominũ, exaltate illũ quantum potestis: maior enim est omni laude.

In omnibus operibus suis à nobis benedicendus est deus, minus, qui mali nihil uelle potest nec facere, qui & mala quoque nostra mala esse non patitur, sed ordinat ad bonum, nempe ad suam gloriam, et ad profectum fidelium, quibus omnia prosunt. Exaltare dominum, est altum cognoscere, optimum & maximum. Quantum, inquit, potestis, hoc est, quantum posse donat, qui omnia solus potest. Verum omnem cogitatum nostrum & facultatem eò protendamus, ut quæ illi placere nouimus & credimus, conemur implere. Sin id minus procedit, agnoscimus infirmum nostrum, humiliemur animo, deprecemur delicta, & gratiam eius supplices imploremus, quam nulli potest negare petenti. Quod si ipsum cupiamus magnificare, non autem succedat, si orantes non exaudire uidebitur nobis, id saltem certo credamus, perseuerantibus orare ipsum nihil mali imputaturũ. Maior est omni laude tam hominum quàm omnium angelorum, cuius magnitudinis nullus est finis. Nec indiget laude nostra, nos autem indigemus, ut illius bonitatem & credamus & magnifacianus: indigemus enim, sed ad illius gloriam etiam nostram felicitatem ordinare debemus.

35 Exaltantes eum replemini uirtute. Ne laboretis, non enim comprehendetis.

Dominum deum nostrum laudantes atq; colentes, illi nihil proficimus, sed tantum nobis: qui quanto magis illum laudamus, tantum miseriam nostram clarius intuemur, ut ex corde humiliemur, & primum profectuum scale gradum collocemus. Initium enim proficiendi, est imperfectum suum cognouisse, unde subinde oratio, per orationem fidutia sequitur, deinde charitas, & reliqua bona omnia. Veruntamen non nobis laborandum est, ut perfecte dominum exaltemus: inane enim hoc studium erit, quandoquidẽ comprehẽdere eius altitudinem nulla potest creatura, filius id solus potest, qui id agit pro nobis,

bis, quum sit salus nostra, iustitia, laus & beatitudo omnium electorum.

36 Quis uidebit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio?

Ignotus deus hominibus.

Deum non solum nemo uidit unquam, sed nec uidere potest, cum non sit sensibilis, & lucem inhabitet inaccessibilem. Sanctorum animæ æque immateriales, & puræ spirituales, sicut & angeli, deum uident per contemplationem beatificam, quibus se exhibet conspiciendum, non eo modo quo conspici potest, sed quo uult, cum sit speculum uoluntarium, cum uult & quomodo uult uidetur: mortalibus autem per spectra creaturarum uisus est, & auditus à sanctis patribus, et angelorum ministerio. Verbo quoq; suo innotuit, dudum quidem audito & transformato in uarias similitudines, hominum, angelorum, ignis, spiritus, columnæ, uocis, nubis, &c. nouissime incarnato ex semine Dauid & Abrahæ, iuxta promissiones. Verum post resurrectionem & transformationem nostrorum corporum, exacto iudicio, uidebimus sicuti est sine speculo, & non in ænigmate, sed facie ad faciem: tunc illum poterimus enarrare, sed non tamen perfecte, quod non est alicui creaturæ possibile, quum sit infinite & sine proportione sanctus, bonus & iustus, ut nec supremus eum angelus comprehendere intellectu possit, multo minus effatu. Enarrabimus autem quantũ largietur, dabit autem quantum ad perfectam beatitudinem sufficiet, ubi summa uigebit iustitia, abunde sufficiet beatis ad perfectum gaudium, quicquid illis uidendum & enarrandum præbebitur in cœlis, sine aliqua inuidentia de gradibus beatitudinis, quæ in principali uisione, fruitione, & beatitudinis certitudine omnibus eadẽ erit. Summe bonus cum sit, ideo à nulla creatura finita summe poterit magnificari.

37 Multa abscondita sunt maiora his: pauca enim uidimus operum eius.

Ignotæ creaturæ hominibus.

Plures sunt creaturæ dei nobis ignotæ, longe fortassis digniores prædictis suis effectibus in cœlestibus & elementaribus, ut sunt intelligentiæ separatæ, hoc est, pure spirituales, uel corporales alio subsistendi genere & corporalitatis, quàm sint ea quæ nobis familiaria sunt & nota: quarum essentiam & naturas non mirum si ignoremus, constituti & immersi in tam caduco & fragili corpore mortis huius, quod mentem deprimit cogitantem. Et hæc omnia spiritualia & incorruptibilia, nõ uisa nobis, longe maiora sunt his quæ sentimus, & longe etiam plura, in tanta latitudine orbis, in quo terra centri locum tenet, respectu tanti circuli, cum tanta cõplectatur, cum iuncto sibi Oceano & mariũ latitudinibus. Pauca ergo sunt quæ scimus, etiã eorum quæ in terris sunt, quanto plura in mari ignoramus? longe autem supra omnem numerum sunt quæ æthera continent, substantialia & intellectualia entia nobilia. Nihil igitur de quantacunque cognitione nostra iactemus, quum nihil certius sciamus, quàm nos nihil scire & nihil esse, etiã quæ agimus: esse uero tantum ea quæ dominus in nobis operatur, & scire tantum ea quæ ipse nobis reuelare dignatus est.

38 Omnia autẽ dominus fecit, & pie agentibus dedit sapientiam.

Sapientia sufficiens.

Sufficiat nobis scire omnipotentem, optimum, omniscientem esse dominum deum unicum & uerum, qui omnia fecit, uniuersorum dominus & administrator, quod omnia semper agit in omnibus, à quo toti pendemus in essentia & actionibus, tam internis quàm externis, cui nos totos debemus, ut uelimus & agamus quæ ipsum nobis præcepisse non ignoramus, nihilq; ducamus nobis utilius uel honestius, quàm si per omnia nos illi probemus, & ipsum intendamus in omnibus. Ne quid præter illa scire uel operari uelimus, quæ nobis ipse reuelauit et præcepit. Ne sensui nostro & affectibus deferamus, sed pie uiuamus in hoc sæculo ad ipsum, & iuste ad proximum. Id ubi egerimus, uel conati cum sua gratia nunquam defutura fuerimus, suppeditabit abunde sapientiam salutarem omnem, sine defectu aliquo. Quinimò hoc idem est uere sapere secundum deum, & scire omnia, deum credere, & proximum amare.

CAPVT XLIIII.

1 Laudemus uiros glorioſos, & patrẽtes nostros in generatione sua.

Mos est omnibus ut quos amamus & obseruamus, etiam ab alijs laudari & admirari cupiamus: maxime uero hominibus inditum est, suos quoscq; familiares & amicos magnificare, in primis autem patres & maiores, in quo semper Iudæi insigniter studioſi fuisse cernuntur, & idipsum domino inspirante uoluerunt: quandoquidem totus ille Israëliticus populus toti mundo olim proponendus erat in exemplum fidei & uirtutis, pietatis & iustitiæ, inq; doctrinam toti mundo suscipiendam. Ideo & hic author dominũ deum suum & ueram fidem in unum deum laudare hic incipit, ad laudem eius à quo habuerunt ut essent laudabiles, ad ueræ pietatis & fidei augmentũ, in quibus isti facti sunt antesignani, duces, doctores & exemplaria. Non autem laudare cupit omnes, sed tantum celebres in bono, & glorioſos in scientia pietatis & religione, in factis illustribus, & dignis æmulatione sancta, per quos dominus ostendit mirabilia sua, & bonitatem ad mundum totum, maxime uero ad fideles, & sibi morigeros. Mulieres nõ laudat, quamlibet multas adnumerare posset, quando id non expedire uisum est spiritui sancto, quas humiliores esse, & in modestia conseruandas præstat, alioqui natura ad sui admirationem & ad superbiam satis idoneas: habent tamen & suas alicubi laudes ex fide & prudentia in literis non solum sanctis, sed & in prophanis. Parentes suos, hoc est, Israëlitarum patriarchas laudare cupit in generatione sua, quos scilicet in tempore iuxta mundi ætates et successiones constat laudabiliter uixisse, & sese posteris posuisse exemplum fidei, charitatis, sapientiæ, & constantiæ in bono. Habent aliæ quoq; nationes patres suos, quorum laudes & merita mirum in modum exaltant, non sine sensibilibus & palpabilibus mendacijs. Græcos intelligo, qui mendacijs tantum magni esse studuerunt. Longe aliter hæc illis gens barbara Iudæorum, hæc uerissima scripsit, testimonio orbis, & miraculorum dei.

Laus piorũ uera.

2 Multam gloriam fecit dominus magnificentia ſua à ſæculo.

Summam laudum tribuit non hominibus, ſed deo, qui ſi quid laudabile in ſanctis eſt factum, ipſe factor intelligatur ut eſt. Ipſe hanc gloriam fecit in patriarchis, quicquid unquam laude dignum egerunt diuini muneris eſt, in eius gloriam referri debet. Magnificentia huiuſmodi operum domino eſt referenda accepta, qui ſolus omnium bonorum eſt author, ab omnibus ſæculis. Homines nihil norunt quàm errare, mentiri, fallere, et peccare: ſi quid ſit ab eis magnificũ, illuſtre et ſanctum, domini eſt, cuius laudibus tribuendũ quicquid boni ſit ab hominibus. Non igitur patriarchæ laudandi proprie ſunt, ſed qui eos fecit laudabilia operari, & ſuam in eis oſtendit bontatem & magnificentiam, cui ſoli debetur omnis honor & gloria.

Error humanus.

3 Dominantes in poteſtatibus ſuis homines magni uirtute, & prudẽtia ſua præditi, nuntiantes in prophetijs dignitatem prophetarum, & imperantes in præſenti populo, & in uirtute prudentiæ populis ſanctiſſima uerba.

Laudemus, inquit, in primis eos patres noſtros, qui legitime exercuerunt dominium ſuum, & poteſtatem à deo illis traditam in homines, non tyrannidem & uiolentiam, ut aliorum tantum uterentur obſequio, ſed ut multis prodeſſent, imprudentiores regerent, ignaros docerent, comprimerent inſolentes, iniuriam arcerẽt, conſulerent multitudini, iniquitati obſtarent, & talentum à deo ſibi creditum, fidei, ſapientiæ & uirtutum, expenderent in laudem datoris dei. Quod dominus quoq; deus ad ſuam gloriam & ad fidelium conſolationem ordinauit ſpiritu prophetiæ, ut quæ futura eſſent præſcirent, et poſteris cõmendarent, partim receptionibus, partim ſcriptis. Quales fuerunt Abraam, Moſes, Ioſue, Samuel, Dauid, & ſimiles, qui cum imperio ſancto in populum à deo electum, etiam ſpiritu prophetiæ claruerunt, quem & in uita ſua multa cum ſolicitudine rexerunt, & ſacroſanctis ſcripturis, ſpiritu dei imbuti docuerũt, etiã proximi morte, poſt fata quoq; cupiebant eſſe de pietate in deum & æquitate in proximos inſtructiſſimũ. Inde nobis prouenerunt ſacroſancti codices, quo nihil totus mundus habet ſanctius, firmius, & uerius in omnibus tot ſcripturis gentium plurimarum.

4 In peritia ſua requirentes modos muſicos, & narrantes carmina in ſcriptura.

Muſici.

Samuelem, Dauidem, Salomonem, & filios Aſaph ſignificat, cum poſteris eorum, qui ad exemplum etiam Moſis beneficia domini & magnificentiam fideliſſimis cordibus, & dulci muſica, ad deuotionem permouente, fideles dominum glorificandum docuerunt & inſtituerunt, ad excitandum animos in admirationem Dei, & operum ſuorum: Eiſdem quoque carminibus Dauid & reliqui prophetæ, dei gratiam in totum orbem peruaſuram per Chriſtum cecinerunt.

5 Homines diuites in uirtute pulchritudinis ſtudium habentes: pacificantes in domibus ſuis.

Conſtat ex geſtis magnificis maiorum noſtrorum, eos fuiſſe uirtute inſignes, qui temporalia legitime adminiſtrare, ſecundum dei uoluntatem nouerunt, & regnum dei primum quærere didicerunt, parſimoniam ſectantes, ab omni luxu abhorrentes & faſtu, iuſte adminiſtrantes munera dei, & homines ſuæ fidei commiſſos à domino, ideoq; & diuites facti ſunt, non tantum animi uirtutibus, ſed etiam corporalibus rebus, quas pretioſa exiſtimat humana prudentia. Habuerunt enim ſtudium pulchritudinis, hoc eſt, honeſtatis & iuſtitiæ, omnumq; uirtutum, legisq; diuinæ zelum per quàm ſanctiſſimum. Pacem & tranquillitatem plantantes & conſeruantes in ſubditis & familijs ſuis. Niſi ſtudium pulchritudinis intelligat & decoris, cultum dei ceremonialem. Verum Græcus legit: Viri diuites ſubminiſtrati in fortitudine: hoc eſt, ut uidetur, diuitias ſuas adminiſtrantes cum uirtute.

6 Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus.

Pro inſigni pietate & iuſtitia ſua omnes illius gentis patriarchæ aſſequuti ſunt merito gloriam & famam ſanctitatis in domino, quos & glorioſis miraculis glorificauit dominus, oſtendens quàm ſibi chari forent & grati, ut ſatis per omnes hiſtorias diuinas liquet de Moſe, Iſaac, Samuele, & reliquis multis, qui ſua tempora ornauerunt celeberrimis geſtis, in gloriam dei & gentis illius, præ cunctis mundi nationibus. Habenturq; adhuc hodie in laudibus pro diebus ſuis, in quibus dominũ coluerunt, & hominibus profuerunt.

7 Qui de illis nati ſunt, reliquerũt nomen narrandi laudes eorum: & ſunt quorum non eſt memoria: perierunt quaſi qui non fuerint, & nati ſunt quaſi non nati, & filij eorum cum ipſis.

Poſteri patriarcharum & prophetarum, & ipſi ſua fide & actione promouerunt laudes parentum, quorum ſequuti ſunt ueſtigia, ſeſeq; ex moribus oſtenderunt legitimos filios. Sic Abrahæ filij, Iſaac & Iſmaël, & Iſraëlis filij duodecim, Ioſephi duo filij Ephraim & Manaſſe, ſicq; de multis alijs, quorum memoria durauit cum laudibus. Quia uero non raro, imò numium ſæpe peſſimi filij nati leguntur de optimis patribus, ut eſt Ezechiæ & Ioſiæ, Samuel quoq; & Heli, cum multis alijs, ideo ſubnectit ſtatim fuiſſe quoq; in ea gente Iſraëlitica quoſdã, quorum non ſit in catalogo ſanctorum memoria, qui nihil utilitatis contulerunt in gentem. Minus dicens, plura ſubindicat, hoc eſt, peſtilentiſſimi fuerunt, ut Ieroboam, Achas, Achab, Sedechias, quos nõ fuiſſe præſtaret, quam tam indigna patribus malitia diffamari. Sicut & de Iuda traditore Chriſtus dicebat, Matthæi 26. Væ homini illi per quem filius hominis tradetur, melius eſſet ei ſi natus non fuiſſet. Sic magna pernicies toti genti acceſſit, ex talibus bonorum patrum impijſſimis filijs, qui & poſt ſe non raro ſeminarium impietatis continuauerunt, donec expiraret religio fermè omnis uſque ad pauciſſimas reliquias, quas ſemper dominus conſeruandas promiſit

olim ſanctiſſimis patriarchis, donec in Chriſto & Apoſtolis noua fidelium Iſraelitarum & dei cultorum ſoboles in toto mundo excreuit.

8 Sed illi uiri miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt,

Pietas ſanctorum.

Viri miſericordiæ iuxta Hebraiſmum intelligi poſſunt, homines ſancti & exercitati in omni beneficentia & miſeratione, qui nihil nouerunt quàm benefacere indigentibus, et charitatis diligentiſſimi obſeruatores, idq; ex fide in dominum, quem ſibi quoq; iugiter grati beneficum ſentiebant & deum. Horum ſanctiſſimorum uirorum pietas, ut non defecit dum uiuerent, quando ſemper ad anteriora ferebantur, & in ſanctis exercitijs defatigari non poterant: ſic benefactorum laudes & fama, perpetuo durat in ſanctorum eccleſia, & toti mundo interim celebrantur cum maxima gloria, quam eorũ nullus unquam cogitaſſe uel ſperaſſe potuerat. Idq; merito fidei, qua domino deo ſuo tam perſeueranter, contra ſpẽ in ſpem adhærere uoluerũt. Re uera enim gloriosior eſt ſanctorum illorum etiam in hoc mundo felicitas, & ſatiſſima gloria, quam ipſis promiſit dominus, quàm aliquis ipſorum æſtimare ualuerit: nec hodie quoq; infelices Iudæi cæci, & temporalium admiratores, maiorum ſuorum gloriam magnifacere & æſtimare poſſunt quatis in obliuionem non inciderunt.

9 Et cum ſemine eorum permanet bona hæreditas, & nepotum ipſorum ſemen in teſtamento ſtetit:

Hereditas ſanctorum.

Bona, hoc eſt optima hæreditas manet pios poſteros ſanctorum parentum, non ſolum poſſeßio promiſſionis terræ, quam retinuerunt donec fideles fuerunt, ſed etiam ſalus & iuſtitia, quam ſunt aſſecuti per Chriſtum, et regnum fidei & charitatis in toto orbe, in quem patrum illorum, non ſolum meritiſſima laus & gloria, ſed & ſanctiſſima ac deſideratiſſima uota ſua aſſecuti ſunt, nempe quia domini dei ſui gloria peruaſit mundum, & ſemen benedictum Dauidis & Abrahæ hodie adoratur in toto mundo, & iam tot centurijs annorum ubique patrum illorum ſanctitas eſt collaudata, in regionibus & inſulis, de quibus ipſis nunquam uenit in mentem, de quibus nihil unquam audierant, ut implerentur uaticinia prophetarum ex ore dei. Et ſemen nepotum, hoc eſt filij filiorũ, & reliquiæ ſanctorum, tam poſt reditum Babyloncum quàm poſt negatũ Meßiam, Maxima ex parte ſteterunt in teſtamento domini, quod pepigit cum patribus, de gloria ueri dei propaganda per ſanctos Iſraelitas in omnem terram & gentes.

10 & filiorum ipſorum ſemen propter illos uſq; in æternum manet: ſemen eorum, & gloria eorum non derelinquetur.

Nihil hic ſibi blandiri Iudæi poſſunt de permanentia ſua, quia filij ſint ſanctorum, qui non tam carnis poſteros ſibus, tot ſe per fidem filios Abrahæ, & Meßiæ regni municipes, in maximam dei gloriam, quam ſolam omnibus anteponũt, felicißimo gaudio conſpicere, ut bonum maius deſiderare non poßint. Non eſt enim in dei regno caro & ſanguis, ſed pietas et amor. Certe manet in æternum ſemen patriarcharum benedictum, in ſpiritu & ueritate. Duræ ceruicis autem ſpurij, iuxta interminatam illis perpetuam miſeriam, ad confuſionem ſuam manent, non aliter quàm prædixerant omnium temporum prophetæ ſancti: quos & ſemper occiderunt, ſic hodie prophetarum prophetam, & dominum occidiſſe, negaſſe, & perſecutos fuiſſe, dolere & pœnitere non poſſunt, ut ſint ſtupendum exemplum uindictæ diuinæ, qui ſanctitatis & fidei ſemper hoſtes erant. Interim tamen, ut dictum eſt, gloria gentis Iſraeliticæ, & fidelium patriarcharum ſemen & fideles filij, nunquam derelinquetur, ſed augebitur ſemper, ſicut et regnum Meßiæ nunquam eſt finiendum: thronus enim Dauidis iuxta dei promiſſum labefactari uel dehoneſtari nõ poteſt, conſiſtit enim coram ſole & ante lunam.

11 Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum uiuet in generationem et generationem.

Corpora ſanctorum.

Iuxta corpus quidem nunc ſepulti negliguntur patres ſancti, non enim indigent ſtudio quocunq; humano, ſunt enim in manu domini animæ. Corpora uero longanimiter ferunt reſurrectionem promiſſam & reuiuificationem, iam quieſcentia in matre ſua terra, à qua prodierant dudum, & coaluerant, paſtiq; fuerant, ut nulla uiuis cura habenda ſit de mortuis, nedum corporibus ſed & animabus: ſi tamen corpora ſepulta ſunt, quod pertinet ad uiuorum charitatem. Fama autem nominis eorum, & honeſtiſſimæ conuerſationis, & beneficiorum memoria uiuet & celebris erit poſt mortem, per multas hominum ætates, idq; uel maxime, ſi ſtudioſi fuerunt in filiorum inſtitutione, ad uitam religioſam ac ſanctã, ſecus uero ſi prolem poſt ſe reliquerint impiam, ſua culpa.

12 Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet eccleſia.

Sapientia uera.

Sapientia maior & laudabilior non eſt, quàm timor dei, fides & iuſtitia, noſſe creatorem ſuum & amaſſe, credidiſſe & obediuiſſe, quibus non eſt ſacratior dei cultus & ſapientia. Hanc patriarcharum ſapientiam iamdudum narrant, non tantum illorum poſteri iuxta carnem, ſed multo maiores & meliores in toto mundo populi fideles, deo grati per fidem. Nec tantũ narrant, ſed præferũt quoq; omni ſapientiæ ſapientiſſimorum philoſophorum, Græcorum, Chaldæorum, & Aegyptiorum, multo magis poetarum & oratorum. Omnes enim pariter ſpreta ſua propria ſapientia & religione, quam mordicus tenuerunt ab æuo, eandem ipſorum patriarcharum ſapientiam amplexati ſunt, & quam perſecuti fuerant ad mortem, eam poſtea per Chriſti doctrinam & Apoſtolorum eruditi, defenſarunt uſque ad mortem. Laudem hanc meritiſſimam tot iam ſæculis enuntiat & laudat omnis eccleſia catholica electorũ, quam et impij blaſphemare trepidant, nam nullam in mundo ueriſimiliorem aut certiorem inuenunt, uelint nolint.

13 Enoch placuit deo, & translatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam,

Græcus sic legit: Enoch beneplacuit domino deo & translatus est exemplum pœnitentiæ. Acceptum est ex Genesi quinto capite, ubi dicitur: Ambulauit Enoch cum deo, & non apparuit, quia tulit eum deus: de secundo id Enoch scribitur, primus enim impius fuit, hic autē iustus dicitur, uixisse sancte & innocenter in mundo, qui iam cœperat esse pestilentissimus, mille scilicet & centum exactis annis & amplius à condito Adam, sexcentis & sexaginta nouem annis ante diluuium. Indidit ergo ex multa bonitate sua dominus huic Enoch insigniter bonā mentem, & in timore dei illum perfecerat, ut ambularet in innocentia cordis sui, ad omne beneplacitum dei, ueluti iam lucerna ardens in tenebroso sæculo. Sanctissime enim uixit 365. annis, ut hominibus sui sæculi facto & uerbo pœnitentiam doceret, quibus cum nihil proficeret, rapuit eum dominus ex ipso tam maligno sæculo, ne malitia mutaret animum suum, ex prauitate pessimorum exemplorum. Semper enim dominus impijs quoq; adest uerbo suo et auxilio, ne sint in malitia perseuerantes inexcusabiles. Quo Enoch ablato, alium nasci fecit Noe, uirum & ipsum quoq; perfectū in generatione uel ætate illa, qui & ipse conuersatione sancta, & uerbo exhortationis reuocauit homines ad emendationem: quibus perseuerantibus in impietate, facto prædicare cœpit pœnitentiam, centū annis arcam ædificando, designans certissimum mundo sibi reuelatum futurum diluuium. Verum ubi nihil profectum est in hominum conuersatione, iusto dei iudicio expletum est quod fuerat prædictum totius orbis diluuium. Recte ergo hic dicitur, Enoch domino placuisse, & raptus de medio scilicet nationis prauæ, quod est, non cōparuisse: quod alij interpretantur translatum in paradisum, hoc est morte iustorum obiuisse, & ad sortem animarum iustarum translatum, quod dicitur paradisus uoluptatis, locus scilicet deo notus, in quo status est felicium animarum, omnium bonorum aggregatione perfectus, donec corpori uniatur denuo anima, ut pariter corpus quoq;, id est totus homo beatus existat. Gentibus autem dedisse pœnitentiam, est exemplum melioris uitæ facto præbuisse, ut euaderent iudicium domini. Satis autem constat grauem dei iram incidisse, propter peccatum Adæ & Euæ totum humanū genus, quando Cain tantū profecit malitia, ut sine omni exemplo innocentem Abel occideret ex inuidia contra dei gratiā, qua fratrem à domino donatū ferre non poterat, de qua gaudere debuisset. Hæc forsitan ratio authori fuit, non adnumerandi sanctos patres nec Adam nec Abel. Nondum enim pœnitentiam prædicare tantopere necessariū erat, uiuente adhuc Adam, et nō ita diu mundo condito.

Enoch sanctus & raptus.

14 **Noe inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundię factus est reconciliatio.**

Noe laudes

Genesis sexto & septimo scriptura testatur, Noe uirū fuisse iustum atq; perfectum pro ea ætate. Inuenire autē, est esse inter multos dissimiles, rarissimū uideri, cum uix inuenari potuerit unus in tanta multitudine. Is hic dicitur factus reconciliatio in tempore iracundiæ, hoc est decreta iam per dei iustitiam perditione, orbis uniuersi, & omnium hominū, deletione scilicet totius generis humani, hic Noe gratiam inuenit, ut cum suis paucissimis posteris conseruaret humanum genus, ne prorsus excinderetur. Suisq; precibus et oblatione holocaustorum obtinuit à clementissimo domino, ne posthac unquam generali cataclismo denuo mundus periret, iuxta illud Genesis 8. Odoratus est dominus suauitatem odoris, & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: in cuius signum promissionis, iridem instituit sacramēti uice, ut dictum est.

15 **Ideò dimissum est reliquum terræ, cum factum est diluuium.**

Pro hoc toto Græcus habet, Ideo factum est diluuium. Quid uero uelit cum dicit: Ideo dimissum est reliquū terræ: & subditur, Cum factum est diluuiū, non capio, nisi sit hic sensus: Quanquam pro maxima parte ustata sit terra, ut multis in locis postea habitari diu nō potuerit, tamen in fauorem Noe relicta est illi regio, quam statim cōmode inhabitare posset. Et sic quoq; multis tandem sibi similis, hominū laboribus denuo est excultus ordem bis terrarū. Potest et reliquū terræ capi pro reliquis hominū paucorū octo scilicet personarū in latissima terra.

16 **Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluuio omnis caro.**

Numerum pono pro numero frequens est, pacta pro pacto, testamenta pro testamento. Posuit enim dominus inter se & genus humanū fœdus cum Noe, de non amplius disperdendo terram aquis diluuij generaliter, & omnem carnem habitantem super eam, hoc est homines & iumenta, iuxta illud Genesis, dixit Deus ad Noe: Statuam pactum meum uobiscū, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluuij. Cuius fœderis signum & memoriale posuit arcum in nubibus, quo uisa & meremus dei iudiciū pro peccatis, & illius misericordiā imploraremus, cōmoneremurq; de cessando à peccatis.

17 **Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria: qui conseruauit legē excelsi, & fuit in testamento cum illo.**

Patriarcha insignissimus Abraham fuit, sanctitate, sapientia, & honore amplissimus. Cum quo pactū confirmauit dominus fidei & pacis. Cuius erat circumcisio insigne. De quo in Genesi: Ego sum, & pactū meum tecum, erisq; pater multarum gentium, &c. Israelitarū scilicet, Ismaelitarum, uel Agarenorum, Edomitarum, & Amalechitarum, & aliarum multarum ex Cethura. Sed longe gloriosior illi paternitas tribuitur & illustrior, pro filijs Abrahæ iuxta fidem in unum dominū deum suum, quem admodū multis docet & deducit Apostolus ad Gala. & Rom. Ideo additur: Non est inuentus similis illi in gloria utraq;, tam multitudine filiorum carnalium & simul spiritualium, quàm in sanctimonia uitæ et perfecta obedientia ad deū, charitateq; ad proximū, quod est conseruasse legem excelsi, quæ consistit in his duobus, fide scilicet et charitate. Inditam quidem naturæ legem obseruauit unum solum credendo & colendo deum, proximisq; benefaciendo non aliter quàm ut sibi fieri uoluisset, fidem quoq; in futurum saluatorem mundi, generandum de [illegible] semine

semine, quo benedicerentur omnes gentes, & tenuit, & filios suos docuit similiter credere, ut ea fide saluarentur quotquot electi erant. Iniitq; dominus fœdus, hoc est testamentum cum Abraham de danda terra Chanaan filijs suis in hæreditatem suo tempore, quod et impleuit fidelissime, & multiplicatione posterorum eius nimis.

18 In carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis.

Circumcisionem dicit testamentũ, consistens in propria carne, & suorũ omnium filiorũ: omnes enim posteri Abrahæ tã ex Ismaele prognati, quàm ex filijs Cethuræ dicuntur conseruasse fœdus circumcisionis, tanq; sanctitatis signaculum, quod tanti facerent, cum de re testamenti & fide non tantopere soliciti fuerint, prolapsi ad cultum idolorũ more gentium reliquarũ, quod & Israelitæ non raro tentarũt. De hoc testamento in carne, Gen. 25. & 17. Tu custodies pactum meum, & semen tuum post te. Circũcidetur in uobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij uestri, ut sit signũ fœderis inter me et uos. Et in tentatione inuentus est fidelis, iussus offerre unigenitũ filium, quem diligeret, in unto montium, ad quẽ triduo peruenturus esset, ad augmentũ tentationis. Nihil cunctatus, fidelissime obediuit, paratus domino deo suo ad omnia. De qua tẽtatione Gen. 22. Gal. 3.

19 Ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum,

20 & ut stellas exaltare semen eius,

& hæreditare illos à mari usq; ad mare,

& à flumine usq; ad terminos orbis terræ.

Merces amplissima fidei & obedientiæ describitur. Firmissima promissio, non solũ de seminis sui benedictione expectanda ab omnibus gentibus, sed de gloria quoq; insigni sui nominis, cedente in dei gloriam, pro qua iurando pollicitus est ei multa. Augmentũ innumerabilis prolis, quæ peculium dei esset futura præ omnibus gentibus, quandiu essent perstituri in cultu uero dei. Cuius et reliquiæ sanctæ nunq; essent cessaturæ, iuxta propheta rum dicta, hoc est crescere in terræ cumulum. Græcus habet, Multiplicare illum sicut puluerem terræ, & benedicere gentes in semine eius, & hæreditare illos à mari usq; ad mare, et à flumine usq; ad extremum terræ. Quæ omnia luce clarius cõspiciũtur impleta fidelibus Messiæ cultoribus. Quæ cũcta perfidi Iudæi adhuc implenda carnali imperio suo semper sperant. Exaltare autem semen Abrahæ ut stellas, est filios Abrahæ sublimare numero & meritis, claritate famæ & fidei, quandoquidem de illis nati sunt multi sancti & iusti patriarchæ & prophetæ, reges & iudices, principes, & pontifices, & innumerabiles personæ electæ, filij Abrahæ iuxta carnem, idq; in typo quidem fidelium disseminandorum in totum orbem terrarum: quod factum per Christum cernimus completum, in gloriam dei & patriarcharũ. Hic quoq; dicuntur hæreditaturæ terram scilicet promissionis, à mari mediterraneo ab occidente usq; ad mare mortuum, & à flumine Euphrate usq; ad desertum Aegypti. Hanc enim terræ latitudinem carnalis Israel in promissionem accepit. Spiritualis autem & uerus, disseminatus est longe uerius & felicius usq; ad uniuersos terminos orbis terrarum. Quando uidemus ubiq; illustriora à domino dari, quàm promississe uideatur à non omnino perfecte fidelibus. Vnde quod Iudæi nondum impletum uident, cæci & carnales, de dei gloria parum soliciti, hoc fideles abrahæ filij iamdudum palpauerũt de uerbo uitæ impletum esse per prophetas et Apostolos, ministros regni Christi, quem Messiam esse, et regnare in suum tantummodo malum credere pro suo more ceruicosi nõ uolunt.

21 Et Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem eius.

Isaac benedictio.

Abrahæ benedictum semen, & sanctus filius, per quẽ linea deduci debebat Christi domini, qui flos & fructus illius stirpis futurus erat, Isaac iam tunc erat, non Ismael, idq; propter fidem Abrahæ, et fœdus domini cum eo initum. Eadem enim quæ dominus Abrahæ promiserat, eademq; benedictio ad Isaac pertinebat, & facta est ad illum: unde & post obitum Abrahæ dicitur domius benedixisse eius filio Isaac, Gen. 25. & 26. Quod autem dicitur propter Abraham, non hoc intelligendũ necessario de meritis Abrahæ, sed de promissione dei, de ueritate et fœdere inito, quod iam non poterat rescindi unq, quando dominus uerax est, & promissa fidelibus non potest non complere. Quanquã & suo modo iustitia fidei Abrahæ meritum dici possit, sed non proprie, cum omnia beneficia dei ex gratia sint, qui bonorum nostrorũ non indiget, & sanctior est in suis muneribus, longeq; liberalior, quàm ut quocũq; opere bono promereri possimus, quãdoquidẽ & boni nihil cogitare sine eo uel ipsius gratia adiuti possumus. Patitur autem fidelium sancta opera dici merita, quia pro ipsis ex gratia sua promisit præmia qui tamẽ non nisi sua in nobis opera coronare cõsueuit.

22 Benedictionem omnium gentium dedit illi dominus, & testamentum suum cõfirmauit super caput Iacob.

Amabilem quidẽ dominus fecit Isaac cunctis gentibus, inter quas est pro tempore conuersatus, sed id benedictio tanta dici non potest, quando & pro puteis quotidie litigare cogebatur cum finitimis imò cum dominis terrarũ. Non enim habebat adhuc propriam hæreditatem, sed futuram expectabat pro filijs. Vnde & hanc benedictionem Isaac longe certius intelligemus ad literam, de benedictione omnium gentium in toto orbe terrarũ, quam hodie & iam à duobus fermè annorũ milibus possidere uidetur in mundo uniuerso, ut sese iactare tot populi audeant & lætentur, filios Abrahæ, Isaac, & Iacob, iuxta id quod optimũ in illis fuit, & quod in eis solũ dominus tantopere appretiatus est, et hodie in filijs appretiatur, fides scilicet in deũ, et charitas simul in proximum. Illud idẽ quoq; fœdus & testamentũ, initũ cum Abraham & Isaac, etiã confirmauit super caput Iacob, Gen. 20. Terram in qua dormis, semini tuo dabo, eritq; semẽ tuũ sicut puluis terræ, & benedicẽtur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ, eroq; custos tuus quocunq; perrexeris.

23 Agnouit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hæreditatem, & diuisit illi partem in tribubus duodecim.

Quid sit confirmasse deum testamentum super caput Iacob, exponit: Agnouit eum per suam gratiam, non ex meritis, quæ habere nõ potuit antequam nasceretur, unde & adhuc in utero constitutis, Iacob dilexit, Esau odio pro tanto habuit, quia ad gloriam & benedictionem tantam illum non præordinauit. Hæreditas quam Iacob dedit, temporalis quidem fuit possessio terræ promissæ, quam filijs Iacob dedit post annos trecentos. Illustrior autem & æterna hæreditas eius est, quicquid bonũ æstimari potest in Christo & ecclesia, collecta ex Israelitis secundum carnem & spiritum. Diuisit quidem illi partem in tribubus duodecim ministerio Iosue, sed diu nimis post promissionem patribus primo factam. Verum, tam in prouidentia dei circa suos fideles, quàm in fide uera sanctorum, nihil de promissionibus diuinis dubitantium, non est præteritum nec futurum, omnia præsentia sunt, cernuntur & creduntur, non aliter quàm ut iam accepta. Qua sua certissima fide, Iacob iam moriturus dixit Ioseph filio: Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrei, in gladio et arcu meo. Vnde & Græcus sic legit, in æditione Complutensi, qua hic utor: Et diuisit partẽ eius in tribubus, quas diuisit duodecim. Duplicem enim funiculum iam tunc prædixit futurum tribui Ioseph, pro quo Læuitæ propriã possessuri non erant, quorum portio esse debebat cura rerum diuinarum, & sacrificiorum dona cum suis decimis.

Hæreditas Iacob.

24 Et cõseruauit illi homines misericordiæ inuenientes gratiã in oculis omnis carnis.

Græcus sic legit: Et eduxit ex eo uirum misericordiæ, inuenientem gratiam in oculis omnis carnis. Id quidẽ ex pono potest de Christo domino, qui ex Israelitico populo processurus erat, quem omnes gentes essent adoraturi, & ut suam benedictionem, iustitiam, beatitudinẽ, & omne bonũ suũ appretiaturi. Id quod factum uidemus, quot quot scripturis credimus. Verũtamen & de sequentibus exponi potest, sed aliquanto ineptius iterũ capite distinctionis ordinato. Si enim de Mose exponendũ sit, ut uidetur, connectere hæc sequentibus debuerat. Talis hallucinatio non raro est in interpretibus admissa. Vt etiã Latinus interpres, quid hic intellexerit, difficile iudicetur. Videtur enim dicere uelle, ex semine Iacob produxisse homines sanctos, pios, & religiosos, quos homines misericordiæ nominat, quia uasa sunt misericordiæ dei, qui post tot peccata uenditionis scilicet Ioseph et similia, sint misericordiã à domino cõsecuti. De quo in Deut. Patribus tuis conglutinatus est dominus, amauitq; semen eorũ post eos. Quomodo autẽ complacuerint omnibus hominibus, difficile est ostendere: unde & Græcus expeditius scripsit, intelligenda pro utroq; sensu prædicto. Consequenter autem de Mose, qui ex populo Israelitico destinatus saluator populi illius, sanctissimus uir fuit, ut in toto populo mansuetior & sanctior homo nullus esset, qui fidelissimus interpres fuit, & sequester inter deum et populum, pro quo multa numium et diu incommoda passus est, & per constantiam finuit in gloriam dei, et salutem populi, pro quo se anathema esse cupiebat ut nõ periret.

Hallucinatio frequẽs.

CAPVT XLV.

1 Dilectus deo & hominibus Moses, cuius memoria in benedictione est.

Vt fuerit Moses dilectus domino, satis declaratur ex lege. Hominibus autem Israelitis frequenter exosus fuit, ut lapidandum decernerent, nisi dominus succurrisset. Id uero non sua culpa, qui nihil egit unquã neq; dixit non utile, sanctum & dignum optimo uiro, de sua gente optime merito, ut nõ fuerit uir melior in gente tota, multo minus in cæteris cunctis gentibus, unde & electus est à filia Pharaonis in filium, & aulam regis Aegypti multis annis incoluit, & sua sapientia illustrauit, donec iniquitas aulicorum illum expelleret, nerius autem dei prouidentia ad liberationem Israelis extraheret, mansuetissimus enim erat, unde & cunctis redderetur amabilis, iuxta prædicta: Fili in mansuetudine operare tua perfice, & super gloriã hominũ diligeris. De cuius pulchritudine Iosephus stulta, ut multa scribit, scripturæ ueritatem mendacibus fabulis illustrare cupiens, in gloriam suæ gẽtis, suo tempore pessimæ ut interim semper. Græculus enim ex Hebræo factus mentiri didicit de multis. Eius autẽ memoria cum benedictione, tunc fuisse & semper esse notius est quàm ut multis dicatur. Cuius sepulta mundus adorat, sola antiquissima & sacrosancta.

2 Similem illum fecit in gloria sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorũ, & in uerbis suis monstra placauit.

Sanctissimi quidam patres fuerant Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph, quibus tamen non fuit Moses inferior, sed æqualis. Cum quo dominus loqui dignatus est, facietenus ut amicus amico, summus omnium prophetarum & glorioßissimus præ cunctis mortalibus, in signis, prodigijs, et portentis, ut de ipso dicatur in Deuteronomio: Non surrexit propheta ultra in Israel, sicut Moses, qui nosset dominũ facie ad faciem, in omnibus signis & portentis, quæ misit per eum. Magnum quoq; fecit illum dominus in conspectu regum & tyrannorum. Primum quidem coram Pharaone, & Aegyptijs principibus, horribilibus signis, quibus perterruit eos frequenter, unde & in Exodo legitur: Fuit Moses uir magnus nimis in terra Aegypti, coram seruis Pharaonis & omni populo. Sed & ad reliquos omnes hostes terrorem habuit, Amalechitas, Moabitas, Ammonitas, Edomitas, reges Amorreorũ, in Esebon & Basan, donec uixit & postea. Et in uerbis suis monstra placauit. Græcus dicit: Signa cessare fecit. Orationibus suis impetrauit amoliri plagas à domino inductas Aegyptijs. Magorum quoq; impostoras & necromantica præstigia uerbo oris sui domino agente deuicit, & abegit. Et apud dominum precibus sæpe impetrauit clementiam, dum iudicio graui propter peccata premerentur Israelitæ.

3 Glorificauit illum in conspectu regum, & iussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam.

Victorijs celeberrimis glorificauit famulum suum dominus, contra Aegyptios in mari rubro submersos, contra Amalechitas & Madianitas, contra Seon regẽ Amorreorum,

reorum, & Og regem Basan, coram Balach rege Moab, ac Madian. iussit illi coram populo suo: aspiciente & audiente uniuerso populo de nubibus ei deus locutus est, mandata dedit decalogi, instituit principem sacerdotij Aaron, & reliqua multa ualde, de quibus populus dubitare nõ poterat. Vnde & in Exo. inter cætera loquitur dominus: Vos uidistis quod de cœlo locutus sum uobis, cap. 20. Et ostendit illi gloriam suam, omnipotentiæ & clementiæ suæ potestatem monstrauit uerbis & factis. Sæpe quoq; ex lege tota discimus, quoties apparuerit gloria domini. Non tantum Mosi, sed toti populo: Ecce, inquit, ostendit nobis dominus deus noster maiestatem et magnitudinem suam: non iuxta essentiam, sed per speciosa magnifica, qualia nusquam alibi facta legimus aut uisa. Quomodo enim uult uidetur, & quomodo capere eum potest mens humana, quantumq; sufficit electis & fidelibus pijs: impijs enim nihil sufficit.

4 In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.

Non minore fide domino Moses inhæsit quàm Abraham, qui & ut fidelissimus dei famulus, non suam sed dei gloriam in omnibus intendebat, domino suo fidelis erat, quia sanctus, unde & testimonium dei super hoc meruit, dicentis, in omni domo mea fidelissimus est, hoc est, non tantum deo famulus gratissimus, sed etiam toti genti deditissimus pater & seruus. Lenitas quoq; eius exprimitur Deuteronomij quinto, dum dicitur, quod erat mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra, hoc est heroicus, & uere diuinus homo. Iustus enim cum esset, ex fide uiuebat, mansuetis quoq; datur à deo gratia, ideoq; ex omni carne, hoc est hominibus, elegit eum dominus, ut liberaret populum suum, ut legislator esset, & sequester inter deum & homines. Ego, inquit, sequester & medius fui inter dominum & uos, ut annuntiarem uobis uerba eius.

5 Audiuit enim eum, & uocem ipsius, & induxit illum in nubem.

Dominus exaudiuit uota & preces famuli sui, quoties opus erat, pro se & populo suo. Eum, inquit, & uocem eius: nisi enim propter fidem & mansuetudinem, ex gratia tamen præcipua causa, Moses placuisset, non exaudisset dominus uocem ipsius. Induxit autem Mosen in nubem tanquam familiarem amicum, cum Aaron de longe in monte consisteret, populus autem prorsus arceretur à confinibus & radice montis. Accessit enim Moses ad caliginem, in qua erat deus, hoc est in densam nubem, super uerticem montis Sinai quiescentem. Exodi uicesimo quarto. Exaudisse autem Mosen legitur, Exodi tricesimo secundo, cum pro expiatione peccati uituli dominum deprecaretur pro populo.

6 Et dedit illi coram præcepta, & legem uitæ, & disciplinæ, docere Iacob testamentũ suum, & iudicia sua Israel.

Aspiciente omni populo dominus præcepta tabularum Mosi dedit, quæ sunt lex uitæ pro tanto, ut qui iuxta illa uiuat & conuersetur, habeat uitam gratiæ, qui uero transgrediatur, mortis sententiæ subiacet. Sed tota humana uita & conuersatio ordinari secundum hæc præcepta debet, quæ si quis contumaciter præuaricetur, coram domino non uiuet, & in casibus quibusdam occidendus decernitur: ut si quis alienum deum adoret, sabbatum nõ seruet, parentes percutiat, homicidium committat, adulteriumq;, & reliqua quædam, prout postea declarantur in lege & iudicialibus, propter quod & lex uitæ dici potest & mortis, quia ad eam domino mandante obseruandam obligantur omnes homines, etiam ex lege naturæ. Et tamen eam quantum ad concupiscentiam & charitatẽ fideli necessariam, nemo hominum obseruare potest, sed in hoc se peccatorem in dei præcepta fateri cogitur omnis homo, ut gratiam petere, & sua merita minime ualeat allegare. Dicitur quoq; lex disciplinæ, propter cæremonialia, quæ consequenter dominus mandauit Mosi, ut populo præscriberet, quibus in disciplina domini seruaretur, & in fide bonitatis & prouidentiæ diuinæ & gratiarum actione domino adhæreret, non declecteret ad ritus gentilium, ad illorum crimina & insolentias, ad quæ ex idolorum cultura dæmonum instinctu pellicerentur. Ad hoc quoq; usus est officio Mosis omnipotens dominus deus Israel, ut testamentum suum cum Israelitis inculcaret, quatenus quæ Abrahæ promiserat capita fœderis, plebs ista sciret, & quid pro se Abraham suo semine uicissim pollicitus fuerat disceret, & conseruare studiose conaretur: quod si id minus procederet, scirent nihilominus, quibus mediis fauorem dei & delectorum indulgentiam assequerentur. Vnde & iudicialia quoq; præcepta mandauit per Mosen, declarationem scilicet mandatorũ dei in decalogo, ut quod in genere propositum fuerat, in specie decerneretur, & transgressoribus subinde legitima pœna interminaretur.

7 Excelsum fecit Aaron fratrem suum, & similem sibi de tribu Leui.

Iam post laudes Mosis insignes & dignas, Aaronis fratris quoq; merita & splendorẽ officij designat, quem dominus deus uoluit esse pro illa gente summum pontificem, minime id quidem ambientem prærogatiuæ, sed uocatus à domino per Mosen fratrem. Dominus eum excelsum fecit, non Moses, ipse eum caput & doctorem gentis & interpretem legis esse uoluit, similemq; sibi in cognatione, quia eiusdem tribus Leuiticæ, non in cæteris similem, sed adiutorem in ferendo onere regiminis tam pertinacissimæ gentis, & in operatione signorum à principio, dum in Aegypto plurima dicenda essent & operanda, & cõsequenter in tam amplissima gente, qui unus omnia dicere & agere ualuisset? Erat autẽ sacerdos Aaron à Mose institutus, inunctus, & consecratus, ut & Moses ipse donec initiaretur frater & filij, sacerdotiũ exegerit more prisco, quando qui in qualibet gente primores erant, sapientiaq; & potestate præstarent, maxime uero primogeniti principum, sacerdotio initiabantur. Sic electus à domino Moses, sacerdotium à domino acceptum, ipsius mandato in humeros reposuit Aaronis fratris. Pro cuius ipse peccatis remittẽdis, de cõflato uitulo & adorato, primũ Moses sacrificare cogebatur. Aaronis laudes.

8 Statuit ei testamentũ æternum, & dedit

illi sacerdotiũ gentis, & beatificauit illum in gloria: & circumcinxit eum zona iustitiæ, & induit ei stolam gloriæ, & coronauit eum in uasis uirtutis.

Sacerdotiũ Aaronicum

Pactum et officium sacerdotij statuit dominus Aaroni per omne tempus, quo duratura esset uetus illa & ceremonialis institutio. Quod quidem sacerdotium sic ordinauit, ut ad disciplinam proficeret totius gentis, ad timorem & amorem dei sui, ad memoriam beneficiorum, quæ & acceperant per Mosen, diuina uirtute educti ex Aegypto, & accepturi essent post possessionẽ inchoandam hæreditatis promissæ, dum pacem assequerentur ab omnibus hostibus, si in mandatis domini essent permansuri. Maxime autem typus esse deberent futuri dei regni in Messia, toti orbi dominaturo, de ipsorum stirpe de filijs Abrahæ & semine Dauid. Cuius Messiæ mysterium præsignari debeat huiusmodi sacrificijs, sacerdotio, ceremonijs, & oblationibus, donec staret tabernaculum & arca fœderis, regnumq; & dominatus tribus Iuda. Cui Messiæ regnum succedere debebat, in omnia sæculorum sæcula duraturum. Beatificasse dicitur deus eum in gloria, hoc est glorioſum in tota gente statuisse, et multo splendore illustrem præ cæteris principibus omnibus, usq; ad miraculum & reuerentiam insignem, quam uolebat exhiberi summo sacerdoti, non pro sua persona, sed pro officio quod illi à domino deo suo eatenus iniunctum erat, ut gratũ amplecti promisisset dominus, quicquid uotorum, orationum, oblationum, sacrificiorum, per illum à tota gente hac sancta ipsius ministerio offerendum erat, & à suis subinde successoribus filijs summis pontificibus, donec staret tabernaculũ, cui templum successurum erat, & continuandum sacerdotium, usque quo uerus pontifex, destinatus benedictio orbis, & semẽ salutis, succederet sacerdos & pontifex in æternum, de quo ad Hebræos Paulus aptißime disputat solidißima, quæ omnia ad huius loci explanationem pertinent, & in Leuitico sunt breuiter, & ut fieri potuit, satis simpliciter & catholicæ explicata, et in Exodo quoq;. Circumcinxit eum zona artificioſe concinnata ex quatuor nobilibus coloribus, qua constringerentur externe omnia reliqua sacerdotalia indumenta, quæ iustitiam ipsam fidei designare debebat, de qua in Exodo: Facies & baltheum opere plumario, quod ex eijsdem materijs coloribusq; constabit, ex quibus superhumerale et rationale.

Stola Aaronis.

Stolam quoq; gloriæ induit eum Moses ad domini mandatum. Tunicam hyacinthinam, præclarißimi operis & splendoris egregij, quæ intelligi potest tam talaris tunica quàm superhumerale, in genere enim hic nominat nomine stolæ quicquid zona complectebatur: quæ deinde speciatim aliquanto indistinctius tamen explicantur. Totũ autem illud pontificis ornamentum, stola dicitur. Corona autem dicitur, quicquid ornabat caput. De quibus omnibus uicesimooctauo capite Exodi, lege quæ assequi intellectu & stilo potuimus breuiter. Quæ omnia in genere uasa uirtutis dicuntur, quia sacerdotales uirtutes & prærogatiuas supra populi merita designabant. Quæ quidem in Aarone imperfectius inueniantur: perfectißime autem in Christo domino, qui à patre constitutus est pontifex futurorum bonorum, &c.

9 Circumpedes & fœmoralia, & humerale posuit ei, & cinxit illũ tintinnabulis aureis plurimis in gyro: dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo in memoriam filijs gentis suæ.

Distinctius uasa omnia uirtutis explicare incipit. Femoralia scilicet, & uestem talarem, & humerale. Sic legitur in Complutensi æditione, ut nostrum interpretem intellexisse uideamus talarem uestem, per hoc quod dixit Circumpedes: quasi dicere uoluisset, humerale, femorale, & uestis quæ pertingit ad pedes, qualis erat pontificalis ipsa uestis. Ex cuius fimbria illustri opere contexta, propendebant in gyro tintinnabula aurea, cum singulis malogranatis, similiter aureis, quæ incedente pontifice per tabernaculum uel atrium, aut in sancto sanctorum, sonitum facientia audiebantur à populo, foris astante & auscultante. In templo dicitur, quod authoris huius temporibus adhuc stabat secundum quod memoriale ueteris Mosaici tabernaculi, in quo hæc omnia primum fuerant apud Israelitas expleta, quæ describuntur ad longum, & sepius in libris legalibus, qualia à domino fuerint facienda præcepta, quomodo idipsum parari fecerit Moses, quomodo tandem fuerint confecta, et ultimo consecrata, & in usum relata uel assumpta. Hæc autem omnia facta sunt, & à domino ordinata, ad memoriam præteritorum & futurorum beneficiorum dei, non abolenda unquam à gente illa Israelitica.

10 Stolam sanctam auro & hyacintho, & purpura, opus textile, uiri sapientis iudicio & ueritate prædiți.

11 Torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri, & operela pidarij sculptis in memoriam secundũ numerum tribuum Israel.

Totus ille pontificalis uestitus qui stola sacra dicitur, confectus erat pretiosißima materia, ex auro nempe & serico uel hyacintho. Ex purpura opere textili & artificioso hominum ingenuosorum, quos ad hoc deus impleuerat spiritu sapientiæ, ad elegantiam operi adhibendo, quo rudis populus in admirationem raperetur extremorum, & ad interna per uerbũ domini & Leuiticos præceptores aptius contemplanda introduceretur. Verisimile est enim, spiritualiores uiros cognouisse quid hæc omnia significarent, ac studiosis elucidasse auditoribus, quorum explicationes postea dictæ sunt traditiones patrum, & Cabala maiorum, quod est receptio. Sic habet Graecus: Stola sancta auro & hyacintho & purpura opere polimitarij. Et sequitur: Rationali iudicij signis ueritatis retorto cocco opere artificis. Difficilis quidem constructio. Hunc sensum indicare uidetur, qui & in Exodo clarius & fusius explicatur. Non tantum stolam talarem & femoralia & humerale parata sunt ex pretiosis, sed & rationale iudicij & ueritatis, quod postea quædam erat spißior, quadrata, ad pectus sacerdotis ma-

gnũ, continens duodecim gemmas inscriptas nominibus

duodecim tribuum, insertas auro, & annulis affixũ erat superhumerali, ut legitur ad longum in Exodo. Erat autem logion illud contortum preciosissimis filis, & confirmatum ne exciderent gemmæ: omnia opera periti artificis. Quæ quid significent, locis suis inuenies, in aliorum & nostris opusculis.

12 Corona aurea super mitrã eius expressa signo sanctitatis: et gloria honoris, et opus uirtutis, desideria oculorum ornata.

Mitra pontificalis pretiosa & decora erat in capite summi põtificis, à cuius fronte erat aurea lamina, ad modum lunæ nouæ sursum erectis acuminibus, in qua erat sculptum sacratissimum nomen domini dei Israel, ipsam essentiam omnium essentiarum significans. Quod Græci nominant Tetragrammaton, quatuor literarum, quæ sunt יהוה, quod exactiore sono proferri non potest q̃ leboua. De quo nomine noster Theodorus nup scripsit in Commentarijs eruditissimis in Nahum prophetã. Dicitur autem nomen illud ineffabile signum sanctitatis, cum sit ipsissima sanctitas dei ipsius nomen sacrosanctũ, quod & ipse Deus dicitur. Sic enim & Iudæi loquũtur, dicentes deum esse nomen suum, & nomen suum esse deum. Dicitur quoq; gloria honoris, hoc est, elegans & spectabilis figura, & sacrosanctum mysterium omnipotentis dei, cuius ille pontifex minister erat & sacerdos, sic ab eo institutus, donec ingrederetur in summum tabernaculum pontifex sanctus & immaculatus, innocẽs, & ipsum sacrificium plene sanctificans omnes saluandos. Opus uirtutis dicitur, quia domini dei omnipotẽtis sacramentum portendebat, quod & miraculosos non raro producebat effectus. Vt etiam legitur in Iosepho de Alexandri Magni gestis, qui illud conspicatus procidens adorabat. Desideria oculorum ornata, aliud non est, quã omnia ista pulcherrima fuisse, & ad uidendum desiderabilia, Iudaico loquendi more.

Theodorus Bibliander.

13 Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usq; ad originem.

Ab origine rerum & initio mundi, non sunt uspiam uisa alicui tam pulchra uestimenta & ornamenta pontificalia, qualia hæc fuerunt, siquidem sic ut fierent domino placuerunt. Sic uoluit populũ trahere ad reuerentiã numinis, ad honorem dei sui, ad cultum dei Israel solius: & ut sic fierent, omnia spiritu suo artificibus operũ inspirauit. Nihil autem pulchrũ, nisi quod placet domino, & hominibus placere debet. Ante ipsum dicit, nõ fuisse aliquid in mundo pulchrius. Potest enim fieri, ut sapientissimus Solomon eodẽ spiritu inspiratus, quædam in suis sacrosanctis ornatibus pulchriora ordinauerit, ut uidemus uexta sæculi ætates semper prioribus pulchris addi & admuteniri pulchriora. Verum de his dominus iuxta hominum ingenia ordinat, qui huiusmodi pulchris non capitur, qui hæc omnia usq; ad tempus correctionis instituit donec appeteret tẽpus de quo Christus dominus ad Samaritidẽ, quando in spiritu & ueritate à fidelibus uoluit adorari. Quod ut cõmodius fieret, semel templum cũ ara, sanctosanctorum, & omnibus atrijs, cumq; tota Hierosolyma uoluit exuri & prorsus finiri: suum autem uerum cultum in totum mundum spargendum per euangelium regni in Christo & per apostolos, sanctosq; apostolicos uiros ex Iudæis & gentibus.

Pulchra quæ sint

14 Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filij ipsius soli, & nepotes eius per omne tempus.

Alienus.

Nõ hic alienigena capitur pro gẽtili, sed pro Israelita quoq;, qui de tribu Leui, imò de posteritate Aaronis non fuit. Non decebat enim quenquã hoc ornatu quacũq; ratione indui, nisi si summus fuisset pontifex, de filijs Aarõ unicus priori succedens. Quanquã & sacerdotalia quæ dã ex his uestimenta erãt, quibus alij quoq; sacerdotes non summi, sed de filijs Aaron induebantur cũ in sacris ministrarent. De quibus in lege. Sicut & Leuitæ cæteri suas habebant uestes cum ministrarent in sacris.

15 Sacrificia ipsius consummata sunt igne quotidie.

Iuge sacrificium.

Iuge sacrificium fiebat quotidie, mane & uesperi, agnus scilicet immaculatus, quod pro quibuscunq; alijs priuatis uel regularibus, proq; solennitate sacrificijs ne quaquam obmitti debebat: quæ tamen non per summum sacerdotem semper administrabantur, sed per minores sacerdotes, uerũ de filijs Aaron. Consummebatur autem integre, ut ne ossa quidem supereſſent, semper enim ardebat ignis in ara, & Leuitarum ministerio fouebatur, mane autem & uesperi agnus in sacrificium comburebatur, & iuge dicebatur sacrificium.

16 Compleuit Moyses manus eius, & unxit illum oleo sancto.

Consecratio sacerdotalis.

Implere manus, Hebræis olim fuit idem quod consecrare, uel adaptare, uel præficere alicui sacrosancto officio & ecclesiastico. Inferebatur manui sacerdotis id qd crebro pro commendato officio manibus cõtrectare uel trãsigere iubebatur, ut sacerdotio functuris oblationes, libamina, animalium sacrificandorum artus, & membra manibus tradebãtur: portarijs uero claui & ianuæ, cantoribus musica instrumenta, doctoribus libri. Id certe quod & apud nostros episcopos factũ uidimus, non usq; adeo irrationabiliter, ut qui officium ecclesiasticum susscipit prouidendũ, impositione instrumenti ad istud officium necessarij initietur. Veruntamen etiã sacerdotum manus oleo sacro inungebantur, quod & hodie faciunt non tam episcopi quàm eorum suffraganei, reliqua necessaria obmittentes, solis his ceremonijs contenti, quæ sine spiritu & uerbo nihil proficiunt, sed pro ludicro habentur. Oleum sanctum institutum à domino erat pro sacerdotibus inungendis. Nunc uero longe aliter Christus & apostoli initiati leguntur, de missione scilicet spiritus sancti. Euangelium enim doctrina spiritus est, & cultum dei in spiritu docet, ministrosq; ecclesiæ nõ nisi spirituales esse debere docet, cessaruntq; iam olim ceremoniæ corporales & umbratiles, spiritu misso, & corpore præsentato.

17 Factum est illi in testamẽtum æternum, & semini eius sicut dies cœli fungi sacerdotio, & habere laudem, & glorificare populum suum in nomine suo.

Consecratio ista præcepto domini semel facta à Mo
Sacerdotalis functio. se Aaroni, ad officium pontificale, tantum habuit iussu dei uirtutis & authoritatis, ut ius illi contulerit æterni sacerdotij pro se & posteris, quãdiu durant dies ueteris illius legis & tabernaculi, uel templi, ut nulli fas sit irrumpere in ministerij illius functionem, nisi de genere Aaronis: nec indifferenter, sed qui de Aarone descendũt per Eleazar & Phinees, iuxta canones genealogiarũ, secundum legem. Aliorum nemo fungi sacerdotio tẽtet, sed hoc laudis, honoris & prærogatiuæ tantum manet Aaronem, & primogenitos per successiones ordinatas, qui soli in isto populo hanc laudem & gloriam consecuti à domino sunt, ut pontificali dignitate sic præfulgeant & sanctimonia spiritus, doctrinæ sacræ usu, & prærogatiua prodesse possint ecclesiæ, in gloriam domini dei sui, cui serui addicuntur & ministri, ut non tam ecclesiæ se prælatos gerant quàm ministros dei, & dispensatores mysteriorum dei, ut non se cupiant glorificari ab ecclesia sed ipsi potius sanctitate et doctrina domino seruientes, ecclesiam domino digne cõmendent, & meritis glorificent. Magna laus est ecclesiæ si deo dignum & idoneum assequatur antistitem. Qui uero laudem aucupatur, gloriã aut quæstum, is fur est et latro, per posticum ingreditur, non per ianuam, quæ sua sunt quærit, non quæ domini dei sui & ecclesiæ.

18 Ipsum elegit ab omni uiuente, offerre sacrificium deo, incensum, & bonum odorẽ in memoriam placare pro populo suo.

Magna gloria Aaronis fuit, quod non per ambitionem propriam, sed à deo electus & uocatus, ad fastigiũ tãti honoris euasit, ut sequester ordinaretur inter deum & homines, idq; ab ipso domino deo Israel. Quid enim glorioſius in hoc mundo homini cõtingere posset, quàm eligi à domino ipso in sacerdotem, & mediatorem, intercessorem, & summi dei dignum sacerdotem? Eius autem functionis partes enumerat esse, deo offerre sacrificium, iuxta legem domini dei sui, nõ pro arbitrio suo, ne uel transuersum digitũ à lege deuiet, & ad gentilium sacrilegiorum præsumptiones declinet. Aliud officium est, offerre incensum in odorem suauitatis, quod aliud nihil est, nec quicquam significat quàm pijssima uota fidelium, & ardentissimas orationes pro se & populo, confessiones laudum & beneficiorum dei, & peccatorum suorum, & ecclesiæ quibus præsunt. Alioqui nares dominus non habet, nec suffitu oblectatur, sed fidei, spei & charitatis affectibus sacris, & spiritualibus huiusmodi sacrificijs beneficentiæ & miserationum, quibus placatur dominus.

19 & dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis iudiciorum, docere Iacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israel.

Discernere iuxta legẽ dei, sacerdotum est.

Aliud officium sacerdotale est, decernere iuxta leges diuinas, ligare & soluere iuxta uerbum & uoluntatem domini, quæ scire & amare debet, secundum decreta legis iudicare, discernere inter mundum & immundum, inter lepram & lepram, secundum testamentum & pacta iudiciorum, quæ scribuntur in lege, ut non aliter iudicent quàm testamentũ, hoc est, lex iudiciorum dei pronuntiat. Nihil ad gratiam uel odium, pro personarũ acceptione uel munere agatur ab illis, sed sancte, fideliter & circumspecte omnia, tanquam in prospectu & præsentia dei, omnia iudicaturi & uindicaturi. Aliud quoq; officium designatur sacerdotale & filiorum Aaron, Docere fidelem populum, filios Iacob, nõ aliud quàm domini uoluntatem, quæ in lege continetur diuina, quæ testimonia sunt, & dicuntur beneplaciti diuini, ut aliam lucem non sequantur, quàm lucernam mandatorum dei, quæ sola semitis fidelium adhiberi debet, nõ traditiones humanæ, iuxta iudicium carnis & sensus mundani, quæ tenebræ sunt, perditioni & errori inuoluunt. Similia docuit Malachias: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius, quoniam angelus domini exercituum est. Et Haggæus: Interroga sacerdotes legem. Hinc in Leuitico: Vinum & omne quod inebriare potest non bibes, tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum domini testimonij, ne moriamini. Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatisq; filios israel legitima mea. Et Deut. 17. Si difficile & ambiguum apud iudicium esse perspexeris, &c.

20 Quia cõtra illum steterunt alieni, & propter inuidiam circundederunt illũ homines in deserto qui erant cũ Dathan & Abiron, & congregatio Core in iracundia. Viderit dominus deus, & nõ placuit illi, & consumpti sunt in impetu iracundiæ.

Loquitur de seditiosis Dathan & Abiron, & de congregatione Core, de ducentis quinquaginta uiris, qui se opposuerunt Aaroni, magis autem diuinæ ordinationi & Mosi seruo dei, ex inuidia & ambitione. Deque hac historia lege Numerorũ cap. 16. ubi inuenies contra Aaronem & Mosen hos impios consurrexisse, Core enim & Leuitæ pontificio Aaronis inuidebant, & sacerdotio filiorum eius. Dathan autem & Abiron, & Hon de tribu Ruben, inuidiã gerebãt contra principatũ Mosi, eo quod essent de tribu primogeniti Iacob. Non placuit domino, hoc est, uehementer displicuit illorum schisma, arrogantia, ambitio, inuidia, & rebellio, consumpti q; sunt in iracundia domini Core, Dathan et Abiron, cum tabernaculis suis repente absorpti à terra.

21 Fecit illis monstra, & consumpsit illos in flamma ignis.

Ad exemplum posteris omnium sæculorum, insolita & admirabili plaga per flammam ignis absumpsit contemptores sacerdotum domini & detractores, iuxta illud Numerorum decimosexto: Si consueta morte interierint, non misit me dominus: si autem rem nouam fecerit dominus, ut aperiens terra os suum, deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintq; uiuentes in infernum, scietis quod blasphemauerint dominum. Sibi enim acceptum refert dominus, quicquid iniuriarum in fertur ministris suis. Qui uos spernit, me spernit. Nihil enim loquuntur uel agunt, nisi iuxta præscriptum uerborum dei, & quæ illis cõmendat dominus exequi obligatio.

ligantur: id quibus dolet, dominum alloquantur, eundem deum de uerborum suorum iniquitate accusent. Quod si quid propria præsumptione sacerdotes tẽtent, & extranei à uerbo dei mandatis utantur, iam nõ sunt dei ministri, sed serui propriorum sensuum, & merito abijciendi.

22 Et addidit Aaron gloriam, & dedit illi hæreditatem, & primitias frugum terræ diuisit illi.

Consumptio aduersariorum Aaronis confirmauit sic domino uolente sacerdotium, & cõstabiliuit per omnia sæcula: id uero & secundo egit per portentum floritio nis uirgæ Aaronis. De qua in Numeris, aliarum tribuum uirgis in sua ariditate manentibus, quod cessit ad gorifi cationem officij sui, significãdo ipsum præ cæteris à deo ad pontificeatum electum. Et dedit illi hæreditatem, non ut alijs tribubus in possessionem, et ad colendum terras, sed tantum ad habitandum loca & opida, & suburba na ad alendum iumenta: perpetuam autem prouisionem ordinauit Leuitis, et sacerdotibus de filijs Aaron, ex de cimis & sacrificijs, ex primitiuis fructibus, & decimis decimarum sacerdotibus dandis.

23 Panem ipsius in primis parauit in satietatem: nam & sacrificia domini edent, quæ dedit illi & semini eius.

Doctorum annona.

Ordinauit dominus sacerdoti & familiæ eius cibum idoneum ad sufficientiam, de primitijs, decimis, & oblationibus terræ, à populo deferendis. Non est passus mendicitatem & egestatem in seruis suis dominus gloriæ, qui dat escã omni carni, qui profert fructus terræ ad uoluntatẽ suam, uult gratos colonos, præcepitq; gratitudinis exercitiũ & fidei. Ideo doctoribus fidei & pietatis prouisum uoluit ad satietatẽ, non ad diuitias uel mendici tatẽ, ne uel impleti incrassarentur & superbirent, aut libidinem sectarentur, uel mendici mendacia docerent & quæstui inhonesto prospicerent, cum peruidia in uerbo & conuersatione. Omnino enim utile uel ferendum non est, paupertate doctorum fenestram aperiri quæstuosis doctrinis & figmentis poeticis. De sacrificijs domini prouidit sacerdotibus, ut & offerentes gratiam deo bonorum omnium largitori continuo redderent, & sacerdotes semper memores essent, cuius à domini mensa nutrirentur, ut eius honori, cultui & obsequio diligentius insisterent, & non paterentur populum absq; numinis reuerentia uiuere, ad aliorum deorum cultum recidere, uel credere proprijs uiribus suis terræ fructus consequi, sed diuinitus. Aaroni & filijs dedit partem suam dominus, ut eam fraudasse & infideliter segregasse primitias & decimas, furtum lege haberetur, & perfidia in dominum deum, & ingratitudinis pernitiosum crimen, quod dure uindicandum timerent, scilicet omnium rerum egestate, & sterilitate soli, ac cœlo æneo.

24 Cæterum inter gentes non hęreditabit, & pars non est illi in gente: ipse est eñ pars eius, & hæreditas.

In diuisione terræ promissionis in duodecim hæreditates, Leuitica tribus nullam possessura erat, sed tribus Ioseph duplicem portionem habitura erat, testamento patris, qui ipsum plus omnibus dilexerat fratribus, quia de prima uxore, in quam consenserat, natus est, sic domino disponente, ne agrum agro connectere studerent Leuitæ, ne se terrenis negotijs immergentes, diuina negligerent, cultum dei, & populi regnum, doctrinam, & in fide ac pietate ministerium, in gẽte Israelitica portionem non habere debebant, sed ex instinctu fidei in deum omnia gubernantis, nutriri ex populi scilicet deuotione, & ueritate, ne ab unius conditoris & gubernatoris omniũ reuerentia otiosi essent aliquando. Quid enim aliud est decimas dare ex fructibus ministris dei et uerbi, quàm confiteri dominum omnium prouisorem, cœli terræq; dominum, & omnium quæ in eis sunt, uiuunt, crescunt & aguntur, simulq; obedientia exerceatur à fidelibus, dum domino reddunt debita sua & obediunt legibus ac sanctæ uoluntati, ad quod naturali lege homines obligantur: grati ut domino sint, idq; ostendant obediendo docentibus uoluntatem dei ex uerbo illius. Notãdum autem dei ministris non tantũ est illud quod hic dicitur, dominũ esse partem illorum & hæreditatẽ, quia de portione dei uiuendum eis, sed & quod præcedit æque attente semper cogitent, partem illis nõ esse in gente, non eos dominos esse terrarum & principes, ad luxum fouere, sed ut decet dei ministros, in omni pietate et doctrina. Quæ quia in euangelica lege cessare non debet, nec sine uerbo populus potest uel debet gubernari, & credere, & charitatem fouere, huiusmodi dei ministris & ecclesiasticis curatoribus carere non possunt, & illi ecclesiæ obsequijs insistẽtes in uerbo, oratione, et exhortatione, propriorum manuum solo opere uitam exigere sine ecclesiæ detrimento non possunt. Vnde & Christus & apostoli exemplo docuerunt, dignum operarium mercede, & boui trituranti non os claudendum, & cætera huiusmodi.

Portio Leuitica.

Officium Leuiticum.

25 Phinees filius Eleazari tertius in gloria est, imitando eum in timore domini: & stare in reuerentia gentis: in bonitate, & alacritate animæ suæ placuit deo Israel.

Aaroni mãdato domini in sacerdotio successit filius Eleazarus, per omnia similis in officio, gloria, honore, reuerentia, & priuilegio summus sacerdos, cuius fratres reliqui, & ipsorum filij & nepotes, minoris ordinis sacerdotio fungebantur, iuxta ordinationem legis, quo & ipso decedente, primogenitus eius filius Phinees successit, renouata promissione dei per testamentum nouum, quod illi dominus ordinauit, pro inuicta fide ipsius, & zelo legis & gloriæ diuinæ, quem ostendit feruentissimum, magnanimum patrem suum in bonis omnibus imitando, contra iniustos personaliter inuehẽdo, & totum populum sua uirtute ab imminente plaga liberando. De quo Numeri uigesimoquinto: Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis, auertit iram meam à filijs Israel, in zelo meo &c. ideo statuit eum dominus, ut reuereretur tanquam summus totius gentis pontifex, & in gloria ac honore non minore esset quàm fuerat Aaron, quando et non irreligiosior erat, & in bonitate fidei & doctrinæ

minor, sed in depellenda blasphemia, & cõtemptu legis omnium zelosißimum se facto ostendit, magna animi alacritate dño deo seruiens, et populo proficiẽs uerbo, exemplo, & illustri opere, cõtra Madianitas periclitatus. Ea fides & deuotio domino deo suo perplacuit.

26 Ideo statuit illi testamentũ pacis, principem sanctorum & gentis suæ, ut sit illi & semini eius sacerdotij dignitas in æternum.

Princeps sacerdotum quis dicitur

Promisit illi dominus pro se & posteritate sua æternum pontificatum, & sacerdotij dignitatem cum pace, nemine infestante, ut sit princeps sacerdotũ, hoc est, primarius in ordine & officio suo, cui reliqui omnes in his quæ ad dei cultum spectabant obedire, auxilio esse, & subministrare lege domini iubebantur, quotquot filij Aaron erant & Leuiticæ tribus, quæ hic dicuntur gẽs sua, sicut & reliquæ omnes tribus alienigenæ dicuntur & extranei, prophani scilicet, & non sacris destinati mysterijs digne tractandis. Vt sit, inquit, illi & semini eius sacerdotij dignitas in æternum. Donec scilicet arca & tabernaculũ uel templum steterit, & sanctus sanctorum ueniat, qui semel proprio sanguine oblato, intret pontifex factus pro nobis, ut sine fine intercedat & oret pro electis. De quo Paulus ad Hebræos. Cauſam autem delegati perpetui sacerdotij lege Nume. 25.

27 Et testamentum Dauid regi filio Iessæ de tribu Iuda, hereditas ipsi & semini eius, ut daret sapientiam in cor nostrum iudicare gentem suam in iustitiat ne abolerentur bona ipsorum, & gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit.

Testamentum dei ad Danid.

Aliud quoq; & non ignobilius testamentũ post præ dicta statuit clementia dei cum Dauid filio Isai, quem Græcorum more Iesse author nominat, ut & alia quoq; nomina longe aliter nominata intelligimus, & lecta tempore Septuaginta interpretum, quàm nunc à Iudæis punctatim legantur. Huius nunc clarißimi testamenti memi nit de filio Dauidis Meßiæ mittendo, ad consolationem & regimen fidelium, cuius regnũ in æternum esset mansurum, iuxta promißionem dudum factam tribui Iuda, per testamentum Iacob: Non auferetur sceptrum de Iuda donec ueniat qui mittendus est. Hæreditatem quidem regni Israelitici promisit dominus Dauidi & filijs ipsius, & semini usq; ad Christum nasciturũ ex semine Dauid, propter quod nõ solum filius Dauid à prophetis dictus est, sed & Dauid rex domini. Per utrunq; autem Dauidem tã filium Isai & posteros quàm Meßiam, dominus dedit sapientiã, non tantum genti Iudaicæ, sed toti mundo, ut iudicentur electi omnes omnium nationum, maxime autem populi Israelitarum fidelium, deo credentium in iustitia. Gentem ait suam, regno suo subditam, iuste gubernauit quandiu regno præfuit, ne hostiles nationes circumquaq; infestantes populum dei, ipsorum hæreditati irrumperent, & bonis spoliarent à deo datis. Gloriam autem Israelitarum, quantum ad eos qui dominum deum suum glorificare studuerunt, sanctos scilicet & pios, perpetuam fecit, & donec steterit mũdus duraturã. Quam hic religiosus author impense suo tempore sperauit, per Christum & regnum Meßiæ glorioſißimum restituendam. Quod & apostoli inquirebant, putantes corruptibile & humanum, quod spiritus sanctus docuit & experientia gratiæ dei incorruptibile esse, diuinum, spirituale & æternum, uniuersale quoq; & usq; ad regimentium & interni hominis. Quandoquidem non secundum faciem dicitur à prophetis iudicaturus, sed in uera pace, quæ animorum est & conscientiæ, sine fine sit in fidelibus toto in mundo regnaturus.

CAPVT XLVI.

1 FOrtis in bello Iesus Naue successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secũdum nomen suum, maximus in salutem electorum dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel.

Fortis in bello Iesus Naue successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secũdum nomen suum, maximus in salutem electorum dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel.

Præconia consequenter Iosue & Caleb insignia, non indigne scribuntur post prædicta. Cuius primum Iosue uirtutes gloriosas commemorat, quas per spiritum dominum Moses agnitas habuit, propter quod & ex uniuersis tribubus ipsum suum ministrum elegit, cum non esset de tribu Leui uel Iuda, sed Ioseph & Ephraim. Qui & eius rißimũ exemplar & typum domini Iesu saluatoris nostri di factis & nomine præ se ferre debuit. Fortis in bello pro populo dei fuisse laudatur, qui oẽs populi sui hostes debellauit deq; omnib. triũphauit incruẽta prorsus uictoria, domino iuxta promissa aßistente, cui credebat fortis in omnibus. Bellum illud non tam suum quàm dominum erat, ipse tamen nihil segniter administrabat eorum quæ ad ducis pertinent functionem, & animi fortitudinem. Iesus Naue dicitur, alio nomine Bin Nun, Iosue & Hosea pro more Iudæorum, & literarum sacrarum, & omnium nationum. Successor à domino institutus est, & à Mose ordinatus, cõsentiente populo uniuerso, non tantum in potestate dominij, sed etiam in spiritu prophetiarum, in ipso enim spiritus domini requieuit, sicut in Mose, quanquam non eadem mensura. Magnus fuit secundum nomen suum, quia saluauit populum dei ab infestatione tot immanium populorum & regum, primum enim sub Mose contra Amalech, deinde contra reges Amorrhæorum, Seon & Og: post obitum autem Mosis debellauit triginta reges, ut testatur de ipso scriptus liber Iosue. Fuit autem præcipuus in obtinendo manu & fortitudine salutem populi sui, & illustres sibi diuinitus donatas uictorias, donec pacem & tranquillitatem ipsis obtineret, simulq; animarum quietem uerbo et exemplo inducens ad cultum unius dei, & ad obseruantiam legis diuinæ, expugnãdo omnes hostes, exurgentes contra se & filios Israel, quos ad unum omnes deuicit, donec consequeretur à domino, illis promissam terræ sufficientis hæreditatem, quam & sorte illis diuisit, à domino moderata.

2 Quam gloriam adeptus est extollendo manus suas, & iactando contra ciuitates rhomphæas?

Ipse

Insignem hanc à domino & plebe gloriam est assequutus, propter fidē ad domini promissa certissime adimplenda, cuius uirtute animatus est contra fortissimos reges & urbes, arces & castella, quæ reliquis inexpugnabiles uidebantur, unde et in sua perfidia mortui sunt omnes, ipse autem fiducia summa fretus in deum, ipso iubente manum extulit, & fortiter aggressus est impios. Vnde & Iosue octauo dicitur: Non contraxit Iosue manum quam in sublime porrexerat, tenens gladiū, donec interficerentur omnes habitatores Hai. Sagittas quoq; & machinas bellicas prospere adhibuit urbibus uincendis, domino per cuncta illius studia annuente, cuius uicissim mādatis et legibus fideliter per omnia obediebat.

3 Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse dominus percussit.

Gloriam obtinendi promissam terram Chanaan, & possidendi tot regna, occidendi & suppeditandi tot reges & populos dominus deus Israel non fauit Mosi seruo suo, quālibet fidelissimo, sed Iesu filio Nun, qui iuxta nomen suum saluator est gentis, & idoneus typus Iesu Christi saluatoris omnium, qui non per legis Mosaicæ ceremonias & cultum populum saluando transfert in hæreditatem æternam, sed per seipsum patri obediens usq; ad mortem, à peccatis redimens, & hostes dei impios homines damnans. De cuius comparatione & collatione ad Iosue, uide Origenem in Iosue librum, ne plus æquo prolixior sim, in re tamen minime negligenter cōsideranda. Ne uero humanæ fortitudini uel iustitiæ quippiam tribuatur in tam eximio opere, & ne fides promissorum dei ex hominibus pendere putetur, digne & necessariò additur: Nam hostes ipse dominus percussit, qui non tantum magnis portentis prostrauit inimicos, sed animum & fortitudinē addidit Israeli, ut fortiter implendæ domini uoluntati insterent, nihil trepidantes, cōfortati à domino, nunquam cæderentur uel terga uerterent, postquam semel in initijs admoniti, fideliter custodire cœperunt mandata domini, & Iosue serui dei.

Origenes de Iosue & Christo.

4 Aut non in iracundia eius impeditus est sol, & unus dies factus est quasi duo?

Græcus legit: Nónne in manu eius regressus est sol, et una dies facta est quasi duæ? Stetit enim ad fidē et orationem Iosue tandiu sol, ut perfecta impleretur uictoria de omnibus hostibus, qui eo die populum domini uoluerant deleuisse, ut sese filij Israel ulciscerentur de aduersarijs suis. De qua solis statione & longitudine diei uide Iosue decimo capite. Si uero legatur iracundia pro manu, incertum enim habeo quibus exemplaribus certior sit adhibenda fides, Græcis uel Latinis, discrepantibus utrisq;, certe hic sensus obscurus nō est, quod zelo dei et Iosue, simul & populi ac præcepto dei hæc cuncta operata contigerint, qui iamdudum comminatus fuerat illis iustum interitum, dum peccatorum grauium mensura esset ex solis statione, quæ domino grauis non fuit, qui id nutu suo agit, cui studiosissime sol obsequitur in omnibus actionibus scilicet suis, sicut et omnes creaturæ, præter hominem, qui id omnium maxime obligatur, cui omnia reliqua creata seruire iubentur, ut ipse dño seruiat.

5 Invocauit altissimum potentem in oppugnando inimicos undiq;, & audiuit illum magnus & sanctus deus in saxis grandinis uirtutis ualde fortis.

Ex pietate fidei Iosue dominum inuocabat, diffisus de propria fortitudine, sciens omnipotentiam dei sui in promissis firmitatem & certitudinem, qui ut altissimus est, sic quoq; in altis regnat, et omnia ordinat pro uoto, qui potens sit hostes quoscunq; & quantoscunq; solo nutu delere, ideoq; fidei & obedientiæ merito, magis autem promissorum ex gratia, tenacissimus & infallibilis, dominus magnus & sanctus deus, saxis grandinum hostes filiorum prostrauit, Iosue decimo, quando plures occidebantur grandinibus quàm gladijs Israelitarum, idq; precibus sancti uiri, etiam si indefessa oratio non scribatur in libro Iosue. Oratio Iosue.

6 Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios, ut cognoscant gentes potentiam eius, quia contrà deum pugnare non est facile: & secutus est à tergo potentes.

Inuasit præcepto domini hostes sanctorū, qui & ipsi primi belli inchoarant, impetu facto uirtute spiritus impellentis contra Chananæos, quos in descensu Bethoron aduersarios occidit simul dominus grandine, & armis Iosue cū suis, ut de uoluntate domini constaret fidelibus, dum simul cœlitus & humanitus uictoria paratur, contra dudum damnatos perfidos Chananæos. Ex quo miraculoso facto simul cum solis statione magnifice declarauit dominus omnipotentiā suam, qualem Israel deum coleret, quis uere conditor uniuersorum haberi & credi deberet, quis iste dominus esset deus exercituum, quē coleret Israel, contra quem nulla ualeret uirtus, qui cœlestibus iaculis aduersarios appeteret cultorū suorum, cuius uoluntati cūcta parerent cœlestia & terrena, cuius omnipotentiæ nullus resistat, sed fugere cogantur aduersarij eius, quos si uelit cōprehendere, effugere eis sit impossibile, quantumlibet potentes sint, omnipotentem tamen euadere nō ualebunt. Hinc capite decimo Iosue scribitur: Irruit super eos repente, contriuitq; plaga magna, ac persecutus est per uiam ascensus Bethoron.

7 Et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse & Caleb filius Iephone, stare contra hostem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ.

Misericordiam quid nōnunquam Hebræi nominent satis hic patet, probitatē nempe & fidelitatem, strenue benefacere alicui. Sic Caleb & Iosue magnanimiter & plena fide, quod optimū erat Israeliticæ plebi consulere cupiebant, ut bene de deo suo sentirent, potentiam suam præferrent hostiū quorumcunq; fortitudini, accepta beneficia rememorarentur, qualia subinde conferre posset & uellet si in ipsum confiderent, cessarent à murmure, rebellarent minime Moysi institutis. Quos cū cernerent dura ceruice contranitentes, & dominum blasphemari audientes, uestimenta sua sciderunt. Quæ omnia Nume Misericordia. Caleb & Iosue.

rorum libro captie decimotertio & decimoquarto plenius describuntur. Admonebat insistere contra hostes socios exploratores decem, domino Mosi & promisse terræ detrahentes, magnanimiter & uiriliter compescuerunt, exhortando ad obedientiam domino deferendam, & seruo suo Mosi, ne peccarent, & peccati uindictas atrocissimas experirentur, quod & factum est. Murmurantes enim & rebellantes, redireq; in Aegyptum statuentes, omnes ad unum usq; occisi sunt à domino in solitudine. Lege caput 14. in Numeris.

8 Et ipsi duo constituti, à periculo liberati sunt, à numero sexcentorum millium pedi tum inducere illos in hæreditatem, in terram quæ manat lac & mel.

Confirmati sunt hi duo in optima uoluntate, merito fidei suæ, præ omnibus reliquis, quorum ingens erat multitudo miriadũ, omnes pro infidelitate sua mortui in deserto, his duobus tantum seruatis ex omnibus, qui ab initio numerati fuerant, ut soli promissionis terram ingrederentur & possiderent, manantem lacte & melle, hoc est affluentia omnium uictualium refertam. In isto autem numero non cõprehendũtur Leuitæ, qui numerati non sic erant, quorum multi ingressi sunt promissionis patriam, ut Eleazarus & Phinees, cum reliquis qui inter murmuratores quoq; non sunt recensiti.

9 Et dedit dominus ipsi Caleb fortitudinem, & usq; in senectutẽ permansit illi uirtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum, & semen ipsius obtinuit hæreditatem: ut uiderent omnes filij Israel quia bonum est obsequi sancto deo.

Caleb heros inclytus robore mentis & corporis, illustris permansit usq; in senectutem, quum in reliquis à quinquagesimo anno illa ad defectionem tendere soleat. Qua fretus animi magnitudine, magis autem dei gratia & potentia ueritateq; in promissis, montana fortissima Amorrhæorum aggressus est, gigantum arces euertit, et terram eorum uniuersam obtinuit pro se & posteris suis, ut nobiles semper deinde habiti sint in Israel, ob exima facinora patris sui Caleb, qui plenus fide & fortitudine ausus fuerat præter spem in spem fidere, à domini ueritate pendere, & eidem toto corde adhærere, credere quoq; in exemplum & iudicium cæteris Israelitis.

10 Et iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui nõ auersi sunt à domino, ut sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorum permaneat in æternum, permanente ad filios illorum sancto rum uirorum gloria.

Iudices probi & laudabiles.

Perstringit in genere iudicum bonorum laudes & merita, de quibus multa in libro iudicum prolixius traduntur. Quorum multi incorrupti fide & moribus, magnifice decertarunt pro suo populo, laudabiliter præfuerunt, iudicium & iustitiam facientes secũdum legem domini dei sui, qui multis annorum centurijs præfuerũt post Iosue, qui non sunt per idololatriam auersi à domino, nec in alijs flagitijs notati, quales eorum multi fuerunt, sed nõ omnes, Abimelech enim pessimus fuit, quam quam sanctissimi patris filius esset. Eorum autem usq; hodie memoria perseuerat cum laudibus, & in benedictione dei & hominum, propter honestissima facta sua, in defensione gentis suæ, si quando pro peccatis suis à domino puniti fuissent, & conuersi recepissent disciplinã cum fructu iustitiæ. Quorũ memoria supereſt apud sanctos cum laudibus, & in memoriam uirtutis ipsorum, mobili adhuc sepultura apud superstites donati sunt, non indigno uirtutis præmio apud mortales, beneficiorum grãtos, qui cum officium aliud pro uirtute defunctis rependere non possint, saltem honorifica sepultura præmiã illorum uirtuosissima pro republica facta. Non tam ad præmium uirtutis, quod in cœlestibus à domino dignis, quàm ad exemplum & incitamentum uirtutis, ut posteri meminerint uirtutis & fortitudinis, ac beneficiorum memoriam sacram esse gratis mortalibus, præter eam quam cuncti fideles deo & proximo in cœlestibus felicitatem expectant. Non ut eorum ossa è sepulchris effossa honorentur, osculentur, & adorentur, quod est nequitia pessima, non minor certe quàm ossa humana manum, & idolum adorare. Quod si fieri inconsulte præstat abscondi, uel ignibus absumi, quàm dei munera præteriri, & deo soli propriam gloriam, cuicunq; creaturæ deferre. Id quod & sancti patres, ut Ezechias & Josias, in eo rerum statu tentare minime trepidarunt, sed cum laude perpetua. Fama nominis eorũ celebris ut sit non displicet dño, & ut ossa honorifice humẽtur ad memoriã fidei et uirtutis, utq; eorum patrum filij paternæ probitatis hæredes esse desiderent, erubescantq; degenerare ab illorum sanctis moribus, donec quoq; sic legitimos se filios & nepotes ostenderint factis, et ipsi quoq; in honore seruẽtur. Vnde propagatus est uere nobilium splendor in mundo, quem expedit non contemni. Duplo autem confundi merentur, qui optimorum maiorum gloriam iniquis suis moribus obfuscant, et indignos se omni laude constituunt.

11 Dilectus à domino deo suo Samuel propheta domini, renouauit imperium, & unxit principes in gente sua.

Peruenitur ad præconia inclyti Samuelis, iudicis, Sacerdotis prophetæ & sacerdotis. De cuius eximijs laudibus non omnia est ut multa dicantur hoc loco, quum totus Samuelis liber eius præclaras uirtutes multis exequatur: extensis ut præter fermè omnes alios sanctos nihil de hoc sancto uitiosum scriptura meminerit, sed multa laude fulgentia ipsius commendet & opera. Quamquam illius gloriam macula asperserint improbiores filij, ne quid in hac uita perfectum commendetur. Vt autem dilectus Samuel fuerit domino, satis ex eius conceptione, natiuitate, & educatione liquet, ab infantia sua domino consecratus, & propheta datus populo Israeli. Cum quo puerulo dominus deus loqui dignatus est, per quem uetulum pontificem corrigere uoluit, & à futuris malis præmonere

re. De quo adhuc iuuene cognouit uniuersus Israel, quod fidelis Samuel propheta esset domini. Et euenit sermo Samuelis uniuerso Israeli. Is ad mandatum domini renouauit imperium, iudex populi factus, de uoluntate domini, quam contestabatur mirificis signis & portentis, ad defensionem fidelium, quos instinctu domini non tantum uerbo salutis & doctrina legis & fidei rexit & instituit, sed etiam felicissimis prælijs, dei auspicijs magnifice gestis, manu, consilio, & precibus hostes deuicit, & dei populum iustissimo ministerio suo, sub rege domino exercituum gubernauit, eorum bella bellauit strenue, & uictorias cœlestes reportauit. Donec ingratissimus populus nõ minus sanctissimo Samueli, quàm olim Mosi habenas gubernaculi sancti & felicis eripere deliberauit, & non iam prophetæ domini uerba & officia, sed regis alicuius uerbera & grauamina ferre maluit, quæ & dignissime sensit: de quo subditur, quod uxerit principes, id est reges et consules in gente sua, Saulem scilicet & Dauidem, inclytos reges, sed uarie præsidentes, & inæqualium meritorum, primum quidẽ ungendo ad mandatum domini de tribu Beniamin, filiũ Cis, nomine Saul, quem tamẽ semper per successiones regnaturum impossibile erat. Iam enim ante quadringentos fermè annos, tribui Iuda dominatus & sceptrum regni promissum erat, in benedictionibus Israel morituri. Sed exemplum esse debuit Saul omnibus regibus, qui quantumlibet innocentes suscipiantur in regnum, facile deprauantur ipsorum ingenia, ex honoribus & diuitijs, ex potentatu & licentia, si in talibus conquiescere, & complacentiam habere incipiant, & uelint consequenter non tam prodesse quàm præesse, quos miserandum certe manet dei iudicium, exemplo Saulis, præmium quidem magnorum criminum & crudelitatis maximæ, inuidiæ, iræ, ingratitudinis, & ambitionis reum, deinde contra domi num quoque inobedientẽ, & in sacerdotium sacrilegũ & parricidam, donec digna morte scelera expiaret, uel finem faceret delinquendi, ad exemplum omnibus, etiam sanctis regibus. De Dauide quoq; legantur sacræ historiæ, ut uideatur quantum peccauerint Israelitæ, prophetam sanctissimum abijciendo, ut gentilium exemplo, regibus regerentur non prophetis.

12 In lege domini congregationem iudicauit, & uidit dominus Iacob, & in fide sua probatus est propheta.

Versu præcedente more suo scriptura summatim perstrinxit, quæ de Samuele gloriosa facinora paucis licet deprædicaturus erat, iam prosequitur merita Samuelis, primo secundum dei legem, nõ proprio sensu iudicauit, complurib⁹ sæculis Israelitica congregationem sanctissime quidem & felicissime regendo, pascendo, docendo, defensando. Viderat enim dominus, hoc est clementer respexerat afflictiones, quas passi fuerãt à Philisthæis et abilitorem ipso Iosue, uel etiam Mosi. Perfectissima enim fide sua, ut alter Abraham Samuel quoque domino probatus est, & clarissimo prophetiæ dono insigniter illustratus,

13 Et cognitus est in uerbis suis fidelis, quia uidit deum lucis, & inuocauit dominũ omnipotentem in oppugnando hostes circũstãtes undique, in oblatione uiri inuiolati.

Samuel deo & hominibus dilectus.

Non solum domino probatus est Samuel & dilectus, sed & uniuerso Israeli est cognitus & patefactus, esse scilicet hominem deo dilectum, quia in uerbis suis omnibus semper eum fidelissimum comperiebantur. Certissime enim fiebat quicquid uel à domino postulasset, uel futurum alicui priuatim & publice prædixisset. Quod additur, Quia uidit deum lucis, in Græco non legitur. Fortassis, quia male sonabat, Græci abradere ausi sunt, quod & in alijs locis egisse suspicio est, ut tanto minus cupiam ad Græcorum exemplaria nostros codices nunc emendari. Cum impium non sapit, dicere, Samuelem deum uidisse, cum spiritu prophetiæ clarissime resplenduerit, dominum puer audierit sibi familiariter loquentem, uidentis quoque nomen obtinuerit, et in spectro aliquoties dominum uidisse, ut & alij plures prophetæ, ut satis uerisimile credi possit. Inuocauit autem dominum omnipotentem, solum colendo, adorando, & credendo, quẽ & in omnibus angustijs suis & gentis Israeliticæ adesse plerunq; sensit, maxime dum undiq; premeretur ab hostibus, quando fideliter orans semper exauditus est, ab eo tempore quo ut innocentissimus paruulus ab Anna matre sua domino est statim triennis & iam ablactatus oblatus. Græcus legit hic, In oblatione uiri lacte nutriti: alij legunt Immolati, alij Inuiolati. Posset quidẽ Dauid ad regnum à Samuele oblatus, dici, uir lacte nutritus. Sed uidetur hic loqui de gestis Samuelis, dum adhuc iudicaret populum, & ante principum inunctionem, ut prior expositio magis arrideat.

14 Et intonuit de cœlo dominus, & in sonitu magno auditam fecit uocẽ suam, & contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Philisthijm.

Adstipulatur iam dictis quod hic scribitur, et indicare uidetur historiam ex primo libro Regum capite septimo, ubi cum salutaribus monitis populum reduxisset ad cultũ domini dei sui, & iam Philisthæi irruere tentarent, ibidem scribitur, Israelem dixisse ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad dominũ deum nostrum, ut saluet nos de manu Philistinorum. Tulit autem Samuel agnum lactantem unum, & obtulit illum, holocaustum integrum domino, & clamauit Samuel ad dominum pro Israel, et exaudiuit eum dominus. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthijm inierunt prælium contra Israel. Intonuit autem dominus uoce magna in die illa super Philisthijm, & exterruit eos, & cæsi sunt à filijs Israel, &c. ut id sit quod nũc scribitur, quod tamen de Tyriorum principibus dicitur, quos uerisimile fit confœderatos Philisthæis fuisse contra Israelem.

15 Et ante tempus finis uitæ suæ & sæculi testimoniũ præbuit in conspectu domini, & Christi: pecunias et usque ad calceamẽta ab omni carne non accepit, & non accusauit illum homo.

Dexteritas Samuelis.

Historia tangitur descripta primo Regum duodecimo: Cũ iam senior esset & Saul regnare cœpisset, ut sua opera eos non indigere crederent, regẽ sequentes, Tũc ut ibidẽ dicitur, testimoniũ accepit ab uniuersa gente, de innocentissima uita sua & administratione quandiu fuerat iudex populi, quod nullius bouẽ tulisset aut asinũ unquam, quod neminẽ calumniatus esset, nullum oppressisset, de nullius manu munus sustulisset, neminem despexisset: et quod, ut alter Abraham, ne corrigiam quidem calciamenti à quoquam capere uoluerit. Vnde et in conspectu regis Saul & totius gentis nemo inuentus est, qui hunc Samuelem in horum aliquo accusare posset. Talẽ & tantum iudicem abiecerant, regem habere uolentes, quẽ & illis dominus tradidit, ut in illo erudirentur, & sentirent discrimen inter seruitiũ dei & hominũ regum.

16 Et post hæc dormiuit, & notũ fecit regi, & ostendit illi finem uitæ suæ, & exaltauit uocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.

Dormire sanctis, est mortem obijsse, naturæq; conceßisse & deo. Samuelis autem post mortem suscitatio, quomodo accipienda, et reuelatio Sauli facta, eiusq; peccatum & mors, satis clare omnia scribuntur primo Reg. uicesimooctauo: quæ ut sint accipienda, ibidem quæ uidebantur diximus, unde & hic locus fiet manifestior.

CAPVT XLVII.

1 POst hæc surrexit Nathan propheta in diebus Dauid.

Nathan propheta.

Proximior prophetarũ post Samuelẽ, de quo scriptura testatur temporibus Dauid, Nathan fuit, per quem Dauidi locutus est dominus læta & aduersa multa, quem & adhibuit rex sanctus cõsilijs suis, per illius orationes et reuelationes directus est rex, passusq; est se à propheta sancto doceri, cum esset ipse quoq; uir sanctus, & homo secundum cor dei, quantumuis ut homo nõnunquã laberetur, & ut rex & princeps non parum tentationis sustinuit ex licentia status sui, in quo difficile est perseuerare bonum uirum. Difficile est non fauoribus, muneribus, blanditijs, et delitijs eneruari spiritũ quantumlibet deo deuotum. Magna tentatio dei est pijs hominibus, si in regimen sæculare aduocentur. Quod qui ambierit nescio si uerè pius deprehendi uel iudicari posßit, multo minus inueniri uel pseuerare.

2 Et quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filijs Israel.

Dauidis encomium.

Dauidis encomium prosequitur sine aliquo neuo uel delicto, qui licet in multis sæpe offenderit, quia tamẽ in fide firmus perstitit semper, & de dei clementia nunquã dubitauit, non tam ex contẽptu uel malitia deliquit quàm ex fragilitate carnis & ignorantia, ideo ad mortem non peccauit, à fauore dei & gratia nunquam excidit, & in dei miserationibus tandem sic finiuit, ut promissionibus diuinis non euaserit pro peccato quocunque indignus. Quin copiose promissa magnifica multa de regno et posteritate, deq; Messiæ sui filij perpetuo regno, longe magnificentius impleuisse cernatur diuina ueritas & bonitas, quã uel Dauid ipse ausus unquã fuerit in mentẽ admittere uel sperare. Comparatur fauor Dauidis quem assecutus est electione dei, gratissimo sacrificio, quod domino ex omnibus oblatiõibus offerebatur in ara, scilicet separationis adipis, qui summo tantũ sacerdoti debebatur in sacrificijs offerendus, iuxta illud Leuitici tertio: Omnis adeps domini erit iure perpetuo. Sic ex tot millibus sanctificatis deo Israel sanctis hominibus, delectus est Dauid, qui solus dicitur in scripturis fuisse homo secundum cor dei. Ex cuius nomine unigenitum suum Christũ uerum deum & hominem, filiũ Dauidis appellari uoluit, dignatus est, qua prærogatiua bonitatis dei in hominem, quid potest sanctius & beatius æstimari? Et hæc summa breuis dicendorum de Dauide, quo nihil potest dici altius. Nempe, ut sicut adeps domino separatur, ut sanctissimum & gratissimum ex toto sacrificio: sic ex filijs Israel, domino gratissima fuerit Dauidis fidutia, & cordis humiliati & uerè contriti deuotio, resignatioq;, de qua in Psalmis multa.

3 Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in ursis similiter fecit sicut in agnis ouium in iuuentute sua.

Cui deus tam fauorabilis fuit, quem ad tanta sanctitatis fastigia prædestinauit, quem tanta sanctitatis claritate illustrem reddere, & per omnia sæcula decantandum elegit, quid mirum si pastorem ouium greges sequentem ab ore leonis exemit, & ueluti ludendo occidere posse contulit uires & animũ? Similiter & de ursis egisse nũ alibi legitur quàm primo Regũ decimoseptimo, ubi David Sauli regi narrat: Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & ueniebat leo & ursus, tollebant arietem de medio gregis, & sequebar eos, & percutiebã, eruebamq; de ore eorum & c. Numerus autem pro numero plerũq; accipitur in scripturis, ut de plurali numero hoc loco nũsimus anxij. Qui enim iuuenis leonem & ursum iugulare cauit, quomodo non iam ex ætate uirilis potuisset?

4 Nunquid non occidit gigantẽ, & abstulit opprobrium de gente?

Loquitur de Goliath gigante Philisthæo, quẽ iuuenis adhuc occidit exercitatissimum bellatorem, qui uniuersis dei agminibus ausus fuerat insultare, & opprobria iaculari in dominum deum Israel, dicendo: Eligite ex uobis uirum, & descendat ad singulare certamen: & addidit, Ego exprobraui agminibus Israel hodie. Intelligitur quoq; opprobriũ gentis seruitus Philisthæorũ, quo pij premebantur, uel opprimi querebantur, iam rege accepto, qui iam ante à Samuele liberati fuerant, sic domino omnia disponente.

5 In tollendo manum in saxo fundæ deiecit exultationem Goliæ, ubi inuocauit dominũ omnipotentem, & dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ.

Dauid eleuata manu & brachio cum funda, lapidem iniecit fronti maledici gigantis, ut caderet, cui & gladium proprium exemit, ut iugularet Goliam, illum maledicum & arrogantem. Sic enim iudicat dominus blasphematores diuini nominis. Id uero non proprijs fretus uiribus

uiribus Dauid, sed quia electus erat, & dominum deum omnipotentem inuocauerat, cuius auxilio & assistentia dextra sua, illustri certamine tolleret de hac uita robustum, de sua tantum fortitudine & statura superbiendo præsumentem. Qua gloriosa uictoria Dauid ipse confortare uisus est potestatem & regnum Saulis & sui exercitus. Statim enim Israelitæ insecuti fugientes in uia Philisthæos occiderunt, & humiliauerunt uirtute ex alto.

6 Sic in decem milibus glorificauit eũ, & laudauit eum in benedictionibus domini, in offerendo illi coronã gloriæ: contriuit enim inimicos undiq;, & extirpauit Philisthiim contrarios usque in hodiernũ diẽ: contriuit cornu ipsorum usque in æternũ.

Alludit ad carmina fœminarũ, post huiusmodi uictoriam à Dauide peractam, quando in chorea canẽtes Saul dederunt mille, Dauidi autem decem millia, primo Regum decimooctauo. Id quod Dauidi cessit in magnam inuidiam, & in occasionem multæ calamitatis. Interim tamẽ per tribulationes multas exercitatus à domino, tandẽ glorificatus est, oblato sibi regno & corona gloriæ decoratus, cum benedictionibus uirtutum multarum, iustitiæ, mansuetudinis, patientiæ, fortitudinis, charitatis, omnia autem ex fide, qua domino arctissime iungebatur, & certa fiducia, qua de domini misericordia præsumebat, unde & factum est, ut domino assistente regi, et promissiones patribus factas fidelissime conseruante omnes per circuitum hostes Israelitarum sic humiliauerit sub manibus Dauidis, ut regnum pacatissimum dimiserit filio Salomoni. Maxime uero Philisteos improbos è uicino aduersarios compescuit, ut regnum suum prorsus amissum, quem nunquam ut ante habuerant resumpserunt.

7 In omni opere dedit confessionẽ sancto, & excelso in uerbo gloriæ.

Quãlibet magnalia opera multa in regno suo et ante Dauid peregerit, & gloriosis triumphis contra hostes exaltatus fuerit, non tamen inde animo superbiuit, nihil proprijs ascripsit uiribus, omnia autẽ domino deo suo accepta semper retulit, religiosissimis carminibus celebrans adiutorium suũ dominum, quem nominat fortitudinem suam, firmamentum, refugium, liberatorem, cornu salutis, clypeum, et susceptorem, illuminationem, & salutem suam, sine numero laudum & confessionis sanctissimæ, qua omnia deo, sibi nihil tribuebat. Quem excelsum super omnes deos, & gloriæ totius summam agnouit, proq; omni uirili sua studuit glorificare, non tantum animo, fide, uerbis, moribus, sed & musicis instrumentis, & articulis manuũ, ut nihil in se otiosum ferret à laudibus conditoris. Sed & quos potuit omnes ad tum præsentes, sed futuros in omnia sæcula, & in totum mundum. Quo & factum est, ut qui dei sui gloriam tantopere euehere uoluit, eius quoque sanctimonia & probitas per omne æuum & orbem, usque hodie, & id magis semper & magis celebretur dignissime.

8 De omni corde suo laudauit dominum, & dilexit deum qui fecit illum, & dedit illi cõtra inimicos potentiam: & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorũ dulces fecit modos.

Nihil per hypocrisim Dauid egit in cultu dei & canticis, sed toto ex corde, fideli deuotione, perfecta fide & fiducia in dominum. Cor autem Hebræis pro mente capitur & intellectu. Omne quoque & totum idem est illis. Laudes autem dei complectitur, integer Psalmorum liber, Dauide authore conscriptus pro maxima parte, si non omni. Dominum laudauit nõ seipsum, cuius peccata transgressiones & crimina frequenter confitetur & deprecatur, laudes autem domini & clementiam in humiliatos ubique inculcat. Dilexisse dominum dicitur merito, cui se totum crediderat, cui soli per omnia probari cupiebat, in cuius laudibus perpetuo conuersabatur, cuius dura iudicia in se æquanimiter ferebat, quem & ab omnibus diligi, coli, reuereri, & honorari, ardentissimis uotis cupiebat. Cui uolebat erigi celeberrimum cultum & templum, idq; cum non liceret dum uiueret, filio id ante omnia statim à suo obitu fieri per omnia ordinauit. Hæc uero omnia agebat, non quia diligebat & bonus esset, sed quia à deo electus erat, & ad domini dei in his gloriam augendam & promouendam assumptus erat, unde & non potuit dominũ non amare, qui dei tantam fuerat gratiam assecutus. Victorijs cõtra hostes glorificauit Dauidem, quia in his omnibus domini gloriam quærebat, & populi dei salutem pro officio suo. Ordinauit quoque cantores diuinarum laudum, ad incitandum populum ad deuotionem, & fidem in dominum. Id uero contra altare, hoc est in atrio sacerdotum & Leuitarũ, ubi stabat ara holocaustorum, iuxta quod & cantica canebantur, dum oblatio fieret in odorem suauitatis domino iuxta legem, quam illis per Mosen dominus constituerat. Dulces ordinauit modos & melodias fieri à cantoribus. Sic enim tunc iuxta templũ ceremonijs rudis adhuc populus admoneri debebat, ne effluereet ad ritus gentilium, & ut à sensibilibus ad intellectualia raperetur, & dei magnifica opera in mundo toto admirarentur, & proportiones uocum in aere attendentes, dei potentiam sapientiam & bonitatem, etiam hac uia sentirent, quæ in omnibus creaturis usquam non apparet, sed fidelibus & pijs.

Deuotio Dauidis.

Cultus dei.

9 Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora usq; in consummationẽ uitæ, ut laudarent nomen sanctum domini, & amplificarent mane dei sanctitatem.

Decorem adesse uoluit diuino ceremoniali cultui, ut omnia decenter, ordinate, reuerenter, & cum deuotione tota mentis & augmento fidei agerentur, ne fieret sæculare tantum spectaculũ, & gaudium carnis, quo deus non colitur, qui spiritus, est, & in spiritu unit coli & ueritate, sed ne quid inepte et sine decoro ibi perageretur. Ornasse tempora, est solennitates Mosaicas pro anni tẽpore celebrandas, cum gaudio honesto & sacro iubilo instituisse, cum iam promissiones dei tunc primum cõpletæ cernerentur, extructo templo suo, loco quem deus

Ornare tempora.

ĩdicauerat, ad quod & pacem concesserat & otium à bellis, & locupletauerat ex hostium prædis & terræ fœcunditatibus. Id autem egit donec uixit, sed & iam consummaturus uitã, & in fine uitæ seriosissime statuit, testamenti uice ad filium Salomonem, quem sciebat ad hoc electum à domino, ut quod ipse bellis implicitus non ualuit, iste re & nomine pacificus, à domino felicitatem insignem assecutus, in beato otio exequeretur ad dei gloriam. Omnia autem ad laudem diuini nominis, quod celebre & honorificum esse uoluit in gente sua, quod præsciebat per spiritum, glorificandum in orbem totum, initio sumpto ex Ierusalem, et à monte Sion, idq; per semen suum Christum dominum. Mane amplificari dei sanctitatem, est quærere primum regnũ dei, omnibus occupationibus sæcularibus præferre uerum cultum dei, dominum nunquam nõ habere præ oculis, omnia in ipsius gloriam ordinare, mane diei statim de perficiendo domini beneplacito cogitare, uitã instituere sanctã et deo gratã.

10 CHRITVS purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternũ cornu eius: & dedit illi testamentũ regni, & sedem gloriæ in Israel.

Promissum à domino deo suo semẽ benedictionis, qui filius Dauid dicẽdus erat, hunc certissime nouit dominũ suum esse, Meßiam uenturum in mundo, de suo corpore secundum hominem generandum, et morte sua ablaturũ nõ solum sua peccata, sed mundi totius deuote credidit, & inter ferè peccandum quoq;, de dei circa se gratia nõ dubitauit, unde & statim semper pœnituit, & deuotißime cum professione fidei, dominum inuocãs indulgentiã impetrauit. Quod uero hoc loco Græcus legit, Dominus abstulit peccata eius. Si nõ mendũ est, et correctio ipsius Magnificat ut dicitur, nõ aliter capiendum est, quàm de eo quod in Psalmo dicitur à Christo allegato et de seipso exposito, Dixit dominus domino meo sede à dextris meis, Donec ponam &c. ut non indigne Latinus dixerit, Christus purgauit peccata &c. Cornu autem Dauidis, quanquam gloria regni dici potest, perfectius tamen intelligitur de Christo domini, misso in mundum, de quo Zacharias: Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui: sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius, & c. Testamentum regni est promißio eius regni, pro se & suis posteris, super totũ Israelem, donec ex ipsis natus est Christus, cuius imperij non erit finis, sedebit enim super soliũ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Cuius typus Salomonis regnum fuit, de quo dictũ est: Fidelis erit domus tua & regnum tuum, usq; in æternum ante faciem meã, & thronus tuus erit firmißimus iugiter, 2. Regum 7.

Christus filius Dauid.

11 Post ipsũ surrexit filius sensatus, & propter illũ deiecit omnem potẽtiã inimicorũ.

Sapientißimum intelligit, quem dicit sensatum Salomonem, qui successit Dauid patri, filius iunior, propter quẽ quia amabilis domino erat, et semẽ promissum, ilico regnaturum in pace super totum Israelem, & templũ ædificaturũ in gloria: omnes per circuitum hostes iam prius sub Dauidis regno subiecerat & humiliauerat, ut resistere et rebellare minime auderent. Deiecit aũt quod dicitur, nõ ad Salomonem, sed ad dominum deum Israelẽ referẽdum est, qui per Dauidem hostes subiecit populo Israel, iuxta quod dudũ promiserat. Id uero longe uerius de Christo dicitur, de quo idẽ Zacharias: Iusturandũ quod iurauit ad Abraham patrem nostrũ, daturum se nobis. Vt sine timore de manu inimicorũ liberati seruemus illi in sanctitate & iustitia corã ipso, omnibus &c.

Salomon filius Dauid.

12 Salomon imperauit in diebus pacis, cui subiecit deus omnes hostes, ut cõderet domum in nomine suo, & pararet sanctitatẽ in sempiternum, quemadmodum eruditus est in iuuentute sua.

Secundum promißiones dei Salomon pacifice regnauit quadraginta annis, cui dominus eatenus subdidit, ut ausus nemo fuerit rebellare, omnes obtulerint munera, amicitiam & fauorem ambierint eius, ut etiam qui oderant, nihil auderent contra ipsum, nõ alia uirtute quàm dei uoluntate, qui fidelis est in omnibus uerbis suis, sicut & sanctus in operibus. Ad hoc requiem hanc dedit, ut templum esset in promouendo cultum dei, in populum exhortando, & dirigendo ad reuerentiam dei, ad eius honorẽ, agendo pro tota uirili sua, pretiosißima quæq; insumendo in opus et ædificium gloriosißimi templi, quod in dei gloriam & nomẽ diffamaretur in orbem, & inde uerus dei cultus suo tempore diffamaretur in extremo terræ rum oras & marium. Sanctitatẽ Hebraico more intelligit sanctuariũ, quod antea ligneum erat & translatitium à loco ad locum, donec pacẽ nondum habebat integram Israeliticus populus, per Salomonem autẽ sanctuarium sempiternum, hoc est diutißime duraturũ, & prorsus immobile uno loco perstiturum exædificatũ est, quemadmodum in mandatis susceperat à Dauide patre, iuuenis à decrepito, à quo simul cum omnibus impẽsis ad hoc necessariis, sed & exemplaria et descriptiones omnium accepit, ex descriptione ordinis sacerdotalis & Leuitici, iuxta legẽ Mosis, & doctrinã Nathan prophetæ, qui à domino spiritu imbutus hæc cuncta Dauidi constituenda suggessit, iuxta Hebræorum traditiones.

13 Et impletus est quasi flumen sapientiæ, & terram retexit anima sua.

Copiosißimo flumini & undique per ripas effluenti comparat sapientiã Salomonis, de quo refici & doceri potuerint omnes sapiẽtiæ amatores, eius uero præsertim quæ ad pietatem pertinet, & ad discendum dei gloriam ex creaturis illius, tanquam ex effectibus opificis tã gloriosi, omnipotentis ac sapientißimi. Qualis sapientia fuerit declaratur ex libris Salomonis, etiam si de liberalibus disciplinis & artibus curiosis nihil tradiderit. Vt qui illi tribuunt superstitiosas artes, et coniurationum cantiones, ut Iudæi sacrilegi & scelestißimi homines, planè conuincãtur impietatis et perfidiæ, prorsus in mundo nõ ferendæ. Terram, inquit, retexit anima sua, hoc est terrenarum rerũ naturas, mens & ingenium spiritu sancto imbutũ clare & sufficienter exposuit, tractatibus æditis de proprietatibus herbarum, arborum, gemmarum, uoluerum, radicum, lignorum, animalium, piscium, et reliquarum, prout dicitur in tertio Regum, & secũdo Prætereà et

14 Et replisti in cõparationibus ænigmata, ad insulas longe diuulgatũ est nomen tuũ, & dilectus es in pace tua.

Ex admiratione tantæ gratiæ dei circa hunc hominẽ, & insigni ingratitudine eiusdem pro tantis beneficijs, author sermonem uertit ad ipsum Salomonem, ut ferè in uehere in illum uideri posit. Tu quidem sapientia à deo tibi tradita, omnia scitu digna sciuisti. Parabolas & ænigmata, hoc est quicquid in natura & humana ratione illustre & magnificum est, hoc scire & docere potuisti, uerbis idoneis, & à dignis tantum auditoribus intelligibilibus. Talis enim mos olim fuit sapientibus, ut rerum arcanarum mysteria uerbis parabolicis inuoluerent, ut essent in admiratione hominũ, et ab indignis celarẽtur. Comparationes autẽ Hebræis parabolæ sunt, à משל prouerbio & ænigmate. Inde factum est, ut fama sapientiæ Salomonis ad remotißima peruenerit orbis loca, quæ Hebræis insularum nomine dicuntur: qui et congratulati sunt tibi de celebri pace tua, amantes potius quàm in uidentes gloriam tuam. Vicit enim totius mundi inuidiã sapientia & gloria Salomonis.

Parabolarum usus.

15 In cantilenis & prouerbijs, & comparationibus, et interpretationib⁹ miratæ sunt terræ, & in nomine domini dei cui est cognomen, Deus Israel.

Cantilenas nominat carmina sacra, qualia multa ual de cõposuit, ut tertio Regũ quarto dicantur fuisse quinque millia, ex quibus supersunt nobis Cantica canticorum. Et Parabolarum quoq; liber compositus ex eius auditis, sapientibus uiris, nõ uno sed multis. Sed & alia multa olim prouerbia habita fuerunt passim & annotata. Ex quibus & hic quoq; Ecclesiastici liber, non modica ex parte consutus uidetur. De quibus admirati sunt sapientes gentium, qui & pro temporum exacta ratione intelliguntur posteriores ipsi Salomone, ut alia quoq; suffuratos ex Iudæorum libris & sapientia, ut ex illis sibi nomina pararent, quasi hominibus reliquis sapientiores fuerint, cum nihil rationabile Græci dixerint, quod non prius legi contigerit penes Hebræos. Admirati quoq; sapientes in gentibus sunt gloriam, famam, potentiam, & clementiam domini dei Israel, qui suis cultoribus tam esset beneficus & propitius, tam felicem ipsis in omnibus regem dando, & sapientiæ tantæ inspiratorem, qualia ipsorum idola & diui nihil posse deprehenderentur aut uelle, qua occasione gloria unius ueri dei, qui deus Israel dictus est, peruasit in orbem, propter beneficia sua Israelitis præstita. Sic enim sanctitas cultorũ dei in sanctificationem cedit domini dei, sicut & contra, pluirmum gloriæ dei derogat impietas eorum, qui se dei cultores iactant uerbis, quorum tamen uita reclamat & merita.

Cantilenæ sacræ.

16 Collegisti quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum complesti argentum, & inclinasti femora tua mulieribus.

Non solum sapientia claruit, sed & diuitijs maximis insignis fuit, quas nimiũ multas collegit, ut tantũ ipse auri possederit, quantũ alij reges diuites aurichalci. Tantãq; argenti copiam, quasi non esset pretiosius plumbo.

Diuitiæ Salomonis.

De tantis suis diuitijs, ut naues ei atulerint aurum & equos: & cætera pretiosa de Ophir multa leguntur, tertio Regum nono. In quibus tamen omnibus excesit Salomon, contra illud Deut. decimo: Non habebit rex auri & argenti immensa pondera. Diuitiæ enim superbiam generant & ingluuiem, unde sequitur luxuria & solicitatio ad Venerem, & licentia ad illicita multa. Ideo hic author paucißimis uerbis grauißime inuehit in Salomonem, post tot laudes ipsius increpans luxuriam nimiam illius, dicens, Inclinasti femora tua mulieribus.

17 Potestatem habuisti in corpore tuo. Dedisti maculam in gloria tua, & prophanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & in cæteris stultitiam tuam, ut faceres imperiũ bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum.

Cum rex esses superior omnibus, ut neminem uereri cogereris, habenas laxasti libidini, corpori tuo nihil negasti, eorum quæ iuxta omnium sensuum libidinem desiderabas, quo contigit te pollui cunctis membris corporis usque ab nimiam libidinem. Propter quod insignem maculam posuisti in gloriam tuam, tot & tales tibi fœminas adiungendo, contra legem, alienigenas, & idololatriæ deditas, ut in despectum domini dei tui, contra legẽ idolis templa extrueres, & prophanares semen tuum, improbis & alienigenis uxoribus & concubinis congrediendo, ex quibus impij tibi nati sunt filij, unde iracundiam incidisti domini dei tui, quã in filios quoque tuos prouocasti, qui propter malitiam tuam & ipsi egerunt & passi sunt mala. Et stultitiam magis quàm tuam sapientiam prodiderunt tua culpa, qui sapientior esse debueras, quàm ut sic grauiter labereris, & felicior quàm ut posteris tantam infamiam & regni schismata procurares. Tua enim culpa perfectum est, ut imperium tuũ diuisum fuerit sub filio tuo stulto Roboam, qui stulta responsione sua abalienauit decem tribus à regno Dauid et Salomonis. Et fecit ut Ieroboã de tribu Ephraim decẽ tribus sibi & suo duro imperio & infelici adiunxerit, & in sua malitia induratus, non tantum peccauerit, sed etiam filios Israel peccare fecerit, populumq; suũ ad idololatriam solicitauerit, imò compulerit. Cuius impietates insecuti successores reges regni Israel, deum offenderunt irreconciliabiliter.

Macula Salomonis.

18 Deus autem non derelinquet misericordiam suam, & non corrumpet, nec delebit opera sua, neque perdet à stirpe nepotes electi sui: & semen eius qui diligit dominũ, non corrumpet.

Infami quidem & horribili ingratitudinis crimine Salomon & Roboam domino peccauerunt, cũ suis quibusdam posteris, sed firmior et sanctior in promißis suis est dominus, quàm ut fœdus initum cum Abrahã et Dauid, propter quæcunque peccata rescindat, quod ultimo implendum semper prædixit in Christo domino, de semine Dauid & Abrahæ, pro cuius meritis non est eatenus iratus, ut semen Dauid ex toto desereret, sed lucernam eius perpetuaret in domo Dauid pueri sui. Non, inquit,

Ingratitudo Salomonis.

relinquet deus misericordiam suam nec fœdus infringet. Et quæ ab initio creaturæ proposuit in Christo perficienda, ex familia Dauidis, non mutabit propter illorũ delicta, quæ punire potest legitime, sine præiudicio uerbi & testamenti dei ad sanctos & pro electis. Promisit enim electis suis, Dauidi & Abrahæ benedictionis semen, quod non patietur disperdi, propter quod & clementiã suam impartietur semper posteris ex nepotibus Dauid electi sui, donec ueniat qui mittendus est, & introeat in patriarcharum sanctorum dignitatem gentium omnium plenitudo. Sic enim dominus ordinauit, ut misericordiã suam sentiant millia generationum multa, eorum qui diligunt dominum, ut corrumpi uel perire non possint.

19 Dedit autem reliquum Iacob, & Dauid de ipsa stirpe.

De Dauidis stirpe filij reges regnauerunt post Roboam in tribum Iuda, Beniamin, & magnam Leuitarum partem. Reliquum autem tribuũ Iacob dedit Ieroboam regi de stirpe Ephraim, ut dicerentur regnũ Israel. Hæc autem diuisio contigit propter peccata Salomonis & reliquorum, quin & Dauidis quoq; peccata nonnihil causæ præbuerunt huic infortunio. Salua tamẽ semper ueritate promissionum, de Dauidis regni gloria & perennitate in Messia, dicto filius Dauid.

20 Et finẽ habuit Salomõ cũ patribus suis.

Mortuus est is felicissimus rex, more aliorum hominum, & cum patribus suis, hoc est patre Dauid sepultus est, & in fine sortitus est mortalitatis sortẽ non obstantibus diuitijs uel sapientia. De pœnitentia eius & salute domino reseruatum est iudicium, non nobis scitu necessarium. Verisimilius est gratiam cõsecutum in fine, et pœnituisse, suamq; pietatem & resipiscentiam testatum libello quod Ecclesiasten nominauit. Nos de salute animarum nostrarum soliciti simus, domino autẽ committamus seruos suos, si cadant uel consistant, multam autẽ domini clementiam æstimemus, quæ exuperat omnium hominum peccata, qui latronem non spreuit tardissime pœnitentem. Sed resipiscendum in tempore est, & donec lux luceat ambulandũ, ne tenebræ nos cõprehendãt.

Salomonis pœnitẽtia.

21 Et dereliquit post se de semine suo gẽtis stultitiam, & imminutum prudentia Roboam, qui auertit gentẽ consilio suo, & Ieroboam filiũ Nabat, qui peccare fecit Israel, & dedit uiam peccandi Ephraim, & plurima redundauerunt peccata ipsorum.

Dicitur Salomonis sapientissimi & felicissimi regis filius successor Roboam, non tantum stultus, sed gentis illius stultitia ipsa, & sensu quoque imminutus, qui & à filio suo Abia meliore, secundo libro Præteritorum dicitur fuisse rudis & pauido corde, qui puerili & stulto iudicio consilij sui ablegauit decem tribus à regno suo, respondẽs populo, Pater meus cæcidit uos flagellis, ego cædam uos scorpionibus: & reliqua atrocia in dedecus suũ & damnum, nec acquieuit precibus populi, nec seniorũ consilio. Successit quoque Salomoni Ieroboam filius Nabat, seruus olim Salomonis, qui pro stabiliendo regno suo abduxit homines decem tribuum à cultu dei, & ab

Roboam stultus.

Ieroboam impius.

obseruantia legis Mosaicæ, erigens uitulos aureos in Bethel & Dan, ut faceret peccare Ephrateos suos, de quorum tribu erat, unde & totum aliquando regnum nomen sortitur ut dicatur regnum Ephraim, Ioseph, Israel, Samariæ, & Iesrael, in uarijs scripturæ locis, quod est diligenter adnotandum, scripturas prophetales legentibus. Secundum tempus autem ex legis desertione, & Leuitarũ electione uel negligentia peccata illius eatenus redundarunt, ut non in uitulis illis dominum deum Israel coluerint, pro ut à principio erroris cœperant, sed etiã Baalim hoc est omnia pariter gentilium idolorum portenta, unde in enormia inciderunt peccata. Infandorũ enim idolorum cultura omnis mali causa est & initium & finis. Vnde et in Osee: Maledictum & homicidium et furtum & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit, nempe prophetarum sanctorũ, quos Iesabel occidit, & cæteri impij reges Israel.

22 Valde enim auerterunt illos à terra sua. Et quæsiuit omnes nequitias, usque dum perueniret ad illos defensio, & ab omnibus peccatis liberauit eos.

Græcus sic habet: Vt auerteret eos à terra, dum irá & uindicta ueniat super eos. Toto suo studio inculcauit Roboam, ut filios Israel absterreret à terra regni Dauidis, ab itinere ad Ierusalem, à cultu uero dei Israel quem instituerat dominus in templo Salomonis, donec domini dei sui uindicta uenit super eos ut in Assyrios relegarẽtur nunquam integre reuersuri. Nostra autem sic exponitur. Valde inclemẽter ob id tractati sunt filij Israel coram nitur. Valde inclemẽter ob id tractati sunt filij Israel coram dominis multis non semel sed sæpe subinde relegati in terra Assyriorum, Persarum, Medorum, Græcorũ, quia quæ fecerunt omnes nequitias idololatriæ, tãtum ad hoc, ut non irent Hierosolymam ter in anno secundum legem, nec sacrificia deferrent & decimas, tandemq; sic à cultu uero dei ad idola conuerterentur, contra dicta omnium prophetarũ, quos illis dominus mittebat multos & insignes, quales Elias et Elizeus erant, & similes multi. Donec sic in errorem prolapsi sunt, ut impietatem suam in deum & prophetas, factis & uerbis defensare auderent, et prouocare sanctos prophetas ad defensionem suæ idololatriæ, ut patet de sacerdotibus multis Baal, quos seruabat Iesabel et Achab. Quomodo autẽ ab omnibus peccatis eos dominus liberauerit Israelitas, nõ capio, nisi quod promiserit eis Israelitis, accedentibus Bethel & Dan similiaq; alia loca & excelsa eorum, non minorem peccatorum indulgentiam, uel minus certã, quàm si uitulo Solymã sacrificaturi et adoraturi dominũ perrexissent.

CAPVT XLVIII.

1 ET surrexit Elias propheta, quasi ignis, & uerbum ipsius quasi face ardebat.

Non tam surrexit quàm à domino fuscitatus est, spiritu diuino, forti, & zeloso, contra regni Israel idololatriam, & derelictionem mandatorum dei. Comparatur ignis ardori amor dei & zelus iustitiæ in Helia, qui & in uerbis increpatorijs acutus fuit & ferebatur,

Heliæ spiritus qualis.

herimus, etiam cõtra reges & principes. Propter quod & Heliæ spiritũ habere dicuntur, quicunq; magnorum regum, principum & magistratuum uitia & iniustitias libere & iusto zelo increpare audent, quemadmodũ & Ioannes Baptista. Feruẽs enim uterq; fuit in exhortando et instituendo auditores, sic, ut amore dei succensi etiam alios succẽdere ualuerũt. Vnde in 3. Reg. 19. dicebat Helias: Zelo zelatus sum pro domino, &c. Et Ieremias loquitur: Numquid non uerba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram? Sic nunc quoq; & semper propitiatus dominus uel puniturus gentem suos Helias mittit, qui zelo diuino ferueant contra crimina publica.

2 Qui induxit in illos famem, & imitantes illũ inuidia sua, pauci facti sunt: non enim poterant sustinere præcepta domini.

Oratio Heliæ.

Orationis suæ uirtute & zelo dei feruens, maxime autem prouidentiæ dei ordine, Helias impetrauit sterilitatem terræ ex defectu pluuiæ, unde secuta est fames. De qua 3. Reg. 17. Eum truculentissime persecuti sunt prophetæ Baal quadringenti, quos Iezabel & alij nutriebant, quos tamen in falsitate deorum suorum deprehensos & confusos ex miraculo Heliæ, in impetratione ignis de cœlo absumentis holocaustum suum omnes occidit, quod hic dicitur paucos factos esse: occidit enim eos Helias, præsente impio rege Achab, eum non audente impedire. Non enim poterant resistere præceptis dei, qui per Heliam loquebatur & agebat.

3 Verbo domini continuit cœlum, & deiecit à se ignem terræ: sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis.

Cœlũ claudit.

Virtute diuina & orationis uehementia impetrauit à domino, ut cœlum pluuias contineret, & fœcunditatem regioni subtraheret, æthera pluuiam annis tribus reprimerent & mensibus sex, dicebat enim: Viuit dominus, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, &c. Tanti apud deum habetur oratio iusti assidua, tantumq; oditur idololatria à domino. Ignem uero cœlum deiecisse, intelligitur de eo igne, quo absumpta sunt sua sacrificia contra sacrificulos Baal, & contra quinquagenarios duos regis Israël Ochosiæ. Sic magnificauit gratia & uirtute sua dominus prophetam Heliam, æden do miracula magnifica per ipsum in toto regno illo, ut fama nominis & miraculorum eius diuulgaretur per uniuersam terram.

4 Et quis potest similiter sic gloriari tibi?

Et quis similis tibi ut glorietur? Non negat fuisse & futuros magnificos in miraculis multis & magnis, Moses enim & Samuel, apostoli quoq;, & præ omnibus Christus dominus, sed pro laude Heliæ loquitur more hominum, quasi dicatur: uix in mundo quispiam tui similis inuentus est, quem tanta miraculorum gloria dominus illustrarit: non quod ipse de donis circa se gloriam sibi arrogarit. Alloquitur rhetorico more Heliam prophetam, ut in superioribus Salomonem.

5 Qui suscitasti mortuũ ab inferis, de sorte mortis, in uerbo domini dei.

Filium uiduæ Sareptanæ defunctum, à morte domini uirtute resuscitauit, ut habetur 3. Regum 17. deq; statu defunctorũ reuocauit in uitam orationibus suis. Expandit enim se Helias, atq; mensus est super puerum tribus uicibus, & clamauit ad dominum, & ait: Domine deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in uiscera eius: & exaudiuit dominus uocem Heliæ, &c.

6 Qui deiecisti reges ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipsorũ, & gloriosos de lecto suo.

Achab regem & filium eius Ochoziam propter iniquitates suas prædixit morituros, similiter Ioram filium Iosaphat, ut habetur 2. Paralip. 22. Impetrauit facile orationibus suis reges impios præcipitari è solio, & occidi à domino, idq; prædixit. Ochosiæ quoq; prædixit regi de lectulo suo eum non resurrecturum, eo quod consuluisset Beelzebub. Hoc est quod additur: Et gloriosos, hoc est, reges & principes de lecto suo. Tantam dominus claritatem contulit in cõspectu regum pijssimo prophetæ Heliæ.

7 Qui audis in Sina iudicium, et in Horeb iudicia defensionis.

Cum tyrannidem Iesabelis fugere cogeretur, peruenit in montem Sinai, ubi illi dominus reuelatus est, & audiuit secreta quædam dei. De quo 3. Reg. 19. Quæ uero hic dicuntur iudicia defensionis in Horeb, uidentur significare uentum fortem conterentem petras, commotionem turbinis, ignem & sibilum. De quibus uide ibidem. Iudicia quoq; defensionis dici possunt, quæ locutus est dominus contra idololatras, uindictas sumendas per Azahelem, quem inungi præcepit in regem Syriæ, & Iehu super regnum Israël.

8 Qui ungis reges ad pœnitentiã, & prophetas facis successores post te.

Ad correctionem impiorum & uindictam Helias unxit de mandato domini in regem Israël Iehu, & Azahelem super Syriam. Heliseum autẽ pro se prophetam unxit. De quibus dicebat: Quicunq; fugerit gladiũ Azahel, occidet eum Iehu: & qui fugerit gladium Iehu, occidet eum Heliseus, cui impetrauit gratiam prophetiæ, eruditq; multos discipulos. De quibus multa leguntur in tertio & quarto Regum, qui & ipsi præsciebãt Heliam auferendum ab Heliseo. De quo subditur: Heliseus pro Helia,

9 Qui receptus es in turbine ignis in curru equorum igneorum.

Ablatus est à conspectu Helisei Helias per turbinem in curru igneo, nec ultra comparuit requisitus, raptus nimirum in sortem animarum sanctarum, quæ dicitur paradisus. 4. Reg. 2. legitur: Ecce currus igneus & equi ignei diuiserunt utrunq;, Heliam scilicet & Heliseum ab inuicem, & ascendit Helias per turbinem in cœlum, non sine angelico ministerio, domino ministrantium.

10 Qui inscriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.

Helias ordinatus est à domino sanctissimus propheta, in pessimum regnum Israëlitarum, ut cum feruenti zelo & acribus uerbis cõtestaretur de domini uoluntate im-

plenda, de conuersione ad dominum, de reiscienda ido-
Prophetæ missi ad pœnitentiam. lolatria, de tyrannide in populum deponenda, de adoran
do solo unico & deo uero. Id nisi facturi essent, de pro-
ximo sibi scirent imminere grauissima mala, totius regni
& populi captiuitatem, quæ & nõ se emendantibus su-
peruenit. Nõ enim unquam dominus graues mundo pœ
nas immittit, nisi prius clementissime ad pœnitentiã ex-
hortatis, per insignes prophetas, quibus & gratiam lar-
gitur uehementer insectandi uitia quæ committuntur, si
quo modo emendatione eorum leniri possit seueritas iu-
diciorum, quæ ira dicitur. Hoc quidem egregie executus
est Helias, qui uerbis, doctrina, & miraculis conatus est
corda patrum conciliare cum filijs, hoc est pariter insti-
tuere in timore dei, ut discant filij à parentibus legem
domini & illius beneplacitum, ut emendati pariter, eua-
dere mereantur imminentem dei uindictam graueq; iu-
dicium. Voluisset quoq; toto studio suo reuocasse tribus
Iacob ad cultum domini dei sui, nihil intermisit laborum
& periculorum, tantum ut illis dominus conuersis pla-
caretur, & sic euaderent captiuitatem regis Assyriorũ.
Sed surdis locutus est, & pro zelo charitatis grauia pas
sus, & usq; ad mortem persecutus est. Sed non impune
illi respuerunt uerbum, nec is frustra zelatus est pro do-
mino, illis propediem misere perditis à suis hostibus, ipso
relato in sortem sanctorum, & in paradisum animarum.

11 Beati sunt qui te uiderunt, & in amicitia
tua decorati sunt: nam nos uita uiuimus
tantum, post mortem autem non erit tale
nomen nostrum.

Beatitudo prophetarũ & apostolorum. Tantus dei amicus, & secretorum diuinorum con-
scius, miraculorũ patrator, & legis eximius doctor, mul
torum quoq; discipulorum magister, & filiorum prophe
ticorum pater, multos post se reliquit discipulos, spiritu
dei afflatos, sed sine gentis iam deprauatæ emendatione.
Felices erant auditores, feliciores futuri si cognita perfe
cissent, si doctrinam & conuersationem magistri æmu-
lari studuissent. Beati quoq; erant Apostoli Christum
uidentes, uiderunt & reliqui: sed beati potius qui au-
dientes uerbum domini custodiunt illud. Amicitia sancto
rum uehemẽter expetibilis, unde sancta audire, cernere,
& admoneri contingit, sed in iudicium contemptoribus
& perditoribus sanctitatis. Beatiores qui sanctos au-
diunt, diligunt, reuerentur, obediunt, eis uotis & pro-
posito conformantur, aut saltem contraria uia ambulare
se admoniti, conuertuntur et uitam emendant. Nos qui-
dem æque ut sancti uiuimus, sed nõ nisi uiuimus, nihil san
cti cogitamus nec agimus, non uiuit pro tanto in nobis
dominus, qui quod in nobis loquitur, qui semper pulsat
& admonet, non audimus, nihil in dei gloriam adaugen-
dam soliciti sumus, ut Helias, nihil proximorum mala iu-
xta mentem & corpora nos permouent, dei gloriam &
animarũ salutem non zelamus, uiuimus tantum, ut equus
& mulus, quibus non est intellectus, blasphemias dei, &
transgressiones legis sicut & animarum fornicationes
& pericula non dolemus, nec murum nos opponimus ho
stibus pietatis ut Helias. Ideoq; nullius bonæ famæ et uir
tutis gloriæ participes erimus post fata, intra beatorum
consortium nullum locum obtinebimus, nullam sanctita-
tis laudem posteris relinquemus, sed cum impijs & insi-
delibus seruis portio nostra erit, et in tenebras exteriores
potius abijciemur, quorum in hac uita perfidiam & pec
cata secuti sunt, eorum post mortem societate fruemur.

12 Elias qui in turbine tectus est, & in Eli-
sæo cõpletus est spiritus eius: & in diebus
suis non pertimuit principem, & potentia
nemo uicit illum.

Raptus Helias in turbine per igneũ currum, amplius Rapt
ab Helisæo uisus non est, nec quo peruenerit agnitus, nec
à requirẽtibus est inuentus, nec quo peruenerit prodiũ
est certò. Sed cui seruiuit in spiritu et ueritate, is illũ re-
cepit in propria. Et ubi dominus est, ibi fidelis quoq; erit
& seruulus. Qui sese morti obtulit propter amorẽ dei,
non mirum si uitam fidei stipendiũ est assecutus. Sitã
men sic ablatus est, ut esse cum hominibus cessarit. Sitã
si mortuus fuisset pater, reliquit tamen post se sibi simile
filium. Secundũ id quod in ipso optimũ fuerat non abijt,
sed spiritum dei in se, duplicatũ discipulo post se reliquit,
gratiam scilicet prophetiæ, & efficaciam miraculorum:
requieuit enim spiritus Heliæ duplex super Helisæum.
Quo dei spiritu & instinctu fretus, nullum formidauit
principem, unde & cum Ioram rex ministrum misisset
ad occidendum Helisæum, dixit: Nunquid scitis quod fi-
lius homicidæ misit ut præcidatur caput meum? Et alibi:
Si non uultum Iosaphat regis Iuda reueritus fuissem, non
attendissem quidem te, nec respexissem. Nec Syriæ prin-
cipes timuit missos ad se capiendum, sed omnes cepit, &
duxit, quo uoluit. Vnde et potentia claruit prophetalis,
qua illum deus glorificauit, non ad prophetæ gloriam,
sed ad infelicissimi regni iudicium & damnationẽ, qui
do toties admonuit per prophetas ad pœnitentiã, & dei
cultum, omnia surda aure audierunt, contempserunt do
minum & suos ministros, prodigia & documenta, uerba
& facta. Nec tantum nõ audierunt, sed ad mortem sunt
persecuti, non autem præualuerunt, uirtute enim domini
protectus est, & cunctis præualuit, regibus cunctis timo
ri fuit, quorum consilia prodidit, & instituta impediuit,
ut testatur historia.

13 Nec superauit illum uerbum aliquod,
& mortuum prophetauit corpus eius. In
uita sua fecit monstra, & in morte mirabi-
lia operatus est.

Nec donis nec minis superatus est principũ, quo mi-
nus fideliter uerbũ domini prædicaret, resisteret impie-
tati magnorũ, sed fide constans & zelo immobilis mane-
fit semper pro domino. Sed & cum mortuus esset, sepul
chro collocatus, aliũ sibi mortuum appositum contactu
resuscitauit ad uitam, testimonium ueritatis omnium præ-
dictionum suarũ, quibus regni exterminum prædicaue-
rat, nisi ad dominum deum suum uera fide & sancta con
uersatione redirent. Et hoc est Helisæum mortuũ prophe
tasse, imò ipsius corpus potius, 4. Re. 13. Strictim eloqui
tur Helisæi miracula, quia dum uiueret, præclara edidit
rit miracula in gente, quæ iam uerbo dei credere refrae
bat, ut sunt miracula signa ut plurimum perfidiæ no-
tis,

lutis, eaq; duplo ab Hebræis plura annumerantur quàm Eliæ portenta, sed quæ minora multo fuerint quàm Christi domini & Apostolorum. Et in morte mirabilia operatus est, hoc est, cum iam moriturus accederet illum rex Israël, prophetauit ter ipsum de Syris reportaturum triumphos, & penitus debellaturum, si terram iaculo percussisset quinquies aut septies. Admirabilis ergo fuit is propheta in uita & morte, similiter & post mortem.

14 In omnibus istis non pœnituit populus, & non recesserunt à peccatis suis usq; dum eiecti sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnem terrã, & relicta est gens perpauca, & princeps in domo Dauid.

Cum tam illustres prophetas dominus misisset decem tribubus, qui uerbis, exemplis, portentis, & comminationibus increparent gentis perfidiam, non tamen ab idololatria redierunt ad fidem in dominum, pro maxima ipsorum parte, quanquam multi essent timentes deum, & qui genua idolis non curuarent. Vnde & impœnitentes tandem eiecti sunt de hæreditate sua, & transportati per reges Assyriorum in totum imperium, quod tunc penes Assyrios erat dispersi in omnem terram, per diuersa regna, ut relinqueretur perpaucus populus comparatione duodecim tribuum, sola scilicet tribus Iuda & Beniamin, cum principe suo rege de familia Dauid, qui tunc Ezechias uir sanctus erat. Venit enim Salmanasar rex Assyriorum, & transtulit decem tribus, ut habetur quarto Regum.

15 Quidam ipsorũ fecerunt quod placeret deo: alij autẽ multa commiserunt peccata.

Ex familia Dauid, de quibus consequenter tractat, alii qui bene egerunt, & fideles deo habiti sunt, facientes quod placeret domino, Abias, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Ioatham, et similes, qui multos iustos sub se Israëlitas subditos regebant, dominum colentes fideliter: alij autem impie egerunt in dominum, & iustitiam nõ seruauerunt in populum, ut Ioram, Achas, Manasses, cum numiũ multis. Quibus obmissis, consequenter quorundam ex bonis optimorum laudes prosequitur.

16 Ezechias muniuit ciuitatẽ suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum.

Reges boni

Meliores omnium Ezechias & Iosias fuisse leguntur post Dauidem, quorũ nunc merita recensẽt & insignia facta, quomodo scilicet ciuitatem suam, hoc est, regni Iudææ metropolim Hierosolymam Ezechias munierit, reparando murum, qui fuerat dissipatus, extruendo turres, & alterum murum forinsecus. Armis quoq; & uictualibus roborauit et firmauit. Fontem quoq; Siloë deriuauit in urbem, ut resisteret regi Assyriorũ. De quo multa 2. Præteritorum 32. Proq; fonte deducendo rupem ferro confregit & secuit, lacumq; ædificauit ad collectam aquarum.

17 In diebus ipsius ascendit Señacherib, & misit Rabsacen, & tra illos, & extulit manũ suam contra Hierusalem, & superbus factus est potentia sua.

Hanc historiam lege 4. Regum 18. & 19. Isaiæ quoque 37. Sennacherib ille multis apud Hebræos nominatur nominibus, haud dubie quin & apud alias quoq; gentium historias uarie nominetur. Rapsacis autem blasphemia regi tribuitur, cuius mandato fuerat contra dominum eiaculata. Iurauit se destructurum gentem, urbem, regnum & regem, sed uane omnia. Sionem intelligit arcem regiam & templum, quorum utrunq; uoluerat destruxisse. Superbiamq; suam exeruit in omnipotentem deum, ideo incolumis abscedere non potuit, quamlibet præsumptuosissime se iactaret, & superbissime blasphemaret, potentiam maximam iactaret, quæ una tantum nocte & unius ministrorum dei manu contrita est & confusa.

18 Tunc mota sunt corda, et manus ipsorũ: & doluerunt quasi parturientes mulieres.

Ad tam præsumptuosam ac superbam potentiæ humanæ iactationem, Ezechiæ serui & populus plurimum formidabant, præq; tristitia & dolore tremuerũt ut parturiens, tyrannidem impij regis pertimescentes & crudelitatẽ. Vnde & Ezechias dicebat: Dies tribulationis & angustiæ, & correctionis, & blasphemiæ dies hæc, uenerunt enim filij ad partum, & uirtus non est pariendi, &c.

19 Et inuocauerunt dominum misericordem, & expandentes manus suas, extulerunt ad cœlum: & sanctus dominus deus audiuit cito uocem ipsorum.

Modum & uerba quibus dominum inuocauerunt, & eius implorauerunt misericordiam, epistolam expandentes coram domino, & manus ad orationem in cœlum, in historia diffuse legitur 4. Reg. 19. & in Isaia, quorum fidelium humiles & deuotas preces dominus non exaudire non potuit.

20 Non est commemoratus peccatorũ illorum, neq; dedit illos inimicis suis, sed purgauit eos in manu Isaiæ sancti prophetæ.

Ignouit clementer peccatis populi & regũ priorum malorum, ut Achas, & immemorem se ostendit, paratior misereri quàm flagellare uel occidere, ne hostium immanium uotis permitteret famulos suos Ezechiam & Isaiam. Sed purgauit populum Iuda manu, hoc est prophetia & exhortatione sua, nempe Isaiæ, ut & oratione dominum linierit, & populum ad humilem peccatorũ agnitionem permouerit, ac ad uitæ emendationem, sed ad tempus, donec Ezechias uiueret: qui tamen sub successore impio Manasse, quia hypocritica erat conuersio, statim relapsi sunt in impietates, & sunt puniti.

21 Deiecit castra Assyriorũ, & contriuit illos angelus domini: nã fecit Ezechias q̃d placuit deo, & fortiter iuit in uia Dauid patris sui, quam mandauit illi Isaias propheta magnus & fidelis in conspectu dei.

Ibidem scribitur: Factum est in nocte illa, percussit angelus domini in castris Assyriorum, centum octoginta quinq; millia. Idq; propter semetipsum dominus egit, blasphemiam puniendo dignissime, & potentiam diuinta- Strages Sennacherib.

tis contemptæ ostendendo, & quibus partibus maior esset dijs gentium, quibus ipsum impius Rabsaces comparauerat. Veruntamen pro benignitate diuina meritis id Ezechiæ tribuitur, quia domino deo suo placuerit, & incesserit per uias legis dei, sicut & Dauid pater suus, exhortationibus & instinctu ac doctrina sanctissimi Isaiæ prophetæ. Cuius consequenter laudes strictim recensentur, quòd fuerit magnus propheta & fidelis, gratusq; domino, in cuius conspectu sancte uixerit, & in oratione semper meruerit exaudiri.

22 In diebus ipsius retro redijt sol, & addidit regi uitam.

Sol redijt. Huius tam Isaiæ quàm Ezechiæ temporibus sol redijt per umbram suam decē gradibus uel lineis, ascensionem solis signantibus in horologio Achas, prout in Isaiam & quartum librum Regum annotatū est, ut hic repetere nō sit necesse: similiter & de prorogatione uitæ Ezechiæ quindecim annis, post grauem & letalem infirmitatem.

23 Spiritu magno uidit ultima, & consolatus est lugētes in Sion, usq; in sempiternū.

Isaiæ prophetia. Satis clare & multis sanctus Isaias inter primos prophetas extantes prædixit felicissima tempora Messiæ, et ecclesiæ congregandæ ex fidelibus, tam Iudæis uel Israëlitis quàm gentibus. Id hic dicitur magno cum spiritu, hoc est, certissimo clarissimoq;, & illustribus uerbis ac sententijs ultima prædixisse Messiæ tempora, quæ in omnibus prophetijs nouissima nominātur. Consolatus quoque est lugentes Israelitas de duplici reditu à Babylonica captiuitate, & de Messiæ regno celeberrimo & æterno. Euidenter enim ac copiose scripsit de Christi mysterijs, de rigore diuini iudicij contra impios omnes reges & regna, quæ omnia iamdudum in Christo & ecclesia completa cernuntur à fidelibus.

24 Ostendit futura, & abscōdita antequam euenirent.

Futura suis temporibus prædixit multa, de aduentu regis Assyriorum, de illius exercitu ordinando, de uia & mansionibus, de strage futura, de paucissimis euasuris, de gentium circumiacentium omnū iudicijs & uindictis, de captiuitate Babylonica, de destructione imperij Babylonici, de reditu Iudæorum sub Cyro, quem & ex nomine prædicit, maxime autem de conuersione mundi ad unum deum, de Christo domino incarnando deo & homine, de eius prædicatione, miraculis, passione, & regno perpetuo ac unuersali, usq; ad iudicium ultimum generale. Hæc omnia uirtute spiritus diuini prædixit, & iam nunc omnia nos perfecta agnoscimus, & unuersus orbis scripturis eius utitur, ad conuersionem à peccatis, & ad ædificationem electorum.

CAPVT XLIX.

1 MEmoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij.

Iosias sanctissimus. Fama Iosiæ regis, ex sacris scripturis suauissime redolet omnibus pijs, unus dei cultoribus, & idolorum osoribus prophetarumq; sanctorum admiratoribus. Vnde & hic eius memoriam comparat author cōfectioni odoriferæ, quæ opere pigmentarij sit studiose parata, cuius odor reficiat homines, & oblectet mirabiliter: quandoquidem & nomē bonum melius est quàm unguentum odoriferum quamlibet pretiosum. Fuit enim Iosias sanctissimus fide et moribus, religiosissimus admirator & obseruator legis domini, quam cititus ut audiuit postliminio reductam, amplexatus est, & toto corde implendam pro omni uirili suscepit. De quo 4. Regum 23. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & unuersa uirtute sua, iuxta omnem legem Mosis, nec post eum surrexit similis illi. Cuius laudes & meritis etiā post occisionem eius per omnium ora canuntur, etiam prophetarum carminibus in illa gente decantari non desierunt: quanto autem illustrius fuit eius regis regnum si tam inclyta & dulcis eius perseuerauit memoria?

2 In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & ut musica in conuiuio uini.

Iucundissimū est & dulce loqui de tam religioso principe, qui in toto corde amauit dominum, & propugnare ausus est uastatores regni, quod uoluisset omnino irreparabiliter demolire, quod ab idolorum spurcitijs emundauerat, & toto animo nisus est iram domini concitatā à patre & auo impissimo auertere, & populum suum domino deo conciliare, si tanta deuotione populus & principes adpiacatē affecti fuissent ut ipse: quid enim sanctissimus quisq; princeps in huiusmodi suis institutis potest, aula & conciliarijs inuitis? Erat suis temporibus deprauatus, non tantum populus, sed & principes, quos & uerisimile est deseruisse pugnantem, quando illius studio aduersabantur semper, pessima edocti dudum à Manasse & Amon, propter quod & Iosiæ filios omnes deprauatos legimus, & Ieremiæ prophetæ persecutores. Doluerat enim eis idolorum exterminium, domino deo & legi eius obsequi nullatenus delectabat. Erant enim et depraui ex inueterata consuetudine peccandi enormiter, ad quod cultus idolorum pulchre iuuabat, & ab impijs sacrificulis & diuorum ædituis falsisq; prophetis ad superstitiones domino inuisas & legi cōtrarias solicitabantur. Sic fit sem per, cum status aliquis depraudatus in religione quacunq; reformandus suscipitur, ibi qui pissime uolunt, & fidelissime incumbunt, pessime audunt & crudelissime diuexantur. Temporum nostrorū exempla tam nota sunt, ut clarius significari non possint.

3 Ipse est directus diuinitus in pœnitentia gentis, & tulit abominationes impietatis.

Diuino instinctu induxit gentem suam pro omni uirili sua ad pœnitentiam, de præuaricationibus diuinæ legis, maxime de idololatria, quam Manasses & Amon reduxerant postliminio, Ezechia sancto mortuo, & à persecutione prophetarum uerorum, quorum effuderant sanguinem. Exemplo & opere docuit cultum uerum dei, iuxta legem Mosis, ut magnanimiter auferret abominationes impietatis: ubi liberi arbitrij discimus negligentiam, quando diuinitus directus ad sanctum hoc opus deseritur, non propria præsumptione omnia & tanta conturbatur, non inolitum morem aggressus.

4 Et gubernauit ad dominū cor ipsius, &

in diebus peccatorũ corroborauit pietatẽ.

Obseruauit ex toto suo corde dominu uoluntatem, ui tam suam gubernauit ad beneplacitum dei. Locutio est, ac si diceret: Ambulauit corã domino in toto corde suo. Et cum iam maxime denuo peccata exundassent, & dei neglectus uel potius contemptus per idololatriam, quæ denuo pullulauerat, ipse admonitus lege, prophetis acquieuit, & pro omni facultate sua eliminauit impietatem, recuperauitq; fidem in dominum solum. Cum enim octauo anno regni sui adhuc iunior cœpisset quærere dominum, mundauit Iudam & Hierusalem ab excelsis, lucis, simulachris & sculptilibus, &c.

3 Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legẽ altissimi reges Iuda, & contempserunt timorem dei.

Reges quae sancti laudati.

Non excusantur ab omnibus peccatis hi tres reges sancti, qui ut omnes etiam sancti, in multis omnes offendunt, sed à peccato perfidiæ et idololatriæ, quod per antonomasiam peccatum dicitur, sicut fides, iustitia. Reliquisse quoq; dei legem, indicatur intelligendum de unus dei soli blasphemia, & contemptu, cultũ illius abnegando, & idola uenerando, aut impias ducendo uxores, uel fœdus iniisse cum idololatris. Quod uero iungitur, Reliquerunt legem altissimi reges Iuda: non dicit omnes, sed aliqui. Fuerunt enim & alij quidam reges boni & pij in regno Iuda. Fecisse enim dicitur & Aza quod bonũ & placidum erat in conspectu domini dei sui, & subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa confregit, statuas lucosq; succidit, ac præcepit Iudæ, ut quæreret dominum deum patrum suorũ, &c. Alibiq; dicitur, quod cor eius fuit perfectum cum domino deo. Et de Iosaphat dicitur: Cum sumpsisset cor eius audaciam propter uias domini, etiã excelsa & lucos de Iuda abstulit. De Ioatham quoq; nihil prorsus mali alicubi scribitur, cum diu regnauerit. Et de Ozia patre eius multa narrantur in sacris literis gloriosa. Verum quia Dauid grauiter deliquisse in multis legitur, ut de eius salute multi dubitarint hominum, etiam post mortem eius, iuxta Hebræos, Ezechias quoq; peccasse legitur, ob superbiam propter nuntios Babylonios, propter quod & statim denuntiatur uindicta grauis in totam gentem. Et Iosias per prophetas admonitus, ne congrederetur cum Aegyptio, pertinaciter obedire recusans, occisus est, unde & multi de eius salute potuerant dubitasse: ideo hi tres in specie nominantur cũ laudibus. Cæteri aũt tam clarum scripturæ testimonũ retinent, ut nemo de illis audeat dubitare. Luce autẽ clarius constat de ijs impijs regibus qui fuerint in Iuda, ut nihil periculi fuerit uel dubij apud hũc authorem aliquos non laudasse, quos nemo nõ laudat, quosdã damnasse, quorum nota sunt crimina, quosdam aũt commendatos ad excusationem de quorum fama nõ pauci digladiabantur. Vt ne hoc quoq; in loco libri huius authoritas fugillanda putetur, non omnes uoluit laudibus celebrare, sed quosdam, & eos in primis qui nominatiores erant, & magis clari.

6 Dederunt enim regnum suum alijs, & gloriam suam alienigenæ genti.

7 Incenderunt electam sanctitatis ciuitatem, & desertas fecerunt uias ipsius in manu Ieremiæ.

Iosiæ posteritas.

Quæ hic scribuntur intelligenda uidentur de filijs et nepotibus Iosiæ regis, qui longe degenerantes à probitate & religione Iosiæ, demeruerunt totius regni Iudæ destructionem & euersionem gentis, ut tota ipsorum gloria redigeretur in nihilum, & transferretur gens deo dicata, & uasa sanctuarij in Babylonem in alienam gentem. Nec id solum, sed totam cum templo urbem incenderunt igne, demeritis peccatorum suorum, quandoquidem recusauerunt procaciter obedire mandatis dei, legi diuinæ, & uerbis prophetæ Ieremiæ, qui nõ cessauit prophetare ad reges istos omnes, Ioachas, Ioakim, Ioachin, Sedekiam, sed gratis omnia, & criminibus et inobedientia sua desertas fecerunt uias Ierusalem, ut septuaginta annis luxerunt miserè.

8 Nam male tractauerunt illum, qui à uentre matris consecratus est propheta euertere & eruere, & perdere, & iterũ ædificare, & renouare.

Ieremiæ uirtutes.

Breuiter tangit Ieremiæ uirtutes & laudem, qui cum iuxta officium suum prophetale, missus à domino prædicaret pœnitentiam, si imminentia eis mala, quæ & ipsa nominatim prædicebat, euadere cuperent, pessime à regibus & principibus tractatus est sæpe. Cum esset sanctus ex utero propheta consecratus à domino, & ad hoc destinatus genti suæ, ut euerteret errores, erueret perfidiã, perderet impios, uel perdendos prædiceret iudicio domini iusto, uitia eradicaret, plantaret fidem et pietatem, reuocaretq; populum à cultura idolorum & criminum usu: sed pro his omnibus male tractauerunt ipsum, grauiter persequuti sunt, proijciendo in lacũ, in neruum, in carcerem, in uincula, certatim maledicendo & subsannando, tandẽ secum rapiendo in Aegyptum, ubi et digna illos correptione impetens, lapidibus obrutus dicitur.

9 Ezechiel qui uidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru cherubim.

Laudes Ezechielis.

Ezechielis prophetæ laudes cõmemorat, post Isaiam & Ieremiam: mirum quod Danielis nullam retulit mentionem, de quo etiam nihil Esdras & Neemias scripserunt. Ex primo autem prophetiæ ipsius capite causam sumit commendandi illius sanctimoniam, quia præclarum & admirabilem habuerit aspectum & uisionem diuinæ maiestatis, in typo quatuor animalium, & uiri insidentis trono, omnibus præsidentis creaturis, quibus imminet semper & ordinat quicquid est in cœlestibus & terrenis. Cherubim autem gloriæ uidit, quorum omnium explicatio suo loco legatur apud authores.

10 Nam commemoratus est inimicorum in imbre, benefacere illis qui ostenderunt rectas uias.

Iudicia dei iusta & grauia prædixit omnibus terrarum populis hic sanctus Ezechiel propheta, quod est memoriam facere horribilis imbris, quem immittit deus omnibus hostibus fidelium, & prælatis regibusq; inique præsidentibus. Sicut & uicissim prædixit & promisit

beneficia dei fidelibus, et fidelium fautoribus, amicis, tutoribus, & prælatis idoneis, qui rectas docent uias, & dirigunt in uiam salutis. A uigesimo enim primo capite usq; ad trigesimum tertium diligenter & multis prædicit durum iudicium ijs, qui sanctos uel etiam non sanctos Israelitas afflixerũt: non enim alia ratione permoti persecuti sunt Iudæos, quàm inuidia et odio propter religionem & unius dei cultum. Similiter & prædicit ut misericorditer sit tractaturus omnes, qui clemẽter tractent pios, & populum domini ab impietate conuersum.

11 Et duodecim prophetarũ ossa pullulent de loco suo: Nam corroborauerũt Iacob, & redemerunt se in fide uirtutis suæ.

Pullulare ossa de loco suo aliud non est, quàm honorificam obtinuisse memoriam, famam pietatis, & sanctæ eruditionis gratiæq; diuinæ, ad multorum ædificationem & exemplum. Alioqui quomodo ossa duodecim prophetarum clarius præfulgerent quàm Abrahæ, Isaac, Iacob, Dauidis, Iosue, & similium, quorum sepulchra certò sciuntur? Et quid meruit sacerrimus Moses, ut ossa sua usq; in hodiernum diem & semper latuerint? Sed constat satis, quomodo duodecim prophetarum prophetiæ plurimum frugis & eruditionis semper tradiderint, electis & pie studiosis, ut hodie quoq; non infelicius uiuant in hominum memoria, & in ecclesijs sanctorũ doceant iudicia dei, quàm dum uiuerent. Ad hoc enim scripserunt prophetias suas, ut fidem & mores Israelitarum corroborarent. Redemisse se dicuntur in fide uirtutis suæ, hoc est, fideliter egerunt officium suum, prædicando uitia & uirtutes, pœnam & gloriam, ut sese in officio suo probatos sisterent iudicio dei, & redimerent salutem suam, ueluti fideles serui, dum uoluntatem domini fideliter prosequuntur, & uirtuose laudabiliterq; insistunt demandatis sibi functionibus. Verum Græci pro tota hac sententia undecima, aliud non legunt, quàm hæc uerba satis luculentia: Et duodecim prophetarum sit memoria in benedictionibus. Id qua ratione sic mutatũ apud Græcos Lector iudicet.

Ossa sanctorum in gloria.

12 Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextera manu Israel.

Vix uerba sufficiunt ad digne commendandum illustrißimum illum ducẽ Zorobabel filium Salathiel, qui filius & ipse fuit Iechoniæ nepotis Iosiæ, qui dux constitutus est eorũ qui reuersi sunt à Babylone Hierosolymam, qui & ipse quasi signum in dextra manu Israël, hoc est, nobile ornamentum est, & insignis in principibus Israëliticis, de stirpe Dauidis, quam instaurauit in gloriã, quæ illo poterat tempore & in eo rerũ statu gloriosa & in clyta reputari: nihil enim obmisit eorũ quæ putabat suæ genti & patriæ deseruire in laudem & gloriam. Cuius illustris memoria, nedum in prophetijs Aggei & Esdræ libro, sed & in Euangelio secundum Matthæum legitur: dignus est enim habitus, qui in genealogiam saluatoris cederet. Consonat autẽ hæc sententia pulchre cum uerbis Aggei, dicentis ex uerbis domini: In illo die assumam te Zorobabel fili Salathiel serue meus, et ponam te quasi signaculum, quia te elegi. Quo contra dominus de Iechonia per Ieremiam dicit: Viuo ego, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim regis Iuda annulus in dextera mea, inde euellam eum.

Zorobabelis laudes.

13 Et Iesum filium Iosedec? qui in diebus suis ædificauerunt domũ, & exaltauerunt templum sanctum domino paratũ in gloriam sempiternam.

Hunc summum pontificem in laudibus iungit duci Zorobabelo, quia solicitauerunt ædificationem templi & urbis, admoniti & ipsi à prophetis sui temporis de mandato domini. Isti duo suscitauerunt muros pro templo domini, quod & fundauerunt, & ad consummationem perduxerunt ad gloriam dei. Postquam enim ædificatio templi cœpta ab ipsis Cyri temporibus impedita fuit usq; ad Darij regnum, ut narratur ab Esdra, duobi uiri insignes ædificium resumpserunt, quod & sexto imperij eius anno absoluerunt, secundum dictum Zachariæ ex uerbo domini, dicentis: Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam.

14 Et Neemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.

Hæc sententia clare liquet ex libro Neemiæ, Esdræ secundo. Insignis autem laus est deseruisse aulam tanti regis, & tot laboribus & angustijs sese implicasse, ut benefaceret genti suæ, & urbis sanctæ ruinas instauraret, ad gloriam dei & consolationem piorum.

15 Nemo natus est in terra, qualis Enoch: nam & ipse receptus est à terra.

Pulchre, quasi occasione epilogi instituendi resecat & suplet omissos quosdam simul orationem dirigens ad principium creationis humanæ. De Enoch quidem supra dixerat, cum in speciali de illustribus personis loqui incipiebat, indicium planè simplicitatis, alioqui potuisset & peret, in marginem adsignasse, si quid de Enoch uel Ioseph spiritus domini dicendum latius inspirasset, sed non est in rebus sanctis, & in authoribus uere theologis tantus ad curiosa respectus: non erubescit spiritus dei sæculariter eruditorum fastuosum iudicium, nõ eligit uerba elegantia, loquitur ad ædificationem, ordinat pro ut placet, more potius suo, nostrum ingenuum humiliare contemnit, ut non tam eruditionem sectemur elatam, quàm piam ædificationem. Nihil nobis cum ingeniosißimis, ut uiri uolunt, & celebrantur poëtis, ludentibus in uerbis ut cuis pietate & usu ecclesiastico, habent illi suum forum & scopum, quem nos illis fauemus, ferant illi nostrum, si placet. De Enoch pauca dixerat, hic paulò minus, quàm quam uero in Genesi capite quarto Cain filium genuisse scribatur, qui ædificauerit urbem ex nomine suo Henoch dicto, & in quinto capite Iared genuisse dicatur Enoch, de quo hic iterum fit mentio, nõ tamen sunt unus, quam eisdem omnino literis & punctis scribantur. De raptu autem Enoch prius dicta sufficiunt, cum certiora non succurrant. Excedit quoq; in laudibus capiens ea Iehoiadæ.

lebrare nomen primu qui raptus sit ante tempus, qui ut septimus ab Adam numeratur, sic numerum quoq; eundem consecrasse uidetur quibusdam qui de hoc incerta quædam comminiscuntur. Denique de quolibet fermè homine insigniter claro dici potest, Non est inuentus similis illi. Non enim inuenuntur facile duo ne dicam plures, per omnia similes, in donis dei & naturæ studijs, multo minus gratiæ.

16 Et Ioseph qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi, & ossa ipsius uisitata sunt, & post mortẽ prophetauerũt.

Ioseph laudatus.

Obmiserat Iosephum hunc patriarcham nobilem & celeberrimum in sacris literis, quem prouidentia dei fratribus nolentibus uolentibus principem posuit, quem adorare cogerentur, ostendens infallibilitatem uerbi sui, & ordinis sui certitudinem, prouidentiæq; rationem altissimam, qua talis ac tantus ut esset natus est, & ordinatus, firmamentũ ut esset gentis suæ, Israeliticæ scilicet. Cuius re ipsa primas esse multipliciter apparuit, quia à Rachele primogenitus, duplicem portionem nactus, & regnum Israeliticum in Ieroboam, non obstantibus promissionibus tribui Iudæ factis, &c. Rector pro tanto fratrum dicitur, quia princeps in Aegypto seruauit ipsos ut pater filios, & prospexit eorum commodis donec uixit, post cuius mortem male habuerunt, non tantum oppressi ab Aegyptijs, sed etiam fornicando cum Aegyptiorum idolis, quæ coluerunt etiam in Aegypto, sicut & in solitudine. Stabilimentum populi eadem ratione dicitur, qua dictum est. Sub eius enim principatu nemo premere Israelitas audebat, quo sublato multis angustijs sunt diuexati numium diu & crudeliter. Nec tantum suæ genti salutem procurauit, sed toti Aegypto prouidit de alimentis, qui alioqui famis inedia defecissent, unde & Pharao uocauit eum saluatorem mundi. Ossa Ioseph uisitata dicuntur, quia minime neglecta, dum exeundum Israelitis esset ex Aegypto. Sic enim Exodi decimotertio: Ossa quoq; Ioseph tulit Moses secum, hoc enim commiserat dudum Ioseph moriturus. Post mortem ossa Ioseph prophetasse aliud non est, quàm eadem ossa diligenter reseruata, ad tempus exodi de Aegypto, aliud non indicasse, quàm uerissime futurum prædicasse, ut aliquando exitus sint Aegyptum, unde & transportanda sint ipsa quoque ossa, ut si moram facturus sit dominus, ipsum expectent, quandoquidem re uera uenturum sit quod dominus repromisit. Ostenderunt enim translatione sua, uerum repromissionum dei, qua Ioseph prædixerat reditum dicebat: Deus uisitabit uos, asportate uobiscum ossa mea, de loco isto. Idem ad Hebræos decimo tertio Apostolus subindicat: Fide inquit, Ioseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est.

Ossa prophetæ.

17 Seth & Sem apud homines gloriã adepti sunt, & super omnem animam in origine Adam.

Famam insignem uarie consecuti sunt Seth & Sem apud homines fideles, qui credunt sacris scripturis, quorum Seth pro Abele à Cain occiso genitus est, ab Adam & Eua, uir pius & sapiens, à quo nati sunt omnes probi & religiosi ante diluuium: sicut post diluuium electi & pij nati sunt non à Cham uel Iaphet, sed à Sem primogenito Noë, ut putatur, à quo genealogia Abrahæ, Dauidis, & Christi. Magna est ergo gloria hominis, sanctorum & piorum posterorũ se patrem & patriarcham haberi & esse. Vt autem Cain pessimorum hominum pater fuit ante diluuium, & Seth bonorum, qui tamen & ipsi cum tempore deprauati sunt, & commixti cum pessimis: sic Sem post diluuium piorum hominum origo habetur & radix. Omnes autem isti homines tam prognati à Seth & Cain, quàm à Sem & Cham uel etiam Iaphet, cui etiam adnumeratur Tuiscon, nati sunt ab uno primo homine Adam dicto, qui omnium hominum origo est, & primitiæ hominum cum uxore Eua, de quo sacri libri testantur.

Gloria maiorum.

CAPVT L.

1 Simon Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in uita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum.

Ex Iosephi historia hunc locum obscurum deprehendimus adhuc fieri obscuriorem. Alexandri magni temporibus scribit sacerdotum principem fuisse Iaddum, cui successerit filius Onias sacerdos, de quo nihil narrat. Eidem Oniæ pontifici scribit in sacerdotio Simonem successisse, cognomento iustum, de quo præterea nihil narrat, nisi quod eidem mortuo & relicto Onia filio puero frater successerit Eleazarus pontifex, sub cuius pontificatu lex Mosis translata fuerit in Græcam linguam, per Septuaginta interpretes, ad petitionem Ptolemæi Saluatoris uel Soteri. Post quem nominat principem sacerdotum Manassen, cui successerit Onias, inglorius, auarus, Simonis iusti filius. Cuius Oniæ sororis ex patre Tobia filius fuerit Iosephus, pater Hircani pontificis. Huius quoq; Oniæ filius, Onias quoq; dictus nomen suum mutarit ut Menelaus diceretur: sicut & frater Oniæ Iesus, maluit Iason dici, & ipse pontifex. Ex quibus intelligitur hic Simon Oniæ filius statim post Alexandri magni tempora pontificatum rexisse, scilicet nepos Iaddi, qui fratrem habuerit Eleazarum ante tempus interpretatæ legis. Sub cuius Simonis filij Oniæ temporibus, huius libri author, Iesus filius Sirach uixisse uidetur, de quo tam magnifica scripsit, de quibus aliorũ nemo quicquam meminit. Is igitur Simon sacerdos magnus, qui & iustus cognominatus est, secundum Iosephum, propter pietatem in deum, & ipsius cultum illustrandum, & propter fauorem quem habuit à rege, de quo tamen nihil scribit, quàm eo mortuo fratrem Eleazarum successisse, quod filius eius Onias infantulus esset. Is, inquam, Simon pietatem suam in eo ostendit, quod templum domini antiquatum resarciuit, & reformauit uitiata: quod dicit suffulsisse templum, & corroborasse.

Translatio LXX. interpretum.

2 Templi etiã altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes tẽpli,

Fundatam esse altitudinem templi, est subtus corroboratam esse ne caderet: cui addidit et alia quædam ædificia ad templum pertinentia, quæ hic nominat duplicem ædificationẽ & excelsos parietes. Gloriosam enim structuram esse uoluit templi domini dei Israel, cuius gloriã & famam iam audierat & uiderat auctam officio, deuotione, confessione, & munere Alexandri magni, cui in somnis dominus deus Israel fuerat per summi sacerdotis Hierosolymitani imaginem reuelatus: Vnde & uerisimile est post mortẽ Alexandri templum fuisse in maiori gloria & celebritate quàm prius.

3 In diebus ipsius remanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum.

Fieri potest ut abundantiam aquarum prouiderit urbi & populo inhabitanti, quæ dudum per Nabusardan fuerant ablatæ, quas intra urbem diduxisse Ezechiam regem prædixerat, eas hic pontifex restituerit. Quanquã & aquas sapiẽtiæ diuinæ ex lege domini intelligere possimus, quæ lex circa illius tempora sub fratre Eleazaro successore translata est ad Græcos per Septuaginta interpretes, qua occasione dãi dei gloria, uoluntas, & mandata à multis subinde nationibus legi & sciri potuerũt. Sicut & deriuatio Euangelicæ doctrinæ per Christũ & Apostolos, fluentorũ & fontium, orbem unuersum irrigantiũ, significatur per prophetas, Isaiam & Ezechielẽ.

4 Qui curauit gentem suam & liberauit eam à perditione.

Iuste & religiose præfuit hic pontifex populo Iudaico, & curauit studiose quæ illi ad pacem & felicitatem conducere possent. Emendauit fidei professionem, morum disciplinam, & obseruantiã legis, ne domini dei sui offensione & iusto pro peccatis iudicio eos perire contingeret, ut factũ fuerat Ieremiæ temporibus, cuius exempla accepit ab Esdra, Neemia, & reliquis reformatoribus suæ gentis. Hoc enim officium est pontificale, legem domini prædicare, & subditis inculcare, transgressores uerbo & facto ab insolentijs reuocare, animarum curam gerere, & corpora non spernere, si quid etiam in rebus temporalibus utiliter ordinare possit nihil negligere. Iam tunc enim gentis illius regimen non ad reges, quos non habebant, sed ad pontifices deuolutum fuerat, ut patet ex historijs.

Officium pontificale.

Qui prævaluit amplificare ciuitatẽ, qui adeptus est gloriã in conuersatione gentis: & ingressum domus, & atrij amplificauit.

Vrbem Hierosolymam auxit habitatoribus & ciuibus, confluentibus passim Iudæis & Israelitis ad cultum unius dei, qui iam nõ tantam ut antea propter fidem persecutionem patiebantur, sed gliscebat ex isto tempore unus dei scientia & fides latius quàm antea, donec impij Græcorum reges subinde dicti Antiochi, ex odio Iudaici nominis etiam ipsorum pietatem & ceremonias legales persequi odiosissime cœperunt. Propter hanc sacerdotis pietatem & fidem in gentem suam, gloriam quoq; ab eisdem assecutus est, ut in magna reuerentia coleretur, quandoquidem sedulo laborabat ad splendorem diuini cultus, & status gentis Iudaicæ, unde & templi uestibulum ubi conuenuebat populus, non tantum auxit, sed etiam exornauit.

6 Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet.

7 Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo dei.

Vita, doctrina, exemplo, & studio, authoritate & fama inclaruit hic pontifex inter iniquos homines, in seculo alioqui corrupto. Sicut enim matutina stella clarior est cæteris, ortum quoque solis præcedit, & nubes quaque penetrare potest: sic lux uirtutum et doctrinæ præcessit alios, et in populo dei refulsit. Lunæ plenæ claritatem, & solis quoque allegat, quo multum explicare possit huius pontificis laudes, quandoquidem non tantum in se bonus & pius fuit, sed alios quoque ad pietatem promouere modis omnibus quibus potuit studuit.

8 Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, et quasi flos rosarum in diebus uernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis.

Exaggeratio est & amplificatio per similitudines laudum huius uiri, de quo tamen nihil alibi legimus. Pulcherrimus relucet arcus iridis in nubibus, & admirabilis fit cunctis, simul & pluuia expectatur ad fœcunditatem terræ, sic pontifices ecclesiarum, ut sunt conspicui cunctis, sic imbrem doctrinæ & eruditionis infundere debent hominibus pijs, ne aliud inueniantur quàm uideantur. Flori quoque rosarum comparatur sacerdos pius, ut redoleat illius fama & conuersatio, doctrina & studiũ, nihil aliud quàm uirtutes, & eas non uulgares, sed insignes, præ aliorum meritis, sicut flos in diebus uernalibus, quando pulcherrime uernant & suauissime redolent, ut sit non tantum sanctus, sed odor bonæ famæ & laudabilis uitæ spargatur ad multos. Quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ candida & odorifera, mundus per innocentiam, castissimus moribus & uerbis, qui aliorum luxuriam & turpitudinem emendare suo studio ex officio debet. Thus uero redolens, dum charitatis igne ardet, late spargit suauitatem odoris, maxime in æstate, dum calidior est aër, & minus frigore cõstringitur uapor odoriferus, quo significatur orationis feruida deuotio, uel etiã compassionis affectus.

9 Quasi ignis effulgens, & quasi thus ardens in igne.

Veluti dum ignis effulget cuncta conspiciuntur et incalescunt: sic pij pontificis deuotio, fides, & zelus, omnes ædificat in fide & moribus subditos, ut quid dominum debeant, intelligant, atque uelint. Et quasi thus ardens in igne, idẽ multipliciter exprimitur: quanto magis igne tentationis affligitur, tanto fructuosius exercetur: charitatis enim & patientiæ actibus tanto clarius immolescit, ut non tantũ patientiam exerceat, sed etiam pro persequentibus orare dominum nõ grauetur. Id enim ex uerbo domini edoctus docere ex officio obligatur, multo magis opere comprobare & exemplo necesse est. Ne dum

dum alijs prædicet, ipse reprobus inueniatur.

10 Quasi uas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.

Solidum & non uacuum aut porosum aurum sit pontifex: uel potius uas aureum, sapientiam continens, consilium & doctrinam, fidem & charitatem non uacuam, ut cæteris quoq; donis spiritus sancti ueluti pretiosissimis gemmis ornetur, auro charitatis, soliditate constantiæ, omnium uirtutum gemmis illustris. Qui enim speculum uirtutum alijs & doctor constituitur, is exemplo quoq; præeat uirtutis & gratiarum, ne illi dicatur: Medice cura teipsum.

11 Quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudine in se extollens in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & uestiri eum consummatione uirtutis.

Qui stolam gloriosam secundum dei legem induitur, is quoque meminerit, quid cuncta pontificalia ornamenta significent. Vt in ipso perfecto omnium uirtutũ emineat, ut excedat populi mores, non minus quàm oliua fructifera, & succulentissima, alias arbores, & cypressus reliquas in altitudine simul & odore supereminet: sic episcopus prospiciat omnibus, & meritis gratiarum & sapientia uerbi cunctos excellat, oleo compassionis & misericordiæ, supernorum pariter contemplatione conspicuus. Tales enim conuenit esse ecclesiarum pontifices, ut digni habeantur indui superhumerali et rationali, mitra & lamina, cæterisq; consummatæ uirtutis ornatibus.

12 In ascensu altaris sancti gloriam dedit sanctitatis amictum.

Ornamenta pontificum

Dum officium sacerdotale prosequitur in medio ecclesiæ, non gratis uel ad fastum pontificalibus utitur indumentis, sed ut cogitet quid ea ornamenta significent, & à domino sibi illa concedi precetur, & studeat assequi, pro quibus tanto honore in ecclesia afficitur, ut cum similis sit omnibus pro humanitatis conditione, honoretur tamen ab oĩbus pro officij sanctitate. Ascensus altaris intelligitur accessus ad aram ut sacrificet. In nulla autem re alia uidimus nostros pontifices gloriosiores, quàm ubi ad altare procedendum erat, ornatos auro & gemmis multa per huiusmodi sua ornamenta uirtutum testimonia promittẽtes, cum nihil minus præstare potuerint. Duplicis testamenti eruditionem ostentant in insula, cum nullum unquam legerint, nec ualeant explicare. Longũ esset de talibus sermonem incidere, quæ factis potius explicantur. Paludamenta hæc sunt potius archiflaminum, quibus olim suis idolis sacrificaturi ingrediebãtur, quàm ut sint Christi & Apostolorum insigna. Sed hæc populus stipites uiderentur, & in reuerentia non essent, uel hominum æstimatione, quam unice cupiunt & uenantur. Adsit honestus uestitus episcopis, sed non talis, qui Apostolicæ simplicitati reclamet, nisi malint diuorũ flamines quàm ecclesiarum apostolici diffamari.

13 In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, & ipse stans iuxta aram,

Et hic quoque gerere se nouerunt pontifices nostri, in accipiendo scilicet decimas, primitias, annata, & multa huiusmodi, nescimus quomodo nominata, quia de his in Apostolicis libris nihil inuenimus. Is uero Hebræorum summus pontifex, altare accessurus, à reliquis minoris ordinis sacerdotibus accipiebat offerenda altari, qui & illi sacerdotes à Leuitis oblata acceperãt, quæ à populo ad ostium atrij sacerdotalis Leuitis offerebantur iuxta legem, ut omnia ordinate fierent, & cum decoro, coram ecclesia, in cultu dei corporeo, qui tandiu durare debuit, quandiu tempus nondum appeteret, quando in spiritu & ueritate tantum dominus coli se uelle ostenderet. Pontifices nostri.

14 Circa illum corona fratrũ & quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami palmæ & omnes filij Aaron in gloria sua.

Fratrum corona, sacerdotes de filijs Aaron erant, qui ministrabant summo sacerdoti, quibus, ut dictum est, Leuitæ suas quoque partes porrigebant: sic stipabatur corona sacerdotali summus pontifex. Quod hodie pulchre seruatur ab episcopis & diaconibus urbis Romæ, dũ diuina celebrant cum suo summo pontifice, si tantum reliqua magis necessaria non minus curarentur, quanquam de his prorsus nihil Christus præceperit nec Apostoli, sed alia quædam & sanè multa diligentius obseruanda, de quibus non necesse est multa monuisse, non deest illis spiritus domini, qui conscientias non sinat illorum quietas, qui ad reformationẽ ecclesiastici status instigat multipliciter, uerbo, scripturis, incommodis, persecutionibus, opportune, importune, utinam tandem incipiant uelle, quod intelligunt necessarium, & mundum sapere magis ac magis sibi persuadeant, ut sensum communem, quàm contra eos uera passim dicantur, latere nõ possit. Facile hactenus ecclesiasticis rebus ipsi ecclesiastici prospicere potuissent, ut hodie quoq; si uellent: si id ipsi negligere semper perrexerint, tempus propediem ueniet, ut iam uelle compulsi, nil possint. Fortassis non permittentur tandem, si numiũ quæ è re sua fuerint cogitare & curare distulerint. Quanto consultius agerent, si sacræ scripturæ doctos & zelatores ueræ religionis ipsi episcopi conuocarent, deq; morũ & doctrinæ reformatione cũ eis ex scripturarũ authoritate decernerent singula. Id si agere diutius neglexerint, uiderint quid olim passuri. Reformanda ecclesiæ per episcopos bonos.

15 Oblatio autẽ domini in manibus ipsorum, coram omni synagoga Israel, & consummatione fungens in aram, amplificare oblationem excelsi regis porrexit manum suã in libatione, et libauit de sanguine uuæ.

Pro suo officio sacerdotes offerebant oblata à populo, in ipso atrio, quod proximum erat templo, unuersa circumstante Iudaica synagoga, fungebaturq; sacerdotij sui munere, imponendo aræ holocaustorum sacrificia, panes mensæ propositionis, incensum propriæ aræ in sancto sanctorum tempore huius authoris, quando arca domini nulla erat in templo. Omnia autem agebantur ad magnificentiam dei omnipotentis, cuius unici unicus erat antistes, cui iam de alienigenarum quoq; terris &

regibus sacrificia mittebantur, Hierosolymis offerenda, maxime isto tempore à Ptolemæis, sicut & tam ante à Medis & Græcis, postea quoq; etiam à Romanis. Offerebantur autem cum pecorum oblationibus etiam panes triticei de simila conspersa oleo, similiter libamina uini, pro singulis sacrificijs iuxta legem. Aspersio etiam sanguine ad crepidinem altaris, &c. Hic uero uinum sacrificij dicitur Hebraico more sanguis uuæ, quando exprimitur ab uuis, ut cruor è corporibus.

16 Effudit in fundamento altaris odorem diuinum excelso principi.

Ad altaris fundamentum fundebatur sanguis animalium oblatorum, quanquam & liquida alia superinfusa aræ defluebant ad fundamenta eius & basim, secundum legem in Leuitico. Inde uero consurgebat odor, qui domino ex fide offerentium probabatur, qui hic dicitur excelsus princeps, quia nomen habet dominus dominantiũ, & rex regum.

17 Tunc exclamauerunt filij Aaron, in tubis ductilibus sonuerunt, & auditam fecerunt uocem magnam in memoriã coram domino.

Officium filiorum Aaron, minorum scilicet sacerdotum erat, inter sacrificandum et libandum ductilibus intonare tubis, ad magnificentiam oblationis, alijs interim corde deum magnificantibus, & gratias agentibus pro beneficijs magnificis, quibus domi prosequebantur, ex quibus uel decimam portionem uel aliam aliquam domino offerebant, significantes hæc omnia dona dei esse, nihilq; se habere à semetipsis, sed à diuina benignitate omnia. Et quidem portiones designatæ, quædam erant pro combustione, quædam summo sacerdoti cedebant edenda, quædam reliquis sacerdotibus, de reliquis etiam in loco sancto fideles edebant hi, qui de suo sacrificia attulerant. Sicq; lætitia erat, & epulæ dicebantur sacræ, festi dies, et dei cultus, donec tempus correctionis appeteret, & templum cum sacerdotio auferretur, & omnia hæc perficerentur. Voces magnæ ædebantur canentium laudes domino, & cantica simul cum uarietate musicorum, ad gaudium gentis, & sensualem quandam mentis eleuationem, quæ proficere poterat ad spiritualem. Omnia autem in memoriam beneficiorũ dei, quæ in solennijs commemorabantur, & recitabantur festis diebus ex lege sacrisq; historijs, à sacerdotibus & Leuitis.

Epulæ sacræ.

18 Tunc omnis populus simul properauerunt & ceciderunt in faciem super terram adorare dominũ deum suum, & dare preces omnipotenti deo excelso.

Dum hæc agerentur à Leuitis in atrio sacerdotum, populus adorabat dominum super terram, in faciem cadens quod est adorare, non alium quàm dominum deum suum, non solem autẽ & lunam, aut cœli militiam, multo minus hominem quemcunq; aut stultum idolum more gentilium. Sicq; cadentes & adorantes, fundebant corde & ore domino suas preces, soli scilicet omnipotenti deo excelso creatori omnium & gubernatori, qui ut solus iuuare potest, & omnia agit in omnibus, sic solus quoque inuocari uult & adorari, cui soli omnis honor debetur & gloria.

19 Et amplificauerunt psallentes in uocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suauitatis plenus.

Magnificentissime ut poterant psallebant Leuitæ uocibus suis, cantores scilicet & musici, uocibus humanis & instrumentis alacriter assistentes & exhortantes populum ad dei reuerentiam & timorem, qui talibus permouetur pro suo carnali sensu, dum meliora non potest, pro propensione sua ad ceremonias, quæ si illis negatæ fuissent, gentilium superstitionem, ut tunc toto uigebat in mundo, arripuissent, ut necesse fuerit istis permittere ceremonias, quibus occuparentur, ne otiosi reciderent ad aliena sacrilegia: quanquam hæc non fuerit sola causa statutorum rituum, quando etiam talibus exhortabantur ad dei optimi maximi beneficia contemplanda, ad reuerentiam fouendam, ad deuotionem exercendam, ad fidem roborandam in unicum sacrificium, olim offerendum in expiationem omnium peccatorum, omnium electorum, quod ab exordio mundi & promissum erat, & per memorialia multa designatum & desideratum, ut fuerit expectatio omnium gentium, agnus scilicet tollens peccata mundi. Quod uero additur, in magna domo auctus est sonus, esse sonum plenum suauitatis, indicare uidetur illius festiuitatis in domo secunda quàm in prima, uel etiam tabernáculo stante in Sylo: sicut & in templo ab Herode constructo, fortasis quædam non omnino secundum legem & ordinem Dauidis peracta fuisse credi possunt, quæ tamen ut ceremonialia salua fide & deuotione non sunt damnata, nec à Christo pro tanto accusata, quando hæc omnia non diutius duratura spiritus ipse dei gerebat.

20 Et rogauit populus dominum excelsum in prece usq; dum perfectus est honor domini, & munus suum perfecerunt.

Continuo orando persistebat populus præsens, donec sacrificium prorsus & integre absumeretur, ad honorem dei et munera cuncta deferrentur. Habent Hebræi suum stilum, quem & in aliena lingua sectantur, quo magis nobis quoque liceat Germanismos miscere Latinitati, imitantis etiam eis, qui Romæ prorsus collapsam linguam, nostris tam anxie quærũt imponere Germanis, quibus abunde sufficeret, si quomodocunq; loquentes clare caperemur, cum non tam placere auribus quàm prodesse mentibus desiderare debeamus. Quod dicimus propter idiotismum, quo utitur hic author ferè ubique, & uetustus ille Latinus interpres assequi maluit Græci authoris sensum, quàm Latinorum elegantiam, quæ suum locum habet, in sacris quæri non debet, sed nec si affluat eam deceat contemnere uel odisse: intellectui inseruiendum est, non auribus.

21 Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationẽ filiorum Israel dare gloriam deo à labijs suis, & in nomine ipsius gloriari: & iterauit orationẽ suam, uolens ostendere uirtutem dei.

Cæ-

Ceremonias describit Israeliticorum sacrificiorũ, & hic finem officij, quum completa oblatione & oratione, pontifex de suggestu altaris descendens, ad populũ conuersus, eleuabat manus sursum, deorsum, sinistrorsum, & dextrorsum, uidente toto populo omni congregatione filiorum Israel præsente. Sicq; domino deo uni uero et summo gloriam dabat, hoc est gratias dicebat pro beneficijs, & precabatur optima quæq; genti fidelium, quod erat benedicere populo. Gloriabaturq; de fauore dei ad populum, deq; ueritate promissorum ad patres, hortabaturq; ut pergerent fideliter deum uerum colere et reueri, & sese ipsius peculiarem populum credere & fateri, quod est gloriari in nomine dei. Non quoq; obmittebat inculcare populo omnipotentiam dei, ut crederent firmiter dominum deum suum posse & uelle defendere, & prosperari suum populum, si bonι zelatores gloriæ eius esse perseuerarent, ut à nullo hoste timeant, si dominum fauentem teneant. Hæc uero summa erat exhortationis, tunc uero gratiarum actionis capita sequebantur.

benedicere populo.

22 Et plus orauit deum omniũ, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies nostros à uentre matris nostræ, & fecit nobiscum secundum suam misericordiam: det nobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos: credere Israel nobiscum esse dei misericordiam, ut liberet nos in diebus nostris.

Super hæc omnia sacerdos quoq; summus dominum precabatur, qui dominus deus est omnium, omnipotens solus, optimus, & maximus, præmissa laude & gratitudine, quia in tota terra magnifica fecit opera, de quibus canunt arcanæ literæ & sacrosancta Biblia, quia conseruasset tunc præsentem populum saluum et incolumem in eam horam, beneficium uitæ impartiens, à matris utero usq; in legitimam ætatem. Fecisset quoq; misericordiam suam cum toto genere suo, multis beneficijs prosequendo. Is igitur qui talis & tantus est, & talia contulit in patrem, dignetur quoque pacem concedere fidelibus in diebus præsentibus, & posthac semper, saluare scilicet suum peculium, & sibi seruare. Maxime autẽ tunc orabant bene, id quod & nunc semper orant Iudæi, ut pax uniuersalis & regnum Messiæ suo generi tribuatur, ut ueniat qui mittendus est, sperantes gaudia huius mundi à suo Messia, & principatum regni terrestris, quæ quia Christus dominus noster illis attulisse non uidetur, non illum credere possunt suum regem, non enim tantum de dei gloria gaudent, quantum afficiuntur ad suum quod tantopere cupiunt regnum, quod nunquam assequentur, donec gloriam domus dei sui magis quàm propriam cœperint appretiari.

23 Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens: qui sedent in monte Seir (uel Samariæ): & Philisthiim: & stultus populus qui habitat in Sichimis.

Multus fuerat author in laudibus sanctorum patrum, & pietatis ueræ sanctæ cultusq; diuini, soli uno domino & deo deferendi. Sanctam gentem pro dignitate, ut potuit, laudauerat, quam alij uicini populi semper uehementer exosam habebant, & omnibus quibus poterant modis semper fuerant persecuti, & usque ad authoris tempora persequi & odire non cessabant. Quam ipsorum insignem maliuolentiam non potuit sanctus non odisse. Erant autem primi quos hic nominat Idumæi, habitatores montis Seir, qui ab initio statim salutis Israeliticæ odire cœperunt, nolentes transitum permittere ex inuidentia fraternæ salutis. Et ab illo tempore non solum persecuti sunt semper publice Iudæos, sed persecutoribus alijs gentibus semper auxilium præbuere, ut Aegyptijs Philistæis, Aethiopibus, Arabibus, Chaldæis semper astiterunt ad diuexandum Israëlitas. Et idololatræ erant insignes, cõtra quos omnes ferè prophetæ multa locuti sunt. Græcus hic legit pro Seir Samariæ, notabili mendo, ut satis intelligamus hic & alibi, non esse irrefragabilem adhibendam fidem exemplaribus Græcis, ut tutum sit nostra corrigere ex illis, quæ & uariantia reperimus. De Philistæis Israelitarum hostibus perpetuis & implacabilibus loquitur, quos fideles non poterant pro insigni perfidia non odisse, qui toties omnipotentiam sentientes domini dei Israel, à temporibus Iosue, Samuelis, Dauidis, & reliquorum, ipsius diuinitatem negare non ualebant, tamen ex animo odiebant, cultores quoque eius pro omni uirili sua iugiter persequebantur, usque ad tempus huius authoris. De Sichimitis quod scribit, stultum populum esse, alios non intelligit quàm Samaritanos, quorum metropolis erat tempore huius authoris Sichima, ut ex Iosepho docetur in fine libri undecimi, quam positam dicit prope Garizim montem, in quo transgressores, ait, habitant Iudæi, qui uidentes ab Alexandro magno magnifice Iudæos honoratos, coacti sunt Iudæos se fateri. Nã huiusmodi naturæ sunt isti Samaritæ uel Sichimitæ, ut Iudæis calamitatibus mersis, negent se esse cognatos, ueritatem confitentes. Cum uero honoratos cernunt, tunc se socios Iudæorum & fratres faterentur, recensentes suam originem à nepotibus Ioseph, Ephraim, & Manasse. Hæc Iosephus, qui alibi Sichimitas facit in Madian, quos Saul saluauerit, cum Amalechitas deleret, quia cognati essent Rahuelis, falsus ex nomine, siquidem Sichimitas legens pro Cyneis, de quibus decimoquinto cap. primi Regum. Eos itaq; Samaritas hæreticos & hypocritas in fide instabiles & corruptos, pro sola temporali utilitate dominum confitentes, semper autem infestissimos Iudæis, hic nominat stultum populum, quem & comparatione Edomitarum & Philistæorum dicit non esse gentem, quia illuc translati sunt ex Assyria tempore Salmanasar regis, & captiuati Israelis, ne terra uacua esset colonis. Hos itaq; author zelo pietatis & fidei odit, ut sunt odibiles omnes hypocritæ & fictitij credentes, longe dissimiles patribus sanctis iam enumeratis, qui plena fide dominũ quæsierunt, & ab his gentibus tribus, multa semper pro fide uera perpessi sunt, ut est consuetudo & sors piorum in hoc sæculo.

Idumæorũ odium.

Philistæi hostes.

Sichimitæ.

24 Doctrinã sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Iesus filius Sirach Ierosolymita, qui renouauit sapientiã de corde suo.

Concludit librum author, & subscribit proprio nomine in fine codicis, quod alij scriptores initio præponunt: testatur id quod res est, Iesum filium Sirach scripsisse doctrinam pertinentem ad ueram sapientiam, quæ est dei cultus, timor & reuerentia, amor & fides in dominum deum & proximos. Quod non egit ficto corde, & ad ostentationem, sed ex fide & corde suo, nempe ex sapientia cordis sui, quam spiritu ipso sapientiæ accepit, qui bona fide & gentis suæ institutionem descripsit ad posteritatis lectionem, ad renouandum sapientiam, quæ suis temporibus neglecta uidebatur à multis. Idq;, ut uidetur, in sua communi lingua, Syriaca scilicet, unde tandē translata est in Græcam. Nam & Hyerosolymitā se nominat, in qua urbe librum scripsisse uideri potest, & in eius lingua, in qua & Targum Ionathæ, quod propterea Hierosolymitanū dicitur. Ea enim lingua utebantur tunc passim Iudæi. Qua & Christus dominus usus est, quæ illi materna erat, ut & totius uulgi. Iam autem eruditiores Græce scribebant omnia, ut nunc nos Germani Latine.

Titulus in fine libri.

25 Beatus qui in istis uersatur, qui ponit illa in corde suo, sapiens erit.

Hortatur ad exercitium ueræ sapientiæ, ad studium legis diuinæ, ad quam hic liber & doctrina eius proficiet. Nihil enim prorsus dicit, quàm quod omnino quadrat cum infallibili ueritate uerbi dei. Vult autem ut nō tantum legatur codex, sed & ruminentur quæ scripta sunt, & toto corde percipiantur, fide & meditatione assidua, ut sit sapiens in domino. Certe longe moralior & sanctior est is liber, quàm omnium philosophorū moralia documenta & ethica, etiamsi magna appellentur moralia. Quando & ante Platonis tempora uel eodem hic liber scriptus uidetur.

26 Si enim hæc fecerit, ad omnia ualebit: quia lux dei, uestigium eius est.

Non uult ut tantum legantur hæc scripta, sed potius ut in exercitium adsumantur. Si, inquit, hæc fecerit, quæ iusta ex hoc libro didicerit, multum inde fructum assequetur, ad omnia enim ualent scienda quæ necessaria sunt ad salutem, quæ deus à nobis scienda & agenda requirit. Vestigium enim est & semita qua peruenitur ad deum, qui illuminat omnem hominem uenientem in hūc mundum. Dicitur autem sapientia lux dei, qua deus ipse electos illuminat in præsenti, ut perducat ad bona futura. Ex qua sapientia tanquam per quoddam uoluntatis suæ uestigium & tramitem, peruenitur ad regnum cœlorum. Græci autē hoc loco addunt, quod in Latinis codicibus nō habetur: Et pijs dedit sapientiam. Benedictus dominus in sæculum, fiat, fiat. Veram sapientiā non assequuntur, nec in hoc libro scripta intelligent alij, præter pios, hoc est, dominu dei cultores, offensam eius timentes, & qui cupiunt per omnia placere domino deo suo, quorum uerba, facta, mores & studia in eo sunt præcipue, ut dominus deus per omnia in omnibus & ab omnibus sit benedictus. Id utinam semper fiat, Amen.

ORATIO IESV FILII SIRACH.

Alternis docuit & orauit hic author Iesus filius Sirach in hoc suo libro utilissimo & sacrosancto, à spiritu dei sancto inspiratus. Iam enim ante capite uigesimotertio dei sancto inspiratus. Iam enim ante capite uigesimotertio interruperat scribendi studium & docendi per orationem interruperat scribendi studium & docendi per orationem, ubi dixit: Domine pater et dominator uitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu & consilio illorum, &c. Deinde cap. 36. ait: Miserere nostri deus omnium &c. Quo minus dubitetur, & hæc oratio post finem libro iam positum adiecta, authoris esse, qui tertio quoq; oratione gratias domino deo agat, non tantum pro absoluto codice, sed & pro reliquis beneficijs multis & magnis, quibus prosequitur dominus cultores suos, maxime uero in crebris aduersitatibus huius mundi, quas nunium multitas sustinere coguntur filij lucis à filijs tenebrarum ab initio mundi, quando à Cain occisus est Abel: ab Aegyptijs, Syris & Babylonicis Israëlitæ: à præuaricatoribus legis sancti prophetæ: à Iudæis Christus dominus, & caput omnium sanctorum, speculum, & exemplar: ecclesia ex gentibus congregata à tyrannis & hæreticis: filios omnes ab impijs & crudelibus omnium iniustitiarum hostibus. In quorum omnium persona dicta est hæc oratio à sancto authore, cum exhortatione ad sapientiā ueritatem amandam, qua sola fideles in domino consolantur in hac uita, & diriguntur, ut non timeant aduersa quæcunq; in hoc mundo, sed ad finem usq; perseuerent in innocentia & fide, sperentq; dum propitius deus uiderit se liberandos. Interim autem contemplatione diuinæ uoluntatis insistant, quæ est uera sapientia, etiam si id sine multo labore nō fiat. Quam tamen sapientiam dominus neminu negat, sed gratis donat amicis suis, non tamen sine laboribus: unde & hortatur ad studium scientiæ inquirendi sapientiam ueram, & in ea delectas quærendi in hac uita calamitosa, ut ferri possit constantius, donec tandem eximatur à malis & fruatur bonis.

CAPVT LI.

1 Confitebor tibi domine rex, & collaudabo te deum saluatorem meum.

Agnoscunt fideles & pij suum regem omnū gubernatorem, in cuius manu sint omnia, in cuius conditione cuncta sint posita: ideo etiam si in medio aduersitatum consistant, sciunt tamen dominū deum suum agere omnia in omnibus, cui se totos committunt, et eius in omnibus celebrant iusta iudicia, quem & collaudant pro sua bonitate, qua facit sibi omnia cooperari in bonum, quem & experiuntur saluatorem, cum maxime indigent, & minus adesse uidetur. Non autem laudant uel inuocant sancti alium aliquem præter unicum dominum deum & regem, nec saluatorem experti sunt unquam ex mortuis quempiam. Sed nec legitur quispiam priorū ita uocasse sanctos mortuos, Abrahamū scilicet uel Moysen, aut Samuelem, Dauidem aut Iosiam. Sed nec in probatis historijs martyrum quisquam legitur beatam uirginem inuocasse, donec quæstuosi æditui, monachi sacrificuli sibi mendacijs prospicere incœperunt, docendo inuocationes sanctorum celebritates animas et oblationes, huiusmodi similia infinita.

Confi

2 Confitebor nomini tuo, quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione,

Tutelares Virtutes.

Valeant sanctorum illorum nomina, quæ pluris haberi cœpta sunt, & frequentius inuocari, ut Georgij, Annæ, Sebastiani & Barbaræ, quàm superexaltatum & sublum & unice celebrant, laudant ac cõfitentur super omnia gloriosum, quando quidẽ idipsum aliud non est quàm perbenedictum nomẽ domini dei omnipotentis, quod so dominus deus, qui solus adiuuat imbecilles, & protegit infestatos, in cunctis calamitatibus huius uitæ, non tantũ in anima, quam ut immortalẽ seruat, & statim post mortem collocat in consortiũ animarũ sanctarũ, sed & corpus quoq; dum expedit & in gloriã cedere potest creatoris, liberat à perditione, qui si id nolit, uel prodesse nõ uideat, aut melius aliquid pro sanctis cogitat, alioqui sine gloria propediẽ iuxta naturæ ordinẽ morituris, certe pro huiusmodi liberatiõe nemo fuerit inuocãdus sanctorũ, quod nemo id præstare uelit aut ualeat. Deus est enĩ qui facit solus mirabilia, cius uoluntati & ordini nemo sanctorũ non eõdelectatur, quo minus cõtraire cuperet.

3 à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mẽdacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor.

Non multũ sancti morantur perditionẽ corporis, qui malunt resolui & esse cum Christo, qui animarũ sancta rum contuberniũ cupiunt magis, domino annuente. Sed

Linguæ uitia.

odiunt & refugiunt uehementer linguæ iniquæ laqueũ, falsam, impiam, sacrilegamq; doctrinã & persuasionẽ, qua abducantur à fide uerborũ dei, ab Euangelio salutis credendo, & alibi quàm apud dominũ salutem & gratiam inquirendam instituit. Et à labijs horrent qui operantur mendacium, qui consulunt idolorum facturam et culturam, quæ Hebræis mendacium dicuntur, quod operantur, quanquã & labia mendosa abominabilia maximẽ sint sanctis, qui diligunt ueritatem & fidẽ. Ab huiusmodi linguis & labijs saluat solus dominus, qui & ob id unice est inuocãdus. Conspectus astantiũ, est tyrannis iudicum impiorũ, resistentiũ fidelibus, & aduersantiũ, ad mortem damnantiũ, à quibus sic dominus credentes liberat & adiuuando succurrit, ut obesse nõ possint, sed pro desse: nec uinci permittit, sed dat magnanimiter uincere & martirij gloriosam palmam reportare, cum ignominia & furore impiorũ, qui dei gratiã in sanctis cernere cogitur inuidis oculis, dẽtibusq; fremere & tabescere.

4 Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escam, de manibus querentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circũdederunt me: à pressura flammæ, quæ circundedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.

Non sunt condigna opera nostra & merita quibuscunq; beneficijs dei, qui omnia quæ sumus & habemus illi debemus: ideo liberationẽ ab angustijs misericordiæ tantum diuinæ reddit acceptam, et eidẽ plurimum abundanti & multæ, quando iam hostes auidi sanguinis pio-

rum, hiantibus rictibus, rugientibus uocibus præparati stabant ad escam deglutiendam. Sicut & eorũ dominus & magister diabolus circuit quærens quos deuoret fideles, & animã quærat rapiendam sibi per suos ministros satellites. Portæ tribulationũ, ingressus sunt & euentus angustiarum, quæ iudicio dei & hominum malignitate circundant & inuoluunt fideles, quorũ non pauci flammis exusti leguntur, quorum non nullos dominus liberauit, ut ostenderet alios quoq; se posse eruere ab ignibus, nisi meliorẽ ipsis sortẽ adsignasset. Sufficit sanctis abunde dominũ deum semel Danielis tres socios liberasse de fornace ignis tã horribiliter ardentis, ut sciant se quoq; liberari posse à domino, si prosit & uelit: sin minus uelit, sciunt tamen dominum de se meliora decreuisse.

5 De altitudine uentris inferi, & à lingua coinquinata, & à uerbo mendacij, à rege iniquo, à lingua iniusta.

Quod uni Ionæ factum legitur, ut de uentre ceti post triduũ erueretur, id sancti alijs quoq; omnibus fieri posse credunt, & pro immensa bonitate sua uelle sciunt, si uel illius gloriæ uel animarum saluti aut ecclesiæ profectui conducere nosçat: si id nõ uult, inde non tristantur, toti resignati illius uoluntati, cui se submittunt, cuius sunt uiui & mortui. Quanquã & uẽter inferi intelligi potest, id quod Paulus dicit: Nocte & die in maris profundo fui, ter naufragium pertuli, & similia. Linguã coinquinatam intelligit mendacia & blasphemias, accusationes et detractiones, siue etiam hæreticas & perfidas persuasiones ad impietatem sectandã. Verbũ mendacij, detractiones noxias & exitiales, ut Susannæ contigit à duobus presbyteris iniquis apud Danielem. A rege iniquo Antiocho, Sennacherib, Nabuchodonosor, Saule, et ecclesiæ persecutoribus Romanis Cæsaribus, qui sanctos sunt ad mortem usq; persecuti, & miraculose sæpius liberati. Nec non & à lingua quacunq; iniusta liberat dominus in se fidentes, qualia nõ minora reperirẽtur in gestis martyrum, si bona fide fuissent adnotata, ut de multis præsumitur, ab his qui non sequuti uidentur quæstum & superstitiones: unde & uehementer cuperem sanctorum triumphos celebres conscribi fideliter, insignẽ constantiam & causas martyriorum, quorum etiam nostris temporibus non pauca exempla uidimus, quæ obliterari non debent, etiamsi nõ nunquã ignorantia ueritatis & zelus intempestiuus eorũ qui persecutiones pasi sunt in culpa fuisse concedatur, nõ tamen piorũ est propter hoc constantia, & in ipsis dei uirtus & gloria negligenda.

Gesta egregiamartyrũ

6 Laudabit usq; ad mortem anima mea dominum & uita mea appropinquans erat in inferno deorsum.

Quanquam cernerem uitam meam corpoream iam inferno, hoc est, sepulchro imminentem, & ad portas inferi inclinantem, non tamen dẽ domini benignitate desperaui, sciens posse quidẽ corpus occidi à tyranno, non autem animam, quæ usq; dum uiuat, & ad mortem ducatur, laudabit uitæ mortisq; dominum, ut dicat cum Psalmista: Benedicam dominũ in omni tempore, psallam deo meo quàm diu fuero. Huiusmodi exemplis claruerũt san-

cti martyres ueteris & noui testamenti, prophetæ, apostoli, episcopi, & martyres, qui in ipsis quoq; mortis ignis & aquarum articulis, dominum glorificarunt, ut de Machabæis, Zacharia, Stephano, Agnete, Lucia, Cecilia, & similibus cũ fructu multo legenda prodita sunt à sanctis non spernenda.

7 Circundederunt me undiq;, & nõ erat qui adiuuaret.

8 Respiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat.

Quoties Dauidem, Iosephum, Ieremiam, Michæam, Danielem, apostolos, martyres nostros, acerrimi et atroces hostes undiq; circundederunt, ut nullũ subsidium humanum speraretur, maximæ instarent miseriæ & angustiæ, nemo tamen esset succurrens, nullum pateret suffugium, ut etiam Christus dominus in cruce se relictum patri quereretur. Homines tunc quidem longe aberant auxiliatores, sed dominus propior nõ dimittebat suos, quos etiamsi pateretur iuxta carnẽ occidi, spiritus tamen consolatione replebat, ut diceret Laurentius sanctus Detio tyranno dum craticulæ superpositus ureretur: Assatum est iam, uersa & mãduca. Nam facultates ecclesiæ quas requiris in cœlestes thesauros manus pauperum deportauerunt. Similia de sancta Agnete, et reliquis. In medio enim flammarum orabat: Te deprecor adorande, colende, quia per sanctum filium tuum minas euasi sacrilegi tyranni, & carnis spurcitias immaculato calle transiui, et ecce uenio ad te, quem amaui, quem quæsiui, in quem credidi, quem semper optaui. Horum exempla prouocare possent, si legitime proponerentur, & non cultui prostarent sancti, sed doctrinæ, quos non legimus diuã uirginem Mariam, uel quemcũq; apostolorum, sed Christũ dominũ inuocasse. Nullũ enim experiebantur adiutoriũ hominum, nec uiuorũ nec mortuorũ, sed diuini spiritus afflatũ, & solatiũ conscientiæ deo plenæ, & fidei in dominum per Christum, cuius solius amore hæc magnanimiter perferebant.

D. Lauren.

D. Agnes.

9 Memoratus sum misericordiæ tuæ domine, & cooperationis tuæ quæ à sæculo sunt: quoniã eruis sustinentes te domine, & liberas eos de manibus gentium.

Facile sancti poterant in angustijs cõsolari, memores miserationum dei assidue ad fideles suos, quibus uel sustinentiam lætam impartitur, & fortitudinis spiritum, ut alacriter pro ueritate & pietate uitam prodigãt, quam sunt alioqui naturali necessitate propediẽ amissuri, uel mirabiliter succurrant in casu gloriæ diuinæ, quam sancti tantum intendunt, & non sine conditione ista exoptant. Sic ergo & multis alijs uijs dominus cooperatur sanctis omni tempore, ut sacræ docent scripturæ de Abraham, Ioseph, Dauide, & Ieremia, similibusq; multis. Eruit enim sustinentes magnanimiter auxilium uel bonitatem dei, & liberat de manu impiorum, qui domini dei gloriam & ueritatem credunt & inuocant, de manu infidelium & deum nullum uel multos colentium: quales erant temporibus authoris huius omnes ferè gentes, præter Israelitas quosdam, non omnes.

10 Exaltasti super terram habitationẽ meam, & pro morte defluẽte deprecatus sum.

Gratia dei sic sanctos erudit & confortat, ut etiam in corpore mortis huius, & super terram collocati, spiritu dei uegetentur, & angelos uiuant, thesaurum suum collocarint in cœlo, ubi nec tinea arrodit nec fur furatur. Terrena despiciunt, cœlestia ambiunt, non sapiunt nisi quæ supra sunt, omnia sua studia ordinant ad cœlestia consequenda. Hoc est super terram exaltasse habitationem suam, quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram, unde & homines dei orant pro morte, non ut tardet, sed ut festinet, & liberentur de corpore mortis huius, ut cito transeat et defluat, nõ moretur: sic enim iustus credit, agit, & sperat, ut de diuina bonitate per Christum mediatorem præsumere audeat, & per ipsius Christi se saluandum non dubitet, ideoq; de mortis quidem horrore iuxta carnem paueat, fiducia autem meritorum Christi, qui pro peccato mundi moriturus crederetur, & nunc mortuus scitur, de felicitatis dono per dei gratiam, audeat in domino fortiter tunc sperare.

11 Inuocaui dominũ patrẽ domini mei ut nõ derelinquat me in die tribulatiõis meæ, & in tempore superborum sine adiutorio.

Omnes quotquot pro pietate et fide passi sunt sancti utriusq; testamenti, non alium unquam inuocauerunt auxiliatorem, nisi dominum deum patrum suorum, qui simul quoq; pater est domini nostri Iesu Christi, in quem omnes sancti credentes iustificati sunt & saluati. Vetere res quidem in fide Christi & Messiæ uẽturi, qui promissus erat patribus et prophetis, firmiter creditus saluator mundi, & benedictio omnium gentium, semen benedictum, quod caput serpentis contriturum erat, hoc ipsum peccatum mundi expiaturum, quod per primum hominem intrauit in mundum. Noui autem testamenti fideles saluantur omnes in fide Christi iam præteriti & præsentis in spiritu & fide, qui exhibitus est nobis iustitia, pax & sanctitas, in cuius solius nomine pater omnipotẽs est inuocandus & adorandus, in cuius nomine quicquid petierimus, à patre recipiemus. Vnde & sanctus quicunq; pro ueritate passus fideliter credit nõ se derelinquendum in die tribulationis, & in insania improborum, sanctos infestantium, uel etiam dæmonum sanctos diuina permissione tentantium. Satis luculentũ hic testimonium ecclesiasticis est, diuinitatis Christi, quem & Dauid pater secundum humanitatem Christi nominauit dominũ suum, ad quem diceret dominus deus pater: Sede ad dexteram meam. Cuius enim alioqui domini sui patrem inuocaret sanctus, nisi eius qui secundum diuinitatem æqualis est patri deus & dominus, secundum humanitatem minor patre, sed tamen dominus noster, & idẽ deus humanatus, Christus filius Dauid, deus et homo. Is dominus deus & pater domini nostri Iesu Christi, nõ derelinquit sanctos, ipsum per Christum inuocantes sine adiutorio, in tempore superborum, dum insaniunt & perdere moliuntur.

12 Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea,

sanctis

Sancti omnes assidue dominum laudant, in omnibus cogitationibus, uerbis & factis suis, ex corde gratias agentes de omni eo quod uel bonum agunt, quod illi soli adscribunt, qui opera sua agit in sanctis, qui templum sunt spiritus sancti, uel malum patiuntur, quod sine dei bona circa se uoluntate fieri sciunt non posse, cui se per omnia sponte humiliterq; submittunt. Hoc est laudare dominum, & collaudare illum in cõfessione suæ bonitatis, gratiæ & gloriæ, cum agnitione propriæ defectibilitatis, id quod frustra, habitu tantum religiosi, exponi cupiunt de horis suis canonicis, quasi id sit laudare dominum & exaudiri, quando non omnis qui ei dicit, Domine domine, intrat in regnum dei, sed qui facit uoluntatem patris cœlestis, qui non aliter orat quàm Christus dei filius deum orare summatim docuit, & insuper humiliter se peccatorem agnouerit, orauerit indulgentiam, & emendationis gratiam, huiusmodi piorum oratio exauditur.

13 Et liberasti me de perditione, & eruisti me de tempore iniquo.

Quãd orauerit, et in quo exauditus fuerit, paucis exprimit, ut de perditione non tam corporis, quod perdi non potest eatenus ut in nihilum redigatur, olim resurrecturũ ad gloriam uel iustitiam, quàm animæ ipsius, quã cupit domino deo suo saluam & gratam, ne offendat, iudicio domini condemnetur, & sit in ipsam maledictio Christi, qualis in Iudam, Melius fuisset illi si nõ fuisset natus. Et ut de iniquo tempore eruatur, non quod iniquum sit tempus, sed in tempore homines præter morem solitũ deprauati. Semper quidem mundus ponitur in maligno, sed aliquãdo impij licẽtius debacchantur in pios, & pro improbitate tyrãnicorum prælatorũ & principum pauperes et innocentes aliquando durius opprimuntur, qui dum suffugium aliud non inueniunt, ad dominum clamare coguntur, quorum humilis & anxia deprecatio nubes penetrat, & tyrannos occidit.

Mundus in maligno positus.

14 Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini domini.

Confiteri domino.

Confiteri domino, est ipsius clementiã & beneficia agnoscere, et imperfectum nostrum fateri. Laudem dicere, explicat quid sit confiteri. Sic benedicere nomen domini, est in omibus rebus & actibus prouidentiam dei admirari, & gratam amplecti, ut Iob dicebat: Si bona recepimus de manu domini, mala quare non sustineamus? Sit nomen domini benedictũ. Hactenus dominũ sapiens collaudauit nomine suo & omnium sanctorum, quia omnes pie in Christo uolentes uiuere, persecutiones patiuntur. Quando & uerisimile est non hunc Iesum filiũ Sirach immunem fuisse à sorte iustorum, & Christi, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. Verum in omnium sanctorũ persona hæc orasse credi potest. Nunc uero consequenter hortatur iterum, ut aliàs sæpe ad ueram sapientiam.

15 Cum adhuc iunior essem, prius quàm oberrarem, quæsiui sapientiam palàm in oratione mea.

Statim à mea iuuentute nõ tantũ bene institutus sum à parentibus meis, in uera sapientia cõquirenda, cũ ætas sequatior esset et innocẽtior cõuersatio, sed & meopte ingenio instigatus sum ad studia pietatis, idq; antequam per ætatis lasciuiã corrũperetur affectio, dum nondum odor iniquitatis imbuisset cordis uasculũ: tẽpestiue enim sapere cœpi quæ dei sunt, hoc est, quærere sapientiam, quæ palàm docetur in ecclesia, intellectũ uerborum dei, timorẽ & fidem in dominũ. Id uero maxime studui orationibus assiduis ad deũ, qui dat sapientiã inuocantibus eam, nõ interim etiã studia lectionis sacræ intermittens: quandoquidẽ inuenitur quoq; ab his qui quærunt eam, præoccupat eos qui se concupiscunt, priusq; se ostendit illis, qui ante lucẽ uigilauerint ad illã, et assidentibus foribus eius se patitur inueniri. Hic uero orationibus monet sapientiã obtineri, Iacobo dicente Apostolo: Si quis indiget sapientia, postulet à deo. Vbi discimus in pueritia discere pietatem, et orationibus æque uel magis quã lectionibus.

Institutio iuuentutis.

16 Ante templum postulabam pro illa, & usq; in nouissimis inquiram eam, & florebit tanquam præcox uua.

Nostra quidẽ exemplaria habent Ante tempus, Græca legunt Ante templum, nescio tamen utra lectio germanior sit. Cũ enim Hierosolymitanus fuerit, illic educatus, rationabile uisum est Græcis, Iesum hunc puerulum quotidie ante templũ orasse sapientiã. Nostri fortassis antiquarij tempus fecerunt ex templo, quanquã pro literæ circũstantia & cohærentia sensus, tempus legi rationabiliter possit, ut sit sensus: Statim & adhuc iuuenis pro sapientia dominũ exorabã, nec cessabo interim & posthac pro eadẽ semper orare, etiã in senectute & diebus nouissimis uitæ & senij mei, ideoq; floruit cito mecũ sapientia nõ aliter quàm uua præcox & ante tempus matura. Longe enim felicius floret sapientia implorata orationibus quàm lectionibus assequuta: fructus præcoquos profert dei gratia, magis q̃ naturalis quæcũq; industria.

17 Lętatum est cor meum in ea, ambulauit pes meus iter rectum, à iuuentute mea inuestigabam eam.

Gaudium conscientiæ puræ.

Gaudiũ syncerius non est in mundo quàm pura conscientia hominis, secundũ deum sapientis. Talis nõ errat culpabiliter, non enim data opera, sed ex naturæ tantum fragilitate peccat, et citius resipiscit, quia uerbo domini cõmonetur cui credit, quod diligit, & à quo pendet, intelligit remedij modũ, nouit quomodo fauor dñi recuperandus. Septies in die iustus cadit, qui quinquies resurrexit, & iacere nõ sustinet, sed ilico resipiscit. Qui uero eam uel sapientiã animi uel morũ rectitudinem cõsequi cupit, necesse est à iuuẽtute statim initietur in sacris, tũ disciplinis tum moribus. Inuestiganda est uera pietas nõ aliunde quàm à uerbo domini & oratione fideli.

18 Inclinaui modice aurẽ meã, & excepi illã

Persuadere uult facilitatem assequendi ueram à deo sapientiam, si scilicet deuote & attente cum fide audiatur uerbum domini, si audiatur quid in homine loquatur uerbũ domini, si sabbathum corde permittatur, ut in eo dominus opus suum libere operetur, qui nec cogere uoluntatem uult hominis, nec in corde studia pati cõparia,

ſolus uult audiri, amari, cogitari, delicias ſuas ducit habitare cũ filijs hominũ, bonitatẽ & ſapientiã ſuam oſtendere in animabus fideliũ. Statim accipitur unctio domini, ſi uacua uaſa inuenerit, excipitur ſtatim à fide, quod domini gratia largiri dignatur. Sine fide autem otioſa ſunt omnia dona dei, uel prorſus nulla.

19 Multam inueni in meipſo ſapientiam, & multum profeci in ea.

Nõ humano ſtudio acquiritur uera ſapientia, ſed ex auditu uerborũ dei obedientia quoq; uoluntatis copioſe infunditur, & quaſi ſine labore humano inuenitur. Si apud ſemetipſam permaneat mens humana, & non per creaturas curioſius peruagetur, ſed attendat eum qui ſe ipſo omnia operatur & mouit, in quo uiuit & ſentit, ut eum ſolũ attendat, & quid in ſe loquatur & præcipiat diligenter audiat: is uere ſapiens erit, in eo, qui diffunditur per cor humanũ amore ſyncero, rerum uere ſanctarum qui charitas eſt, quæ per ſpiritũ dei diffunditur per corda fidelium. Ex ea ſapientia multum proficitur, & ad ſpiritualia exercitia animus fidelis mirum immodum præparatur. Sapientia autem quæ de terra eſt, quæ ex creaturis inquiritur humano ſpiritu, curioſitas eſt, & animalem reddit, ut quæ dei ſunt percipere non poſsit, niſi regeneretur per humilitatẽ cordis, & diſcat omnia nihil eſſe ſine intelligentia et ſenſu uerbi dei & locutionis mentalis, qua ſpiritus dei reuelat et docet non niſi utilia, curioſa & uana abominatur. Sine hac dei ſapientia quæ habet mentis modeſtiam adiunctam, quicquid diſcitur non eſt profectus ſed defectus, ſtultũ reddit hominẽ, & ſui prorſus ignarum, ut uideri uelit quod non eſt, & habere à ſe quod accepit ab alio, ut minime gloriari præſumat. Qui igitur proficere multum cupit, is dei ſapientiam fide, oratione, humilitate, & ſui conſideratione aſſequatur, & in ſeipſo non confidat, nec ſibi placeat, nec ea tantum ratione bona agat ut alijs placere uelit.

Sapientia uera & ſophiſtica.

20 Danti mihi ſapientiam, dabo gloriam.

In perſona domini hoc dici uidetur, uel increatæ ſapientiæ, ut uideatur hic eße ſenſus: Qui nihil aliud ſapere ſe putat, quàm quod per me, & in uerbo & gratia mea ſapit, & quicquid in ſe gratiarũ & eruditionis conſyderat totum mihi refert acceptum, ut ſibijpſi nihil placeat, ſed ſolum cogitet de eo quod in ipſo uult dominus. Is quanto minus in ſe & mundo gloriam quærit & ambit, tanto re uera ampliorẽ coram deo & ſanctis in mundo gloriam obtinebit. Sed id non hypocritice tentetur, ſed re uera ex animo & charitate non ficta. Quanto minus ambitur gloria mundana de donis dei, tanto magis coram deo & angelis cœleſtis gloria obtinetur, quæ durat in æternũ. Is uere ſapiens habebitur, qui nihil ſe ſapere ſentit, quàm quod in ipſo loquitur uerbum dei, quod eſt ipſa ſapientia patris, ut Paulus dicebat, de eo quod nihil ſe ſcire arbitrabatur, quàm Chriſtum & hunc crucifixum, hoc eſt, nihil impenſius deſyderabat inculcari fidelibus, quàm ſapientiam dei, quæ ſtultitia eſſet mundo.

Gloria uera.

21 Conſiliatus ſum enim ut facerem illam: zelatus ſum bonum, & non confundar.

Is tandem ex collata deſuper ſapientia digne honora tur coram deo & ſanctis, qui ad hoc ſapientiam inquirere ſiuit & aſſequi ſtuduit, multoq; collato cõſilio optauit, non alia ratione, quàm ut ipſam faceret, hoc eſt, ut ſecundum illam ordinaret uitam, conſcientiam & opera ſuas, ut in domini agnita uoluntate conuerſetur, nihil ardẽtius cupiens, quàm ut deo ſuo probetur per omnia, id ſi minus ualeat obtinere, gratiam & indulgentiam humiliter precetur, & quotidie ſeipſo euadat melior, tantoq; contendat procedere diligentius, quanto ſe magis carnis & affectuũ pondere impediri ſentiet. Talis enim ſi quod annititur ſedulo apprehendere & ad anteriora proficiſsi ſe uiderit, ſemper ex hoc feruentior erit ad omne bonum proſequendum, & de profectu per dei gratiam, ſe non negantem, minime confundetur.

22 Colluctata eſt anima mea in illa, & in faciendo eam confirmatus ſum.

Multa ſolicitudine eam quæſiui, & non ſine colluctatione animæ meæ, & dubio mentis, cui iuxta carnẽ ſentiebant, per alia placebant, ſæcularia ſtudia, opiniones philoſophorum, & iuxta mundum ſapientium, non ſtatim mihi uerbi dei infallibilis ueritas cernebatur, ſuſpicio nõ ſo licitabat, quaſi hominum traditiones et cõmenta eſſent, imò minus mihi quàm ſæcularis ſapientia placere à principio potuit, alijs me cogitationibus exercebam, agebant mihi iniqui fabulationes, non ut lex tua. Sic colluctata eſt anima mea, cũ ſenſu carnis de ſapientia dei, quã difficile & nimis tarde conſequi fide & amore potui. Quæ tamen uniuerſa cunctatio euanuit tunc primum, quando eam facere cœpi, cum ſecundum uerbum domini uiuere, religioſe conuerſari, fidei uirtutẽ à domino ſpiritu conſecutus ſum, per quã ſuo dono ſum confirmatus. Niſi enim fides & ex fide opera arripianetur domino adiuuante, non perfecte poterit dei in homine ſapientia incohoari, intelligi, capi uel confirmari. Initium enim ueræ ſapientiæ eſt timor domini, ambulare in mandatis domini, & de uoluntate dei luculenter intellecta & amata delectari contra ſenſum carnis & ſanguinis.

23 Manus meas extendi in altum, & in ſapientia eius luxit anima mea, & ignorantias meas illuminauit.

Colluctationem autem huiuſcemodi ſuſtinens ex carnis prudentia, quæ ſpiritui aduerſatur, non eam finiet lectione, diſputatione, argutationibus & ſtudijs literarijs, magis quàm deuota oratione ad deum, qui dat hominiſapientiam, unde & manus meas deuotiſsime perſeueranter et ardenter leuaui in oratione ad dominum, qui ſpiritu ſancto dato, oſtendit ſtatim mihi ſimplicitatem uerbi ſui, iuſtitiæ diuinæ rectitudinem, gratiam & ſalutem, bonum & uerũ, quorum omnium lux, amor, ſubindeq; infallibilis ueritas, oſtenſa eſt mihi & illuxit animæ meæ, quam & de uniuerſis uijs & mandatis reddit certiſſimam, & optime confirmatam, ſic ut iam etiam alijs lucere, pios quoſq; inſtruere poſſet, & in eccleſia proficere, rationem reddere de ea quam aſſecuta iam erat ſapientia. Ita ut quãto magis alios erudire ſtudui, tãto quoq; magis ipſam ueri dei ſapientiam aſſequebar. Docendo enim didici quotidie, unumq; cognoui ex altero, dominũ ſpiritũ

spiritu reuelante, & gratiam donante fideliter satagen di in uia domini, unde euadere me contigit omnes pristi nas ignorantias, in quibus ab initio colluctari & subdu bitare cogebar, ut posthac de qualicunq; hac sapientia dei in me nihil superbiam, sciens donũ dei, ad eius solius gloriam, ad animæ meæ salutem, & multorum aliorum
24 profectum, oranti sine meritis proprijs mihi datum.

Animam meã direxi ad illam, & in agni tione inueni eam.

His igitur modis animã meam dirigens ad sapietiam, orationis studio, & operibus agnita statim exercendo, particulatim subinde acquisitam & datam amando & appretiando, huius mundi sapientiæ & carnis pruden tiæ præferendo, contigit me eam ad omnẽ sufficientiam inuenire spiritu ducente & reuelante, ut eam agnosce rem, & certus essem, uere eam esse sapientiam, quæ sit desursum adueniens ac cœlestis, non terrena, animalis, carnalis aut uana, quæ inflet, sed sit pacifica, non tumul tuosa cum ignorantibus eam, sed pro eis orans ad domi num, modesta, sine ira disceptationis matre, suasibilis, fa cile intelligenda, & capabilis pijs & humiliter sentien tibus de seipsis, bonis consentiens, nihil prorsus contra fi dem et charitatem docens, contraria autem fastui, quæ stui & luxui, plena misericordia, ad omne opus bonum instruens, quando quidẽ scopum alium non habeat quàm charitatem, ut deo ardenter adhæreatur, proximus dili gatur et lex tota impleatur, fructibusq; bonis insigniter clarificanda, qui perpetui sint, immortales, permanen tes in uitam æternam.

Sapientia uera.

25 Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar.

Statim ut ueræ illi sapientiæ studui incumbere, fructũ eius sensi, cordis mei confirmationem & soliditatem, ut certò & sine cunctatione sciam quid uere bonum sit, & quid in me deo placeat, quid à me exigat, quæ sit cer ta uia perueniendi ad uitam æternam. Hoc est enim posi dere cor, nõ dubitare de scientia dei & moribus sanctis, fide uerbi dei fulcitum esse, & de diuinis eloquijs nihil hæsitare, non fluctuare per uarios errores, & dubias tra ditiones prudentiæ humanæ. Hac igitur fretus cordis fir missima fide, fieri non potest ut confundar in consien tia coram deo & hominibus pijs, nec derelinquar à do mino, ipse enim diligentes se diligit, & sapientia uera sui legitime studiosos nõ relinquit, sed in necessitate con
26 solatur, dirigit atq; saluat.

Venter meus conturbatus est quæren do illam: propterea bonam possidebo pos sessionem.

Multis internis perturbationibus, laboribus, & cogi tationibus quæritur sapientia à multis, nec ab omnibus inuenitur, sed à domino deo datur, orationibus impetra tur, fide seruatur, operibus comprobatur, & perseue rantia confirmatur, tandem autem beata possessione bea tificat, & quietam reddit animam. Hoc uero additur, ne somnolenti putentur & pigri sapientiam assequi, labo ribus obtinetur, desiderijs, orationibus, lectione, audi tione, humilitate & studio, præuia semper fide, & disci plina corporis, abdicatione uoluptatum & libidinum, ieiunijs & uigilijs, carnis comprimendo desideria, quod est uentrem conturbari. Quæ autẽ sacratior homini pos sessio contingere potest, quàm timor dei, sapientia uera, consolatio conscientiæ ex uerbo dei, securitas promisso rum dei, & spes uitæ æternæ?

27 Dedit enim mihi dominus linguã mer cedem meam, & in ipsa laudabo eum.

Linguam habere, qua mentis sententiam & intelle cta, creditaq; & uolita proloqui pius possit, quid gra tius homini cõtingere potest? Hoc uero donũ, merces di ci intelligitur Habraico more, quo omne liberale donum dei ad hoĩes, retributio quoq; dicitur. Retribue, ait, ser uo tuo, hoc est liberaliter dona: sic homini contigisse eru ditã linguam, qua dominum deum suum laudare possit, & exprimere ueritatem quam intelligit, liberale donũ est. Nullorum bonorum operum nostrorum merces pro prie dicitur sed improprie, quandoquidem sancti nihil deo reddere magis cupiunt, sicut nec possunt, quàm do minum laudare pro omnibus quæ retribuit. Id autem lin gua quidem fieri potest, sed sine fructu, nisi cor & mens deuota consentiat, et syncera fides. Ad hoc solum sancti uiuere cupiunt, ut dominum fide, uerbo & opere lauda re possint, ut per ipsos aliqua saltem uia sanctificari con tingat nomen dei. Et sanctorum quoq; in patria merces est promissa à domino, ut in sæcula sæculorum laudaturi sint dominum perfecte cognitum & amatum.

Lingua e- rudita.

Merces.

28 Appropiate ad me indocti, & congrega te uos in domum disciplinæ: quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? animæ ue stræ sitiunt uehementer.

Hortatur sapientia ad sui amorem & studium libera liter sine mercede, homines studiosos pietatis, etiã si sint indocti res quascunq; seculares. Longe enim expeditio res ueniunt ad studium pietatis homines recti, simplices, & non imbuti philosophicis & poeticis opinionibus, humiles et modesti, quàm sæculariter eruditi, & sibi pla centes ac huius mundi prudentiam promittentes. Vos inquit sapiens & sapientia, qui indocti estis proprio sen su, & nihil sapientes iuxta carnem, mutuum exhortate, & sapientiam ueram inquirite, intra ecclesiæ catholicæ septa, quæ domus est religiosæ disciplinæ. Nihil hic uo bis tardandum est, nullus impediet, nemo mercedem ar genti uel auri exiget: cur differtis? cum sit in mora dam num atq; periculum, ut qui hodie paratus non est, cras imparatior erit. Nõ est quod contra loquamini, quod ex aduerso dicatis, nulla uobis excusationis ratio relinqui tur. Cogit potius necessitas proficiendi in scientia pieta tis, quàm anima uestra, si uel tantillum sapit, uehemẽter desiderare debet. Omnes enim homines scire desiderãt, pij autem & electi desiderant nihil ardentius, quàm ti morem dei & sapientian salutarem, quæ in hoc libro do cetur clarissime & fusissime, exhortationibus, orationi bus, exemplis & doctrinis.

29 Aperui os meum, & locutus sum:

Quantum certe ad me attinet, obmisi nihil studij & laborum, quo minus saluberrimas doctrinas afferrem, et

in hunc codicem collectas ordinarem: quæ domini spiritus suggessit ea locutus sum, qui inutilia docere non potest. Locutus sum quidem, uestrum est audire, legere, attendere, uelle & operari uirtutes, & sapientiam ostendere factis ne frustra audieritis, & domini uoluntatem scientes et non implentes, uapuletis, & omni excusatione exuti propria olim conscientia condemnemini.

30 Parate uobis sine argento, & collum uestrum subijcite iugo, & suscipiat anima uestra disciplinam: in proximo est enim inuenire eam.

Cum non sint Hebræis compositiones, nõ inepte hic scripsit parate pro comparate uobis, nempe sapientiam ueram et utilem diuinitus oblatam, idq; sine appretiatione argenti, fide & pietate, humilitate & oratione potius opus est, & lectione studiosa huius libri, utq; iugo mandatorum dei & doctrinæ salutaris & disciplinæ ecclesiasticæ subdatis humeros uestros, non solum semper discendo, sed ad ueritatem sanctæ operationis perueniendo ut suscipiat anima uestra disciplinam descriptam hoc libro, tanta fide, claritate & affluentia, ut sine omni difficultate eam consequi ualeatis, prope est enim spiritus domini amantibus disciplinam, & obsequentibus mandatis dei. Infelices autem sunt qui sapientiam & disciplinam abijciunt, Sapientiæ 3. Facileq; uidetur ab his qui diligunt illam, & inuenitur ab his qui quærunt illã, præoccupat eos qui se concupiscunt, Sapientiæ 6.

31 Videte oculis uestris, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.

Idiotismus Hebraicus est. Diligentißime aspicite & considerate studia mea, ut multam sapientiam conscribere dederit spiritus sapientiæ & intellectus, quæ propijs meis uiribus cogitare, inuenire & scribere minime potuissem. Multam inueni requiem conscientiæ meæ, ne per sæculares disciplinas & philosophicas opiniones inquirendo humanam sapientiam uagarem laborioſe, & in fine discerem me nihil scire. Hic uero modico labore meo, sed affluentia donorum spiritus, sic operam ueræ sapientiæ dedi, ut multam quietem fuerim assequutus, quæ me potens sit consolari in aduersitatibus & laboribus huius mundi.

32 Assumite disciplinam in multo numero argenti, & copiosum aurũ possidete in ea.

Si disciplinam huius libri & exhortationes saluberrimas assumpseritis, proderit uobis magis quàm si multum argenti corraderetis, & auri plurimũ sitis possessuri, unde & parum sit uobis pro eius acquisitione, amore uel possessione uilipendere & exponere, quicquid diuitiarum corporalium possidetis, unde & eius quidam possessor dicebat: Præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse dixi comparatione illius, tanquam lutum existimaui argentum in conspectu illius. Quid enim hæc cuncta ualerent sine sapientia? facile amittũtur & pereunt. Sapientia autem saluat possessorem, & reddit conspicuum ac felicem in sæculo præsenti & futuro.

33 Lætetur anima uestra in misericordia eius, & non confundemini in laude ipsius.

Misericordia Hebræis beneficentia est, ut sic facilis sit sensus ad literam: Dum sapientiæ ueræ sacros & multiplices fructus fueritis assecuti, lætabitur anima uestra. Teste enim Apostolo, Plena est misericordia, dicat enim omnibus benefaciendum, & lucem directionis diffundã super omnes. Per sapientiam enim sanati sunt omnes qui tibi domine placuerunt. Ne pœniteat uos studioriũ eius, quin authori illius domino laudes dicite, & gratias agite, quando & ipsa quoq; faciet uos laudari à domino, saluariq; à iudice summo: qui uero ingratus est, confundetur.

34 Operamini opus uestrum ante tempus, & dabit uobis mercedem uestram in tempore suo.

Quicquid uobis ô homines dominus operandum iunxit in hac uita, quam ipse donauit, & propediem auferet, hoc instanter agite: hoc est autem opus uestrum, ut credatis in dominum, & in eum quem misit Christum dominũ, utq; proximis faciatis quicquid uicißim uobis fieri uultis. Est enim charitas huiusmodi, finis legis & adimpletio. Id autem agite ante tempus, scilicet mortis uel iudicij, secundum id quod Ecclesiastes 9. dicitur: Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio, nec sapientia nec scientia erit apud inferos quò tu properas. Et dabit uobis mercedem uestram, quam promisit perpetuam felicitatem, per dei clementiam, non uirtute operis, ut præmium actionis, sed ex dei munificentia & promißis, unde & indigna opera nostra tanquam digna suscipit, & quod infirmum & fragile est, bonitate sua supplet & boni consulit, & meritum uocare nõ dedignatur, cum nihil minus sit. Quandoquidem omne quod bonum possumus, domino nostro obligamur, & multo deniq; plura, ut rationem meritidi congruo uel condigno proprie non habeam, sed gratia pro gratia magis debeat nominari, quia non nisi sua opera dominus coronat in nobis: uere tamen merita dicuntur, quia debetur illis ex promißione dei, quam minime retractabit, pretium felicitatis æternæ. Suscipit enim ea tanquam digna, quæ & eoipso digna sunt, quis sic digna uult & amplectitur dominus, utcunq; à nobis nihil uere & perfecte sanctum agatur. In tempore suo, ait, dabit, decreto à domino, dum cuncta quæ nunc fiunt & facta sunt adducet dominus ad iudicium, proq; omni errato pœna rependetur, & iustificatio exigetur, quã prorsus electis Christus persoluet, cum quo sancti omnes regnabunt in omnia sæcula sæculorum, Amen.

FINIS.

COMMENTARIVM IN BARVCH PROPHETAM.



ON absq; ratione liber Baruch in Canonem sacrũ ante Christi Domini aduentum à Iudæis non est receptus, quanq; Græce uel Syriace eo tẽpore habitus sit, sicut libri Tobiæ et Iudith cum reliquis. Continet enim ab initio quædam, quæ curiosioribus inquisitoribus scripturæ minus quadrare uidentur, simplicibus autem et ueritatem fructumq; magis quàm dictionem inquirentibus & amplectentibus, nihil à scripturis dissonum continere conuincitur. Quia autem nihil præter prophetarum aliorum sententias docet, ut collectaneum aliquod ex lege & prophetis uideri possit, & utilis lectionis, & sacræ, sacrosanctis canonicis per omnia in dogmatibus concordans, ideo ab ecclesiasticis patribus ab Apostolorum temporibus, & in Niceno concilio, legi in ecclesia ipsum constitutum est, cum reliquis hagiographis. Ex quo libello, non est confusus diuus Augustinus, & cæteri catholicæ ecclesiæ doctores, dogmatum suorum rationes & authoritatem desumere: quæ ui non ualeant contra Iudæos pertinaces, cõtra quos etiam sine fructu canonicos producimus libros, non tamen eum libellum contemnere possunt, agnoscentes stilum propheticum, non abhorrentem ab Ieremiæ et Baruch dictione, gentiumq; stultitiam cum suis sculptilibus pulchre uidentes traduci, unius dei cultum & unius diuinæ legis sapientiam commendantem.

Libelli utilitas.

CAPVT PRIMVM.

1 HÆc uerba libri quę scripsit Baruch, filius Neriæ, filij Maasiæ, filij Sedechię, filij Sedei, filij Helcię in Babylõia, in anno quinto, in septimo die mẽsis, in tẽpore quo ceperũt Chaldęi Ierusalem, & succenderũt eã igni: Coniunctione utitur more aliorum quorundam Historicorum librorum, uolens annexũ hunc libellum cæteris scriptis & prophetijs Ieremiæ prophetæ, cuius iste Baruch amanuensis erat, ab anno quarto regis Iudæ Ioachim, qui filius Iosiæ, fratri Ioachas successerat. Tunc enim scriba esse cœpit sancti prophetæ, & indiuiduus minister illius, non raro uicem tenens, similiter cum & pro magistro, ad populi salutem & dei gloriam periclitari apud ingratos & impios reges & principes non grauatim sustinuit, qui & à Iohannan filio Kareæ post urbem & templum euersa, occisoq; Godolia, cum Ieremia peraductus est in Aegyptum. Vbi aliquandiu graues perpessi pariter contumelias, à Iudæis rebellibus, reginæ cœli malentibus seruire quàm legi dei et obaudire prophetis, cũ Ieremias improbos reprehendendi finem nõ faceret, etiã in Aegypto occisus est quidem Ieremias ut Iudæi quoque confitentur. Baruch uero uerbo domini & magistro Ieremiæ credens, clare cernens impendere tam Iudæis illis quàm toti regno Aegypti graue exterminium, relicta ea uerbo domini obsequens & magistro, in Babylonẽ peruenit ad fratres cõcaptiuos, sponte se subijciẽs exilio Babylonico, quod à magistro didicerat post aliquantũ temporis finiendum, tuncq; remittendos captiuos, qui urbẽ Ierusalem reædificaturi essent. Sed & requiem in Babylone habituros, si pacifice & humiliter in obedientia ad deum & regem Babylonis se gererent. Iam quoq; audierat de excellentia Danielis apud Nabuchodonosor, et de miraculo trium puerorum, de mandato regis pro domino deo Israel uenerando, & multo meliora subinde sperare poterat, similiter sciens maledictos omnes illos, qui contra uerbum domini & prophetæ Ieremiæ in Aegypto habitare præsumpserant, quos ad unum omnes nouerat trucidandos, ut patet ex libro Ieremiæ. Cui iam noua accesserat præuaricatio, durissime punienda, occisio uel ut dicitur lapidatio Ieremiæ. Quæ omnia sanctũ Baruch persuaserunt, ut ultra quintum annum ad longius non remanserit extra Babylonem, de quo consequenter scribitur, quid ex inspiratione dei dixerit, scripserit, & ad dei gloriam propagandam egerit, tam in Babylone quàm Iudæa. Scripsit enim librum pijssimum ac utilissimum, qui incipit ante finem primi capitis. Quæ uero præmittuntur, fortassis ab alio sunt conscripta, resipiunt enim negligentiorem authorẽ quam Baruch fuerit, & alium quoq; stilum, si mea me non fallat æstimatio, quæ nulli meliora sentienti præiudicat: complectitur enim quædã inuoluta & dubia, quemadmodum & pius studiosusq; Lyranus admonuit, propter quæ tamen principalis liber minime fuerat repudiandus. Absolute uero Baruch, hoc est benedictus in prophetia Ieremiæ dicitur filius Neriæ. Hic uero adduntur proauorum suorum quidam, usquè ad Helchiam, qui quis fuerit non multum laborandum. Scripsit uero hunc librum in Babylonia anno quinto, & eiusdem anni mense septimo, post illud tempus, in quo capta est Ierusalem & succensa igni, quo tempore Godolias quoque occisus dicitur, cum residui contra uerbum domini in Aegyptum fugerunt. Ab isto enim tempore supputauerunt Iudæi annos, scientes non ante septuagesimum sese liberandos.

Exilium Baruch.

2 Et legit Baruch uerba libri huius ad aures Iechoniæ filij Ioacim regis Iuda, et ad aures uniuersi populi uenientis ad librũ: et ad aures potentiũ filiorũ regũ, & ad aures presbyterorum, & ad aures populi, à minimo usque ad maximum eorum omniũ habitantium in Babylonia, ad flumen Sodi.

Scripsit inspiratione diuina hunc libellum Baruch propheta in Babylonia, statim ut illuc peruenit, ex commissione doctrinaq; sui præceptoris Ieremiæ. Captataq; opportunitate, cum aliquando plurimi Iudæorum con-

captiuorum conueniſſent, inter quos etiam Ioachin, qui & Iechonias erat, quem poſt miraculum Danielis & ſociorum fortaſsis liberiorem inter captiuos ferebat, & nõ ut antea incluſum, maxime cum ſeſe ſponte cũ matre domina tradidiſſet, ſine tamen aliqua ſpe recuperandi regnum, iam totaliter deſtructum cum templo & urbe. Alius autem Ioachim uel Ioiakim pater ſuus iam occiſus fuerat, quia admodum impio id fuerat prædictum. Cum igitur iam leuius ferre iugũ regis Babylonici incepiſſent, et exhortatione prophetarum æquanimiter expectare ſeptuageſimum annum decreuiſſent, mirabile nõ eſt, ſi aliquando conuenerit ipſorum aliqua multitudo, qualis hic ſcribitur, ubi Iechonias quoque aderat, olim qui fuerat rex Iuda, ſed breuiſsimo tempore. Et quod de filijs regum dicitur & potentum, ſimiliter intelligendum eſt. Non enim prohibebantur à matrimonio, quin & ad illud continuandum à Ieremia fuerant adhortati. Presbyteri dicuntur ſeniores de populo, ætate & honore, prudentia & authoritate. Illis autem legebat qui conuenerant, uel cõmorabantur iuxta pagum fluminis Sodi: quo alio nomine dictum ſit interim uel dudum, non facile quis dixerit, non enim pauci fluuij in Meſopotamia & Chaldæa ſunt, quæ exonerantur in Euphraten & Tigrim, quorum aliquis eo tempore uel poſterius dictus eſt Sodi, quæ dictio ex Hebræo ualet interpretata, ſecretum meum.

3 Qui audientes plorabãt, & ieiunabant, & orabant in conſpectu domini.

Ad meliorem mentem conuerſi tunc fuerant, uidentes accidiſſe quæcunque prophetæ tam Ieremias in Iudæa, quàm Ezechiel in Chaldæa prædixerant. Et quæ iam in Aegypto fiebant, & contra Ieremiam contigerant, & quantum dominum quotidie offenderent, ut tantis malis ſuis nulla ſufficeret uindicta dei, nunc à Baruch quoque cum admonerentur, qui eodem ſpiritu quo ſuus magiſter Ieremias omnia agebat & loquebatur ſcribebatq;, non ſe continere poterant, quin pro maiore ultione dei uitanda plorarent, ieiunarent, & orarent dominum, qui nuſquam abeſt, & non ſolum in Iudæa cognoſcebatur, ſed multo maxime nunc quoque in Babylonia, ubi principes etiam prophani de domino non parũ inſtructi erant ſtudio Danielis & ſociorum eius. Mandato publicato à rege, de domino deo unico & uero, cœlorũ & mundi conditore, minime blaſphemando.

4 Et collegerunt pecuniam, ſecundũ quod potuit uniuſcuiuſq; manus: et miſerunt in Ieruſalem ad Ioacim filium Helciæ filij Salom ſacerdotem, & ad ſacerdotes, et ad omnem populum qui inuenti ſunt cum eo in Ieruſalem, cum acciperet uaſa templi domini quæ ablata fuerãt de tẽplo, reuocare in terram Iuda decima die menſis Siban, uaſa argẽtea quæ fecit Sedechias filius Ioſiæ rex Iuda, poſtea quàm cepiſſet Nabuchodonoſor rex Babylonis Iechoniam, & principes, & uinctos, & potentes, & populum terræ ab Ieruſalẽ, & duxit eos in Babylonẽ.

Poſt fugã eorum Iudæorum qui timore uindictæ mo-
tis Godoliæ aufugerant, ſatis ueriſimile eſt ſucceſſu tem-
poris quoſdam innocentiores Iſraelitas & Iudæos, reuiſ-
ſe ueluti priuatos, tanta humilitate, paupertate, & pau-
citate, ut nihil admiſerint poſtea, quod rebellionem qui-
cunq; prætenderet, quos & regionis præfecti conſtituti
à rege Babylonis, pacificos terram colere, et in loco quo
quc ruinarum Ieruſalem & templi, dominum deum ſuũ
adorare, & humilia ſacrificia dependere non prohibe-
bant, maxime quod dei unius religio non obliterata eſ-
ſet ex caſu Ieruſalem, ſed in gentes potius plurimas pau-
latim procedebat, & inuidia Iudaicæ religionis tanto mi-
nor erat, quanto humilior ſeſe intra ſuam cuticulam Iu-
daica plebs continere cogebatur. Erexerant ergo aruĩ
quampiam in loco ſacro uel alibi, Hieroſolymis tamen,
ubi pauci quoque ſacerdotes quod poterant faciebant,
ut hic ſignificari uidetur. Veniebant enim aliquando uo
ta habentes, adorandi gratia Hieroſolymam, uel munera illuc mittebant, domini dei gratiam huiuſmodi operibus ex fide prodeuntibus nõ ingrata domino deferebãt. Religioſiores enim Iudæi erant in deum & cultum ipſius in exilio peregre conſtituti, quàm dum eſſent in patria cum pace. Sic enim peruicacium hominum natura habet, ut negata cupiens nitatur in uetitum. Sic hic Iudæi uel Iudæorum primores congregati, cogitant de miſericordia domini ſibi concilianda, cuius iam gliſcere uidebant gloriam, etiam inter gentes, quanquam maiora ſperare uſque ad præfinitum tempus à Ieremia non audebant. Collectam itaque pecuniam libere donatam ſecundum cuiuslibet facultatem ac deuotionem, miſerunt Hieroſolymam pijs ibidem commorantibus, et pro poſſe deo ſeruientibus ſacerdotibus minoris ordinis, quorũ hic nomina deſignantur. Cum quibus erant aliquot pijs in adiacentibus agris & ruinis, quò poſt bellum finitum & res quietas recurrerant, humiliter ſe gerentes: ut nunc quoque ibidem habitant Iudæi & Chriſtiani, ſine aliqua præſumptione poteſtatis & uirium. Illi hic dicuntur inuenti, id eſt poſt excidium reliquiæ repertæ, uel de fugientes & humiliati in ruinis Ieruſalem uel circiter. Additur quoque, Cum acciperet ſcilicet ille inuentus populus aliqua uaſa ſacra, tranſmiſſa illis cũ pecunia, quæ ipſis fauore principum, uel Iudæorũ diuitum redẽptione, ipſi ſecuti fuerant, non magni momenti, utpote argentea ſcilicet, quæ in ultima captiuitate facta ſub Sedechia ablata fuerant Babylonem, non omnia, ſed quædam, non ad ſplendorem, ſed ad neceſsitatem ſacrificij humiliatorũ. Hæc uero uaſa & pecuniæ reuocata dicuntur in terram Iuda, decima die Siban, qui noſtro partim Maio cõcurrit, partim Iunio, ſole ſcilicet exiſtente in Geminis. Hæc uaſa ex illis fuiſſe notantur argenteis non aureis, quæ Sedechias confici fecerat, in locum eorum quæ ſub Ioiakim rege ablata fuerant, in cuius locum ſucceſſerat Iechonias uel Ioachin, qui & ipſe cum uaſis ablatus eſt per Nabuchodonoſor, qui Matathiam patruum Ioachin, & filium Ioſiæ mutato nomine, ut Sedechias diceretur, regẽ poſuit: ſed poſt undecim annos rebellantem, exculatũ in Babyloniam tranſtulit, & urbe cum templo, eorũ

ſpoliatis

fiscatis interim uasis omnibus, prorsus in cinerem et ruinas redegit.

5 Et dixerunt, Ecce misimus ad uos pecunias, de quibus emite holocaustomata, & thus, & facite manna, et offerte pro peccato ad aram domini dei nostri:

Hic liber incipit, & epistola Baruch prophetæ, lecta coram populo in Babylone, & missa Hierosolymam, cũ pecunia memorata ac uasis. Vbi primum de pecunia narratur, in quem sit usum locanda, ut legali more sacrificia fiant pro peccatis populi Israelis, quæ alibi quàm Hierosolymis fieri non licebat. Aram autem erexerant ut ponerent, in qua sacrificia exurebantur iuxta legem. Manna autem Hebraice מנחה Mincha dicitur, ut plurimũ acceptum pro cibario sacrificio, quod fiebat de simila, oleo, libaminibus, &c. Hæc uero domino propter fidem offerentium placebant, & quia sacrificij consummationem in Christo significabant futuram, & Abrahæ fidem rememorabantur, qua iussus unicũ filium præsto erat sacrificare, quod tandem pater cœlestis filio tradito perfecit, ad tollendum peccata mundi.

6 & orate pro uita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro uita Balthasar filij eius, ut sint dies eorum sicut dies cœli super terram: & ut det dominus uirtutem nobis, & illuminet oculos nostros, ut uiuamus sub umbra Nabuchodonosor regis Babylõis, & sub umbra Balthasar filij eius, & seruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum.

Sacrificia non sine oratione fiebant, & declaratione eius quod significabant. Admonent ergo exules Babylonis memorati eos qui in loco sacrificiorum orare poterant iuxta legem, ut in primis orent pro Nabuchodonosor rege suo, qui iam ad unius dei agnitionem & reuerentiam peruenerat, sub quo paulò clementius regebantur, & iam cœperant tranquillius conuersari, & non tam quotidie audire blasphemias in dominum deum suũ, quod ferebant egerrime. Quod uero pro uita filij eius Balthasar orare monentur, indicat iam iuuenem uel nuper natum filium, quem fortassis Chaldæi in horoscopo uiderant gladio periturum, & regnum transferendum. Talia enim Chaldæi prædicere & Astrologi præsumũt. Non interim negatur Euilmerodach quoq; filius maior, uel ut filius Balthasar dicatur pro nepote, iuxta formulã frequentem scripturæ. Intelligunt iam edocti ex epistola Ieremiæ dudum, & nunc recapitulatione discipuli Baruch, salutem Iudæorum pendere ex felicitate Nabuchodonosor & regni, quandiu non finirentur septuaginta anni. Cupiunt ergo ut diutissime uiuant, donec tempus appetat redeundi promissum. Dies cœli, id est perpetuitatem imprecantur per excessum, pro more salutandi magnates, ut rex uiuat in æternum. Cæterum post orationem faciendam pro rege etiam pro se orant rogari dominum: ut uirtutem det, patientiæ scilicet in aduersis, longanimitatem in exilio, & resistendi malo per bonum, et ut illuminetur ipsorum conscientia ad cognitionem uoluntatis diuinæ & legis, ut intelligant causas sui exilij, duræq; ceruicis suæ comprimere ualeant pertinaciam, ne perpetuo populus dominum exasperans, uerè à prophetis accusentur. Sed ut in gratia dei & regis uiuere diutius liceat, & successorem Balthasar non peiorem experiri quàm senserant præcessores. Cupiunt nunc miseri multis temporibus seruire regibus gentilium, qui regi suo domino deo, legi ac iustitiæ subdi humiliter nunquã uoluerunt. Sic uerbum domini completur, sic oracula prophetarum uera inueniuntur, sic tarde sapiunt miseri.

7 Et pro nobis ipsis orate ad dominum deum nostrũ: quia peccauimus domino deo nostro, & nõ est auersus furor eius à nobis usque in hunc diem.

Orare mutuum.

Nemo fidelium unquã dubitauit, hominem orare posse deum pro homine, quin & exempla sanctorum & Apostolorum Christiq; doctrina hoc testãtur, etiam si hic locus non esset. Postulant orari pro se ad dominum deũ uerum, qui deus est patriarcharum, quod & ipsum est orare, quia ante dominum humiliari, illius gratiam desiderari, non se putare dignum exauditione, sed alios esse sibi meliores, qui domino sint gratiores. Quanquam hic tantum loci respectus habetur, ab illis qui sciunt ipsis orationis & exauditionis locum ostensum fuisse, & promissum locum templi. Futurum autem suo tempore, ut non ibidem tantum, nec in monte Garizim, sed ubique dominus adorandus esset, in spiritu & ueritate & humero uno, in orbe toto terrarum. Orationem quam petunt faciunt penetrabilem nubes, quia sese humiliant. Peccauimus, inquiunt, domino deo nostro: sicut & Dauid dixerat, & misericordiam fuerat consecutus, sed tamen pœnam quam indixerat perlaturus: sic hij quoque domino reconciliantur, sed indulgentiam pœnæ nullis assequuntur nummis, non quadragenis, sed semel à domino decretam temporalem, septuaginta annorum exilium, ferre semel necesse est. Quam pœnã ut imperfecti homines, furorem domini interpretantur & nominant, cum gratiæ dei tribuere potius debuissent, quia non essent cõsumpti, & sub clementi principe uiuere illis liceret.

8 Et legite librum istum, quem misimus ad uos recitari in templo domini, in die solenni & in die opportuno: & dicetis,

Solennes dies prout poterãt agebat pusillus grex. Sabbata scilicet & neomenias, cum alijs annuis statisq; festis, ut nunc quoque agunt pauci in suis domunculis, conueniebant tamen ad ruinas templi & atrij, ibi deum orabant, & legem audiebant, ubi & hanc epistolam legere iubentur, & suo illic nomine orare, in loco electo quidẽ à domino, sed nuper reiecto, uerũ cum promissione certa reædificandi, & glorificandi adhuc illustrius longe, quàm fuerat ante, idq; uerbis & scripturis omnium prophetarum, qui id omnes prædixerant, non minus quàm præsentes ruinas, unde præsentium beneficiorum exhibitio, spem illis futurorum bonorum suffulciebat, ut essent animæquiores.

9 Domino deo nostro iustitia: nobis autẽ

cõfusio faciei nostræ, sicut est dies hæc, omni Iuda et habitantibus in Ierusalem, regibus nostris, & principibus nostris, & sacerdotibus nostris, & prophetis nostris, & patribus nostris:

Aptius hoc loco capitis exordium signaretur, ubi incipit oratio humilis, sicut & aliud, dum scribitur posterius: Audi Israel mandata uitæ, ubi fidelis exhortatio & consolatio subditur. Sed de his Lector uiderit studiosus.

Iustitia hominum.

Nemo, inquiunt, hominum de iustitia sibi gratulari uel præsumere potest neque debet, quorum omnis iustitia est ut pannus menstruatæ, & iudicium dei sustinere non ualens, qui à primo natiuitatis nostræ die peccatores sumus, sola dei gratia per mediatorem Christum iustificandi, interim iustitiam maiorem non habemus, quàm ut nõ imputet nobis deus iniustitias nostras, qui si dicamus nos non peccare, uel peccatum habere, nosipsos seducimus falso. Quin si nosipsos iudicauerimus, non quidem iudicabimur à domino, sed tamen apud nostras conscientias certissime confundemur. Fatentur sese confundi coram toto mundo, quia propter peccata & ingratitudinẽ pro tantis beneficijs, quando nõ fecit ut illis omni nationi, et iudicia sua non manifestauit illis, nihil rependerunt unquam, nisi ceruicem durissimam, contemptum, inobediẽtiam, murmurationes, homicidia prophetarum dei, & odium diuini cultus, & legis abiectionem: quæ tot & tanta mala, tantam meruerant pœnam, quam nunc sentiunt nimis tarde omnis Iuda & Israel, qui cum suis regibus, & principibus, & habitatoribus terræ benedictæ in pace domino deo suo seruire contempserunt. Ideo nunc hostibus seruire coguntur, pariter cum falsis & impijs tam sacerdotibus quàm prophetis, nunc uel occisis uel in captiuitatem per remotissimas terras dispersis.

10 Peccauimus ante dominũ deum nostrũ, & non credidimus, diffidentes in eum: & non fuimus subiectibiles illi, & nõ audiuimus uocẽ domini dei nostri, ut ambularemus in mandatis eius quæ dedit nobis.

Cum pius esset et pijssimi prophetæ fidelis, docilisq; in lege dei discipulus, connumerat tamen se reliquo populo, quod se absque peccato esse non sciebat. Orat autem communiter, & orare docet in hunc modum: Cum nunquam nos deseruerit præsentia tua, sed in medio nostri nobiscum habitare dignatus fuerit, quem & omnibus locis præsentem, omnia conspicere nõ dubitamus, non tamen tibi credidimus, bonitatem tuam spreuimus, ad alienos deos colendos qui nihil nobis proderãt defecimus. Nihil magis odiuimus quàm obedire tuis legitimis, ambulare in mandatis tuis, quæ dedisti nobis per Mosen. Poterat Latinius dixisse, et dudum correctum fuisse à doctioribus, sed pium lectio talis non offendit. Et tanto tempore in ecclesia seruatam lectionem, constat nihil pietati obfuisse. Scimus enim subiectibiles illi dictos, qui nõ se patiebãtur regi, uel quibus grauis erat obedientia dei, qui diuis extraneis obsequi maluissent, ut uocem domini audire renuerunt semper, & secundum traditiones humanas & sua commenta uitam instituere non secundum dei legem optabant.

11 A die qua eduxit patres nostros de terra Aegypti, usque ad diẽ hanc eramus increduli ad dominum deũ nostrum: & dissipati recessimus, ne audiremus uocẽ ipsius.

Vt nunquam in diuinis laudibus & gratiarumactione ueteres obmittebant memoriam liberationis & exitus de Aegypto: sic nunquam peccata confitentes obliuiscebantur uituli adorati, & murmuris per desertum. Ad hoc enim per dei bonitatẽ proficiunt peccata, ut ipsorum memoria conscientias coram deo humiliet. Nullum autem grauius in deum committitur peccatum, quàm incredulitatis, dum promissis eius non adhæremus, dum de ipsius bonitate hesitamus, dum uerbis prophetarum non credimus, quos semper mittit de nocte surgens, id est mira ta solicitudine. Ob eam uero perfidiã in deũ cũ uni deo adhærere non uolunt, dissipantur & distrahuntur ad uarios diuos auxiliatores, sed frustra, quandoquidem nullus est deus præter hunc unicum dominum deum extructuum deum Israel. Eius uocem Iudæi & Israel in prophetis & lege semper spreuerunt, audire recusarunt, nonnisi est ut huiusmodi quomodo, quando, & quas obres facta commemorentur, tota id testatur scriptura.

12 Et adhæserunt nobis multa mala, & maledictiones, quæ cõstituit dominus Moysi seruo suo: qui eduxit patres nostros de terra Aegypti, dare nobis terram fluentem lac et mel, sicut hodierna die.

Multa & grandia bona promissa erant ex lege obedientibus, quibus abunde felices esse præ omnibus gentibus potuissemus. Sed quia deserta lege dominum deseruimus, multæ quoque maledictiones & ipsæ in legem interminatæ irruerunt digne et copiose nobis. Adhæserũt, id est superuenerunt & subsecutæ sunt, quæ quo diligentius caueremus, singillatim diligenter prolixo catalogo nobis fidelissimus doctor & ductor Moses describsit, & insignibus ceremonijs inculcandũ nostris pectoribus ad duos montes ordinauit, & fieri fecit per Iosue. Ille nos introduxerat in promissam terrã, ille omnia necessaria præparauit. Quam possessionem nobis hæreditariam & sortium diuisione constituit, ut & ius habendi quidem nobiscum sit usq; hodie, nisi obsisterent peccata nostra.

13 Et non audiuimus uocẽ domini dei nostri, secundũ omnia uerba prophetarum quos misit ad nos: & abiuimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, operique in sensum cordis nostri maligni, operari dijs alienis, facientes mala ante oculos domini dei nostri.

Ingenue contra se uerum profitentur, & agnoscunt peccata, quæ omnia una infidelitatis radice prodierunt ut essent inobedientes uerbis prophetarum, quos uero bũ domini adferre & non aliud, non paruis prodigijs admoniti, dubitare minime potuerunt: nisi sensui carnis obsequi maluissent, & cordis proprij improbas leges maioris habuissent, quàm creatoris omnium uoluntatem, & nisi alienis dijs libidinoso cultui & superstitioso, quia sensibus gratiori, inhærere uoluissent. Operæi dijs

dijs alienis, intelligibilius dixisset colere deos alienos uel seruire. Hoc autem facere non erubuimus ante oculos domini dei nostri, qui in propitiatorio nobis præsens idolorum abominandorum studium nostrum uidere & ferre coactus est, ut ita loquamur, sed tarditatem iustæ uindictæ digno nobis furore compensauit iustus dominus & æquus.

CAPVT II.

1  Ropter quod statuit dominus deus noster uerbũ suũ quod locutus est ad nos, & ad iudices nostros qui iudicauerunt in Ierusalem, & ad reges nostros, & ad principes nostros, & ad omnem Israel & Iudam: ut adduceret dominus super nos mala magna quæ non sunt facta sub cœlo quemadmodum facta sunt in Ierusalẽ, secundũ quæ scripta sunt in lege Moysi, ut manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ,

Statuere uerbũ, est perficere quod promisit, rebelles opprimere, immorigeros disciplinæ subdere, ueritatem ridentes flagellis erudire, deum negantes factis conuincere. Verbum uero domini aliud non est, quàm quod in lege et prophetis locutum est, cui iudices populi dei obsequi obligantur, cui subditi sunt. Reges uero fidelium exemplum Saulis & Dauidis habent, quod illis conscriptũ est in sacris, ad cuius normam illis quoque retribuetur à domino, principes fidelium seruos se dei agnoscant, & consules populi. Quibus omnibus sicut et populo dei lotur uerbum domini, quod si cõtempserint, in foribus illos manet iudicium, quod Israelis principes & tribus experti sunt. Vt meminerint se regulam accepisse uiuendi, quam si obseruauerint, pax super ipsos erit, sin minus maledictiones legis minime euadent. Exemplum toti mundo factum est in Ierusalem, ut si quando dominum exaudiant & obseruent, omnibus mundi hostibus superiores sint, non sua sed dei potentia, ut in Dauide & Ezechia rosq; prophetas ad se in uerbo domini missos, maximas ipsos mala superueniẽt, de quibus in Deuteronomio Moses. Quod hic adijcitur de filiorum carnibus in fame deuorandis, exemplum est maximæ calamitatis, qua maior communiter euenire non possit.

2 Et dedit eos sub manu regum omnium qui sunt in circũitu nostro in improperiũ & in desolationem, & in omnibus populis in quibus nos dispersit dominus.

Post grauissima fata, intra urbes & regionem prostratos, etiam in exteris gentibus dissipẽdis quæ oborirura sint illis mala per ordinem exponit. Improperium enim erunt, fabula, stupor, risus, maledictum, odiũ, exemplum, & sibilus, omnibus populis, in quos dispergentur. Id ut factum sit, iam inde ad duo milia annorum totus mundus testatur, soli illi miseri cæci, solos se dei amicos uendicant, cum sentiant se abiectos.

3 Et facti sumus subtus, & nõ supra: quia

peccauimus domino deo nostro, nõ obaudiẽdo uoci ipsius. Domino deo nostro iustitia: nobis autem & patribus nostris confusio faciei, sicut est dies hæc.

Lex & prophetæ promittunt perfidis Israelitis oppressionem cõtumeliosam, si obsequi domino semper cõtemnant: sicut exceisiores futuri sunt illi ex ipsis, qui fidẽ domino perfecta adhærent. Quales fuisse & hodie esse Abraham, Isaac, Iacob, Dauidem, prophetas omnes, Christum Meßiam, & Apostolos, Israelitas, nemo hodie & iam tot annorum centurijs ignorare potest, nisi qui nihil uult considerare, ut sunt cæci Iudæi in hunc usque diem. Repetitur quasi intercalaris sententia prius dicta, Solum dominum deum iustum esse, imò ipsam iustitiam: transgressoribus autem uerbi dei quibuscunque, Iudæis & Græcis, imminet & incidit certißime confusio conscientiæ, & omnium operum ac fatorum, ut testatur omne sæculum & tempus.

4 Qui locutus est dominus sup nos omnia mala hæc quæ uenerunt super nos: et non sumus deprecati faciem domini dei nostri, ut reuerteremur unusquisq; nostrum à uijs nostris pessimis.

Factis & operibus contestatus est & confirmauit dominus ueritatem omnium uerborum suorum, quæ ut domini dei est ueritas, necesse est permaneat in æternũ. Quicquid malorum interminatus est deus in lege, totum subinde recidit in duriceruicos Israelis. Qui ut ad præsentiam Mosis mitißimi uerbũ domini de nube, & clarißima miracula & portenta conspicientes, semper in sua perstiterunt peruicacia: sic multo magis illo mortuo, et deinceps ferè semper, non sunt deprecati faciem domini, nec ab impia conuersatione sese retrahi sustinuerunt, utcunque nihil unquam dominus intermiserit pij officij, quasi parentis indulgentißimi ad filios ingratos.

5 Et uigilauit dominus in malis, & adduxit ea super nos: quia iustus est dominus in omnibus operibus suis quæ mandauit nobis: & nõ audiuimus uocem ipsius, ut iremus in præceptis domini, quæ dedit ante faciem nostram.

Quantum autem clementiæ alijs in exemplum populo Israelitico detulit, dum reuocat ad meliora, tantũ seueritatis retribuit peruicacibus & ingratis ad omnia. Vt non desinebat uigilare dominus, ad custodiam electorũ fidelium, super Dauidem & Ezechiam, & similes: sic uigilauit dominus in malis inducendis super impios & procaces. Iustus est enim dominus non minus quàm beneficus & miserator. Inobedientes proterit & occidit, mandatorum contemptores iudicat & damnat. Dedisse antefaciem nostram mandata, est tanta æquitate, iustitia, sanctitate, et utilitate clarificasse, ut nemo nisi impius et hostis ueritatis, ea nõ summopere amare, amplecti, perficere & propugnare debeat, uel etiam possit, apud semetipsum confusus, ut patet per singula disquirendo.

6 Et nũc domine deus Israel, qui eduxisti populũ tuũ de terra Aegypti in manu ua-

lida, & in signis, & in prodigijs, & in uirtute tua magna, & in brachio excelso, & fecisti tibi nomẽ sicut est dies iste: peccauimus, impie egimus, inique gessimus domine deus noster, in omnibus iustitijs tuis. Auertatur ira tua à nobis: quia derelicti sumus pauci inter gentes, ubi dispersisti nos.

Precatio qualis.

Post dignam, ueram, & deo gratam humiliationem, docentur fideles, quid, quomodo, & quousque debeant deprecari, scilicet iterum & semper agnoscendo beneficia exhibita, ut digni efficiantur exhibẽdis. Quicquid unquam magnificum gestum est circa populum dei, non ministris Mosi, Iosue, uel Dauidi refertur acceptum, sed totũ gratiæ & potentiæ dei, cuius sunt signa, prodigia, uirtus, & brachium, maiestas, & fama nominis altissimi. Talis, inquiunt, dominus noster est, nos uero in illius uoluntatẽ & legem peccauimus, in proximos quotidie iniquitatem exercuimus, idola coluimus, iustitiæ tuæ toti aduersati sumus, iustitiæ enĩ dei, præcepta sunt iustitiæ, in quæ offendimus semper, & reatum transgressionum multiplicium contraximus, iudiciorumq; tuorum iustã seueritatem commeruimus, unde proprijs uiribus subterfugere non ualemus, iram autem tuam iustam incidimus. Sed auertatur ô deus ira tua, id est sententia imminentis ultionis dignæ à nobis, quam sentimus & ferimus, dispersi in gentibus, ueluti non habentes pastorem uel parentem. Continuo numero diminuimur, & qui præ multitudine arenæ maris comparabamur, nũc paucis in oliua relictis granis post excussionẽ, similes sumus. Multo enim maxima pars bellis attrita est, alia peste, alia fame consumpta est, & reliquiæ quæ nos sumus dispersi peregrinamur in populis, nusquam tuti uel fixi.

7 Exaudi domine preces nostras, & orationes nostras, & educ nos propter te: & da nobis inuenire gratiã ante faciem eorũ qui nos abduxerunt: ut sciat omnis terra quia tu es dominus deus noster, & quia nomen tuum inuocatum est super Israel, & super genus ipsius.

Non sinas orare nos frustra, succurre miseris, exaudi precantes, & dum nulla nobis suppetunt merita, dũ indignos nos beneficijs recognoscimus, & de præsentibus malis eripi nondum speramus, sed destinatũ nobis septuagesimum expectare cogimur annum. Saltem hoc nobis interim boni concedas, hanc gratiam largiaris, ut beneuolentiam & clementiam inueniamus apud illos, sub quorum dominio cõstituimur, in quorum potestatẽ nos tradidisti, ut humaniter nos tractent, non tam propter nostrum solatium, quàm tuam gloriam, quæ ex hoc agnoscatur ab omnibus, ut sciant omnes habitantes in tota terra, quia tu qui conditor es mundi, & dominus uniuersorum, diligis nos, & tanquam peculium tuum elegisti, ut populus tuus simus & nominemur, & tribus hæreditatis tuæ, quas singularibus beneficijs præ alijs affecisti, ut dicamur hæreditas tua, & populus domini exercituum.

8 Respice dñe de domo sancta tua in nos, & inclina aurẽ tuam, & exaudi. Aperi oculos tuos, & uide: quia non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à uisceribus suis, dabunt honorem & iustificationem domino: sed anima quæ tristis est super magnitudinem mali, & incedit curua & infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriã & iustitiã domine.

Vtcunq; in cineribus iaceat et ruinis templum Salomonicum, sedes gratiæ tuæ, non tamen desijt uerum esse illius gloriæ tuæ, domus æternitatis tuæ, cœlum illud cœlorum, unde quamlibet in altis habitans humiles tamen respicis. Ideoq; & nos quoque attendas, aures clementiæ adhibeas, ad exaudiendum preces, & oculos aperi, ut cum clementia respicias miserias nostras, quas uiuentes in angustijs patimur, quibus in tempore succurras, et nõ differas post mortẽ. Non enim te laudant, colunt, uel prædicant qui mortui nunc sunt, non glorificant honorem tuum & iustitiam, si populum tuum semper negligere uidearis. Non quid in alio sæculo fiat hic cernimus constituti, quàm tibi curæ & chari sint pij quique, quorum spiritus & anima sublata per te est à uisceribus corporis mortalis & corrupti: sed uiuentes & agnoscentes culpam, contristati quoque super corpore mortis huius, quod spiritum deprimit, & protrahit ad uicia, tristes & humiles tuam solam misericordiam anhelantes, qui tibi soli dant gloriam & iustitiam, hos nunc tibi supplices ac deuotos respicias miseratus, precesq; exaudi, qui suam miseriam profitentes humiliter, tuam misericordiam diffisi de meritis implorant, ut in illis glorificeris, & ipsi in te conseruentur.

9 Quia nõ secundum iustitias patrum nostrorum nos fundimus preces, & penitus misericordiam ante conspectũ tuum domine deus noster: sed quia misisti iram tuam, & furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicens, Sic dicit dominus,

Non nunc preces has nostras fundimus, freti iustitijs & meritis patrum nostrorum, quibus dissimiles sumus, sanctimonia & fide: nec Hierosolymis, & in templo sanctificantes solenniter preces nostras deferimus, sed propter peccata nostra dispersi nunc in gentibus, propter iustam iram tuam humiliter deprecamur peccata nostra et iram uindictæ tuæ in nos, quia legibus tuis parere recusauimus, uerbo tuo contradiximus, prophetis tuis non credidimus, uenientes ad nos in tuo nomine occidimus. Ideo nobis quæ illi prædixerunt occurrerũt, fructus operum nunc dignos consecuti sumus. Et quod inobedientibus tibi nobis promissum est malum, hoc mensura plena suscepimus. Sic enim dudum nos admonueras per legem & prophetas per Ieremiam præcipue inquiens,

10 Inclinate humerum uestrum, & cerui-
cem uestram, & opera facite regi Babylo-
nis: & sedebitis in terra quã dedi patribus
uestris. Quod si nõ feceritis, nec audieritis
uocẽ dñi dei uestri opari regi Babylonis de-
fectio-

fectionem uestrã faciam de ciuitatibus Iuda, & à foris Ieruſalem, & auferam à uobis uocem iucunditatis, & uocẽ gaudij, & uocem ſponſi, & uocem ſponſæ, et erit omnis terra ſine ueſtigio ab inhabitantibus eam.

Frequenter prædixerat Ieremias mandato domini Ieroſolymam deſtruendam, & populum captiuandum, nu-
ſi ſe ſubijcerent ſponte regi Babylonis, aſſumerent iugum & onus illius, ceruicem inclinarent ad obediendũ, quandoquidem ſic dominus decreuiſſet pro ipſorũ peccatis, ut ſeruirent aliquandiu regi Babylonis, ſi uellent adhuc perſeuerare coloni & poſſeſſores hæreditariæ terræ ſuæ, quam olim patribus dediſſet. Id ſi facere recuſarent, diſperdendi eſſent & eijciendi de terra ſua, inq; multa mœſtitia et calamitate inter inimicos uitam actuari, & tracturi animam ſine omni gaudio & fauore tam hominum quàm dei, donec in ueritate humiliarentur.

11 Et non audierunt uocem tuam, ut operarentur regi Babylonis: & ſtatuiſti uerba tua quæ locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, ut transferrentur oſſa regum noſtrorum, & oſſa patrum noſtrorum de loco ſuo, & ecce proiecta ſunt in calore ſolis, & in gelu noctis: & mortui ſunt in doloribus peſſimis, in fame & in gladio, & in emiſſione.

Ineptias tranſtulit, Vt operarentur regi: cum dicere potuerit, Non acquieuerunt uerbis prophetarũ, præcepto domini, & conſilio Ieremiæ, ut ſeruirent Babylonæ regi, ut ſe illius ſubderent ditioni, nõ enim credebant uerbis Ieremiæ, quæ ex ore domini loquebatur. Ideo cõplẽuiſti promiſſa tua, et uindictam quam ſibi impendere nõ credebant, facto intuliſti, & comprobaſti ueritatem ſermonum tuorũ. Egiſtiq; iuſto iudicio tuo ô domine, ut non ſolum muros Ieruſalem, palatia, domus, templumq; diſtrorum regum & principum effoſſa ſunt, & diſperſa uo relicta ſint inſigni calamitate, proiecta ad calorem ſolis & gelu noctis. Et qui in illud uſq; tempus fuerant reſeruati, grauibus mortui ſine doloribus, partim gladio, partim peſte, partim fame. Hæc enim omnia paſſi ſumus in excidio gentis noſtræ, & regni, quia prophetis tuis in nomine tuo loquentibus non fuimus obſequuti.

Iuſtum dei iudicium.

12 Et poſuiſti templum, in quo inuocatũ eſt nomen tuũ in ipſo, ſicut hæc dies, propter iniquitatem domus Iſraël & domus Iuda.

Tam iniurioſam nomini tuo templi tui uaſtationem quæ hodie conſpicitur cum terrore omnium & confuſione noſtra, nos noſtris peccatis meruimus, noſtra inobedientia in culpa eſt, ut ſanctis tuis non peperceris, ſolium gloriæ tuæ præcipitaueris, locum & gentem deſerueris, prouidentiam tuam paternam nobis ademiſſe uidearis, prorſuſq; abiecisſe peculium.

13 Et feciſti in nobis domine deus noſter ſecundum omnem bonitatẽ tuam, & ſecundum omnem miſerationẽ tuam illam magnam: ſicut locutus es in manu pueri tui Moyſi in die qua præcepiſti ei ſcribere legem tuam coram filijs Iſrael, dicens: Si nõ audieritis uocẽ meam, multitudo hæc magna cõuertet in minimã inter gentes, quò ego eos diſpergã: quia ſcio quod me nõ audiet populus: populus eſt enĩ dura ceruice:

Decuit certe bonitatem & ſanctitatem, ut quia iuſtus es, & odiens iniquitatem, ſimulq; miſericors & reconciliabilis emendantibus uias ſuas, & toto corde redeuntibus ad te, ut faceres quod egiſti nobiſcum, ut contemptoribus legis tuæ ſuperinduceres iuſta iudicia tua, communata in lege, & quæ Moſes mala prædixit contemptoribus experiremur in facto qui uerbis credere noluimus. Iuſtus es enim dominus & uerax, ut tam grauia damna non niſi contemptoribus, & eis frequenter tempeſtiueq; præmonitis immiſeris, ut procul abſit nobis omnis excuſationis prætextus. Nihil inopinato nobis contigit, dudum prædixerat hoc nobis Moſes & conſcripſerat, cauendumq; mandauerat, ne unquam in obliuionem ueniret. Redigendos nos ex magna multitudine in minimam, diſpergendam quoq; in gentes hoſtiles, ubi nullam eſſent requiem habituri, ſiquidem in dura ceruice, ut cœperant, eſſent perſeueraturi, & uerbum domini abiecturi, ut fecimus nos. Hæc nobis aduerſa prædicta percipimus nunc, ſed oramus, ut lætiora quoq; quæ ſimul promiſiſti nõ nobis negari contingant. Nam ibidem quoq; hæc legimus, & nunc præſtamus.

14 & conuertet ad cor ſuũ in terra captiuitatis ſuæ: & ſcient quia ego ſum dñs deus eorum: & dabo eis cor, & intelligẽt: et aures, & audient. Et laudabunt me in terra captiuitatis ſuæ, & memores erũt nominis mei. Et auertent ſe à dorſo ſuo duro, & à malignitatibus ſuis: quia reminiſcentur uiam patrum ſuorum quia peccauerunt in me.

Vexatio intellectum dat, & conuertitur cor noſtrum ad te dominum deum, iuſtum, ſanctum & bonum, quia in terra noſtræ præſentis captiuitatis cor noſtrum per tuam gratiam ad te conuertitur. Iamq; intelligimus quẽ, quantum, quomodo offenderimus dominũ deum noſtrũ, multa ingratitudine, qua nõ eſt uitiũ grauius, idq; perpetuò, & numis diu, ſæpius fidẽ præſtitã infringentes, & numis dura ceruice, toties admoniti. Iam nunc donaſſe te nobis cor ſyncerius intelligimus, quæ præceperis animaduertimus, & ad obſequendũ parati ſumus. Sic enim prædictũ eſt, ſic Moſes præmonuit: Laudabunt, inquit, te in terra captiuitatis ſuæ, ut ſit hoc die: memores erunt nominis mei, cuius obliti fuerant dum feliciores erant. Et qui nuper aduerſo dorſo te deſerentes ambulabamus, per praua ingenua noſtra, & ſecundum impœnitens cor noſtrum theſaurizabamus nobis iram in diem iræ, nunc reminiſcimur iuſtitiæ tuæ, et iniuſtitiæ noſtræ, indolemuſq; peccatis noſtris tuam offendiſſe nos miſericordiã & bonitatẽ.

Deum offendere & pœnitere.

15 Et reuocabo illos in terram quam iurauí patribus eorũ Abraham, Iſaac & Iacob, & dominabuntur eis: et multiplicabo eos,

& non minorabuntur. Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, ut ſim illis in deum, & ipſi erunt mihi in populũ: & non mouebo amplius populum meum filios Iſrael à terra quam dedi illis.

Et ſicut quæ prædixeras nobis beneficia tua, et ingratitudinẽ noſtram, ſimul quoq; conuerſionẽ ac reſipiſcentiam, quæ omnia cõpleta ſunt: ſic quæ de nobis reuocandis & reſtituendis in optimam terram implere digneris, quam iuraſti patribus noſtris Abraham, Iſaac & Iacob: ut denuo poſſideamus hæreditates noſtras, & iterum ut ſtellæ cœli multiplicemur, & tam numero quàm merito fide & charitate, gratia & honore proficiamus in immenſum: ut digni habeamur promiſſi nobis teſtamenti noui, qđ' ſit in ſæcula permanſurũ, ut ſis nobis in deum, et nos tibi populus, qui à tua uoluntate nunq̃ declinaturi ſimus, ſed in patria noſtra conſiſtamus ſemper, unde ad cœleſtem nobis patriã cum Chriſto promiſſo peruenamus.

Teſtamentum nouum dei.

CAPVT III.

1 IT nunc domine omnipotẽs deus Iſrael, anima in anguſtijs, & ſpiritus anxius clamat ad te: audi domine & miſere, quia deus es miſericors, & miſerere noſtri: quia peccauimus ante te. Quia tu ſedes in ſempiternum, & nos peribimus in æuum?

In fide itaq; promiſſionum tantarum, nunc nos calamitoſi clamamus ad miſericordiã tuam, cui peccauimus, ut exaudiens miſerearis tuorum. Es enim Iſraẽlitarum pater & deus, qui nunc in animo contrito & ſpiritu humilitatis oramus, quos abijcere pro tua bonitate non potes. Prodeſt nobis correptio ad emendationem, agnoſcimus peccata, clementiam imploramus, noſti figmentum noſtrum, imò tuum, qui conditor es. Et qui ſemper permanes in teipſo, non nos tuos cultores ſinas in æuum perire, ne id in cõtumeliam tui nominis uertatur ab impijs, & in dedecus arripiatur, qui ſumma maieſtate polles: & ut bonorum noſtrorum non indiges, ſic noſtra maledictione nullum gloria tua detrimentum ſuſcipit, ſed dignam impij blaſphemiæ pœnam aſſequuntur.

Oratio ex fide.

2 Domine omnipotens deus Iſraẽl audi nunc orationem mortuorũ Iſraẽl, & filiorum ipſorum, qui peccauerunt ante te, & non audierunt uocẽ domini dei ſui, & agglutinata ſunt nobis mala.

Noſti dñe deus Iſraël, quid patriarchæ noſtri uiuentes olim & amici tui abs te orauerint, nõ tam pro ſe quibus pro fide ſua iraſci non poteras, quàm pro ſuis poſteris, quos nouiſti tunc, & illi quoq; non ignorauerant peccaturos. Eorũ pro nobis orationes agnoſcas, quarum obliuiſci non potes, apud quem nec præteritum eſt nec futurum, ſed momentum æternum, & immobile ſemper præſens, audi ipſorum mortuorũ orationes, quas effuderunt dum uiuerent, & cogita pactum cum illis initum, & noſtrorum delictorum nequaquam memineris, qui ſicut & patres noſtri illorũ filij ante te uehementer peccauimus, & uocem tuam nõ audiuimus, ideo peccatis noſtris, hoc eſt pœnis grauibus & condignis irretiti ſumus. Sic cum ctis quoq; fidelibus orandum eſt, dum ſe grauia pati peccatis intelligunt, ut memínerit deus pacti ſui quod ædidit in Chriſto cum mundo, cuius ſolius meritis, et diuina gratia eripimur à peccatis & hoſtibus.

3 Noli meminiſſe iniquitatũ patrum noſtrorum, ſed memento manus tuæ & nominis tui in tempore iſto: quia tu es dominus deus noſter, & laudabimus te domine, quia propter hoc dediſti timorẽ tuum in cordibus noſtris, & ut inuocemus nomen tuum, & laudemus te in captiuitate noſtra, quia conuertimur ab iniquitate patrum noſtrorum qui peccauerunt ante te.

Non memineris peccatorum, ſed gratiæ & potentiæ tuæ, ut non quod nos meruimus, ſed quod tuam decet bonitatem nobiſcum agas. Et nos quidem in peccatis patrum noſtrorum inceſſimus, errores illorum apprehendimus, nouas impietates ab illis didicimus, quibus malis res ſubinde adiecimus. Sed priſtinæ tuæ bonitatis et ſponſionis recorderis, præſentibus malis euoluas ac explices, qui id ſolus potes, dominus deus noſter: ut liberati à nobis, gratiam & bonitatem tuam celebremus, & in timore tuo tanto magis proficiamus, quanto iuſtius nos puniri tos cogitamus. Niſi enim inſeruiſſes nobis fidem tui nominis, quod eſt iuſtitia, clementia et poteſtas, illaũ ut aliæ quæq; gentes minime inuocaremus. Nunc uero laudamus etiam in captiuitate poſiti bonitatem tuam, & reſipiſcimus ab iniquitate tam noſtra quam auximus, quam patrum noſtrorũ, cuius exempla improba nõ horrimus.

4 Et ecce nos in captiuitate noſtra ſumus hodie, qua nos diſperſiſti in improperiũ, & in maledictum, & in peccatum, ſecundũ omnes iniquitates patrum noſtrorum qui diſceſſerunt à te domine deus noſter.

Subeat ergo paternam clementiam tuam noſtra miſeria, quam capti inter hoſtes ferimus, ſumuſq; in improperium, perium & maledictum, inq; infamiam ingratitudinis, & perfidiæ omnibus, ſicut & patres noſtri, ut à te diſcederemus, & non ſanctis patriarchis in fide, ſed ſucceſſoribus in perfidia aſſimilaremur.

5 Audi Iſraël mandata uitæ: auribus percipe, ut ſciatis prudentiam.

Apparet prophetam Baruch primum uoluiſſe docere populum in captiuitate poſitum, cui & hæc præſens tegebat in Chaldæa, & inſuper eos qui pauci in Iudæa uncunq; ſeſe ſuſtentabant, utriq; poſiti inter gentes erant, & idolis ſeruientes, omnem ſuam pietatis cultũ in imagines & ſculptilia impendentes, ne in medio tam prauæ nationis deficerent à domino deo uero, & ab illius cultu iuſto, qui cõſiſtit in ſpiritu et ueritate: neúe ad tot tamq; ſplendida ſacrilegia permoueretur, alioqui ſemper ſuperſtitioſa & ceremonialis gens, ne ad deorũ multorum & ſculptilium cultum recideret inter Gentes. Ideoq; cum orare docuiſſet, nunc credere docet, iuſtamq; exhortationem inſtituit, ad promouendam pietatem, ad extirpandos errores ſtultiſſimos, planéq; ridiculos, ſed ſemper

bus blandientes, ut uelut ſummula quædam ſit, quod hic ſequitur, omnium de hac re prophetarũ & regula pietatis, cui contradicentes uel moribus reclamantes religioſi & fideles dici non poſſunt. Nomine autem Iſraëlis intelliguntur omnes unus ſummi dei cultores, ſiue ſecundum carnem ex Iſrael & Abraham nati ſint, ſiue ex ſpiritu. Mandata aũt uitæ dicuntur decalogi præcepta, & ipſius declarationes prophetales & apoſtolicæ, in quibus anteriæ uallem felicitas uera conſiſtit. Habet enim ſcopum fidei in deum, & perfectæ charitatis in proximũ, quibus & in præſenti uita feliciter uiuimus, & æternam gloriam obtinemus, tam Chriſto domino promittente quàm Moſe. Qui uero domini mandata nõ audit, Iſraël nominari non meretur. Crebro quoq; audienda ſunt mandata dei, ad quod ſabbati requies eſt inſtituta à dño, ut diuinis illo die beneplacitis perſpiciendis incumbamus. Scire autem prudentiã, eſt ſapientiam diuinorũ fide conſequi, & certiſſima perſuaſione compertã habere domini uoluntatem, quæ ſacris literis continetur & diſcitur. Eſt aũt fides huiuſmodi ex auditu, ſed uerbi dei, nõ philoſophico.

Iſraelitæ re & nomine.

6 Quid eſt Iſraël quod in terra inimicorũ es? inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum deſcendentibus in infernũ. Dereliquiſti fontem ſapientiæ.

Alloquitur in ſpeciem filios Iſraël iuxta carnem, diſperſos in omnia regna terrarum, ſubditos impijs magiſtratibus, propter peccata ſua. Improperatq; perfidiam, qua mandata uitæ prædicta, quæ nunc nominat fontem ſapientiæ, dereliquit, ſpreuit, uitæq; & ueræ ſapientiæ fontem dominum deum, & illius fauorem contempſit. Quam ob rem & digne puniuntur, ut exilium in terra inimicorũ ſuſtineant, in terra nõ ſua numiũ diu, donec & inueteraſcant cõmorari cogantur, depulſi à propria tam ſuper & cum mortuis coinquinantur, ſiue impiorũ contubernium & ſcandalũ intelligamus, ſiue pollutiones ſumus. Certe mortui ſunt in occulis domini, omnes qui uitæ fontem dominum & mandata fidei non cognoſcunt, qui ſpiritu ſancto nõ uegetantur, qui uitæ pabulũ non ſuſciuerbũ domini nõ guſtantes. Deputari cum deſcendentibus in infernũ, eſt inter reprobos uel uiuere uel iudicari, aut ex uiuentiũ cum deo memoria & ſocietate excludi, dño deo eſſe odibiles tanquã abiecti, & in extremas miſerias depulſi, quales certe ab iſto tempore Iudæi fuerũt, & hodie ſunt, donec ſapientiæ fontẽ, Chriſti domini myſterium, et gratiam dei in ipſo, ac tempus uiſitationis cognouerint, & prudentiã legis ac prophetarũ didicerint.

Idiotæ uiuunt.

Pax conſcientiæ bonæ.

7 Nam ſi in uia dei ambulaſſes, habitaſſes utiq; in pace ſuper terram.

Nulla ſyncerior pax eſt, etiam in hoc mundo hominibus, quàm quæ in conſcientia habetur ad deũ, ex amore fide & obedientia legis diuinæ, ſecuritas à criminibus, concordia cum propinquis, auaritiæ odium, & poſſe in

bono uincere malũ. Huiuſmodi qui eſt, in deo ambulat, hæc unuerſa lex & prophetæ docent, qualia ſi Iſraël ſecundum carnẽ ſeruaſſet, habitaſſet in pace ſuper terrã. Cum uero relicto deo & lege idola coluiſſent, & quod ſibi placebat quiq; prætuliſſent legi diuinæ, & miſſos à deo prophetas occidiſſent: quid mirum ſi inuoluti ſunt tantis miſerijs, ſi pacem refutantibus bella ſequuti ſunt, cædes, exilia, & toto orbe conflatum illis odium?

8 Diſce ubi ſit prudẽtia, ubi ſit uirtus, ubi ſit intellectus: ut ſcias ſimul ubi ſit longiturnitas uitæ & uictus, ubi ſit lumen oculorum, & pax.

Si noſce uis quibus medijs conſequaris longiturnitatem uitæ, ut tranquille & honeſtè laudabiliterq; uiuas in præſenti, ut uitam tandem animarum beatarum aſſequaris perennem: ſi ſufficientiam & perſeuerantiam diuturnam uictus & amictus deſyderas, ut temporaliũ ſuppetentia nunquam careas: ſi iucundã cum familia, prole & amicis uitam uelis, & fruitionem cæterorum bonorum felicem, quæ per lumen oculorum, ut in Tobia, exprimitur: & in ſumma, pacem, id eſt felicem in hoc mundo ſtatum ambias, unde transferaris plenus dierũ in paradiſum cœleſtem & ſinum patriarcharum. Diſcenda tibi erit prudentia, quæ ex lege domini docet quid agendum & quid obmittendum: diſcenda eſt tibi uirtus, ut ſcias quibus moribus domino placere poßis, apicemq; uirtutum intellectualium, fidem rerum diuinarũ & moralium, charitatem ad proximos, intellectum quoq; ſapientiæ ſæcularis, & creaturarum cognitionem non obmittas, quantum intellectus capere queat: ne tibi non perſcrutabilia & otioſa mueſtigare conatus, implices te in moleſtißimas quæſtiones & inexplicabiles, multam habituras occupationẽ uanam, et mentis inquietudinem.

Prudentiæ uera diſcenda.

9 Quis inuenit locum eius? & quis intrauit in theſauros eius?

Quis uero bonorũ iſtorum perfectam in hoc mundo menſurã adeptus eſt? quis locũ proprium ſapientiæ uirtutis & intellectus aſſequutus eſt? ut nihil in his ſibi abeſſe ſe iactet, uel ut plura ſcire & habere nõ deſyderet? Quis theſauros ſapientiæ diuinæ & ſcientiæ naturalis ingreſſus eſt, qui illi ſufficiãt eatenus, ut ampliora ſi poſſit non inquirat? Vtcunq; enim plures docti euaſerint, nemo tamẽ abſolute ſe ſapientẽ eſſe potuit aſſeuerare, quin magis quanto ſe plura perueſtigaſſe credebant, tanto ſe minus ſapientes, ſed uix ſapientiæ amatores appellare audebant. Legem enim domini non didicerant, promiſſiones dei non habebant, dominũ deum quem ex creaturis diſcebant, non ut omnium creatorem digne colebant.

Philoſophi

10 Vbi ſunt principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias quæ ſunt ſuper terram? qui in auibus cœli ludunt, qui argentum theſaurizant & aurum in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? qui argentum fabricant & ſoliciti ſunt, nec eſt inuentio operum illorũ? exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij loco eorum exurrexerunt.

Opinionem felicitatis finxerunt sibi multi principes gentilium, qui de domini dei sui beneplacito inquirendo uel perficiendo nihil soliciti fuerunt, uel in hoc pacem et gaudium statuentes, si dominiũ exercerent super bestias terræ, uenationibus suis insidiantes, ut gulæ & oblectamentis seruirent, unde & didicerunt homines uenari, ferociari, mactare, deuorare, opprimere, perdere, cum potius fortitudinis exercitamenta esse debuerant huiusmodi studia, qua sese applicarẽt necessitatibus, temporibus, hostibus opponere, propugnare inermes, boni principis & exercituũ ducis præstare constantiam. Alij ludunt in auibus cœli, aucupia sectando, ut qui aëris excelsa conscendere nequeunt, rapatioribus auibus utantur ad imbecilliores auiculas uel humiliora animalcula, fuga tantum sibi cõsulere ualentes, animi gratia seuiant, hanc artem etiam ad homines corripiendos et aucupandos adaptantes. Alij sibi sat esse sapientiæ credunt, si congeram in thesauros plurimum argenti et auri, quibuscunq; id possint uijs aut artibus, in illis sic confidant, ut per ea quicquid libet assequãtur, scientes pecuniæ omnia imperare: ideoq; quanto ditiores fiunt, tanto siti auidius rapiendi feruentius corripiuntur. Non enim istis unquam finis aduenit cõportandi, quod eis semper deest, id quoq; quod habent. Isti fabricant argentum, laboribus aliorũ effossum ex terræ montiumq; uisceribus, multa sanè solicitudine, labore & expensis, periculis rerum & uitæ, nunquam non sunt soliciti, interdiu discurrunt pedibus, noctu cogitationibus insomnes & anxij. Nunquam peruenitur quibuscunq; laboribus ad omnium artium & lucri inuentiones ultimas, semper restat maius aliquod & utilius reperiendũ & aptius. Ii omnes quum tot laboribus ac studijs pacem & felicitatẽ perquirerent, nunquam quieti uiuerent, & conquisitis diuitijs iam frui & oblectari inciperent, uel instituissent, subito manu domini, per modos prouidentiæ dei idoneos exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, non tantum corpore proiecti in terram, sed animis quoq; in impietate & perfidia perseuerantibus, cum satana & angelis suis tartara infelicitatis æternæ subierunt. Alijs in hoc mundo raro aũt pijs filijs, sed ut plurimum peioribus alienisq; locum cedentes, ne mundus uacet improborum studijs, quando illi uia domini & lex fidei ac charitatis placere non potest.

Studia principum illaudata.

Sapientia stultorum.

11 Iuuenes uiderunt lumen, & habitauerunt super terram, uiam autem disciplinæ ignorauerunt, neq; intellexerunt semitas eius, neq; filij eorum susceperunt eam, à facie ipsorum longe facta est:

Mundani ij principes, de quibus dixit, hoc quoq; infelicitatis incidunt, ut lumen cœli, uitam corporis, carnis oblectamenta non senes, sed adhuc iuuenes perdant. Habitant quidem super terram, sed non nisi iuuenes, non senum assequuntur, quod periculosa ut plurimum studia æmulentur, uarijsq; modis uita incautis præripitur, quia ambulant per uias difficiles, & lumen sapientiæ non illis lucet. Viam disciplinæ domini legem dei ignorauerunt, laborantes quidem crassa ignorantia & affectata, quam ex studio uerbi dei propellere potuissent. Semitas quoq; sapientiæ diuinæ, omnem creaturæ ordinem, & bonarũ literarum peritiam, talibus uanis rebus intenti assequi non curarunt, nec intellexerũt fructus dulcissimos sapientiæ salutaris: ideoq; non mirum, si hanc quoq; suis filijs non persuaserunt: quid enim discerent filij, nisi studia parentum? non enim felicitate maiore digni sunt impiorum iniqui filij. Nec filij nec parentes mundum diligentes, & quæ in ipso sunt concupiscentiam carnis, concupiscentiã oculorũ, & superbiam uitæ, qui & transit cum figura & concupiscentia eius, deũ diligere possunt, cuius uoluntas & beneplacitum longe est à factis ipsorum, dedignantur etenim intueri religiosa et sanctã, multo minus æmulari sequi uel perficere.

Principes raro senes.

12 Non est audita in terra Chanaan, neq; uisa est in Theman. Filij quoq; Agar qui exquirunt prudẽtiam quæ de terra est, negotiatores terræ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores intelligentiæ, uiam autem sapientiæ nescierunt, neq; commemorati sunt semitas eius.

Vtcunq; strenuissimi essent olim Chananæi, & inter Aegyptios atq; Græcos sapientiæ professores, atq; simul & Chaldæos, medij, non tamen quicquam audierunt de sapientia uera, quæ est illum scire, & amicum habere, qui omnia moderatur. Habitabat quidẽ inter eos Abraham sapientissimus, cuius iustitiam accusare quidem non poterant, ipsi tamẽ iniquissimi erant, oppressores, tyranni truculenti, & feroces, quales sapientiæ spiritu minime imbuuntur, qui non quiescit nisi super humiles & mansuetos. Themanitæ quoq; ad Austrum, uel Arabes, uel Aethiopes, uel Aegyptij, negotiationi magis quàm sapientiæ ueræ insteterunt semper. Tales & Agarem, finitimi uicini, prudentiam quidem sectantur, sed eam, ut negotiationibus uaferrime incumbentes ditescant, per terram & maria, qui uirtutes ducunt post nummos, eos foueri colunt qui diuites sint. Negotiatores terræ per omnem australem plagam, quæ Theman dicitur, quæ ob maximum uicinum commoda est mercibus transferendis. Quin & fabulatores Græci & alij magnifica de se, sed mendacia prædicantes, opinionem sapientiæ sibi usurpant, interdum gentiæ quoq; apicem profitentur, ut et sapientiã se posse docere iactent. Omnes ij uiam certam ueræ sapientiæ nescierunt, fidem unus dei risui habuerunt, & legem domini dei sabbaoth sponte nescierunt, imò ipsius studiosos fideles semper sunt persequuti. Et cum Israëlitarum sapientiam in medio positorum discere oportuerit, ob loci uicinitatem, ipsi potius omnes ob eandẽ sapientiam & religionis ueræ professionem ad omnem occasionem persequuti sunt, & multis semper affecerunt incommodis, toties incursantes, deprædantes, capientes, quasi omnium hominum ineptissimos, quia uno deo contenti, idolorum & multorum deorum cultura impium duxerant. Nunquam aũt Israëlitæ promptiores erant ad idola, quàm cũ diuturna pace fruerentur: & uicissim in terris dispersi, difficile ad idololatriã adducti sunt semp.

13 O Israël quàm magna est domus dei, & ingẽs locus possessionis eius? Magnus est, &

Sapientia Israelis.

& nõ habet finem: excelsus & immensus.

Ostenderat iam quibus abesset & negaretur uera sapientia, nunc quibus concessa & reuelata, ab eo qui solus dat homini sapientiam, quæ non potest intelligi maior, quàm admirari cœlestium conditorem & gubernatorem, et ad ipsum referre omnes creaturas nobis notiores, ut sic à notioribus nobis ex sensu & experientia, conscendamus ad intelligibilia, & ad magnitudinem, sapientiam & potentiã eius, à quo omnia ista pendent & sustentantur, tanquã à patrefamiliãs tota domus ordinatur & regitur. Cuius certe domus supremi domini nobilior familia semper fuit ea, quæ domino placuisset, ut Israëliticus populus, cui familiarem se dominus præbuit, legem dedit, uirtutẽ ostendit, beneficia præclara promisit ac præstitit, unde hic dicitur: O Israël populus domini, et ad salutarem sapientiam peculiariter capessendam & docendam ordinatus in orbe terrarum, quàm magna, gloriosa, mirabilis, ornata, & optime cõdita est domus illa, machina mundi totius, quam deus condidit, & replet bonitate & sapiẽtia sua. Et quàm amplus est locus eius possessionis, quam præparauit omnibus diligentibus nomen suum, ut in ea cum electis omnibus lætetur, & beatitudinem in se largiatur. Cœlum nanq; illud sedes dei et omnium beatorum. Certe magnus est iste locus, & sine termino, quia perfectissima figura circulari ornatus, si molem aspicias, si uero durationem, æque non finem inuenies. Excelsus quoq; locus est ille & immensus, quo maiorem ratio humana capere uix potest.

14 Ibi fuerunt gigantes nominati illi qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. Non hos elegit dominus, neq; uiam disciplinæ dedit illis: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.

Gigantes. Baruch.

De terra Chanaan iam ante dixerat, de qua nunc magis prosequitur, quod hæreditario diuinoq; iure possessa & nunc adempta propter peccata, eandem anxie recuperare cupiebãt semper. In ea, inquit, regione, ante tempora Iosue, & sub id tempus erant gigantes famosi & nobiles, statim ab initio mũdi ibidẽ geniti, sed diluuio absumpti, cuius tamen reliquiæ ex semine Cham non defierunt. Erant uero statura magna & robusta, quali erat et Goliath, scientes bella gerere, opprimere imbecilliores, rapere, prosternere, & subiugare pro uoto, per fas & nefas. Huiusmodi incommodos homines & iniuriosos nõ elegit, non probauit, nõ passus est uiuere semper, sed occidi iussit à sanctioribus, qui timorem domini quæ uera est sapientia, fuerant assecuti, sine qua homines cõmode uiuere nõ possunt. Vbi enim locũ inuenerit atrocitas, crudelitas & immanitas, ibi dei iustitia et uindicta subsequitur, unde & propter insipientiã suam omnes perierunt, quãdo legi domini, cuius scopus est charitas ad hoĩes, & deitatis reuerentia atq; timor, ex diametro repugnabãt.

15 Quis ascendit in cœlum, & accepit eam, & deduxit eam de nubibus? Quis transfretauit mare: & inuenit illam, & attulit illam super aurum electum?

Sapientia uera unde.

Sapientiã salutarem, ueram, deq; diuinis rebus & supernaturalibus uel cœlestibus, quis unquã docere potuisset? Nemo enim unquã hominũ cum deo conuersationẽ eatenus habuit, ut sapientiã rerũ diuinarũ assequeretur ex oĩbus gentibus, præter electũ à domino populũ Israëlem, sed neq; quispiã gentiliũ, quamlibet procerus gigas, illam ex nubibus trahere potuit, nec de remotis terris ab aliquo negotiatore Themanite afferri, ut illam uenderet pro quacunq; magnitudine auri uel argenti. Non sic acquiritur, nõ illinc adducitur de terra, mari uel æthere, et tamen non negatur electis, nõ abest filijs dei & fidelibus ubicunq; locorũ subsistentibus. Verum non id fit uirtute humana uel studio, sed inspiratione et reuelatione diuina.

16 Nõ est qui possit scire uias eius, neq; qui exquirat semitas eius: sed qui scit uniuersa, nouit eam, & adinuenit eam prudẽtia sua:

Sapientiam ueram, cœlestem, quæ beatos reddere potest sapientes, deiq; cognitionem bonitatis, iustitiæ, potestatis & perfectionũ eius sine numero, nemo nouit hominum, ex studio quocunq; quod proprijs uiribus perficiendum suscepit. Ea sapientia desursum est, descendens à patre luminum, sola dei gratia, & per spiritũ sanctum in corda diffusa obtinetur, & per reuelationem dei, qui solus nouit semitas eius, qui solus totã habet, nouit, donat prout uult unicuiq; secundũ mensuram donationis, idq; per uerbum suum, quo olim locutus est dñs per Mosen et prophetas, qui illam adinuentã, uarijs reuelationibus in monte Sinai, in terra Israël, & alibi, secundum suam uoluntatem qui seipsum ostendit & reuelat quando, quomodo & quantum sibi placet: ipse enim unuersa nouit, & sapientissime dispensat singula solus, aliquando obscurius, aliquando clarius suam explicans uoluntatem.

17 qui præparauit terrã in æterno tempore, & repleuit eam bipedibus, & quadrupedibus: qui emittit lumen: & uadit, & uocauit illud, & obedit illi in tremore.

Doctor unicus ueræ sapientiæ.

Excellentiæ diuinæ epitheta recitat, eius scilicet unde sapientia habetur et obtinetur, qui scientiã salutarem mundo reuelauit, quia solus potuit ueram profiteri, & docere pios, quos ex cunctis elegit in mundo ab initio. Is, inquit, ueræ sapientiæ largitor solus est, qui in sapientia sua & uerbo omnia creauit, ordinauit, regit, & conseruat, qui in tempore dudum lapso, cuius non est numeratio hominũ cognoscibilis, nõ est enim homo qui annos cõditionis terræ inchoatos nouerit ex humana sapientia quacunq;, sed idem dominus sapientiæ author, terram iamdudum & ante conditũ hominẽ repleuit bipedibus animalibus & quadrupedibus, adde & multorũ pedum: nihil enim sine sapientia & secretissima ratione conditũ est, ut unum sic formatũ sit, aliud aliter. Is sapientiæ fons & uerbũ domini, lumen formauit unico iussu, solem communem lumen toti mundo, cui imposuit ordinem sese mouendi pro salute omnium habitantium in unuersa terra. Vocauit lumen illud, hoc est uoluntatis suæ, et uerbi unici præcepto subsistere fecit, & statim cum reuerentia obedire cœpit, & semel à deo constitutum ordinem motus sui, conseruat in perpetuum, exactissima diligentia.

Tanta est potentia uerbi dei, tam immensa & omnipotens sapientia eius est, qui solus est sapiens.

18 Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt: uocatæ sunt, & dixerunt. Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.

Obedientia creaturarũ.

Nedum terra, homo, animalia, sol, sed & stellæ formatæ sunt uerbo oris sui, & per sapientiam increatã istam diuinamq;, & suis locis constitutæ ordinem suum seruant, motum & actum, ut iussæ sunt semper, obseruantias suas custodiunt, ut ne ad latum quidem unguem declinent à uia sua, sed uocatæ ad officium ipsis à creatore iniunctum statim adsunt, & cum lætitia, id est ad omne uotum paratæ domino obsequuntur, sine quocunq; uel impedimento uel mutatione, quasi dicentes conditori suo: Adsumus semper, pro omni uoluntate tua ô deus omnipotens, ut ad tuũ beneplacitũ luceamus, lumen à te nobis impartitũ mundo administremus. Nihil enim antiquius ducimus, quàm per omnia obsequi ordini imposito illis à mundi gubernatore, qui illas fecit ut lucerent.

19 Hic est deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum.

Deus uerus & unus.

Hic talis & tantus mundi totius creator & moderator, cui omnia obediunt, cui soli accepta referri debent omnia bona, ut sunt esse, posse, uiuere, operari, & subsistere, uel durare. Is solus & non aliud quodcunq; in mundo deus noster est, deus unus et solus, omnipotens, bonus, sapiens, præter quẽ & cum quo aliud non est uel esse potest deus, à quo omnia dependent in esse et operari. Cui nihil resistere potest, qui secundũ sapientiam suam et potentiam omnia moderatur, qui totus bonus est, & sese communicat participandum infinitis modis ab omnibus.

20 Hic adinuenit omnem uiam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.

Sapientia fidelium.

Is deus solus omnipotens, summus, optimus, maximus, fons est omnis sapientiæ salutaris, qua uere sapiunt & utiliter quicunq; sapere possunt, absq; indigentia & errore, sine falsitate quacũq; admixta uel dubio, de qua nemini liceat diffidere, cum omnium aliorum sapientia permixta habeatur erroribus. Hanc sapientiam suam tradidit omnipotens ille deus Iacob puero suo, hoc est, populo Israelitico electo, in monte Sion suo modo illis apparens & loquens primum. Deinde summam sapientiæ suæ nobis utilem & necessariam tradidit, seruo sibi electo ad hoc Mosi, quam & scripsit digito suo in tabulas duas, prolixius autem declarauit per uerbum suum & spiritum in sequentibus temporibus, libris Mosi & prophetarũ, quos suo uerbo illustrauit, ad scientiam diuinarum rerum homini necessariam: ut ostenderet ad ipsum Israelem gratiã singularẽ præ omnibus hominibus in mundo cõstitutis unquam. Quia nõ fuit unquã natio uel gens, cui sic dominus uerbo suo adesset, et præsens alloqueretur, ut factũ est cum Abrahã, Isaac, Iacob, Mose, Iosue, & Dauide, Salomone, & omnibus prophetis usq; ad ultimũ Zachariã filium Barachiæ, quibus omnibus multipliciã multisq; modis locutus est per uerbum suum sibi consubstantiale & æternũ, quod aliud esse nõ potest nisi ipsemet deus, per quod creata sunt omnia, cum esset cum eo deus ante omnia apud deum, sine quo factum est nihil.

21 Post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est.

Hic dominus deus omnipotens, qui uerbo suo locutus est patribus, tandẽ propria persona descendit de cœlis, & in humanitate assumpta à uerbo locutus est, et sapientiam ueram docuit sapientia patris, & uerbum dei caro factũ, ut habitaret in nobis, homo apud homines, secundum dispensationem carnis, in qua uoluntatem dei clarissime euangelizauit, ut mundũ erroribus idololatriæ deprauatũ corrigeret, sapientiã carnis cõfunderet, figuras priscæ sapientiæ aperiret, absolueret imperfectã, & insuper prophetarũ oracula de regno dei inter homines per totum mundũ propagando cõpleret, mundũ conciliaret deo patri per humilitatẽ & ueritatẽ, qui ab initio conditionis per superbiã & falsitatẽ recesserat à deo. Sic semel suo tempore à prophetis prædicto uisus est deus & homo, in persona Christi dñi, & cum hominibus conuersatus est in ueritate carnis, salutis dispensationem peregit, in benedicta humanitate, in qua tandẽ apparere uoluit, sicut olim apparuit in forma hominis Abrahæ, Iacobo, & alijs in forma rubi, & Gedeon aliter, sicut & Dauidi, Salomoni, Esaiæ, Ezechieli, et reliquis, sic nondũ toti mundo innotescere uolens, humanã assumpsit naturam, in qua perficeret quæ promissa fuerant perficienda à prophetis, essetq; longe perfectior præsentia illa in carne, quàm ea qua non solũ quadraginta annis cum Israele fuit in solitudine, sed etiam postea in templo & sanctuario, quo propediem dissipando corpus humanũ susceptum, in quo appareret aliquandiu in terris, tandem illud immortale & incorruptibile proponendũ beatitudinis specula clarificatum in cœlis omnibus electis & sanctis.

CAPVT IIII.

1 Hic liber mandatorum dei, & lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, perueniẽt ad uitam: qui autem dereliquerũt eam, in mortem.

Post doctrinã de sapientia falsa & uera, à quibus habeatur ac detur, ad quid ordinanda sit, nunc docet Baruch propheta clarius, quæ sit illa uera sapientia creata, quam in carne uel aliter apparens increata sapientia docuit, quæ sola sapientes reddat, & felices. Hæc, inquit, est ista sapientia, quæ continetur in libro mandatorũ dei. hæc enim, inquit Moses in Deuteronomio, est sapientia uestra & intellectus coram populis, quam dominus docet, ut homines uiuant in ea, de quibus dici possit: Ecce populus sapiens & intelligens, gens magna. Quæ etiam sapientia nullam admixtam cõtinet falsitatem, sed cuius ueritas & uigor permanet in æternum, quæ improbari non possit. Quicunq; hanc assequuti fuerint sapientiam atq; tenuerint, ad uitam promouebuntur æternam, qui uero illam reliquerint uel contempserint, mortẽ incidente æternã. Quam in carne ueniens sapiẽtia Christus uerbi dei non minuit, sed perfecit: nõ legem domini soluit, sed declarauit,

declarauit modũ perfectius adimplendi. Hic uero ſapien
tiæ ueræ liber alius non eſt, quàm canonici libri ueteris
& noui teſtamenti, qui ſufficiunt ad ſcientiam pietatis,
ad animarum ſalutem, ut per eam perficiatur integer ho
mo ad beneplacitum creatoris.

2 Conuertere Iacob, & apprehende eam,
ambula per uiam ad ſplendorem eius con=
tra lumen eius.

Alios ad legis diuinæ obſeruantiã & cultum Baruch
aduocare non poterat, niſi iſraëlem, ſed uerum & ſecun
dum ſpiritũ generatum ex fide Abrahæ. Is tunc uiuens
populus & diſperſus ad conuerſionem inuitatur, ut le=
gem domini diſcendam ſuſcipiant, externarum gentium
ſtultam ſapientiam nõ admirentur, ſed diuinitus ſibi da=
tam in monte Sinai, prophetis inſpiratam, portentis com
probatam, ſtudioſe & plena fide apprehendant, diſcant,
credant, diſcutiant, inculcent, & doceant poſteros, ut ad
præſcriptum dogmatum diuinorum incedant, diſcendo,
docendo, atq; uiuendo, quæ ſapientia legis diuinæ illis lu
cerna ſit & ſplendor, ad cuius directionem tuto incedãt,
ut minime aberrent à ſcopo felicitatis promiſſæ, ſine qua
quicquid diſcitur tenebræ eſt, & incertitudo, & error.

3 Ne tradas alteri gloriam tuam, & digni
tatem tuam genti alienæ.

Legem ſapientiæ ueræ tibi diuinitus datam ſpecialiſſi
mo fauore dei, quod non fecit unquam ulli nationi, in ma
gnam gentis illius gloriam, nõ dimittant, nec permutent
cum humana eruditione quacunq;, non putent ſibi illam
non ſufficere, nolint conformari legibus et doctrinis gen
tilium, intelligant quid & ad quem finem à deo accepe=
rint, ut per eam filij dei habeantur & permaneant, qua
gratia omnibus cæteris gentibus ſuperiores exiſtant.
Quam denuq; ſapientiã, Iſraelitis à deo traditam, omnes
per Chriſtum & Apoſtolos populi olim ſint amplexa=
turi, ut Iudæi non prolabantur ad dogmata gentiũ, ſcien
tes omnes gentes Iſraelitarum ſcripturas in toto mundo
ſuſcepturas, quod inſignẽ illis gloriã cedet, quam ipſi
nulli gentium ſint ceſſuri.

4 Beati ſumus Iſrael: quia quæ deo placẽt,
manifeſta ſunt nobis.

Quæ maior beatitudo, felicitas, et excellentia Iudæis
contingere uel Iſraelitis potuiſſet, quàm quod benepla=
citum ſuum, ſapientiam & leges ſuas, omnipotens deus
illi genti tam gratioſe, magnifice, & clare contradidit?
ut ſcirent certò quomodo & in quibus illi domino com=
placere poſſent, & in uia iuſtitiæ proficere, uitamq; in
præſenti pacificam, honeſtam, & iucundam, in futura
uero beatam & felicem conſequi domino propitio poſ=
ſint: quo quid melius homo deſiderare poteſt? quæ tamẽ
ex diuina ſapientia aſſequuntur.

5 Animæquior eſto populus dei, memo=
rabilis Iſrael. Venundati eſtis gentibus,
in perditionẽ: ſed propter quod in ira dei
ad iracundiam prouocaſtis dominum, tra
diti eſtis aduerſarijs.

Vtcunq; nunc in regna hoſtilia diſperſi, deſertos uos
& abiectos à domino cogitare poſſitis, bono tamen uos
animo eſſe oportet, qui populus dei eſtis, qui ut optimus
eſt, ſic nihil agit non optimum. Longe enim & domino
deo ueſtro et uobis glorioſius eſt diſſeminatos uos degere
inter gentes, ubi ſapientiam ueram edocti, exemplũ eſtis
uirtutis & pietatis, ubi ſapientiam ueram propagare et
inde clariores fieri licet, quàm ſi quieti in terra ueſtra,
ſoli ſapientes eſſetis, incraſſati dilataremini, & in pace
amaritudinem amariſſimam ſentiretis, ut quanto quie=
tiores, tanto eſſetis inſolentiores. Sed nec ferre hoc exi=
lium impatienter debetis, quando conſcij eſtis optimo
uos iure punitos, & gentibus uenundatos, quia dominũ
ad iracundiam prouocaſtis, interim tamẽ uaticinijs pro=
phetarum conſolati, quod ſuo ſtatim ſitis tempore cer=
tiſſime liberandi & non perdendi. Exiliũ utile Iſraelitarũ.

6 Exacerbaſtis enim eum qui fecit uos, de=
um æternum, immolantes dæmonijs &
non deo.

In Cantico Moſis futurum dicebatur, Quotieſcunq;
à lege domini dei ueſtri diſcederetis, & peccatis enormi
bus dominum creatorem & factorem ueſtrum exacerba
retis, in idolis ueſtris, & externorum deorũ cultura, dæ=
monijs & non deo ſacrificia immolantes, tradendos eſ=
ſe aduerſarijs, minumeq; uobis parcendũ. Id hactenus ſem
per experti eſtis, & experientur omnes, qui poſt agnitã
ueritatem, & ſuſceptum ueri dei cultum, turpiter deſe=
runt, & ad iracundiam prouocant domini bontatem.

7 Obliti enim eſtis eum qui nutriuit uos,
& contriſtaſtis nutricem ueſtrã Ieruſalem.

Quadraginta annis in uaſta ſolitudine ueſtrã multitu
dinem miraculoſe nutriuit dominus manna & auibus, pe
tra aquam fundente, ſed ſtatim & ſubinde ſæpius bene=
ficiorum obliti, idola coluiſtis, & legislatorem ſanctiſſi=
mum perſecuti eſtis. Donec Hieroſolymam quoq; urbem
à domino pro ſuo honore & cultu electam, ueſtris con=
ſpurcaſtis criminibus, et in ſauillas, cineres, ac ruinas con
ieciſtis, de quo nunc infructuoſam pœnitentiam agitis,
quia in tempore reſipiſcere renuiſtis.

8 Vidit enim iracundiam à deo uenientẽ
uobis, & dixit, Audite cõfines Sion, addu=
xit enim mihi deus luctum magnũ: uidi e=
nim captiuitatem populi mei, filiorũ meo=
rum et filiarũ, quã ſuperduxit illis æternus.

Iracundiam nominat uindictam dei, hoc eſt iuſtam pœ
nam, pro prophetarum ſanctorum occiſione in Ieruſalem
metropoli exacta, pro qua fingit conſequenter loqui ur=
bem ipſam, dum uideret imminere ſibi uaſtationem, à
Ieremia & alijs prædictã, ut dicere uideatur et acclama
re uelut mater filias, hoc eſt oppida & uicos in circuitu
Ieruſalem confines, quas aliàs filias Ieruſalem prophetæ
nominare conſueuerũt. Adduxit, inquit Ieruſalem, mihi
deus luctum magnum, cauſam amariſſimi fletus, et lamen
tationis diuturnæ materiam. Captiuitatẽ ſcilicet populi
Iudaici, & filiorũ Iſrael, qui de uniuerſa terra Iſraelitica
tanquam religioſiores ad cultum dei cõfluxerant, quam
is qui æternus eſt ſolus, miſeris ac rebellibus ſuperduxit. Iracundia dei.

9 Nutriui enim illos cum iucunditate: di=
miſi autem illos cum fletu & luctu.

Ierusalem metropolis.

Multis temporibus floruit urbs, à tempore Dauidis, qui eam fecerat Israelitici regni metropolim, populosissima fuit semper, & nullius rei indiga, eximijs quoq; victorijs non raro celebrata est, & iucunditate multa sub bonis regibus perfruita. Sed quia per idololatriam corrupta est, hostiliq; zelo sanctos prophetas domini occidit quàm plurimos, ideo primũ quidẽ dimissi sunt ipsius filij, ipsaq; spoliata ornamentis sacris, ciuibus in captiuitatem dimissis, cum multo fletu & planctu abesse sibi suos filios conquesta est primũ, tandem uero mater cum residua prole occisa.

10 Nemo gaudeat sup me uiduã & desolatã: à multis derelicta sum propter peccata filiorũ meorũ, quia declinauerũt à lege dei.

Desolata nunc est Ierusalem, quia uastata funditus, et uiduata tam marito dño deo suo, qui in sancto sanctorum ueluti in thalamo cum ecclesia sponsa domini habitabat, et filijs pluribus spectabilis facta, nunc tota derelicta est, propter peccata nõ urbis, quæ non offendit, sed propter inhabitantes ciues et filios, qui toties à prophetis de domini uoluntate edocti, desciuerunt sponte et data opera à lege domini, omnibus modis quibus potest peccari, ut iustam esse uindictã domini nemo sapiẽs queat dubitare.

11 Iustitias autẽ ipsius nescierunt, nec ambulauerunt per uias mandatorũ dei, neq; per semitas ueritatis eius cum iustitia ingressi sunt.

Iustitias dei nescire.

Iustitias domini Iudæi nescisse, est ceremonias & iusta uel instituta legis de colendo domino, data opera & ex contemptu neglexisse et spreuisse. Quicquid enim apud gentilium culturas deorũ uel Damasci uel alibi uidebant, hoc illis magis applaudebat, solam domini dei institutionem probare non poterant, nec in iudicijs diuinis ambulare, uel secundum mandata ipsius uiuere uolebant. Semitas ueritatis id est simplicia fidei & morum dogmata non sunt ingressi, nec didicerunt cum iustitia, hoc est iuste & ut decebat. Hæc autem omnia toties admoniti & multipliciter eruditi admiserunt.

12 Veniant confines Sion, & memorentur captiuitatem filiorum & filiarũ mearum, quam superduxit illis æternus.

Omnes in circuitu Ierusalem nationes & populi occasionem susceperunt confabulandi de ciuium meorum et mea miseria, de insigni calamitate quam iuste dominus deus summus & optimus superinduxit nobis. Voluit hanc urbem & populum exemplum statuere omnibus omnium temporum hominibus, fidelibus & infidelibus, ut discant sectari iustitiam, grati esse domino deo suo, scientes sibi quoq; à tantis beneficijs immunibus nõ parcendum si peccent, si suo peculiari populo, & sedi sanctificationis suæ et scabello pedũ eius parcere nõ uoluit.

13 Adduxit enim super illos gentẽ de longinquo, gentem improbam, & alterius linguæ: qui nõ sunt reueriti senem, neq; puerorum miserti sunt: & adduxerũt dilectos uiduæ, & à filijs unicam desolauerunt.

Hoc futurũ de longinquo dudum prædixerat Moses.

Adducet dñs super te gentem de longinquo, et de extremis terræ finibus, in similitudinẽ aquilæ uolantis cũ immis terræ finibus, in similitudinẽ aquilæ uolantis cũ immisetu, cuius linguam intelligere nõ possis, gentẽ procaci, simã, quæ nõ deferat seni, nec misereatur paruuli, &c. ibidẽ uicesimooctauo. Sic quoq; Ieremias nuper dixerat de proximo affuturũ, superioribus addẽs: Pharetra eius quasi sepulchrum patens, unuersi fortes, & comedet segetes tuas, & panem tuum deuorabit, filios tuos &c. capite quinto. Hoc nunc factum Ierusalem lamentatur, sed infructuosa pœnitentia & cum desperatione, quandoquidem nullum reliquum sit tantis malis remedium.

14 Ego autem quid possum adiuuare uos? Qui enim adduxit super uos mala, ipse uos eripiet de manibus inimicorũ uestrorum.

Cupit quidem consolari suos filios, sed nõ potest, quia sic esse domini iustissimam uoluntatem plane intelligit & fatetur, à quo solo iuuandi sint, & cum illi placuerit liberandi. Nihil uirium uel meritorũ ingenue superesse sibi propheta ecclesiæ nomine fatetur, sed gratiã domini sperat & imprecatur fidelibus. Qui enim aduersitates induxit propter peccata, is solus condonare uolet, & pœnam remittere, ubi agnouerit resipiscentiam, ut promisit in lege & prophetis. Nec habent perniciosiorem hostem credentes quàm peccatorum conscientiam.

15 Ambulate filij, ambulate: ego enim derelicta sum sola. Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, & clamabo ad altissimum in diebus meis.

Consolatur spiritus prophetæ fideles, ut non cunctentur progredi in uia domini, ob difficultates quas ab impijs patiuntur, sed in uera sapientia legis diuinæ proficiant, secundum quam dirigant uitam suam. Vt sint in medio quoq; prauæ nationis immunes à criminibus, & à fide uerbi dei, propter persecutiones non deficiant. Nõ scandalizentur ob gentilium potentatum in pios. Non idcirco falsam doctrinã suspicẽtur Israelitæ captiui, quia in exilio opprimuntur. Quandoquidem id uerbum domini dudum transgressoribus prædixerat euenturum, quod nunc facti euidentia, prophetam fuisse ueritatis cognoscunt. Omnes enim fere prophetæ prædixerunt derelinquendum montem Sion absq; habitatore: exuendam Hierosolymam omni decore suo: sacco calamitatum uestiendam, deserendam à ciuibus, funditus euertendã, sed in captiuitate resipiscentiam adepturam gratia domini, & de exilio redituram ad propria.

16 Animæquiores estote filij, clamate ad dominum, & eripiet uos de manu principum inimicorum.

Hortatur reliquias Israelis, sub regno Babylonico afflictas, ut longanimes sint in spe liberationis promissæ, et finem annorum æquanimiter operiantur. Non esse repudiatos omnino, sed persistere in sorte filiorum, qui à pientissimo patre non possint derelinqui. Tantum ut pœnitentiam agentes, & in fide perseuerantes, dominum implorent, & clament pro uenia, quam illis negare nolit, sed de manu principũ huius mundi erepturus sit eos, iuxta promissiones à dño factas, in manu suorũ prophetarũ.

Ego

17 Ego enim speraui in æternum salutem uestram: & uenit mihi gaudium à sancto super misericordia quæ ueniet uobis ab æterno salutari nostro.

Synagoga piorum prosequitur consolando credentes exules ne decidant à spe firma in dominũ, qui electos saluat salute æterna, etiã si in hoc mundo grauia patiantur. Consolationẽ enim habet ex ore omnium prophetarum Meßiam, unde gaudere religiosißime poßit, qui de tribu Iuda nasciturus sit, adhuc quoq; restituendũ populum in suam dignitatẽ, longe quàm unquam maiorem habuerit, idq; nõ meritis suis, ut hodie et semper Iudæi sperant, sed à sancto illo, qui per anthomasiã dicitur sanctus, & sanctus sanctorũ à Daniele. Id uero nõ ex operibus iustitiæ, quæ sint sancti facturi, sed super misericordia, quæ ueniet electis ab æterno promissa & prædestinata, quæ misericordia per Christum dominũ est salus nostra, in quo 18 saluari saluantur, quotquot unquam saluari debent.

Emisi enim uos cum luctu & ploratu: reducet autẽ uos mihi dominus cum gaudio & iucunditate in sempiternum.

Tam Israelitæ decem tribuum populus quàm Iudæi, quorũ utrorumq; mater olim fuerat Ierusalem, tempore Dauidis & Salomonis, cũ multo luctu & ploratu deportati sunt in exilium, in captiuitatem diuturnam, uerum tamen his uerbis prophetæ cõsolantur de reditu ipsorũ, suo tempore futuro cum gaudio & iucunditate, quæ diu fit duratura, uel quæ diu desiderari poßit, & quam futurã diutißime desiderent. Nõ enim dominus fideles quoscunq; diu miseros sinit, sed ut ex aduersitate illos contigerit emendari, statim succurrit patientibus, & cum tentatione prouentũ facit, ut et sustineãt, et citius liberẽtur.

19 Sicut enim uiderunt uicinæ Sion captiuitatem uestrã à deo, sic uidebunt & in celeritate salutem uestram à deo, quæ superueniet uobis cum honore magno, & splendore æterno.

Non pununtur à domino credentes etiam si peccent ut perdantur, sed ut emendati proficiant ad salutẽ, quia omnia sanctis prodesse conuenit. Sic hominibus ad salutem ordinatis, pœna ad profectum cedit: impijs autẽ & desperatis ad damnationis incrementum. Impij autem, Iudæorum uicini, Palestini, Tyrij, Syri, Ammonitæ, Moabitæ, Amalechitæ, Edomitæ, exultauerant omnes ad exitium Israelis & Ierusalem, & quoad poterant aggrauabant ipsorum miserias, & gratulabantur, sed tantam inuidiam dominus inultam non tulit. Superuenit enim statim ipsis quoq; omnibus perditio & uastatio in locis & personis. Qui super hæc omnia cernere coacti sunt renouatam salutem & prosperitatẽ, magnumq; honorem & splendorem Israelitici populi. Cum enim principalis ratio odij & zeli esset contra Iudæos, unus dei Israelis cultus & gloria, eam uidere coguntur omnes istæ regiones & incolæ. Quin & quem dominum oderant, eius cultũ & reuerentiam erant suscepturi in omnia sæcula duraturum. Statim enim in Babylone creuit gloria dei Israelis, & omnium gentium illarum blasphemia in deũ ipsum uno monarchæ edicto punita est & impedita.

20 Filij patienter sustinete iram, quæ superuenit uobis: persecutus est enim te inimicus tuus, sed cito uidebitis perditionẽ ipsius: & super ceruices ipsius ascendes.

Ad idem tendit, ut æquanimiter ferant manum paternam filij non proijciendi sed amabiles. Docentur patientiam pro aduersis præsentibus, inter hostes Babylonicos: qui quanquam crudelißimi hostes, fideles persecuti sunt ad extremam perniciem, à nulla crudelitate sibi temperantes, cito tamen perdendi sint iustam uicißitudinẽ receperi, eius quam sibi melioribus hominibus calamitatem intulerũt, uisuri prope tempus Babylonios turpißime opprimendos, et ab illorum se potentatu liberandos. Quin et nõ pauci ex Iudæis in regno Persarum ad dominia sint exaltandi, et cæteris iam oppreßis gentibus dominaturi. Id uero à Christi temporibus clarißime liquet impletũ, quando Meßiæ domino subiectus est totus mundus, Apostolorum doctrina sancta & salutaris totũ peruasit orbem, errores regnorum omnium impietatis causa eliminati sunt, & fermè in totum deleti.

21 Delicati mei ambulauerunt uias asperas: ducti sunt eñ ut grex direptus ab inimicis. Animæquiores estote filij, & proclamate ad dominũ: erit enim memoria uestra ab eo qui duxit uos.

Delicati dicuntur electi à domino, quos habere uisus est dominus in delitijs, quos peculiarem populum habuit & laudauit, prætulitq; cæteris omnibus. Quales sunt interim per uocationẽ dei credẽtes in toto mundo. Isti omnes, pie uolentes uiuere, perpeßi sunt semper & persecutiones patiuntur, aspera illis uia transeunda iniũgitur. Ducuntur in captiuitatem sub Salmanasar, sub Iosia, sub Ioakim, & Sedechia, sub Antiocho, & reliquis multis tyrannis. Sic in Christi regno fideles sub decẽ Romanorum persecutionibus, sub Antichristo quoq;. Sic adhortantur ad longanimitatem & patientiã filij dei excelsi, quos tunsionibus & pressuris expolire solet deus ad cœleste ædificium extruendum: sic ut ad dominum clament, quorũ memoria sit futura in benedictione perpetua. Qui enim in tentationes induxit, potest & uult quoq; educere, dum optimum uisum fuerit bonitati suæ. Amicorum dei fata.

22 Sicut enim fuit sensus uester ut erraretis à deo: decies tantum iterum conuertentes requiretis eum.

Sicut iuxta sensum carnis ab initio natiuitatis deprauatæ multipliciter errare per fragilitatem contingit electos & peccare in dominũ, quod in multis omnes offendant, & inde calamitatibus uarijs disciplinantur à iustitia dei: sic longe superexaltante clementia iudicium & uindictam, multo ardentius conuertẽtur ad dominũ, & maioribus beneficijs afficientur, ut quanto remotius abscesserunt à domino, tanto proximius per fidem & charitatem dño sint adiungendi. Non enim electos sinit dominus periculose concidere, nisi prædestinauerit post casum altius subleuare: patet omnibus sanctorũ exemplis,

23 Qui enim induxit uobis mala, ipse rursum adducit uobis sempiternam iucunditatem cum salute uestra.

Ad idem fermè loquitur, qui ecclesiã fideliũ omnibus temporibus propter peccata corrigit et affligit, ipse rursum emendatam & conuersam fide et pœnitentia, iucunditate durabili exornat, & salute perpetua beat. Sic dominus qui in Babylonem dispersérat, sub Cyro et sequentibus regibus reducturus erat cum gaudio & salute.

24 Animæquior esto Ierusalem: exhortatur enim te qui te nominauit.

Quamlibet nunc in ruinis iaceas, deo olim chara Hierosolyma, et ob dei cultũ, quem Babylonij eradicandum cogitabant, dum uastarent Ierusalem. Non enim intendebant uindicare sanguinẽ prophetarũ effusum à Manasse, sed dei unus cultum persequi, & oĩbus imperare. Tamẽ decreto domini cõsolaberis, restitueris, gloriosior eris et illustrior. Et nomẽ excellentius assequeris, quàm habeat aliqua magnarum urbium in orbe unuerso. Nomẽ enim tuum à dño nominatũ est, quod nulla unquam obliuione delebitur, sed cũ tempore magis ac magis glorificabitur.

25 Nocentes peribunt, qui te uexauerunt: & qui gratulati sunt in tua ruina, punientur. Ciuitates quibus seruierunt filij tui, punientur, & quæ accepit filios tuos.

Prophetia quidẽ est de restituenda Hierosolyma post Babylonicam captiuitatẽ, ut superiora quoq; iuxta aliorum quoq; prophetarũ præsagia, quæ à Cyri temporibus et deinceps impleta cõspicitur ex historijs. Veruntamen et de unuersa ecclesia omni tempore credentiũ intelligi potest, quæ ut semper et ubiq; patitur uexatores, sic illos expleta malignitatis mensura, dominus disperdit patronus & idem sponsus ecclesiæ, & rex filiorũ dei. Cuius iusto iudicio fit, ut qui eccclesiam persequuntur pereant dño uindicante. Et qui in ruina uel calamitate piorũ gratulantur, à domino puniantur. Idem alia sermonis figura subinde dicitur, ut urbes et regna, quæ ecclesiã sanctorũ, quæ est Ierusalem, ppter unus dei cultũ, olim persecutæ sunt, ut de Roma, Babylona, Alexandria, Colonia, et similibus factum legimus, earũ posteri & inquilini postea per dei disciplinam emendati, eandem fidẽ & pietatem suscipientes, eam usq; ad mortem defensauerũt, & præterita insana à domino illuminati, pœnitentiam egerũt, et similia certamina pro sancta fide in dominum fortiter sustinuerũt. Exempla plurima habentur, nedum in sacris sed etiam prophanis scripturis, & in martyrum gestis.

Consolatio ecclesiæ dei

26 Sicut enim gauisa est in tua ruina, & lætata est in casu tuo: sic contristabitur in sua desolatione.

Sicut ciuitates uel Babylon uel Ninus aut similes gratulatæ sunt de tua ruina, de uastatione Ierusalẽ & Samariæ, & lætatæ sunt de casu et infortunio tuo: sic de proprijs ipsæ suis quoq; suo tempore ruinis & desolationibus contristabuntur. Sinut quidem pios uastari & opprimi in tempore ab impijs & puniri, sed compensat tandem illorum sæuitiam, & par pari rependit, & quod iniqua gestum est uoluntate, animo tantum nocendi, non studio corrigendæ prauitatis, hoc digno punitur iudicio.

27 Et amputabitur exultatio multitudinis eius, & gaudimonium eius erit in luctum.

Qui sibi de uictoria blandiebantur, & gaudebant de proximorum calamitate, quam intulissent, & communi gratulatione de uictis à se fidelibus triumphabant, eorũ exultatio et gaudimoniũ erit, dum uolet dñs, in luctũ & querelas. Nemo ergo de præsenti prosperitate se iactet, ne imminere contingat illi fatũ grauius, & ex sequente infortunio turpius ipsum confundi cõtingat. Semper enim cogitanda est rerũ in hoc mundo uicissitudo, et neminem esse absq; peccato, ut qui hodie pœnas alteri pro peccatis dño prouidente infert, is pro suis quoq; crastina cõmissis grauiora sit mala passurus, eodem dño sic uolente.

28 Ignis enim superueniet ei ab æterno in longiturnis diebus, & habitabitur à dæmonijs in multitudine temporis.

Babylonicæ urbi ac monarchiæ superuenet à domino deo æterno iusta uindicta. Ignis quo conflagrabitur ad ruinas diutissime duraturas, ut illic deinde non sit habitatio futura, nisi animalium solitudines amantium, dæmonuorum & pilosorum ibi saltantium, ubi sibi mutuo respondebunt ululæ in ædibus uastatis, et Syrenes in deliciis uoluptatũ. Nec habitabitur usq; in finem, nec fuit dabitur usq; in generationem, & generationem, sicut ad longum prædixerat Isaias propheta, capite 13.

29 Circumspice Ierusalem ad orientem, & uide iucunditatem à deo tibi uenientem. Ecce enim ueniunt filij tui quos dimisisti dispersos: ueniunt collecti ab oriente usq; ad occidentem, in uerbo sancti gaudentes in honorem dei.

Destructio Babylonis, quæ confusionis ciuitas fuit ab initio, instauratio esse debuit restitutionis Hierosolymæ, quæ ciuitas cultorũ dei est. Ideoq; post prædictã Iudææ captiuitatẽ, et Babylonis destructionẽ, prædicit deinde gaudium reædificandæ urbis Ierusalẽ. Cuius iuxta prophetiã Isaiæ author futurus esset Cyrus rex Persarũ, de quo præ dicitur apprehendendã illius dexterã, ut cum sibi gentes subiecerit, & Babylon detraxerit suam gloriã et robur, tunc quoq; eius authoritate & iussu Ierusalem iterũ sit inhabitanda, reædificanda, & illius deserta sustentanda, populum dominu pascendũ, & omnem domini uoluntatẽ complendam in ea. Tunc denuo fundabit dominus Sion, & in ipsa sperabunt pauperes populi eius. Ab oriente ergo uenut Cyrus Babyloni & Hierosolymæ, & iucunditatẽ plebs fidelis accepit, tam de restauratione unius, quàm desolatione alterius. Hierosolymæ enim à domino salus uenuet & iocunditas, ex filijs colligendis, quos dominus tam ante dispersérat. Venient enim manumissi à Persis & Medis, collecti ab oriente ad occidentem, non alia ratione magis gaudentes, quàm quia fidelem dominum didicerunt & conspexerunt, qui quod prædixerat cõplendum de congregatione Israelis, uiderunt impleri magnifice. Re uera quidem & primario sensu, de Iudæis redituris ab exilio: principaliter autẽ & in typo sacratiore, de cõgregatione filiorũ dei in unum per Christum.

CAP.

CAPVT V.

1 EXue te Ierusalem stola luctus & uexationis tuæ: & indue te decore & honore, quę à deo tibi est sempiterna gloria.

Inuitatur hic tandem Hierosolyma, suo tempore restituenda in integrum, ut lætetur & gaudeat ob reditum populi sui, & sub illius typo de ecclesia fidelium cultorum dei, in unitatem fidei & gloriam dei. Iubetur autem resumere occasiones synceri gaudij, uestium mutatione, ut lugubres uestes decutiens & exuens, induatur exultatione de collectione filiorum. Stolam luctus exue, qua in exilio amicta fuisti Ierusalem, & obliuiscere uexationis, quam sustinuisti. Induere autem honore & gloria, quæ tibi imperfecte quidem ab initio reditus contigit. Perfectissime autem per Christum dominum, cuius myserio & regno per Euangelium adducta est ecclesia, per Ierusalem designata per totum mundum. Non enim est secuta Hierosolymæ illi Palæstinorum tanta gloria ut regno Christi, & Hierosolymæ ueræ & aureæ cœlestis, quæ ecclesia est fidelium, gloria, magnitudine, duratione, & meritis ualeat aliquo modo comparari.

2 Circundato te diploide à deo iustitiæ, et impone mitram capiti tuo honoris æterni. Deus enim ostendet splendorem suum in te, qui sub cœlo est.

Diploide, hoc est duplicis pallij ueste gloriosa, duplicia receptura te circũdato Ierusalẽ ecclesia Christi, id est fideliũ, à dño deo iusto iudice remuneranda, nõ pro propijs meritis, sed Christi regis, ubi tibi imponas honoris illustrissimi mitrã. Corona enim ecclesiæ quæ maior esse potest aut illustrior cogitari q̃ diuinitas Christi, & gratiarum suarũ æternus odor & honor? Non enĩ illustrior dei honor in hoc mundo apparuit, quàm qd' humana natura in Christo coniuncta est diuinitati, in unitatẽ personæ, ut unus Christus deus & homo sit. Quid enĩ gloriosius in mundo apparuit de deo, q̃ quod sic se mundũ amare ostendit, ut filiũ suum propriũ & unigenitũ daret, ut tem gloriã suam ostendet olim sanctis, supra cœlũ in gloria dei patris cum angelis & electis. Sed & gloria dei sub cœlo, est Euangeliũ salutis & gratiæ per Christum.

3 Nominabit enim tibi nomẽ tuũ à deo in sempiternũ, Pax iustitiæ & honor pietatis.

Nomen, claritas, fama, & merita tua, ô ecclesia fidelium, per uniuersum mundum propagabitur, per dñi dei uoluntatem & gratiã, quæ sint in perpetuũ duratura: sic & pax conscientiarum & iustitia, quæ est per Christum, & honor dei, qui solus habet iustitiã ac sanctitatẽ pietatis, quæ sola & tota donatur ecclesiæ per Christi merita. Longe enim clariorem gloriam & honorẽ assecuta est Ierusalem, quomodocunq; nominetur per Christum & post ipsum, quàm ipsa uel alia quæcũq; urbs habuerit ante Christũ, ut probat experientia temporum.

4 Exurge Ierusalẽ, & sta in excelso: & circumspice ad orientem, & uide collectos filios tuos ab oriente sole usq; ad occidentem, in ✠bo sancti gaudẽtes dei memoria.

Iam glorificata per Christum Ierusalem, ut multiplicetur ipsius imperium, et pacis nullus sequatur finis, iubetur omnibus perspicua prostare & extolli, circumspicere accurrentes sibi filios fidei, & credentes dominum deum ab omnibus plagis mundi, ab ortu & occasu, ab aquilone & austro. Non est enim natio uel terra, quæ domini dei ueri per Christum agnitionem & gratiam nõ susceperit, quæ uerbum sancti, Euangelium gratiæ & misericordiæ per Christum, non cum gaudio recondiderit in memoriam, ut in domino gaudeant sese à peccati & mortis tyrannide saluatos. Vt uerò terrenæ Hierosolymæ ciues, hæc sibi applicare possint, longe tamen id felicius atq; completius Christiani. Ierusalem gloriosa per Christum.

5 Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis: adducet autem illos dominus ad te portatos in honorem ficut filios regni.

Promiscue agit de typo ecclesiæ, & de ipsa congregatione sancta fidelium, tanquam de imperfectiore & perfecto, de umbra et corpore, de signo & signato. Exierunt Iudæi & Israelitæ de terra promissionis & Hierosolyma, pedibus ducti in Babylonem & Assyrios ab hostibus, cum confusione & molestia, sed suo tempore reducentur per dei clementiam cum honore & gaudio ad propria. Veluti filij regni, hoc est gloriosi & felices: quod posterius de redeuntibus quidẽ exponi potest, sed longe humiliore sensu, quàm de fidelibus per Christum congregatis, in charitatem fidei catholicæ.

6 Cõstituit enim deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ: ut ambulet Israel diligenter in honorem dei.

De redeuntibus à Babylone intelligi quidem potest per hyperbolen, sed uerissime exponitur de profectu ecclesiæ fidelium, quæ in magnum honorem profecit in orbe, per Euangelicam prædicationem, per fidem in Christum filium Dauid secundum humanitatem, regem autẽ omnium creaturarum per omnia sæcula, cuius regni nullus sit finis. Sub cuius dominũ sponte sese humiliauerũt omnes reges mundi, & principes, Cæsares Romam, & barbaræ quæcunq; nationes, qui omnes per montes excelsos & conualles intelliguntur, pro æqualitate charitatis & beneficentiæ gratia communi per Euangelium susceptum ut fiat totus mundus secundum fidem populus Israel, & confessores dei ueri, ad honorẽ nominis sui. Ecclesiæ profectus.

7 Obumbrauerunt autẽ & syluæ, & omne lignum suauitatis Israel mandato dei. Adducit enim deus Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suæ cum misericordia & iustitia quæ est ex ipso.

Fideles obumbrantur, & à calore uiciorum & persecutionum defensantur per Christũ & angelos ministeriales dei, nõ secus atq; æstus temporibus in syluis homines à solis calore adumbrantur, & refrigerium capiunt suauitatis desideratæ, ut sine difficultate pergãt ad propria. Quid aũt magni fuerit, si redeuntes, ad literam, in umbra syluarũ redierint, & ex arboribus fructus suaui-

tatis perceperint? Simile quoq; est quod sequitur, adducendos filios Israel cum prosperitate ad Ierusalem. Longe uero dignior est intellectus, si fideles promissiones diuinæ gratiæ in hoc mundo maligno accipiant, si lumine diuinæ maiestatis illustretur ecclesia, si misericordiã dei sentiant electi, dum sese reduci cupiũt ad cœlestẽ patriã, quam in parentibus primis perdiderunt. Si iustitiã dei in impios uideant iuste exerceri, se uero iustificari per dei gratiã in saluatore Christo. Nõ esse iustitiã aliam, coram deo ualentem atq; sufficientẽ, quàm ea, quæ in ipso est, hoc est per gratiam dei, quam habemus in Christo, quotquot filij Abrahæ per fidem nominamur & sumus.

EXEMPLVM epistolæ quam misit Ieremias ad abducendos captiuos in Babyloniam à rege Babyloniorũ, ut annuntiaret illis secundum quod præceptũ est illi à deo.

Secundũ uarios codices, titulus huius capitis uel epistolæ uarie legitur. Cum tamen hic sensus sit. Exemplar est cuiusdam epistolæ quam Ieremias scripsit ad eos, quos fuerat rex Babylonius abducturus in Babylonem à Iudæa, scripta fortassis in sua Anathoth, ad Hierosolymitas domino rebelles, uel de Hierosolymis ad suburbanos, uel oppida in circuitu. Siue ex carcere uel captiuitate alia, sub Sedechiæ tyrannide, ad eos qui coram prædicantem audire recusabant, ut uel epistolam hanc legerent scriptam manu Baruch prophetæ, & prophetæ discipuli, quam postea Baruch cum reliquis quoq; in Babylonia legit seruoribus plebis. Argumentum aũt est, ut sciant causam certam Babyloncæ captiuitatis esse peccata sua, & inobedientiam uerbi dei. Vt sibi in exilio, gentibus commiscendi, ab idolis & idolorum cultura & reuerentia prospiciant, intelligant insignẽ stultitiam eorũ quorumcunq; populorũ, lignum, lapides, aurum, aut argentũ colentiũ quasi suos deos tutelares, cum uanitas sint, & res nihili. A qua insania Israeliticus populus præseruari debuerit, lectione legis diuinæ.

Argumentum epistolæ Baruch.

CAPVT VI.

1 PRopter peccata quæ peccastis ante deum, abducemini in Babyloniam captiui à Nabuchodonosor rege Babyloniorum.

Prologo non opus habet, ad eos, qui cum sæpe audissent prophetam, & ipsius sanctimoniam non ignorabãt, audebant tamen contrarium loqui & agere, atque sese denuq; uelut innocentes iactare & minime commeritos exilium, quibus statim nulla captata benuolentia, id quod res erat explicat, authoritate prophetica qua fungebatur. Peccata, inquit, quibus in dominum & in seruos illius prophetas, in uerbum domini toties ad uos missum, præuaricati estis, ipsa certissima causa sunt, ut abducendi sitis in Babyloniam, à rege Nabuchodonosor, quæ quia minime emendatis, alia pœna plectenda non sunt, quàm ut funditus pereatis cum urbe & sacris, cũ populo & principe. Sic & in omni alia gente, quorumcunq; sæculorum peccata, communiter à magistratu & plebe sine dei timore comissa, & non punita, causa habeantur & prædicentur, certissimi imminentis mali, siue illud uastitas sit terrarum, siue hominum.

2 Ingressi itaq; in Babylonem, eritis ibi annis plurimis & temporibus longis usque ad generationes septem: post hoc autem educam uos inde cum pace.

Quandoquidem semper iustitia & misericordia sibi occurrunt & obuiant, post uinum infusum uulneri, oleũ consolationis applicat. Credere enim docentur atq; iubentur, non se semper deserendos in exilio, sed secundum prophetarum prædictiones. Plurimis quidem annis exoptiuandos & longis temporibus, sed tandẽ redimendos, scilicet post septem generationes, quas non necesse est ad amussim exigere, & cum præcisione, maxime cum septenario utatur numero, qui abundantiam notat, & denarius numerus similiter perfectionem significet. Et non semel à prophetis septuaginta annu decreti sint, quibus diuturna sit hæc captiuitas, quandocunq; illam placeat inchoare supputationem. Non enim in numeris anxios nos esse oportet, sed attendendus est usus & consuetudo omnũ gentium, certum numerum capiendi pro incerto, cum etiam decem annu generatio dici possint.

3 Nunc autẽ uidebitis in Babylonia deos aureos, & argẽteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, ostentantes metũ gentibus. Videte ergo ne & uos similes efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus uos capiat in ipsis.

Non sine sanctissima ac necessaria causa prohibita sunt in ipso decalogo mandatorum dei omnia generalia idolorum, imaginum, sculptilium, de quacunque materia, quandoquidem nemo melius nouit stultitiam & enormitatem humanu figmenti quàm fictor, nemo satanæ astutiam, imuidiam, artes, et studia perfectius intelligit quàmo deo. Ideoq; & tam multis hanc rem sanctis prophetis omnes egerunt, ut populum unus dei peculiarem absterrerent ab omni idololatria. Quæ malitia satanæ sic mundum intrauerat, ut peruaserit totum, unam autẽ gentem altera uiolentius, ut quæque erat simplicior, imò ut sibi quæq; sapiẽtior esse uideretur, cum esset stultior. Longe enim plures dij habiti sunt & culti apud Aegyptios, Chaldæos, & Græcos, quàm apud quamcunque aliam barbaram nationem, & in Latinos tardius irrepsit idolorum cultura. Iouis autem nomen semper fuit hominibus notum à Iudæis, et ex sacris literis agnitum est hominibus doctis. Prædicit igitur adhuc superstitibus Iudæis Babyloniam ducendis, ne admirentur idola huiusmodi aurea, argentea, lapidea, lignea, quæ & à prophetis & populis dij dicebantur, ut nunc Christiani diuos nominant, profertuas sanctorum hominum, ad quas sese incuriant, profernunt, uota uouent, & reddunt, orant, muneribus honorant, & pretiosis, pro quibus defensandis mortem obire non refugiunt, pro quorũ redimendo fauore, eleemosynas promptius faciunt quàm si quis amorem dei prætenDi dat. Quorum imagines habent in annulis, gestant pileis, & memoracula eorũ per omnia pluris æstimant & habent, quàm legis diuinæ. Qui igitur hæc agens, nihilominus

minus audet se iactare, non adorare uel colere idolũ, & aliud à deo, is nescit quid sit deum colere, quid adorare dominum, quid seruire deo. An non uidimus Georgium, Martinum, Vrbanum, & alios diuos uel diuas, ut de beatissimæ uirginis, quam illa maxime abominatur, imagine, & suæ auiæ taceam? De Christi enim domini cultu alia portentosiora excogitata sunt. Nũ nonnunquam uidimus hæc gestari in humeris uirorũ, & omnia iam dicta illis exhiberi à Christianis? & adhuc dubitamus adhuc uersa hæc esse prophetis & apostolis, uerbo dei & ipsi deo. Certe uidimus Eustasij cuiusdã simulachrũ tam metuendo uultu gestari, ut dæmonibus horrori fuerit, qui coniurati, ab æque dæmoniacis sacrificulis, per illũ diuũ excesserint coacti ab obsessis. Sic enim placet illis, sic imagines uenerari desiderat ueterator satan & hostis antiquus. Quin & tã tremenda illius idoli forma & facies erat, ut nubes dispellere homines iurauerint, & ut planè mihi obsessum à dæmone uideretur hoc monstrũ. Notum est Metensibus & Argentoratẽsibus. Non ergo sine causa hæc est à talibus neglecta Epistola per omnia conformis reliquis omniũ prophetarum sentijs. Nobis igitur uel posthac curandũ, ne similes illis fiãt, qui Christo nomen dederunt, ne diutius asseruentur, ne omnino ipsorum conflagratio formidetur, nullum adhuc sese potuit liberare, nondũ tanta potestas à deo data est satanæ, dan da tamen contra illos, qui uerbum domini detestantur.

Cultus diuorum.

Eustasij simulachrum

Adorare idola.

4 Visa itaq; turba de retro & ab ante adorantes, dicite in cordibus uestris, Te oportet adorari domine.

Quomodo se gerere debeat exulũ Iudæorũ turba propheta diuino spiritu afflatus prosequitur. Dũ, inquit, inter gentes Babylonico imperio subiectas, cui resistere nõ potestis, cui potestatẽ dominus dedit in corpora uestra, huiusmodi idola uideritis prostare ad cultũ, ferri humeris, quæ quoq; stolida turba præcedens uel sequens adorat idola, genuflectit, ueneratur uel aperit caput, uota uouet & soluit, inuocat ut principes cœlestes: uos non illos uel illa conspuite, non de humeris illorũ præcipitate, non inclamate, ut furiosos, ipsi irati & intempestiuo zelo flagrantes, sed gratias agite, de gratia uobis donata à domino sanioris mentis, & de data uobis lege domini, agnoscite iram domini in eam gentẽ, & recordamini horis diuini, dicite in cordibus uestris: Te oportet, ô domine, adorari. Si quis de hac re requisierit, quid credatis, dicite: Dominũ adorari oportet. Si, qui quærit de hac re, ex electis fuerit, satis ueritatẽ intelliget, & emendabitur: si ex impijs & damnandis, nihil efficies, etiamsi necgatiuas multas enuntiaueris. Veniet enim tempus, iuxta prædictiones prophetarũ, cum humero uno omnes gentes dominũ exercituũ, & hunc solũ adorabũt, & id tam diu, donec per Antichristũ in ecclesia sedere incipientẽ, huiusmodi superstitio & impietas postliminio restituetur, quæ non depelli cũ suo authore poterit, nisi spiritu oris diuini: fiat, amen, & nostris temporibus ac statim.

5 Angelus autem meus uobiscum est: ipse autem exquiram animas uestras.

Quanquã futuri sitis exules, pij inter impios, nõ pu-

tate uos à me derelictos, angelus tutelæ meæ, cui de uobis mãdaui ut custodiat uos, ipse semp uobiscũ erit, si acquieueritis monitis meis, nullũ inde damnũ incidetis, tantum uidete ut animo non sitis idololatræ, ut conscientia uestra non sit impia, ut præter me dominũ alium nõ adoretis ex animo, sed mei gratia parati sitis relinquere omnia. Ego animas quoq; uestras exquirã, uindicaboq; si illi in uestras personas, ob intermissum cultum idolorum, sæua tentarint. Nemo sine me uobis nocere poterit, idola sese neglecta uindicare non possunt.

6 Nam ligna ipsorum polita à fabro, ipsa etiam inaurata & inargentata falsa sunt, & non possunt loqui.

Idola sunt deceptiões.

Ligna ipsa, quæ & ipsa sunt idola & aliud nihil, sicut & aurũ, & æs reliquũ, unde conflantur aut sculpuntur diui illi, opus hominũ sunt, qui illa poliunt, excauãt, proscindunt, & ut illustriora fiant inaurantur ab hominibus propter quæstum, & inargentantur, si diuitijs abundant, uel tanti faciunt deum suum: falsitas in totum sunt, mendacium et fallacia, שקר sunt, id est deceptio, decipiunt enim & decipiuntur, fallũtur & fallunt, credere se fingunt ut fidem suadeant. Quandoquidem autem uita carent quacunq;, ideo loqui & te accusare non possunt, nec quærenti respondere, neq; consolari orantem uel exaudire clamantem.

7 Et sicut uirgini amanti ornamenta: ita accepto auro fabricati sunt.

Sicut qui uirginẽ amat ipsam cupit ornatã, et munusculis promereri adnititur, alioqui non admodũ amantẽ uel placentẽ. Sic stulti idololatræ & imaginũ cultores, ex auro fabricant deũ, hoc est idolum quod colant, quem alioqui non amarent non appretiarentur, quando nihil emolumenti inde capit, nec sibi placere potest, nisi exornata imago, quæ tamen ipso auro est lõge ignobilior, pro auro enim uenditur & obtinetur, etiam si planè constet aurum non esse, sed ligna aut lapides, & materia prorsus ignobilis, ut & figulina.

Quæstus idolorum.

8 Coronas certe aureas habent super capita sua dñ illorum: unde subtrahũt sacerdotes ab eis aurum & argentum, & erogant illud in semetipsis.

Eat quispiã, et similes esse nostras, Christianorũ aio, superstitiones neget illis gentilium, quando nostra idola ferè omnia coronata circumferuntur, & mentimur esse regum filias uel filios, cotendimus esse cœlestes reges ac principes, qui potestatẽ habeant in cœlestia & terrena, in homines & animalia. Illorum, ait, dij, id est imagines deorum, quas deos nominat propheta. Sed uideamus uetustam impostura sacrificulorum, qui suadent offerri idolis suis, quod inde illis furentur: docent reuereri, quæ ipsi non timent, alioqui non dehonestaturi deos suos: se potius coli malunt, de idolis nihil soliciti, nisi ut illis ad libidines prosint & familiæ.

Idola Christianorum.

9 Dant autem & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant: & iterum cum receperint illud à meretricibus, ornant deos suos.

Prostitutos ad omne flagitiũ homines, indignos eme

rentur ij sacrilegi sacrificuli, exspolijs detractis suis diuis quin et meretrices sibi redimunt eisdē oblationibus, quas ad aras recipiunt in dtuorū honorē: & cum ex huiusmodi sacrilegijs suis adornauerint ad delicias & cupidinē meretrices suas, tunc easdē subinde persuadent, ut diuis offerant, & deuoueant eadē ornamenta, pro peccatis suis satisfactoria, postq; fuerint utrinq; sic lubidine potiti & munere. Satius est hic tacere, quàm tam turpia eloqui & posteritati indicare, quot & quantas impostu ras sacrificuli nostrorū diuorum, imò sacerdotū, corpus Christi deo patri, ut loquūtur, offerentiū, usq; ad nostrū sæculū exercuerunt, quādo matrimoniū prohibitum est illis, stuprū autem, adulterium, et turpissima fornicatio, accepta mercede ab episcopis permissa sunt: quid pretio sorū ornamentorū et clinodiorū non relatū est ad turpissima scorta? à quibus tamen in mortis articulo restituta, relata sunt iterum ad diuos, & denuo ad fures, impijssimos animarum ac conscientiarum homicidas.

Sacrificu e lorū religio

10 Hi autem non liberantur ab ærugine & tinea. Opertis autem illis uestę purpurea, extergunt faciem ipsorum propter puluerem domus, qui est plurimus inter eos.

Tantæ reuerētiæ et æstimationis cū sunt statuæ illæ, ut à remotissimis prouincijs uisitētur, domi tamen suæ à tineis se defendere nō possunt, uel ærugine, quibus et subinde deturpantur & arrodūtur, nisi festis diebus ad placendū populo æduus ille uel sacrificulus religiosus abstergat: quin & purpureā sibi uestem excutere nō ualet idolū, nisi mercede cōductus, illud nequaquā sine præmio dignetur exigere. Quāto enim domus idoli frequentius teritur, tāto illius effigies citius cōmaculatur. Quid uero insanius quàm talibus seruire? sed id foret insanius si absq; mercede id fieret & à sanioribus.

11 Sceptrū autē habet ut homo, sicut iudex regionis qui in se peccantē non interficit. Habet etiam in manu gladiū & securim: se autem de bello, & à latronibus nō liberat.

Regio diademate coronato idolo addūt sceptrū potestatis & imperij, quasi sit homo, cū statua sit. Et tanto execrabilior, quanto intolerabilior princeps est aut rex qui iustitiā nō colit: uerū iste tanto abominabilior, quod nec fingere quidē posit se esse iustum, nec excusare peccantē. Leue forsan fuerit de talibus multa dici, certe non leue fuit domino deo, qui breui decalogi tabula hunc locum multis admodū uerbis prohibere non dubitauit, & nos totū mundū sic absorptū tali stultitia & impietate uidemus, ut uix sapientes nobiscū talibus se figmentis explicare, & idola huiusmodi tam uana abijcere persuadeātur. Securim affinximus alicui apostolorū imagini, ut similis uideatur ei idolo, pro quo excindēdo & ex mundo abolendo & delendo, mortem obire non dubitauit. Quantum illud ipsi placere putabis, sanctissimo idolorū exterminatori pro dei gloria, sibi constitui idolū & adorandum? seseq; prostitui ad contumeliā sui creatoris, & propriam, quando se à latronibus non ualeat liberare?

Quid de idolis decalogus.

12 Vnde uobis notū fit quia non sunt dij, Non ergo timueritis eos.

Dum hæc omnia exules inter gentes agi cū idolis uideritis, & interim legis meæ & operū quæ egi cū patribus magnaliumq; meorum recordati fueritis, intelligetis, & uobiscū concludite, nō ea esse deos, quæ pro diuis tam stulte ac impie coluntur. Nihil enim bonū nec præcipiunt neq; agunt, ideoq; ne illos timueritis, nec reuerentiā exhibebitis, nec coletis pro exēplo aliorū, quanuis uobis potentes & sapiētes uideantur. Est aūt hic uersus intercalaris, aliquoties repetēdus prophetico more.

13 Sicut enim uas hominis cōfractum inutile efficitur: tales sunt & dij illorum.

Nō solū uane & ridicule formātur idola et exornantur, sed et omnino nulla ex illis hominibus redit utilitas. Aurum et argentū ac gemmæ aliàs in usum hominū recepta conducunt necessitatibus illorum, quidā habent usus et utilitatis, sed postquā ex eis fit uel ornatur idolū, omnē protinus perdit cōmoditatem, ad nihil prodest cuiquā, nō magis q̄ idola ipsa prosunt, quin impedium potius fructū hominibus et usum necessarium: posset enim pretio tanto multitudo egentium adiuuari et consolari.

14 Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt puluere à pedibus introeūtium.

Nedum alijs non prosunt, sed etiā sibi oneri sunt, & succurrere nihil possunt, uel minimo negotio, scilicet abstergendi pulueres ab ipsorū oculis, ut uideam, id quod minima potest auicula & minutum animalculū. Sed ingredientes homines delubrum deorum, ad cultum idolorum, nihil illis frequentius proficiunt, quàm ut paulum expurgent puluere, & eos conijci faciant in ostium expurgent pulueribus, & eos conijci faciant in oculos barbam & caput idolorum. Hoc est officium quod dijs suis obsequuntur stolidi cultores.

15 Et sicut alicui qui regē offendit circūsepte sunt ianuę, aut sicut ad sepulchrū adducti sunt mortuū: ita tutantur sacerdotes ostia clauduris & seris, ne à latronibus expolientur.

Non solū non prosunt alicui idola, sed negotiū facessunt omnibus, maxime uero sacerdotibus suis, qui assidua cura assidere coguntur ianuis templorū, & ad aras obseruare, ne quid illis auferatur ornamenti, neq; quisq; idolū, ne oblata furentur, ne quis illud aggressurus fustibus ingrediatur, ne prosternatur, uel à canibus impetatur, omnino enim nihil sibijpsis prospicere possunt. Sed nō minorē solicitudinē ingerunt sacrificulis & adituis suis, quàm in aulis principū regij corporis custodes, prætoriani milites & cubicularij, qui ianuas circūstant, & ne quis hostis ingrediatur aduertunt: uel dum celebratur sepulchrum nondum clausum, ne mortuo ornamenta auferantur, quæ in extremis obsequijs alicubi & olim apponebantur. Sic semper latronum periculis & furtis exponuntur idola, à quibus sese tueri non possunt, quanto q; sunt honorata magis, et onerata pretiosis ornamentis, tanto periculo rapinæ magis exponuntur, cum à quibus cis timeantur, quia nemini prodesse possunt, sed obsunt multipliciter.

16 Lucernas accendunt illis, & quidē multas: ex quibus nullam uidere possunt, sunt autem sicut trabes in domo.

Mirabile

Mirabile sit, si nostris quoq; sæculis hæc legentes in ecclesia, non seipsos his uerbis correptos cogitarint, dū tot impensis, tanta diligentia, tot cærei accensi sunt, & constituti ante imagines diuorum, & ante illorū sepulchra, ante corpus quod contendunt esse dominicū, domicilio suo inclusum. Quid illis prosunt lucernæ, et quidem multæ accensæ, ex quibus nullā uidere possunt? Non aliter lumine indigentes quàm trabes in ecclesia. Et Christus dominus, lux mundi, cuius uerbū illuminat mentes, hæc luminaria nunquam exegit, sed fidei lumen accendi potius uoluit in cordibus fideliū, ignemq; amoris. Cōtra huiusmodi luminū usum in ecclesijs, quin et cōtra ipsum paschalē cæreum, olim sancti scripserunt, sed prævaluit mos gentilitius, et uetus error ab idololatris nimium ex cultus semper, ne prorsus eliminaretur, sed potius aliquando imminutus & sepositus reponeretur.

Lucernæ sunt idola.

Superstitio circa corporū sepulturam.

17 Corda uero eorū dicūt elingere serpentes qui de terra sunt, dum comedunt eos & uestimentum ipsorum, & non sentiunt.

Corda idolorū intelligit, iuxta locutiones hominū, intestina statuarū, à dorso uacuarum, apta receptacula murium & glirium, quæ hic serpentes dicuntur, quæ commodissime nidos suos ibidem cōstituunt, quo rarius loco mouentur, uel ab hominibus proximius adeuntur. Hæc autē animalia abominanda, ibi consistunt interdiu, noctu uero prodeunt, & idolorū uestimenta prætiosa arrodunt & comedunt, dum interim idola nihil horum sentiunt. Sicq; hic corda elingere talium diuorum uidentur à prophetica, hoc est, cœlesti ueritate, inuitis omnibus sacrilegis. Vt uel hæc sit unica utilitas statuarum huiusmodi, quod domicilium præbent muribus, uespertilionibus & cæteris uermibus ex putredine genitis.

Domicilia murium.

18 Nigræ fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit.

Ex fumo luminarium & lampadarum, ex acerris & thuribulis, ex sacrificiorum ignibus denigrantur uultus ac facies idolorum, ut pro tempore necessaria fiat lotio de lotio, si nō adsit humor sacratior: id si minus fieri possit, non desunt quæ fabre facta habeant capita plura, quæ per uices imponūtur truncis, pro solennitate insigni, uel feriali, pro tempore gaudij uel mœroris. Num ista non uidimus oculis nostris? et religionem existimauimus sic desecta accursus, & quæstus uberior, unde otiosi & libidinosi uiuerent impostores.

Capita feminea & facies idolorum.

19 Supra corpus eorum, & supra caput eorum uolant noctuæ, & hirundines, et aues etiam, similiter & cattæ. Vnde sciatis quia non sunt dij. Ne ergo timueritis eos.

Non grauatur spiritus propheticus narrare ridicula externi atq; impuri cultus idolorum, sicut nec Apostolus Paulus Romanis transscribere uerebatur abominationes arcanas, quia difficile hæc mundo semper hactenus displicere potuerunt. In capite statuarum, & adeò intra coronas impositas, noctuæ incubant, uolant inde simul & hirundines: & quicquid immundorum animalium, fœtus suos excludere diligunt in locis fœtore corruptis & abominabilioribus, ut feles & glires similiaq;. Additur ergō secundo sententia intercalaris, ut minime huiusmodi diui, qui dij non sunt, reuereantur atq; colantur, sed abijciantur ut turpia & inutilia.

20 Aurum etiam quod habēt, ad speciē est: nisi aliquis exterserit æruginem, non fulgebunt: neq; enim dum conflarent sentiebāt.

Commendare statuas student simplici ac superstitioso populo impostores æditui & sacellani, ut frequentius ac currant, admirentur, dona uoueant ac præstent: ideo auro eas exornant, sed & subinde pulueribus obscuratum extergunt, & contractam quoq; rubiginem laborioſe abstergunt, alioqui nullo splendore fulgebunt, nemini placebunt, non allicient ad quæstum deferendum auaris monachis. Non seipsos mundare possunt, nec mundatos seruare, cum nihil uirium habeant uel uitæ: qui dum cōflarentur à fabro, uel à statuario excindebātur nihil sentiebāt.

21 Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis.

Ex omni pretio empta esse, est à multis hominibus et locis congesta, & in multa copia, ex omni genere diuitiarum, nulla habita ratione quàm iuste corrasum sit quod idolo offeratur. Longe enim profusius donatur, quod iniusto titulo obtentam conscientiam inquietat, quàm proprio sudore, iuste, parceq; collectum: ideo hæc diligētius explicatiusq; petuntur, & gratiosius assumūtur. Si quid furto ablatū, bellis raptum, lucris iniquis cōparatum, de meretritio acquisitum, latrocinioq; & quibuscunq; iniquis modis corrasum, omne hoc pretium idolo gratum erit, sed longe gratius idolorum sacrificulis, quin & laicis quoq;, de turpi huiusmodi lucro ditari satagentibus, uel deliciari.

Donaria idolorum.

22 Sine pedibus in humeris portantur, ostentantes ignobilitatē suam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea.

Vt plurimum sine pedibus statuæ effinguntur, quæ si & pedes habeant, iuxta Psalmistam, non tamen ambulabunt, sed portātur in humeris cum suis ipsis quoq; equis uel asinis: quibus similes sunt hi, qui idolorum defensores beatissimi patres, similiter quoq; in humeris gestari gloriosum ducunt, eo ipso ignobilitatem suam illa ostendūt, quia nihil uirium habent, ut stare uel ambulare possint, nihil sunt enim nisi onera hominum, isti similiter facto ostentant ad hoc se natos, ut omnibus sint oneri, ut illis ab omnibus seruiatur, cum Christus non uenerit ministrari sed ministrare, & tradere animam suā pro multis. Pro tanta autem rei indignitate statim addit: Confundantur non tantum huiusmodi idola, sed et illi qui colunt ea, qui seruiunt, honorant & sustinent.

Idola onerosa.

23 Propterea si ceciderint in terrā, à semetipsis non consurgunt: neq; si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit, sed sicut mortuis humeri illis apponentur.

Quia sine pedibus sunt & uiribus, consurgere non possunt per semetipsa, si semel in terrā conciderint: quomodo ergo cultoribus possunt succurrere? Nec solum nō resurgere, sed nec stare possunt, nisi clauis & retinacu-

lis sustententur, ut est apud alios quoq; prophetas, & ad longum apud Isaiam cap. 46. Si transferri debeant statuæ illæ, non pedibus incedunt proprijs, sed ut mortuorũ corpora humeris gestantur. Alia exemplaria habent, Vt ridiculo illis nec uidentibus nec palpantibus munera apponantur, non enim suscipere possunt quæ illis præbentur. Et quid omnino stultius à rationali homine fingi potest? & tamen huiusmodi defendunt, amant, uindicant, orbis sapientissimi reges, pontifices, & magistratus, quos occæcat perfidia & auaritia, ut sensu communi careant.

24 Hostias illorum uendunt sacerdotes ipsorum, & abutuntur: similiter & mulieres eorũ decerpentes, neq; infirmo, neq; mendicanti aliquid impertiunt, de sacrificijs eorum fœtæ & menstruatæ contingunt.

Suadent sacrificuli multa offerri idolis, qui, cum non utantur uel indigeant, ipsimet sacerdotes absumũt, ut patet in historia Belis, & longe clarius in nostris collegijs & monasterijs, ad idololatrarum quondam sacerdotia et delubra constitutis. Offeruntur boues, porci, agni, diuorũ imaginibus, quæ statim uenduntur, ut denuo offerantur, gallinæ, oues, & scopæ quoq;, linum atq; lana: nihil est enim quod non sibi utile fecerint diuorum æditui. Omnia uero ut fuerint assequuti, abutuntur eis ad usus si nõ turpes saltẽ inutiles & prophanos. Ad id instructiores sunt etiam mulieres, non solum uestales sed illus in ordine succedentes sanctimoniales & nonnæ, maxime uero auarorum sacerdotum uxores, uel concubinæ nuper permissæ: istæ enim suã pro se partem auferunt, & turpiter ad pompam aut libidinem absumunt, superflua ipsis nec infirmis offerunt nec mendicis, non etiam peregrinis aut orphanis. Sine studio puritatis, æque immundi ut mundi de huiusmodi sacrificijs epulãtur, quod iuxta domini dei leges non licet de sacrificijs uni deo oblatis.

Hostiæ idolorum pro sacrificijs.

25 Scientes itaq; ex his quia non sunt dij, ne timeatis eos.

Ex quibus omnibus dictis, quibus ampliora addenda forent, satis liquet, in stultis istis religionibus, deum non coli, neq; deos esse, multo minus debere timeri, uel quicquam illis uoto decerni uel offerri.

26 Vnde enim uocãtur dij? Quia mulieres apponũt dijs argẽteis, & aureis, & ligneis: & in domibus eorum sacerdotes sedẽt, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt.

Habentur istæ imagines, statuæ & simulachra pro dijs, cum nihil minus sint, quæ & ornantur auro & argento superfluo, cum sint ligneæ uel argentæ, in quarum gratiam & cultum habentur alicubi collegia mulierum, non tamen sine proprijs sacerdotibus, quibus nobiscũ sucCanonissæ. cesserunt illæ nominatim mulieres, quæ se canonissas liberasq; dixerunt, uel hoc uno reliquis monialibus meliores, quia perpetua uota ab antiquo non suscepta, non habent, sed ut uisum fuerit, honestius matrimoniali statui se se contradere hactenus cõsueuerunt: quanquã præstaret huiusmodi conuenticula non extare, nisi tantum ut scholas instituendarum uirginum, uel asyla commodiora uiduarum nobilium uel egenarum. Sacerdotes uero de quibus hic Baruch loquitur, qui Babylonijs tunc quoq; in usu erant: tunicas scissas habent ex scapulis pendentes: capita quoq; rasa, uel totaliter, uel in orbem, quorum capita nuda sunt, ut uideamus quorum nunc nostri sacerdotes & monachi successores sint, qui illorum patriarchæ. Nam huiusmodi ceremonias & leges in Euangelicis & apostolicis literis non legimus, sed apud gentiles idolorũ cultores fuisse hæc omnia luculenter legimus, & ex antiquitatum monimentis aspicimus.

27 Rugiunt autem clamantes contra deos suos, sicut in cœna mortui.

Non omnino otiosi sunt sacrificuli illi idolorum, sed magnis uocibus canunt laudes & hymnos, eorum quos uenerantur, quas diuinum cultũ nominant, & reboant multo labore, ne nihil agere uideantur. Sicut & Elias suos alloquebatur sacrificulos idolorum, ut altius clamarent, ne forte deus eorũ alia agens & distractus aut dormiens, non audiat quid precentur. Sic, inquit, clamant ut gentiles clamare consueuerũt in exequijs defunctorum, quæ non sine epulis & cœnis agebantur, quẽ nostri quoque ut utilem illis morem cum reliquis susceperunt, & secundum tempus auxerunt.

28 Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, & uestiunt uxores suas & filios suos.

Inhortantur multo studio sacrificuli simpliciores, sed ditiores ex gentibus, ut uestes quoq; in honorem asserãt statuarum, cum dominus proximũ nudum uelit pro amore sui. Verum negligere dei & charitatis intuitu conuestiri, idipsum negligentes, de trunco tegendo & induendo soliciti sunt, impij & perfidi impostores: quæ uestimenta cum susceperint, uxoribus donant, & filios inde induunt, idq; si competentum fuerit excusant, oportere de altari uiuere eos qui seruiũt ei, non gratis colenda idola, quæ de se sibi nihil prouidere possunt, sicut nec præstare, quibus cessantibus emolumentis, cessabit & seruitus. Quod & de suis dominis conqueritur sacerdotibus per Malachiam. Quis, inquit, in uobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Id longe minus interim à nostris factum uidimus.

29 Neq; si quid mali patiuntur ab aliquo, neq; si quid boni, poterunt retribuere: neque regẽ constituere possunt, neq; auferre.

Multa stultitia est, irrationabile ac inusitatũ, cum eo lere studiose, à quo nihil boni speres, qui rependa nihil, qui quod illi facias mali uel boni prorsus ignorat, nec habet unde retribuat officiũ. Tales sunt dij gentiũ & simulachra earum, rependere non possunt nec mala nec bona, nec priuatim nec publice, regibus aut plebibus, sunt enim res nihili, constituere regem non possunt, nec deponere quemquam de regno, quod illis in sæculo principi, imò minimus ex populo melior est & potentior.

30 Similiter neq; dare diuitias possunt, neque malum retribuere.

Sunt ex dijs gentium, qui pro assequendis diuitijs inuocantur, sicut & nobiscum patroni uariarum rerum, bonarum atq; malarum: sed omnia hæc fiunt inaniter. Non enim idolorum quodpiam nec sanctorum quispiam diuina-

diuitias dare poteſt, cum ſolus dominus deus omnibus imperet, cuius ſolius terra eſt, & quicquid in cœlo & in terra. Sed neq; mala quæ nos in hoc mundo premunt, à ſanctis ſunt, ſed à domino, qui occidit & uiuificat, qui ad inferos ducit & reducit: ut neq; malum in ciuitate ſit, quod non agat dominus, ut ſolus amandus ſit ante omnia, & ſolus quoq; timendus, qui ſi pro nobis ſit, nemo obeſſe poterit.

31 Si quis illis uotum uouerit, & non reddiderit: neq; hoc requirunt.

Vota quæcunq; non ſunt niſi ſolo domino facienda, ſed præſtat nihil uouere, quàm uel non reddere quod eſt promiſſum, uel obmittere quæ abſq; uotis domino obligamur, uel impediri per hæc à melioribus, uel de impoſſibilis uel diuis quicquam uouendum eſt, nec per illorum nomina iurandum, quandoquidem tam uouere quàm iurare per aliquem ſpecies eſt culturæ, quæ ſoli deo debetur. Promittere autem hominibus proximis poſſumus, ſi uelle & poſſe habeamus.

Vota quæ liaſint.

32 Hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiori eripiunt.

Solus dominus dominorum is eſt, qui omnia moderatur, & ſolus omnia nouit ac poteſt, qui ut uitæ originem tribuit: ſic mortis quoq; horam & fatum habet in manibus. Idola iſta ut ſe ab interitu & uermibus eripere nequeunt, ſic multo minus cultores à morte uel periculo quocunq;. Aeque id non poſſunt, quia à domino non acceperunt ſancti quicunq;, non enim omnia uel ſciunt uel poſſunt, ſed quantum illis oſtendit dominus, ſine quo nihil norunt, nec meliores ſunt aut clementiores deo, ut eorundem interceſsio locum habeat, qui longe amãtiorem noſtri patrem habemus, quàm ſit uel eſſe poſsit quiſquã ſanctiſſimorum. Et hanc ſibi ſoli gloriam reſeruat, ut nolit quemquam præter ſe adorari, qui ſolus eripit pauperem à fortiore ſe, & fidentem ſibi non deſerit. Vanum eſt ergo & impium quenquam ſanctorum mortuorum inuocare in morbo uel anguſtijs quibuſcunq;. Medici adeundi ſunt in tempore, uerbo domini id docente, non dii, multo minus idola quæcunq;, ad quorum imitationem nunc ſancti uiſitantur & inuocantur.

Sancti quid poſſint & nolint.

33 Hominem cæcũ, ad uiſum non reſtituũt: de neceſſitate hominem non liberabunt.

Satis claret, apud gentiles diuos inuocatos fuiſſe & cultos, pro oculorum luminibus conſeruandis, et reliquis ſimilibus neceſsitatibus conſulendis, qui ritus cum idolis per Euangeliũ Chriſti & apoſtolos eliminati ſunt et deleti, pro quibus ſola dei gratia & bonitas inuocanda ſit, qui ſolus nouit quibus egeamus, quid proſit, qui & orandi modum docuit, & præcepit. Interim cum reliquis ſuperſtitionibus increuit pro cæcitate & oculorum doloribus diuorum quorundam inuocatio & recurſus, pro aurium & reliquorum membrorum incommodis, quaſi dominus non una hæc omnia uoluntate inuocatus largiatur & clementiſſime, longe procliuior ad exaudiendum preeanes, quàm homines ſint ad petendum.

Lucia. Blaſius.

34 Viduæ non miſerebuntur, neq; orphanis benefacient.

Dominus ſolus eſt qui in ſe ſuſcepit peculiariter uiduarum, orphanorum & pauperum curam: quî fit ergo, ut uiduæ aliam aliquam Annam inuocent nunc: multo minus id idola poſſunt, ſiue gentilium olim deorum, ſiue noſtrorum ſæculorum adinuenta ad quæſtum, priſcis ſanctorum epiſcoporum temporibus prorſus non tam ignorata quàm maxime damnata & extirpata fuerunt, ut ſatis liquet ex illorum omnium ſcriptis. Secus autem uiſum eſt monachis nouitijs, iam à quadringentis annis, ſed qui nunc legitime confundantur, conuicti ignoraſſe ſcripturas, & pietatem uertiſſe in quæſtum.

35 Lapidibus de monte ſimiles ſunt dij illorum, lignei & lapidei, & aurei & argentei. Qui autem colunt ea, confundentur.

Minus dicit & maius intendit, non enim tantum ſimiles ſunt dijs ipſis lapidibus, ſed ut aliâs ſæpe dicitur, ipſiſſimi lapides ſunt, & prorſus lapidei, lignei & lutei: quales quoq; ſunt imò longe infeliciores ij qui lapides colũt, ac ſibi inferioribus ſeſe ſubijciunt, cum ſolũ ſuũ conditorem & ſaluatorem ac omnium gubernatorem ac patrem dominum agnoſcere deberent. Merito ergo illa adorantes atq; colentes, cum eiſdem confunduntur, & dominum offendentes per infidelitatem damnantur.

36 Quomodo ergo æſtimandum eſt, aut dicendum illos eſſe deos?

Alijs quidem uerbis, ſed eandem ſententiam intercalarem ponit, primarium inſtitutum, quod perſuadendum ſuſcepit. Stultitiam eſſe et inſaniam putare, idola talia de quibus dictum eſt, deos eſſe, & aliquo pacto colendos.

37 Adhuc enim ipſis Chaldæis non honorantibus ea: qui cum audierint mutum nõ poſſe loqui, offerunt illud ad Bel, poſtulantes ab eo loqui: quaſi poſſint ſentire qui non habent motum, & ipſi cum intellexerint, relinquent ea: ſenſum enim non habẽt ipſi dij illorum.

Quanquam Chaldæi ſuperſtitioſiſſimi ſint, & in idolorum cultura inſignes, non tamen magnificiunt ſuum deum, tentant quidem eum nonnunquam, & inuocant illius uirtutem & miraculum, quod ſi quacunq; ratione fiat quod petitum eſt, iactabundi quidem gaudent: ſi uero id non aſſequantur, ut ſi oblatum mutum idolo non loquentem obtinuerint, parum inde mouentur, non magno pere offenduntur, quod homines aliâs ſatis ſapientes, nõ mirabile ducunt deum ſuum, qui & ipſe non loquitur, et mutus eſt, homini muto loquelam conferre non potuit. Cum itaq; deos ſuos Chaldæi parum reuereantur uel timeant, ſcientes eos non poſſe præſtare uirtutes, & ob id non plurimũ illos honorant, multo minus uos Iſrael huiuſmodi deos timere non debebitis, qui nec benefacere uobis poſſunt nec malefacere.

38 Mulieres autem circundatæ funibus, in uijs ſedent, ſuccendentes oſſa oliuarũ. Cũ autẽ aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, proximæ exprobrat quod ea non ſit digna habita, ſicut ipſa, neq; funis eius diruptus ſit.

Hic alterius in prophanis historijs doctioris explicationem desydero, impostoras arbitror aliquas notari sacrificulorum cum mulieribus, quas religionis & orationis gratia ad sacella idolorum uenientes decipiebant, sicut & filios Heli in tabernaculo domini fecisse legimus, similesq; malitias in nostra religione admissas, etiam in prisca ecclesia Græcorum legimus, propter quas & auricularis confessio abrogata fuit. Quid uero nostris temporibus passi simus scandalorum, utinam ignoraretur. Quid enim aliud fit, cum mulieres docentur, in hac uel ista ecclesia precibus huius uel illius diui fœcunditate prolium donari, & largas indulgẽtias in hac uel ista eremo consequi posse? Sic de partu Remi ac Romuli, usque modo mentiuntur libelli indulgentiarũ urbis Romæ. Vt hinc intelligatur iste passus, mulieres habitu pœnitentiũ pernoctantes apud diuorum sacella, nocturnis uigilijs et in tæbris credant se diuorum gratia impregnari, si tamen ceremonias certas cum oliuarum succensarum fumo peragant, & id magnæ gratiæ indicium iudicent, si deorum aliquem meruerint compressorem.

Fœcũditas idolorum.

39 Omnia autem quæ illis fiunt, falsa sunt.

Summatim capitulando dicit: Quid multis dicam? Omnia quæ circa diuorum & statuarũ illarũ sacella, et ab illorũ sacrilegis flaminibus fiunt, mera sunt impostura, deceptiones, & ementita miracula, ad aucupandum diuitias, quas ad libidines sectandas applicant, ut de populi insania gaudeant, & unius dei pietas contemnatur, quæ non tam prodest illis, quàm si plurimi nouiq; et recentes dij plebi cõmendentur colendi, non tamen sine sacrificijs, & pro cuiusq; possessione amplis donarijs, tantum ut diutes sint & honorati, pariter illudendo simplicibus.

40 Quomodo æstimandum aut dicendum est illos esse deos? A fabris autem & aburificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id quod uolunt esse sacerdotes.

Alia intercalaris sententia est, neminem æstimare rationabiliter posse tales esse deos, quos tam ridiculos, usus hominum experitur, qui & ab auaris artificibus & fabris conficiuntur, ad libidinem sacerdotum impiorum: collusiones enim exercentur artificum et sacerdotum, ad populo imponendum, quo ditiores euadant. Vnde enim tot etiam in nostra religione sacra & idola, picturæ & statuæ, nisi quia id proderat artificibus & sacrificulis. Vnde & hodie à talibus negotium grande fit uerbi dei prædicatoribus, sicut & Heliæ à sacerdotibus Baal, & Paulo ab aurifabro Ephesino.

Collusiones idololatrarum.

41 Aurifices etiã ipsi qui ea faciunt, nõ sunt multi temporis. Nunquid ergo possunt ea quæ fabricata sunt ab ipsis, esse dij? Reliquerunt aũt falsa & opprobriũ postea futuris.

Adnotanda hæc sententia, illis temporibus non fuisse tam multos artifices statuarios & sculptores, qui ab istis temporibus tunc ualde multiplicari cœperunt, quousq; ex ipsa multitudine displicere cœperunt: & propè interitum idololatriæ tunc uehementius aucta legitur, sicut & nunc uidemus à centum annis, magis imaginum creuisse pretium & numerum, quàm ante per octingentos

annos, ut semper malitia tunc magis increscere solet, cũ prope periculum & interitum est. Quanquam & intelligi possit, mortales & breuium annorum esse huiusmodi deorum artifices, ideo non posse eos formare immortales, ideoq; nec deos: id uero quod sua arte conficiũt, minimo melius intellecturo, erit authoribus & cultoribus memoriale turpitudinis & opprobrij. Videbunt enim posteri stultos fuisse omnes multorum deorum cultores, & idolorum statuarios, quod & Christi & apostolorũ temporibus completum est, & nunc denuo per uerbum dei admonitis innotescit.

42 Nam cum superuenerit illis prælium, & malà: cogitant sacerdotes post se, ubi se abscondant cum illis. Quomodo ergo sentiri debeant quoniam dij sunt, qui nec de bello se liberant, neq; de malis se eripiunt?

Ex facto comprobabunt sacerdotes, decepisse se homines quos docent recursum habere in aduersis ad deos, & illorũ statuas, ut conseruentur & liberentur. Etenim idipsum sibijpsis persuadere non possunt, quandoquidẽ si eisdem sacrificulis & ædituis ingruant bella & cædes, non ipsi cogitant de confugiendo ad idolum pro salute, quam ab illis dari posse diffidunt, quod & factis ostendunt. Cogitatus enim illorum totus in hoc est, non ut confugiant ad aram, sed ut sese alicubi procul à sacro abscondant: quomodo ergo uos, uel reliquus populus, confugiendum ad eos à quibus fugiunt culturæ & religionis istius falsæ primarij antistites & ædituí? Quomodo eni alios quoscũq; eruere possunt à periculis & rapina, aut uastatione idola surda ac muta, quæ seipsa defendere nequeunt?

43 Nam cum sint lignea, & inaurata, & ingentata, scietur postea quia falsa sunt abuniuersis gentibus & regibus: quæ manifesta sunt quia nõ sunt dij, sed opera manuũ hominum, & nullum dei opus cum illis.

Quomodo autem eruerent sese, quæ non nisi lignea sunt uel lapidea, ad intuentium gratiam auro uel argento obducta: quanquam uero hactenus gentes multæ deceptæ sunt à superstitione hac falsissima, quæ et sensui communi imposuit hominum etiam sapientum, oh dolos & figmenta ædituorum, & falsorum sacerdotum, hoc tamẽ non semper erit. Instat enim prædicatio unius dei, quæ nunc passim per reliquias Israelitarum inchoabitur, suo tamen tempore, Christi & apostolorum prædicatione eliminabitur à tota terra, tũc enim scietur ab uniuersis gentibus & regibus, quia falsa sunt, manifeste comprobabitur non esse deos, sed opera manuum hominum, quibus diuinitatis nihil ineesse posit, deum hæc abhorrere quàm maxime, illa quoq; inter non entia et inter non suas creaturas computare, sed esse abominationem turpissimam, quam dominus odiat ex animo, & passim in scripturis legis & prophetarum seriosè prohibuerit, tanquam uenenum pietatis & intellectus humani præiudicium, subuersionemq; horribilem.

44 Vnde ergo notum est quia non sunt dij, sed opera manuum hominum, & nullum dei opus in ipsis est,

quia

Quàm non fuerit hæc prophetæ otiosa repetitio, sed uehementer necessaria, quàm et non pigeat iterum atq; denuo retractare, uel ex hoc liquet, quod & ante et post Christi statim tempora, tam profunde hominum pectoribus insedit, ut uix mille millium martyrũ sanguine abolita fuerit. Et interim sic denuo cum tempore adaucta ut hodie uix magni principes & magistratus audeant erarentiam prostant, imò & ad cultum, toto corde insistere. Cum negari nõ possit, totius pietatis ea fuisse scandalum, & iactura perniciosissima fidei Christianæ & impedimentum catholicæ ecclesiæ, apud Iudæos & Turcas in toto mundo, ut satis probatur experientia, & temporum præsentium difficultate.

Prefis infigit idolatria.

45 Regẽ regioni non suscitant, neque pluuiam hominibus dabunt. Iudicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab iniuria: quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cœli & terræ.

Idola regũ.

Mirum quomodo tantopere idola fuerint à regibus exculta, cum nullã in eos unquam excercuerint potestatem. Non eligunt reges, non confirmant, non adiuuant, non liberant, non defendunt, non largiuntur triumphos. Sed nec quicquam possunt in elementa. Non enim pluuiam propinare possunt hominibus, uel terræ nascentibus. Nullam gentem ab iniuria asseruerunt unquam. Nõ ister autem dominus deus Sabaoth reges eligit, constituit, protegit, deijcit, iudicat, & glorificat pro uoluntate sua, ut ex uerbo domini & patrum sanctorum historijs docetur certissime. Non aliunde nobis pluuia decidit q̃ dei nostri gratia & arbitrio, qui super unam gentem pluit super aliam non pluit, pro uoto & uoluntate sua. Toties quoque cultores suos stupendis liberauit prodigijs, ut sacra testatur historia. Illi uero gẽtium diui prorsus nihil possunt, nec de imminente illis periculo & excidio dant euadere. in quo sunt conditionis minoris & longe ignobiliores corniculis, qui sibi ab huiusmodi malis fieri consulere possunt, inter mediũ cœli et terræ, cum interim idolorum statuæ nõ se mouere possunt, nec euadere conflagrationem sibi fato imminentem.

46 Etenim cum inciderit ignis in domum deorũ ligneorum, & argenteorũ, & aureorũ, sacerdotes quidẽ ipsorũ fugiẽt, & liberabũtur: ipsi uero ficut trabes in medio cõburentur. Regi autem & bello nõ resistent.

Quid uerius dici potest, & clarius prodere falsam religionem, ubi ædes proprias idola tueri nequeunt, & pariter necesse est ea perire, quorum cultores nihil soliciti de dijs suis, fuga sibi consulunt, proditores se statuunt deorum suorum, ne uerè in ipsos credidisse uideantur, qui nec bellum sustinere possunt, nec regi homini resistere, sed plene se impostoram testantur?

47 Quo modo ergo existimandum est, aut recipiendum quia dij sunt?

Toties repetitur intenta tot argumentis & coniectu ris conclusio, ut filij captiuitatis Israelitæ non scandalizentur, dum se solos unius dei cultores in amplissimo imperio cernant, in quo nemo non deorum colat multitudinem, cum tamen se profiteantur sapientia cunctos præstare Chaldæi.

48 Nõ à furibus, neq; à latronibus se liberabũt dij lignei, & lapidei, & inaurati, & inargẽtati, quibus iniqui fortiores sunt. Aurũ et argentũ, & uestimẽtũ quo operti sunt auferent illis, & abibũt, nec sibi auxiliũ ferẽt.

Ridiculi sanè probantur diui & imbecilles, qui sese à furibus eximere nequeunt. Latronum manibus confringuntur, & auferuntur citra omnem reuerentiam. Quandoquidem angeli non sunt, nec gentium principes, nec leonum aut aprorum robore fortes, sed lignei et lapidei, inaurati tamen ne cernatur eorum turpitudo & leuitas, ut iniquissimis quibusq; hominibus infirmiores sint, qui & argentum, aurum & uestitum quo operta sunt idola, sine timore diripiunt sibi, & abeunt tuti, sine omni auxilio miseros illos deos relinquentes.

49 Itaque melius est esse regẽ ostentantem uirtutem suam: aut uas in domo utile, in quo gloriabitur qui possidet illud: uel ostium in domo, quod custodit quæ in pace sunt: quàm falsi dij.

Longe melioris conditionis sunt omnes creaturæ dei, quàm sint simulachra illa, opera hominum, & præterea nihil, imò solum imagines rerum, non res, ad quodcunque utiles. Quis enim non uidet gloriosiorem esse regem hominibus consulentem sapientia & fortitudine, quàm idolum mutum & claudum? Longe utilius est uas quodcunque in domo, & in culina, imò adhuc turpius, quod utilem sui & necessariũ usum habet, de quo quisque gloriari potest, & gaudere de usu & commoditate: idola uero prorsus nihil ualẽt, sed multipliciter obsunt. Ostium in domo prodest, & necessarium est, quo clauso in tuto sunt omnia quæ domi continentur & salua permanent. Falsi autem huiusmodi dij, nihil seruant, nihil iuuant, quando seipsos tueri à quocunque damno non possunt.

50 Sol quidem & luna, ac sydera, cum sint splendida & emissa ad utilitates, obaudiũt.

Omnia quæ in mundo conditor operatus est, ordinauit ad aliquem usum & fructum hominum, quibus omnibus homo non contentus, & simul cum creatore omnibus neglectis, ipse sibi deos fingit ridiculos, qui pro seipsis nihil agere possint, multo minus pro suis cultoribus. Ea uero magnifica dei opera, pro homine condita, parui facit. Sol, luna, & sydera ad hominum usum splendẽt et influunt, mandato et beneficio dei, sed nõ sunt colenda uel adorãda, sunt enim creaturæ dei, cui & pro uoto obediunt, ut & nos uniuersorum domino obsequamur, & seruiamus cultu religioso.

51 Similiter & fulgur cum apparuerit, perspicuum est: idipsum autem & spiritus in omni regione spirat.

Ad omnipotentis dei uoluntatem, iussum, & ordinẽ, fulgur apparet & incidit: uenti ad eius mouentur & disponuntur imperium. Ideo dum ipsorum timor & pa-

nor nos corripit, non ad alium currendum nobis est, nisi ad omnium conditorem, non ad quæcunq; idola, quæ omnibus rebus huiusmodi sunt minora, et nihili æstimanda. Stultissime ergo agitur cum sanctorũ Ioannis et Pauli uel idola uel uires inuocantur & merita, quasi potestatem habentes claudendi cœlos & aërem gubernandi.

Ioannes & Paulus.

52 Et nubes quibus cum imperatum fuerit à deo perambulare in uniuersum orbem, perficiunt quod imperatum est eis.

Nubium quoque dominum alium non credamus, præter cœlorum quoque dominum, qui suscitat eas cum ubi & quibus de causis uoluerit, quarum solus habet potestatem & dominium, cuius iussu orbem perambulant, ac quæ illi placent studiose perficiũt, inuitis omnibus mundi potestatibus & principatibus, denique et dæmonibus, qui sine dei prouidentia nemini nocere possunt, uel prodesse, multo minus de hac re idola sunt timenda uel inuocanda.

53 Ignis etiam missus desuper ut consumat montes & syluas, facit quod præceptũ est ei. Hæc autem, neque speciebus, neque uirtutibus uni eorum similia sunt.

Ignis quoque elementum non minus quàm aër & astra cum impressionibus cæteris domini complet uoluntatem diligentissime. Iussus enim à domino, desuper incidit etiam contra naturã, quæ ascendere facit, montes autem nonunquam ac syluas conflagratione horrenda cõsumat, idq; non sua sponte, sed imperio omnipotẽtis, cui seruiunt omnia: in quem prorsus nullam habẽt potestatẽ diui quicunque, multo minus diuorum idola ac statuæ, propter quod in huiusmodi periculis solus omnium gubernator inuocandus est ac timendus. Nulla est in idolis neque species, nec natura, nec operatio, nec uirtus, quæ huiusmodi naturalibus à deo conditis rebus æquetur, uel etiam de longe comparetur.

54 Vnde neque existimandum est, neque dicendum illos esse deos, quando nõ possunt neque iudiciũ iudicare, neq; quicquã facere hominibus. Sciẽtes itaque quia nõ sunt diĩ, ne ergo timueritis eos. Neq; enim regibus maledicent, neque benedicent.

Iterum infert ex prædictis intentũ ut fideles discant minime timendos deos, quando nihil prorsus norunt uel possunt, nec iudicare quenquã de bono uel malo, aduersum uel gratum homini non inferre. Quod utique scientes minime timeantur à uobis, multo minus à regibus colantur, quos, ut iam dictũ est, nec beneficijs afficere ualent, nec maledicere.

55 Signa etiam in cœlo gentibus nõ ostendunt, neque ut sol lucebunt, neq; illumina bũt ut luna. Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectũ, ac prodesse sibi. Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt diĩ: propter q̃d ne timeatis eos.

Replicantur similia & pene eadem, ad diligentissime inculcandum hominibus, quod certe turpe est non agnosci ab omnibus. Lignum, & lapides, quin & aurum & argentum non esse meliora quàm habentia uitã animalia & bestiæ, quæ exculta in deos & simulachra nihil possunt, non ostendere quæcunq; signa in cœlo gentibus, neque ut sol lucere, uel calefacere, nec ut luna illuminare, propter quod & minime sunt curanda, quæ tamen hactenus uidemus ut olim à gentilibus adorata: sic nostris quoque sæculis mirabiliter exculta uidimus & hæc stulte fieri uix nos patimur admoneri, sed mirũmodum propugnare antiquum errorem contra dei manifestum uerbum & præceptũ non erubescimus.

56 Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit: ita sunt diĩ illorum lignei, & argentei, & inaurati.

Vltimo ridiculosissimæ rei cõparat, imò subijcit ido Lala, laruis scilicet in cucumerarijs ad deterrendum aues positis in hortos, uineas, uel agros, ut uanum tantum incutiãt timorem auibus, quasi hominum figuram prætendentes, quam ubi deprehenderint nihil posse uel senire, desinunt horrere, sed capitibus insidientes contemnunt ut uanũ cõmentum. Tale aliquid sunt gentilium diĩ, quorum simulachra sunt lignea, argentea, & inaurata, imaginem quidem habentia hominum, sed impostura tantũ sunt, & inualida tatum terriculamenta, præter formam nihil habentia.

57 Eodem modo & in horto spina alba, sicpra quam omnis auis sedet.

Quid sit spina alba, non satis capio. Plinius quidem libro decimotertio capite nono de nigra spina mentionem facit, quod genus arborum sit, quod in aquis durat, utilissima sit pro nauium costis. Candida uero spina facile putrescat, quanquam sit & in folijs aculeus spinarum. Certe hic alba spina significat genus arboris, cui auiculæ insidientes, tanquam solatium quietis uel cibi capturæ statim periclitantur & pereunt: sic qui subsidia idolorum inquirunt & inuocant, non solum non liberantur à malis, sed potius irretiuntur decepti & pereunt.

58 Similiter & mortuo proiecto in tenebris similes sunt diĩ illorum lignei, & inaurati, & inargentati.

Nihil abominabilius hominibus, quã caduera mortuorum, quæ ob fœtorem & mortis horrorem, proijciuntur in foueas tenebricosas, plenas fœtore & miseriæ, quæ nemo dignatur contingere uel intueri. Tales autem sunt diĩ gentilium, lignei scilicet et inaurati, sed inquicunq; locum reponuntur, horrori sunt hominibus et animalibus, nedum nihil utilitatis afferentes, sed & plurimum confusionis & ignominiæ auferentes. Ad contumeliam autem idololatriæ insignem pertinet, quod tam frequenter deos cognominat ligneos, inauratos, & inargentatos, quasi ostendens deos tales, præter insensibilem naturam, & speciem forensem conflictam ad deceptionẽ nihil esse, sed indignos qui à quocunque sapiente insciantur multo minus adorẽtur.

59 A purpura quoq; et marmore, quę supra illos teneãt, scietis itaq; quia non sunt diĩ.

Non esse eos deos uiuentes, omnia scientes, immortales, ue lex hoc cognoscetis, si uestes quibus induũtur consider-

siderauerit, ut uel inhonesta contegant, uel honorati uideantur, cum sint lignum & lapis. Marmora quoque sunt, non ossa caro aut sanguis, multo minus immortalitatem inuenietis, qui ignis conflagratione absumuntur. Quin & purpuram suam à furibus defendere non possunt, nec se tueri à quocunque exitio.

60 Ipsi etiam postremo comedũtur, & erit opprobrium in regione. Melior est homo iustus qui non habet simulachra: nam erit longe ab opprobrijs.

Exeduntur tandem à tineis & blattis, uel à latronibus uenditæ, earum pretia comeduntur & absumuntur, sine omni timore & uindicta secutura. Nihil nisi opprobrium sunt omnibus aspicientibus, magis autem colentibus. Omnibus ergo modis præstat idola contemnere, deserere, persequi: id est hominum iustorum & prudentium, qui intelligunt quid agatur ab hominibus, qua ratione deus prohibuerit idola, qui inuocare insensibilem stultum ducunt, qui spem suam ponunt in creatorem, non in quamcunque creaturam etiam uiuentem, multo minus in lignum & lapidem. Deum autem intelligunt & credũt omnia potentem & scientem, nihil odientem eorum quæ condidit, qui se solum uult & præcipit inuocari & coli, cuius est omnis honor & gloria.

FINIS.

RELIQVIAE AD TERTIVM DANIELIS CAPVT ex Theodotionis æditione.



EQVID desideretur à studiosis, admirantibus, & non indigne magnificientibus, quicqd à sanctis patribus iudicatũ est non indignũ lectione ecclesiastica, unde si traria cæteris diuinis indubitatis scripturis. Nõ obmittimus ea, quæ in Hebraicis quidem scripturis nõ leguntur à Theodotione tamen interprete Græco adiuncta apud Græcos leguntur, à quibus ad nos usque non sine utilitate uenerunt. Sunt autem ea, quæ apud eundem legũtur capitis Danielis ꝓphetæ. Nihil interim moramur impij Iudæi iudiciũ et sannas, de quo in ꝓlogo Hiero. in Danielem, irridentis hunc locum, quasi non fuerit tantũ otij tribus his pueris, ut in camino æstuantis incendij metro luderent, & per ordinem ad laudem dei elementa prouocarent omnia. Nihil hic de lusu metrorum dicimus, quæ

qualia Hebræis fuerint carmina, satis cõstat ex tota scriptura. Non numero syllabarum, sed pondere fructu q; sententiarum canentium deo laudes, quæ hic quoque minime desiderantur. Elementorum in mundo ordinẽ negligenti nihil imputandum est, nec usui considerandi omnia exacte, magnum præmium concedendum, quando spiritus diuinus horum non egeat. Verum de otio cauillanti, poterit responderi, non eos tam breui tẽpore in camino seruatos, quin renunciatos regi, usquequo in propria accederet persona, eos compellans nominibus proprijs & exire præcipiens. Certe infra tantum temporis, hæc omnia & alia plura in dei gloriam dicere potuerũt, quandoquidem non otiosi in igne steterunt, & refrigerium cœleste in fornace acceptum, non sine insigni gratitudine agnouerunt, sumq; professi uerbis quibus tunc spiritus suggerebat, quæ postea cum describenda forent ab eisdem, extra caminum pro spiritus impulsu augere uel abbreuiare potuerunt, ut impius Iudæus ille tam elegantes, et spiritu dei depromptas diuinas sententias, nihil à scripturis sanctis abhorrentes, sed omnino consentientes, ridere sine impietatis conscientia non potuerit.

Quæ sequuntur, in Hebræis uoluminibus non reperiuntur.

1 Et ambulabant in medio flãmæ laudantes deum, & benedicentes domino.

Iam quædam dicta sunt per anticipationẽ in Hebræo, ne quid omnino desit historiæ. Verum fusius & prolixius descripturus tantum miraculum, quædam repetit. Dixerat confestim post imperium regis improbi ac impij, qui se solum adorari præcipiebat sub pœna mortis, missi sunt uiri illi tres uincti cum braccis suis & thiaris et calciamentis & uestibus in medium fornacis ignis ardentis. Nam iussio regis urgebat. Et sequitur, Viri illi ceciderũt scilicet præcipites, quia ligati erant, sed ardentibus uinculis, flamma uinctos nõ tangit. Ideo hic consequenter dicit Theodotionis translatio, quam alicubi reperit in Syra lingua scriptam historiam. Et ambulabant, quia uinculis exustis surgebant, stabant, & libere ambulabant in igne, ueluti in aere temperato per uirtutem diuinam, cui obediunt omnia elementa & elementata. Ideoq; ut sentiunt beneficium, uirtutem, miraculumq; diuinum, quid aliud agerent, quàm laudare dominum deum suum, qui confitentes illius gloriam & bonitatem, benedicebant et celebrabant eius misericordiam circa se famulos suos.

2 Stans autem Azarias, orauit sic, aperiensq; os suum in medio ignis, ait, Benedictus es domine deus patrum nostrorum, & laudabile & gloriosum nomen tuum in sæcula:

Hæc oratio Azariæ, qui uidetur senior & maior fuisse trium illorum, uidetur facta antequam proijcerentur in fornacem, audiente populo circunstante, ante iudicij uel sententiæ regis impletionem, ut patet ex sequentibus. Ante enim fornacem adhuc positus, sic dominũ adora-

bat. Quod uero dicitur in medio ignis apperuisse os suũ, intelligendum puto, cum iam in procinctu esset ut iniicerẽtur in ignem. Sic autem locutus est, siue intra ignem, ut litera hic dicit, si non est deprauata, uel prope ignem iam paratum: Benedictus es tu dominus deus creator omnium elementorum, cœli & terræ, quem solum & unicũ semper coluerũt patres nostri. Cuius gloria, maiestas, et nomen glorioſum est in omnibus creaturis, et merito laudandum, non solum à nobis, sed ab omnibus hominibus quoque, per omnes ætates ac tempora, in hoc mundo, et in sæculo animarum, quò nunc nos te uocante intramus, erepti hac uita, ut transferamur in illam.

3 quia iustus es in omnibus quę fecisti nobis, & uniuersa opera tua uera, & uiæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua uera.

Ne circunstantes gentes & illudentes fidei ipsorum existimarent impotentem dominum deum Israel, quia cultores suos sineret sic persequi & exuri, solicite asserere studet bonitatem & potentiam dei, populi uero Israelitici indignitatẽ et transgreßiones. Quaſi dicere uelet: Nõ iniuſte hæc patimur, quia peccatores sumus, et dominum deum nostrum offendimus, ideo in manus hostiũ nostrorum traditi sumus. Tu domine, inquit, semper iustus es, & omnia iuste disponis, nihil conqueri possumus de te, sed de nobis, qui pro peccatis nostris iram tuam iustam promouimus. Nihil malorũ immeritis immiſisti, nihil agis iniuste, qui amußis es omnis æquitatis & ueritatis. Omnia opera tua uera sunt & sancta. Modus agendi cum hominibus & omnibus creaturis rectißimus est, errare non potes, quando uoluntas tua ipsißima regula est totius rectitudinis. Iudicia tua quibus hominibus reddis præmia & pœnas, iuſtißima sunt, etiam ſi hominibus occulta sunt.

4 Iudicia enim uera fecisti iuxta oñia quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorũ Ierusalem: quia in ueritate & in iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra.

Quamuis uehementer afflixeris nos, & de nostra hæreditate eiecceris, et captiuos gentibus tradideris nos, exilioq; damnaueris, nihil tamen factis nostris indignum ſustinemus, æquißima circa nos sunt iudicia tua & iuſta. Induxisti super nos peſtem, famem, cædes, exilium, et rerum omnium iacturam, sed et ciuitatem tuam quam sanctificaueras, propter peccata uaſtasti cũ templo, sancto tuo nomini dicato: sed omnia iuſte paßi sumus, quia post tot tuas exhortationes & præmonitiones semper perseuerauimus in iniquitate. Ideo in ueritate uerborũ tuorum, quæ per prophetas prædixeras, et iuxta legem tuã decretas nobis pœnas, omnia iuſtißime egisti nobiscum, cui multipliciter peccauimus. Tu innocens, iuſtus, et clemens es, nos semper peccatores iniqui & contemptores fuimus.

5 Peccauimus enim & inique egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus: & præcepta tua non audiuimus, nec obſeruauimus, nec fecimus ſicut præceperas nobis ut bene nobis esset.

Peccauimus contra te dominũ deum nostrũ, idola erigendo: inique egimus in proximos nostros, mutuũ perniurias opprimendo: receßimus à lege tua, & ad deorũ alienorũ cultum sæpe defleximus. Et in uerbo, cogitatione, et operibus cõtra legẽ tuã deliquimus, præcepta tua non obſeruauimus, ut nobis bene esset, ſicut promiſeras: sed coaceruauimus nobis incõmoda multa, quia multũ cõtra te peccauimus, & beneplacitum tuũ contempſimus.

6 omnia ergo quæ induxisti super nos, & uniuersa quæ fecisti nobis, in uero iudicio fecisti: & tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorũ & peßimorũ, prævaricatorumq;, & regi iniusto & peßimo ultra omnem terram.

Iuſtus quidem tu es, & rectum iudicium tuũ, ideo omnia hæc mala quæ patimur, et tyrannis qua obruimur, uero tuo iudicio ſuperuenerunt nobis, qui te clementißimũ patrem reuereri & amare noluimus, ſeruire tibi contempſimus, te iuxta tuam legem colere non ſtuduimus, ideo nunc duriſſimos tyrannos ſuſtinemus, extraneis dominis ſubiecti ſumus, & idolis ſeruire compellimur. Vtcunq; uero iniqui & peccatores fuerimus, pœnãq; tuã merito ſuſtineamus, illi tamen iniquo animo omnia pera egerunt, hoſtes nominis tui, non pro neglecto tuo cultu nos perimentes, ſed quia nomen & cultum tuum delere cupientes, gentem tuam & locum crudeliſſime uaſtare runt. Tu nos corrigi uolebas ex gratia, illi ex odio & furia prorſus delere, & in perpetuos ſeruos capere intenderunt. Iniqui quidẽ ſunt, & peßimi hoſtes noſtri, in tuã gloriam & noſtram ſalutem, ſed tamen illis obedire cogimur, quibus totam terram ſubdidiſti, ut affligerent omnes, & tandem ipſi quoq; menſuram plenam ſecundum ſuas peßimas prævaricationes inueniant.

7 Et nunc non possumus aperire os, cõfusio, & opprobrium facti sumus seruis tuis, & his qui colunt te.

Quãlibet impij ſint hoſtes noſtri, nos tamẽ propterea nullam excuſationem impietati noſtræ prætexere poſſumus, ſed in conſcientijs noſtris confundimur, & peccata noſtra multa, magna, & continuata nimium diu agnoſcimus & confitemur. Omnibus pijs cultoribus tuis nõ dubium demur dignã factis pœnam ſuſtinere, et quod ſanctißimis prophetis futurum prædicentibus credere contempſimus, id nunc accidiſſe ſentimus, & in multa calamitate humiliamur & portamus. Fideles inuenti ſunt prophetæ tui, nos uero prævaricatores & rebelles inuenti ſumus, & digna factis rependuntur nobis.

8 Ne, quęsumus, tradas nos in perpetuũ, propter nomen tuum, et ne diſſipes teſtamentum tuum, neq; auferas miſericordiã tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, et Iſaac ſeruum tuũ, & Iſrael ſanctũ tuum: quibus locutus es, pollicens quod multiplicares ſemen eorũ ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris.

Poſt captatam dei beniuolentiam per confeßionẽ delicti,

plicem, laudũ ſcilicet diuinarum, & peccatorum Iſraelis, nunc orare pergit, & implorare remiſſionem peccatorum & pœnarum. Tametſi, inquit, iuſte nos punias aliquando finem calamitatibus noſtris, quibus tãtopere premimur, & ab impijs opprimimur. Hanc uero redẽptionem noſtri non petimus, fiducia quacunque meritorum uel operum, ſed propter amplificandam glorã nominis tui, qui tuus populus & electum peculium tuum nominamur & ſumus, quorum iniuria cedit in tuam blaſphemiam. Memineris quoque fœderis tui, quod ut in æternum duraret pepigiſti cum amicis tuis patribus noſtris, illud utcunq; nos prœuaricati fuerimus & iuramento noſtro non ſteterimus, tu tamen qui natura bonus es & optimus, cum nos natura corrupta peſſimi ſimus, propter miſericordiam tuam auferas à nobis tantas miſerias noſtras. Id uero facias propter promiſſiones tuas quas promiſiſti Abrahæ patri noſtro, dilecto amico tuo, qui tibi fide perfecta placuit. Et propter Iſaac ſeruum tuum, qui tibi fideliter ſeruiuit per totius uitæ ſuæ innocentiam ac deuotionem. Et propter Iſrael, qui & Iacob, qui ſanctus tuus fuit, totus ex te ſemper pendens, et fideliter ſeruiens, digneq; colens. Non igitur reſpicias nunc quid nos demeruimus, ſed quid amicis tuis noſtris patriarchis pro ſe & nobis promiſeris. Promiſiſti enim ut multiplicares ſemen eorum, quod nos ſumus, in tantam multitudinem, ut ſtellarum numero exæquetur, et harenæ maris. Id igitur compleas ut potes, & redi nobiſcum in gratiam, ut à tantis malis eripias nos propter nomen tuum.

Daniel is cõmentatio

9 quia domine imminuti ſumus: plus q̃ omnes gentes, ſumusq; humiles in uniuerſa terra hodie propter peccata noſtra.

Cum tantam ſeminis noſtri multitudinẽ promiſeris, ô domine, nunc tamen propter peccata noſtra imminuti ſumus, plus quàm omnes gentes, pauci facti & modici, imbecilles & omnibus ſubiecti, qui ſolitarij unici diſperſi & peregre diſſeminati, ut nuſpiã conſpiciatur multitudinis noſtræ numerus. Sumus contempti & nullius exiſtimationis inter reliquas gentes omnes. Imperant enim nobis cæteri populi, nos omnibus ſubiecti confundimur & perimus, & hoc digne patimur, quia in te nos et patres noſtri peccauimus.

10 Et nõ eſt in tẽpore hoc princeps, et dux, & propheta, neque holocauſtũ, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarũ coram te, ut poſſimus inuenire miſericordiã tuã: ſed in aĩa cõtrita, & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur.

Nullus nunc nobis ex nobis uel de noſtro ſemine princeps eſt, qui conſulat uel conſoletur, defendat aut uindicet. Nullus dux eſt, qui de nobis colligat exercitum: omnes pariter ſerui ſumus. Propheta nullus eſt, qui doceat totam gentem, nullum audimus, nullum ſuſcipimus, & ſi quos miſeris nos nõ creditis illis, ſed perſequimur, iuxta mores patrum noſtrorum: ideo nunc famẽ uerbi dei iuſte patimur, qui prophetarũ oracula ſemper ſpreuimus. Nullũ ſacrũ, nullum ſacrificiũ, nulla holocauſta, offerre poſſumus, extra locũ orationis à te decretum electi ſumus. Nulla oblatione pro peccatis delictis & ignorantijs tibi commendamur, primitias noſtras offerre nõ poſſumus, nec ſuffitum incendere, quando ara, templum, arca, ſacerdotium, omnia uaſtata ſunt, ut nullis huiuſmodi medijs, quibus lege tua promiſiſti te et non aliter placandum, miſericordiam tuã inuenire poſſimus, niſi tantum contrita anima, memoria peccatorum, & diſplicentia præteritæ uitæ, unde in conſpectu tuo ex animo compuncti & humiliati', gratiam tuam & indulgentiam cõſequamur, in eo quem promiſiſti benedictionem futurũ omnium electorum.

11 Sicut in holocauſto arietum & taurorũ, & ſicut in milibus agnorum pinguium: ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam nõ eſt confuſio confidentibus in te.

Hoc uero ſolũ abs te poſcimus, ut humilitatis noſtræ conſcientia, & feruens imploratio gratiæ tuæ, cum fiducia miſericordiæ tuæ, non nobis negandæ, per Chriſtum quem expectamus recolligendi & ſaluandi, ſuo tempore tibi placito: huiuſmodi, inquam, cor fidele et humile ſit tibi pro holocauſto arietum & taurorum, pro milibus quoque agnorum pinguium, qui tibi deuotiſſime offerremus, ſi per tempus, locum, pauperiẽ, & tuã uoluntatem liceret. Hoc noſtrum cor contritũ et humiliatũ, ô deus noſter, non deſpicias, ſed in conſpectu tuo placeat tibi ſacrificium fidei & deuotionis, quando aliud non licet: tantum ut fiduciam noſtram in ſpiritu humilitatis ſuſcipias, & facias ut ſperamus. Ne confundamur in ſpe et fide noſtra, quaſi ſine deo & patre, qui liberare uel poſſit uel uelit, unde nomen tuum blaſphemetur in gentibus.

Sacrificiũ contriti cordis.

12 Et nunc ſequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Ne cõfundas nos: ſed fac nobiſcum iuxta mansuetudinem tuam, & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ.

Allegat conſequenter conſuetam dei ad in ſe ſperantes miſericordiam, & ad ipſum reuertentes per pœnitentiam. Nunc itaque tot malis eruditi, qui in bonis te negleximus, te ſequimur deſiderijs uotiſq; bonitatis & beneficiorum, ut oues paſtorem ducentem ad paſcua. Idq; agimus perfecto corde, non hypocritice, non ſimulate, ſed ſyncere & ex animo. Timemus te, non ut rebelles ſerui, ſed ut obedientes & ſeduli filij tui. Et ſeruitutẽ uultus tui tandem poſt diuturnam iram intueri geſtimus & oramus. Expectationem pietatis tuæ non confundas: qui enim dediſti concupiſcere bonitatem tuam, nobis dones & conſequi: qui ut oraremus induxiſti in animum, exaudire quoque pro tuo more digneris.

13 Et erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo domine: & confundãtur omnes qui oſtendũt ſeruis tuis mala, confundantur in omni potentia, & robur eorũ cõteratur: & ſciãt quia tu es dominus deus ſolus, & glorioſus ſuper orbẽ terrarum.

Humanis uiribus è tãtis malis erui nõ poſſumus, ſed

tu pro omnipotentia & bonitate tua si uoles, liberare poteris per miracula tua ut olim. Id uero nõ optamus ad tentandum bonitatem tuam, sed ut glorificetur nomen tuum, & ut confundantur hostes nostri, & blasphematores nominis tui, qui sine timore tuo afficiunt seruos tuos omnibus malis quibus possunt. Hos rogo confundas per omnipotentiam tuam, qui in tua potestate habes elementa omnia, & creaturarum omnium actiones. Conterere robur & fortitudinem eorũ, qui in illis confidentes, tuam non timent potentiam. Ostende eis diuinitatis tuæ maiestatem, glorifica nomen tuum in totum orbem terrarum, ut sciant te solum optimum & maximum.

14 Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem, naphtha & stuppa & pice & malleolis,

Dum sic Azarias orat ante uel in fornacem coiectus, non cessant ministri regis augere ignem & fornacem succendere, materia ad ignem fouendum aptißima, multa libidine confundendi uirtutem domini dei Israel, et occidẽdi Iudæos quos uoluissent omnes occisos. Naphtha dicitur quoddam genus fomitis apud Persas, quo maxime nutriantur incendia, ut etiam longe admotum igne corripiatur. Stuppam adijciunt, quo leuius cætera materialia accedantur. De pice non dubium. Malleoli uero sarmenta dicuntur & uimina, unde ignis nutritur.

15 & effundebatur flamma super fornacẽ cubitis quadragintanouẽ: & erupit, & incẽdit qs reperit iuxta fornacẽ de Chaldæis.

Flammam aluerant fomentis opportunis, ut horrendissimus ignis appareret. Eleuabatur ergo flamma & crescebat in immensum, ut numerum certũ hic scribat pro incerto: uel pro alicuius prope existentis ædificij altitudine supputari poterat flammæ ascensus. Non solum uero eleuatus est ignis in sublime, sed etiam mandato domini de fornace erupit ad inflammatores, ut iudicium domini exerceret in Chaldæos, succendere uolentes flammas, ad terrorem aspitientium, & ad ardentium in fornace absumptionem. Consumpti sunt enim ministri regis ab illo igne, saluis tribus pueris, non quod ignis caliduus non esset, sed quia non cooperabatur dei uirtus in comburendo. Quandoquidẽ omnis creatura dei dependet à deo, non solum in essendo, sed etiam in operando, secundum domini uoluntatem. Si enim potuit uincula cõburere etiam corpora potuisset, sed omnia iuxta dei nutum fiunt in omnibus creaturis.

16 Angelus autem domini descendit cũ Azaria & socijs eius in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace, et fecit mediũ fornacis quasi uentum roris flantem, & nõ tetigit eos omnino ignis, neq; cõtristauit, nec quicquam molestiæ intulit.

Cum in fornacem descenderet Azarias, post factam orationem cum socijs, regio mandato urgente per ministros ad hoc uoluntarios, Angelus quoque domini cũ eis dem descendit in eundem fornacem, iussus à domino. Et ad nutum creatoris excußit flammam ignis de fornace, ad ministrorum inflammationem & interitũ. Nõ quod intra fornacem ignis non arserit, sed quia nõ exußit, nisi ad arbitrium creatoris, qui uoluit fieri medium fornacis, quasi uentum roris flantem, hoc est ipsos refrigerantem, uoluntate & omnipotentia creatoris, cui ad nutum obsequitur omnis creatura, etiam in naturalibus actionibus. Quos ergo dominus uoluit, hos exußit flãma, quos uoluit refrigerauit. Fideles cultores dei, creatura dei non tetigit, hoc est non ambußit uel læsit, nec contristauit, nec quicq̃ molestiæ intulit, sed mirabiliter cõsolatus est.

17 Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant & glorificabant & benedicebant deum in fornace, dicentes:

Cernentes circa se dei gratiam & miraculum, ceruicem orationem Azariæ, qui aliorum ex uoto dixerat, & dominum exorauerat, non inepte lætati sunt, nec ille luserunt succendentibus uel infidelibus, non sua merita cogitarunt, sed uno ore, quia una fide dominum huius miraculi patratorem agnoscentes collaudant atque glorificant & deum benedicunt, intra fornacem adhuc positi, una uoce dicentes canticum et laudes, ad quod se excitii, dentes ac sentientes insufficientes, aduocant & inuitant subinde omnes creaturas dei, quæ operibus suis ostendit dei sapientiam atque magnificentiam. Sicut effectus laudabiliter absolutus suam causam magnificat: sic omnia dei opera laudant dominum.

18 Benedictus es domine deus patrũ nostrorũ, & laudibilis, & superexaltatus in sęcula.

Ad gloriam domini dei Israel illustrandam in gentibus incredulis atque blasphemis, sancti illi pueri saluati in igne, primum benedictum dicunt, hoc est pro sua bonitate et beneficentia laudandũ ab omni creatura, quia bonus solus, qui gaudet benefacere omni creaturæ, et eas conseruare in esse, ad suam gloriam uti eis, & agnosci suo modo ab omnibus. Laudabilis autẽ dicitur, quia suã bonitatem omnibus communicat, à quo solo omne bonũ descendit, tanquam à bono per essentiam, cuius ipsum esse est bonitas & benefacere, sine quo nihil potest omnis creatura. Gloriosus dicitur cuius bonitas apparet in omnibus operibus, cui omnia ad nutum seruiunt, qui in omnibus creaturis admirabilis agnoscitur, quem solum decet omnis honor & gloria, cuius comparatione omnia ueluti nihil sunt, qui sine omnibus entibus potest esse, eorum nihil indigens. Omnes autem creaturæ ex ipso pendent, & sine ipso possunt nihil, quem quicquid gloriosum est in mundo reuereri debet. Superexaltatus dicitur, quia abyssus est omnium perfectionum. Summe sanctus, summe sapiens, summe potens. Et quicquid perfectionis inuenitur in omnibus creaturis, hoc cum infinita & imperscrutabili excellentia intelligitur in deo. Vel si placet intellige benedictum, ratione ea qua omnia creauit de nihilo, & omnibus ministrat ut sint. Laudabilem, quia omnia conseruat atque moderatur ad suam gloriam. Gloriosum, quia electis suis ostẽdit in excellentis quantis est, & omnibus gratiosus. Superexaltatum autẽ, quia omnia excellit, quæ de ipso cogitare, dicere, uel quomodocunq; testari possumus. Nominant autem dominũ deũ patrum suorum. Dominum quidẽ, quia omnia subiecta habet

habet, & illis utitur pro uoluntate sua, cui nihil resistere potest: deum uero, quia omnibus paratus est benefacere, qui seſe patribus benefactorẽ semper fore promisit. Deũ autẽ patrum suorum uocant, ne sic derelictos se perfide credant, ut non impleturus sit quicquid unquam promisit, qui patribus benefecit, liberauit eos, & ex omnibus gentibus ueluti peculium elegit, & benedictionem omnium gentium ex ipsorum semine generãdum promisit.

19 & benedictũ nomen gloriæ tuæ sanctũ & laudabile & superexaltatũ in omnibus sæculis.

Nomen gloriæ diuinæ est summi dei summa maiestas, qua omnibus dat esse & subsistere, ille qui esse habet à seipso, & est solus sua essentia, quam significat nomen dei quatuor literarum, quod ut Iudæis innominabile habeatur, quod ineffabile, hoc est inexpoibile, tamen nominatum intelligimus etiam à gentibus, nõ tamen digno honore & reuerentia. Quanquam enim plures deos coluerint, nominauerint, crediderint, nomen tamen Iouis quod proxime alludit ad tetragrammaton יהוה, & ab essentia dicitur, nulli unquam alteri deo applicarunt, nisi uni tantum deo summo & maximo, deo scilicet deorum, & domino omnium dominorum. Illud autem nomen & gloriæ diuinæ maiestas, sanctum est, fuit & erit per omnia sæcula, hoc est in æternum & ultra, sine principio & fine, semper & uniformiter.

Iouis nomẽ.

20 Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ, & superlaudabilis & superglorioſus in sæcula.

Templum gloriæ diuinæ non potuerunt intelligere Hierosolymæ extructum, quod tunc in ruinis & cineribus iacebat, et toties deinceps destructum est per multos et dudum in totum desijt, sed cœlum cœlorũ, empyreum scilicet, locus ubi seſe felicibus ostendit qualis est facie ad faciem, speculum perfectæ beatitudinis, cum ut summum bonũ intelligitur, & adoratur non iam in spe sed in specie, scilicet per lumen gloriæ sanctis animabus resplendẽs uidetur ut est & ut beatis uideri et frui uult & ab anima beatificata potest. Interim uero templũ domini sanctũ est, conscientia & mens hominis fidelis et cãdida, in qua habitare deus dicitur, ut in suo sanctuario iuxta Apostolũ.

Templum gloriæ.

21 Benedictus es in throno regni tui, & superlaudabilis & superexaltatus in sæcula.

Vtcunq; pietate & fide imbutum cor, thronus dei digni posſit & sit, speciali tamen modo thronus domini dei est sacrosancta humanitas assumpta à uerbo in unitatem suppositi & personæ, in quo throno regnat in cœlis, & potestatem assequutus est omnem, in cœlo & in terra, ubi non tantum secundum diuinitatem est speculũ omnium beatorum, sed etiam secundum corporis glorificati conditionem, ut planè totus homo beatus sit in corpore & anima, per Christi gloriosam deitatem, & benedictam humanitatem. Qui certe thronus olim significatus est per arcam fœderis & propitiatorium, cui speciali modo essendi per præsentiam in mysterio, hoc est sacramentaliter semper aderat credentibus, & in fide orantibus, præceptã domini dei amantibus & ruminantibus, cuius tabulæ, quæ & testimoniales dictæ sunt, in arca erant, propter quam & arca testimonij dicebatur, & figura diuinitatis habitaturæ nobiscum in semine Iacob & Dauidis, ut esset benedictio omnium electorum ex omnibus gentibus. Qui beatiſsimam uirginem theotocos Mariam faciunt thronum dei, propter maternitatem, non maledicunt quidem, sed ineptius applicant, quia coniuncta sit deitati Mariæ speciali modo, sicut humana natura in Christo: cum dicere uerius posſint, intra uterum & uirginem dei tatẽ carni humanæ unitam personaliter, quæ certe persona non fuit Maria uirgo, sed Christus deus & homo; uirginis quidem filius, qui deus est & homo, non tamen deitati unita est, nec eam genuit, sed eum qui deus est & homo, deus à patre ab æterno, homo à matre in tempore.

Maria uirgo quomodo thronus dei.

22 Benedictus es qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper cherubim, & laudabilis & ſuperexaltatus in ſæcula.

Sedit quidem ut potentiſsimus imperator inter cherubim, hoc est dominus angelorum, qui sunt administratorij spiritus, & qui in mysterio super propitiatorio inter duo cherubim stantia residere dictus est, & uoluit credi. Nihilominus tamen intuetur abyſſos, hoc est absconſiſtima, quando omnia patent conſpectui suo. Excelsus enim dominus & humilia respicit in cœlo & in terra, omniũ scientiam habens, scrutator cordium, & abyſſius infimas intuens, ut nihil abscondi posſit ab intuitu oculorum suorum.

23 Benedictus es in firmamẽto cœli, & laudabilis & glorioſus in ſæcula.

In firmamento cœli benedictus dicitur, quia illud creauit, cõfirmauit, & illustrauit gloria sua. Exponitur enim de cœlo immobili, loco beatorum & clariſsimo, de quo prædictum est. Potest tamen de eo firmamento intelligi, quod ab initio creatum narratur cum terra, & diuidens aquas ab aquis. Quanquã et de tota machina totius mundi capi posſit, pro omni eo, quod illius ambitu cõtinetur: unde & Hebræorum more nũc de singulis dei operibus loquitur, & ea ad laudem creatoris aduocat & inuitat.

Cœlum immobile.

24 Benedicite omnia opera domini domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

In genere explicat omnia dei opera, quæ quia omnia deus bona uiderat, & illis benedixerat, merito quoque ipsa uiciſsim dominum benedicere iubentur. Quorum benedicere aliud non est, quàm ex natura sua & operibus ostendere sapientiam, potentiam, & bonitatem dei creatoris sui. Sunt enim omnia opera domini, ipse omnia creauit, & sine illo factum nihil quod factum est: non sunt enim plures rerum factores, nõ est niſi unus deus, qui bona facit, & mala ordinat ad suum bonum, qui ab usu bono nihil uacare permittit, nihil enim in mundo deo est otioſum, sunt enim omnia in suo genere bona, licet non omnibus omnia conueniant. Verum domini dei est ex quantumlibet malis elicere bona & gloriam suam perficere.

Benedicere deum opera domini.

25 Benedicite angeli domini domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Spirituales creaturas non solum esse angelos ueriſsimiliter dicitur, quanquam nec de illis sicut nec de angelis

De angelica natura.

quicquam dicetur explicite in descriptione totius uniuersi, quæ descriptio facta est hominibus, & populo satis rudi, ne quid supra se suumq; captum de talibus creaturis intellectualibus comminisceretur, quod omnibus certe illis usui uenit, qui plus sapere uoluerunt quàm oportet sapere. Vt patet de hæresibus Eonarum, & de excessu Origenico post Platonicos, de quibus satius est parce cogitare, quando ne animam quidem nostram intelligere ad perfectum possumus. Cum interim nõ ignoremus proportiones corporum admirandas terræ, aquarum, aëris, quo quid sit purius & subtilius non capimus, uix enim sensuales homines aërem non nihil esse persuadentur, sine quo nihil uiuit, cuius inenarrabilem proportionem perspectiua & ipsa musica docet, et usq; ad miraculũ stupet mens hominis etiam studiosi. Cui aëri cum longe subtilior sit sphæra ignis, quid de corporibus cœlestibus dicere possumus? incomparabiliter igitur subtiliora, puriora nobiliora q; sunt spirituum corpora, hoc est substantiæ, quas abstractas entitates quidam nominant Hebræorũ. Sunt autem angeli dei boni omnes, quo ad substantiam, sed dicuntur eorum quidã esse mali, tum quia administratorij mittuntur ad uindictam impiorũ, tum quia male uolunt hominibus, & parati sunt impedire bona hominum, ac dei gloriam obfuscare, suam autem augere diuina permissione sinuntur, in cuius tamen potestate sunt, ut nihil nisi illo iubente perficere ualeant. Sicut & homines mali, mala quidem agunt, deprauata uoluntate, quæ tamen bonis diuina prouidentia cooperantur in bonum.

Angeli mali.

26 Benedicite cœli domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

De cœlis quomodo benedicant dominũ, claret ex obedientia sua in perpetuis suis et immutabilibus motibus et uarijs, per quos influunt in hæc inferiora, iuxta domini dei creatoris sui uoluntatem & liberum arbitrium. De numero uero cœlorũ nihil narrat scriptura, & tractatores quoq; talium secundum tempora & loca uaria tradiderunt, de quibus uide Purbachium & reliquos sphæræ mũdi tractatores, nõ inutile studiũ si partius attingatur.

Purbachius de sphæra.

27 Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

De aquis quæ super cœlos sunt domino benedicturis, aliud in præsentiarũ non dixerim, quàm quod pluuiæ hominibus & omnibus uiuentibus necessariæ agnoscantur beneficium creatoris, pro quibus ut dentur, solus dominus inuocetur, soli eidem gratiæ agantur, quæ nisi in cœlis uel æthere essent, ad nos non destillarent uel delucerent. Cuius impressionis solus dominus author agnosci debet. Cæterum quomodo in principio Geneseos aquæ super cœlos esse dicantur, ibidem consulantur ecclesiastici doctores, & præcipue Augustinus in Genesim, & Ambrosius cum alijs.

28 Benedicite oñes uirtutes domini domino laudate & superexaltate eum in sæcula.

Virtutes intelligi possunt intelligẽtiæ angelicæ, à deo creatæ, pro motu cœlorum atq; astrorum, quandoquidẽ quodlibet cœlum uel astrum proprium angelum habere dicitur à doctis. Vel uirtutes illæ sunt influentiæ astrorũ & luminum, stellarum fixarum & errantium uel planetarum, quas experientia longa homines didicerunt habere peculiares quasdam mirabilesq; uirtutes, quas longe plures experiremur, nisi corporis concupiscentijs et inerti otio nimis addicti essemus.

Angeli cœlorum.

29 Benedicite sol & luna domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Sol & luna præcipua astra nominantur, quorum illa striora experiuntur homines opera, duo quidem luminaria magna condita propter hominem, propter quem omnia ista ad laudẽ domini inuitantur, ut propter ea nos homines dominum collaudemus, & ipsa enarrent gloriam dei, et obedientia sua admoneant quamũ reuerentiæ nos domino deo nostro obligemur. De quorum natura cæteris in literis sæcularibus multa apprime utilia tractantur, quæ homines pij referunt ad laudem conditoris, & ex conditis assurgunt ad contemplationem dei.

30 Benedicite stellæ cœli domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Stellarum multa differentia docetur, secundum magnitudinem & constellationes. Præter solem enim & lunam quinq; uidentur proprios habere motus, unde & illis proprij cœli multi appropriantur & epicycli. Reliquæ omnes fixæ creduntur in unico cœlo, planetis omnibus altiore, quod stellatum dicitur, proprium motum habens, distinctum à motu firmamenti, cuius sit innumerabilis & simplex motus, de quibus uide astronomica.

31 Benedicite omnis imber & ros domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Imber dicitur aquarum copiosum agmen, ex concretis effusum nubibus. Nimbus uero repentina et uehemẽtior pluuia, significatq; omnem humorẽ aqueum, de quibus in Metheorologicis philosophi uideantur. Sicut & de rore, qui humor quidam est sereno tempore fluens ab æthere, non gelu neq; ardoribus neq; uentis existentibus, fitq; ex modica uaporatione, cum pluuia ex largo uapore progeneretur.

32 Benedicite omnis spiritus dei domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Spiritus hic dicuntur uenti, qui plures numerantur secundum uarios authores, & iuxta hominum & terrarum uarietates uarie nominantur, de quibus non est ut hic multa dicantur, sicut nec de alijs, quando in authoribus de his uaria & sufficientia passim tractantur, ex quibus petenda sunt studiosis.

33 Benedicite ignis & æstus domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

De igne elementorũ summo & subtilissimo, deq; eius miraculis multa in naturalibus leguntur, quomodo specialis facile accenditur, è silice excutitur, æque pluris fere parit atq; consumit. Deq; miraculis ignium lege Plinium 36. lib. 16. & 7. cap. Aestum iungit igni, effectum causæ, calor enim passio propria est ignis & etiam motuũ, quæ dominum benedicunt, quia sine illis homines uiuere nequeunt, & ingentis beneficij loco donata sunt mundo.

34 Benedicite frigus & æstas domino, laudate

date & superexaltate eum in sæcula.

Alternatio temporis, necessaria naturis rerũ ad actiones & quietem, significatur per hyemem, dum nobis sol est in signis ultimis Australibus, tunc enim ob longinquitatem causæ caloris frigus superat, & hyems causatur nobis. Simile fit austrũ inhabitantibus, dum nobis sol est in Borealibus ultimis signis. Aestas autem & hyems hoc pacto relatiue suscipiuntur, dum proximus sol est æstas uiget, hyems dum abest. Laudant autẽ dominũ dum nos gratias agere deo hortãtur suis effectibus, dum seruiunt credentibus, & domino pro & in suo ordine famulãtur.

35 Benedicite rores & pruina domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Rores ut plurimum fiunt in uere, ideo hic pro uere accipitur, cui iungitur pruina, quæ fit in hyeme uel autumno, dicto pro eo quod fruges & uirgulta perurat, est enim ei perniciosior natura, secundum Plinium, de qua uide lib. 17. cap. 2. 4.

36 Benedicite gelu & frigus domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Componunt gelu & frigus, quod ex frigore glacies & gelu conflatur. Hic dicitur gelu pro frigore poni, sicut & gelidum dicimus pro frigido. Laudat autem frigus & gelu dominum, dum creatori seruit ad ipsius ordinem, quem constituit & uel prodest fidelibus uel impijs detrimento sit.

37 Benedicite glacies & niues domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Glaciem effectum intelligit frigorum: est enim aqua congelata quasi gelacies, ut Aristoteles in libro de generatione & corruptione. Niues uero fiunt ex uapore calido & humido, uirtute solis & astrorum, ad infimam partem medij interstitij aëris eleuato, quem propter sui raritatem circumstans frigus ingreditur, in aquam resoluit, & simul tempore ad modum lanæ carptæ congelat, sitq; remisso frigore. Vnde dum per infimam aëris regionem descendit, calore resoluitur, unde quod in montibus nix, hoc fit pluuia in uallibus. Laudant autem dominum cum terram impinguant, & officium præstant creatori ad fidelium usum.

38 Benedicite noctes & dies domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Nulla in superioribus requies est, sed in inferioribus necessaria est alternatio quietis, quam animantibus nox præstat, sicut hyems terræ nascentibus, & arbores camq; sua gaudent requie. Sic ergo noctes deo benedicunt & dies, dum operationi hominũ accommodãtur utrãq;.

39 Benedicite lux & tenebræ domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Lux uniuersalis donatur nobis domini beneficio à sole, qui fons est luminis, cuius priuatio nox est et tenebræ. Omnia autem ordinata sunt à domino, antequam homo crearetur, ut homini prodessent, inde laudant dominum, dum suam uicissitudinem seruant & seruiunt domino.

40 Benedicite fulgura & nubes domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Fulgur & lux, illa dicitur uibratio luminis, quæ antecernitur quàm tonitruum audiatur. Aeque autem ignis sunt fulgur & fulmen. Est autem fulgur flamma quædam ex nubibus propulsa, quæ futura fuerat fulmen, si plus uirium habuisset, tunc enim quasi telum est, eiaculatum in terram, ex collisione nubium in morem silicum duriorũ. Nubes autem uapor est humidus in sublime egressus, siue aër in liquorem coactus, cuius densitas solem obumbrat & luce priuat. Laudant hæc dominum, cum terrent fulgura homines, & frugibus prosunt. Sic nubes dum resoluuntur in aquas, uel mitigant solis ardores.

41 Benedicat terra dominum, laudet & superexaltet eum in sæcula.

Terra deũ laudat.

Multipliciter uero dominum terra laudat, dum nutrit & pascit omnia, dum ex ea homines generantur, & in eam colliguntur corpora, dum uernat, dum floret, dum fructus producit, dum fœcunditate sua omnibus uiuentibus prodest, dum elaborata fideles pascit, & sustinet etiã impios ad emendationẽ. De qua complura in Plin. lib. 2.

42 Benedicite montes & colles domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Montes dominũ laudant, dum sua fœcunditate uiuentia pascunt, dum exculti uinũ & frumentũ cum reliquis ministrant. Sic & colles, qui Carmeli Hebræis nominantur dum sunt exculti. Quid enim aspectu iucũdius, quàm dum omnia florent, & fructus multiplices repromittũt?

43 Benedicite uniuersa germinantia in terra domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Germinant in terra non tantum herbæ, frutices, et arbores, sed & animalia serpentia & bipedia uel quadrupedia, homines & iumenta, quæ omnia dominũ laudant, dum pijs occasionem præstant magnificandi & glorificandi beneficia creatoris.

44 Benedicite fontes domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Inter fontem & puteum hoc interesse Augustinus putat, quod omnis puteus fons, non omnis fons puteus. Vbi enim de terra aqua manat, & se usui præbet haurientibus, fons dicitur. Si autem in alto & in profundo sit, ita puteus uocatur, ut fontis nomen non amittat. De origine fontium & perpetuitate, deq; uarietate & usu multipliciter, multa in naturalibus tractantur. Vide Plinium uel Margaritam philosophicam.

45 Bñdicite maria & flumina domino, laudate & supexexaltate eum in sæcula.

De uarietate marium & nominibus, motibus et refluxu, uide cosmographos & naturales. Est alioqui aquarũ congregatio mare: multæ autẽ collectiones multa maria, sicut multæ terræ, ut Africa, Hispania, Tratia, Macedonia, Syria, Aegyptus, Gallia atq; Italia, pro regionũ appellantur uocabulis, & una est terra: ita multa dicuntur pro locorum appellationibus maria, & unum est mare. Benedicunt autem dominum, dum promouent & nutriunt pios, præfocant autem & demergunt impios, dum pisces donant & alluunt regiones. Flumina uero exonerantur in mare, & fontibus oriuntur, terras irrigant, & habitabiles reddunt, unde & sine fontibus et fluminibus

deserta sit terra, & prorsus non habitabilis. Ingens igitur dei beneficium flumina sunt & fontes.

46 Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Multa animalium genera procreantur in aquis, ueluti in suo nobili loco et orbe, suo domino famulantia ut iussa sunt, ad hominum eruditionem & auxilium, etiam si nobis earundem rerum causæ ignotæ sint. Nouit tamen dominus, & moderatur omnia ad suũ, quem nouit fructũ.

47 Benedicite omnes uolucres cœli domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Volucres cœli dicuntur, id est aëris, qui more Hebraico cœlũ nominatur. Laudant aũt dominũ, dum agũt pro naturæ suæ instinctu, dũ fouent pullos uel excludũt, dum nudulantur, dũ concinunt, et ad laudẽ dei extollunt animos deuotorũ, dũ tempus obseruant, oĩa cũ ordine agũt.

48 Bñdicite omnes bestiæ & pecora domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Bestiarũ nomine feras et bestias nominat. Pecora quo que iumenta dicit, quæ mirabiliter dominũ laudant, dum homini seruiunt, dum in usus fidelium assumuntur, dum cibus fiunt, laboribus suis prosunt, & auxilio sunt, quæ certe nos domino accusant et damnant, si abusi fuerimus eorundem qualicunq; opera, si dum domino seruiũt nobis procurando solatia uictus et amictus, nos nostro creatori non exhibuerimus officia pietatis, ad quæ creati sumus. Hac enim ratione nobis seruiunt, ut nos domino obsequamur suo & nostro.

49 Benedicite filĩ hominum domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Filios hominũ intelligunt in genere omnes terrigenas gentes & populos, quibus omnibus dominus rationẽ indidit & conscientiam, ut in ignorantia boni & discretione mali à bono nemo excusetur, omnes ad laudandum deum creati sunt, non uerbis & oris uoce uel canticis, quanq; & illa deo non displiceant, si sine fraude & mendacio fiant, si concordet cor cum sono, si ex fide proficiscatur, & opera nõ desint charitatis et fidei, alioqui omnis hominũ actio dominũ cõmendare debet, et protestari gloriã unius dei, fideliter & non ficte agnitã, quod est solum fideliũ & electorũ, quales in omni gente dominus habet & nouit, quorũ nos animas damnare nõ debemus, nec salutem negare. Nouit dominus qui sint eius: omnes amare potius obligamur, licet familiarius consortes fidei, neutiquam autẽ odisse nec iudicasse. Nosipsos expendamus, si agnitam pietatem seruemus, si domino deo nostro nos fideles famulos præstemus, & non seruos nequam.

Canere domino.

50 Benedicat Israel dominum, laudet & superexaltet eum in sæcula.

Intelligant Iudæi se solos nomine Israelis, nos ex prophetarum & apostolorum scriptis instructi, scimus Israelitas esse, qui recto corde domino adhærẽt, qui filij Abrahæ sunt iuxta fidem, qui colluctantur cum uitijs & concupiscentijs, qui domino deo eatenus deuoti sunt, ut possint & uelint cum dei gratia omnia relinquere, ut domino gratificari possint, qui uni soli & uero deo sese creant totos, & ab illo pendent, cui se totos probari cupiunt, & hæreditatis perpetuæ possessionem in cœlestibus dei promissione perceperunt.

Israelitæ uere qui.

51 Benedicite sacerdotes domini domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Sacerdotij quoq; prærogatiuã sibi Leuitica tribus & eadem Aaronica soli arrogabant, quod et erant iussi à domino. Nunc quid sibi tribuent Iudæi, qui Leuitam nullo ab alia tribu discernunt, sibi interim blandientes de uentu- Leui turo Messia, qui indicabit, ut dicunt, cuius quisq; genera- gene logiæ sit: & quis de Messiæ progenie pronunciabit? quis inuentarium propagationis suæ usq; ad Dauidem cõprobabit? Nos uero Christũ dominũ nouimus ex semine Dauid secundum carnem. Nosipsos regale sacerdotiũ esse, & gentem sanctam nouimus ex prophetis & apostolis, quotquot in deum fide credimus, & charitate amamus eum, qui nos dilexit, tantum ut filium suũ pro nobis tradiderit, ut credentes in illum habeant per eum uitam æternam. Tales sacerdotes sunt omnes sanctificati per sacerdotem Christi: non tamẽ omnes sunt uocati ad ministerium ecclesiasticum publicum. Ne quis hic se decipiat.

52 Benedicite serui domini domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Serui domini sunt, qui cum intelligunt domini dei sui uoluntatem & beneplacitum diligenter obsequũtur, qui non secundum traditiones hominum uiuunt, sed diuinas leges deuote sectantur, qui colunt dominum puro corde, cui per omnia probari maximopere cupiunt. Interim autem propter dominum omnibus seruiunt ad uoluntatem dei, nihil se magis uelle debere sciunt quàm ut omnes obligant in domino, eos ut fratres habeant, & exemplo Christi non uelint ministrari, sed ministrare.

53 Benedicite spiritus & animæ iustorũ domino, laudate & superexaltate eũ in sæcula.

Spiritus & animæ iustorum intelligo eorum, qui ex hoc mundo excesserunt, & in sæculo nunc uiuunt animarum, qui Christi tunc operiebantur aduentum, nunc uero cum Christo uiuunt in paradiso animarum sanctarum. Isti omnes dominum deum laudant & superexaltant in regno Christi patrem, filium & spiritum sanctum.

54 Benedicite sancti et humiles corde domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Sicut de sanctis animabus in sæculo æternitatis prior uersus intelligi potest, sic is uersus de omnibus animabus fideliũ, adhuc in hoc mũdo periclitantium, militantium, & in corpore mortis huius, quod non uolunt agentium. Hi tamen sancti omnes in humilitate domino famulantes de nullis suis meritis præsumentes, sed in sola gratia dei patris per Christum dominum mediatorem saluari desiderantes, dominum deum laudent nunc & in æuum.

55 Benedicite Anania, Azaria, Misael domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

Omnes quidẽ sancti in hoc sæculo oppressi ab impijs, in humilitate tamen spiritus domino cũ certa fiducia adhærentes, dominum collaudate, sed uos nũc uiri sancti & humiles spiritu, præcipue dominum laudate, uos inquam Anania, Azaria, Misael, de tanto periculo ignis, de auxi-

gra-

grauí tyrannide impijſſimi regis liberandi eiuſq; poſthac fidei dominaturi, & fidem unus dei ueri prædicaturi, cum dei gloria, & ueſtra æterna ſalute, laudate dominũ deum ueſtrum, & præ omnibus terrarum dijs, ſuperexaltate illum ſolum, unum & ſanctum. Id autem ex nunc & modo per omnia ſæcula ſæculorum.

56 quia eruit nos de inferno, & ſaluos fecit de manu mortis, & liberauit nos de medio ardẽtis flãmæ, & de medio ignis eruit nos.

Infernum nominant more Hebræorum ſepulchrũ, uel ipſam mortem aut damnationẽ mortis iniurioſæ & cruciatione grauius & acerbius ſanctis uiris, ſi cum contumelia diuini nominis occidi eos contigiſſet, id quod factũ eſſet, ſi pro dei ſui fide militantes, & ſeſe dãnationi offerentes, deſeri à domino ab impijs uiſi fuiſſent: quanquam etiam ſi erepti non fuiſſent, gloriã dei amplificaſſent, ut prius dixerant, id enim uel ſuis peccatis, uel indignis miraculo gentilibus aſcribi potuiſſet. Hoc uero agnito miraculo illuſtri, & edito coram tanto rege portento maximo, non potuit ſanctos non maximopere delectare, et beneficium acceptũ referre domino, & de eius hinc oboritura gloria diuina ad gratias agendum inflãmare. Eſt aũt quod ſequitur, expoſitio eius quod dictum eſt de inferno.

Infernus triplex.

Saluos, inquiunt, nos fecit de manu mortis, & liberauit de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos.

57 Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Hæc ſententia omnibus olim canticis addebatur in principio uel fine, ad commonefaciendum pios cantores, ut domino canant gloriam & magnificentiam, & ut celebrent ſanctũ nomen eius, pro cuius ſanctificatione omnia agere ac pati parati ſint, qui ſit unus, ſummus, optimus & maximus, qui bonitatẽ ſuã creaturis omnibus largitur, & fideles cultores non deſerit, ſed præſto eſt ſemper beneficijs, omnibus ſuam gratiam implorantibus.

58 Benedicite omnes religioſi domino deo deorum, laudate, & confitemini ei, quia in omnia ſæcula miſericordia eius.

Religioſi dicuntur deo deuoti, unius ueri dei digni cultores, qui ſupra dicti ſunt ſancti & humiles, qui ſunt ueri adoratores dei, pro amore creatoris ſui parati omnia agere & pati, eligentes uias carni difficiles, ad ſpiritum ſuum ſoli domino commendandum, qui in toto mundo, utcunq; poſito in maligno, uni ſoli deo et domino dominorum ſeruiunt, bona conſcientia & puro corde, qua ſperſi, quos Chriſtus dominus in unum fuerat congregaturus. Iſti omnes hic exhortantur, ut dominum laudent, à quo ſolo omne bonum, & celebretur illius nomen ſacro ſanctum & glorioſum, ut ſit in omnia ſæcula ſæculorum illuſtre nomen eius, & in toto mundo credita & cognita bonitas & miſericordia dei, cuius nos reddat ſemper & in omnia ſæcula participes, qui uiuit & regnat deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Religioſi qui dicãtur

Hucuſq; in Hebræo non habetur, & quæ poſuimus (ait Hieron.) de Theodotionis æditione translata ſunt.

DANIELIS PROPHETAE, EX THEODOTIONIS AEDITIONE (Hiſtoria Suſannæ, Belis & Draconis.)

CAPVT XIII.



1 ERAT VIR habitans in Babylõe, & nomen eius Ioacim: et accepit uxorẽ, nomine Suſannã filiam Helciæ, pulchrã nimis, & timentem Deum.

Suſannæ honeſtiſſimæ fœminæ piam atq; utilem hiſtoriam, eccleſia catholica ab apoſtolorum temporibus inter eccleſiaſticos libros decreuit legi debere in eccleſia, ceu reliqui libri, minoris tamen authoritatis quàm canonici, quia in Hebræorum canone non habetur, ſaluberrima tamen eſt, & omnino conformis doctrinæ ſanctæ, nihil dubium continens, niſi tantum de tempore ipſius. Videtur aũt contigiſſe ante captiuitatẽ Babylonicã Sedechia adhuc Hieroſolymis regnante, cum iuuenis adhuc eſſet Daniel, qui inter translatos cum Iechonia rege & matre, cum nobilibus multis translatus eſt Babyloniã, undecim annis ante ultimam quæ contigit ſub Sedechia. Babylon quanquam pro urbis magnitudine dici poſſit metropolis Chaldaici regni, non raro tamẽ etiã nomẽ eſt totius Chaldaicæ prouinciæ, quæ portio nobilior eſt, & auſtralior Meſopotamiæ, quæ & ipſa eſt pars Syriæ nobiliſſimæ latiſſimæq; prouinciæ. Incertũ itaq; relinquitur in urbe Babylonia habitauerit hic uir honoratus & diues Ioachim, ſiue in reliqua parte, nec aliquid refert, non enim temporum & perſonarũ tanta eſt ratio habenda, quanta exempli & ædificationis in fide & moribus. Conijcitur autẽ hic Ioachim piiſſimus extitiſſe, nõ ex conſortio illorũ qui apud Ezechielẽ dicuntur, Populus exaſperans, qui cõtra prophetarũ uerba cõtendebant redire ante tẽpus, cõtra quos epiſtolas miſit Ieremias propheta, ſed credebat ſtatim uerbo domini, in manu prophetæ trãſmiſſo per epiſtolam, de qua habetur Iere. 29. Vt ædificarẽt domos, et plantarent hortos, acciperent uxores, parerent prolẽ multã, & quærerent pacẽ ciuitatis, ad quã tranſmigraſſent, & orarẽt pro ea ad dominũ. Huiuſmodi igitur uerbo dei acquieſcens, hic dicitur accepiſſe uxorem haud dubie quin iam in Babylone conſtitutus. Quæ nomen habebat Suſanna, quod interpretatũ ualet, Liliũ uel roſa, de genere ſacerdotali: ſiquidem Helchias iſte fuit ſacerdos, de quo ſcribitur 4. Reg. 22. Quanquã et pater Ieremiæ dictus fuerit Helchias, de quo Iere. 1. et 1. Par. 6. Erat igitur de ſpectabili proſapia mulier, ſicut & Ioachim de tribu Iuda, quia nobilioribus de omnibus tribubus mos erat & licentia uxores ſibi ſumere de genere Leuitico, maxime uero de

Babylon dupliciter dicta.

Ioachim pius.

Suſanna.

tribu Iuda & Beniamin, ob uiciniam. Pulchra nimis dicitur, ut potuerit concupiſci: ſed timens deum additur, ne putetur occaſionem quamcunq; luxuriæ cuiquã præbere ſcienter uoluiſſe. Pertinet igitur ad laudem pulchritudo corporis, ſed magis probatur integritas mentis.

2 Parentes enim illius cum eſſent iuſti, erudierũt filiam ſuam ſecundũ legem Moyſi.

Parentum doctrina. Iuſtorum & piorũ parentum neceſſaria conditio eſt, in timore domini erudire prolẽ, propter hoc donatã à domino, ut cultus legitimus pietatis & honeſtatis in ſæculo propagetur. Ad hoc enim omnes creaturæ nobis ſeruiũt, ut nos creatorem amemus, reuereamur & colamus. Iniqui ergo ſunt, ac publica confuſione & pœna digni, qui filios & filias non bene inſtituunt. Maxime uero curanda eſt à parẽtibus filiarũ ſancta educatio, quæ ubi matres familiæ factæ fuerint, curam inſtituendæ prolis prius didiciſſe debuerunt. Quid enim doceret quod non didicit? Ideoq; in lege filia fornicaria iubetur in foribus paternæ domus à populo lapidari. Huius ergo Suſannæ parentes perpetuã ſunt aſſecuti laudẽ corã deo & ſui ſæculi hominibus, quæ & durat in præſens, qui erudierint ſuã filiã, nõ ſecundũ traditiones humanas in monaſterio, uel regula ſcholaſticana, ſed in lege domini, ſecundũ legẽ Moſis, hoc eſt iuxta certum beneplacitum omnipotentis dei.

3 Erat autem Ioacim dies ualde, & erat ei pomarium uicinũ domui ſuæ: & ad ipſum confluebant Iudæi, eo quod eſſet honorabilior omnium.

Capti quidem Iudæi fuerant propter peccata, & ſine delectu ſanctitatis, pij cum impijs in Babylonem trãslati, ſed non eadem ſorte: quandoquidem qui in populo dominum timebant, & uerbo dei obſequebantur, licet cũ impijs tranſmigrarent, non tamen male habebant, uoluntati diuinæ humiliter ſe ſubdebant, crucem amplectebantur exilij, ſed non ſunt à domino deſerti, quin ubiq; gratiam dei experti ſunt, & in animũ ſumpſerunt æquanimiter ferre patriæ & patrimonij iacturam: unde & in Babylone patriam acceperunt pro animi ſui fortitudine, cuius prouidentia etiam nihil defuit huic Ioachim, fuit enim ibi quoq; diues, fortaſis non ſic deſpoliatus ut alij, nondũ rege Babylonis irritato contra Sedechiã, adhuc ſtante templo & urbe, ut domum quoq; propriam ibidẽ poſſederit amplam, in quam conuenirent cæteri quoq; Iudæorũ ſenes & iudices. Cui uicinum quoq; pomariũ erat, ne quid pius dei cultor etiã deſideraret in captiuitate. Vbiq; ſuorum deus curam gerit, neceſſaria adminiſtrans. Habebat quoq; probitas ſuum honorẽ etiam in exule, ſic domino proſequente ſuos ſeruos beneficijs multifariam, ut proprias quoq; poſſeſſiones cum deo habere illi licuerit & diuitias. Ne quis diuites omnes putet cum improbis numerandos, quaſi Abraham & Dauid ſancti nõ fuerint, cum ſint diuitiæ adiumenta uirtutum in electis.

4 Et conſtituti ſunt duo ſenes iudices in illo anno, de quibus locutus eſt dñs, Quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribꝰ iudicibus, qui uidebãtur regere populum.

Ex multis paſſim indicijs colligitur regem Babylonis Nabuchodonoſor non tyrannice & crudeliter tractaſſe Hebræos ſubditos ſuos, ideoq; & non prohibuit Iudæos quamliber tur captiuos à cœtibus congregandis, ab obſeruantia honeſtatis, pro qua neceſſarios illis iudices permiſit ex ſe ipſis ſumi, qui decernerent in modicis cauſis, præcipue uero in caſibus legalibus, ut pax etiam in exulibus non interueniret. Quotannis igitur Iudæi in urbe uel circa Babylonis iudices ſibi deſignabant, duos ex ſenioribus tanquã moribus & ætate maturiores & ſublimiores, doctiores ac iuſtitiæ tenatiores: ſic enim per hypocriſim apparebant. Quod uero additur, De quibus locutus eſt dominus, intelligi poteſt de eo quod Ierem. 29. ſcribitur, de Achab filio Coliæ & Sedechia filio Maaſiæ, quos dominus poſuit in Babylone ad exemplum et maledictionem, quos rex Babylonis frixit in igne, propter iniquitatem quam fecerant in Iſrael, & adulterabant uxores amicorũ ſuorum. Potuit enim fieri, ut populus accepta licentia à rege lapidauerit eos ſæuiſſima pœna, quæ frixio dicipoſſit: uel conuictos ſecundum legem ipſis tradiderit puniendos. Dicunt enim Hebræi, maiores natu & iudices uel ſacerdotes mulieres decepiſſe, dicendo, Chriſtum de ſene ne Iuda & Leui generandum, de quo & uidetur intelligendum, quod Baruch ultimo ſcribitur.

5 Iſti frequentabant domũ Ioacim, & uenichãt ad eum omnes qui habebãt iudicia.

Inſynceri in omnibus rebus fuerunt, ideo non domi ſuæ expectabant uenientes, ſed in aliena domo & magnifica, cum potentiore & honoratiore frequentius erant, ubi & concurſus fiebat aliorum, ad grauamen ipſius Ioachim. Sed in his omnibus diſſimulabant utriq; potiorem cauſam, inueterati enim malorum, intuitũ ſpecioſe mulieris ex animo deſyderabant, & ſeſe in aſpectu illius oblectabant, donec occaſio libidinis implendæ occurreret, ibi iudicia dicebant, nõ ſemper optime conſiderata, quandoquidem animus diſtractus erat ad mulieris contemplationem alienæ, qui totus intẽdere debuiſſet in cauſas propoſitas. Vnde nõ decet in loco iudicij adeſſe curioſa quæcunq;, uel admirãda, pretioſa uel rara, picta uel ſculpta, ne mentes iudicum aliquatenus talium obiectu diſtrahantur, ſicut nec in loco lectionis & orationis.

6 Cum autem populus reuertiſſet per meridiem, ingrediebatur Suſanna, et deambulabat in pomario uiri ſui,

A prandio & poſt meridiem abibat populus, & in craſtinum expectabat reſiduorum negotiorum executionem, tunc uero ſuſpicata ſe ſolam eſſe, & à nemine conſpiciendam, arbitrata quoq; ſimul cum populo iudices abiiſſe, pomarium ſuum ingrediebatur, & cum puellis deambulabat, & id quidem non animo malo, ſed quia diuitis uxor erat, non incumbebat neceſſarius labor, ideo & periclitata eſt ex otio, ideo & tentationem incidit. Non eſt pro quacunq; cauſa matribus familiãs otiandum, ſemper aliquid agendum, quod proſit etiam regum & principum uxoribus & filiabus uel ad exemplum ancillarum, & ad earum inſtinctum. Diſcant honeſtæ matronæ periculum ſanctæ fœminæ ex obambulatione in proprio horto & prope domum propriam. Quid exp[illegible] ſtandum

ctandum illis, quæ in publico gaudẽt uideri frequentius? quæ forum diligunt? quæ ſpaciamenta ſectantur, contra honeſtatem & uerecundiam matronalem?

7 Et uidebant eam ſenes quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarſerunt in concupiſcentiã eius: & euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerũt oculos ſuos ut non uiderent cœlum, neq; recordarentur iudiciorum iuſtorum.

Illud uero periculoſius erat, quod Suſanna otium quotidie ſectabatur, aſſidue deambulabat in horto. Et ſenes quoq; ſtulte ſcunt, aliudq; agere obligati, curioſius otioſi contemplantur. Si id allicere potuit ſenes, quid iuuenibus accidiſſet? Et ſenes concupiſcentijs ineſcantur, etiam dum luxum ætas negat, et uoluptatis exercitium. Viſum ſent. Non facile caſtitatem ſeruat, qui uiſui licentiori inſcuſtodiſſe debuerant, ne libidinis incẽdia aditum inueniro ætas & experientia, ſimul & cura conſeruandæ fadulget. Exarſerunt in illam illicito amore. Quanquã uemæ, abſterruiſſe eoſdem ſenes debuerit, ut adulterij crimen extimeſcerent, & conſcientia mali tangerentur uetuli & honorati, de quibus nihil huiuſmodi quiſpiam ſuſpicaretur, ab omnibus tamen his cogitatibus auertunt ſponte & de induſtria & contra conſcientiã, ſenſum, & cogitatũ. Euicerunt timorẽ dei, periculum famæ negligere proponunt, iudicium dei contemnere incipiunt, & laxare potius deliberant data opera frena libidinoſæ cogitationis. Hoc eſt eos euertiſſe ſenſum, id eſt inſtinctũ boni ſpiritus excluſiſſe ex propoſito. Oculos inſuper ſuos declinauerunt, ne iudiciũ cœleſte cogitarent, neq; recordarentur iuſtorum iudiciorum dei, ne à ſua cupiditate remorarentur, & in amore illicito refrigeſcerent. Malebant enim concupiſcentia titillari & frui, quàm in tuto deum reuereri. Sic impij peccant data opera & ad mortem, qui contra conſcientiam toties admonitam pergũt militare contra gratiam dei, & contemnere legem cum legislatore. Nec tandem homines quoque uerentur, nec periculum quamlibet durum & graue pertimeſcunt.

8 Erant ergo ambo uulnerati amore eius, nec indicauerunt ſibi uiciſſim dolorẽ ſuũ: erubeſcebãt enim indicare ſibi cõcupiſcentiam ſuam, uolentes cõcumbere cum ea: & obſeruabãt quotidie ſolicitius uidere eam.

Non dubium eſt hos ſenes alijs quoq; uitijs innodatos fuiſſe, oppreſſione ſcilicet pauperum, deſiderio & acceptione munerum, ſuſceptione facierum, uel perſonarum, auaritia, gula, mendacijs, perfidia quoq; in deum, & iniuria quadam inſigni in homines, propter quas improbitates hanc illis tentationem grandem immiſerit, in qua confunderentur. Ambo erant amore turpi uulnerati, ſinguli ſuis conſcientijs conſtringebantur. Eodem morbo ambo laborabant, tam turpiter, ut nullus alteri ſuam auderet conſcientiam reuelare. Inſaniebant ſinguli pro ſe, & in occulto. Erubeſcebant enim indicare ſibi mutuo concupiſcentiam ſuam. Vterq; cogitabat de modo obtinendi concubitum, altero ignorante: ſic dominus per ſatanam illuſit utriſq;, ut ſtulteſcerent ſenes ex leuitate, ex incuriuiſus, & negligenti cogitatione de lege domini & iudicijs, quæ minime ignorabant. Nemo ſibi ſenex perſuadeat ſe lapideum, nemo ſe tutum credat fœminarum externarum contubernio ſe miſcentem. Legatur epiſtola Hieronymi ad Euſtochium.

9 Dixitq; alter ad alterum, Eamus domũ, quia hora prandij eſt. Et egreſſi receſſerunt à ſe.

Fallere mutuum cupiebant, uterque uolebat ſeparari ab altero, ut ſoli ſibi illam liceret accedere. Volebat dominus mundo exemplum ſtatuere non fidendi cuiuſcunque ætatis hominibus: ſemper continendi ſenſus: docere, non licere licenter aſpicere, quod peccatum eſſet concupiſcere, prodere uolebat iniquitates horum ſenum, tentare fœminam otioſam, eiusq; exemplo commonefacere fœminas honeſtas, ut ſibi ſtudioſius proſpiciant, & uirorum aſpectus ſemper habeant ſuſpectos. Senibus non ſemper & ubique ſeſe credendum. Ideo alter dicit ad alterum: Eamus domum, ſinguli in ſingulas proprias, ut prandium ſumamus. Idq; ſtatim egerunt, ut quique de altero præſumebat, de ſua ipſius concupiſcentia explenda ſolicitus quiſque: ſic amor inſanire facit. Horam prandij prætexunt, ut mutuum ſeparentur, cum re uera pari libidine ſic premebantur ut edere non liberet, ſed expedire ſe quiſque cupiebat ab altero, ut ſolus libidini ſeruiret, exiſtimans ſolum ſe flagrantem amore.

Aetati non fidendum.

10 Cumq; reuertiſſent, uenerunt in unum: & ſciſcitantes ab inuicem cauſam, confeſſi ſunt concupiſcẽtiam ſuam: & tunc in communi ſtatuerunt tempus, quando eam poſſent inuenire ſolam.

Statim conficto & diſſimulato ad domum reditu propriam, utrique per ſingulas ambages aguntur inſana libidine, ad repetendum domum Suſannæ: ſic eos domini iudicio exercente inſtinctu concupiſcentiæ, nam Satana non egebant, ſibijpſis facti ſatanas, tentatio enim libidinis agitabat, ut redeuntes ſibi obuiam denuo fierent, & pari ſe ſtultitia laborantes intelligerent. Compulſiq; ſunt rubore & uerecundia mutuum confiteri ſuas concupiſcentias, quibusq; amoris ſtimulis in fœminam urgerentur. Tunc certe tempus fuerat & neceſſitas, ut ſenes utrique probro ſtultitiæ & terrore periculi famæ & uitæ, refrigerium inconditæ libidinis & ardoris inciderent ex confuſione inſigni. Sed urgebat impios diuinum iudicium, à quo ſenſum omnem & cõſcientiam iam auerterant ambo, timorem dei & hominum poſtergantes. Ideoq; & indurantur ſua culpa, cum contemptu legis, ex uoluntate ſatiandæ libidinis conſpirant, & conſentiunt, ſtatuuntq; in communi, ut depoſita uerecundia & omni honeſto cogitatu, concupiſcentiæ opus communibus uotis, & expugnationem caſtitatis in honeſtiſſima fœmina, amiciq; familiariſſimi gloriam aggrediantur iniquiſſime, ſi illam aliquando ſolam inuenire poſſent. Sic procedit, feruet, & ſuperat tentatio carnis, ſi à principio aditus permittatur, et non ab exordio obſtetur ſenſuum omnium continentia, & auerſione ab illicito.

Sic concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum uero cum consummatum fuerit generat mortem. Sic quoq; peccatum consequenter causa fit peccati, & concupiscentia stultitiæ.

11 Factum est autẽ, cum obseruarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri & nudiustertius, cum duabus solis puellis, uoluitq; lauari in pomario: æstus quippe erat: & non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, & contemplantes eam.

Senes & iudices decuisset instituti tam inhonesti & periculosi pœnitere, resumere mentẽ sanorem, sesèq; abstterruisse maturioribus consilijs: sed quia inueterati malorum erant, iam pro criminibus occultis diuinum iudicium incidere debuerunt. Cõsultant senes de tempore et modo perficiendi libidinem, & fœminam circumueniendi. Interim honesta quidem fœmina, sed pro muliebri leuitate & mollicie dissolutior ad otium, & quæ ex otio consequitur corporis sui curiosior. Pro more hortum ingreditur cum ancillis, ut in pomario lauetur, ungatur, ornetur, præter decorum, æstiuo tamen tempore credidit se solam adesse, cum oculos hominum uereri debuerit, & interdiu ne in cubiculo quidem nuda sibijpsi conspicua esse. Decet semper uerecundiam seruare mulieres, quin et uiros. Non debuit ignorare quid Bethsabeæ, Saræ, & Rebeccæ olim corporum conspectus improuisus ingesserit periculorũ. Et senes illi erubescere, sese conspicientes, & de stultitia puerili debuissent. Sed exemplum boni parabatur orbi & temporibus, ad quod prouidentia dei abutebatur impiorum malitia, & fragilitate fœminea, nõ tamen prorsus fide destituta. Contemplabantur eam impudicissimis oculis senes, quia cordibus iam excæcati, & cõscientia mali cõuicti timore dei prorsus destituti erãt.

12 Dixit ergo puellis, Afferte mihi oleum, & smigmata, & ostia pomarij claudite, ut lauer. Et fecerunt sicut præceperat: clauseruntq; ostia pomarij, et egressæ sunt per posticum, ut afferrẽt quæ iusserat: nesciebatq; senes intus esse absconditos.

Paucis uerbis historia annotatur, ut perueniatur ad principale institutum. Iubet abire puellas pro oleo & unguentis afferendis: abeunt, adferunt, iussæq; domum redeunt, horto clauso, solamq; dominam in eo dimittunt. Intricatiore id ut uidetur ordine uerborum describitur. Bis enim ingressæ sunt, bisq; regressæ domum, nescientes absconditos esse senes, insidias positas castitati, id quoq; & Susanna minime fuerat suspicata, sed tuto se solam posse omnia perficere arbitrabatur.

13 Cum autẽ egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, & accurrerũt ad eam, & dixerũt, Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos uidet, & nos in concupiscentia tui sumus: quã ob rem assentire nobis, & commiscere nobiscũ: quod si nolueris, dicemus contra te testimoniũ quod fuerit tecũ iuuenis, & ob hãc causam emiseris puellas à te.

Obliuiscì illos fecit concupiscentia stulta omnis decoris, periculi, & honestatis, ideo accurrunt pariter senes, iudices, qui doctores aliorum esse debuerunt, ad mulierẽ castam & honestam. Et subito instruunt orationẽ, ad persuadendum fortissimam, & ad oppugnandũ fœmineam fragilitatem, nisi domini gratia astitisset. Ecce, inquiunt, in tuto sumus, ingredi uel irruere ad nos nemo potest. Ostia pomarij clausa sunt. Nemo etiam uidere nos potest, nemo accusare, secretum est quicquid dixerimus uel egerimus. Nos uero in concupiscentia tui sumus, deperimus formam & decorẽ tuum, supra modum amamus, compleas nobis conditio tota corporis & personæ tuæ. Ideoq; assentire libidini nostræ, rem nobis gratissimam effice, si cet nobis conditio tota corporis & personæ tuæ. Ideoq; assentire libidini nostræ, rem nobis gratissimam effice, si ne tuo quocũq; periculo, potes enim si uelis. Quod finelueris, euadere nos non potes. Senes sumus in authoritate populi, contra te testimonium feremus, cui nemo reclamabit, sed credẽt omnes. Nec tantũ authoritate te nostra prememus, sed et ueri similitudine, quod sola aduocaueris iuuenem quempiam in hortum, quo cum luxum perageris, nobis in secreto uidentibus, solã te credens, emiseris puellas, ut uacares turpitudini. Grauis quidem tentatio, cui occasionem præbuerat otio suo, sed quia fidelis erat, & honestis parentibus probe instituta, ut nihil turpe ei persuaderi facile potuerit. Illi uero impij authoritate freti, abutuntur fide plebis, quam & in alijs negotijs fallere consueuerant, sed iudicio dei damnandi. Sic sibi omnia tuta pollicentur, cũ sunt animi perturbatione obruti ad quod cunq; nefas, ibi tunc apertis oculis nihil uident, nulli persuadenti credere ualẽt, fides quoq; in omnia diuina attitur & euanescit, nec deus timetur, nec homines.

14 Ingemuit Susaña, et ait: Angustiæ sunt mihi undiq;: si enì hoc egero, mors mihi est: si aũt non egero, nõ effugiam manus uestras.

Quid aliud ageret honestissima mulier in tãto periculo, ubi nemo succurrere poterat nisi deus, & innocentia tecta uita et fama? Ingemuit Susanna ad dominũ deum, & ait: Angustijs circũuenta sum undiq;. Si acquiescero incido in iudiciũ mortis iuxta legẽ, & in indignationem creatoris mei, oĩa aspicientis. Mortẽ euadere nõ potero, nihil enim occultum quod nõ reueletur, oculi dominicontemplantur malos & bonos. Si nõ obsecutus uobis fuero, tam improbo uos in me animo conspicio, ut non sperem effugere uestras manus. Sic sapiens argutabatur fœmina, et non subito cõsensit in nefas. Tempus deliberãdi captauit, & non leuiter persuaderi se sustinuit, uirtuti assuetus, à pueritia sua honeste instituta pro more illius gentis.

15 Sed melius est mihi absq; opere incidere in manus uestras quàm peccare in conspectu domini.

Sapientissimũ et religiosissimũ fœmina senibus impiissimis dat responsum, sanctissimo cuicunq; uiro dignũ. Si periculũ istud omnino uitare nõ possum, satius erit seruorẽ domini conseruasse, à nefando opere abstinuisse, coram deo iudice innocentiã conseruasse, & meme domino cõmendasse, quàm uitã redemisse cum conscientiæ ignominia, cum remorsu criminis, cum testimonio cordis amissi. Igitur absq; nefando opere præstat uestras incidere manus, à quibus diuino potero auxilio eximi, si illius bonitas uo-

ſi uidebitur, q̃ueſtræ libidini obſequendo, in conſpectu domini omnia intuentis, à quo uos iam oculos auertitis, peccare. Graue quidẽ & plenũ anguſtijs eſt mori, & id cum ignominia publica: ſed longe grauius morti dignum committere, & ream conſcientiam ferre ſemper.

16 Et exclamauit uoce magna Suſanna, exclamauerunt aũt ſenes aduerſus eam. Et cucurrit unus ad oſtia pomarij, & aperuit.

Ex lege & parentũ inſtitutione didicerat clamare, ſi periculum caſtitatis incideret, maxime intra urbẽ, et ubi ſpes eſſet exauditionis, potius quàm acquieſcere indignantibus. Id nunc religioſi conſilij arripit ſecũ per dei gratiam conſultata, quæ aderat, & à pollutione præſeruare ſanctam, ad mortem protrahere impios iam parata erat. Sic diuina prouidentia omnia gerebantur ad gloriã dei. Exclamauit ergo et abſterruit improbos. Illi uero confuſi ſecum, ultimũ malignitatis ſuæ auſum aggrediuntur, pariter clamantes, & audacter contra conſcientiam innocentiam fingentes, ſanctæ fœminæ obſtrepere pergũt, ſenioq; freti ac authoritate, ipſam accuſare incipiunt impiſſimi uetœratores & nefandi proditores. Vafricie quo que ſubitanea comminiſcuntur, memores enim eſſe oportebat, mendacio ſeſe ſolo defendere cupientes: ideo alter repente currens oſtia aperit, per quæ quiſpiam aufugiſſe credi poſſet, quem omnibus clauſis digito oſtendere debuiſſent, uel planè conuinci mendacij.

17 Cum uero audiſſent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per poſticũ, ut uiderent quidnam eſſet.

Ioachim famulos habuiſſe arguit, cũ cæteris, diuitias & honores: hi continuo pro officio ſuo præſto ſunt, exaudiunt dominam clamantem, irruentes per proximiorem opportunitatem, fortaſsis nondum aperto oſtio pomarij, ut uiderent quid ageretur. Certe clarum innocentiæ ſignum haberi poterat acclamatio fœminæ, & quidem honeſtæ, niſi perſonatus obſtitiſſet presbyterorum.

18 Poſtquam autem ſenes locuti ſunt, erubuerũt ſerui uehementer, quia nunquã dictus fuerat ſermo huiuſcemodi de Suſaña.

Primi locuti ſunt ſenes, Suſannam accuſantes, quia honoratiores habebantur, & fide digni, ſua authoritate territam et erubeſcentem fœminã opprimentes, uerbis ſuis ſibi ex compromiſſione conſulentes. Solitariam duo faciem ſuperabant ſenes iuuenculam, iudices teſtibus deſtitutam, & tacentem. Cernebat enim mulier ſe premi illorũ fama & ætate, officio & hypocriſi, ideoq; & ſerui nihil habebant quod prætenderent, ſed erubeſcebant uehementer, & admirabantur nouitatem diffamiæ, quando quidem huiuſmodi ſermo nullus unquã habitus fuerat de Suſanna, ſemper honeſtiſſimæ cõuerſationis fuerat in uerbis & moribus. Nũc uero tam honorabilibus ſenibus duobus, primoribus gentis, quis pro fœmina contradixiſſet? quis mendacij arguiſſet? multo minus adulteros credidiſſet, & in prauitate conſentaneos & pariter imminẽtes.

19 Et facta eſt dies craſtina. Cumq; ueniſſet populus ad Ioacim uirum eius, uenerunt & duo presbyteri pleni iniqua cogitatione aduerſus Suſannam, ut interficerent eam. Et dixerunt coram populo:

Vrgebat impios diuinũ iudiciũ, ideo non differtur negotium diffamiæ tantæ domus & familiæ, quæ occultari non poterat. Fama enim ſtatim peruaſerat uulgũ. Ideoq; craſtina populus rigidus in cenſendo tam honeſtam familiam confluebat, uel ad patris uel mariti conſolationem, admirantes rei inopinatam nouitatẽ, & uix credentes. Ideo presbyteri quoq; ueniebant, famæ ſuæ cõſulturi, cernentes factũ occultari non poſſe, pleniq; iniqua cogitatione, cui aſſueti iamdudũ fuerãt, alijs quoq; negotijs, hominibus uerbo & opere imponentes, ſub ſpecie honeſtatis & officij. Hi nunc urgent, ut occidatur iuxta legẽ adulterarũ Suſanna. Et ut cauſæ prætextum ampliorẽ haberent, ipſi primũ pro ea mittunt, idq; mirabili procacitate, iam enim timorẽ dei & ſtudiũ æquitatis abiecerãt, et contra conſcientiam propriam omnia moliebãtur, hac uia ſeſe uel uindicãtes uel æſtimatione ſui tutantes, ſi amborum uni fœminæ ſeſe opponerẽt, & eã ad iudiciũ prouocarent, non expectarẽt contra ſe actionem innocẽtis.

20 Mittite ad Suſannã filiam Helciæ uxorẽ Ioacim. Et ſtatim miſerũt. Et uenit cum parẽtibus, & filijs, & uniuerſis cognatis ſuis.

Satis ueriſimile eſt ſanctam Suſannã non ſolum cauſam ſuam domino precibus commendaſſe, ſed etiam imperterritam facie, parentibus conqueſtã iniuriam ſuam, & ſenum improbitatẽ & mendacia. Facile parentibus & marito ſatisfacere potuit: ſed quis iudicibus contradixiſſet de populo? Nominantur hic parentes & filij cũ cognatis, qui omnes ob famã perpetuã honeſtatis illam deſerere non poterant, ſiue innocenti adſtituri & cõſulturi, ſiue conuictæ fœminæ compaſſuri. De marito nihil dicitur, qui donec cauſa decerneretur, ſeſe in ambiguo non ſine dolore continebat, ſtupore attonitus rei inſolitæ.

21 Porrò Suſanna erat delicata nimis, & pulchra ſpecie. At iniqui illi iuſſerunt ut diſcooperiretur (erat enim cooperta) ut uel ſic ſatiarentur decore eius. Flebãt igitur ſui, & omnes qui nouerant eam.

Nequitiã ſenum notatur, qua in pulchritudine ſaltem fœminæ, impudicos ſuos oculos paſcere cupiebant, et delicias cogitatuum ſectari, ubi alia negabantur. Ideo elegantiſſimam forma diſcooperire iubent, iudices ſimul & teſtes: pro uerecundia enim & fletu ſeſe cooperuerat proditura in publicum. Illi uero impij cupiebant uel ſatiari pro uiribus. Ipſa flente cum ſuis flentibus, et caſum lamentantibus, tam honeſtæ familiæ & fœminæ, quam nouerant ſemper fuiſſe caſtiſſimã & fama integerrima.

22 Conſurgentes autem duo presbyteri in medio populi, poſuerunt manus ſuas ſuper caput eius.

Iuxta legem domini in Leuitico teſtes criminis capitalis manus impõnere iubebantur condemnato, & primos lapides injcere. Id nunc facturi impij ſacerdotes & iudices conſurgunt, ſine timore diuini iudicij, populo præſente & aſpiciente, qui ſe optimos uiros iudices habere putabat. Nec cogitabat de diſcutiendis teſtimonijs, nec al

tera audienda parte. Sola manuum impositione morti ad iudicabant, cum toties uetatur in iudicio non sumendam personarum faciem, et sine certis testimonijs nil agendũ.

23 Quæ flens suspexit ad cœlum: erat enim cor eius fiduciam habens in domino.

Innocentia deo cõmendanda.

Quod unicum poterat hoc agebat, causam innocentiæ suæ domino commendabat fletu & gemitu, nam non erat locus multa loquendi uel fructus, uni enim fœminæ contra duos presbyteros minime credidissent. In cœlum oculis respicit, thronũ iustitiæ & clementiæ diuinæ cum fiducia mẽtis implorat, parata insuper, si sic domino placeat, pro innocentia mori, ut anima citius in domino gratuletur, & aliqua uia prodatur innocentia à domino. Erat enim cor eius fiduciam habens in domino, quem ex lege didicerat patrem orphanorum, & uindicem indigne oppressorum. Speranteśq; in dominum deseri non posse, etiam si morte corporis occumbendum sit, quam, ut non potest uitari, ita præstat cum gloria dei & conscientiæ innocentia suscipi, quàm naturæ necessitate obire. Vt fiat ex necessitate gratia & gloria, uirtus & præmium.

24 Et dixerũt presbyteri, Cum deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cũ duabus puellis: & clausit ostia pomarij, & dimisit à se puellas. Venitq; ad eã adolescẽs qui erat absconditus, et concubuit cum ea.

Sacrilegum mendacium & pernitiosam impostura mendacijs multis conantur credibiliore loquendi forma colorare. Deambulasse se in horto mendaciter dicunt, absconderant enim sese donec solam uiderent. Solos uero se fuisse addunt, ne alius quispiam ab eis testis postuletur. Ordinis iterũ inuersio est in historiæ narratione, ne quis per singula nimis curiose rimari uelit orationis ordinem, Dimiserat enim à se puellas, & postea clausit ostia pomarij. Quod sequitur, substantiam continet accusationis et criminis, uenisse ad illam quempiam, & cum ea concubuisse. Id præter morem scripturæ turpiore stilo eloquuntur, quod essent corde, lingua, & moribus carnalißimi, sed per ætatis authoritatem omnia audebant.

25 Porrò nos cum essemus in angulo pomarij, uidentes iniquitatẽ cucurrimus ad eos, & uidimus eos pariter commisceri.

Si ueritatẽ dixissent, & quod futurum esset malũ uidissent, quod nũc mentiuntur, si amico suo Ioachimo quo cum familiariter uiuebant, cuius quotidie domũ occupabant, fideles fuissent, non clanculo latuissent in pomarij angulo, nõ expectassent criminis perpetrationẽ, sui præsentiã ostendissent, absterruissent fœmineã impudentiã. Iniquitatem agentibus non accurrissent, sed clamore & uerbis maturitatẽ decentibus, senum & officium dehortassent. Vidimus, aiunt, pariter commisceri. Iterũ impudice loqui non uerentur, & uidisse se dicunt, ut testimoniũ suum ad mortem sufficiat. Poterant mitius mentiti fuisse, dicendo se uidisse colloqui & arridere, & sic uitæ pepercissent, sed malebant eam occidi, ne in eius præsentia et aspectu ppetuo illis esset uerecundandũ. Innocentẽ interfici cupiunt, ut ipsorũ iniquitas nõ habeat traductorẽ.

26 Et illum quidem non quiuimus cõprehendere, quia fortior nobis erat, & aperto ostio exiliuit: hanc autem cum apprehẽdissemus, interrogauimus quisnam esset adolescens, & noluit indicare nobis: huius rei testes sumus.

Hoc addunt & sequentia pro excusatione sua, quod illum non cõprehenderint, & ut adulterũ iudicio statuerint, uel impedierint à crimine. Et ne illius nomen prodere cogantur, quod non poterant, & unde de mendacio conuicti fuissent. Audacter autem finiunt accusationẽ, dicentes: Huius rei testes sumus. Non solum testes falsi creãt, sed & actores & accusatores soli, qui neminem sine accusationis testem habebant. Non erat nisi unus testis si alter accusasset. Ambo accusatores testificari non habebãt. Sed hic populus & fama accusabant, cui duo falsi testes astipulabãtur, qui tamẽ testes fuerãt diligẽtius examinandi, sicut & in consequentibus examinantur à Daniele. Sed hic authoritas oberat & senectus. Quis enim sine dei spiritu hos senes iudices consentiẽtes credidisset mentiose

27 Credidit eis multitudo quasi senibus et iudicibus populi, & cõdemnauerunt eam ad mortem.

Credidit, et credendo decepta fuit, ut fit facile populi multitudo turbulenta, quæ multũ habet stultitiæ & circunspectionis, ut nõ sit semper tutus multitudinis consensus: facile imponitur plebi: raro sapit turba. Non multitudine sed ratione utendum in iudicio & doctrina. Et ueniuntur etiam senes fatui, & cani iuuenes moribus. Et iudices populi nõ raro sua abutuntur authoritate. Quod autẽ morti adiudicauerint, hoc intelligi debet suo modo, non sine permißione et authoritate principis, cui omnes subiditi erant, & proprium regnum non habebant, nisi permißione, quod fieri facile potuit. Non enim impediuit eos à disciplina exercenda secundum suas leges. Maxime quia iam domini dei Israel ueneratio adaucta erat etiam in regno Chaldæorum. Et ex filijs Israel non pauci erant in aula regis & non ingrati principibus, qui talem priuilegium secundum dei sui legem criminosos iudicandi facile impetrare potuerunt.

28 Exclamauit autem uoce magna Susanna, & dixit, Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequã fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me.

Proprium diuinitatis est succurrere clementer inopibus desperatis. Et ubi maxime putatur abesse pijs & angxijs, ibi proximior per gratiam & auxilium adsistit. Exclamauit quidem corde & affectu, sed nõ sine uocis quoque prolatione. Certa enim existens se falso accusatã, & iniquè adiudicatam, tacere non debuit, sed innocentiam fateri quam sciebat. Nemo falso accusatus ad mortem credat se non debere quod falsum nouit indicare. Nec quæstiones & torturæ adhibendæ sunt, nisi ubi de facto sic constat, ut tergiuersari non posßit. Clamauit autem et dixit, Deus æterne, qui ut omnia fecisti, sic omnia semper

moderaris, qui non solum omnipotens es, sed & omnia sciens, qui scrutator & cognitor es absconditorum, qui antequam fiant omnia nosti. Tu scis quia falsum testimonium tulerunt contra me. Non durioribus uerbis illos ut meruissent aggreditur. Non prodit & confundit de eo quod sese dixerant esse in concupiscentia eius. Potuisset religiosa mulier acriora respuisse in illos, quod fortasis ad amicos suos non tacuit. Nunc uero modestius, sed tamen uerè & sufficienter subindicat, se quidem morti indigne adiudicatam, istos uero malitiose composuisse aduersus innoxiam accusationem falsam.

29 Exaudiuit autem dominus uocem eius. Cumq; duceretur ad mortẽ, suscitauit dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel: & exclamauit uoce magna, Mundus ego sum à sanguine huius.

Aures domini continuo apertæ sunt ad preces iustorum. Non tam uocem exaudiuit quàm innocentiæ fiduciam & clementiæ spem, cum affectu orantem. Interim tamen sinit ad mortem duci, & spectaculum contumeliæ fieri, ut subinde glorioſior reduceretur ad dei magnalia diuulganda celebrius, & ad confusionem maiorem impiæ senectutis, cum authoritate iniustitiam exercentis. Suscitauit, inquit, dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel, secundũ interpretationem idem significans quod iudicium dei. Sic enim non raro ex prouidentia diuina nomina imponuntur iuxta opera per dei gratiam in hominibus ostendenda. Non ergo humana industria fuit falsitatis exquisitio, sed inspiratione diuini spiritus, quem illi tunc est ad solatium fidelium impartitus. Is Daniel spiritu sancto instigatus, in tẽpore clamat, ut à pluribus audiatur uoce magna, Mundus ego sum à sanguine huius. Non subscribere possum uel debeo huic tam iniustæ sententiæ, sed moneo rem tãtam contra tam bonæ fœminæ perpetuam laudem & famam diligentius inquirendam.

Daniel is uocatio.

30 Et conuersus omnis populus ad eum, dixit, Quis est iste sermo quem tu locutus es? Idem spiritus, qui pectus Danielis & linguam mouerat, is etiam populi corda permouit, ut acquiescerent clamanti, & ad causæ discussionem exactiorem conuerterentur. Non per tumultum, sed cum quiete & timore domini Danielem percunctando. Omnia hæc moderante diuino spiritu, qui ubi & quando uult spirat. Rogant autẽ tam audacis uerbi rationem, et otiosum nõ putant, quod tam audaciter à puero clamabatur. Non enim semper contemnenda sunt uerba iuniorum. Est enim canicies etiam senium uita immaculata. Iunior Ioseph prudentior erat & melior omnibus fratribus suis. Et Salomon iuuenis, spiritu dei imbutus est super reliquos principes. Plus q̃ senes intelligunt, qui iuuenes mandata dei exquirunt diligenter. Charior dei erat iuuenculus Samuel, quàm ueteranus Heli cum filijs sacerdotibus.

31 Qui cũ staret in medio eorũ, ait, Sic fatui filij Israel, non iudicantes, neq; quod uerũ est cognoscentes, cõdemnastis filiã Israel? Diuino iudicio omnia agebantur, & nunc à Daniele dicebantur. Stulte enim egerant, optime conuersationis fœminam, honestissimis parentibus genitam, marito honorabili gratam, nunquam uel in minimo diffamatam sine operis nefandi comprobatione, sine adulteri iuuenis inquisitione, tantum pro ætate & officio presbyteris deferendo, ut sine diligenti inquisitione illorum testimonio crediderint, & pro se dicentem non ante audierint. Stultitiam uocat indiscretionem, & non satis diligentem inuestigationem. Dicit non eos iudicasse, hoc est dijudicasse legitima circunspectione, cum examinatione testium, quæ in iudicio obmittenda omnino non est. Vt scilicet se paratim audiantur, terreantur, increpentur, interrogentur, maxime si pars altera negat, & non omnino diffamata est. Facile enim incidunt uehementissimæ causæ suspicionum nonnunquam, ut non temere quibscunq; consentientibus sit credendum.

32 Reuertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam.

Cum imperio loquitur sancto spiritu illustratus & directus, planè condemnando condemnatores filiæ Israel, hoc est eiusmodi, quæ ut plurimum honestissime instituebantur in Israel. Vtcunq; enim Israelitæ in multis impie egisse sæpe legantur, rara tamen legitur uel omnino nulla castigatio prophetica, de uirginibus corruptis, de adulterijs, nisi ubi de hoc sacerdotes & Leuitæ alicubi traducuntur. Dura lex domini habebatur, & Dinæ casus toti genti profuit ad honestam cautamq; iuuencularum educationem & disciplinam, quæ ut necessaria est, ita multum fructuosa toti reipublicæ. Intermissa autem fit incorrigibilis corruptela totius gentis. Reuertimini ad iudicium corrigendum, falsum enim deprehendetur testimonium latum ab impostoribus illis inueteratis malorum, & iam diuino iudicio damnandorum.

Virgines Iudaicæ.

33 Reuersus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes, Veni, & sede in medio nostrum, & indica nobis: quia tibi deus dedit honorem senectutis.

Intellexit populus uerbum esse à domino, qui per iuuenem succurrere uolebat fœminæ, quæ alioqui multum fauoris per gratiam domini habebat apud innocẽtiorem plebeculam, pro uita innocenter & castissime gesta. Reuersus est ergo cum festinatione ad locum concilij. Et dixerunt ei, non illi duo senes, sed alij seniores ex populo, quorũ dominus corda tetigerat, ut differrent iudicij executionem. Quandoquidem sæpe profuit distulisse iudicij prosecutionem maxime in causa occisionis. Veni, inquiunt senes, & conside nobiscum, & indica nobis quid agendum tibi dominus reuelarit in hoc negotio. Credimus enim te à domino honoratum, ut sapientiam non uulgarem ab ipso receperis, quam ex te audire debeamus.

34 Et dixit ad eos Daniel, Separate illos ab inuicem procul, & dijudicabo eos.

Non excusauit se Daniel, spiritus enim domini inspirauit tam quid loqueretur, quàm quid ageret. Separate, inquit, illos senes improbos iudices: idq; procul ab inuicem, ut illos seorsum quenque dijudicare possim. Ne pariter positi, ut antea consulent de impostura defenden-

Præiudicia pernicioſa.

da, quemadmodum iam de accuſanda & tentanda illis conuenerat. Nihil enim reipublicæ cuicunq; pernicioſius, quàm ſi corrupti iudices præiudicia agere ſinantur, & ex collatione malignitatis decernere pro ſuo uoto ſententias. Tunc enim ſimpliciores & innocentiores iudices, prorſus nihil proficient unquã, præter id ſolũ quod rei fiunt pœnarum, quæ ex peruerſorum conſenſu & conciliabulis, praua iudicia decernentur, utcunq; obuiare illis non poſſunt, quorum ſocietatem & ſodalitatem in iudicijs, ut dæmonum decreta abominari & fugere deberent.

35 Cũ ergo diuiſi eſſent alter ab altero, uocauit unum de eis, & dixit ad eum, Inueterate dierum malorum, nunc uenerunt peccata tua quæ operabaris prius, iudicans iudicia iniuſta, innocentes opprimens & dimittens noxios, dicente domino, Innocentem & iuſtum non interficies.

Primum ſeorſum Daniel uocauit, & interrogauit de loco in horto, de quo ſciebat ipſos nihil cogitaſſe. Non enim arbitrati ſunt ſe pro delatis teſtimonijs examinandos, ſed ſimpliciter in authoritate habendos, ut uerbis illorum omnibus fuerit populus crediturus. Terruit autẽ eum primum, & præter omnem ſpem aggreſſus eſt duris uerbis, inueteratum appellans dierum, hoc eſt multis diebus malitias didiciſſe & perpetraſſe. Quarum nunc diuino iudicio prodendum ſit certum iudicium. Nunc, ait, in publicum ueniunt peccata tua, quæ tu in tuo officio dudum operabaris, iudicans iniuſta iudicia, &c. Satis enim luculento ſermone iuuenis hic à deo inſpiratus ueteranos improbos alloquitur, tanquam authoritatem habens à domino. Non hæc ſancta matrona prima erat, quæ oppreſſa fuerat iniquo iudicio illius ſenis & ſacerdotis.

36 Nunc ergo ſi uidiſti eam, dic ſub qua arbore uideris eos colloquentes ſibi.

Longe nunc hic ſanctus Daniel pudicitius loquitur, quàm illi prius. Non dicit concubuiſſe, non commiſcuiſſe ſemina, ſed ut ſanctos decebat, loquitur caſte, etiam de re turpi. Dic, inquit, ſub qua arbore uideris eos colloquentes ſibi, uel ipſa quæſtione redarguens ipſius impudicam linguam, mox quoque reliqua turpitudinis opera expiſcaturus in ipſius damnationem.

37 Qui ait, Sub ſchino. Dixit autẽ Daniel, Recte mentitus es in caput tuũ: ecce enim angelus dei accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium.

Quid alij teneant uel ſentiant de prologo Hieronymi ſuper Danielem non moror. Ego Iudæi illius calumniatoris eccleſiaſticorum uoluminum, de quo ibidem uerba fiunt, ſententiam & irriſiones non magnopere curo. Longe inſulſiora illi ſparſim miſcent expoſitionibus ſuis in ſacros codices, quàm quæ hic dicuntur. Et Iudæi impij, à Chriſti temporibus uſque ad noſtra, non ceſſant Chriſtianorum ſtudia ſubſannare, & ubi poſſent uellicare, uel ea ratione ſanctos quoque prophetas ſuos & noſtros, imò dei noſtri, floccipẽdentes, quia à nobis maxima, quæ digni ſunt ueneratione, leguntur, et contra illorum fabulas producuntur, & pro Chriſti myſterio aſſerendo in diſputationibus contra eos allegantur. Quorum clariſſima de Chriſto teſtimonia ex prophetis cernunt contra ſe militare, ideo eleuare ſtudent eorum authoritatem, ut nuper quidam Iudæus, quem doctiſſimum Germanicorum crediderim Iudæorum, ſiquidem Latine quoq; eruditus, cum de Ezechiele propheta incidiſſet ſermo, præſente Theodoro noſtro Bibliandro, auſus fuit eum nominare cauillatorem & loquacem. Et de Daniele quid dicerent qui Chriſti aduentum ſic futurum definiuit ad certũ tempus, ut nullum Iudæorum non conuincant, iamdudũ Chriſti tempora elapſa fuiſſe. Quem ut effugiant nodum, deprecantur eidem ubi poſſunt. Similiter & reliquis conſequenter authoritatẽ alleuiare non uerentur, ne omnium ſimul negent æqualem eſſe authoritatem. De hac hiſtoria quid mirum ſi in canone Hebraico non habetur, quando & liber ipſe Danielis conſtat, ſicut & Eſdræ primus, partim Hebraice, partim Chaldaice ſcriptus, unde & partem aliquam Græce ſcriptam nihil continet inconuenientiæ. Sunt enim & alij libri plures apud Iudæos ſcripti lingua Syriaca, ut Tobias, Iudith, ſic quoque reliqui tandem translati in Græcum. Potuit ſeruaſſe alluſionem iſtã in Chaldaico Daniel, uel hiſtoriographus, quam interpres Græcus poſtea applicauit, ſine præiudicio ſuæ fidei & ueritatis in Græcam ſuam linguam, ut non propterea Iudæus ille naſo ſuſpendere hæc ſcripta debuerit. Et Iudæis certe maliuolis potuit Hieronymus aliquid plus æquo credidiſſe, contra eos doctos quoq; Chriſtianos qui ipſius ſtudia non ex omni parte approbare & laudare potuerunt, non omnino iniqui iudices, ſed ſanctiſſimi. Alioqui deſcendere σχίσαι ἀπὸ τοῦ ὄχθου, & ſubſequenti uerſu πρίσαι ἀπὸ τοῦ πρίνου ſatis conſtat ex Græca literam: quales ut diximus alluſiones etiam in aliis ſanctis ſeruari non eſt abſurdum. Verum quæ fuerint, & quomodo dictæ arbores parum refert, dum habeatur propoſitum de uariatione teſtimonij, & de mendacio ibidem penes huiuſmodi arbores. Optat & prædicit improbum à domino conſcindendum, hoc eſt lapidibus obruendum, uel aliter occidendum crudeliter, ſed digno ſupplicio.

Iudæorum irriſiones quanti habeantur.

38 Et amoto eo, iuſſit uenire alium, & dixit ei, Semen Chanaan, & nõ Iuda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum:

Secundo aliter, ſed ad idem loquitur. Et ſemen Chanaan, hoc eſt improbum, & à domino abiectum, damnatum, exoſum, & digniſſime occidendum præſignatis, utpote properans illi furioſam libidinem, quam ſponte alere contra conſcientiam & remorſum ſtuduit, laſciue aſſiciendo faciem, ut et concupiſcentia ſubuerteretur eor ſuum, quamlibet ſenis, & qui iuniores ab huiuſmodi libidinoſis aſpectibus uerbo & exemplo abſtrahere debuiſſet.

39 ſic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ timentes loquebantur uobis: ſed filia Iuda nõ ſuſtinuit iniquitatem ueſtram. Nũc ergo dic mihi ſub qua arbore comprehenderis eos loquẽtes ſibi. Qui ait, Sub prino. Dixit autem ei Daniel, Recte mentitus es & tu in caput tuum:

tuũ manet enim angelus domini gladiũ habens, ut secet te medium, & interficiat uos.

Antiquorũ iniquitas.

Hic sic alloquitur secundum, ut simul quoq; primum constringat, & omnes illis similes impios presbyteros, sacerdotes, prophetas ac iudices. In hoc enim decipiebant mulieres, quod Christum de semine suo nasciturum affirmabãt, qui de semine Iuda, & de stirpe Dauid se esse mentiebantur, ac alijs uarijs impostoris improbe decipiebant. Sic, inquit, faciebatis uos iudices filiabus Israel, & illæ timentes uos offendere, uel à uobis traduci & diffamari, loquebantur uobis, hoc est, acquiescebant pro uoluntatis uestris. Iterum ut semper loquuntur sancti castissime, cætera patent ex iam dictis.

40 Exclamauit itaq; omnis cœtus uoce magna, & benedixerunt deum qui saluat sperantes in se.

Intellexit ex responsis amborum disparibus, mentitos & falsum composuisse eos testimonium contra innocentem, & præ gaudio exclamauit contra senes tota plebis multitudo, à dei spiritu exagitata, & uoce magna dominum deum benedixerunt pro gratia & beneficio tanto, quo non solum nunc, sed aliâs semper saluat sperantes in se, & de eius misericordia confidentes, ex fide inuocantes, innocentes q; uiuentes, & pro seruata iustitia per sapientiam Danielis, quem spiritu diuino imbuerat, consideratq; dolum senum & presbyterorũ per innocentiam iuuenis & sapientiam, à spiritu diuino in gratiam Susannæ illustrati.

41 Et consurrexerunt aduersus duos presbyteros (cõuicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimoniũ) feceruntq; eis sicut male egerãt aduersus proximam, ut facerent secundum legem Moysi:

Iusto zelo exarserunt quotquot aderant, & aduersus impostores impios, contra duos presbyteros, id est seniores iudices consurrexerunt, uidentes illos de mendacio conuictos, & ex ore ipsorum proditos, proculdubio etiam confessos iniquitatem suam, postquam à domino sedere talionis, ex Deut. 19. Cum diligentissime perscrutantes, inuenerint iudices falsum dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, et auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri, timorem habeant, & nequaq; talia audeant facere, &c.

42 & interfecerunt eos, & saluatus est sanguis innoxius in die illa.

Dignos morte regi accusarunt, & tradiderunt occidendos, cuius erat iudicium criminale, quod morte plectendum erat, non captiuorum, quos tamen audiebat secundum leges ipsorum, quas reuerebatur, ut diuinas & æquissimas, secundum quas lapidari debebant, nisi forsitan pro facinoris magnitudine execrabiliore, quo iudices & senes tam multipliciter iniqui deprehensi sunt, grauiore supplicio dignos grauiore pœna occiderit. De qua Ieremiæ 29. ubi de frictione in igne quorundam fit mentio, ut dictum est.

43 Helcias autem, & uxor eius laudauerũt deum pro filia sua Susanna cũ Ioacim marito eius, & cognatis omnibus: quia non esset inuenta in ea res turpis.

Gratiarum actio necessaria & digna describitur, parentum pro uita & honore filiæ, similiter & mariti pro uxore amatissima, & cognatorum omnium, quorum denigrata fuisset laus & fama, si rea tanti criminis deprehensa fuisset. Nunc uero cum gloria dei liberata, ornamento fuit & laudi omnibus cõsanguineis & affinibus, declarata innocentia sua & fortitudine animi, qua improbis senibus maluit resistere, quàm libidini uacare, & dominum deum suum offendere. Exemplum futura omnibus fœminis, præcipue in Israel, ut castitatis & fidei uirtutem ex ea discerent, & in aduersis fiduciam seruandi in dominum, qui non deserit sperantes in se.

44 Daniel autem factus est magnus in conspectu populi à die illa, & deinceps.

Claruit ex hoc facto spiritum domini habitare in Daniele, qui tam sapienter dijudicauit impostoram, & innocentiam defensauit, ac improbos iudices damnauit dignis supplicijs. Fuit quidẽ magnus in conspectu domini, quem ad magna disposuit, per quem suam gloriam uoluit ampliare: hunc quoq; nunc coram populo magnificauit & honorauit, cernente planè eum esse plenum spiritu sancto, ut quotidie iuuenis ad altiora proueheretur, quod & contigit propediem in aula regis Nabuchodonosor, ubi cum reliquis nobilibus adolescentulis nutritus est ad magnifica opera.

CAPVT XIIII.

1 ET rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius. Erat autem Daniel conuiua regis, & honoratus super omnes amicos eius.

Continuatio melior.

Non potest displicere quod Lyranus hic docet, caput hoc inchoandum ab eo quod scribitur, Et rex Astyages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus Perses regnum eius. Vtcunq; enim habeat de historia Cyri, quomodo ad regnum peruenerit, & de nominibus regum, quæ multum uariantur, similiter de annorum numero, quæ omnia alijs discutienda reseruo: certe non potest contigisse historia Susannæ tẽpore Cyri, quando iam senex fuit ipse Daniel, qui tamẽ iuuenis dicitur in eadẽ, ac à die illa fama creuisse ac deinceps, ut satis liquet ex omnibus historijs et prophetijs libri Danielis. Pertinet ergo hæc pericope, ad sequentem historiam Belis & Draconis, quæ istis temporibus facta probabiliter dicitur, quando Daniel, mortuo Astyage, apud Cyrum fuit in pretio, & continuus commensalis regis Persarum: sicut & gratissimus fuerat regibus Babylonis.

2 Erat quoq; idolũ apud Babylonios nomine Bel: et impendebantur in eo per dies singulos, similæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, uiniq; amphoræ sex.

Bel unde dictus.

Idola illa prisca Chaldæorum, fortita uidentur sua nomina à domino uel authoritate: significat enim בעל habere, dominari, & in reputatione esse, unde & idola

quia reuerebantur, in pretio magno habebantur, & domini agnoscebantur hominum, à quibus honorabantur, adorabantur ac inuocabãtur, in rebus arduis. Ideo dicta fuerunt Beel et Baal, quia litera ע utramq; uocalem referre potest. Interim nõ negatur, quod de Nimi patre Beelo historiæ referunt, per quem imaginũ culturæ & idola originem sumpsisse scribuntur. Quale uero simulachrum Beelis fuerit, nõ hic exprimitur, sed hominis imago lapidea, uel terrea fuisse uidetur. Tantæ autem uoracitatis idolum fuit, ut æstimabatur à deceptis per sacerdotes populis, ut quotidie in cibũ impenderentur duodecim artabæ farinæ nobilioris, quæ simila dicitur. Quid uero mensuræ sit & qualis dictio artaba suspicari licet ex Dictionario Talmudico, quem olim assequutus sum & rescripsi ex Bibliotheca Ratisponẽ. Prædicatorum, ubi legitur ארבא esse dimidium mensuræ, quæ dicitur Hebræis להר. Vnde & uenerabilis pater Sanctes Pagninus in Enchyridio quod dono Bonifacij mei Amorbachij ex Auimone olim sum assecutus, retulit, scribens dimidium mensuræ להר quæ quindecim continet modios in Haruch. Hæc Pagninus. Ex quibus suum Chaldaicum dictionariũ studiosissimus meus Monstrus laboriose incumbendo composuit ad magnã frugem studiosis rerum Hebraicarum, etiam idipsum dissimulantibus. Verum de rationibus mensurarum in sacris Theodorus noster erudite scripsit utilia aliquot libellis nondum æditis, quos optarem citius euulgari. Lyranus coniectatur duodecim artabæ continere trigintasex modios farinæ, tantumq; faciebãt panis, ut suffecerit septuaginta personis. Vini amphora quantum capiebat, per proportionem inuestigetur ad reliqua, quæ erant oues quadraginta. De quibus omnibus studiosorum esto iudicium.

Dictionariũ Talmudicũ

Sanctes Pagninus.

Bonifacius Amorbachius Basilienſis.

Theodorus Bibliander.

3 Rex quoq; colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum: porrò Daniel adorabat deum suum.

Populum simplicem potuisse per idolorũ sacrificulos decipi, fortasis ut nõ sit admirabile, reges ac principes sapientia illustres, in tam palpabiles tenebras protrudi, ut tantis superstitionibus acquieuerint: uehementẽ arguit iram domini, & horrendũ iudiciũ. Colebat Belum hunc quotidie rex Persarũ & Babyloniæ, singulis diebus adorabat, nõ simpliciter sed magnis impensis, de quibus iam dictum est. Aderat tamen ei Daniel sanctus, qui nõ idola sed dominũ deum suum adorabat. Tanto liberior quàm hodie pij sunt, qui coguntur ad placitum regum matare pietatem, & uiolenter coguntur ad abiurandam agnitam ueritatem. Sed id fit ad instigationem sacerdotum Baal, sicut & hic Daniel periclitatur ex Belo.

4 Dixitq; ei rex, Quare non adoras Bel? Qui respondens, ait ei: Quia nõ colo idola manufacta, sed uiuentem deum qui creauit cœlum & terram, & habet potestatem omnis carnis.

Humaniter hortatur, non cõpellit crudeliter ad cultũ Beli, auditq; causam facti respondentẽ, & rationabilem nõ respuit, sed tamẽ prudenter acquiescit monenti, Idola manufacta ab hominibus conficta, non esse ab ipsis hominibus adoranda, sed unicus dominus uniuersorum deus conditor & gubernator, qui ut solus uiuit, sic omnibus uiuentibus uitam administrat atq; conseruat, habet enim solus potestatem omnis carnis. Audebat alloqui Daniel super huiusmodi negotio regẽ, quod hodie uix toleratur.

5 Et dixit rex ad eum, Nónne uidetur tibi esse Bel uiuens deus? An nõ uides quanta comedat & bibat quotidie?

Viuentem deum putabat, quem tamen tanta absumere cibaria fatebatur. Sequitur aliud illos homines credidisse deos, quàm immortales atq; cœlestes. Alioqui quod cibo uescitur et nutritur, durabile nõ est, nec immortale, sed ex cibo seruatur, sine quo necesse esset perire. Cœlestia autem ex terrenis non pendent, sed contra infima in inferiora. Quid uero idola fuerint, ostendi facile potuit per prophetas ac uerbum domini, cui Apostolus assentitur, dicẽs: Idolum nihil esse in mundo, nisi errorem, stultitiam, ac impiorum hominum deceptionem.

6 Et ait Daniel arridens: Ne erres rex. Iste est enim intrinsecus luteus, & forinsecus æreus, neq; comedit aliquando.

Communis gentiũ omnium error erat, ideo cadebat & in principem, ac à sancto uiro sine regis offensa uideri poterat. Certe ridiculũ deum qui nisi oblatis ab hominibus cibis superuiuere non posset. Sic autem dicere uidebatur regi: Vtcunq; uulgus ineptũ ac stupidum hæc credere posit, deceptum ab impostoribus, tu tamen rex omnium sapientior, in his rebus errare nõ debuerãs, tu omnium gubernator, prudentior sis oportet, ut non credas esse deum, nec cibum capere posse, etiam dum uelit. Est enim sine anima tam uegetatiua quàm sensitiua, multo magis sine intellectu ut ipsum inuocare et adorare possit, conuincatur ridiculum. Intrinsecus iste deus luteus est, extra aũt æreus, ut neq; comedere egeat, nec uelle possit.

7 Et iratus rex uocauit sacerdotes eius, & ait eis: Nisi dixeritis mihi quis est iste qui comedat impensas has, moriemini.

Irascitur rex nõ Danieli, qui rationabilia admonebat, et ueri similia, sed quia obolebat nequitiam aliquam subesse & deceptionem regis & regni, quia tantum expensarum quotidie patiebatur rex & fiscus, unde tot sacerdotes, & tanta illorũ familia nutriebatur, sicut & apud Aegyptios & omnes gentes, à cõmunitate populi uel aliis rectoribus deorũ cultores sustentabantur, ideo sibi latius rectoribus deorũ cultores sustentabantur, ideo sibi latius errores subesse et impostura tantã, iuste iratus inuestigabatur, donec certò intelligeretur qd liquidò esset in causa, unde tanta comedebãtur, si uiuens deus nõ absumeret.

8 Si autem ostenderitis quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemauit in Bel.

Addebat merito alteram partem disiunctiuæ, quibus stitiam & ueritatẽ ex officio prosequi ac uindicare debebat: Vel uos hominibus illuditis & regi, uel Daniel blasphemus erit in diuos, quos tanto tempore patres uestri coluerunt & nutrierunt. Non est quidem ferenda in diuinitatem blasphemia, sed diligenter interim perscrutandum, quid inter diuina habendum sit, & superstitiosum.

ri pro uiribus occurrendum.

9 Et dixit Daniel regi: Fiat iuxta uerbum tuum.

Facile cõsentiebat qui ueritati adhærebat, & ex certa scientia loquebatur. Et rex ipse in tam iusto instituto firmandus erat, ne agnito errori parceretur, uerbũ quoq; regis nefas erat ab aliquo uilipendi, multo minus institutum regiũ uiolandũ. Cedebat uerbum regis & Danielis responsio ad gloriam dei, & populi ac regni salutem.

10 Erant autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus & paruulis & filijs.

Collegium metropolitanum.

Magnus quidem sacrificulorũ numerus, sed collegium pontificũ, et metropolitana ecclesia erat, ubi præsidebat Archiflamẽ et primas totius imperij Persici, ideo septuaginta erant, qui non ex solis illis cibis uictitabant, habebant enim sua prædia & possessiones. Sed insuper hac quoq; impostura ciborum maligne utebantur supra suam annonam, ex qua cõmode uiuere poterãt, sed cupiebant ditari, & per omnia enutrire se & suam familiã in otio & delicijs, ut interim semper factũ est. Discimus quoq; eosdem uel in hoc fuisse meliores, quia nõ concubinas ac spurios, sed uxores & liberos habuisse hic scribitur.

11 Et uenit rex cum Daniele in templũ Belis. Et dixerunt sacerdotes Belis: Ecce nos egrediemur foras: & tu rex pone escas, & uinum misce, & claude ostiũ, & signa anulo tuo: & cũ ingressus fueris mane, nisi inueneris omnia comesta à Bel, morte moriemur, uel Daniel qui mentitus est aduersum nos.

Credebant æque se prophetæ domini imposituros diuino spiritu illustrato Danieli, & ueri dei sancto cultori, ut regi prophano, & in erroribus educato à puero iam multis sæculis imposuerãt. Arduum est enim assueta relinquere, et semel antiquatam religionẽ uel deceptionem emendari, ideo præscriptioni temporis prolixi intenti nihil illis obstiturum putabant, ut sine cunctatione acquiescerent stipulationibus regis. Ecce, inquiunt, egrediemur, &c. Quid autem syncerius obtendi potuisset à sacerdotibus, quàm ea quæ hic regi proponuntur? quo sine dubio mendacem & iniuriosum dijs & hominibus Danielem conuincere se posse credebant. Aberant proculdubio cum fierent omnia, & annulo regio certißimo signarentur. Condemnant seipsos, si Daniel uerum dixisse comprobetur, testimonio regis. Talia signa nostris quoq; temporibus contigisse, & monachorum impostu-

Prædicatores Berneñ.

ras temporum nostrorum certißimæ historiæ conteslantur, nos nobis proximam Bernensem Heluetiorum citasse sufficiat, ad manum sunt æque certißimæ.

12 Contemnebant autem, quia fecerãt sub mensa absconditũ introitum, & per illum ingrediebantur semper, & deuorabant ea.

Sub mensa, arbitror mendum esse, quod dicere potuerit, iuxta uel pone mensam: uel pro cibis absumendis introitum clandestinũ parauerant, quò penetrarent omnibus inuitis ad escas. Sed potuisset uigiles adhibuisse, qui obseruassent mensam interdiu & nocte. Sed id immunitatem ecclesiasticam infregisse clamitassent, & derogasse pietati in dubium reuocandæ. Sicut nostra ætate uidimus peßime acceptum quempiam bonum uirum, alicubi uirginis imaginem flentem contingere ausum, ut sciret si re uera lachrymæ essent, erat aũt monachorum & pictorum impostura, minime postra neganda, sed cũ iam argenti bona pars oblata à populo, corrasa fuisset ab ædituis.

13 Factum est igitur postquam egressi sunt illi, & rex posuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem, & cribrauit per totum templum coram rege: & egressi, clauserunt ostium: & signantes annulo regis, abierunt.

Rebus, ut uidebatur, ad impostura tutò propositis, exeunt, & rex partes suas porrigit, cibos proponendo idolo. Sed Daniel inscio rege, suis pueris, hoc est familiaribus commißionem dederat de cinere conspergendo, ad fundamentum prope mensam, & in reliqua parte templi. Si, ut uidetur, his libris extra canonem nonnihil erroris admixtum est imprudentia librariorum, & hoc esse huiusmodi potuit, ut & alia quædam, quod additum est, Per totum templum & coram rege. Egreßis autem rege & Daniele cum suis, clausum & obsignatum est ostium, regis annulo, quod nefas erat rupisse.

14 Sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam, & uxores, & filij eorum: & comederũt omnia, & biberunt.

Qui male facit odit lucem. Alijs dormientibus isti decipiunt, & absq; timore idoli omnia absumunt, quod tamen omnibus alijs tremendum & adorandum persuadent: alios cupiũt offerre, quod ipsi deuorent. Talis fuit per orbem uniuersum tunc idolorum cultura, talis religio, quæ tamen mundo placebat, ut uix tulerit emendandam uel etiam propalandam. Nostri nuper impostores animarum purgatorium statuerunt, quod tamen extinguendum docuerunt eleemosynis sibi dandis, mißis, & canticis, oblationibus, et donarijs, omnia enim semel agere incœperunt sine testimonio uerbi dei, omnia ad suum luxum & quæstum augendum excogitarunt.

Purgatorium quomodo erigitur & extinguitur

15 Surrexit autem rex primo diluculo, & Daniel cum eo. Et ait rex: Saluáne sunt signacula Daniel? Qui respondit: Salua rex.

Pariter quidẽ rex et Daniel mane ad ædis uel delubri ostiũ accesserũt. Quod uero primus rex à Daniele inquirit, saluáne sint signacula, satis ostendit regem credidisse Danielem falsa dixisse, & ideo puniendũ, testimoniumq; extorsisse de signaculis saluis, ne id postea Daniel negare posset. Sic enim apparebat ut erat totum inuiolatum.

16 Statimq; cum aperuisset ostium, intuitus rex mensam, exclamauit uoce magna: Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam.

Si rege uidente cinis aspersa undiq; fuisset, ut scribitur, imprudentis fuisset statim acclamasse ad conspectam uacuam mensam, quam tot cibis et potibus, panũ, carniũ & uini uesperi oneraſſet: sed statim ingrediẽs discussisset de uestigijs tam suis quàm familiæ secum intrantis.

Clamauit aũt uoce magna. Ridiculum hic quoq; legitur in Ordinaria glossa interlineari, in hunc modũ. Videtur hic falli, quod solet dici, magnam uocem non esse nisi in sanctis tantum. Sed hæc pericope apud Hebræos dicitur nõ haberi. Ex qua glossa aduertimus, numiũ fuisse superstitiose diligentes et exactores uerborũ, quod quisquis is fuerit huius loci expositor, incircumspectus pronuntiauit, magnam uocem nonnisi sanctis tribuendam, etiamsi quod nesciam nõnisi in huiusmodi locis inueniri contingat. Origenem cum esse uidetur, uel eius sequatium. Secundo intelligimus suspicione non carere hos non canonicos libros: quædam adempta fuisse illis, quædam apposita, unde contigerit, ut sancti patres imposturam sentientes, canonicorũ librorũ numero nõ ausi fuerint adnumerare.

Ordinaria glossa.

17 Et risit Daniel: & tenuit regem, ne ingrederetur intrò, & dixit: Ecce pauimentum, animaduerte cuius uestigia sunt hæc.

Risit non ad regis contemptum, sed ad impostura audaciam & proditionem, quam parabat, et aspiciebat ex uestigijs quæ nondum rex aduerterat, sed statim ad apertionem ianuæ pronuntiauerat contra Danielem pro Belo, præcipitata sententia, Tenuit autem regem, ne cum famulitio ingressus perturbaret uestigia, quæ facile discerni poterant, si uirorum essent siue infantium, uel etiã mulierum, quarum late patens est ex magnitudine differentia & ex forma. Sic sanctus spiritus cum industria naturali coniunctus non impeditur, sed adiuuatur homo talibus donatus pariter ex utrisq;: sicut enim ars adiuuat naturam, sic quoq; & gratia, ut apud hominem & deum gaudeant bene nati, qui tamen natiuitatem suam, sicut & naturam uniuersam soli deo debent, quæ si improba præter solitum inuentur, iustificatur tamen per gratiam & uerbum domini, nisi contemptus ex malitia accedat, & sponte malis indulgeat.

18 Et dixit rex: Video uestigia uirorum & mulierum, & infantium. Et iratus est rex.

Vt uidit monstrata uestigia, & intellecta tanta impostura, quid mirum si iratus est rex? & se suosq; omnes delusos ægerrime tulit. Nostri reges nõ impostoribus irascuntur, sed Danieli, qui indicat deceptores, et id infallibilibus argumentis, quæ negari nõ possunt. Audiũt enim ignem purgatorium post hanc uitam non esse, & id probari scripturis nõ posse, absq; cuius authoritate dictum, tanta facilitate contemnitur qua probatur: tamen obsequia pro defunctis, annuersaria supplicationum, & tot missarũ ordinẽ et ualorẽ, cũ tot nuper cœptis capellanijs & ceremonijs ad redemptionẽ animarũ, cum tot indulgentijs nuper excogitatis, authoritate sua terroribusq; mortalibus defendere nõ uerecundantur, quasi publicam impostura mundus posthac ut hactenus queat perferre.

Superstitio regum deceptorum.

19 Tunc apprehẽdit rex sacerdotes, & uxores, & filios eorum: & ostenderunt ei abscondita ostiola per quæ ingrediebantur, & consumebant quæ erant super mensam.

Compulit ad mysterij illius retectionẽ, ut cunctis dolus patesceret, & Danielis sapientia & diuinitus reuelata circumspecto celebraretur, magis autem finis imponeretur sacrificulorum imposturis. Id uero ne fiat nostris temporibus, plurimum timent clericorum & monachorum primores, & ob id sese curijs insinuant regum, & conciliorũ iustas congregationes negant, proq; utrili officijs & muneribus impediunt.

20 Occidit ergo illos rex, & tradidit Bel in potestatem Danielis: qui subuertit eum, & templum eius.

Authoritate regia, qua certe ut populorum patronus & consul obligabatur coram hominibus & deo, ad uindictam malorum laudemq; bonorum, hos tales tot et tam pertinaces impostores occidi præcepit. Id enim & ipsi decreuerant superius, morte moriemur nisi tu reximeneris hæc omnia comesta esse à Belo. Non ergo Daniel occidit impios, sed suo seipsos dicto morti adiudicauerũ. Belum autem permittit dispositioni Danielis. Ipse non ignorans quid in futurum comminisci posset, quandiu diutius hoc sacrilegiũ tolerare cum templo non esse uellet, quod iuxta mundi sapientiam quispiam decreuisset, statuit statim totum excindi, quod in futurum poterat ruinæ secundariæ causam præstare. Alioqui humano spiritu præditus dixisset, non amplius esse timenda de fide religione restituenda, quæ tam luculenter detecta fuisset. Varia sunt enim & industria ingenia impiorũ, ut facile reuocare possint impietatis ceremonias, nisi radicitus conspiciant & desperabiliter eradicatas, ideo Daniel tim à rege accepta copia, Belum subuertit & templum.

21 Et erat draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonij.

Quicquid admirabile, stupendũ, utile uel dæmonum sed olim apud homines conspiciebatur uel fabulabatur, hoc ut diuinum aliquod colebatur apud multas nationes, maxime uero apud Aegyptios. Tale aliquid & apud Babylonios habebatur hic draco magnus, in aliquo loco sacro ueluti spelunca, unde sacrificulorum nonnunquam arte prouocatus, ut sese ostenderet anhelitu ignis uel scintillis, tunc à stulto populo adorabatur, ut deus aliquis, qui dominu dei sui cognitionem persequebantur, ut tantis rijs erroribus, uitijs & criminibus illuderentur.

22 Et dixit rex Danieli: Ecce nunc nõ potes dicere quia iste nõ sit deus uiuens, adora ergo eum.

Rex ille nunc aliam disputationem orditur de scomodo Babylonuorum deo, qui draco ille habebatur, contendens fortiorem hunc esse deum, quia uiueret, non esset luteus uel lapideus aut ligneus, ideo non tam facile cum superandum à Danuele. Sed & ut populo gratificaretur & aulicis, iubet eum adorare draconem. Vnde non uidetur hic rex insigni sapientia uiguisse ex huiusmodi historia, quæ tamen quo ad sequentem de dracone portionem minus probabilis uidetur, & causam præbuisse ut extra canonem poneretur scripturæ sacræ.

23 Dixitq; Daniel regi: Dominum deum meum adoro: quia ipse est deus uiuens, iste autẽ non est deus uiuens. Tu autem rex da mihi potestatem & interficiam draconem absq; gladio & fuste. Et ait rex: Do tibi.

Dicit

Dicit non esse uiuentem pro tanto, quia non immortalis, uel se potens præseruare à morte, quandoquidem si rex iubeat, facile illum posse occidi. Non se habere alium deum quem colat quàm in æternum uiuentem, & omnibus uitam præbentem et conseruantem. Non autem sine regis uoluntate draconem occidere uoluit, quanquã pius et dei cultor existeret, nihil per tumultum agere: nec iritare sine utilitate regem uolebat, sed occasionis tempus expectabat, quod dominus esset adducturus, dum illi uideretur. Id nunc uidens accidisse, non moratur uel cunctatur, sed promittit se dei auxilio occisurum monstrum

24 illud, cui stultus populus sacrificabat.

Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitq; massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco.

Iterum naturali industria Danielis utitur sanctus spiritus, quam & inspirauit ad gloriam dei. Picem accipit, pilos & adipem, unde massam conficit. Propter odorem libenter deuorandũ à bestia: picem sumit, calore inflammabilem, & massam quæ intestinis inhærere possit, & non facile euomi, uel dentibus ingestam retinere faucium rictum ne aperiatur, unde & ex magno calore incensis priùs intestinis tandem dirumpatur corpus bestiæ ob re-

25 spirationis interclusum meatum. Satis ergo patuit deum non esse, qui ab homine potuit occidi.

Et dixit Daniel: Ecce quem colebatis.

Non tam irridentis uel illudentis animo hæc uerba dixit quàm adhortantis ad sapientiam ueram, & dehortantis à cultura earum rerũ, quas deos non esse omnibus constare potest. Cupiebat enim seruus & cultor dei ueri, eum solum ab omnibus prout dignũ adorari & coli. Hoc illi exercitiũ fuit ab ineunte ætate, cuius nunquam negligebat occasionem, quamuis ex captiuis inter gentes: & adhoc patiebatur se assumi in curias principum, ut illorum, si fieri posset, conuersatione gloriam domini

26 ampliaret, & pro omni uirili promoueret.

Quod cũ audissent Babyloniĩ, indignati sunt uehementer: & congregati aduersum regem, dixerũt: Iudæus factus est rex: Bel destruxit, draconem interfecit, et sacerdotes occidit. Et dixerunt cum uenissent ad regẽ: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam.

Multa huic historiæ insunt, ob quæ reuocata est à sanctis in dubium. Mirũ enim quomodo Babylonijs iam regno exutis, tanta potestas permitti potuerit in regem, ut contra illum indignabundi coierint, contumelia affecerint, mortem intentarint, per potentiã coegerint, ut Da-

27 nielem occidi permiserit.

Vidit ergo rex quòd irruerẽt in eum uehementer: & necessitate cõpulsus tradidit eis Danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex. Porrò in lacu erant leones septem, & dabãtur eis duo corpora quotidie, & duæ oues: & tunc nõ data sunt eis, ut deuorarent Danielem.

Si quis de hac historia ex scripturis sacris uel propha-

nis meliora producere possit gaudebo & cupio. Videri potest quod sequitur appositiuum esse, alicuius Græci, qui confuderit historiam, quæ contigit sub Dario, et scripta est à Daniele sexto capite, de alia quadam causa proiectionis in lacum, cum illa quæ hic scribitur, uel eandem confuderit cum ista, maxime quod non pauca assumuntur parum conformia cæteris scripturæ historijs, & rationi non multum consentanea, scilicet quod sex diebus in lacu fuerit, quibus leones sine cibo uix uiuere potuissent, & homo tanto tempore non uiuit sine speciali miraculo, nempe sanus, maxime quod tantus illis cibus necessarius non dabatur. Non negamus uirtutem domini, sed de ueritate scriptoris dubij sumus.

28 Erat autẽ Habacuc propheta, in Iudæa, & ipse coxerat pulmentũ, & intriuerat panes in alueolo: & ibat in campum ut ferret messoribus.

Quo tempore uixerit Abacuc ille propheta ex duodecim minoribus, non constat, nec Iudæis nec nostris. Dubitant quidem illum uixisse temporibus Ioel & Naum, sub Manasse, et nõ quadrabit hæc historia. Si dixerimus alium eiusdem nominis prophetã in Iudæa post Cyrum, non probabimus, cum de nullo quicquam dicatur quàm de Zacharia, Haggeo, et Ezdra uel Malachia. Et de eius translatione per capillos, ad sustentandum in Babylone Danielem in lacu septem leonũ, ad famẽ insanientiũ, cum sine tot miraculis eripi potuerit, & ante tot dierũ angores: & de eo nemo neq; rex neq; alius quispiã curã gesserit, cũ hæc res latere Iudæos adhuc ibidẽ manentes nõ potuerit. In summa, multa hic sunt, quæ causam præstiterũt priscis sanctis, derogandi huic quo ad hanc partẽ historiæ canonicam certitudinẽ, quæ à male feriato aliquo homine Græculo parumq; consyderato addi potuerunt. De pulmento cocto in Iudæa, & per prophetam translato in Babylonem, iam exutam omni imperio, si non magis uastata Darij temporibus, uel Astyagis: incerta enim mihi huiusmodi sunt nomina. Dico autem mihi, ne quis fidelibus & eruditis historiographis fidem non habeat. Abacuc quando & ubi.

29 Dixitq; angelus domini ad Habacuc: Fer prandium quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonũ. Et dixit Habacuc: Domine Babylonem non uidi, & lacum nescio.

Indigna oratio angelo, ut iubeat prophetã, quod omnino sit illi impossibile, ut prandium ferat coctum de Iudæa ad Babylonem Danieli in lacũ leonũ, quando longe cõmodius amico suo Dñs succurrere potuisset. Non agit deus miracula sine multa et rationabili causa, non inuertit ordinẽ naturæ, ubi natura suũ p deo ordinẽ seruat, & hoies inde nihil ædificari possũt, et electis nihil pficitur.

30 Et apprehendit eum angelus Domini in uertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitq; eum in Babylonem super lacum in impetu spiritus sui.

Huiusmodi translationis exemplum nullum legimus in canonicis libris, alioqui maris rubri exiccatione opus nõ fuisset, & Iordanis eleuatione, cæterisq; miraculis. Et

qđ addit: In impetu ſpiritus ſui, incertũ ſi ad angelũ uel ad Abacuc referatur, ad utrũq; certe nõ ſatis commode.

31 Et clamauit Habacuc, dicẽs: Daniel ſerue dei, tolle prandiũ quod miſit tibi deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei deus, & non dereliquiſti diligentes te. Surgensq; Daniel comedit.

Prolixius domino carmen canere uoluiſſet, ſeptẽ diebus cohabitans eſurientibus leonibus, ipſe eſuriens. Non tam diu dominus ſeruum deſtituiſſet, non tam diu infideles tanto miraculo non compuncti fuiſſent. Maiorem ſanè curam de leonibus habuerunt, quàm quod eos tot diebus cibo deſtituiſſent, uel tantum miraculum contempſiſſent tot diebus. Non potuit tot diebus familiaris ſui rex Babylonius oblitus fuiſſe.

32 Porrò angelus domini reſtituit Habacuc confeſtim in loco ſuo.

Et quis reliquis diebus eſurientem pauit? uel qua ratione tot diebus diſtulit dominus eſurienti cibum neceſſarium? Omnia ſanè quæ hic dicuntur, ea orationis figura proponuntur, qua nihil aliud uſpiam ſcribitur in canonicis, unde & ob huiuſmodi adiectamentum non indigne ſancti ante & poſt Chriſti tempora hæc dubia eſſe & indigna canone cenſuerunt.

33 Venit ergo rex die ſeptimo, ut lugeret Danielem: & uenit ad lacum, & introſpexit, & ecce Daniel ſedens in medio leonũ.

Hiſtoriã Danielis in 6. cap. hic ſcriptor inconſulte uoluit miraculoſiorem inſtruere. Cum enim alius, hoc eſt, ipſe Daniel, poſt noctẽ ſcripſerit regẽ ſolicitũ, ſanũ inueniſſe & incolumem: hic elegans orator, ſeptẽ dies ſcribit Danielis oblitũ & leonũ ſuorũ, neſcio quem regẽ, ut gratia Dñi amplior æſtimaretur. Nõ indiget talibus patronis ueritas dei, quaſi infra ſeptenam nemo cogitauerit uel de leonibus taceo de ꝓpheta, regi tãto familiari & dilecto.

34 Et exclamauit uoce magna rex, dicens: Magnus es domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum.

Si per dei clementiã & prouidentiã ad unius dei cultum & reuerentiã hic rex uocari debuiſſet, non tam diu diſtuliſſet dei bonitas et ſapientia conuerſionẽ ipſius. Nihil ſimile legitur apud alios conuerſos reges ad dominũ. Clara dei miracula, ut primum facta ſunt, agnita ſemper fuerunt à non improbis regibus, ut fuit Darius, & Nabuchodonozor, et reliqui: de quibus paſſim legitur. Extracturus eum à lacu ob miraculum, non tardaſſet in ſeptimum diem, ſed exemplo Darij citius occurriſſet.

35 Porrò illos qui perditionis eius cauſa fuerant, intromiſit in lacum, & deuorati ſunt in momento coram eo.

Finis hiſtoriæ huius ſimilis ſcribitur alteri, ne omnino ueſtigium abeſſet coniecturæ et cunctationis de reliquis quæ apocrypha ſuſpicor, & præter ueritatem annexa eſſe, à uerſu uigeſimo, ſecundũ noſtrã ſupputationẽ, uſq; ad hunc finẽ: quæ tamẽ eruditioribus Lectoribus expendenda cõmitto, quibus ſuſpicio mea nihil præiudicabit.

FINIS.

LIBER HESTER.

HOC LOCO IVNGENDA SVNT apocrypha quæ paſſim libro Heſter poſt decimũ caput acceſſiſſe uidemus, quæ qualiacunq; ſint, expoſitione non egent, Iudaica ſunt, pro illorum arbitrio conſcripta, tanquam quæ neceſſe fuerit, uel ſimiliter dici et ſcribi potuerint, quæ apud probatiſſima exemplaria olim inuenta non fuerunt, ſed quantũ ad epiſtolarum exemplaria leguntur apud Ioſephum libro undecimo cap. 6. Ne autem ab aliquo deſyderentur, quo minus omnia plene habeãtur, quæ de ueteri inſtrumento credita ſunt habenda. Hæc quoq; legat ſtudioſus Lector.

HIERON. Quæ de libro Heſter habentur in Hebræo, plena fide expreſsi: hæc autẽ quæ ſequuntur, ſcripta reperi in æditione uulgata, quæ Græcorum linguã & literis continentur, & interim poſt finem libri hoc capitulum ferebatur, quod iuxta conſuetudinem noſtram obelo, id eſt ueru prænotauimus.

CAPVT X.



IXIT QVE Mardocheus: A Deo facta ſunt iſta, recordatus ſum ſomnij, quod uiderã, hæc eadem ſignificantis, nec eorum quic quam irritũ fuit. Paruus fons qui creuit in fluuiũ, & in lucem ſolemq; cõuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit, Heſter eſt, quam rex accepit uxorẽ, & uoluit eſſe reginã. Duo aũt dracones, ego ſum & Aman. Gentes quę conuenerãt, hi ſunt qui conati ſunt delere nomẽ Iudæorũ. Gens aũt mea, Iſraël eſt, quæ clamauit ad dominũ: & ſaluum fecit populũ ſuum, liberauitq; nos ab oĩbus malis, & fecit ſigna magna atq; portenta inter gentes: & duas ſortes eſſe præcepit, unam populi dei, & alteram cunctarũ gentium. Venitq; utraq; ſors in ſtatutum ex illo iam tempore coram deo uniuerſis gẽtibus, et recordatus eſt dominus populi ſui, ac miſertus eſt hæreditatis ſuæ. Et obſeruabuntur dies iſti in menſe Adar, quartadecima & quintadecima die eiuſdẽ menſis, cum omni ſtudio, & gaudio in unum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Iſrael.

CAPVT XI.

ANno quarto regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, attulerunt Doſitheus qui ſe ſacerdotem & Leuitã

Leuitici generis ferebat, & Ptolemæus filius eius hanc epistolam Phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachũ Ptolemæi filium in Ierusalem.

Hoc quoque principium erat in æditione uulgatâ, quod nec in Hebræo, nec apud ullum fertur interpretũ.

Anno secundo regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, uidit somnium Mardocheus filius Iairi, filij Semei, filij Cis de tribu Beniamin, homo Iudæus, qui habitabat in urbe Susis, uir magnus, & inter primos aulæ regiæ. Erat autem de eo numero captiuorum quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Ierusalem cum Iechonia rege Iuda, & hoc eius somnium fuit. Apparuerunt uoces & tumultus, tonitrua & terræmotus, & conturbatio super terram, & ecce duo dracones magni paratiq; contra se in prælium. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, ut pugnarent contra gentem iustorum. Fuitq; dies illa tenebrarum & discriminis, tribulationis & angustiæ, & ingens formido super terram. Cõturbatáq; est gens iustorum timentium mala sua, & præparata ad mortem. Clamaueruntq; ad deum, & illis uociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit. Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos. Quod cũ uidisset Mardocheus, & surrexisset de stratu, cogitabat quid deus facere uellet, & fixum habebat in animo, scire cupiens quid significaret somnium.

CAPVT XII.

MOrabatur autem eo tempore in aula regis, cum Bagatha & Thara eunuchis regis, qui ianitores erant palatij. Cumq; intellexisset cogitationes eorũ, & curas diligentius peruidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, & nunciauit super eo regi. Qui de utroque habita quæstione, cõfessos iussit duci ad mortem. Rex autẽ quod gestum erat scripsit in commentarijs. Sed & Mardocheus rei memoriam literis tradidit. Præcepitq; ei rex, ut in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus. Aman uero filius Amadathi Bugeus, erat gloriosissimus coram rege, & uoluit nocere Mardocheo, & populo eius pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti.

Hucusq; prooemium. Quæ sequuntur in eo loco posita erant ubi scriptum est in uolumine, Et diripuerunt bona uel substantias eorum. Quæ in sola uulgata æditione reperimus. Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

CAPVT XIII.

REx maximus Artaxerxes ab India usq; Aethiopiam centum uigintiseptem prouinciarum principibus & ducibus, qui eius imperio subiecti sunt, salutẽ. Cum plurimis gentibus imperarem, & uniuersum orbem meæ ditioni subiugassem, uolui nequaquã abuti potentiæ magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subiectos, ut absq; ullo terrore uitam silentio transigẽtes optata cunctis mortalibus pace fruerent. Quærente autem me à consiliarijs meis, quomodo posset hoc impleri, unus qui sapientia & fide cæteros præcellebat, & erat post regem secundus, Aman nomine, indicauit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui nouis uteretur legibus, & contra omnium gentium consuetudinem faciens, regum iussa contemneret, & uniuersarum concordiam nationũ sua dissensione uiolaret. Quod cum didicissemus, uidentes unam gentem rebellem aduersus omne hominum genus peruersis uti legibus, nostrisq; iussionibus contraire, & turbare subiectarum nobis prouinciarum pacem atq; concordiã: iussimus ut quoscunque Aman, qui omnibus prouincijs præpositus est, & secundus à rege, & quem patris loco colimus, monstrauerit, cum coniugibus ac liberis deleant ab inimicis suis, nullusq; eorum misereatur, quartadecima die duodecimi mẽsis Adar anni præsentis, ut nefarij homines uno die ad inferos descendentes, reddãt imperio nostro pacem, quam turbauerant.

Hucusque exemplar epistolæ. Quæ sequuntur post eum locum scripta reperi, ubi legitur, Pergensq; Mardocheus fecit omnia quæ ei mandauerat Hester: nec tamen habetur in Hebraico, & apud nullum pẽnitus fertur interpretum.

Mardocheus autem deprecatus est dominum, memor omnium operum eius, & dixit, Domine domine rex omnipotẽs, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere uoluntati, si decreueris saluare Israel: Tu fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur, dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. Cũcta nosti, & scis, quia non pro superbia & contumelia, & aliqua

gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimũ, libenter enim pro salute Israel etiam uestigia pedum eius deosculari paratus essem, sed timui ne honorem dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem excepto deo meo. Et nunc domine rex deus Abraham, miserere populi tui, quia uolũt nos inimici nostri perdere, & hæreditatẽ tuam delere. Ne despicias partem tuam quam redemisti tibi de Aegypto. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo, & conuerte luctum nostrum in gaudium, ut uiuentes laudemus nomen tuum domine, & ne claudas ora te canentium. Omnis quoq; Israel pari mente & obsecratione clamauit ad dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

CAPVT XIIII.

HEster quoq; regina confugit ad dominũ, pauens periculũ quod imminebat. Cumq; deposuisset uestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis uarijs cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiunijs, omniaq; loca in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit. Et deprecabatur dominum deum Israel, dicẽs, Domine mi, qui rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius. Periculum meum in manibus meis est. Audiui à patre meo, quod tu domine tulisses Israel de cunctis gentibus, & patres nostros ex omnibus retro maioribus suis, ut possideres hæreditatem sempiternam, feciſtiq; eis ficut locutus es. Peccauimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorũ. Coluimus enim deos eorum. Iustus es domine. Et nunc nõ eis sufficit quod durissima nos opprimũt seruitute, sed robur manuum suarum idolorum potentiæ deputantes, uolunt tua mutare promissa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atq; extinguere gloriã templi & altaris tui, ut aperiant ora gentiũ, & laudent idolorum fortitudinem, & prędicent carnalem regem in sempiternum. Ne tradas domine sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideãt ad ruinam nostram, sed conuerte consilium eorum super eos, & eum qui in nos cœpit sæuire, disperde. Memento domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam domine rex deorum, & uniuersæ potestatis, tribue sermonem compositum in ore

meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odiũ hostis nostri, ut & ipse pereat, & cæteri qui ei consentiunt. Nos autem libera in manu tua, & adiuua me ancillam tuam, nullum aliud auxilium habentem, nisi te. Domine, qui habes omnium scientiam, & nosti quia oderim gloriam iniquorum, et detester cubile incircunciſorum, & omnis alienigenæ. Tu scis necessitatẽ meã, quod abominer signũ superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & nõ portem in diebus silentij mei, & quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim uinum libaminum, & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usq; in præsentem diem, nisi in te domine deus Abraham. Deus fortis super omnes, exaudi uocem eorum, qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & eruc me à timore meo.

Hæc quoq; addita repperi in æditione uulgata.

CAPVT XV.

ET mandauit ei (*haud dubium quin Hester Mardocheus*) ut ingrederetur ad regẽ, & rogaret pro populo suo & pro patria sua. Memorare, inquit, dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem, & tu inuoca dominũ, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.

Nec non & ista quæ subdita sunt in æditione uulgata repperi.

Die autem tertio deposuit uestimenta ornatus sui, & circundata est gloria sua. Cumq; regio fulgeret habitu, & inuocasset omnium rectorem et saluatorem deum, assumpsit duas famulas, & super unam quidem innitebatur quasi præ deliçijs & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens, altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans. Ipsa autem roseo colore uultum perfusa, et gratis ac nitentibus oculis tristem celabat animum, & nimio timore contractum. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus uestibus regijs, auroq; fulgens & pretiosis lapidibus, eratq; terribilis aspectu. Cumq; eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit,

corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulã reclinauit caput. Conuertitq; deus spiritum regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiliuit de solio, & sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his ỹbis blandiebatur, Quid habes Hester? Ego sum frater tuus, noli me timere. Non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Accede igitur, & tange sceptrum. Cumq; illa reticeret, tulit auream uirgam, & posuit super collum eius, osculatus est eam, & ait, Cur mihi non loqueris? Quæ respondit, Vidi te domine quasi angelum dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum. Cumq; loqueretur, rursus corruit, & pene exanimata est. Rex autem turbabatur, & omnes ministri eius consolabantur eum.

Exemplar epistolæ regis Artaxerxis, quam pro Iudæis ad totas regni sui prouintias misit, quod & ipsum in Hebraico uolumine non habetur.

CAPVT XVI.

REx magnus Artaxerxes, ab India usq; Aethiopiam centum uigintiseptem prouinciarum ducibus ac principibus, qui nostrę iussioni obediunt, salutem dicit. Multi bonitate principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam, & non solum subiectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt moliuntur insidias. Nec contenti sunt gratias non agere beneficijs, & humanitatis in se iura uiolare, sed dei quoq; cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam. Et in tantum ueę saniæ prorumpunt, ut eos qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt, ut omnium laude digni sint mendaciorum cuniculis conentur subuertere, dum aures principum simplices, ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. Quæ res & ex ueteribus probatur historijs, & ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestioni bus regum studia deprauẽtur. Vnde prouidendum est paci omnium prouinciarũ. Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri uenire leuitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam. Et ut manifestius quod dicimus intelligatis, Aman

filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienusq; à Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis susceptus est, & tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster uocaretur, & adoraretur ab omnibus, post regem secundus, qui in tantam arrogantiæ tumorem subleuatus est, ut regno priuare nos niteretur & spiritu. Nam Mardocheum, cuius fide & beneficijs uiuimus, & consortẽ regni nostri Hester cum omni gente sua nouis quibusdam atq; inauditis machinis expetiuit in mortem, hoc cogitans, ut illis interfectis insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarũ transferret in Macedonas. Nos autẽ à pessimo mortalium, Iudæos neci destinatos, in nulla penitus culpa repperimus, sed econtrario iustis utentes legibus, & filios altissimi & maximi, semperq; uiuentis dei, cuius beneficio, & patribus nostris & nobis regnũ est traditum, & usq; hodie custoditur. Vnde eas literas, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas. Pro quo scelere ante portas huius urbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio eius pendet in patibulis, non nobis, sed deo reddente ei quod meruit. Hoc autem edictum quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Iudæis uti legibus suis. Quibus debetis esse adminiculo, ut eos qui se ad necem eorum parauerant, possint interficere, tertiadecima die mensis duodecimi qui uocat Adar. Hanc enim diem deus omnipotens mœroris & luctus eis uertit in gaudium. Vnde & uos inter cæteros festos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, ut & in posterũ cognoscantur omnes qui fideliter Persis obediunt dignam pro fide recipere mercedem, qui autem insidiantur regno eorũ, perire pro scelere. Omnis autem prouincia & ciuitas quæ noluerit solennitatis huius esse particeps, gladio & igne pereat, & sic deleatur, ut non solũ hominibus, sed etiam bestijs inuia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus et inobedientiæ.

FINIS.

COMMETARIVM IN TERTIVM LIBRVM ESDRAE.



RATIONAbili causa hic liber, qui tertius Esdræ numeratur comparatione ad librũ Neemiæ, qui secundus Esdræ habetur à quibusdã, non solum intra canonicos et hagiographos non est conputatus, sed nec cum libro quarto sequente suputatur inter Ecclesiasticos, quandoquidem & inter Biblia Græca nõ scribitur. Non enim uerisimile uidetur quibusdam Esdram hunc tertium scripsisse quando ferè nulla continet, quæ non in libris Regum Paralipomenon Esdræ & Neemiæ legantur, præter solam historiam tertij & quarti capitis. Sed & propriorum nominum inutilis, ut multis uidetur, repetitio, multum uariat ab eo catalogo qui alibi legitur. Quo fit ut dubia habita semper fuerit eius authoritas, & minus curata lectio, ut cum suo quarto quoq; libro inter apocrypha habitus sit, non tamen eius generis, quæ abiecta sunt olim à sanctis, ut sunt libri de filiabus Adæ, de pœnitentia Adæ, de gigantum prælio cum dracone, Testamentum Iob, & qui dicitur Iamne & Mambre, cæteriq; qui à Iudæis uel hæreticis scripti, non sine periculo legerentur. Hi enim duo ultimi libri sub nomine Esdræ intitulati nihil continent periculosum uel hæreticũ. Sed quia incertus est ipsorum author & singularia quædam continent dubiæ lectionis, ideo inter cunctos alios minoris habentur ponderis. Quos tamen lectione, ut non sunt iudicati indigni, sic eos in numero sanctarum scripturarum habitos, per singula percurremus, ut si quid dubium putatur, breuibus tantum annotationibus designemus. Quæ uero sancta, utilia & reliquis canonicis dictis conformia continent, non prorsus negligantur, sed ad ædificationem ecclesiæ producantur, et sic declarentur, ut habet ueritas, ne quis inde scandalizetur infirmior.

Qua ratione canonicus hic liber non sit.

CAPVT PRIMVM.

1 ET fecit Iosias pascha in Hierosolymis domino, & imolauit phase quartadecima luna primi mensis, statuens sacerdotes per uices dierum stolis amictos in templo domini.

Hæc quidem summatim leguntur & breuibus quarto Regum 23. Sed prolixius et fermè ad uerbũ 2. Paral. 25. Ne quis ex hac litera credat regem immolasse phase, in Hebræo ibidem scribitur: Et immolauerunt phase, scilicet sacerdotes in ordinibus suis, et Leuitæ, de quibus statim fit sermo. Ad uesperam aũt quartædecimæ lunæ phase inchoabant, quando agnũ assum legalibus ceremonijs comedebant. Nihil adhuc dicitur de pharisaicis obseruationibus, si liceat die solis uel Veneris aut reliquis diebus phase celebrare, & biduo ferias agere, quod ab exordio sectarum institutum est, traditionibus Iudaicis superstitiosis, de quibus Paulus Burgensis in additionibus ad Liranum in Matthæum & Ioannem, non sine fructu legendis. In domo domini ministrasse dicuntur, quod intelligatur de atrio sacerdotum. Non enim phase offerebant in æde sacra, sed in atrijs, sacerdotes & Leuitæ in interiori. Israel uero, hoc est uiri in suo, mulieres in suo atrio. Qui omnes cum templo dicebãtur domus domini. Pro eo quod stolis amicti dicuntur hic, alibi legitur: Et confortauit eos in ministerio domus domini, hoc est hortatus est, ut diligenter implerent omnia iuxta legem, non solum in uestibus sacris, sed multo magis in reliquis obseruantijs.

2 Et dixit Leuitis sacris seruis Israel, ut sanctificarent se domino in positione sanctæ arcæ domini in domo, quam ædificauit Salomon filius Dauid rex. Non erit uobis tollere super humeros eam.

Sacros nominat ea præcipuum ratione, quia officij illorum erat, docere populum dei de uoluntate domini, explanare & inculcare legem dei. Ideo Hebræus habet: Dixit Leuitis intelligere facientibus totum Israelem, ut scilicet sanctificaretur: Nihil enim sanctimoniæ assequebantur sine fide & sacra intelligentia, eorum quæ ceremonijs designabantur. Ad hoc enim leuitæ sancti dicebantur, ut populũ dei sanctificarent, instruendo de lege dei. His ergo qui sic sancti habebantur Leuitis dicebat, ut ponerent arcam sanctificationis in sanctũ sanctorum, non manibus contingendo, ut olim Bethsamitæ præsumpserant, sed in humeris portando, iuxta legem, quod illis onus esse & haberi non debebat. De hac arcæ translatione uide suo loco, unde hæc litera est desumpta.

3 Et nunc deseruite domino uestro, & curam agite gentis illius Israel ex parte secundum pagos & tribus uestras, secundũ scripturam Dauid regis Israel, & secundũ magnificentiam Salomonis filij eius, omnes in templo, & secundum particulam principatus paternam uestram eorũ qui stant in conspectu fratrum filiorum Israel.

Discimus principalem cultũ, quem deo obligabantur Leuitæ dispersi per omnes tribus, fuisse, ut curam agerent commissæ plebis, non in temporalibus sed spiritualibus, docendo, exhortando, orando, legendo, corrigendo, secundũ legem iudicando. Hoc enim fideliter facientes, domino deo suo seruiebant, et de portione domini de decimis & primitijs sustentabantur, minime otiosi. Particula principatus quid sit, disce ex libro Præteritorum. Magnificentia Salomonis intelligitur decretum, ordinatio, & scriptura Salomonis, pro cultu dei legitime conseruãdo, in templo quidẽ iuxta uices & ordines suos ministrabãt sacerdotes et Leuitæ: reliquo tempore in pagis suis et domibus paßim populis seruiebãt, iuxta prædicta.

4 Immolate pascha, & sacrificia parate fratribus uestris, & facite secundum præceptum domini quod datum est Moysi.

Sacer-

Sacerdotes & Leuitæ Hierosolymis habitantes iubentur parare pascha & sacrificia, non tantum pro se, sed & pro Leuitis alijs omnibus, qui ad illud festum aduenturi erant, ut communibus gaudijs & epulis sacris pariter in domino lætarentur. Omnia autem secundum uerbum domini, non iuxta arbitrium humanum.

5 Et donauit Iosias in plebẽ quæ inuenta est ouium, agnorum & hedorum, & capra rum, triginta millia: uitulos tria millia.

Exemplo suo allicit rex sanctus populum ad timorem & cultum dei, ad legis obseruantiam, ea parte primum qua carni persuaderi poterat, ut tandẽ ad reliqua quoq; legis moralia pertrahi pedetentim posset. Facile festa persuadentur et epulæ. Sed tunc uerbum domini pariter prædicabatur, & unius dei uoluntas & beneplacitum inculcabatur, uno alterũ persuadente, si per dei gratiam fieri potuisset. Nihil negligit rex pius ut etiam proprijs impensis populum alliciat, dissuetum alioqui, & prorsus nihil damni pro deo passurum. Vitulos tria millia, cum dicere debuerit ut alibi boum tria millia.

6 Hæc de regalibus data sunt secundum promissionem populo, & sacerdotibus in pascha: oues numero duo millia, ac uituli centum.

Varietas hic personarũ & numerorũ inuenitur, sed quæ frequens sit in antiquis et nouis codicibus. Ibi enim legitur, Et principes eius sponte obtulerũt populo, sacerdotibus, & Leuitis, Helchias, Zacharias, et Iehiel, duces domus dei, sacerdotibus dederunt pro paschalibus duo millia & sexcenta, scilicet agnos, & boues trecentos.

7 Et Iechonias, & Semeias, & Nathanahel fratres, & Asabias, & Oziel, & Coraba in phasẽ oues quinq; millia, uitulos quingentos.

Iechoniam hic denuo discimus eundem esse qui & Chononiam, qui hic in Hebræo scribitur. Sic eundem et Asabiam hic & alibi, Oziel quoque & Iehiel. Et qui hic Coraba, alibi Iosabat. Hi autem tres, principes erant Leuitarum, hoc est primores, et de maiori familia, ditiores quoq; qui honestissimo munere donauerunt fratres suos Leuitas, quinq; millia agnos paschales.

8 Et hæc cum fierent eleganter steterunt sacerdotes, & Leuitæ habẽtes Azyma per tribus.

Quod hic Azyma dicitur, Hebraice scribitur mandatum, satis propinqua analogia nominum, iuxta literas & orthographiam. Verisimilius autem mandatũ quàm Azyma legitur, quanquam hic de paschate sermo fiat. Stabant enim iuxta tribus & ordines suos Leuitæ, iuxta mandatum regis.

9 Et secundum partes principatus patrũ in conspectu populi offerebant dominot secundũ ea quæ in libro Moysi scripta sunt

Hic locus cõmodius expom non potest quàm ex libro Præteritorũ, qui hoc loco sic habet ad uerbũ: Et immolauerunt, nempe sacerdotes, phasẽ, hoc est agnũ paschalem, & iuxta legem sanguine aspersi sunt, ad memoriale exitus de Aegypto, Leuitis adiuuantibus detrahendo pelles pro more. Holocaustum autem de bobus fiebat à singulis familijs Leuitarum, non proprie holocaustum capiendo, recipiebatur enim non modica pars ad epulas plebis Leuitarum & sacerdotum, ut non totum fuerit combustum holocaustum.

10 Et assauerunt phasẽ igni prout oportebat, & hostias coxerunt in emolis, & in ollis cum beniuolentia.

Secundum legem & consuetudinem phasẽ parauerunt in ollis & ahenis, cum omni alacritate & benuolentia. Iam enim gaudebant se habere regem exemplar pietatis, quod sequerentur sponte. Omnia ergo legitime peragebant.

11 Et attulerunt omnibus qui erant ex plebe, & post hæc parauerunt sibi & sacerdotibus. Sacerdotes enim offerebant adipes usq; dum finita esset hora, & Leuitæ parauerunt sibi & fratribus suis filijs Aaron.

Plebi quoq; de sacrificijs reddebant partes suas Leuitæ pro ipsorum officio, de his quæ à plebe & primoribus fuerant oblata: postea sibijpsis prouiderunt & sacerdotibus, quibus ministrare ex officio obligabantur, occupatis circa suum officium, quod erat offerre, cremare, laudare, & orare pro populo. Sunt autem non alij dicti sacerdotes quàm filij Aaron, qui circa digniora officia seruiebant in atrio sacerdotum, summo pontifice ministrante.

12 Et sacrificatores filij Asaph erant per ordinem, secundum præceptum Dauid.

Pro sacrificatoribus legendum uidetur cantoribus, quibus præerat familia descendens ab Asaph: qui ordinatione Dauid canere dei laudes debebant, iuxta suas uices & officia.

13 Et Asaph & Zacharias & Ieddimus, qui erat à rege, & ostiarij per singulas ianuas: ita ut non præuaricaret unusquisq; suam. Fratres enim illorum parauerunt illis.

Pro Zacharia legitur uerius Heman, et pro Ieddimus legendum Idithum. Dicitur aũt Ieduthum fuisse prophetæ regis. Nec tantum cantores, sed & ianitores suis functionibus institerũt, rege ordinante. Tutum est enim fidelibus subesse regibus, etiam eos qui Leuitæ sunt & sacerdotes. Suam quisq; ianuam obseruabat, ut omnia cum ordine fierent. Accipiebant enim in ianuis atriorũ Leuitæ hostias, & sacerdotibus offerebant. Erat enim non modica hæc occupatio. Nulli enim laico ingredi cũ quocunq; munere sacerdotũ atriũ licebat. Istis autem sic in portis & circa aram occupatis, sacerdotibus & Leuitis cæteri Leuitæ parabant epulas ex oblatis pro more.

14 Et consummata sunt quæ pertinebãt ad sacrificiũ domini. In illa die egerunt phasẽ, & offerebant hostias super domini sacrificium, secundum præceptum regis Iosiæ.

Omnia iuxta legem domini peracta sunt à sacerdotibus & Leuitis, à cantoribus & ianitoribus, à reliquisq;

qui epulas procurabant populo & fratribus. Licet enim epulis indulgere in conſpectu domini, cum timore, fide, & reuerentia, iuxta uerbum domini.

15 Et egerunt filij Iſrael, qui inuenti ſunt in tempore illo phaſe, & diem feſtum azymorum per dies ſeptem.

Iudæi carnales carnalibus lactabantur, donec uenret regnum dei & cœlorum, non cum obſeruationibus, ſed in ſpiritu & ueritate, ut deus qui ſpiritus eſt, digne & cum fructu colatur, fide, ſpe, & charitate.

16 Et non eſt celebratũ phaſe tale in Iſrael, à temporibus Samuel prophetæ: & omnes reges Iſrael nõ celebrauerunt tale paſcha, quale egit Ioſias, & ſacerdotes, & Leuitæ, & Iudæi, & omnis Iſrael, qui inuenti ſunt in cõmoratione Hieroſolymis, octauodecimo anno regnante Ioſia, & celebratum eſt phaſe.

Vltimũ illius templi phaſe erat, & à ſancto rege celebratũ, ideo glorioſum fuit præ cæteris, propter fidẽ regis, cuius fidei ſeſe populus ad tempus attemperabat, ſed ad faciẽ ſeruiens magis quàm ex firma fide. Reges Iſrael dicit, qui ferè omnes impij fuerant. Iam uero ex oĩbus tribubus aliqui quamuis pauci intererant huic ſolennitati, qui relicti fuerant, uel rari redierãt, et magni aliquid ſperabant ex rege ſancto perficiendũ, ſed inſtabat dei iudiciũ cõtra Manaſſen et populũ, qd' retractari nõ poterat.

17 Et directa ſunt opera Ioſiæ in conſpectu domini ſui in corde pleno metuentia: & quæ circa illum quidem conſcripta ſunt in priſtinis temporibus de eis qui peccauerunt, quiq; irreligioſi fuerunt in dominũ præ omni gente, & qui non quæſierũt uerba domini ſuper Iſrael.

Hic uerſus alibi non habetur. Placuit domino Ioſiæ ſtudium, quia ex fide procedebat, qua metuebat ſyncero pectore dominũ. De quibus ſtudijs multa ſcripta ſunt in libris Regum & Paralipomenon, ad quos hic author dirigit lectores, uolens breuiare hiſtoriam, & ad Ioſiæ mortem deſcendere, de qua ſubditur ſtatim, quod clarum eſt.

18 Et poſt omnem actum hunc Ioſiæ, aſcendit Pharao rex Aegypti ueniens in Charchamis ab itinere ſuper Euphraten, & exijt obuiam illi Ioſias. Et miſit rex Aegypti ad Ioſiam, dicẽs, Quid mihi & tibi eſt rex Iudæ? Nõ ſum miſſus à domino ut pugnem contra te: Super Euphraten enim bellum meum eſt: Feſtinans deſcende. Et non eſt reuerſus Ioſias ſuper currum, ſed expugnare eum conabatur, non attendens uerbum prophetæ ex ore domini: ſed conſtituit ad eum bellum in campo Nageddo.

Idem legitur in libro Paralipomenon, nõ quidem uerbotim, ſed ad ſenſum.

19 Et deſcenderunt principes ad regem Ioſiam. Et dixit rex pueris ſuis, Amouete me à prælio. Infirmatus ſum enim ualde. Et ſtatim amouerũt eum pueri ipſius de acie. Et aſcendit ſuper currũ ſecundariũ ſuum, & perueniens Hieroſolymã, uita functus eſt, & ſepultus eſt in paterno ſepulchro.

Obmittitur hic quod neceſſario ſcribendum erat, ut iaculis fuerit & ſagittis affectus, unde permotus dixerit, quæ hic ſeruis loquitur: ut ſatis uideatur ſcriptorum potius oſcitantia quàm authoris.

20 Et in tota Iudæa lugebant Ioſiam, & qui præſidebant, cum uxoribus lamentabant eum uſq; in hunc diem. Et datum eſt hoc fieri ſemper in omne genus Iſrael. Hæc autem præſcripta ſunt in libro hiſtoriarum regum Iudæ, & ſingula geſta actus Ioſiæ & eius gloria, & intellectus eius in lege domini: quæq; geſta ſunt ab eo, & quæ non ſcripta ſunt in libro Regum Iſrael & Iudæ.

Iudæa tota lugebat ſanctum regem, præcipue Hieremias, qui illis lamentationes dictabat, quas primores cum ſuis uxoribus. Hoc uero facile erat, ſeilicet ita facile toto corde conuerti ad dominum. Multa quoq; egit tanto tempore regnans, quæ non ſunt ſcripta in libris Regum Iuda, in quarto libro Regum, & Præteritorum. Exciderunt quoq; multæ ſacræ hiſtoriæ de uniuerſo regno hiſtorijs, ſufficiunt autem quæ habentur.

21 Et aſſumentes qui erant ex gente Iechoniam filium Ioſiæ, conſtituerũt regem pro Ioſia patre ſuo, cũ eſſet annorũ triginta trium, & regnauit ſuper Iſrael menſibus tribus.

Vide Lector quanta propriorum nominum inuerſio ſit. Omnes hic etiam correcti codices Iechoniam habent inſtitutum regem pro Ioſia, cum certum ſit eum Ioachas nominatum, tam in libris Regum quàm Prætermiſſorum. Cuius nepos Iechonias, ex fratre Ioakim patri ſuccedens, captus eſt & ipſe tertio menſe, ductuſq; in Babylonem, ſicut hic Ioachas in Aegyptum.

22 Et amouit eũ rex Aegypti, ne regnaret in Hieroſolymis, & mulctauit gentem argenti talenta centum, & auri talentum unum.

23 Et conſtituit rex Aegypti Ioachim fratrem ipſius regem Iudæ et Ieruſalem, et alligauit magiſtratus Ioachim & Zaracelem fratrem ſuum: & apprehendens reduxit in Aegyptũ. Annorũ erat Ioachim uiginti quinq; cum regnare cœpiſſet in terra Iuda & Ieruſalem, & fecit malũ in conſpectu domini.

Et hic qui dicitur Ioachim uel Ioakim, in libro Prætermiſſorum dicitur Eliachim & Iehoiachim. Sed & qui hic dicitur Zaracel, frater Ioachas, neceſſe eſt eſſe nominatum alio quoq; nomine: poſt tres uero menſes à Babylonio captus eſt cum matre, filius fuit Ioachim, cum frater dicatur. Arbitror enim hic mendum eſſe in literis, ut apprehenſum reduxerunt Zaracelem non in Aegyptum, ſed in Babylonem, niſi quis aliud uideat, quandoquidem hic uerſus uiceſimuſtertius in libro Prætermiſſorũ non habetur, ſed uiceſimusquartus, qui ſequitur.

24 Poſt hunc autẽ aſcendit Nabuchodonoſor

for rex Babylonis, & alligans eum in aëreo uinculo, perduxit in Babyloniã, et sacra uasa domini accepit Nabuchodonosor, & tulit, & consecrauit in templo suo in Babylonia. Nam de immunditia illius, & irreligiositate scriptum est in libro temporũ regum.

In libro Præteritorũ simpliciter dicitur uinctus compedibus, quod hic dicitur aëreo uinculo. De huius Ioachim malitia multa Ieremias scripsit, quomodo scilicet pro irreligiositate sua absq; timore domini combusserit prophetiam Ieremiæ, qui & Sellum dictus legitur: cuius peccata multa leguntur Ieremiæ 22. & alibi.

25 Et regnauit Ioachin filius eius pro eo. Cum autem constitutus est, erat annorum decem & octo. Regnauit autẽ menses tres, & dies decem in Ierusalem: & fecit malum in conspectu domini.

De hoc Ioachim, qui & Iechonias dictus est, lege plura 4. Reg. cap. 24. ubi dicitur fuisse annorum decem & octo quando cœpit regnare, cum tantum regnauerit tribus mensibus: hic uero legitur in quibusdam codicibus annorum octo inauguratus regno, durasse autem decem dies & tribus mensibus, ut manifeste appareat mendum exemplariorum.

26 Et post annum mittens Nabuchodonosor transmigrauit eum in Babyloniam simul cum sacris uasis domini, & constituit Sedechiam regem Iuda, & Ierusalem, cum esset annorum uigintiunius. Regnauit autem annis undecim.

Quod hic dicitur post annũ, arguit aliquot mensibus Iudæos rege caruisse. De hac autem captiuitate plura lege 4. Reg. 24. Et qui hic Sedechias dicitur, ibidẽ nomẽ habuisse legitur Mathaniæ, qui fuit patruus Iechoniæ capti cũ matre et septẽ millibus, quæ dicitur trãsmigratio.

27 Et fecit malum in conspectu domini, & non est ueritus à uerbis quæ dicta sunt ab Ieremia propheta ex ore domini, & adiuratus à rege Nabuchodonosor, periurans discessit, & indurata ceruice sua, & corde suo, transgressus est legitima domini dei Israel.

Explicat hunc locum multis liber Ieremiæ prophetæ, qui sub huius tyrannide multa passus est, tandem ob perfidiam in Babyloniæ regem, cuius iuramentum spreuerat, turpiter captus est cum filijs, et excæcatus ductus Babylonem. De quo lege 25. & ultimum caput 4. Reg.

28 Et duces populi domini multa inique gesserunt, & impie egerũt super omnes immundicias gentium, & polluerunt templum domini, quod sanctum erat in Hierosolymis.

De principibus regni Iudæ, uerbum domini & prophetam Ieremiam persequentibus, multa apud Ieremiã: uerum de idolis tunc adoratis non legitur, manebat tamen reatus & peccatũ Manassis & populi semper protra prophetas domini, Iosiæ pietatem detestando, scandalizati ex eius clade & occisione, unde arguebant ipsum male egisse, idola & altaria subuertendo, quæ pro uirili sua creduntur restaurasse, quorũ exempla clara nostris quoq; cernuntur temporibus.

29 Et misit deus patrum ipsorũ per angelũ suum reuocare eos, propter quod parceret illis, & tabernaculo suo. Ipsi uero subsannabant in angelis suis, & qua die loquut⁹ est dominus, erant illudentes prophetis eius.

Angelus hic dicitur sanctissimus illius temporis Ieremias propheta, qui dominu uoluntatem prædicabat, ad pœnitentiam exhortabatur, ad deditionem loci, si uiuere uellent & consistere urbem, cuius iam subuersionem crimina multa meruerant. Sed quia urgebat dei iudicium, ideo nihil profecit, grauia potius passus est, sed euasit tandem captiuitatem istam, urbe subuersa, populo occiso uel capto. Tabernaculũ uocat templũ Salomonis, tum quia ad similitudinem aliquam & in locum tabernaculi ædificatum erat, tum quia iam amouendum de medio & resoluendum, hoc est, prorsus demoliendum fuit. Nec tantũ Ieremiæ, sed uniuersis semper sanctis prophetis aduersati fuerant, quorum sanguine repleuerant urbẽ usq; ad os. Propheta angelus dicitur.

30 Qui usq; ad iracundiam cõcitatus est super gentẽ suam propter irreligiositatẽ suã: & præcepit ascendere reges Chaldæorum.

Irreligiositatem dicit contemptum uerbi dei & prophetarum, cultum idolorum, iniusta iudicia, auaritiam, pauperum oppressionem, odium ueritatis, in gente quæ debebat esse sua, dei scilicet peculium, pro tot beneficijs & miraculosis uictorijs, sed omnia gratis, unde & nõ semel sed bis et tertio à regibus Chaldæorũ infestati sunt, ut toties admoniti & nihil respiscentes, uastarentur merito, oĩbus cæteris et olim futuris gentibus ad exemplar.

31 Hi occiderunt iuuenes eorum in gladio, in circumitu sancti templi eorum, & nõ pepercerunt iuueni, & seni, & uirgini, & adolescenti, sed omnes traditi sunt in manus ipsorum, & omnia sacra uasa domini, & regales apothecas resumentes, tuleruntin Babyloniam, & incenderunt domum domini, & demolierunt muros Ierusalem, & turres eius incenderunt in igne.

Hæc fusius leges in ultimo capite 4. Reg. & alibi, in Ieremia quoq;. Primũ quidẽ in circuitu templi quò concurrerant occisi sunt, tandem & templum combustũ est.

32 Et consummauerũt oĩa honorifica eius, & ad nihilum redegerunt, & reliquos à gladio duxerunt in Babylonẽ. Et erant serui illius usq; dum regnarent Persæ, in repletione uerbi domini in ore Ieremiæ, quousq; benigne ageret terra sabbata sua. Omni tẽpore desertionis suæ sabbatizauit in applicatione annorum septuaginta septem.

Honorifica Iudæorum erant, templum, ara, arca, sacerdotium, quæ omnia sunt confusa, conculcata, & redacta in nihilum: occiderunt multos, residuos in exilium deportarunt Babylonicum, ubi & seruituti subacti sunt hominum, qui domino seruire semper renuerunt. Repletio-

nem uerbi dei dicere debuisset impletionem, ut terra sabbatum ageret ab hominum cultura in sex diebus, quam septimo die contra dei legem exercuerant impij, donec septuaginta anni implerentur.

CAPVT II.

1 REgnãte Cyro rege Persarum in cõsummatione uerbi domini in ore Ieremiæ: suscitauit dominus spiritum Cyri regis Persarum, & prædicauit in toto regno suo simul per scripturam, dicens:

Cyrus Græcis & Latinis, qui Hebræis suo more כורש dicitur, ut olim sine Vau litera scriptum nomen, æque Cyrus legi potuerit ut Cores. In cõsummatione uerbi dei: potuit melius transferre, ut compleretur uerbum domini, quod Ieremias dudum prædixerat septuaginta annis duraturam captiuitatem. Non est in alterius manu spiritus regum quàm in dei potestate, quibus imperat uelint nolint. Cor enim regis in manu domini est. Et qui pro peccatis regum Iuda & Israel gẽtem destruxerat, is pro sua gratia cordibus gentilium regum utitur ad gloriã suam, qui æque in sua manu continet uniuersa, & qui de lapidibus potest facere filios Abrahæ. Hic Cyrus prædicator fit gloriæ domini exercituum, et dei Israel, uerbo & scripturis, in toto regno, quod in hunc usum dilatasse uidetur. Sicut & Romanum imperium præparauit prædicando Euangelio Christi, quando illud Israelitæ ante Pilatum negauerant, & crucifixerant Christum. Non est enim dominus personarum acceptor: dominus est omnium, non unius gentis aut alterius.

Imperium Cyri & Romanum.

2 Hæc dicit Cyrus rex Persarũ: Me constituit regẽ orbi terrarum dominus Israel, dominus excelsus, et significauit mihi ædificare domũ sibi in Ierusalẽ, quæ est in Iudæa.

Excelsa fides est, & professio gloriæ dei ab Ethnico, intelligente à deo uno & uero omnia disponi, regi, et ordinari, à quo etiam regna pendeant, & administrationes omnium potestatum. Orbem terrarum nominat partem pro toto, pro fide enim in dominum tam satis contentus erat, & eum dominum deum eum agnoscit esse, quẽ Israelitæ colunt, qui facit mirabilia magna solus, qui & per prophetam Danielem uel angelum quempiam aut in somnis, uel ex Isaiæ uaticinio potuit agnouisse debitum suũ de reædificãdo templo, quod Babylonij destruxerãt.

3 Si quis est ex genere uestro, dominus ipsius ascendat cum eo in Ierusalẽ. Quotquot ergo circa loca habitant, adiuuent eos qui sunt in loco ipso, in auro, & argento, in dationibus cum equis & iumentis, cumq; alijs quæ secundum uota apponuntur in ædem domini quæ est in Ierusalem.

Ex genere uestro dicit generaliter, hoc est, Israelitarũ dispersorum per totum regnum Persarum, Medorum et Chaldæorum. Fauores enim sunt ampliandi, ideo omnes unius dei Israelis cultores, hoc edicto licentiam acceperunt redeundi si uoluissent, uoluerunt autem primum Iudæi & Leuitæ, quibus ascẽdentibus prospere etiam reliquæ tribus multa ex parte cum tempore redierũt, ut plurimum aucti fuerint usq; ad tempora Iudith, & Machabæorum. Et si qui ascẽdere noluissent, iubebantur tamen iuuare ascensuros de suis substantijs, ut uoluntas & deuotio regis de templo extruendo minime impediretur.

4 Et stantes principes tribuum, pagorum, & Iudææ ex tribu Beniamin, & sacerdotes, & Leuitæ, quos excitauit dominus ascendere & ædificare domum domini, quæ est in Ierusalẽ, & qui erant in circuitu eorum, adiuuerunt in omni auro & argento eius, & iumentis, et uotis cõpluribus, multi quorum sensus excitatus est.

Discimus principes patrum uel familiarũ olim dictos esse primores & nobiles, præfecti pagorũ, ubi tribuum familiæ diuisim habitabant, ut habuerint tam pagi quàm oppida primorem, qui et consul ciuium omniũ, de unaquaque milia, quibus præerat & consulebat ad omniũ tranquillitatem & pacem, quibus nusquam aberant sacerdotes et Leuitæ, doctores & iudices. Hi ergo cum quibusdam de tribu Iuda & Beniamin primi surgunt, zelo cultus dei, et reædificandi templum, quorum secundum tempus exemplo, aliæ quoq; tribus ad idem sunt animatæ.

5 Et Cyrus rex protulit uasa sacra dñi, quæ trãstulit Nabuchodonosor rex Babylonis ex Ierusalem, & cõsecrauit ea idolo suo. Et proferẽs ea Cyrus rex Persarũ, tradidit Mithridato q erat sup thesauros ipsius. Per hũc aũt tradita sunt Salmanasaro prẽfidi Iudææ.

Vix id aliquis regum Israel fecisset, restituere spolia et exhaurire idolorũ templa, ornatibus pro gloria domini dei, qui in Ierusalem colebatur. Sed necesse erat impleri uerbum domini, et fideles inueniri prophetas dei, Isaiam scilicet & Ieremiam cum reliquis, qui id futurum prædixerant. Rex protulit uasa domini pretiosa, de suorũ idolorum templis, quibus præerat, quæ & moderabatur inuitis sacrificulis idolorum, & eripiebat illis thesauros etiam sacros, & dicatos, uel idolis iamdudum cõsecratos, & restituendos commendauit suo thesaurario, qui illa principi Iudæorum Sassabasaro commendaret, qui hic dicitur Salmanasar, quem alij Sorobabel fuisse uerisimiliter dicunt, ut cernamus uarietatem appellationum: quando & Iudæorum quidam eum Danielem quoq; nominant. Certe præses tunc Iudææ datus Zorobabel dictus est. Accipiunt enim nomina communia ab officijs & actis, quæ postea fiunt propria, uel pro proprijs usurpantur.

6 Horum autẽ hic numerus, libatoria argentea, duo millia quadringẽta, athisæ argenteæ triginta, phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ, duo millia quadringentæ, & alia uasa mille. Omnia autem uasa aurea & argentea, quinq; millia octingẽta sexaginta.

Varius quoq; numerus est uasorum hic & in primo Esdræ, quo & abrogata uidetur authoritas huius libri, cum nihil frequentius mutatum deprehendamus, quàm numeros rerum & hominum, & propria personarum nomina & locorum. De quibus spiritus dei non uolui-

tauit.

Allegorici.

tantam haberi rationem, quantam ſubierũt priſci ſancti alioqui patres, tractatores ſcripturarum ſacrarum, qui ex nominum interpretationibus, & numerorum myſterijs, ſacras ſcripturas explanare ſtuduerunt, magis freti ingenijs quàm authoritate diuini ſpiritus, qui huiuſmodi non docuit. Vnde & profuiſſet magis, nihil alicubi circa literam dixiſſe, quàm commenta rationis eruditæ, & ſermonis elegantis & affluentis circa omnia quæ dicuntur. In libro Eſdræ nominantur uaſa aliter: prima enim dicuntur אגרטלי pelues dicta Rabi Salomoni, quibus manus luuantur. Sanctes, pollubra dixit. Hieronymus phialas: ſecunda dicuntur cultri מחלפים, tertia מזרקים ſcyphi uel crateres. Quid uero per Athiſcas intelligat pronunciare non poſſum. Lyranus interpretatus eſt cyphos. In ſumma quoq; uaſorum uariatur cum Ezdra primo.

7 Et enumerata ſunt Salmanaſaro ſimul cum his qui ex captiuitate Babyloniæ uenerant in Hieroſolymam.

Iterum Salmanaſar dicitur, qui alibi Saßbaſar, cui hic reddita uaſa dicuntur, & ſimul eidem tanquã duci commendata ea gens fuit, quæ in Babylonem ex Hieroſolymis capta erat, & nũc in poſteris remittebatur cũ donis ad dei templũ deſtinandis, ut reuerterẽtur Hieroſolymã.

8 In Artaxerxis autem regis Perſarũ temporibus ſcripſerunt ei de his qui habitant in Iudæa & Ieruſalem, Balſamus, & Mithridathus, & Sabellius, & Rathimus, Baltheus, Samelius ſcriba, & reliqui inhabitantes in Samaria, & cæteris locis, ſubiectam epiſtolam regi Artaxerxi.

Hæc ſcripta ſunt primo Eſdræ 4. Artaxerxes autẽ hic quis fuerit uarie dicitur. Quidam Cambiſem dictum pro prio nomine, Artaxerxẽ autem communi imperatorum illorum nomine: alij Aſuerum fuiſſe dictum: alij aliter, quam nobis incertitudinem debemus uanitati regum, qui multis ſe nominibus paßi ſunt appellari à pluribus, ad inſignem iactantiam, quæ illis ceßit in iniuriam, quando de eis tanto incertiora narrantur. Balſamus qui hic dicitur, alibi Beſelam nominatur. Sic hic Mithridatus, alibi Mithredath. Et Sabellius hic, alibi Tabel, ſ. pro t. Rathimus quoq; pro Rachum, quaſi dicendum Rachimus. Baltheus pro Baaltheem. Samelius quoq; pro Simſai. Fortaſſis legendum Sameſius, qui ſcriba prouincialis erat. Ex quibus uidemus non protinus apocryphum habendum librum, ex nominum propriorum uariatione, quæ fit multis reſpectibus, & non ſine ratione. Iſti omnes habitabant in Samaria, nõ urbe, ſed prouincia, ſic dicta à regno olim quod regnum Iſraelis fuerat, & Samariæ dicebatur. A Samaria enim etiam iamdudum deſtructa nomen accepit prouincia circumiacens Samaria. Quem uero Græci Artaxerxẽ nominãt, Iudæi & Syri Arthaheſchaſta uocant.

9 Domine pueri tui Rathimus ab accidentibus, & Sabellius ſcriba, & reliqui curiæ tuæ iudices in Cœleſyria & Phœnice.

Epiſtola hæc Syriace ſcripta eſt. Cuius dictio prima fuit בעלתן, quam author huius libri dominum tranſtulit. Quod autem Rathimus cognominatur ab accidentibus, idem uidetur dici quod Hebræis à commentarijs. Sabellius autem ſcriba prius nominatus eſt Samelius, qui & Sameſius. De Cœleſyria & Phœnicia prouincijs Syriæ, ſicut & de Samaritana, Palæſtina, Damaſcena, Antiochena & Decapolitana, uide Epitome Vadiani.

10 Et nunc notum ſit domino regi, quoniã Iudæi qui aſcenderunt à uobis ad nos, uenientes in Ieruſalem ciuitatem refugam & peſſimam, ædificant furnos eius: & ſtatuerunt muros, & templum ſuſcitant, quod ſi ciuitas iſta, & muri conſummati fuerint: non tantum tributa non ſuſtinebunt pendere, ſed etiam regibus reſiſtent.

Quæ hic ſcribuntur ferè ad uerbum, eadem leguntur 4. cap. prim. Eſdræ, quæ & pro neceßitate expoſita ſunt Tomo ſecundo. Impij nihil æque deteſtantur ac pietatẽ & cultum dei. Ideo ſemper bellum geritur contra Babylonem à Hieroſolymitis, ſpiritus aduerſus carnem, multo autem atrotius caro aduerſus ſpiritum, Babylon contra Hieroſolymam, ciuitas mundi contra ciuitatem dei.

11 Et quia id agitur circa templũ, recte haberi arbitrati ſumus non deſpicere hoc ipſum, ſed notum facere domino regi, ut ſi ui debitur, rex, quæratur in libris patrum tuorum, & inuenies in admonitiõibus ſcripta de his: ſcies quoniam ciuitas iſta fuit refuga, & reges & ciuitates cõcutiens, & Iudæi refugæ, & prælia cõmittentes in ea ab æterno, ob quã cauſam ciuitas iſta deſerta eſt.

Templo in primis aduerſantur, hoc eſt, diuino cultui, qui hoſtes dei Iſrael erant idololatræ peßimi, fidem obtendunt regi ſeruandam, & odium tegunt, prouocant ad ſcripta, quæ dudum extorſerant multis mendacijs.

12 Nunc ergo notum facimus domine rex, quoniam ſi ciuitas hæc ædificata fuerit & huius muri erecti fuerint, deſcenſus tibi nõ erit in Cœleſyriam & Phœnicem.

Deſcenſum dicunt adimendum regi, hoc eſt, exactionem tributi. Iudæam & Samariam uocant Phœnicem & Cœleſyriam, montana Iudææ & maritimam baßiorem Syriam, quibus olim imperauerunt reges Iudæorum & Hieroſolymitæ.

13 Tũc ſcripſit rex Rathimo, qui ſcribebat accidẽtia, & Balthemo, & Sabellio ſcribæ, & cæteris cõſtitutis, & habitantibus in Syria & Phœnice, ea quæ ſubiecta ſunt.

Patent ex dictis nomina & officiales. Nõ auditis partibus nec teſtibus, ſtatim promulgatur ſententia contra pios ab impijs, & dei opus negligitur, quaſi dominus nõ ſit deus. Sed ad tempus, ut maiori gloria ſuo tempore dei opus promoueatur.

14 Legi epiſtolam quam miſiſtis mihi. Præcepi ergo inquiri, & inuentũ eſt, quoniam ciuitas illa eſt ab æuo regibus reſiſtens, & hoies refugæ, & prælia in ea efficiẽtes, et reges fortiſſimi erant in Ieruſalẽ dominãtes,

& tributa exigentes, à Cœlesyria & Phœnice.

Cogitur Hierosolyma male audire ab impijs, quæ longe plura passa semper fuerat, quàm intulerat. Sed semper pios mundi iudicio succumbere necesse est, & impios triumphare de pijs, habent enim sancti suam sortem, & expectant in mundo alio. Fortissimi quidem Dauid, Salomon & alij erant, sed iniquum nihil in reliquos præsumpserunt. Irritati autem & grauati impie, domino uolente restiterunt, & triumphos dei reportarunt cum contumelia eorum, qui inique opprimere uoluissent.

15 Nunc ergo præcepi prohibere homines illos ædificare ciuitatem, & prohibere ne quid ultra hæc fiat: sed nec procedãt in plurimum, ex quo sunt malitiæ, ita ut regibus molestia importetur.

Variat sententia hic nonnihil, quandoquidem libri author non tam uerba expendere uoluit quàm institutum regis circa Iudæos, qui iussit impediri urbis extructionẽ, & si quid etiam aliud extruere incœpissent Iudæi, iuberentur desistere cœptis, ne quid damni regibus importetur, quod malitiam nominat, ne reges laborare cogantur & ferre molestiam.

16 Tunc recitatis his quæ à rege Artaxerxe scripta fuerant, Rathimus, & Sabellius scriba, & qui cum his constituti erant iungentes festinanter uenerunt in Ierusalem, cum equitatu & turba, & agmine, cœperuntq; ædificantes prohibere. Et uacabant ab ædificatione templi in Ierusalem, usq; secundo anno regni Darij regis Persarum.

Lectis regalibus scriptis, statim obsequuntur, ad id quod sponte agebant, parati Iudæos premere omnibus modis, rati humanum esse consilium quod molichantur, cum dei esset prouidentia totum institutum, quod & ædificare inchoassent, & desistere cogi uiderentur, una uia, suo tempore opportunius quod deus statuerat absoluturi. In typo gerebatur negotium ecclesiæ sanctæ, quæ multa patitur, tunc maxime quando studiosius sacris se cœperit exercitijs occupare. Veniunt cum turba & agmine cõpulsuri si minus obsequi uoluissent. Quanquam enim remissi erant ad propria, tamen subditi regibus erant, & obsequi cogebantur, & miseri erant. Ab eo autem tempore cessatum est ab extructione templi, de quo iam consequenter scribendum.

CAPVT III.

1 REx Darius fecit cœnã magnam omnibus uernaculis suis, & omnibus magistratibus Mediæ & Persidis, & omnibus purpuratis, & prætoribus, & consulibus, & præfectis sub illo ab India usq; Aethiopiam, centum uigintiseptem prouincijs.

Post primam inhibitionem de non ædificando templo sub Cyro propter accusationes Samaritanorum, non omnino quidem cessatum est, sed tarde & frigide res processit, usq; ad regnum Darij, qui primus hoc nomine dictus est. Qui statim ab initio regni sui ordinauit de templo ædificando, cuius ordinationis hic ut uidetur occasio data describitur. De temporum autem exactiore calculo et cõcordantia, uiderint qui ex professo hoc argumentum tractant. Cœna autem magnifica, de qua hic scribitur, ideo fit facta à principio regni sui, ut ostenderet maiestatẽ opulentiæ suæ, & liberalitatem beneficentiæ, quæ maxime reges decet, qui cum dominus sit omnium opulentiarum & amplissimarum diuitiarum, nihil gloriosius decere debet, quàm eas dignissimis personis administrare dis committere, in gloriam regis, in honorem eorũ quos rex uult honorari, & in utilitatem prouinciarũ, ac tranquillitatem regni totius. Honor autem gloria & regnis profectus, non à generis nobilitate æstimandus est, sed ex sapientia, circumspectione, probitate, dexteritate, eloquentia, & experientia rerum multarum, quale te qui assequutus est, naturæ donis, uel studio assiduæ cogitationis, uel diuinitus inspiratus, is aptus est minister & coadiutor regibus bonis, quibus fauent reges suam quoq; sub ipsis gloriam, ut quanto sapientiores sint & fideliores, tanto sint bonis regibus chariores. Ideo non est hoc historia puerilis, sed magnificum exemplum regibus & aulicis, ut tanto cupiant regibus acceptiores fieri, quanto sapientiores & iudicio acutiores, quibus & regibus faueant honores maximos, ut eruditionis & prudentiæ insignis studium aulici certatim suscipiant, & nulla alia in re magis probari cupiant regibus, quàm solida sapientia & fide firma. Vernaculi dicuntur regis aulici, et cetera custodes interdiu & noctibus, quibus rex carere non potest, qui pro iustitia conseruanda multos offendere cogitur, & à multis insidias patitur. Magistratus sunt rectores urbium, & communitatum magnarum. Purpurati, magni post regem principes. Prætores, prouinciarũ reguli. Consules, familiares maxime in consultationibus, uel maximarum urbium primi rectores. Præfecti pojores gulos paruis territorijs instituti rectores. Tot autem & tantos habebat necessarios sub se officiales, in tam lata monarchia, quam tenebat Darius, usq; ad Indiam uersus, centum orientem, & ad Aethiopiam ad Austrum uersus, centum & uigintiseptem prouincias.

2 Et cum manducassent & bibissent, & lætentiati reuerterentur, tunc Darius rex ascendit in cubiculum suum, & dormiuit, & expergefactus est.

Satis ex historijs apparet eius temporis milites & aulicos tantorum regũ fuisse sicut in disciplina militari instructiores, sic & in aula tranquilla, magis maturi, frenates animo, & moribus commodiores, quàm nunc certatur uulgus militare, & in aulis nobilium. Adsatietatem licebat edere & potare, deinde insistere quemlibet functionibus proprijs, ut nemo otiosus fuerit, uel ideo diligenter uitiosus. Quin & rex ille potentissimus non otio torpet, sed exercitia proponit familiaribus utilia, & de utilibus confabulari uult, non de ludicris & inhonestis, unde & post somnum euigilans, utile aliquid cogitandũ assumit pro more. Ad quod cubicularios quoq; suos instigat, à quibus uult moneri, & præmia sapientiæ pro suo more

more proponit. Vnde non est uerisimile, hac tantum uice cubicularios certasse de sapientia, sed hoc certamen trium adducitur, unde dominus occasionem præstitit pro mouendæ gloriæ suæ.

3 Tunc illi tres iuuenes corporis custodes, qui custodiebant corpus regis, dixerunt alter alteri: Dicamus unusquisq; nostrum sermonẽ qui præcellat, & cuiuscũq; apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi rex Darius dona magna, purpura coonmire, & currum aureo freno, & cydarim byssinam, & torquem circa collũ, & secundo loco sedebit à Dario propter sapientiã suam, & cognatus Darij uocabitur.

Antiqui quaedam illius uersi uel etiã debetãt.

Sermonem præcellentem dicere, est certiorem, utiliorem & probabiliorem aliquam doctrinam uel plausibilius aliquod apophthegma proponere, ad quod mutuum se uigiles exercere consueuerant, & tempus fallere cum fructu, ad placitum domini sui, & ad profectum in sapientia, pro qua honores quoq; sperabantur apud sensatos principes. Decernere autẽ de pronunciatis debebat rex, omnium sapientissimus, cum suis principibus, qui ut pro officio suo omnibus consulere debebant populis & regibus, & iudicare causas: sic necesse erat esse sapientiores omnibus, & ex sapientibus electos, & olim similiter exercitatos, ut nunc illi se tres cubicularij exercitant, approbante rege, & dicta expendente. Quàm essent felicia regna, si eis præessent non nisi sapientes & uiri bonesti, apud quos sapientia, iudicium, probitas, & rerum honestissimarum studium esset in pretio, ut munera regalia non sperarentur, nisi à uere sapientibus & probatæ uirtutis, ubi uirtuti tantum honor deferretur, & honestissimis artibus: Sicut Dauid dicebat: Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, facientes præuaricationes odiui. Non adhæsit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoscebam, detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar, superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam, Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum, ambulans in uia immaculata, hic mihi administrabat, &c. Talem quoque scientes ij serui suum regem, studuerunt complacare ei in his, quæ eum uelle & maxime probare sciebant. Exercitio sapientiæ & utilium fabularum, ut ausi fuerunt sperare pro talibus munera magna, familiaritatem & honorem à rege & in regno, probantibus id æque sapientibus principibus, & sauentibus ei quod diligebat. Multa poterant spe rare præmia & magna in regno & aula, ubi sapientia colebatur, & sapientes regnabant, & regum filias spe rare audebant serui fideles, & sapientiam profitentes ueram, ac utilem regnis.

4 Tunc scribentes singuli suum uerbum significauerunt, & posuerunt subtus cerui cal Darij regis, & dixerunt: Cumq; surrexerit rex dabimꝰ illi scripta nostra, & quod cunq; iudicauerit rex è tribus, & magistratus Persidis, quoniam uerbum eius sapientius est, ipsi dabitur uictoria sicut scriptum est.

Fortitudinem corporis & animi plurimum admirari solent reges in primis, maxime autem in corporis custodibus, ut & fidelissimi sint, in uerbis ac factis dextri, corporibus robusti, alacres ad subeundum, si necesse sit pro rege periculum, & certamen gloriosum etiam mortem non detrectaturi pro rege. Incidit ergo quæstio de fortitudine, quid scilicet sit in mundo uel in aulis principum fortius, quod plura & maiora facinora designare possit cum laude. Ad hanc propositionem respondere debebãt ij tres in scriptis: primum quidem simpliciter, quid quisq; sentiret, deinde rationem sui dicti coram rege & magistratibus reddere uerbotenus. Scribebant singuli suas sententias seorsim, altero non consulto uel audito, ne quis ab alio admonitus aliud fateretur quàm quod proprius illi sensus & conscientia suggessisset. Scriptum quoq; suum quisq; signabat sigillo, ne quis fraudem committeret, mutando sententiam ab altero admonitus, si eius sententiam agnouisset. Vt simul rex & sapientes intelligerent, quid singulis placeret, quæ studia singulorum, in quibus regi quisq; cõplacere se posse confideret. Subtus ceruical ponunt regis, ut dum post somnum euigilaret, quietus & sobrius, lecta singula discuteret, & secum perpenderet sapienter, ut cum magistratu tandem uictori laudem decerneret & præmium, minime circumuentus.

5 Vnus scripsit: Forte est uinũ. Alius scripsit: Fortior est rex. Tertius scripsit: Fortiores sunt mulieres, super omnia autem uincit ueritas.

Vni uidebatur, quod et inscripsit schedulæ suæ: Vinũ est fortissimum, qui fortassis uino oblectabatur præ alijs. Alteri placebat regis fauor & gratia, pro qua iudicabat nihil esse regi fortius. Tertius admirabatur mulieres, quæ multa possunt, et imperant potentibus: omnia tamen uincere ueritatem magis pronunciabat. Is enim erat animo solidior, fidelior, & in agendis ac loquendis ueritatis & fidei cæteris tenacior. Hoc certamen opinionum & eruditorum studiorum decet nobilium regum nobiles aulicos, non uictoria in epotandis calicibus, & fortitudo ad multum uini perdendum, non quis turpiora loquatur, et obscœniora audeat, uorare impura, perfringere pretiosa, blasphemias horribiliores comminisci, lacerare uestes, honestatem minus curare, ut nunc in aulis tales se strenuos magis haberi uolunt milites, quanto huiusmodi uitijs magis uidentur & cupiunt notabiles esse, de diuinis rebus & honestate, modestiaq; magis incurij: hi se curiales esse persuadent, & aptissimos propugnatores regis & regni.

6 Et cum surrexisset rex, acceperũt scripta sua, & dederunt illi, & legit. Et mittens uocauit omnes magistratus Persarum, & Medos, & purpuratos, & prætores & præfectos, & sederunt in concilio, & lecta sunt scripta coram ipsis.

Oblata regi scripta dicuntur ad magnificentiam regiam, ne per se ea protraxisse non satis seruulis honori-

ficum sit, quasi sinant regem agere quod illi facere possint præter officium. Accepta autem rex legit, sed suopte iudicio, sine primoribus pronuntiare nõ uoluit in causa fortitudinis, ne quid pro se definiuisse uideretur, si regem dixisset fortissimum. Iam enim se uidebat in causa suspectum fieri, & in causam trahi, ut partialem, quẽ uocant. Ideo pro magistratibus mittit, qui sine acceptione definiant personarum. Quibus omnibus aulicis conuocatis leguntur schedulæ, domino omnia prouidente, qui ex hoc negotio suum uoluit honorem promouere, & populi sui salutem, qui omnia potest ex omnibus, cui omnia seruiunt, qui malis quoq; abutitur ad optima.

7 Et dixit: Vocate adolescentes, & ipsi indicabunt uerba sua. Et uocati sunt, et introierũt. Et dixit illis: Indicate nobis de his quæ scripta sunt.

Non satis fuerat absolute pronuntiasse quẽlibet quod opinabatur, sed audiendi singuli erant, qua quisq; ratione ad id dicendum permotus fuisset, & quomodo sententiam confirmaret suam unusquisq;. Experiri enim magnates uolebant ingenia iuuenum & eloquentiam, qua contingit nonnunquam persuaderi res mediocres, & attenuari amplas. Nihil enim potest non splendescere oratione scitè adhibita. Vocabantur igitur ut rationem dictorum afferrent, & indicarent qua quisq; ratione fulciretur, quod est iudicare de scriptis, approbare sententiam suam, & confirmare sic suam, ut aliorum confutaret rationes & instituta. Non enim sufficit dixisse, sed comprobasse dicta, & persuasisse sapientibus, hic labor erat.

8 Et cœpit prior, qui dixerat de fortitudine uini, & dixit: Viri, quàm præualet uinum omnibus hominibus qui bibunt illud. Seducit mentẽ. Itemq; regis & orphani facit mentem uanam. Item serui ac liberi, pauperis ac diuitis, & omnem mentem conuertit in securitatem & iucunditatem, & non meminit omnem tristitiam & debitum, & omnia præcordia facit honesta, & non meminit regem, nec magistratum, & omnia per talenta loqui facit.

De uini fortitudine primus rationes adducit & confirmat, ut persuadeat, idq; satis magnifice & uerisimiliter, quod fortissimis quibusq; uiris præualet, & eos suo dominio subijcit, ut aliud loqui & agere non possint quàm quod illud uelit & permittat: hoc proculdubio necesse est esse fortissimum. Quod enim fortioribus fortitudine præstat, necesse est esse fortissimum, iuxta uulgatissimam topicam. Nunc autem constat, ut uinum admissum imperio, uiros quoscunque etiam fortissimos uincit, & dominio suo prorsus subijcit, ut ne sentire quidem quicquam possint nisi quod illud permittit. Adimit enim cogitatum omnem & sensum, & sui iuris plene facit & subiugat, quamlibet sint & habeantur fortissimi. Id quod experientia generalis sic confirmat, ut à nemine possit negari. Quandoquidem & æquat fortunas regum & orphani, quod & ipsum propositio & maior præmissa adduci posset, ut non sit felicior rex quàm orphanus, si madeant utrique uino, & eius se permittant dominio. Ex alio probat tertio, quia uinum reddit æque securos, alacres & gaudentes, felices & iucundos, seruos & liberos, pauperes & diuites, quamdiu uini impetio se regi permittunt. Non sinit meminisci miseriarum, quas alioqui patiuntur, & debitorum quibus constringuntur creditoribus: omnia tuta reddit & communia omnibus. Item præcordia cuncta bibentium honesta facit, opinione diuites & felices se esse ut putent & uiuerent. Etiamsi obnoxij sint uinosi iudicio regis & principum, unde immineant damna rerum & uitæ, nihil interim turbantur & formidant, iucunde dormiunt, in utramque aurem, nihil est quod anxios reddat tenuis lentos. Per talenta loqui, est maximi æstimare quod sentit, loquitur, & intendit, nemo tunc illis doctior, ditior uel felicior, eloquentior & sapientior uidetur. Totum donat pro toto, à nullo se patitur de contrario persuaderi.

9 Et non meminerunt cum biberunt amicitiam nec fraternitatem, sed non multum post, sumunt gladios, & cum à uino mane surrexerint, non meminerunt quæ gesserunt.

Hactenus induxit plausibilia ex fortitudine uini, quæ administrat uinum, iucunda & grata pacificis & quietis. Nunc etiam bellicosis quoque & in ui tranquillis abundantibus, magnifica uinum facinora agit, & quæcunque mala quæcunque. Ibi non sinit quicquã ualere quamcunque amicitiam, & ipsam denique fraternitatem, potens est omne illud necessitatis uinculum rumpere, & dios stringere in eos quos amicissimos habet, propter quos absque uini imperio negligeret quicquid est in mundo, pro quibus paratus esset mori. Quin & reconciliando, pro quibus paratus esset mori. Quin & reconciliare uinum potest maxime offensos, & crudelissime debachantes extra uini negotium & regnum. Adimit omnes simultatis & inimicitiarum memoriam, & impetum sese uindicandi. Cumq; uini potentia his rationibus magis obsit quàm aulicis, ubi periculosa sunt multa, ubi insidiæ, ubi necessaria circumspectio & uigilantia, rursum ut principes non maxime à seruis exigam sobrietatem.

10 O uiri, num præcellit uinum? Quis sic cogitat facere? Et tacuit hoc dicto.

Præmissis igitur positis & necessario concessis, quia solide probatis, & in modo ac forma dispositis, iam infert conclusionem irrefragabilem, uinum præcellere quid uspiam est fortitudinis, quam nemo æquare possit, quia omnia sibi subdit, reges, principatus, fortunas & infortunia. Quid est enim præter uinum in mundo, quod sic ualeat superare omnia, & huiusmodi mentem ingerere, quæ omnibus mundi potentijs & diuitijs non liceat inuerti? quam animi & sensus felicitatem, reges fortissimi comparare sibi non possunt omni substantia sua. Quid enim felicius est, quàm nulla posse infelicitate tristari? Quid fortius, quàm fortibus omnibus præualere? Quid potentius, quàm æquare omnium uirorum

fortunas? Quid optabilius quàm malorum omniam obliuiscī? Quis, inquit, sic cogitat facere, quod Lyranus per brypallagē dicit accipiendum, ut sit sensus: Quis facit sic cogitare? hoc est, quis has cogitationes administrat tam admirabiles, nisi uinum & id immodice sumptum, ut supra mensuram animum destituat usu rationis certo?

CAPVT IIII.

1 IT inchoauit sequens dicere, qui dixit de fortitudine regis. O uiri, num præcellūt homines, qui terram & mare obtinent, & omnia quæ in eis sunt?

Eodē hic secūdus sylogisandi modo rationeq; utitur, quo primus. Maxima quidem potestas est hominum in hoc mundo, qui á domino omniū creatore, Genesis primo, prælationē suscepit super pisces maris, uolatilia cœli, & bestias uniuersæ terræ, ut præsint & dominentur omnibus, ad cuius usum dominus condidit uniuersa. Omnibus autem hominibus in terra tanta potestate donatis, præfertur & dominatur rex, cui omnes obediunt homines cæteri, idq; sponte & cum reuerentia. Omnis autem huiusmodi potestas á domino deo est, cui dandum est tributum, Cæsari scilicet quæ Cæsaris sunt, & quæ dei sunt deo. Verum ut homines natura, & ratione, sapientia, et iudicio præstant animalibus cæteris: sic reges sapientia, iudicio, probitate, fide, & disciplina omnibus præstare subditis debent. Quæ nō pro natiuitatis natura regibus insunt, sed gratia & dono dei, cui se subesse debere sciant, ut suos sibi uolunt subesse.

2 Rex autem super omnia præcellit, et dominatur eorū, & omne quodcunque dixerit illis, faciunt, & si miserit illos ad bellatores, uadunt, & demoliunt montes, & muros, & turres.

Ordinatione diuina, et hominum uoluntate, fauoreq; rex omnes excellit homines cæteros, quibus eatenus dominatur, ut ad uota quælibet obsequi cogantur, & eius fauorem consequi magno habent. Quicquid quamlibet graue & arduum à rege præcipitur, hoc sponte prosequuntur & implent, etiam usque ad mortis præsentissima pericula, dū scilicet conscribuntur ad militiam obeundam pro honore regis, ad illius uoluntatem uitam expusturi pro rege, uxorem & prolem deserere cupientes, tantum ut gratificentur domino. Ad eius imperium quamlibet impossibilia obeunt, etiam si montes iubeantur dimouere & perfodere, mineras ex terræ uisceribus eruere, & ad continua pericula sese exponere, ad libidinem regis. Sic urbium muros & turres adoriri cogūtur uiri fortissimi à regibus, etiam iaculis obijciendi ac tormentis horrendissimis, cum uitæ nunquam restituendæ maxima iactura, ut ad regis arbitrium, iuxta naturā æqualis, exponere quisquam cogatur uitam, quam omnes pariter reges ne uermiculo quidē impartiri possunt, multo minus homini cuicunque.

3 Iugulantur & iugulāt, et regis uerbum non prætereunt. Nam si uicerint, afferunt regi omnia quæcunque prædati fuerint. Si militer et alij omnes, & quotquot non militant, nec pugnāt, sed colunt terrā, rursum cum fuerint metentes, afferūt tributa regi.

Grandis & dura obedientia hominum ad reges, ut dū iusserit cogātur uel occidere uel occidi, sub pœna omniū grauissima, mortis infligendæ. Ad uerbum regis quamlibet grauia obeunt officia. Ne uerbum quidem unicū omissuri, quin suo graui periculo, in bellis cōparata quæcunq; pretiosa & grata regi offerre coguntur, qui nihil laborauit, nec est quicquā periclitatus. Nec id tantū milites agunt ex prædis, sed & agricolæ, totius anni proūctum maximis laboribus procuratū, uinitores uinū, et cæteri cætera laborū emolumenta, ad arbitriū regis dispensanda offerūt, tributa pendūt, uni regi nihil sudanti, sed omnibus imperanti, etiam si ea dispensēt non raro cum multorū iniuria. Et hæc quidem omnia de facto fiūt, quo autem iure, & q̄ deo hæc cuncta placeant uel displiceāt, non hic disputatur. Tantū discimus ex necessitate faciendam uirtutē, ut quod officium præstare cogimur, id cū beniuolentia faciamus, & pro regibus oremus dominū, ut quod agere iubentur à domino, iuste agant, & sic suo obsequantur domino exercituum, ut sibi suos postulant subiectos parere.

4 Et ipse unus solus si dixerit, occidite, occidunt: dixerit remittite, remittunt: dixerit percutite, percutiunt: dixerit exterminate, exterminant: dixerit ædificate, ædificant: dixerit excidite, excidunt: dixerit plantate, plantant, & omnis plebs, & uirtutes eum obaudiunt, & super hoc ipse recumbit, & bibit, & dormit.

Cum natura omnes æquales creauerit, æque miseros ex partu, admirabile sanè est, ut uni soli regi sic pareant homines cæteri omnes, ut si iubeantur maximo malo afficere proximum quemcunq;, hoc est occidere, statim occidant. Si dixerit ut obmittant uindicare quamcunq; iniuriam, & redire in gratiam cū hoste, statim obsequi cogantur uel inuiti. Sic percutere iussi, percutiunt, & reliqua quantumcunq; grauia munia obire sine aliqua tergiuersatione coguntur. Ipse uero omnibus negotiū facessens, & imperans quicquid libet, interim otiosus & libidinosus recumbit in suis delitijs, bibit scilicet & dormit, in summa tranquillitate, si dijs placet, ut prorsus à nemine perturbetur, sed honoretur ab omnibus. Quo deniq; honore dignus habebitur à subditis, si tantum ipse pro officio á deo sibi iniuncto, subditorum commodis prospiciat & tranquillitati, ut non libidine dissoluatur, ut credat sibi quicquid libeat licere, sed totum prostare se ad salutem plurimorū, sic præesse ut uelit positq; prodesse.

5 Hi autem custodiunt in circumitu eum, et non possunt ire singuli, et facere opera sua, sed in dicto obaudientes sunt ei. Viri quomodo non præcellit rex, qui sic diffamatur? Et tacuit.

Aulicos notat & principes, cum ipsorum exercitibus, qui pariter cuncti regem ambiunt munientes, quorum præsidijs nititur, ut agant quod ille præceperit, sine

cuius iussu nullus quicquam tentat, à cuius nutu pendent uniuersi. Cuius dicto obaudiunt, ut diuinitus demisso oraculo, quasi diuinum quippiam in se habeat sic reuerentur & attendunt, ut terrestre quoddam numen. Cuius læsisse maiestatem capitale crimen est. Irritasse uero inferuus. Eius honori uel famæ detraxisse inexpiabilis sit noxa. Post hæc omnia sic præmissa, hic secundus infert ut primus, regem esse fortissimum, & eius potestati nihil esse comparandum, cuius fama & gloria late pateat per omnem regionem uel regnum. Sic finem & hic fecit loquendi.

6 Tertius qui dixerat de mulieribus & ueritate, hic est Zorobabel, cœpit loqui: Viri, non magnus rex, & multi homines, nec uinum præcellit. Quis est ergo qui dominatur eorum?

Poterat uideri primus uino fuisse indulgentior, quod tantopere laudare decreuerit. Secundus uero adulationis ambitiosæ uitio non carere, qui sic regalem fortitudinem commendarit. Hic uero tertius, tertium quidem fortitudinis specimen sic instruxit humanæ sapientiæ uerbis, ut prioribus esset æqualis in persuadendo, sed superior longe in iudicando re uera, eo quod sine omni controuersia fortius esset, & omni uitio humano careret. Mulieris enim fortitudinem magnam sic celebrat, ut ueritatis omnipotentiam omni laude superiorem solam indicasse uideretur. Is uero nominatim quis fuerit explicatur, Zorobabel scilicet filius Salatiel. Is dudũ Cyri temporibus dux eorum qui ascenderant computatur, tunc aram extrui fecerat, et templi ædificationem inchoauerat. Secundum tempus autem, teste Iosepho, dum impediretur templi extructio à Samaritis, rediit in Persidem, tunc uel maxime, quando Darium regem coronatũ audierat, à quo & corporis sui custos assumptus fuit, ob familiaritatem quam cum eo habuerat iunior, & in minoribus constitutus, simul cum filio Zorobabelis, quem secum reduxerat è Hierosolymis. Is igitur hic cœpit loqui pro sua quidem sententia magnifice, duobus æqualem in sapientia & eloquentia sese ostentans, non tamen sistens in eo quod de mulieribus dixit, sed ad ueriora progrediẽs, ostendens non se tam mulierum laudibus affici, quàm omnibus prædictis anteferre ueritatem & fidelitatem, quæ sola decet magnorum regum seruos familiares, & corporis custodes & cubicularios, minime autem amor aut admiratio uel mulierum uel uini, quæ faciunt apostatare etiam sapientes. Veritas autem perficit & commendat seruum dei, & regum omnium.

7 Nónne mulieres genuerunt regem, & omnem populum, qui dominatur mari & terræ, & ex illis nati sunt, & ipsæ educauerũt eos qui plantauerunt uineas, ex quibus uinum fit?

Fœminarũ encomium.

Primo aliorum dicta refellit, ostendens nec uinum nec regẽ aut populi multitudinem, quæ est uirtus regis, qui sine exercitu & subditis nihil potest, esse omnium fortissima, sed præstare mulierũ affectus, qui fortissimi quidem sint, ut ostendit. Nihil autẽ omnia esse comparatione ueritatis, cuius subinde dignas laudes prosequitur, quo & reliquos antecellit, quibus in prioribus æquauerat existimationem suam. Præfertur mater regis, quæ genuit regem, sine qua nihil esset iste quicunque rex gentium. Populus quoque cunctus militum & principum, è fœminis nascitur, à quibus aliti sunt & nutriti. Similiter & uinitores non nisi à mulieribus nasci possunt, sine quibus uinum non crescit, uel si crescit, uirtutis est imbecillis, & minime forte aut ualidum.

8 Et ipsæ faciunt stolas omnium hominũ, & ipsæ faciunt gloriam hominibus, & non possunt homines separari à mulieribus.

Officijs fœminarum communiter homines quamlibet uiriles & animosi carere non possunt. Vestes enim parant magnificas & mire ornatas, unde uiri superbiuntur, et gloriam aucupantur uanam, tanto effœminatores, quanto talibus magis oblectantur, in quibus quoque uicissim fœminis complacare student, tanto imprudentiores, qui uiri cum sint, & natura fortes, blanditijs & ornamentis mulierum oblectantur, eatenus, ut earundem fauori nihil præferant, qui sic mulieres amant, ut sine illarum præsentia & gratia nihil suaue ducant, nullam gloriam magnificiant, de nullo gaudio lætentur, à quibus separari non possint, sine quarum familiaritate nec uiuere cuperent.

9 Si congregauerint aurum & argentum, & omnem rem speciosam, & uiderint mulierem unam bono habitu, & bona specie, omnia hæc relinquentes in eam intendũt, & aperto ore conspiciunt, & eam alliciunt magis, quàm aurum & argentum, & omnem rem speciosam.

Externa quidem & naturalia bona sunt, ex hominum opinione accepta, & pretiosa, plurimumq; dilecta, aurum, argentum, & gemmæ, & cætera quædam huiusmodi speciosa & grata. Sed horum omnium nulla est comparatio ad affectum et amorem naturalem et genuinum uiri ad fœminam. Quam inter quæcunque pretiosissima spolia, bonæ complexionis & constitutionis uir, omnibus reliquis anteponit, & eam eligit relictis cæteris omnibus, maxime id quidem, si honesto habitu & decoranti forma eam conspexerit adornatam. Est enim ea (quæ) mor & gratia connaturalis & intima, quam & si res uilissimis pagulis & caputijs imò & ieiunijs uel uigilijs incelebres obtegere & refrenare uelis, reclamante genio nihil efficeris, sed magis dolorem & naturæ uiolentiam exasperabis. Huius rei testem alium uix certiorem adducere licebit, quam ipsum maxime huius affectus dissimulatorem, & castitatis celebrem prædicatorem, Diuum Hieronymum, qui & in epistolis ad sacratissimas suas uirgines, Eustochium & alias reticere non potuit. Sed de his alij & aliàs loquuntur & scribunt. Viri li certè præditus animo & bene constituto corpore, omnia potius dissimulare & relinquere potest, quàm affectum fœminarum, quarum primogenitã, ea ratione costa uiri formauit. Ideoq; tales omnia reliqua leuius deserere possunt, & spernere citius, quàm mulierem.

Qua

Quin inter maxima triumphatorum spolia, nulla duiditus ab honestis uiris arripiuntur, quàm si contingat pulchræ mulieris forma, quam aperto ore conspicientes arrident, et gratificari potius student ei, quàm ulli rei quã libet speciosæ & pretiosæ. Sic enim condita est natura humana à domino.

10 Homo patrem suum relinquit, qui enutrit illum, et suam regionem, & ad mulierem se coniungit. Et cum muliere remittit animam, & neque patrem meminit, neque matrem, neque regionem. Et hinc oportet uos scire, quoniam mulieres dominantur uestri. Nónne doletis?

Nec is affectus utriusque naturæ improbus est, si ea lege reguletur, quam præcepit omnium rerum & humanæ constitutionis conditor optimus & sapientißimus, quæ est lex matrimonialis charitatis, qua unus unæ copulatur syncero affectu, & dilectione sacra, ad prolis generationem ordinata, & à domino reformata. Pro hac enim charitate & gratia, homo relinquere potest & negligere parentes, qui illum genuerunt & enutrierunt, ut adhæreat uxori, quorum parentum amicitia maior nulla est, sicut & patriæ dilectione, quã et ipsam relinquit, ut uxori gratificetur. Nec id solũ, sed & domi ac secum existens, si pro negotijs sæcularibus & domesticis inciderit uir tristitiam animi, eandem mox gratiosa uxor remittit & recreat, sibiq; restituit, hilarem animum reddit, de huius mundi fortunis cæteris gaudentem reddit, & omnium calamitatum immemorem, ut nec patrum amicitia, neque patria dulcis in mentẽ uenit, pro qua uitam & fortunas prodere solent homines etiam multũ cordati. Ex huiusmodi communibus locis tandem concludit, certum oportere admitti, mulieres dominari principibus prouinciarum, sapientißimis regibus & monarchis. Eleganter autem addit & gratiosè, Vos tanti uiri, nónne audire æquis hæc potestis auribus, qui dominatores estis terreni orbis, ut uestri dominentur mulieres? Nõ solum non negatis, nec turbamini, sed nec quicquã dolenter sustinetis, quin exultatis potius, et æquis animis hæc uobis dici sustinetis.

11 Et accipit homo gladiũ suum, & uadit in uiam facere furta, et homicidia, & mare nauigare, & flumina, & leonem uidet, & in tenebris ingreditur, & cum furtum fecerit, & fraudes, & rapinas, amabili fuę affert.

Parum fortassis sit mulieri uxori syncere affici, & honesto conuictu sibi de amore nõ indigno gratulari, quin & pericula omnia et grandia ualde subit uir, non prorsus insanus, in gratiam amicæ, uel etiam uxoris. Quam ut nutriat, & sibi ex animo conciliare possit, nullum sub terfugit negotium, quamlibet difficile uel periculosum. Nõ patitur egestatem consortis, multo minus quàm propriam, pro qua leuanda, gladium arripiens uadit ad cor radendum necessaria, etiam si id furto & homicidijs sit parandum. Nec maris infortunia expauescit, nec flumi-

num transfretationem. Leonum quoque furor & rugitus non terret, quo minus necessaria & grata uxori assequatur & domum referat, parta magnis periculis honoris & uitæ. Tenebras horrendas aggreditur, nihil timens, tantum ut gratificetur uxori. Honorem, famam, et uitam prostituere audet, propter mulierem in amicitia conseruandam, ubi alia uia non licet. Sic habet naturalis conditio inter uirum & fœminam. Qualia, autem fœminæ probæ in gratiam maritorũ egerint & tulerint, plura extant exempla, quæ in huius loci tractationem alius colligere potest, nos breuitati studemus.

12 Et iterum diligit homo uxorem suam magis, quàm patrem aut matrem. Et multi dementes facti sunt propter uxores suas, & serui facti sunt propter illas, & multi perierunt & iugulati sunt, & peccauerunt propter mulieres,

Repetitio est ualidißimi argumenti, ad maiorem asseuerationem. Eius certè quod nemo ignorat, ut ob uxoris amorem pater & mater obmitti possint, amicorum omnium maximi. Et ob uxores per zelotypiam uel alia occasione multi dementẽtur mariti, multo plures ob fœminas iugulentur. Late hæc patent historijs multis sacris & prophanis. Quantum Salomon dilectus quoque domini propter mulieres peccauerit, satis liquet ex sacris literis. Et homo secundũ cor dei Dauid sanctißimus, quid egit & passus est ob uxorem Uriæ? Quid sanctificatus Samson ex utero? Sine fine erit narratio huius generis historiarum. Quid Iudith & Hester? quid Troianorum Helena potuerunt? &c.

13 & nunc credite mihi, quia magnus est rex in potestate sua, quoniam omnes regiones uerentur tangere eum. Videbam tamen Apemen filiam Bezacis mirifici, concubinam regis sedentem iuxta regem ad dexteram, et auferentem diadema de capite eius, & imponentem sibi, & palmis cedebat regem de sinistra manu, & super hæc aperto ore intuebatur eam, & si arriserit ei, ridet, nam si indignata fuerit ei blanditur, donec reconcilietur in gratiam.

Vtcunque maximus sit rex noster Darius, tot prouincijs imperans, & omnium principum sapientißimus, equidem ex Magis assumptus in regnum, ut eius iustitiã sapientiam & potentiam uereantur omnes nationes regionum omnium, quem honorant ut dominum et monarcham orbis, quo maior nõ extet inter homines. Is tamen talis & tantus, patitur sed á muliere nonnihil dehonestari, & id cum risu excipit, quod ab alijs admissum capitale esset & exiciale. Vidi ego familiarior regi & cubicularius, concubinam regis Apemen nominatam admirandi & illustris domini Bezacis filiam, sedentem ad dextram regis, quasi loco regi superiorem, cum honoris gratia ad sinistram sedere debuerat. Eam quoque auferentem uidi diadema de capite regis, & sibijpsi per lusum imponentem, quod ab alio quocunque tentatum, ut læsæ maiestatis crimen habitum & punitum fuisset. Nec

id ſolum, ſed et ſiniſtra manu regem percuſſit in faciem, quod quis in mundo uir qualiſcunq; auſus fuiſſet? Tantum autem aberat ut iraſceretur et repercuteret, uel quo modocunque indignaretur, quod etiam aperto ore, hoc eſt poſt hæc omnia effuſus in riſum benigniſſime excepe rit, & hilariter intuitus fuerit, quandoquidem adamabat illam, & affectu uehementi illius frueretur amicitiæ. Si eidem regi tanto fœmina arriſerit ridet et ipſe, gratulaturq; ſibi plurimum de gratia & fauore fœminæ, ut magnifaciat ipſius beniuolentiam & blanditias. Quas ſi negare præſumat fœmina regi, & indignari uideatur, ſolicite curat, & ſtudet ut omnibus illam modis reconciliet & gratiam imploret, blanditur uerbis, factis, & muneribus, non ceſſans, donec eam ſenſerit ſibi placatam, & redijſſe in gratiam. Et hæc regi fiunt, ſic monarchis fortiſſimis imperãt mulieres. Quid alijs in mũdo fortibus accidat, ipſi abſque me fateantur. Hæc ego uidi apud regem. Qui hæc de ſe uideri, credi, et dici non fert indigne, minime erubeſcit, nec iraſcitur dicenti, multo minus quàm facienti, placet enim etiam illi, ſic ſe rem ipſam habere.

14 O uiri, cur non ſunt fortiores mulieres? Magna eſt terra, & excelſum eſt cœlũ, quis iſta agit? Et tunc rex, et purpurati intuebantur in alterutrum.

Colligit ex multis prædictis, certiſſimum haberi penes omnes, fortiores eſſe uino & regibus quaſdam mulieres, quod tamen non ultimo intendebat, ſed ad præcedentium opiniones refutandas inductũ erat, ne putarentur ueriſſima dixiſſe, & uiciſſe in hac diſputatione. Id uero ſubindicat ſequentibus uerbis, quaſi dicere uoluerit, Forte quidem uinum, fortis potentia regis, fortior autem his mulieres probantur. Sed nondum fortiſſimum quid ſit audiuimus. Fortius eſt enim quicquid id ſit, quod hæc omnia per ſe agit, quod & ipſum, omnia cum regat, terram & cœlum, unde hæc omnia cauſantur: id quidem fortiſſimum eſt, de quo conſequenter ſum æque clara, & ueriora dicturus, ſi audire placuerit. Vnde & ſeſe propter hæc uerba intuebantur primores regni, & rex ipſe, contradicere non audentes, & audire de hac re plura cupientes, quid hæc omnia ſuperet fortitudine ſua.

15 Et inchoauit loqui de ueritate. O uiri, nónne fortes ſunt mulieres? Magna eſt terra & excelſũ eſt cœlũ, & uelox curſus ſolis, cõuertit in gyro cœlũ in locũ ſuum in una die. Nónne magnificus eſt, qui hæc facit?

Regem tantum & purpuratos alloquens, uiros tantum cognominat honeſtiſſimo epitheto, à maſcula uirtute, conſtantia, prudentia, & ſapientia, hodie nemo ſatis epithetorum aceruare poteſt, in principum aulis. Concludit, ſe reliquos ſocios ſemel uiciſſe de fortitudine diſputantes uini & regum, quandoquidem comprobauerit ipſis atteſtantibus, et uel ſilentio conſentientibus iſtis mulieres fortiores eſſe. Adhuc tamen ex abundanti uincere ſe reliquos uelle, & ſeipſum, oſtendendo his omnibus prædictis aliquid in mundo fortius, illud ſcilicet ens entium, quod mundum regit uniuerſum, terram ſuſtinet, & agere facit quicquid agit. Quodq; latiſſimum et altiſſimum cœlum manu ſua ſic continet, ut regat illud ad ſuum arbitrium, cui & omnem uirtutem quam habere comprobatur, communicat, & concedit, quod uaſtiſſimum iſtud cœlum, uelociſſimo curſu circumuoluit quotidie ſpacio temporis breui, uigintiquatuor horarum, quæ conficiunt diem naturalem, ut neceſſe ſit eum qui tanta facit uirtute ſua fortiſſimum eſſe, & incomparabiliter fortiorem mulieribus, regibus, & uino. Iſtis autem uerbis fideliſſimus Zorobabel, in lege domini doctiſſimus, & in timore & cultu dei fundatus, docere intendebat non tantopere admirandas eſſe quaſcunque creaturas, ſed ex ipſarum uirtute, bonitate, pulchritudine ſurgendum animo in admirationem, dilectionem, & reuerentiam, cultumq; conditoris omnium & omnipotentis dei. Id eſt enim officium hominis ſapientis, inquirere non tantũ quod bonum, ſed cauſam et originem bonorũ, non ſic creaturas reuereri, ut creatoris obliuiſcamur, cui ſoli debetur omnis laus, honor, gloria, & gratiarũ actio. In hoc autem ſtudio defecerunt ſemper ſapientes huius mundi, ut toti fuerint in creaturarũ cultu, creatoris magnificentiam & gratiam nihili habentes, & nunquam cogitantes. Ideo hic ſubiungit, Magna quidem hæc omnia, ſed lõge magnificentior eſt qui hæc omnia fecit.

16 Et ueritas magna, & fortior præ omnibus. Omnis terra ueritatem inuocat, cœlum etiam ipſam benedicit, et omnia opera mouentur & tremunt eam, & non eſt cum ea quicquam iniquum.

Erant omnes iſti principes cum rege ſuo multorum deorum, hoc eſt idolorum cultores, & unitatẽ dei penitus abhorrentes, etiam ſi dominum deum iſraẽlis omnipotentem agnoſcere inciperent, nolebant tamen eum ſuis idolis anteferre. Semper enim certamen inter idolorũ cultores erat, quod illorũ uideretur maius. Ideo uidetur hic fidelis unius dei ueri cultor Zorobabel, nõ quidẽ manifeſte ſuum dominum deum fateri fortiſſimum omnium deorum hoc nomine, ſed alio aliquo æquiualente nomine, quod æquioribus auribus percipi poſſet, & tamen idem probaret quod illis cupiebat perſuaſiſſimum fieri, unius enim domini dei ſui cultum cupiebat anxijs uotis promoueri, & gloriam omnipotentis dei diſſeminari in orbem, quod futurum olim minime dubitabat, ſed tempus neſciebat. Agebat tamen quod poterat bono modo, ſecundum loca, tempora, & perſonas, deum iſtiſmans uerum, unum, & ſolum, quem hic illis nominat uerũ atem ipſiſſimam, prophetico more, ſecundum quem idola omnia dicuntur ipſiſſima falſitas & merum mendacium. Interim quoque eum ſignificans, quem uniuerſa ſacra ſcriptura prædicat, cui teſtimonium perhibet, quæ eius ueritatem, iuſtitiam, potentiam, bonitatem perfectiſſime prædicat, quam ueteres Hebræi אמת, id eſt ueritatem nominant, quæ principium medium et finem omnis ueritatis explicat, quemadmodũ litera א prima eſt omniũ, ſicut ת ultima reliquarum, quarum ב media intenditur. Intelligit ergo per ueritatem hanc omniũ fortiſſimã, dominũ deum, quem ſacra prædicat uniuerſa ſcriptura.

Qui

Qui æque ueritas dici potest sicut & entitas, charitas, et bonitas, à quo omnia habẽt esse, intelligi, agere, prodesse, & posse. Hæc, inquit, ueritas magna est, hoc est omnium maxima, fortißimáq; quæ omnia potest, agit, perficit, & conseruat. Omnia quæ in terra conuersantur, homines, animalia, uiuentia quomodocunque, hanc inuocant ueritatem, hunc deum uerum agnoscunt. Cœlum ipsum iuxta omnẽ influentiam suam cum benedicit, hoc est iuxta eius uoluntatem agit & operatur omnia, penetrat in esse & operari ab ipso. Sine ipso nihil est quod fiat operatur. Qui deus sicut ueritas est & bonitas, ut odiat quicquid est malum et falsum: sic occasionẽ semper sancti habent & inueniunt loquendi de eo quem diligunt, prædicandi creatorem suũ, quem semper cogitant, plandi quod rectum et iustum, docendi quoque ueritatem quam unice uenerantur.

17 Vinum iniquum, iniquus rex, iniquæ mulieres. Iniqui omnes filij hominum, & iniqua illorum omnia opera, & non est in ipsis ueritas. Et in sua iniquitate peribunt, & ueritas manet & inualescit in æternum, & uiuit, et obtinet in sæcula sæculorum.

Comparatio prædicãtium.

Ad iniquitatem multipliciter occasionem præstat uinum immodice sumptum, si illi permittatur dominium. Reges dum de sua maiestate superbire incipiunt, & sibi putant licere quæ libent, nemine contranitente, fiunt ut plurimum iniqui, degenerant in tyrannos, & oneri fiũt hominibus quos gubernare oportebat. Amor quoq; nimius & inordinatus mulierum maxima mundo & regnis mala conciliauit. De mulierum malitia facilius est tacere quàm sufficientia loqui. In summa autem, Omnes filij hominum iniqui sunt, quia sui amatores, & ab infantia procliui ad mala, impotentes autem ad omne bonũ, sine auxilio dei & ueritatis studio. Omnia hominum opera sine exceptione bona nõ sunt, sed mala, quãdo et iustitiæ hominum immundæ sunt, & defectibus magnis non carẽt. Firmum, perfectum, rectum per omnia & sine neuo uel malo nihil fit ab hominibus etiã iustis. Omnes enim declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est usque ad unum. Veritas nõ est in hominibus, quia omnis homo mendax. In qua iniquitate sua omnes perituri sunt homines, non nisi aliena iustitia redimendi & saluandi, Christi domini nostri, qui solus est sanctus & sanctus sanctorũ, uia ueritas et uita nostra, iustitia & sanctificatio nostra, qui semper manet à creatione mundi, & donec steterit humanum genus, ipse solus omnium hominum salus est & redemptio. Cuius regnum & potestas manet & inuale scit in æternum. Qui cum patre et spiritu sancto uiuit et

18 regnat unus deus in omnia sæcula sæculorum.

Nec est apud eã accipere personas, neq; differentias, sed quæ iusta sunt facit omnibus, iniustis ac malignis, & omnes benignãtur in operibus eius. Et nõ est in iudicio eius iniquum, sed fortitudo, & regnum, & potestas, & maiestas omniũ æuorum, Benedictus deus ueritatis. Et desijt loquendo.

Nulla apud deum, qui ueritas est ipsa, & omnia gubernat, locum habet acceptio personarum, nulli quicq; debet, omnes habet obnoxios et obligatos, omnes de una iniquitatis massa sine differentia, gratia dei ex æquo indigentes. Nulli facit iniuriam, peccare non potest, cuius uoluntas est regula ueritatis & iustitiæ. Is facit quæ iusta sunt omnibus. Iuste etiam agit cum iniquis, digne tractando, malignitati eorũ pœnis idoneis occurendo, bonos autem & pios immensis quotidie beneficijs afficiendo, quod hic benignari dicit, quæ me certè locutio non multum offendit in sacris, quanquam maluissem aliter dictum, nempe omnes beneficia sua sentiũt. In omnibus suis operibus satis liquet dei bonitas, & benignitas, cum sit uoluntas eius inobliquabilis, quia regula & gnomon omnis iustitiæ & ueritatis, ideo nihil iudicare potest iniquè. Eius autem iustitia, ueritas, bonitas, potẽtia, regnũ, & maiestas, durat per omnia sæcula sine fine in æternũ. Omnipotens est ergo deus & omnium fortißimus, imò omnium fortium fortitudo. De quo quandocunque inciderit sermo, semper cum laude & digna ueneratione nominandus est. Id quod Hebræi religiosè obseruãt, nõ male, si tam corde dominum appretiarentur & eius gloriã zelarent, ut uideri uolunt in uerbis suis, maxime autem in scripturis. Vnde & hic author, de deo ueritate, qui solum ueritas est & potentia, bonitas & sanctitas, finem loquendi facturus addit, Benedictus deus ueritatis: et desijt loquendo.

19 Et omnes populi clamauerunt & dixerunt. Magna est ueritas & prævalet. Tunc rex ait illi

Nemo tam rationabili & perspicuæ orationi iuxta cõmunẽ sensum reclamare potuisset. Insinuat se ueritas mẽtibus omniũ hominũ quam nemo nõ agnoscit, sed non omnes appretiãtur, nõ omnes diligunt, nõ omnes confitentur, maxime uero magnates raro ueritatẽ amant, ideo raro audiunt, ut quãto sunt animo fastuosiores, et de sua propria scientia magis præsumentes, tanto minus intelligunt ueritatẽ. Vnde et non dicitur hic regẽ & purpuratos confessos & celebrasse ueritatẽ, sed populos conclamasse & dixisse, Magna est ueritas. Aptior enim uulgus hominũ ad ueritatis confessionẽ quàm primores, & huius mundi potentes, qui amant sibi non ueritatẽ dici, sed magis placentia. Accipit ergo testimoniũ ueritatis sermo uerus à sensu cõmuni, qui uiget magis in pie simplicibus quàm in sæculariter sapientibus. Rex autem ut omnium religiosior & sapientior, & à spiritu dei familiarius dirigendus, cuius cor est in manu dei præ alijs, is statim in sententiam populorũ concessit, & de sapiẽtiæ præmio iusto magnifice reddẽdo cõsultare disponit. Veritas clara.

20 Pete, si quid uis amplius, quàm quæ scripta sunt, & dabo tibi, secundum quod inuentus es sapiẽtior proximis, & proximus mihi sedebis, et cognatus meus uocaberis.

Liberalitate sua, quæ maxime decet reges ad suos fideliſsimos seruos, cogitat plura rependenda quàm promiserat, intelligens nihil sibi & regno magis prodesse, quàm si colatur ueritas quàm digniſsime, et maxime om

nium conseruetur & ametur, siue ea ueritas intelligatur fides & iustitia, siue omnia in omnibus agens deus omnipotens, qui est deus ueritatis: qui ut maxime diligit uerũ iustum & bonum, sic maxime auersatur falsum, iniquũ, & impium. Idipsum & pro officio maxime decet seruos dei, & eos qui sub domino præsident hominibus, unde digne exigit, ut plura postulẽtur à fideli seruo, qui tanti fecerat in suo corde & instituto ueritatem, cui se & sua tutissime poterat credere, paratus plura dare quàm promiserat, quia sapientissimum compererat, uolens ipsum habere proximum honore & gratia, consilijs & utilitatibus. Quem & consiliarium & cognatum habere cupiebat. Sic decet sapientiam, fidem, ueritatem, iustitiam & constantiam amari & honorari à regibus. Id illis iugiter à familiaribus persuadendum, tanquam maxime gloriosum.

21 Tunc ait regi, Memor esto uoti tui quod uouisti, ędificare Ierusalẽ, in die qua regnũ accepisti, & omnia uasa quæ accepta sunt ex Ierusalem, remittere, quæ seperauit Cyrus quando mactauit Babyloniam & uoluit remittere ea ibi.

Nihil impensius cupiebat pijssimus Zorobabel, quàm honorem dei, maxime quidem Hierosolymis promouendum, propter quod & primus ascenderat sub Cyro, & pro omni uiri li sua instéterat ad ædificationẽ altaris primum, deinde ad fundationẽ templi, donec licuit per Cyri gratiam, qui postquam prohibuit, & consequentibus annis uidit nihil sperari posse, redijt ad curiã regis Persarum, & opportunitatem expectauit obtinendi indulgentiam resumendi opus, quam nunc arripit multa fiducia, & fide perfecta, uerissime agens & pro gloria dei, quam nunc cœperat nõ paruo cum fructu prædicare, in primis autem regi, quem iam uidens prouidentia dei beniuolum ad se munerandũ regni munificentia, nihil gloriæ temporalis uel diuitiarum corporaliũ præposuit gloriæ dei, & cultus diuini successui felici. Vt erat religiosissimus princeps, sic in tempore alloquitur regem: Si honorare sapientiam decreuisti, et eam tantis dignã præmijs arbitraris, ante omnia illius opertet te considerare bonitatem, qui omnibus largitur sapientiam, á quo omne bonum desursum datur, patre scilicet luminum, quem pro sua uolutate melius colere & honorare non potes, quàm si ueritatem diligas, attendas, & conserues, eidem sic cultum instituas ut meretur. Serues ei quod nuper regno inauguratus uouisti, ædificare scilicet templum Hierosolymis, quod hostes tui olim Babylonij uastauerunt. Vasa pretiosa dño deo sacra et dicata restituere, exemplo felicissimi præcessoris tui olim Cyri, ut quæ ille agere et perficere instituerat, sed neglexit cum suo infortunio, hoc tu nunc ad felicitatem tuã implere studeas, quod iam ante promisisti, & colere non tam ueritatem, quàm dominum ueritatis & ipsissimam ueritatem.

22 Et tu uouisti ædificare templũ, quod incenderũt Idumęi, quando exterminata est Iudæa à Chaldæis, nunc hoc est quod postulo dñe, & quod peto, hoc est maiestas, quod à te postulo, ut facias uotum quod uouisti regi cœli ex ore tuo.

Quandoquidem Idumæos non tantum Iudæi semper ut perpetuos hostes suos exosos habuerunt, sed etiã Persæ & Medi & Babylonici: ideo nunc templi sacratissimi subuersionem nõ alijs imputat quàm Idumæis, quandoquidem isti in obsidione & euersione urbis & templi, maxima causa fuerant, & incitatores ad gentis Israelitice exterminationem, quam semper fatali odio sunt prosecuti, à tempore Mosis & Dauidis & Iosaphat. Hos nũc accusat fermè solos, illis imputat infelicitatem Iudææ nationis & terræ, excidium domus domini, & sacri diuini cultus intermissionem: nõ Babylonijs, quamquam id egerint, sed instinctu Edomitarũ, qui uicinjores erant, & Iudæis infestiores. Nihil ergo dignius fideiussore maiestati tuæ à te postulare possum, quàm dominũ deũ tuum, uniuersorũ potentiam & fortitudinem, á quo pendet regnum tuum & felicitas, agnoscere, colere, & honorare digneris, non mihi sed domino honorem præstare. Et ueritatem in promissis tuis præstare, quam unicuique exigit à cultoribus suis, ut templum extrui facias domino deo, & regi cœlesti, sicuti uouisti ei. Id omnibus meis uotis præpono, id unice precor, & à te fidelis illi & tuæ maiestati seruus postulare debeo.

23 Tunc surgens Darius rex, osculatus est illum, & scripsit epistolã ad omnes dispensatores, & præfectos, & purpuratos, ut deducerent eum, & eos qui cũ illo erant, omnes ascendentes ædificare Ierusalem.

Cor regis cum sit in manu domini, nõ mirum est tam uelociter conuersum eum ad cultum dei, & ad externa huiusmodi officia, quæ etiã à prophanis deferri possunt, ædificare tẽpla, largiri munera magnifica á subditis exacta, osculari quoq; honesta monentem, scribere epistolas ad proceres regni, ut Zorobabelem cum amicis deducerent, & adiuuarent redeuntem ad sua. Vt autẽ hæc externa fuerint, tamẽ necessario præmittenda erant, & isti populo plausibilia, promissa à domino per prophetas, quæ hac uia implenda erant, ut non tantum templum sed & ciuitas cum tempore reædificaretur, qualis status ueteris populi usque ad suum tempus conseruari debebat, donec Christus ueniret, qui cultum dei docere inpendendum in spiritu & ueritate ubique terrarum.

24 Et omnibus præfectis qui erãt in Syria, & Phœnice, & Libano scripsit epistolas, ut traherent ligna cedrina à Libano in Ierusalem, ut ædificarent cum eis ciuitatem.

Postulauerat Zorobabel hac uice nõ aliud quàm templi sacrosancti reædificationem liberam, quam non solũ Darius sponte permittit, sed & insuper de urbis extructione mandat præfectis illis, qui prius authores fuerãt, non tantum demolitionis, sed & cessationis nuper instructione templi, falso & infideliter accusando Iudæos quasi perfidos & rebelles, ut dictum est. Incolentibus montes Libani rex mandauit de lignis excindendis pro necessarijs ædificijs templi & urbis, unde perferri opportune poterant per rates ad Ioppen, & inde deferri Hiero-

Hierosolymã, ut sic regis nomine urbẽ Syri cũ Iudæis ædificare studerent, quam dudũ eisdẽ destruxerant manibus.

25 Et scripsit omnibus Iudæis qui ascendebant à regno in Iudæã pro libertate, omnẽ potẽtem, & magistratum, & præfectũ non superuenire ad ianuas ipsorum, et omnẽ regionem quã obtinuerãt esse immunẽ eis,

Edicto publico scripsit rex Darius à domino inspiratus emunitatem Iudæis & libertatem, cum Zorobabel ascendentibus in Iudæam, ut non grauarentur exactionibus publicis, ut aliæ nationes, sed insistere possent extructioni templi & urbis, ad honorem omnipotentis dei, cuius hos homines deuotos iam cultores esse intelligebat, qui præ alijs gentibus odiendi & grauandi non essent, qui fidem seruarent domino deo suo, ueritatis maximæ mundi gubernatricis deuotißimi cultores, & appretiatores essent. Sic enim æstimabat socios generis sui omnes iuxta iustitiam Zorobabelis, arbitratus omnes esse eiusdem professionis & instituti, qui nullis incommodarent regibus, sed tranquille habitarent in regno, ueritatis amatores et fidei, quibus mundi status consistit & optime habet, quæ & dominus deus in primis exigit, & iudicare conspicitur dure earum contemptores.

Emunitas ab exactiõe

26 & Idumæi relinquant castella quæ obtinent Iudæorũ, & in structurã templi dare per singulos annos talenta uiginti, usq; dũ perædificaretur & super sacrariũ holocausta hostilare quotidie, sicut habẽt præceptum:

Proximi Iudæis erant Edomitæ, Moabitæ, & Ammonitæ, qui hoc tempore omnes dicti uidentur Edomitæ, sicut & interim omnes Romano imperio olim subiectos Edomitas Iudæi nominant. Ii autem populi uicini ab ortu & austro, Iudæis uel Israelitis semper infesti, primi erant impugnantium & diripientium sibi non tantum hominum & substantiarum spolia, sed etiam terras, urbes, castra, & quicquid proximum assequi poterant uiolenter occupabant, tam ultra Iordanem & mare mortuũ, quàm citra in tribu Iuda & alijs, ut satis liquet ex historijs & propheticis libris. His omnibus rescribit Darius ut iniustè occupata non sua, Iudæis requirentibus & repetenti bus restituant. Insuper ad impẽsas templi quotannis dent uiginti talenta, numirum argenti non auri, nec tantum ad ædificium sed ad iuge sacrificium continuandum domino deo cœli, illa expendantur, ut ustulentur uel pro hostijs sacrificentur, legitima animalia, secundum legem dei: quod aliqui codices habent hostilare, quod alibi non legitur.

Hostes Iudæorum.

27 alia talenta decem offerre per singulos annos, & omnibus qui procedunt à Babylonia condere ciuitatẽ, ut esset libertas tam ipsis quàm filijs eorum, & omnibus sacerdotibus qui procedunt.

Eisdem gentibus iniungit quotannis dare talenta decem, eis qui ab exilio redeunt in proprias possessiones, iam ab hostibus illis direptas & occupatas, unde tanto tempore sibi aliena rapuerant, & in usum suum indigne usurpauerant, quæ nunc partim reddere iuste præcipiuntur à rege. Libertas à rege conceditur Iudæis, & deuasta tam dudum regionem denuo instaurare aggredientibus multo labore, destructa ab hostibus, qualis ad tempus conceditur noualia resuscitantibus & urbes ac castella reædificantibus, ut libertate aliqua fruantur, quo sint diligentiores ad laborandum, & ut expensis non nimium grauentur, quo tandem regibus prouentus amplior cedere possit. Omnibus autem in gentibus ab æuo libertas permissa est doctoribus & sacerdotibus, sacrorum scilicet curatoribus, sine quibus homines in pietate uera & tranquillitate, iustitia & æquitate, conseruari nequeunt, ut patet satis ex omnibus historijs, tam sacris quàm prophanis. Sacerdotes quoq; præcedere dicũtur doctrina, exemplo, dignitate, honore populum.

Libertas Iudæis reddita.

28 Scripsit autem & quantitatem, et sacram stolam iussit dari in qua deseruirẽt, & Leuitis scripsit dare præcepta, usq; in diem qua consummabitur domus, & Ierusalẽ extruetur, & omnibus custodientibus ciuitatem, scripsit dare eis sortes & stipendia.

Certam quantitatem annonæ iußit dari sacerdotibus, pro se & familia sufficientem, ut officio suo legitime possint insistere. Sacra autem stola intelligitur omnis uestitus sacer pro summo pontifice, cum reliquis sacris indumentis, quæ regis mandato parari iubentur ex regijs censibus. Leuitas quoq; iußit secundum præcepta dei ministrare in suis ordinibus. Hæc autem omnia iuxta stipẽdia ex tributis, quæ alioqui regibus danda fuerant, donec omnia extruantur ædificia sacra, cum urbe & ædibus publicis, ad magnificentiam regis & ad honorem dei, sed & omnibus officialibus publicis, qui nomine regis præerant plebi, dabantur præmia & stipendia ex ærario regis, ex mandato ipsius, prout cuiq; opus erat.

Sacerdotũ prouisio.

29 Et dimisit omnia uasa quæcunq; separauerat Cyrus à Babylonia, & omnia quæcunq; dixit Cyrus & ipse præcepit fieri, & mitti Ierusalem.

Cum Babyloniam cœpisset Cyrus, omnia abstulit pretiosa inuenta tam in regum palatijs quàm diuorum templis, unde & contigit uasa domus domini olim è Hierosolyma Babylonem translata abducta fuisse in Persidem. Ea autem uasa sacra pretiosa cuncta remitti rex iubet, quæ olim Cyrus quidem iusserat reddi, sed interueniente accusatione Samaritanorum, non fuerat obtemperatum per omnia, mutata sententia regis usq; in hoc tempus, cum secundo Zorobabel mittitur.

30 Et cũ processisset ille adolescens, eleuans faciem in Ierusalem, benedixit regem cœli, & dixit: Abs te est uictoria, & abs te est sapiẽtia & claritas. Et ego seruus tuus sum. Benedictus es qui dedisti mihi sapientiam, & tibi cõfitebor domine deus patrũ nostrorũ.

Adolescens dicitur largo loquendi modo, quod nondum esset senex, sed circiter quadraginta annos, dum adhuc uiribus maxime polleret, quando & ad octoginta annos frequenter & ad grandæuorum ætatem Iudæi per

Ducis pietas.

ueniebant. Is autem pius dux populi nihil magis habebat in uotis, quàm gloriam & cultum dei, quem præ omnibus toto corde zelabat, unde & primum intuitus Hierosolymam ciuitatem dei, & sanctorum prophetarum patriam, iam secundo rediens cum fauore tanto regis, bene dixit non alium quàm regem regum, qui in manu sua continet unuersa, qui dominus est dominantium, à quo solo cuncta bona procedunt, qui largitur uictorias, & cor regum pro suo arbitrio gubernat & mutat, qui sapientiam donat ex gratia quibus fauet, & uires ea legitime utendi administrat, cuius bonitas & sapientia sola glorificanda est, cui soli se seruum addixit, cuius gratiam præposuit regnis & sedibus, qui in omnibus solus est benedicendus, tanquã fons & author ueræ sapientiæ, quem & solum adorauerunt sancti, fidelium patriarchæ, cui soli acceptam refert gratus sapientiam suam, qua deus quoq; usus sit ad suam gloriam, ut qui glorietur in domino glorietur.

31 Et accepit epistolas, & profectus est in Babyloniam. Et uenit & nunciauit fratribus suis omnibus qui fuerunt in Babylonia, et benedixerunt deum patrum suorum, quoniam dedit illis remissionem & refrigeriũ, ut ascenderent & ædificarent Ierusalem, & templum ubi nominatum est nomen eius in ipso, & exultauerunt cum musicis & lætitia diebus septem.

De redeuntibus Hierosolymam.

E Perside Babylonem profectus scribitur, postquam scripserat oculis conspexisse Hierosolymam, ut intelligamus simplicitatem authoris, ne quid ad rigorem nimium exigere uelimus. Exiens enim à conspectu regis Darij, curauit epistolas conscribi, & ratificari priuilegia, authoritate principum prouinciæ, quibus paratis & assumptis, comites suos collegit, quibus de uoluntate regis satisfacere coactus est: qui ut parati fuerunt in Perside primum arrepto itinere ab orientali plaga uersus occasum Babyloniam festinarunt, in qua prouincia supererãt plurimi, qui nondum redire in Iudæam ausi fuerant. Audientes autem & uidentes beneplacitum regis, benedixerunt deum patrum suorum, qui inclinasset cor regis ad hanc gratiam faciendam populo Israelitico, ad dandum remissionem & refrigerium exulibus & captiuis, ut liceat uolentibus ascendere in Iudæam, proficiscendo adhuc magis partim ad occasum solis, partim ad Austrum. Qua uia peruenientes ad conspectum Ierusalem, Zorobabel cœpit benedicere regem cœli, ut diceret: Abs te est ô deus uictoria, & abs te est sapientia & claritas, & cætera iam præscripta. Peruenientes autem Hierosolymam, ædificare cœperunt urbem & templum. Vbi iterum ordo inuertitur: cum primo templum restituerint: deinde domos pro habitationibus ciuium: tandem ciuitatis muros & portas cum turribus, cum ipso Neemia, pluribus enim hæc omnia annis confecta sunt, & à pluribus. Exultationem autem hic factam cum musicis & lætitia aliquot diebus, intelligi posset de ultima tandem dedicatione urbis, & de dedicatione templi. Idq; sæpius actum legitur, tam hic quàm in libris Esdræ primo, & Neemiæ.

CAPVT V.

1 POst hæc aũt electi sunt, ut ascenderent principes pagorũ per domos, & tribus suas, & uxores illorum, & tribus suas, & uxores illorum, & filij & filiæ eorũ, & serui & ancillæ ipsorum, & pecora illorum.

Non post aduentum Zorobabelis in Ierusalem acta sunt quæ hic scribuntur, sed cum ex Babylonia accepta licentia ad hæreditates suas redire in patriam deliberarent. Tunc enim non quidem electi sunt qui ascẽderent, sed electi qui ascensuris præessent, & omnia legitime ordinarent, secundũ primores in familijs & tribubus suis, omnes cum suis pariter uxoribus & prole, & familia seruorum & ancillarum, cum pecoribus & iumentis, suas possessiones perferentibus. Iam enim septuaginta & amplius annis satis cum pace bona conuersati fuerant inter gentes, & deuotiores deo suo fuerant, quàm ipsorum patres ante captiuitatem Babylonicam.

2 Et Darius rex misit unà cum eis equites mille, donec deducerent eos in Ierusalem cum pace, & cum musicis, & cum tympanis & tibijs, & omnes fratres erant ludẽtes, & fecit eos ascendere simul cum eis.

Iam fuerat expertus malitiam gentium quarundam in Iudæos, Samaritanorum & Edomitarum, & uersutiam liter uidebat priuilegia Iudæis iam concessa & libertates, egerrime laturos eos, quos grauaturi erant. Ideo nonrogatus Darius à Zorobabel, qui fidebat satis de domibonitate, proprio motu adsignauit ascensuris mille equites, deducturos eos usq; in Hierosolymam. Musicis insuper mentis utebantur iam redempti, quæ suspenderant iam diu in salices, nunc uero laudes domini in itinere canebant omnibus gentibus per quas transibant in admirationem, electis ad emendationem, impijs in derisionem. Omnes fratres ludebant, scilicet qui potuerant & didicerant. Eos milites rex iussit comites esse canentibus, ne quid uiria grauarentur dominum laudantes, donec peruenirent Hierosolymam.

3 Et hæc sunt nomina uirorum, qui ascenderunt per pagos suos in tribus, & in partem principatus ipsorum. Sacerdotes, filij Phinees, filij Aaron, Iesus filius Iosedech, filij Ioachim filius Zorobabel filij Salathiel de domo Dauid ex progenie Phares de tribu Iuda, qui loquutus est sub Dario rege Persarum sermones mirificos in secundo anno regni ipsius, mense Nisan primo.

Describuntur sæpe nomina ascendentium è Babylone in Ierusalem, & multum differenter, inutili nobis observantia ruminanda. Præstat tamen observatio differentiarum nominum huiusmodi, ut contemptoribus hostes Nriæ, & blasphematoribus ueritatis simplicis, passim, per sacras literas, nonnihil responderi possit, & Christi genealogiam differentem in Matthæo Euangelista & Luca aliqua ex parte conciliare possint studiosi, id quod pleriq; sæpe uoluerunt. Sacerdotes dicebantur omnes filij Aaron. Summi autem sacerdotes soli erant ex familia

nees, quanquam aliquandiu etiam fuerint de familia Abiathar, per alios filios, ut patet per libros Regum, usq; in tempora Salomonis. Iesus filius Iosedech summus sacerdos erat, eorum qui ascenderant ex Babylone, siue sub Cyro siue sub Dario. Ioiachim autem filius Zorobabel erat, filij Salathiel, ex progenie Phares, de tribu Iuda, ut notum est etiam ex genealogia Christi. Potest hic surrepsisse mendum, ut scribere uoluerit Zorobabel dux qui fuit filius Salathiel filij Ioachin, qui & Iechonias, filius Ioakim, filij Iosiæ: quos omnes constat sicut & Dauidem fuisse de familia Phares, filij Iuda, filij Iacob. Sic enim solent multis obmissis in genealogijs quosdam annotare, in tota scriptura, ne quis calumniator hac parte malignandi se occasionem nactam arbitretur: quanquam & hic Ioachim ut iacet litera, filius dici possit Zorobabel, hoc est nepos, alio nomine dictus Eliachim, cuius pater fuerit Abiud, filius Zorobabel, ut scripsit Matthæus, quos Lucas nominauit filium & nepotem Zorobabel, Resa & Iohanna. Fragmentis hunc librum congestum esse satis liquet ex multis, quale & hoc est, quod Zorobabelem hic dicit breuibus, quasi non multis prius scripserit, sub Dario rege Persarum locutum fuisse sermones mirificos, id est præcellentes, idq; actum secundo anno regni ipsius, mense primo, quem Nisan Hebræi uocauerunt post reditum à Babylone: prius enim nomina non habebant propria mensium nisi ordinalia.

4 Sunt autem hi, qui ascenderũt ex Iudæa de captiuitate trãsmigrationis, quos transmigrauit Nabuchodonosor rex Babyloniæ in Babylonẽ, et reuersus est in Ierusalẽ, & in ciuitatem suam.

Idem fermè argumentum hic tractat, quanquam multum differenter quod scribitur Esdræ primo, cap. 2. & Neemiæ cap. 7. ut sensus uideatur esse, redijsse eos qui fuerant capti olim à Nabusardan principe militiæ Nabuchodonosor. Id uero de paucis intelligendum partim, partim autem capiendum de eorum filijs & nepotibus, in quibus quasi patres redisse uidentur, qui uiuere dicuntur in posteris.

5 Et requisiuit partem Iudææ unusquisq; in ciuitatem suam, qui uenerunt cum Zorobabel & Iesu, Neemias Areores, Elimeo, Emmanio, Mardocheo, Beelsuro, Mechpsatochor, Olioro, Emonia, unus de principibus eorum.

Requisiuisse dicũtur, ut apparet Hierosolymã, quam primum gratias domino acturi uisitauerant. Sicq; singuli eorum diuerterunt ad suas hæreditates, quas nouerant uel audierant à patribus, sibi diuinitus olim sorte delegatas. Omnes inquam id agebant, qui ueniebant cum Zorobabel & Iesu, duce scilicet & pontifice. Cum quibus & Neemias, sed is suo quoq; fato & occasione temporeq; aduenit. Qui hic dicitur Areores, Neemiæ 7. dicitur Azarias, Esdræ 2. scribitur Saraias, ut tibi liceat opinari unum tribus uocatum nominibus, uel uariare codices. Et qui hic Elimeus, alibi in Esdra Rehelias, in Neemia Raabræos Naaman habetur: cui in Latinis quibusdam exemplaribus nihil respondet, quem Neemias nominat Naamin. Vnde pie Lector discere potes mutationem uariam nominum propriorum, & eisdem personis plurima fuisse nomina. Mardochei autem nomen præclarius reliquis, nemo non integrum scripsit suo ordine, quanquam non inde probari possit firmissime, eundem esse qui Hester reginam nutrierit, de quo permitto certamen alijs. Cæterũ Beelsuro qui hic dicitur, apud Esdram Belsam dicitur, apud Neemiam Belsar, in Latinis, in Hebræis similiter. Quando hic scribitur, Mechpsatochor & Elioro cum Ebonia, aliâs Emonia, satis uidetur corrupta litera, quandoquidem in Esdra legimus pro his omnibus, Mesphar, Hebraice מספר, Belguai, Heb biguai, Reum & Baanah, similiter cum Hebræis. Neemias hos scripsit, Mispereth, Nahum & Baanah, quos Latini legunt Mespharath Beggoai, Nauin Baanai.

6 Et numerus à gentilibus eorum, ex præpositis eorum, Filij Phares, duo millia centum septuagintaduo. Filij Ares, tria millia centum quinquagintaseptẽ. Filij Phemo, centũ quadragintaduo. In filijs Iesu & Ioabes, mille trecentiduo. Filij Demu, duo millia quadringenti septuaginta.

Titulus est ad sequentem catalogũ. Numerus inquit subscribetur eius populi per singulas familias, eorum qui redierunt Hierosolymam. Familiæ autẽ multæ nominantur, eorum, qui de Babylonica captiuitate redierunt, sub regibus Persarum, indifferenter ut uidetur sub Cyro & Dario, cum Zorobabel & alijs, qui secundum tempus redierunt in magno numero, sed uarie assignato, ut fit in talibus, quando uarie numerantur homines, nunc secundum capita, nunc secundum principales & patres familiâs, nunc cum mulieribus & infantibus, nunc sine, nunc cum seruis & ancillis, nunc sine illis, nunc cum proselitis, nunc sine eis, ut propter huiusmodi numerorum uarietates, author & scriptura non debeant contemni, utcunq; autem propria nomina uarient, eosdem tamen homines significare comprobantur, aliter tamen & aliter, pro orthographiæ mutabilitate. Phares quidem familia dicta est, non à filio Iuda patriarcha, sed à פרעש uel פרעוש, cuius posteritas redijt in numero 2172. Concordat Esdras & Neemias in numero. Posteritas Ares, et eius familia, ab Esdra dicitur Arethi, à Neemia Area, numerus hic est 3157. Esd. 775. in Neemia 652. Qui autem hic dicitur Phemo, in Esdra & Neemia nominatur Saphatias, numero 372. hic uero 142. Ex familia filiorum Iesu & Ioabes ascenderunt 1302. Ii dicuntur in Esdra Phetmoab, filij Iosue 800. & Ioab filij 2812. Neemias concordat in nominibus, numerum ponit omnium 2818. Familia quæ hic dicitur Beiu, in Esdra & Neemia dicitur filiorum Helam, numero 1254. in Esdra & in Neemia, aliter tamen in Latinis, quæ habent 1254.

Numerorũ uarietas.

7 Filij Choraba, ducenti quinq;. Filij Banica, cẽtum sexagintaocto. Filij Bebech, quadringẽti tres. Filij Archad, quadringẽti uigintiseptẽ. Filij Chan, trigintaseptem. Filij Zoroar, duo millia sexagintaseptem. Filij

Adinu, quadringenti ſexagintaunus. Filij Aderectis cẽtum octo. Filij Ciaſo & Zelas, centum ſeptem. Filij Azoroc, quadringẽti trigintanouem. Filij Iedarbone, centũ trigintaduo. Filij Ananiæ, centum triginta. Filij Aſoni, nonaginta. Filij Marſar, quadringenti uigintiduo. Filij Zabarus, nonagintaquinq;. Filij Sepolemon, centum uiginti tres. Filij Nepopas, quinquagintaquinq;. Filij Hechanatᵒ, centũ quinquagintaocto. Filij Cebethamus, centum trigintaduo. Filij Crearpatros, qui Enocadies & Modiæ, quadringenti uigintitres. Qui ex Gramas & Gabea, centum uigintiunus. Qui ex Beſſelon & Ceagge, ſexagintaquinq;. Qui ex Baſtaro, centum uigintiduo. Qui ex Bethenobes, quinquagintaquinq;. Filij Liptis, centum quinquaginta quinq;. Filij Labonni, trecẽti quinquagintaſeptem. Filij Sichẽ, trecenti ſeptuaginta. Filij Suadon & Eliomus, trecenti ſeptuagintaocto. Filij Ericus, duo millia centum quadragintaquinq;. Filij Anaas, trecenti ſeptuaginta.

Cognatio Choraba, hic dicta, ea uidetur eſſe quæ in Eſdra dicitur Zathua, numero 945. in Neemia Cethua 815. hic aliter. Familia inſuper Baruca ea eſt, quæ Eſdræ dicitur Bani, & Neemiæ Bannui. Filij Bebech, alibi Bebai dicitur. Familia Archad uidetur ea eſſe quæ alibi dicitur Zacchai. Et quæ hic nominatur Chan, alibi Adonican dicitur. Similiter Zoroar familia hic dicta, alibi Azgad. Filij Adinu hic dicti, apud alios ſcribuntur Adin. Et qui hic Aderectis, alibi Beguai, & Baggoaim leguntur. Filij quoque Ciaſo & Zelas, alibi Ather reſpondet eis. Familia Azoroch hic dicta, in Eſdra habet Beſai, ſimiliter in Neemia, ſed tranſpoſitum. Familia hic dicta alieno nomine Iedarbone, in Eſdra uidetur dicta à Iora, in Neemia Areph. Filij Ananiæ hic dicti, apud Eſdram uidentur dici Gebbar, apud Neemiam Gabaon. Et qui dicũtur filij Aſon, in Eſdra ſcribuntur Azon, in Neemia Aſeim. Hic uero aliud iudicare nõ poſſum conſequenter, quã quod hic dicti familia Marſar, in Eſdra & Neemia habeantur filij Bethleem. Et qui hic ſcribuntur familia Zabarus, alibi dicantur filij Nethupha. Et qui alibi habentur filij Anathot, hic dicuntur Sepolemon. Qui uero hic dicũtur Nepopas, alibi Azmaueth & Bethamoth nominantur: Filij quoq; Cariathiarim dicti apud Eſdram & Neemiam, hic dicuntur familia Hechanatus. Similiter alibi qui dicuntur filij Cephira, hic appellari uidentur Cebethamus. Et qui hic Crearpatros, alibi ſcribuntur Berothitæ, qui hic quoque & alijs dicuntur nominibus. Familia quoque nata, & nomen accipiens à Gramas, alibi dicitur familia Rama. Et quæ hic Gabaa dicitur, alibi legitur Gabaa quoq; & Gebad. Familia quoque dicta Beſſalon, apud cæteros nominatur à Machmas. Et quæ hic dicitur Ceagge, alibi Bethel uocatur. Et quæ hic ex Baſtaro nomen ſortita dicitur, alibi ſcribitur Chai & Ethai. Sic hoc loco legimus Bethenobes, quæ apud ambos alios legitur Nebo. Liptis quoque hic dicta, alibi Meghis familia eſſe uidetur. Et familiam hic dictam Labonni, Eſdras & Neemias nominant alteram Helam, ab ea ſcilicet quæ ſuperius eſt dicta Beniu, altero nomine. Hoc loco familia Sichem apud alios dicta eſt Arim uel Arem. Hic quoq; quæ dicitur Suadon, alibi legitur Lodadi & Lodadid. Et quæ hic dicitur cognatio Eliomus, alibi dicitur Ono. Hoc quoque loco familia quæ uocatur Ericus ab urbe, alibi ab eadem dicitur Hiericho. Et hic dicta Anaas, alibi Sena & Senaa dicta legitur. Hanc curioſitatem noſtram arbitror Compl. nou. Test. *id utilitatis adferre, ut & diſcamus uarietatem nominũ, quibus eædem familiæ nominantur, & non prorſus abhorrere hunc librum à cæteris canonicis, ſed nonnihil his afferre reliquis: utq; diſcamus non minus nomen Iſraelitis fuiſſe, loca, familias & homines multis appellatos nominibus, quàm uideamus in noſtris quoque, & omnium terrarum gentibus & regnis, quo facilior ſit huius libri exiſtimatio, & non falſa continuo putemus, quæ uariare nominibus conſpicimus: de numeris mutatis dictum eſt.*

8 Sacerdotes. Filij Ieddus, filij Euther, filij Eliaſib, trecenti ſeptuagintaduo. Filij Emerus, ducenti quinquagintaduo. Filij Phaſur, trecenti quinquagintaſeptem. Filij Carim, trecenti quinquagintaſeptem. Filij Caree, ducenti uigintiſeptem.

Sacerdotes hic enumerantur per catalogum minoris ordinis, ſummo pontifici ſubminiſtrantes ſecundum legem, omnes quidem filij Aaron, ſed non de pontificali linea, qui multo numero redierunt in patriam. Erant autẽ diuiſi in multas familias, quæ dicuntur filij, nomina ſua ſortiti à nobilibus inter eos perſonis: quarum hic prima nominatur filiorum Ieddus, quem Eſdras uocat Iadaia, Neemias autem Adaia. Hic autem Ieddus filius fuit Euther, & nepos Eliaſib, de quo habetur alia ſacerdotalis familia: nomen ſortita eſt ab Emero, quem Eſdras Emer, Neemias Eumer ſcribit, & quadrat ubique numerus. Familia alia à Phaſurio, qui in Eſdra legitur Phaſſur, in Neemia Phaſſur, ſicut & in Ieremia propheta: numerus diſſimilis. Filij, id eſt familia Caree, qui ab Eſdra dicitur Arim, à Neemia Arem.

9 Leuitæ. Filij Ieſu in Caduhel, & Bamis, & Serebias & Edias, ſeptuagintaquatuor. Omnis numerus, à duodecimo anno, triginta millia quadringenti ſexagintaduo. Filij, & filiæ, & uxores, omnis cõputatio, quadraginta millia ducenti quadragintaduo.

Leuitarum familiæ hic recitantur, qui redierunt temporibus Hieroſolymam. Dicuntur autem filij Ieſu, qui morati ſunt in loco Caduel, nomina ſortiti à Baſſu, Serebias filiorum Edias uel Ediæ, quem Eſdras nominat Odenias, Neemias autem Odoia. Numerus autẽ ubique concordat, omnium iam prædictorum numerus, & ſupra, omnis generis ſexus & conditionis fuit, qui hic dicitur 40142. Qui autem numerum duodecim annorum excedebant, omnis conditionis homines, faciebant numerum 30462. ut ſcire liceat quot fuerint pueri.

10 Filij ſacerdotum, qui pſallebant in templo,

plo, filij Asaph, centũ uigintiocto. Ostiarij uero, filij Esmenni, filij Azer, filij Amon, filij Accuba, Topa, filij Tobi, omnes centum trigintanouem.

Hic dicti sacerdotes, Leuitæ erant, & cantores dicti à temporibus Dauid, quando uixit Asaph à quo familia ingens cantorũ, qui etiam nunc redeunt Hierosolymam, dominum laudaturi in templo, qui numero dissimili notantur. Ex Leuitis quoq; ostiarij erant, quorum hic familia adsignatur, à proauorum nominibus. Quorũ qui hic dicitur Esmenni, nescio qua ratione alibi nominatur Sellum, ut discamus eiusdem familiæ nomen, quanquam fortassis non eusdem personæ. Possunt enim familiæ non ab eisdem personis sortiri cum tẽpore sua nomina. Sequens autem familia, quæ hic dicitur Azer, alibi Ather nominatur, nõ raro symbolo ſ. pro th. Et qui sequitur hic dictus Amon, alibi additamento susceptо dicitur Thelmon ab Esdra & Neemia. Filij quoq; Accuba, alijs locis dicuntur ab Accub. Sic qui hic Topa dicitur, idem est qui aliâs Athita: & mutatione t. in ſ. hic dictus Tobi, alibi nominatur Sobai. Hactenus autẽ de Leuitis & filijs Aaron, nũc de cæteris ministris sacrorum.

11 Sacerdotes seruientes in templo. Filij Sel, filij Gaspha, filij Tobloch, filij Cariæ, filij Su, filij Hellu, filij Labana, filij Armacha, filij Accub, filij Vtha, filij Cetha, filij Aggab, filij Obai, filij Anani, filij Canna, filij Geddu, filij An, filij Radin, filij Desanon, filij Nechoba, filij Caseba, filij Gaze, filij Ozui, filij Sinone, filij Attre, filij Hastem, filij Asiana, filij Manei, filij Nasisim, filij Accusu, filij Agista, filij Azui, filij Fauon, filij Phasalon, filij Meedda, filij Fusa, filij Careth, filij Barcus, filij Saree, filij Coesi, filij Nasith, filij Agisti, filij Pedon. Salomon filij eius, filij Asophot, filij Phazida, filij Tebli, filij Dedon, filij Gaddahel, filij Sephegi, filij Aggia, filij Sachareth, filij Sabathen, filij Saroneth, filij Malsith, filij Aniæ, filij Sarsus, filij Addus, filij Suba, filij Eura, filij Rahotis, filij Phasphat, filij Malmon. Omnes sacro seruientes & pueri Salomonis, quadringenti octogintaduo.

Etiam hoc loco sacerdotij nomen uariat, ut ex gentilibus inserti populo Israel, à temporibus Iosue Gabaonitæ, tandiu fideles reperti in cultu dei, in typo ecclesiæ congregandæ ex gentibus hic dicantur sacerdotes, cum fuerint primum ordinati ad ferendum ligna & aquã pro sacrificijs: qui & Nathinei dicuntur ab Esdra & Neemia, hic uero sacerdotes. Vnde satis perpenditur, quomodo in cultu dei promoti sunt, & indies magis ac magis honorati gentiles, quales ab initio fuerant Gabaonitæ, domino consecrati ex gentibus, inuitis filijs Iacob. Id Iudæis opponi potest nunc à Christianis pijs, & deo dignis ministris ex gentibus. Sed & in templo seruire dicuntur ij Nathinei, ut uideri possit hunc librum, si non alia ratione, saltem ista, reiectum olim à Iudæis, ne in maiori authoritate haberetur. Cum nihil uel indignum sacris nec à reliquis scripturis Iudaicis discrepans in se contineat. Fuerunt autem, ut uides ij Nathinei in maximo numero, & in celebribus familijs inuitis Iudæis, qui & semper intelliguntur in cultu dei religiosiores fuisse, quàm ex natiuitate Leuitæ uel filij Aaron. Habent testimonium non tantum ex hoc loco, sed & ex libris Esdræ primo & secundo, qui dicitur Neemiæ. Familia horum prima hic nominatur à Sel, quæ alibi dicitur Sia uel Soa. Sic quæ hic dicitur Gaspha, alibi abiecta ע littera, legitur Asupha uel Aspha. Familia quoq; dicta à Tobloch, apud alios legitur Thebath. Et qui hic consequenter dicitur Cariæ, alibi nominatur Ceros uel Cheros. Sicq; familia hic Su dicta, aliâs scribitur Siaa uel Staia. Et qui dicitur hic Heliu uel Hellu, ab alijs Phadon nominatur. Cæterum quæ statim sequitur familia, Labana dicta hic, similiter quoq; alibi dicitur, a. mutato in e. pro more transferentium. Et qui proximus est hic Armacha, non uideo quis alibi respondeat, quandoquidem Agaba in Neemia respondet ei qui hic & in Esdra Accub nominatur. Pro eo autem qui hic dicitur Vtha & Cetha, fortassis in Esdra dicitur Selmai, qui & in Neemia Selmon. Etenim qui hic Aggab sequitur, uidetur alibi dictus Agab & Agaba. Sequitur quoq; hic Anani, qui et inferius An, pro quo legimus in Esdra Anan, & similiter in Neemia. Et qui hic Canna dicitur, uidetur is esse, qui alibi scribitur Gaer utrobiq;. Qui uero hic dicitur Geddu, in Esdra Gaddel dictus est, in Neemia Geddel. Obai uero hic dicto, quid in alijs respondeat non inuenio. Sic & pro his quibusdam, qui hic sequuntur Sinone, Attre, Hastem, nihil legitur in Esdra & Neemia. Verum qui hic dicitur consequenter Radin, is fuisse uidetur, qui alibi Rasin legitur. Et Nechoba hic legitur, fortassis per errorem, alibi Nechoda. Facilis est enim in his & non perniciosus lapsus. Caseba autem fortassis alibi est Azec & Aza. Et qui hic Desanon, fortassis alibi Phasea scriptus est. Besai autem apud Neemiam & Besee apud Esdram, alicui prædictorum respondet, de quo iudicare non possumus. Certe qui nunc sequuntur, satis se agnoscere uidentur, scilicet Asiana hic & alibi. Manei hic qui alibi Muni et Munim. Sic Nasisim hic Esdras scripsit Nephusim, Neemias Nephusim. Qui uero hic dicitur Accusa uel Accusu alibi legitur Acupha, impedito ordine. Et qui hic Agista, alijs dictus est Bechuc. Deinde qui hic dicitur Azui, alibi legitur Azur. Et qui hic Fauon uel Fasalon, alibi dici uidetur Besluth & Besloth. Similiter hic scriptum Meedda, alibi bis legitur Maiada. Pro Fusa & Careth, alibi fortassis legitur Arsa utrobiq;. Sed pro Barcus satis cõstat alibi Bercos & Berchos legi. Et hic pro Saree, fortassis Zizara alibi. Verum pro Coesi hic scripto fortassis alibi Thema dicitur. Sicut & pro Nasith Nasia & Nesia. Et pro Asophot uideri potest alibi scriptum bis Athupha & Athipha. Pro Agisti autem & Pedon, non possum diuinare quid alibi respondeat. Quod autem sequitur de filijs Salomonis, hoc in Esdra & Neemia legimus de filijs seruorum Salomonis, qui & suas habuisse uidentur familias, inter eos qui redierunt. Vnde & qui Asophot hic dici-

Gabaonitæ sacerdotes.

tur, alibi utrobiq; scribitur Sophereth. Et qui Teli hic dicitur, fortassis Sotoltei est, & Sodai alibi. Qui autem sequitur Phasida, alibi legitur Pharuda & Pherida. Et Dedon hic scriptus, dicitur alibi Dercon. Sic hic Gaddahel, alibi est Geddel & Gedel. Similiter Sephegi hic, ibi scribitur Saphata & Saphatia. Aggia quoq; hic, Athil uel Achil est alibi. Sicut hic Sachareth, alibi legitur Phocereth. Et Sabathen hic, alibi legitur Asebaim & Sabaim. Quæ uero sequuntur familiarum nomina hoc loco, in Esdra & Neemia non leguntur. Nisi quis putet eorum ultimum quod Malmon scribitur, stare loco Amim in Esdræ libro, & Ammon in Neemia. Omnes iam dicti hic appellantur pueri Salomonis, qui paulò ante filij dicebantur, alibi serui, qui & ipsi cultui diuino dicati significantur, numero 482. apud Esdrã trecenti nonagintaduo, in Neemia trecenti nonagintaduo, utrobiq; dicti Nathinnei, & filij seruorum, ut uideantur fuisse eiusdem sortis & dignitatis in colendo dominum, suo tamen gradu et modo.

Pueri Salomonis.

12 Hi sunt filij qui ascenderunt à Thelmela, Thelarsa, principes eorum, Carmellam & Careth, & non poterant edicere ciuitates suas, & progenies suas, quemadmodũ sint ex Israel.

Nemo Israelitarum non diligenter annotauit suarum cognationum & familiarum regiſtra & catalogos, tum ut hæreditatum suarum iura probare possent, tum ut amicitia coalesceret, & genealogia principalium familiarum, maxime uero Dauidis, non intercideret, donec uenuret Christus. Cuius quoq; tempore, tam nota & certa erat domus Dauidicæ linea & genealogia, ut nunquã ausi fuerint pharisæi & sacerdotes, quamlibet Christo domino inuicissimi illi obijcere falsam agnominationẽ, qua dicebatur non solum à matre & fratribus, filius Dauid, sed etiam à pueris in templo, & à leprosis mundatis & cæcis. Sic eo tempore certissimum habebatur, tam Ioseph nutritorem, quàm beatissimam uirginem processisse ex semine Dauid. Vnde & publica ex fide tam Matthæus quàm Lucas Ioseph genealogiam conscribere facile potuerunt, uariam tamen à uarijs collectam, et ut hoc in libro, & alijs, plurimum mutatis nominibus proprijs. Propter quam rem et hanc qualemcunq; diligentiam nostram Lector non spernat, sed si uelit & uacat à nobis negligentius annotata, diligentius inquirat, saluo dicto apostolicine quid hic nimis laboremus de genealogiarum indicibus, quæ post Christi ortum & prædicationem nulli necessaria sunt, quando legimus singulari tyrannide desæuitum olim, post apostolorum mortem in Dauidis posteros & reliquias, ab impijssimis pietatis hostibus. Hac ratione hic uelut utile & necessarium annotantur familiæ Iudaicæ, quæ stemmatum suorum antiquitates assignare non poterant: & similiter sacerdotes dicti, quando & illi difficile ius suum in hæreditatibus probare poterant, et ij sacrificandi quoq; ius suum ex negligentia amiserant. Circa hunc uersum si placet uide annotata in Esdram, præter id solum quod hic animaduertere potes, eum qui hic dicitur Carmella, alibi dictum bis Cerub. Et qui hic Careth appellatur, dicitur aliâs Don, aliâs Addon. Similiter Mer et Emer alibi dictus, nihil hic habet respondẽ.

Familiarum catalogi.

13 Filij Dalari, filij Tubam, filij Nechodaici ex sacerdotibus qui fungebantur sacerdotio & non sunt inuenti, filij Obia, filij Achisos, filij Addin, qui accepit uxorem ex filiabus Phargeleu, & uocati sunt nomine eius.

Iam dicti de uulgo erant: qui hic nominantur sacerdotes habebantur, sed quia genealogias suas uel amiserant uel non habuerant, non sunt admissi ad uictimarũ esum, & ad ministerium sacerdotale, de quo alibi quædam dicta. Hic uero qui Dalari dicitur, in Esdra legitur Gadalia, in Neemia Dalaia. Et qui hic Thubam dicitur, alibi Thobia & Tobias, quo minus admireris, si Latinis Tobias, Græcis dicatur Tobith. Et qui hic scribitur Nechodaici, alibi legitur Nechoda & Nechodan. Sic filius hic Obia, alibi legitur Iobia, alibi Iabia. Et hic Achisos, dicitur aliâs Accos. Addin uero hic additur, quod nescio si etiam conueniat ei quod in Esdra legitur Berzellai & Neemia, quod hic magis alludit ad Phargeleu.

14 Et horum quæsita est generis scriptura inpedatura, & non est inuenta, & prohibiti sunt sacerdotio fungi. Et dixit illis Neemias, & Asthara ne participentur sancta, donec exurgat pontifex doctus in ostensionem & ueritatem.

Non potuerunt statim & sine dilatione testimonium sufficiens exhibere se esse de Aaronico genere, ideo impediti sunt à sacerdotij functione, unde & inter maximos thesauros habebatur & seruabatur cuiuscunq; generis descriptio, ut dictum est, quæ quia hic exhiberi non potuit, magno illis impedimento fuit, ut honore & prouentu fraudarentur sacerdotali. Quibus omnibus inhibuit suo tempore Neemias, ne officio suo ministrarẽt, donec nec fidem certam facerent se esse ex filijs Aaron, quibus solis licebat sacerdotio fungi, secundum legem. Et hic quoq; qui Asthara dicitur, in Esdra & Neemia legitur Athersata.

15 Omnis autẽ Israel erat, exceptis seruis et ancillis quadragintaduo millia trecẽti quadraginta. Serui horum & ancillæ, septem millia trecenti triginta septem. Cantores & cantatrices, ducenti sexagintaquinq;. Equi, meli, quadringenti triginta quinq;. Equi, septẽ millia triginta sex. Muli, ducenta mil lia quadragintaquinq;. Subiugalia, quinq; millia uigintiquinq;.

Adscribit numerum omniũ qui ascenderunt de Babylonica captiuitate, non præcise una uice, sed secundum tempus. Quorum aliqui cum Zorobabel primo, aliqui secundo ascendente uenerunt, alij cum Esdra, aliqui cum Neemia. Quorum omnium quo ad personas Israeliticas uiros & mulieres, pueros & senes numerus fuit, ut hic scribitur, 42340. Qui numerus apud Esdram legitur 45360. Apud Neemiam uero 42660. De quorum numerorum mutatione nihil certandum, non multum uariant & certum est in omnibus authoribus semper & ubique

multum

multum uariari in talibus, ut sæpe diximus. Seruorum autem & ancillarũ numerus ubiq; similiter annotatur fuisse 7337. Camelorum uero, equorum, mulorum, subiugalium non multũ refert, si & quomodo uarient, dum constet de gratia & bonitate dei circa suos fideles, etiam in terra captiuitatis: siquidem diuites redierunt, cum captiui abiissent, & miserrima conditione tractati magna ex parte. Quandoquidem & religiosiores fuerunt in terra gentilium quàm fuerant in patria. Domini est autẽ terra & plenitudo eius, orbis et uniuersi qui habitãt in eo. Potest ergo æque benefacere suis in parentum domo, & in exilio, in carceribus, & in morte. Satis id factis ostendit, cum Abrahã, Iacob, Ioseph, & reliquis, si tantum illi

16 perfecte fidere disceremus, et illũ colere digne uellemus. Et de præpositis ipsis per pagos, dum uenirent in templum dei, quod erat in Ierusalem, innouare et suscitare templum in loco suo, secundum suam uirtutẽ, & dari in templum, thesaurum operũ sacrum, auri mnas duodecim millia, & mnas argenti quinque millia, stolas sacerdotales centum. Et habitauerunt sacerdotes & Leuitæ, & qui exierant de plebe in Ierusalem & in regione, & sacri cantores, & ostiariꝝ, & omnis Israel in regionibus suis.

Similia per omnia leguntur ad uerbum Esdræ secundo, nisi quod ibi principes patrum nominãtur, hoc est familiarum primores & duces siue rectores, qui hic dicuntur præpositi pagorum. Quandoquidẽ uerisimile est, pariter eodem in pago habitasse eos, si commode fieri potuerat, qui eiusdem erant familiæ, propter hæreditates, quæ non deuoluebantur de una familia uel tribu in aliam. In templum uenisse dicuntur, hoc est eorum aliqui, in locum ubi ruinæ templi erant. Alij secundum tempus in iam denuo fundatũ templũ. Alij intra iam muros aliquantisper exaltatos. Omnes autẽ pro uirili adiuuerunt in expensis, non tantum acceptis ab eis qui remanserant in Babylone, sed etiam ex proprijs & regalibus diuitijs. Vouere illud religiose poterant, quia implere ualebant, non sic uota omnia domino placent, uel ad pietatem ualent. Primum quidem ut dictum est Hierosolymam adierunt omnes, deinde ad proprias sese hæreditates contulerunt, nemine impediente, ex priuilegio regum. Habebant enim tam sacerdotes quàm Leuitæ suas possessiones, ubi habitabant, per uices autem suas uigintiquatuor ordinatas, præerant officijs suis in templo, hoc est in atrio, iuxta le-

17 gem Mosis & Dauidis. Instante autem septimo mense, cumq; essent filij Israel unusquisq; in suis rebus conuenerunt unanimes in atrium, quod erat ante ianuam orientalem.

Hic cõsequenter repetuntur dicta in Esdra, capite tertio, quibusdam mutatis. Hic dicuntur fuisse filij Israel in rebus suis, alibi in ciuitatibus, hoc est possessionibus, siue illæ essent siue oppida. Hic iam aliquid ædificatum fuisse indicatur, atrium scilicet & ianua orientalis, unde erat introitus. Quanquam & pro loco accipi potest, & ruinis ianuæ uel portarum ab initio aduentus eorum.

18 Et stantes Iesus filius Iosedech, & fratres eius sacerdotes, et Zorobabel filiꝰ Salathiel et huius fratres parauerũt altare, ut offerrẽt super illud holocaustomata secundũ quod in libro Moysi hominis dei scripta sunt.

Hic dicitur paratum fuisse altare à summo sacerdote Iesu filio Iosedech, & à Zorobabel, & primoribus, qui fratres dicuntur, ut offerrent gratulatoria sacrificia & holocaustomata iuxta legẽ domini. In Esdra dicitur quo modo ædificauerint altare. Potest utroque tempore utrumq; contigisse.

19 Et conuenerunt sibi ex alijs nationibus terræ, & erexerunt sacrariũ in loco suo omnes gentes terræ, & offerebãt hostias & holocaustomata domino matutina.

Videtur hac uice actum religiose quod hic scribitur à gentibus, cuius contrarium scribitur in Esdra capite tertio, utrumque uere. Iam enim audientes gentes cõmorantes in terra Israel, gratiam & beneuolentiam insignem Darij ad Iudæos, cœperunt remittere suas iniurias aliquantisper, & partim ficte parare se ad domini dei cultum, extruendo proprium, ut uidetur, altare. Partim syncere, cernentes benedictionẽ dei & beneficia gratiamq; & iustitiam ad suos cultores, & prosperitatem quæ apparebat ad tempus. Ideoq; etiam ex remotioribus terris uenerunt statim ad adorandũ deum Israel in Ierusalem, cuius gloriam iam Israelitæ diu & multum prædicauerant exules, quem dudum indigenæ semper spreuerãt et irritauerant. In loco suo erexerunt sacrarium, hoc est aram, & suo domino sacrificia offerebant.

20 Et egerunt scenopegiam, & diem solennem, sicut præceptum est in lege, & sacrificia quotidie, sicut oportebat, & post hęc oblationes institutas, & hostias sabbathorũ, & neomeniarum, & dierum solennium omnium sanctificatorum.

Refertur ad Iudæos reuersos è Persida et Babylonia, qui Ierusalem peruenire poterant ante septembrem, in quo mense tabernaculorum solennitas agenda tanto alacrius erat, quanto meliora & gratiora regis mandata attulerant, et gentilium insultus formidandus eis non erat. Statim quoq; instituebant de mandato regis sacrificium iuge, matutinum, & uespertinum. Et secundum sabbatha & neomenias ex lege præceptas oblationes rite procurabant, cum multa diligentia fieri, ut quicquid ad diuini nominis sanctificationem pertineret, prorsus perficeretur à sacerdotibus & Leuitis in sanctuario.

21 Et quotquot uouebãt domino à neomenia septimi mensis, cœperũt hostias offerre deo, & templum domini nondum erat ædificatum. Et dederunt pecuniam lapidarijs & fabris, & potum & pabula cum gaudio.

Etiã populus sua uota uouebat, reddebat de messe primitias, & fructũ decimas, iuxta legem, ad septimũ mensem, in quo omnia conferebantur, & reponebantur in annum, unde & gratitudinis hostias offerebant in templũ,

quod nondum ædificatum fuerat, sed tãtum inchoatum, & tanto tempore retardatum. Quod ut ex tunc diligentius urgeretur, nihil studij & expensarum obmittebant, pecuniam constitutam erogando artificibus. Sic enim in initio quærendum est regnum dei, ut alia continuo adijciantur. Cogitanda sunt nobis dei beneficia, & in ipsius uicissim uoluntate uiuendum.

22 Et dederunt carra Sydonijs et Tyrijs ut transueherent illis de Libano trabes cedrinas & facerent rates in Ioppe portum, secundum decretum quod scriptum erat eis à Cyro rege Persarum.

Omnia hæc satis clara sunt ex primo Esdræ, ubi eisdẽ omnia sententijs conscribuntur, ut satis clare iudicetur hic liber quamuis ecclesiasticus & sanctus, & semper in manibus habitus sanctorum doctorum, tamẽ non esse ab Esdra illo scriptus, qui primum composuit: non enim sic effluxisset eadem repetendo, & sic nomina permutando sine necessitate & fructu. Iudæi erogant expensas pecuniarum. Sydonij autem & Tyrij iam iterum operas suas collocant, in promouendum dei cultum, longe diligẽtius, licet ob pretium quod à Iudæis quidẽ erogabatur, sed ad regis mandatum, et ex tributis & muneribus magis gentilium quàm Iudæorum. Typus enim ecclesiæ erat, tam Hierosolyma, quàm gentilitas olim conuertenda ad dei cultum: de quo sæpe multa prophetæ scripserunt, & experientia docet esse perfecta & impleta. Alias allegorias inuenies in glossa ordinaria in primum Esdræ.

Typus ecclesiæ.

23 Et in secundo anno ueniẽtes in templũ dei in Ierusalẽ, mẽse secundo inchoauit Zorobabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedech, & fratres ipsorũ & sacerdotes & Leuitæ, & omnes qui uenerant de captiuitate in Ierusalem, & fundauerũt templum dei, no uilunio secundi mensis secundi anni cum uenissent in Iudæam & Ierusalem.

Certum est hos duos & fundasse templum & perfeciisse, inchoasse & consummasse, auxilio uenientium de captiuitate, tam sub Cyro quàm Dario, cuius ædificationis exordium ab initio, & resumptio posterior facta est mense secundo, statim post exactas paschæ festiuitates. Manus enim Zorobabel non solum inchoarunt, sed & perfecerunt templum. Secundus annus dicitur, quia æstate uenerant, & Scenophegia in autumno celebrauerant, in hyeme nihil tentandum erat ante pascha, quæ poterãt præparabant. Ideo nouilunio secundi mensis statim post pascha negotium arripiebant.

Scenophegia.

24 Et statuerunt Leuitas à uiginti annis supra domini. Et stetit Iesus & filius eius, & fratres omnes Leuitæ conspirantes, & executores legis, facientes opera in domo domini. Et steterunt sacerdotes habentes stolas cum tubis & Leuitæ filij Asaph, habentes cymbala, collaudãtes dominũ, & benedicentes, secundũ Dauid regẽ Israel. Et cantabant canticum domino, quoniã dulcedo eius, & honor in secula super omnẽ Israel.

Et omnis populus tuba cecinerunt, & proclamauerũt uoce magna, collaudantes dominum in susceptione domus domini.

Quicquid fieri poterat in cultu diuino, hoc sine omni cunctatione agebant sacerdotes, Leuitæ, cantores, ianitores, laudes domino concinentes, & sacrificia exequẽtes, alijs ædificantibus et promouentibus opus. Quæ uero in primo Esdræ leguntur, pertinent ad primã templi inchoationem sub Cyro: quæ uero hic dicuntur, ad secundum aduentum Zorobabel à Dario ad Ierusalem. Summa autẽ laudis diuinæ erat, celebrare pariter & collaudare bonitatem dei, quæ omnia benefacit, & se timentibus promptor & adiutor assistit. Benedicunt autem per carmina à Dauid composita, & ad diuinũ cultum ordinata, ut cum summa deuotione, fide, & hilaritate bonæ conscientiæ canantur à Leuitis. Dulcedo eius dicitur bonitas & clementia, qua longe promptior est benefacere credentibus quàm ipsi studeant ipsum precari. Populus canentibus respondens, Leuitæ intelliguntur & sacerdotes, qui dominũ collaudabant ob felicẽ susceptionẽ ædificij, ad gloriam dei, & profectum gentis suæ Israeliticæ denuo reconciliatæ.

25 Et uenerũt ex sacerdotibus, & Leuitis, et præsidentibus secundũ pagos senioribus, qui uiderãt pristinam domum, & ad huius ædificationẽ cum clamore & planctu magno, ingno, & multi cũ tubis & gaudio magno, in tantum ut populus non audiret tubas propter planctũ populi. Turba enim erat tubis canens magnifice, ita ut longe audiretur.

Similia legũtur de prima inchoatione domus sub Cyro, cum hæc quæ hic leguntur omnia sub Dario contigisse scribantur, similia quidẽ, sed non eadem. Iam autẽ cum magna alacritate ueluti de nouo incipientes, uidebantur quasi de nouo redijsse, & de noua nouæ regis insigni gratia lætabantur insigniter, non aliter q̃ si templũ de nouo construere inchoarent, cuius dudũ cœperant structuram quidẽ, sed fuerant à maliuolis impediti. Nunc uero sicut prius resumunt, certi de fauore regis, ut posthac nemo inpedire posit, unde & clamant quidẽ cũ gaudio: sed lactus tantũ erat in senibus, qui primũ cõspexerãt Salomonicũ templũ ante uastationẽ. Illi enim dolebãt non tãgloriosum futurũ ut uiderant fuisse primũ. Simul ergo luctus audiebatur & cantus, qui hic fortasis scribitur, per recapitulationem, quia dudũ exactus in prima fundatione.

26 Et audierũt inimici tribus Iudæ, & Beniamin, & uenerũt scire quæ esset uox tubarũ. Et cognouerũt, quoniã qui erãt ex captiuitate ædificãt templum domino deo Israel.

Semper hostes patiuntur fideles dei famuli & cultores, maxime si ad dei gloriã magnifica moliantur. Si enim cessant & desides sunt, non patiuntur inimicos impios, sed si extruere quiddam boni præsumunt in ecclesia. Habitabant in Iudæa, & in tribu Beniamin gentiles, illuc destinati à Babylonijs, ex Ammonitis, Moabitis, Syris, & alijs. Hi in uicinio constituti, scire poterant quid ageretur à Iudæis, qui hic dicuntur inimici duarum tribuum Iudæ & Beniamin, in quorum terra habitabant. Ea fortasis

taßis non tam inimico animo cupiebant adiuuare cultum dei, quem interim, quia ex gentibus erant, scire & reuereri cœperant. Satis enim liquet semper gentes à deo uocatos ad suam gloriam, & in Iudæorum zelum & confusionem, qui dei sui beneficia segnius attendebant, & frigidiores erant in cultu dei sui. Quod & Christus improperat toties Iudæis, & gentium subinde uocationem prædicit, quæ & facta conspicitur. Et hic in typo fit, quando procliuiores sunt gentes ad honorem dei quàm Iudæi, qui populus domini soli esse & haberi uolebant.

27 Et accedentes ad Zorobabel, & Iesum, & præpositos pagorum, dixerunt eis: Aedificabimus unà uobiscum. Similiter enim audiuimus dominum uestrum, & ipsi pariter incedimus à diebus Asbazareth regis Assyriorum, qui transmigrauit nos huc.

Qui pagorum præpositi sint diximus, principes scilicet tribuum & familiarum. Sub precationis forma gentiles dicunt: Aedificabimus unà uobiscũ: cupiebant enim & ipsi dominum colere, quem uidebant benefactorem suis cultoribus, ut illis liceret pacifice habitare cũ Iudæis, de reliquis fortaßis cæremonijs & legibus dei parum curaturi. Similiter, aiunt, audiuimus, hoc est obedire uolumus domino deo uestro, quem & iam à multo tempore colimus, deum scilicet huius terræ, qui hoc loco uult coli, in quam translati sumus à regibus Assyriorum instituti à sacerdotibus, quos nobis rex miserat dudum, ne à bestijs & alijs aduersis perderemur, de quo in libris Regũ. Asbaßareth qui hic dicitur, apud Esdram legitur Assorad dan, quem Iudæi dicunt fuisse filium Sennacherib, quem ipsum dicunt ad minus octo fuisse nominibus cognominatum. Hic autem Assoraddan ad requisitionem populi terræ miserat sacerdotem ex Israelitis filijs Aaron, qui populum doceret legitima terræ, ne à leonibus uastaretur, quarto Regum decimoseptimo.

28 Et dixit illis Zorobabel, & Iesus, & principes pagorum Israel, Non est nobis & uobis ædificare domum dei nostri. Non enim soli ædificabimus domino Israel, secundũ ea quæ præcepit nobis Cyrus rex Persarũ.

Similia hic scribuntur, eis, quæ in primo Esdræ leguntur capite quarto, quandoquidem & similia nunc contigerunt, ut tunc, quo ad uoluntatẽ impediendi opus. Nũc quidem sub Dario, quod prius factum erat sub Cyro. Et sub durantibus sacerdote summo & duce cum principibus, qui tunc quidem impediti fuerant sub Cyro, nunc autem sub Dario templi structuram resumentes iterum quidem nunc impediri queruntur, sed non proficitur ab aduersarijs, magis autem à Iudæis. Quanquam autem hic Zorobabel alleget decretum Cyri, hoc tamẽ factũ nunc est sub Dario, ut patet, quando allegat etiam sub Cyro Iudæis datam facultatem reædificandi templum, quam aliquandiu iam impeditam, nunc iussu & gratia Darij resumere intendant, et fortius instare quàm antea, ut citius opus absoluatur ad mandatum regis, qui Iudæos præcepit ædificare templum: non alios uoluit assumere participes ex gentibus terræ, id enim dudum uoluisse Cyrum, nunc idipsum quoque Darium.

29 Gentes aũt terræ incubantes his qui sunt in Iudæa, & leuantes opus ædificationis, et insidias, & populos adducẽtes, prohibebãt eos ædificare, et aggressuras exercẽtes impedierunt, ne cõsummaretur ædificiũ omni tẽpore uitæ Cyri regis, & protraxerũt structuram per biennium usq; ad Darij regnũ.

Repulsi nunc gentes à consortio structuræ templi, ut fuerat factum sub Cyro, incipiunt malignari, & commiscisci causas excusationis ad Dariũ, sicut nuper factũ erat ad Cyrũ. Dicũtur leuasse opus ædificationis, hoc est impedire uelle quo minus prosequerentur Iudæi, sed nihil nũc morantur tales Zarobabel ut antea, etiã si aggredi ipsos tentarent, appellabat enim dux Iudæorũ ad Darium, prosecutus interim ædificium. Non sic enim sub Dario im peditũ opus fuit, ut sub Cyro. Quando huius temporis subreguli, non tam maligni erant in Iudæos ut isti prædicti, temporibus Cyri, ut satis patet ex utrorumq; epistola.

CAPVT VI.

1 IN secundo autẽ anno regni Darij, prophetauit Aggeus & Zacharias filius Addin prophetæ apud Iudæam & Ierusalẽ, in nomine dei Israel super eos.

Quæ hic scribuntur etiam ad sensum, leguntur primo Esdræ quinto, ubi clare quoque dicitur, opus ædificij templi sub Cyro intermissum, ob accusationes Samaritanorum, usq; ad annum secundum Darij regis Persarum, quo tempore Darij, cum iam Zorobabel redijsset, & ostenderet uoluntatem & literas regis, prophetæ illi duo, Aggeus & Zacharias filius Addin, qui alibi Addo dicitur, cœperunt populum adhortari in nomine domini, ad resumendum opus domini, ædificationem templi, idq; authoritate tam dei quàm Darij, cuius Zorobabel iam attulerat ordinationem, & priuilegium in fauorem Iudæorum, & in gloriam dei, cuius notitia iam gliscebat in uniuersam terram, propter dispersionem Iudæorum, qui dei sui ubiq; gloriam prædicabant.

2 Tunc stans Zorobabel filius Salathiel, et Iesus filius Iosedech, inchoauerũt ędificare domũ domini, quæ est in Ierusalẽ, cum adessent eis prophetæ dñi & adiuuarent eos.

Accinxit strenue se dux populi ad ædificationem resumendam, quam dudum sub Cyro inchoauerat, sed iam impeditum opus erat domus domini à longo tempore. Ille quidem facto incumbebat, prophetæ uero exhortationibus instigati à deo. Hac enim ratione adiuuisse eos prophetæ dicuntur, hoc est persuasisse plebem, ut duci & pontifici obsequerentur in ædificio templi.

3 In ipso tẽpore uenit ad illos Siseñes subregulus Syrię et Phœnicis et Satrabuzanes, & sodales eius, & dixerũt eis: Quo pręcipiente uobis domũ hanc ædificatis, & tectũ istud & alia oĩa pficitis? Et qui sunt structores, qui hæc ædificant? Et habuerũt gratiã uisitatione facta sup eos, qui erant ex capti-

uitate à dño seniores Iudæorũ, & non sunt impediti ædificare, donec significaret Dario de oĩbus istis, et respõsum acciperetur.

Qui hic nominatur Sisennes, in primo Esdræ dicitur

Hebræa & Syriaca. *Thathanai, ſpro th legendo. Quod enim Syri* תתני *legunt, hoc Hebræi uel Græci* ששני *dicunt, quod ſonare potest Siſenni, ut ratio cernatur tranſmutationis, qui dux erat prouinciarum trans Euphratem, qui fluuius hic dicitur per anthonomaſiã. Quas prouincias ſitas inter Euphraten & mare Mediterraneum hic nominat Syriam & Phœnicem, quæ eſt terra ferè tota Iſraelitarum olim hæreditas. Vnde & hic dicitur ſubregulus, & ſub rege maximo Dario præſes totius Syriæ, cuius pars eſt Phœnicia, à palmis dicta. Satrabuzanes autẽ hic dictus, alibi legitur Starbuzanai, Hebraice* שתר בוזני *quod officij nomen eſt & dignitatis, Satrapas aliis dictus. Sodales eius dicuntur conſiliarij. Eadem autem ſententia hic ſcribitur quæ in Eſdra, paulò mutatis uerbis, & patet ſententia ex uerbis dictis ibidem, ne prolixiores hic ſimus.*

4 Exemplum epiſtolæ, quam miſerũt Dario. Siſennes ſubregulus Syriæ & Phœnicis & Satrabuzanes & ſodales eius, in Syria & Phœnice præſides, regi Dario ſalutẽ. Omnia nota ſint domino regi, quod cum aduenisſemus in regionẽ Iudææ, & introiſ ſemus in Ieruſalẽ, inuenimus ædificantes domũ dei magnam, et templũ ex lapidibus politis & magnis, & pretioſis materijs in parietibus, & opera illa inſtãter fieri, & ſuffragare, & proſperare in manibus eorũ, & in omni gloria quàm diligẽtiſſime perfici.

Aduenerant ſub initium noui regis Darij noui præfecti à Perſide in Syriam & Palæſtinam, ut tunc fiunt innouationes officiorum & præfecturarum. Qui nunc audientes ſecundo anno Darij uenire Iudæos quoſdam, templum extruere de nouo molientes, inquirunt de cauſa, et ut res habebat ea benigne audita, ſcribunt regi de toto negotio ut decebat fideles. Omnia enim nota eſſe debent regibus, etiam quæ in remotis aguntur, ad quod proſunt epiſtolæ, qualis hic ſatis pia & ueridica ſcribitur. Domũ dei magnam dicuntur extruere, & politis lapidibus templum: nihil de ciuitatis muro ſcribũt, quod fecerant mentiendo priores, Cyri temporibus. Pretioſi lapides dicuntur non gemmæ, ſed grandes & magni mole, cum multis expenſis transferibiles. Fatentur proſpere ſuccedere illis opus ſtructuræ. Iam enim ad opus conſpiraueranr, dux, ſacerdos, patres, plebs, et prophetæ, à domino inſtigati, freti regis priuilegio & permiſſione.

5 Tunc interrogauimus seniores, dicẽtes, Quo permitẽte uobis ædificatis domum istam, & opera hæc fundatis? Ideo autẽ interrogauimus eos, ut notũ faceremus tibi homines & præpositos, & nominum ſcripturam præpositorũ postulauimus illos.

Pacifice & modeſte quærunt gentiles à domino directi, qui gratiam promouit illorum ad Iudæos, ut præſcriptum eſt, quando regis quoque cor eſt in manu domini, ut etiam tyranni nõ magis malorum poſſint quàm dominus decreuerit permittendum. Qui ſi uobis propitius ſit, nemo incommodare poteſt. Ideo eos interrogauimus, non ut moleſtaremus uel impediremus, uel in tui odium protruderemus, quod priores fecerant præſides temporibus Cyri, alioqui optimi principis, ſed ut tantum tibi ſignificaremus, quid fiat. Sed & nomina tantum operum & operi inſtantium exeginus, ut non omnes ſed eos tantum accuſaremus, ſi negotium comprobaretur inſtitutum in damnum regis. Omnia fideliter & amice hic exigunt & tranſcribunt, unde & ſequitur.

6 At illi reſponderũt nobis, dicentes, Nos sumus serui domini, qui fecit cœlum & terram, & ædificabatur hæc domus ante annos istos multos à rege Iſrael magno & fortiſſimo, & conſummata eſt.

Summi dei ſe ſeruos uocant, non iam filios Iſrael, gentibus inuiſo uocabulo. Gloria autem unius ſummi deum bene audire incipiebat, etiam apud gentes Barbarũ, & toto orbe, quem & Darius & Cyrus agnouerant. Credebant enim unum ſolum deum eſſe, conditorem & moderatorẽ cœli & terræ, cuius ſolius ſe cultores Iudæi confitebantur. Addunt, non omnino nouam ſe domum dei templum extruere, ſed dirutum ab impijs Babyloniorum ſtituere, ad dei ſummi gloriam atque cultum. Quod olim Salomon ædificaſſet primum, qui ſolus quoad uixit totius gentis Iſraeliticæ rex fuerit, & quidẽ potentiſſimus, omnibus modis magnus, & totum abſoluerit rex, etiam eo nomine felix.

7 Et quoniam patres nostri exacerbantes erant, & peccauerunt in deum Iſrael, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babyloniæ, regis Chaldæorum, & domũ istam demolientes incenderunt, & populũ captiuum duxerunt in Babylonem.

Humiliter reiciunt infortunium in peccata ſua, quia patribus dominum deum ſuum offenderant, irreligioſe uiuentes, & uerum dei ſui cultum negligentes. Ideo ſe agnoſcunt digne tractatos pro meritis. Nunc uero in gratiam denuo ſuſcepti, & reducti ad propria, oportere ſeruire deo gioſius poſthac ſeruire deo, ad quod neceſſe in primis habeant extruere templum, & iuxta legem domini deiſq; ſacra peragere. Diuinis parere legibus, & à priſtina idololatria cauere ſibi. Nominant autẽ Chaldæorũ regem, quem & Darius & eius præfecti non poterant nõ odiſſe, cuius imperium funditus iam ante deſtruxerant, ſub quo captiui iam diu fuerant propter peccata, nuper autẽ ex gratia Perſarum regum remiſſi fuiſſent ad propria, et permiſſi iam altera uice extruere templum ſummo deo, prout uouerat ſe facturum Darius iam ante.

8 In primo anno regnãte Cyro rege Babyloniæ, ſcripſit Cyrus rex domũ hanc ædificare, & illa ſacra uaſa aurea & argẽtea quæ extulerat Nabuchodonoſor de domo quæ eſt in Ieruſalẽ, & cõſecrauerat ea in ſuo templo, rurſus protulit ea Cyrus rex de templo, quod erat in Babylonia, & tradita ſunt

Zoro-

Zorobabel & Salmanasaro subregulo.

Addunt se nihil temere tentasse, sed indulgentia regis olim Cyri, qui cœperat etiam imperator Babylonius erat, ad cuius splendorem & ornatum ex fide in dicti, qui ædem sacram domino deo summo extrui præcebylomo Nabuchodonosor ex domo domini, quæ & renum, reddidit dudũ ablata uasa aurea & argentea à Baferenda cõmendauit dudum duci Iudæorum Zorobabel, cuius nunc auspicijs domus extruitur, qui & alio nomine putatur fuisse dictus Chaldaico, scilicet Salmanasar, alibi scripto Sassabasar, qui & ipse nunc subregulus dicitur Iudaicæ gentis.

9 Et præceptum est eis ut offerrent hæc uasa, & reponerent in templo, quod erat in Ierusalem, & ipsum templum dei ædificare in loco suo. Tunc Salmanasarus subiecit fundamenta domus domini, quæ est in Ierusalem, & exinde usque nunc ædificatur, & non accepit consummationem.

Ad hoc autem data & relata sunt pretiosa hæc uasa, ut in usum eundem denuo uerterentur, propter quem confecta erant, ut statuerẽtur in templum, quod debebat esse in Ierusalem: unde & consequens erat, uoluisse regem etiam instaurari templum, quod & nominatim decreuerit. Ab illo autem tempore Zorobabel qui & Salmanasarus hic dicitur, fundamẽta disposuit templo, à quo tempore usq; in hoc nimis tepide ædificatum est. Hoc autem maluerunt Iudæi subregulo respondere & loqui, quàm dicere prohibitam denuo à Cyro extructionẽ templi. Nec recens indultum produxit, sed permisit inuestigari uoluntatem ex ipsomet rege, & suis aulicis.

10 Nunc ergo si iudicatur à te ô rex, perquiratur in regalibus bibliothecis Cyri regis, quæ sunt in Babylonia, & si inuentum fuerit consilio Cyri regis cœptam esse structuram domus domini, quæ est in Ierusalem, & iudicatur à domino rege nostro, scribat de his nobis.

Sufficiebat Sisennio indicasse quæ gererentur, in sibi demandata prouincia, & allegari scripta iura & priuilegia quæ habebantur in Cancellaria quam uocant, uel in scrinijs secretioribus imperialium scribarum. Ad quæ transmittit inuestiganda, pro comperienda ueritate negocij. Bibliotheca dicitur fuisse in Babylonia, non in urbe iam destructa, sed in prouincia quæ dicebatur Babylonica, propter amplitudinem imperij in quo erat Ecbatha nis, de qua subditur.

11 Tunc Darius rex præcepit inquiri in bibliothecis, & inuẽtus est in Ecbathanis oppido, quod est in Media regione locus unus, in quo scripta erant ista.

Maluit iuxta antiquum Cyri decretum templum erigendum confirmare, quàm nuperum indultum allegare, ne pro sui nouitate quenquam aulicorum offenderet, sed de Cyri quoque serioso mandato certior fieret. Ecbathanis duplex in Persidis regno est. Celebrior autem quæ in prouincia Medorum, de qua in Tobia legimus, quomodo fuerit metropolis Mediæ prouinciæ. Sic profuerit annotata seruari in bibliothecis magnorum regũ, imò etiam minorum, & cuius libet urbis ac communitatis, essęq; uiros Acommentarijs dictos, talium curatores.

12 Anno primo regnante Cyro, rex Cyrus præcepit domum domini, quæ est in Ierusalem ædificare, ubi incendebant igni assiduo, cuius altitudo sit cubitorum decem, et latitudo cubitorum sexaginta, quadratum lapidibus politis trib⁹, & meniano ligneo eiusdem regionis, & meniano uno nouo, & impendia dari de domo Cyri regis & sacra uasa domus domini tã aurea quàm argentea, quæ extulit Nabuchodosor in domum domini, quæ est in Ierusalem, ubi erant posita, ut ponantur illic.

Exemplar scripturæ est, quæ annotata à Cyro olim fuerat, quæ uerbotimquoque habetur in Esdra libro primo capite sexto, unde petatur explicatio eius, si quæ necessaria uidebitur, addito quod hic altitudo scribitur decem cubitorum, cum scribi debeat cubitorum sexaginta.

13 Et præcepit curam agere Sisennem subregulum Syriæ & Phœnicis & Satrabuzanem, & sodales eius, & qui ordinati erant in Syria & Phœnice præsides, ut abstinerẽt se ab eodem loco.

Obmittuntur hic quædam, quomodo consenserit Darius decreto Cyri, & illud ratum uoluerit, qua ratione ipse quoque Zorobabeli facultatem dederit de nouo, ac miserit ad agendũ quæ nunc fiebant. Audiens enim quid Cyrus præcepisset olim pro gloria dei promouenda, ipse quoq; ad idem propensior, statim per literas præcipit subregulo Syriæ, cæterisq; præsidibus prouinciæ, ne sinerent quenquam negotium facessere Iudæis, & ne ipsi quoque aliud quàm bonum agerent cum eis, tantum abesse, ut uelit ab aliquo opus domini impediri.

14 Et ego quoq; præcepi in totum ædificare, & prospexi, ut adiuuent eos qui sunt ex captiuitate Iudæorũ donec consummetur templũ ædis dñi, & à uexatione tributorũ Cœlesyriæ & Phœnicis, diligẽter quantitatem dari his hoĩbus ad sacrificiũ domini, Zorobabel præfecto, ad tauros, & arietes, & agnos, similiter aũt & frumentũ, & sal, et uinũ, & oleũ instanter per singulos annos, prout sacerdotes qui sunt in Ierusalẽ, dicta uerint cõsumi quotidie fine ulla dilatione, ut offerantur libationes summo deo pro rege & pueris eius, & orẽt pro ipsorum uita:

Iam denuo commendat negotium promoueri, sine alicuius impedimento, quod iã ante nuper Zorobabeli commiserat, ut totum templum ædificetur. Deq; auxiliatoribus illi prospicit, quos uult esse non Syrios uel Ammonitas, sed eos qui ex captiuitate Iudæi redierant. Nec desistendum, donec conficiatur totum opus templi dominici. Ad quod ut feruentiores insistant, iubet quod & antea, immunes esse Iudæos à tributorum onere, quod præ

Deuotio Ethnicorũ.

fides Syriæ exigere à Iudæis non debeant. Sed magis ex regalibus tributis, certam quantitatem offerre in sacrificia domini, ad emendum tauros, arietes, & agnos, quæ pro salute totius imperij, proq; uita regis & filiorum offerri præcepit. Simul omnia necessaria uult impendi pro sacrificijs: frumentum pro panibus & tortis: sal quod omnibus sacrificijs adesse iubebatur ex lege: oleum ad libamina & panes. Idq; uolebat reddi, non tantum durante ædificatione templi, sed in singulos annos postea, prout sacerdotes dictassent & postulassent, secundũ legem, in diebus festis ac alijs sacrificanda. Summo enim deo, cui iam sese & regnum & filijs cupiebat commendatissimum, ut dubium non sit, ipsum & similis fidei homines, deo gratos fuisse tunc & semper, quod non sit acceptio personarum apud deum.

15 & denuncietur, ut quicunq; transgressi fuerint aliquid ex his quæ scripta sunt, aut spreuerint, accipiatur lignum de suis proprijs, & suspendantur, & bona ipsorum regi ascribantur. Propterea & dominus, cuius nomen inuocatum est ibi, exterminet omnem regem & gentem, qui manũ suam extenderit prohibere, aut male tractare domum domini illam quæ est in Ierusalem. Ego Darius rex decreui quàm diligentissime secundum hæc fieri.

Non solum facienda præcepit, sed & transgressiones & obmittenda punire decernit rex pius, denunciando extremum supplicium omnibus, temere leges spernentibus & inobedientibus, in uita & rebus, in personis proprijs & posterorum. Quid autem religiosius expectari in hac causa potuisset à sanctissimo aliquo Iudæorum rege olim, quàm quod hic sua sponte per dei gratiam præuentus decernit, ut cupiat ex animo exterminari omnem regem ac principem, paruos & maiores, gentes & gentium reges, nempe, ut qui huic diuino cultui, & religioso loco, & pijs personis, quicquam aduersi intulerit, male quomodocunque tractauerit domum domini, ab omni potente & iusto deo prorsus exterminetur ab hac uiuentium terra, id quod agit hic rex Persarum Darius.

CAPVT VII.

1 NVnc Sinsennes subregulus Cœlesyriæ & Phœnicis, & Satrabuzanes, & sodales obsecuti his quæ à Dario rege erant decreta, infiftebant sacrosanctis operibus diligentissime, cooperãtes cum senioribus Iudæorum principibus Syriæ, & prosperata sunt sacrosancta opera prophetantibus Aggeo & Zacharia prophetis.

Intelligentes tanti regis deuotionem & fidem ad unius dei omnipotentis cultum Sisennes qui & dicitur Tathanai, & cæteri prouinciarum præsides, ex acceptis epistolis, pro more omnium aulicorum attemperauerunt se beneplacito regis, & ad domini dei Israel legitimum cultum & honorem suas porrexerunt partes, multa solicitudine curantes, diligenter impleri uoluntatem regis per omnia. Non solum fieri permittentes quæ Iudæi præsumpserunt, sed & insuper pro omni uirili sua adiuuerunt studia Iudæorum, in gratiam regis sui, instigati ad id gratia & instinctu dei, qui omnia agit in omnibus, eque in gentilibus ac in propria gente, quod dominus sit omnium, in cuius manu sunt omnium corda & opera. In sistebant, inquit, & illi principes, promouendo ædificationem templi dominici diligentissime. Eatenus ut etiam Iudæorum duci & tribuum principibus auxilio fuerint authoritate sua, ut Iudæi quoque ipsi alioqui tardiores ad opus, ausi non fuerint detrectare opus, & impensas procurarint ad uoluntatem regis Darij. Suadentibus ad idipsum prophetis sanctis, Aggeo & Zacharia, de manu dato domini, ut tanto maiori ex omni parte alacritate, operi omnes accingerentur.

2 Et consummauerunt omnia per præceptum domini dei Israel, & ex concilio Cyri, & Darij, & Artaxerxis regis Persarum. Et consummata est domus nostra usq; ad tertiam & uicesimam diem mensis Adar, sexto anno Darij regis.

Studiose incumbebant pariter omnes, animati multis rationibus. Primum, quia id domino deo suo gratum audirent à prophetis. Insuper id regem uelle, & omnes alacri uoluntate certatim incumbere cernentes. Maxime quod id scirent non tantum iam Darij, sed & olim Cyri præceptum fuisse, regum Persarum & Medorum, quorum tunc imperio regebantur, et mandatis obsequi operabat. Qui omnes reges Artaxerxes uocabantur communi nomine, sicut Aegyptiorum reges Pharaones, hoc est uindices, & Romanorum Cæsares & Augusti. Quorum omnium studijs consentientibus contigit, ut statim & uelociter excresceret ædificium sacrum, & tandem absolueretur uigesimatertia mensis Februarij, sexto anno Darij. Esdras habet tertiam Adar, incertum quod uerius nisi quod Esdræ libro ueluti canonico maior debetur authoritas.

3 Et fecerunt filij Israel, & sacerdotes et Leuitæ, & cæteri qui erant ex captiuitate, qui appositi sunt, secundũ ea quæ scripta sunt in libro Moysi. Et obtulerunt in dedicationem templi domini, tauros centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, & hœdos pro peccatis uniuersi Israel duodecim, secundum numerum tribuum Israel.

Reliqua solennitas

Restabat solennitas gaudium publicum atque sacrum pro dedicatione optatissima domus domini dei, à tot iam annis desideratam permaxime, quam in communi celebrauerunt omnes Israelitæ reuersi, & iam in hereditatibus suis habitantes. Qui omnes conuenerunt, conuocati ad gaudium certo die, cum sacerdotibus Leuitis, iam indutis solenniter, secundum traditiones diuinas, scriptas in lege dei per Mosen. Non autem agebantur solennia huiusmodi sine sacrificijs quæ fiebant de enumeratis animalibus hoc loco, quorum aliqua minor portio comburebatur in ara, aliqua pars sacerdotibus, aliqua Leuitis, maior autem populo gaudenti in publicis epulis proponebatur.

batur. Non tamen obmittebatur sacrificium pro peccatis pro singulis duodecim tribubus hœdus unus, qui totus comburebatur, nihil edebatur de eo ab aliquo. Certa quoq; portio iuxta legem de panibus, sale, uino, & oleo adhibebatur in cibos, & in lætitiam spiritualem fidelibus, omnia in gloriam dei & pro gratia agenda.

4 Et steterunt sacerdotes & Leuitæ amicti stolis per tribus super opera domini dei Israël, secundum librum Moysi, & ostiarij per singulas ianuas. Et egerunt filij Israël cum his qui erant ex captiuitate, illud pha-
se quartadecima luna mensis primi, quando sanctificati sunt sacerdotes & Leuitæ.

Secundum tribus Leuiticas stabant in ordinibus, uicis & officijs suis, sacerdotes & Leuitæ, amicti sacris indumentis, canentes deo laudes secundum Dauidicos Psalmos, & musicis instrumentis, non sine exhortationibus sacris, ad amorem, reuerentiam, cultum & obedientiam dei, ex recitatis è lege & prophetis lectionibus, pro more quem semper seruarunt, usq; ad tempora quoq; Christi & apostolorum: alioqui parua ad ecclesiam rediisset utilitas, si tantũ stantes in atrio induti stolis cecinissent, quanquam & canticis idoneis auditores ædificari possint, si scilicet cantores in aulis principum & ecclesiastici canant, non ludicra, uana & turpia, sed panegyres, laudes uirtutum, magnalia patrum, sanctimoniam piorum, regulas uiuendi, admonitiones principum, castimoniam matronarum, & uirginum, disciplinam iuuenum. De huiusmodi cantiones instituendæ essent, & resonare aulas principum, conuentiones hominum piorum, de magnalijs dei nostri, De Christi domini beneficijs & salute, de sanctorum exemplis & uirtutibus, sine inuocationibus & adorationibus creaturarum. Nos nihil modorum seruamus, uel prorsus adoramus sanctos, uel nihil moramur illorum exempla. Dominus erudire uelit ipsorum posteros, secundum uerbum dei, quod illi imitati sunt, ut nos quoq; sequamur. Qui erant ex captiuitate, hoc est redierant de ea, phase celebrarunt statim post dedicationem templi, prima lunatione Nisan, cuius quartadecima iuxta legem agnus mactabatur, & quintadecima, dies magnus celebrabatur paschæ, & consequenter sex aliæ feriæ usque ad octauam, ut patet ex lege. Sanctificari sacerdotes & Leuitas, est purificari & præparari ad oblationes & alia, in cultu dei præstanda.

5 Omnes filij captiuitatis non sunt simul sanctificati, quia Leuitæ omnes simul sanctificati sunt. Et immolauerunt phase uniuersi filij captiuitatis, & fratribus suis sacerdotibus & sibimetipsis.

Filij captiuitatis dicuntur, qui redierant ex Babylone, qui ut non simul uenerant, & hæreditates recuperarant, sic non simul poterant ad paschæ solennia emundari. Leuitæ autem aptauerant se studiosius. Sic autem contigit omnes pariter interesse, ut fuerit tunc necesse institui secundum pascha mense secundo, prout iuxta legem fuerat ordinatum. Hæc autẽ celebratio paschæ erat quasi noua fœderis constitutio, & renouatio diuini cultus, professioq; totius legis seruandæ, doctrina morũ & fidei, præfiguratio Christi domini, quem stante adhuc eo nuper ædificato templo, uenturũ Aggæus ex ore domini prophetabat.

6 Et manducauerũt filij Israël, qui erant ex captiuitate omnes qui remanserant ab oĩbus execrationibus gentium terræ quærentes dominũ, & celebrauerunt diem festum azymorum septem diebus epulantes in conspectu domini, quoniam conuertit conciliũ regis Assyriorũ in eos, confortare manus eorum ad opera domini dei Israel.

Execrationes gentium dicuntur Hebraico more anathemata, hoc est, oblata gentium munera pro cultu dei optimi maximi, qui colebatur tantum legitime in Ierusalem. De huiusmodi sacrificijs à gentibus oblatis in hac solennitate, epulas Iudæi cum gaudio faciebant, de gentilium fide in dominũ & deuotione gaudentes, quorũ iam corda permouebantur ad Domini dei omnipotentis, qui in Ierusalem colebatur, reuerentiã & fidem. Incipiebant enim quærere dominũ etiam exteræ gentes et colere suo modo, id quod missis pro holocaustis muneribus testabantur. Iudæi autem continuabant festum iuxta legem, dies azymorum, epulantes in conspectu domini, hoc est cum omni reuerentia & fide dominum colentes, & in eius notitia & amore proficientes, gratias agentes deo, qui consilia Regũ in dei gloriã & suum solatiũ conuertisset.

CAPVT VIII.

1 ET post hũc, regnante Artaxerxe Persarum rege. Accessit Esdras filius Azariæ, filij Helchiæ, filij Solome, filij Sadoch, filij Achitob, filij Ameri, filij Azahel, filij Bocci, filij Abisue, filij Phinees, filij Eleazari, filij Aaron primi sacerdotis.

Eadem hic dicuntur quæ scripta sunt Esdræ primo capite septimo, uerbis tantum quibusdam mutatis. De nomine Artaxerxis quæsto est etiam apud Hebræos, Rabi Salomone dicente eum alio nomine Darium dici, de quo iam dicta exponuntur. Iosephus uero filium Darij Xerxen uocat. Regnauit autẽ Darius hic annos uiginti sex, cuius regni, ut dictum est sexto, absolutum est templum, ut uerisimile non sit Esdram tardasse tamdiu apud regem Darium, triginta scilicet annis uitæ residuæ regis, multo minus per uiginti annos insuper sequentes, quibus regnauit post Darium Xerxes, post quem septem mensibus alter quidam quem sequutũ historici dicunt Artaxerxem. Certius autem uidetur statim quidem sub Cyro cum Zorobabele primum ascendisse. Deinde sicut & Zorobabel reuersum ad regis præsentiam, donec Darius regnaret, cuius anno secundo Zorobabel redijt, & cum Iosedech sacerdote templum extruxit & perfecit. Quod audiens Esdras & ipse redijt cum multis, anno scilicet septimo, non templi extructi, sed regis Darij, ut satis probabile sit, eundem, ut dictum est, proprio nomine regem dictum fuisse Darium, qui generali nomine Xerxes uel Artaxerxes dictus est. Accessisse dicitur ad suam hære-

ditatem ad Ieroſolymam, cum multis qui commemorantur. Is autem Eſdras filius hic dicitur Azariæ, qui in Eſdra dicitur Saraias, cuius ſubinde pater fuit Azarias, ut ſcribitur in Eſdra, ut hic mendum cernatur. Huius autem Azariæ pater uel auus Helchias fuit. Qui uero hic Salome dicitur, alibi Sallum legitur. Et qui hic Ameri, aliàs Amarias legitur. Azahel uero hic, dicitur in Eſdra Azarias, cuius ibi pater Maroioth, auus Zararias, qui filius dicitur in Eſdra eius, qui dicitur ibidem Ozi, qui filius fuit Bocci, qui hic ſcribitur tribus, ut uidetur, obmiſſis pro more Iudaicorum ſcriptorũ. Multo pluribus conſequẽter obmiſſis, uſq; ad Abiſue, ac deinde plures quoq; ad Phinees, qui fuit nepos per Eleazarum primo ſacerdoti Aaron. Hæc proficit annotaſſe, ut Lector in catalogo genealogiarũ nuſquam aliud exigere ab hiſtoria præſumat: quis enim totum ordinem ubiq; repeteret, qui annotatur primo libro Præteritorum capite quinto?

2 Hic Eſdras aſcendit de Babylonia, cum eſſet ſcriba, & ingenioſus in lege Moyſi, q̃ data eſt à dño deo Iſrael, docere & facere.

Secundum prædicta bis aſcendit è Babylona prouincia, ſemel & primo ſub Cyro, ſecunda uice ſeptimo anno Darij, qui fuit proximior Cyro, quocunq; cognomine appelletur. Quomodo autem ſcriba ingenioſus hic dicatur, alibi uelox, lege apud Bedam ex Ordinaria gloſſa, Eſdræ ſtudia. *uel ſi placet noſtra in Eſdram amplectere. Quod uero dicitur aliàs literas excogitaſſe, Hieronymus à Iudæis audiuit, noſtrates & qui ſequuti ſunt pernegant. Bonus autem doctoris eſt, exemplo Eſdræ docere legẽ domini dei Iſraël & facere, ut uerbo & exemplo doceat, quando magis exempla mouent quàm uerba.*

3 Et dedit ei rex gloriam quod inueniſſet gratiam in omni dignitate & deſyderio in conſpectu eius.

Qualẽ Darius gloriam dederit Eſdræ, ſatis claret ex epiſtola, et quia quæcũq; poſtulauerat aſſequutus eſt pro ſe & gente ſua, idq; magis diuina gratia proſequente utrũq; quàm operũ meritis. Vtriuſq; operis uſus eſt Dominus in gloriã ſuam, regis quidem in proſperitatem & tranquillitatẽ fideliũ, Eſdræ aũt in legis diuinæ explicationẽ, ad quam eum reddidit ſua inſpiratione aptiſſimũ, ne quid unquam in hominibus glorietur qui gloriatur.

4 Et aſcenderunt ſimul cum ipſo ex filijs Iſraël, & ſacerdotibus, & Leuitis, & ſacris cantoribus tẽpli, & oſtiarijs, & ſeruis templi in Ieruſalem.

Nõ ſoli de captiuitate redeunt ad terrã ſanctã, ſed pluribus comitati, dudum bis Zorobabel, nũc quoq; Eſdras. Hic uero ex filijs Iſraël cõmemorantur multi aſcendere, præter eos qui de tribubus Iuda & Beniamin redierant, quos Nabuchodonozor ceperat. Iam enĩ cũ Ezra intelliguntur aſcendere, multi ex Iſraelitis, quos Salmanaſar rex Aſſyriorũ tranſtulerat, licet non oẽs, qui audiẽtes fauore Cyri et Darij permiſſam licentiã, ſucceſſiue iam iſti nũc illi aſcendebãt. Quia uero ſacerdos erat, ideo de genere ſuo multi ſecum uenerunt ſacerdotes, Leuitæ, cantores, ianitores, et Nathinnei, qui hic ſerui dicũtur templi dominici, quos Iudæi Gabaonitarũ poſteritatẽ affirmant.

5 Anno ſeptimo regnante Artaxerxe in quinto menſe: hic annus ſeptimus eſt regni, exeũtes de Babylonia nouilunio quinti menſis uenerunt Ieroſolymã iuxta præceptum illius, ſecundum proſperitatẽ itineris à domino ipſorum datam eis.

Non ſolum in his poſterioribus libris multum impe- Notanda uarietas. *dit uarietas nominũ, ſed etiã in ſæcularibus hiſtorijs, ſubidem tempus à Cyro uſq; ad Alexandri tempora multa eſt differentia in Regũ nominibus, propter numiana ambitionem, qua iſti reges multis nominibus appellari ſtudebãt. Hic ſeptimus annus fuit Darij regis, in quo regno, cuius quinto menſe uenerunt in Ieruſalem, cum primo die menſis primi aſcendere inchoaſſent, de Babylonico regno, quod tunc Perſarum erat atq; Medorum. Proſperitas autem aderat fidelibus ex omni parte perſonarum, locorum & temporum, nõ aliunde quàm à deo, non meritis obtenta humanis, ſed gratia conceſſa diuina.*

6 In his enim Eſdras magnam diſciplinam obtinebat ne prætermitteret quicquam eorum quæ eſſent ex lege domini & præceptis, & docendo uniuerſum Iſrael omnem iuſtitiam & iudicium.

Diſciplinam obtinere dicitur Eſdras, hoc eſt ſtudioſiſſimam nauabat operam, & diligenter zelabat obſeruantiam omnium, quæ iuxta legem domini agenda ſciebat ut nihil obmitteretur, pertinens ad doctrinam ſanam in uerbo, & iuſtitiã iudiciumq; in opere, ne quid in fide uel moribus peccaretur. Vniuerſum Iſraelem dicit, eorũ ſcilicet qui conuenerant iam, & quotidie aduenubant ex omnibus tribubus diſperſis paſſim in regnum Medorum, Perſarum, et Babyloncum, cui ſubditũ Aſſyriacum erat, ut oĩbus per uniuerſum Cyri & Darij imperiũ diſperſis Iudæis redire licuerit, quo minus ueriſimilis ſubſit ſola ſit de Iudæis alicubi clauſis in montibus Caſpiæ, quæ multis & magnis authoribus impoſuiſſe uidetur.

7 Accedentes autẽ, qui ſcribebant ſcripta Artaxerxis regis, tradiderunt ſcriptũ quod obuenerat ab Artaxerxe rege ad Eſdram ſacerdotem & lectorem legis domini, cuius exemplum ſubiectum eſt.

Qui à ſecretis uel à commentarijs erant regi Darij, ſua ſponte de regis mandato Eſdræ ſacerdoti & doctori literas commendatitias dabant, ad Iudæorum duces & gentem, qui lector dicitur legis diuinæ, hoc eſt ſcriba & doctor inſignis. Iudæorum magiſtri teſte Rab. Salomone tradunt hunc Eſdram fuiſſe ipſum Malachi, duodecimum prophetarum minorum.

8 Rex Artaxerxes Eſdræ ſacerdoti & lectori legis domini ſalutem. Humanior ego iudicans in beneficijs, præcepi eis qui deſyderant ex gente Iudæorũ ſua ſponte, & ex ſacerdotibus & Leuitis, qui ſunt in regno meo, comitari tecum in Ieruſalem.

Satis hæc litera docet Chriſtianos principes & magiſtratus, qua ueneratione & obſeruantia colere debeant

Sacerdotes dei honorandi.

sacerdotes dei, & famulos fideliumq; doctores, sine quibus pietas & iustitiæ fructus non perseuerant in populo, quibus cessantibus, etiam obedientia uera & liberalis fauor deficit, ut pax nulla possit consistere. Nominatum doctorem legis doctissimum, illiq; mansuete imperatur salutem rex gentilis, qui erat et dicebatur rex multorum regnorũ. Quem Esdram reges olim Israëlitarum uix dignati fuissent alloquio, sed potius persequi cogitassent, ingratissimi semper deo suo. Satis incondite loquitur hic translator, cum dicere uelit, pro clementia nostra quæ magnos principes decet, cupiens beneficus esse ad subditos quosq; etiam infimæ & seruilis conditionis homines bonos, quales intelligo esse Iudæos in regno nostro dispersos, placuit mihi & consiliarijs meis, ut permitterem omnibus Iudæis, desyderantibus reditũ in patriam, & ad hæreditates paternas, ut Esdram sacerdotem comitari licite possint, siue sacerdotes sint & Leuitæ, siue ex plebe Iudaica, quicunq; sponte cupientes reuerti. Vbi nulla cum exceptio habeatur, sicut & in mandato Cyri, satis constat multos ascendisse, omnes scilicet qui uolebant, & dei cultũ zelabant: improbi uero, qui nulla numinis obseruantia tenebantur, pro se & suis posteris interim in seruitute manent, nisi aliqui cũ tempore resipiscentes, postea redierint, qd' admodũ uerisimile uidetur.

9 Si qui ergo cupiunt ire tecum, conueniant & proficiscantur sicut placuit mihi & septẽ amicis meis consiliarijs, ut uisitent ea quæ aguntur secundũ Iudæam & Ierusalem, obseruantes sicut habes in lege domini, et ferant munera dño Israel, quæ noui ego & amici Ierusalem, & omne aurũ & argentum, quod inuentũ fuerit in regione Babyloniæ, domino in Ierusalem cum illo, quod est donatũ pro ipsa gente in templũ domini eorũ quod est in Ierusalem, ut colligatur hoc aurum et argentũ, ad tauros & arietes & agnos & hœdos, & quæ his sunt congruentia, ut offerant hostias dño super altare domini ipsorũ, quod est in Ierusalẽ.

Liceat uolentibus ascendere tecũ, conuenire & trahere de commoditate itineris, hoc enim mihi placuit & satrapis. Permittitur illis, ut uisitent suam hæreditatẽ, et intersint diuino cultui & doctrinæ, quæ omnia discent à sacerdote, ut secundũ illa uiuant et agant in Iudæa & Ierusalem, obseruantes legitima domini dei sui: & munera offerant eidem ex liberis donationibus, tam gentiliũ dehortorũ, quàm Iudæorũ, nondum ascendere deliberantiũ, ut de auro & argento colligendo nõ tantũ extruant necessaria ad templũ, sed et sacrificia emant animaliũ offerendorũ, iuxta legem suam, pro seipsis & nobis, qui gratiam dñi dei consequi desyderamus. Cætera uide in primo Esdræ, ubi breuior hæc epistola et summatim legitur.

10 Et oia quæcunq; uolueris cum fratribus tuis facere auro & argento, perfice pro uoluntate tua, secundũ præceptũ domini dei tui, & sacrosancta uasa, quæ data sunt tibi ad opera domus domini dei tui, quæ est in Ierusalem, & cætera quæcunq; tibi subuenerint ad opera templi dei tui, dabis de regali gazophilatio, cum uolueris cum fratribus tuis facere auro & argento, perfice secundum uoluntatem domini.

Credens Esdram religiosum, iustũ & fidelem cum cæteris sacerdotibus & Leuitis, quos fratres eius nominat, libere permittit agere de auro et argento quod libeat, secundum eorũ bonam conscientiã, iuxta sacram eruditionem ex lege domini cuncta agentibus. Talibus enim tutò cõmittuntur diuitiæ ecclesiasticæ, ut olim factũ nouimus sanctissimis patribus Columbano, Mangoaldo, Imerio, Mauro, Gallo, Othmaro, Pirmeno, & similibus, nõ alia ratione diuitias suscipiẽtibus, quàm ut egẽtibus ministrarent & distribuerẽt, inde frugalissime uictitarent, et secum sacra discentibus, agentibus, et docentibus ad arctã necessitatẽ diuiderent. Tandem autẽ ignari primæuæ institutionis pertesiq; pietatis huiusmodi, dominos se fecerunt bonorũ, & qui illis docendi fuerant cõmendati, & nutriendi, hos sibi tyrannuco iugo subiugarunt, obliti se patres esse maluerunt domini dici: nec id satis, sed secundum auctas pauperũ exactiones & rapinas, principes se salutari uolunt, & principes Romani imperij, & depeculatores prouinciarum, unde corrasa ferè pro maxima parte erogare cogantur sæcularibus hominibus, nescio qualibus, ut ipsorũ brachio sæculari, in hoc ipsis præscripto iniuriarum iure, & possessione indigna perseuerare possint. Nihil minus ferentes, quàm admoneri se de pristino monasteriorũ instituto, & Abbatum officio, quorum mensa cum pauperũ et peregrinorũ solatio seruire deberet, ipsi sibi cuncta uendicant, ausi etiam iactare multa millia aureorũ proprie exponenda in mensam Abbatis, quales nunc summa improbitate abliguriunt, uolunt, tamen reuerendissimi patres salutari: taceo de equis & canibus fouendis in locum pauperũ, uel ad iacturam saltem eorum. Sed multo maiora de his lege in apologia sancti Abbatis Bernhardi, ad Guilhelmum, illi respondeant qui rei sunt, antequam mihi. Caueant ergo sibi nunc principes, ne talibus scribis & sacerdotibus posthac permittant dispensationem tantarum diuitiarũ, nisi primæuam cernantur pietatem resumere, et uere esse populorũ alicubi patres, quod ubi neglexerint, etiã sibi principes caueant, ne ex huiusmodi anathemate sese polluant, & ecclesiastica bona non in ecclesiæ utilitatẽ conuertant, ne simili maledictione à domino in se & posteris plecti eos contingat. Aurũ est Tolosanum, eo nõ probe utentibus. Non sic Esdras agebat sacerdos, uerum ex posteris illorũ sacerdotum, quid mali emerserit satis Iosephus, liber Machabæorum & Euangelia docent, quando obmisso docendi officio & studio legis, fastum sectati sunt & luxum, ex pietate quæstum egerunt, & pro uerbo dei suas traditiones obtruserunt, ueritatis assertores, Christum & apostolos sunt persequuti. Cõmendat hic rex Esdræ doctori argentũ & aurum, ut de eis quæcunq; uelit pro sua uoluntate peragat, sed iuxta præceptum domini dei sui. Nunquam alia fuit intentio eorũ, qui monasteria dotarũt tam magnifice, quàm quod pro bona uoluntate sanctorum officia & institutio.

Abbatum sanctorum officia & institutio.

Abbates moderni.

Fundatores monasteriorum.

ctorum, quam credebant principes uiri, omnia ordinarentur ad dei uoluntatẽ, & ecclesiæ, hoc est, ecclesiasticorum profectũ, ad nullum omnino luxum, sed secundum dei præceptum. Vasa sacrosancta erant decreta à lege Mosaica, pro sacrificijs rite perficiendis, tantũ Ierosolymis: expensas quoq; pro extructione templi, quod includit omnia ædificia iuxta templum. Omnia hæc de fisco regis exhiberi iubentur sancto sacerdoti pro suo iudicio.

11 Et ego quidem rex Artaxerxes præcepi custodibus thesaurorum Syriæ et Phœnicis, ut quæcunq; scripserit Esdras sacerdos, & lector legis Domini, diligenter detur ei usq; ad argenti talenta centum, similiter & auri, & usq; ad frumenti modios centum, & uini amphoras centum, & alia quæcũq; abundant sine taxatione.

Liberalitas regis ostenditur, et probitas sacerdotis pariter, gentiliũ quoq; fides, dei gratia in uocatione Ethnicorũ, unde ingratitudo arguitur Iudæorũ, simul mysteriũ uocandæ ecclesiæ ex gentibus: quæ longe deo diligẽtius adhærebit, uerbũ domini tractabit dignius, et fidem cum moribus promouebit felicius in orbe uniuerso terrarum, quàm Iudæi potuerint uel uoluerint. Nõ parcit expensis proprijs rex gentilis, tantum ut deus religiose colatur.

12 Omnia secundũ legem dei fiant deo altissimo, ne fortè exurgat ira in regno regis, & filij, & filiorum eius.

Sic quidem tot tradit & tanta sacerdotibus dispensanda, ut omnia fiant secundum beneplacitũ dei altißimi, quod ex ipsius uerbo & lege discatur: nihil enim cõplacet deo nisi quod legi suæ concordat. Quia autẽ gentilis erat, & imperfectior in fide, tantũ timore permoueri uidetur ad talia, non amore perfecto. Iram domini in regem & regnum ablegare contendit, & à posteris suis.

13 Vobis autem dicitur, ut omnibus sacerdotibus, & Leuitis, & sacris cantoribus, & seruis templi, & scribis templi huius nullũ tributum, neq; ulla alia indictio irrogetur, nec habeat quisquam potestatem obijcere eis quicquam.

Præfectis loquitur prouinciarum, ut ministris summi dei, illius & eius templi personis nihil tributi imponant, nec officijs regalibus uel publicis terrenis grauentur, ut emunitate gaudeant, & non possint ab aliquo indigne tractari. Quia uero odio multorum patebant, ideo prospicit illis de salute corporum & famæ, ne protrahi possint in ius à quocunq;, sed priuilegijs utantur, ut sine impedimento sacris incumbant officijs, ad quæ sunt instituti, de quibus statim sequitur: non enim otiosis uult concedi priuilegia, sed studiosis.

14 Tu autem Esdras secundum sapientiam dei constitue iudices, & arbitros in tota Syria & Phœnice, & omnes qui legem dei tui non nouerũt, doce, ut quotquot transgressi fuerint legem, diligenter plectantur siue morte, siue cruciatu, siue etiã pecuniæ mulctatione, uel abductione.

Esdram instituit totius gentis doctorẽ per se & alios à se instituendos, qui iuxta legem dei populum iudicent, ut olim Moses cum septuaginta uiris senioribus, qui tractent causas forenses, in tota terra Israëlitarum, quæ partim Phœnucia erat, partim Syria communi nomine dicebatur. Volebat neminem latere dei legem, quam omnes obseruare obligabantur. Authoritatem quoq; concedit, & dat potestatem puniendi transgressores, iuxta sententias legis politicæ & criminaliter, ut restitui illis uoluisse uideatur integrum statum suum, tantum ut subessent regibus Persarum, & non inuaderent aliena, sed suis contenti starent, et domino deo suo seruirent iuxta leges sui & paternas pias traditiones, pacificeq; uiuerent.

15 Et dixit Esdras scriba: Benedictus Deus patrum nostrorum, qui dedit hanc uoluntatem in cor regis, clarificare domũ suam quæ est in Ierusalem, & me honorificauit in conspectu regis, & consiliariorum, & amicorum & purpuratorum eius:

Gratias agit domino deo pijßimus Esdras, non pro adepta sua gloria uel authoritate, sed pro domini dei sui gloria iam propagata in gentes, imò in omnium fere gentium moderatores, ut desierint odisse unius dei cultores, sed animum sumpsisse promouendi gloriam dei uiui, cuius arbitrio sunt reges & regna, qui uoluntatis quoq; bonarũ est largitor, ut ne reges quidẽ uelint aliud quàm quod domino donante bonum intelligunt. Is glorificari nomen suũ iam cœpit, per gentiles ad unus dei fidẽ conuersos, qui domum suam adhuc Ierosolymis duraturam, uoluit iuxta legem honorari & glorificari donec templum appeteret ueri & generalis cultus, qui deferri posset ab omnibus in ueritate & spiritu, non uno tantum in loco, nec à gente una, sed ubiq; terrarum ab omnibus gentibus. Pro hac ergo sacra causa in dei gloriam se quoque honoratum gratias deo dicit, ut æquum est, agnoscens omne bonum desursum esse, & à deo pendere largitis.

16 & ego constans animo factus sum secundum opitulationem domini dei mei. Et congregaui ex Israel uiros, ut simul ascenderẽt mecum. Et hi sunt præpositi secundũ suas patrias & principatus portionales eorum qui mecum ascenderunt de Babylonia, in regno Artaxerxis.

Cernens domini dei circa me bonam uoluntatem, & prosperari institutum in manu mea, nõ fui negligens, sed oblatam opportunitatem in promouendum dei cultum, & consulendi genti electæ à domino nul siam cunctatus, sed nec solus totum præsumpsi, sed magnanimiter aggressus negotium, cum fauore dei, reliquos quoq; pios popu li primores conueni & congregaui, ut mecum ascenderent, & in dispositione tanti populi collaboratores existerent, iuxta mandatum dñi suis functionibus insistẽtes. Qui et nominatim censentur, familiarũ patres et tribuũ duces, non tantũ eos qui secum ascenderant, sed qui iam antè ascenderant, quos nunc in auxilium uocat, & iuxta regis uoluntatẽ authoritatẽ eis tradit docendi, regendi, iudicandi, puniendi pro negotiorum modis, unicuiq; gra-

gnando ſuum officium, locum et perſonas. Non eſt enim
ueriſimile hos tantũ prætuliſſe, qui ſibi itineris ſocij fue-
rant, quaſi iam pridem præcedentes omnes ad huiuſmodi
functiones deprehendiſſet inhabiles, ſed & prius ordi-
nata & nunc ordinanda omnia oſtendit fieri iuxta regis
gratiam & mandatum, ne quis recuſaret obedientiam.

17 Ex filijs Phares, Gerſomus. Ex filijs Sie
marith, Amenus. Filiorum Dauid, Accus
filius Sceciliæ.

Quandoquidem exemplariorũ uarietas & uetuſtas
non ſinut ad certum corrigi textũ, hoc oneris alteri com-
mitto qui uolet, & permitto quemq; legere quæ ſunt le-
cta hactenus, indicans tantum quæ uidentur ſine præiu-
dicio aliorum. Hic Phares uidetur legendum Phinees, de
cuius proſapia tunc extabat ſacerdos dictus Gerſon. Et
qui hic legitur Siemarith, in Eſdra eſt Ithamar, de cuius
poſteritate ex alio filio quàm erat Phinees, huius Eſdræ
cõtemporaneus nominatur. Hic quidẽ Amenus uel Ame
lus, qui alibi dicitur Daniel, quem non uideo eũ fuiſſe in-
ſignißimum prophetam, ſed eiuſdem nominis alium. Ex
poſteritate uero Dauidis primarius quoq; quiſpiã, tunc
erat Accus, filius Sceciliæ, aliàs Sceciliæ, quẽ Eſdras uo-
cat Hattus, cuius tamen ibidẽ minus bene diſtinctam lite-
ram ſuſpicor, quàm hic. Filius enim Sechenæ referendũ
18 putatur ad filium Dauid, non ad Pharus, de quo ſequitur.
Ex filijs Phares, Zacharias, & cum eo
reuerſi ſunt uiri centũ quinquaginta. Ex
filijs ductoris Moabilionis Zaraei, & cum
ipſo uiri ducenti quinquaginta.

Nobilis erat in tribu Iuda familia, dicta non à Pharez
filio Iuda, ſed à quodam alio, Pharus dicto, ex qua familia
tunc cum Eſdra aſcenderat Zacharias quidam dictus,
cum multis de eadem familia. Qui uero hic dicitur Za-
raeus ex filijs ductoris Moabilionis, in Eſdra melius
ſcribitur. De filijs Phahath Moab, Elionai, filius Zare-
he. Phahat enim ducem ſignificat. Ibidem quoq; nume-
rantur uiri tantum ducenti, non additis quinquaginta, ut
hic: ubi ſatis uidetur corrupta litera, cum pro Moabilio-
nis dici debuerit Moab Elioenai.

19 Ex filijs Zacues, Iechonias, Zechoeli,
& cum ipſo uiri ducenti quinquaginta. Ex
filijs Sala, Maaſias Gotholiæ, & cum ipſo
uiri ſeptuaginta.

Pro filij Zacues, Iechonias, Zechoeli uel Ieheli, in
Eſdra legitur de filijs Sechenæ, filius Ezechiel, & cum
eo trecenti uiri. Conſequenter hic obmittitur quiddam,
quod in Eſdra legitur. De filijs Adan, Abed filius Iona-
than, & cum eo quinquaginta uiri. Ibi uero ſubinde ſe-
quitur: De filijs Alam Eſaias, de filijs Athaliæ & cum eo
ſeptuaginta uiri. Quod hic aliter legitur pro Alam Sala
uel Sola, & pro Eſaia Maaſias Gotholiæ.

20 Ex filijs Saphatiæ, Zarias Micheli, & cũ
ipſo uiri octoginta. Ex filijs Iob, Abdias Ie
heli, & cum ipſo uiri ducẽti duodecim. Ex
filijs Baniæ, Salimoth filius Ioſaphiæ, et cũ
ipſo uiri centũ ſexaginta. Ex filijs Beer, Za
charias Bebei, & cũ ipſo uiri ducenti octo.

Pro Saphatiæ filijs Zarias Micheli, in Eſdra legitur:
De filijs Saphatiæ Zebedia, filius Michael. Sic pro filijs
Iob alibi Ioab legitur: & pro Abdias Ieheli, alibi legitur
Obedia filius Iahiel. Iterum hic uerius ſcribi uidetur, ex
filijs Baniæ Salimoth filius Ioſaphiæ, quàm in Eſdra, ubi
dicitur, De filijs Selomith filius Ioſphiæ. Similiter quod
hic habetur, Ex filijs Beer Zacharias Bebei, cum ipſis ui-
ri ducenti octo: in Eſdra legitur, De filijs Bebai Zacha-
rias filius Bebai, & cum eo uiginti duo uiri.

21 Ex filijs Ezead, Ioannes Azechan (aliàs
Eccetan) & cum ipſo uiri centum decem. Ex
filijs Adonicham ipſis poſtremis. Et hæc
ſunt nomina eorum, Eliphalam filius Ge-
bel, & Semeias, & cũ ipſo uiri ſeptuaginta.

Legendũ hic eſt, Ex filijs Aſath, Iochannes Azechan,
aliàs Achariæ, quod in Eſdra legitur, De filijs Azgad Io-
hanan filius Eccetan. Sic ſequitur ibidem, De filijs Ado-
nicam, qui erant nouißimi, pro quo hic legitur, Ex filijs
Adonichan ipſis poſtremis. Quaſi dicere uelit, Poſt om-
nes priores fuerunt plures nominati ex filijs Adonichan.
Eliphalam, alibi legitur Elipheleth, & Iehiel et Samaias.
Hic uero filius Gebel & Semeias in Eſdra additur quod
hic obmittitur.

22 Et congregaui eos ad fluuium qui dici-
tur Thia, & metati illic fuimus triduo, &
recognoui eos.

Hic fluuius dictus Thia, in Eſdra dicitur decurrere
ad Ahaua fluuium, qui dicitur Ahaſa, non procul ab Eu-
phrate. Caſtrametari eſt tentoria erigere, ubi interdiu
ab æſtu ſolis, noctu à frigore homines & iumenta aliquot
diebus perſeuerare poßint. Quo in loco numerati ſunt
præſentes, & redacti in catalogum.

23 Et ex filijs ſacerdotum & Leuitarum nõ
inueni illic. Et miſi ad Eleazarum & Eccе-
lon & Maſman & Maloban & Enaathan
& Samea & Ioribum, Nathan, Enuagan,
Zachariam & Moſollamũ ipſos ductores
& peritos. Et dixi eis, ut uenirent ad Lod-
deum, qui erat apud locum gazophylatij.

Multi prius cum Zorobabele ierant Leuitæ, hic autẽ
cum nullus appareret, ſolicitus erat aduocare tales com
mode. Vnde et miſit ex comitibus tunc ſecũ congregatis,
electos et ſpectabiles uiros, undecim hic nominatos, dans
eis in mandatis petere Leuitas doctos & idoneos ad tem
pli adaugendum ſacrum miſterium à Loddeo, qui hic ſcri
bitur habitaſſe apud locum gazophylatij, quem in Eſdra
legimus Chaſphiæ locum, qui Hebraice ſcriptus כסיפיא Locus Chaſphiæ.
ab argento dictus uideri poteſt, quaſi repoſitorium multi
argenti, quod hic gazophylatium tranſtulit, cum Caſpiæ
montana ſortaßis ſic nominẽtur. Qui uero hic Eleaza-
rus dicitur, in Eſdra ſcribitur Eliezer. Præpoſitio autem
ad, nõ bene addita eſt, cum litera Lamed præpoſita ſingu
lis nominibus non ad præpoſitionem notet hoc loco, ſed
notam accuſatiui caſus, idem quod את. Et qui Eccelon
ſcribitur, alibi eſt Ariel. Et qui hic Maſmas, ibi Semeias.
Sic pro Malobas & Samea qui hic nominatur, non inue-
mo in Eſdra quorum alludant nomina. Verum qui hic di

citur Enathan, alibi Elnathan est: & hic Ioribus, ibi est Iarib: hic Nathan, alibi alter Elnathan est: & hic Ennagan, alias Nathan uidetur ex ordine. Zacharias uero legitur hic et ibi. Tandem qui hic Mosollamus, ibi Mosollam legitur. Vt autem in Esdra undecim habeantur, sicut hoc sunt in loco, additur ibidem Ioiarib & Elnathan, ut iterum nota sit librum Esdræ minus emendatum, quàm hunc qui tertius Esdræ dicitur, cum non uideatur.

24 Et mandaui eis ut dicerẽt Loddeo & fratribus eius, & illis qui erant in gazophylalatio, ut mitterent nobis eos qui sacerdotio fungerentur in domo domini dei nostri.

Mandaui ut dicerẽt Loddeo, qui in Esdra legitur Eddo. Hoc ibi dicitur, Posui in ore eorum uerba quæ loquerentur ad Eddo, et ad fratres eius Nathinnæos, in loco Casphiæ, ut adducerent nobis ministros domus dei nostri. Iam multi erant Ierosolymis ministri domus, ex filijs Aaron, Leuitis et Nathinnæis, sed nolebat cõparere Esdras, nunc quoq; sine talibus ministris, qui hic dicuntur sacerdotes largo nomine, pro ministris loci sacri quibuscunq;. Apparet eo loci, qui בכפר dicitur, scholam fuisse doctorum uirorum, cui præfuerit Eddo, qui nunc mittit exoratus ab Esdra, qui nolebat uenire sine magnis & eruditis uiris, qui plurimum prodesse possent genti suæ, in Iudæa docendo, exhortando, iudicando, corrigendo: quæ officia hic dicuntur functiones sacerdotales, quæ tamen à Leuitis fiebant & Nathinnæis.

25 Et adduxerũt nobis secundum manum ualidam Domini dei nostri uiros peritos, ex filijs Mooli, filij Leui, filij Israel. Sebebian, & filios & fratres, qui erant decem & octo. Asbiam & Amin, ex filijs filiorum Chananæi, & filij eorum, uiri uiginti. Et ex his qui in templo seruiebant, quos dedit Dauid, & ipsi principes ad operationem Leuitis templo seruientium, ducenti uiginti. Omnia nomina significata sunt in scripturis.

Viri periti mittuntur in lege domini Ierosolymam, cum Esdra doctißimo, tantũ abfuit ingenio fastus, & excellentiæ zelus ab Esdra, qui solus non uoluit haberi doctus, sed amauit peritiores multos habere comites, magis cogitans quid deo glorioſum, genti suæ necessariũ & utile, quàm sibi plausibile. Quale ingeniũ necessariũ est prorsus omnibus episcopis, & ecclesiasticorũ præfectis, ut optent multos esse ex æquo sibi uel magis idoneos seruos dei, & ministros ecclesiæ: quandoquidem nunquam nõ est ampliſsima messis, quæ indigeat multos operarios. Qui uero suam gloriam præferunt utilitati ecclesiæ, ij ut infideles domino serui et nequam, dure iudicabuntur, & acceptam à deo & domino suo gratiam amittent, uel nõ diu utentur. Ex filijs, inquit, Mooli, hoc est, de familia quæ extabat Leuitica, descẽdente à Leui per Mooli, adducebatur Sebebias, qui ibi dicitur Sarabias, cum doctis filijs & patri simillimis, & fratribus alijs eiusdem familiæ decem et octo, una cum Asbia, & Amin, qui in Esdra leguntur Hasabias & Isaias. De filijs Merari, qui hic dicuntur filij Chananæi, fortaſsis Nathinnæos notat, quos Iudæi putant Gabaonitas, ex Iosue temporibus, qui & Chananæi fuerunt conuersi primũ ad dominum, & minustri ordinati domus domini, pro aqua afferenda, & lignis cædendis: unde & de huiusmodi seruitio subiungitur, deq; eorum officio à Dauid ordinato iuxta legem Mosis.

Episcoporũ peritia.

26 Et uoui illic ieiuniũ iuuenibus in cõspectu Dei, ut quærerem ab eo bonum iter nobis, & qui nobiscũ erant, & filijs, & pecoribus propter insidias. Erubui enim petere à rege pedites, & equites in comitatu, tutelæ gratia cõtra aduersarios nostros. Diximus enim regi, quoniã uirtus Domini erit cum eis, qui inquirunt eum in omni affectu.

27 Et iterum deprecati sumus Dominum & Deum nostrum secundum hæc, quem & propitium habuimus, & compotes facti sumus Deo nostro.

28 Et separaui ex plebis præpositis, & sacerdotibus templi uiros duodecim, & Sedebiam & Asannam, & cum eis ex fratribus eorum uiros decem. Et appendi eis aurum & argentum, & uasa sacerdotalia domus Dei nostri, quæ donauerat rex, & consiliarij eius, & principes & omnis Israël.

29 Et cum apprehendissem, tradidi argenti talenta centũ quinquaginta & uasa argentea talentorum centum, & auri talenta centum, & uasorum aureorum septies uiginti, & uasa ærea de bono æramento splendentia, duodecim, auri speciem reddentia.

30 Et dixi eis: Et uos sancti estis domino, & uasa sunt sancta, & aurum & argentum uotum est domino deo patrum nostrorum. Vigilate & custodite, donec tradatis ex ple bis præpositis, & sacerdotibus, & Leuitis, & principibus ciuitatũ Israël in Ierusalem, in pastoforio domus dei nostri. Et hi qui susceperunt sacerdotes & Leuitæ, aurum & argentum, & uasa intulerunt in Ierusalem, in templum domini.

Vouere ieiunium hoc loco est instituere, iniungere, uel exhortari ad aliquid agendum bona uoluntate, ut hic est ieiunium, quo sese ad deuotius orandum disponebant. Omnia quæ hic sequuntur, eadẽ habentur Esdræ primo, capite octauo. Quæ uero hic dicenda pauca uidentur diximus ibidem. Quod uero hic dicitur pastoforium, in Esdra translatum est thesaurus Hebraice לשכות, quod significabat cubiculum, gazophylatium, & thesaurorum locum.

31 Et promouimus à fluuio Thia die duodecima mensis primi, usquequo introiremus in Ierusalem. Et cum factus fuisset rectius dies, quarta autem die ponderatũ aurum & argentum traditum est in domo domini dei nostri Marimoth filio Iori sacerdoti,

doti, & cũ ipso erat Eleazar filius Phinees, & erant cum ipsis Iosadus filius Iesu, & Medias, & Banni filius Leuitæ, ad numerum & ad pondus uniuersa. Et scriptũ est pondus ipsorum eadem hora.

32 Qui autem uenerunt ex captiuitate, obtulerunt sacrificiũ domino deo Israel, taũros duodecim pro omni Israel, arietes octogintasex, agnos septuaginta duos, hircos pro peccato duodecim, & pro salute uaccas duodecim: omnia in sacrificiũ domini. Et relegerunt præcepta regis regalibus dispensatoribus, & subregulis Cœlesyriæ & Phœnicis, & honorificauerũt gentem & templum domini.

Fluuius Thia iterum hic dicitur, quem Esdras appellauit Ahaua. Maximoth filius Iori Sacerdos hic dicitur, qui in Esdra dicitur Meremoth, filius Vriæ. Multi fuerunt per multa sæcula sacerdotes, qui & Phinees dicti sunt, & Eleazares: id Iudæi stolidi nõ perpendentes, stulta fabulari consueuerunt de senectute Phinees et aliorũ. Quu hic dicitur Iosabdus, filius Iesu, ab Esdra dicitur Iozabed filius Iosue. Et qui hic Medias filius Bannu est, ibi legitur Noadia filius Bennoi. Cætera fermè similia sunt in Esdra & exposita.

33 Et consummatis his, accesserunt ad me præpositi dicentes, Non segregauerunt gens Israel, & principes & sacerdotes, & Leuitæ, & alienigenæ gentes, & nationes terræ immundicias suas à Chananæis & Hethæis & Pherezæis, & Iebusæis & Moabitis & Aegyptijs & Idumæis.

Omnia hæc sequentia ut similia sunt scriptis Esdræ, sic ibi annotata sufficiant.

34 Coniuncti enim sunt filiabus eorum & ipsi, & filij eorum, & mixtum est semen sanctum alienigenis gentibus terræ, & principes erant præpositi, & magistratus iniquitatis eius ab initio ipsius regni. Et mox ut audiui ista, conscidi uestimenta, & sacram tunicam, & lacerans capillos capitis, & barbam, sedi dolens & mœstus.

35 Et conuenerunt quotquot tunc mouebantur in uerbo domini dei Israel ad me lugentem super iniquitatem istam, & sedebam tristis usque ad uespertinum sacrificium. Et consurgens à ieiunio, consciſſa habens uestimenta, & sacram tunicam, ingeniculans, & extendens manus ad dominum, dicebam,

36 Domine confusus sum, & reueritus sum ante faciem tuã. Peccata enim nostra multiplicata sunt super capita nostra, & iniquitates nostræ exaltatæ sunt usq; ad cœlum, quoniam à temporibus patrum nostrorũ sumus in magno peccato usque ad diem hunc.

37 Et propter peccata nostra, & patrum nostrorum sumus traditi cum fratribus nostris, & cum sacerdotibus nostris, regibus terræ in gladium & captiuitatem, & depræ dationem cum confusione usq; in hodiernum diem.

38 Et nunc quantum est hoc quod contigit nobis misericordia abs te domine deus, & relinque nobis radicem & nomen in locum sanctificationis tuæ, detegere luminare nostrum in domo domini dei nostri, dare nobis cibum in omni tempore seruitutis nostræ.

39 Et cum seruiremus, nõ fuimus derelicti à domino deo nostro, sed constituit nos in gratia ponens nobis reges Persarum dare cibum, & clarificare templum domini dei nostri, & ædificare deserta Syon, dare nobis stabilitatem in Iudæa & Ierusalem.

40 Et nunc quid dicimus domine habentes hæc? Transgressi enim sumus præcepta tua, quæ dedisti in manus puerorum tuorum prophetarum, dicens, Quoniam terra, in qua introistis possidere hæreditatem eius, terra polluta est coinquinationibus alienigenarum terræ, & immundiciæ illorum repleuerunt eam totam immundicia sua.

41 Et nunc filias uestras non coniungetis filijs eorum, & filias eorum non accipietis filijs uestris, & non inquiretis pacem habere cum illis omni tempore, ut inualescentes manducetis optima terræ, & hæreditatẽ distribuatis filijs uestris usq; in æuum. Et quæ contingunt nobis, oĩa fiunt propter opera nostra maligna, & magna peccata nostra.

42 Et dedisti nobis talem radicem, & rursum reuersi sumus transgredi legitima tua, ut commisceremur immundiciæ alienigenarum gentium terræ huius. Nónne irasceris nobis perdere nos, quoadusq; non relinquatur radix & nomen nostrum?

43 Domine deus Israel uerax es. Derelicta est enim radix usque in hodiernum diem. Ecce, nunc sumus in conspectu tuo in iniquitatibus nostris. Nõ est enim adhuc stare ante te in his.

44 Et cum adorando confiteretur Esdras flens, humi prostratus ante templum, congregati sunt ante eum ex Ierusalem turba magna ualde, uiri & mulieres & iuuenes et iuuẽculæ. Fletus enim erat magnus in ipsa multitudine.

45 Et cum clamasset Iechonias Iehelj ex filijs Israel, dixit Esdræ, Nos in dominũ peccauimus quod collocauimus nobis in ma

trimonium mulieres alienigenas ex gentibus terræ. Et nunc es super omnem Israel.

46 In his ergo fit iusiurandũ à dño, expellere omnes uxores nostras, quæ ex alienigenis sunt, cum filijs earũ, ficut tibi decretum est à maioribus secundum legem domini exurgens explica, ad te enim spectat negotium, & nos tecum sumus. Viriliter fac. Et exurgens Esdras adiurauit principes sacerdotum & Leuitas, & omnem Israel facere secundum hæc, & iurauerunt.

CAPVT IX.

1 ET exurgens Esdras ab ante atriũ templi, abijt in pastophoriũ Ionathæ filij Nasabi, & hospitatus illic non gustauit panẽ, nec aquã bibit, super iniquitatem multitudinis.

Vere hic Esdras doctus erat, & religiosissime, qui do mini uoluntatem edoctus, non solum studiose implere per se uoluit, sed à toto populo, gloriam domini dei sui anxie cupiebat magnificari, gentem suam innocenter uiuere, & in lege domini obseruanda esse diligentissimam. Alijs itaq;, qui priores ascenderant, multum solicitis de extructione templi, de ceremonijs legalibus restituendis, quæ fieri oportebat quidem, sed non sola, hic optimus Esdras curam magis necessariam adhibuit obseruantiæ præceptorum dei, reformationi fidei & morum, uitiorũ eradicandorũ studiũ per quàm difficile obibat multo cum periculo, assidua opera, inuidiosum institutũ nunis. Quid enim periculosius quàm separare coniuges contra legem unitos, & iam prole auctos. Et tamen hanc prouinciam hac parte implendi legem contra primores omnes, & utriusq; status, arripit & exequitur multa animi fortitudine, & zelo feruentissimo, & profecit feliciter. Post orationis negotium in primis necessarium in templo uel ante atrium, consueto loco, secedit ad cubiculum uel gazophylatiũ Ionathæ cuiusdam, ibi hospitium habiturus, sed præ cordis amaritudine, pro zelo honestatis & legis, nec cepit cibum, nec aquæ potum, multo minus uinum, tantum propter iniquitates publicas populi, quibus denuo dominum irritare contra legem uidebantur.

Cura sacerdotalis sancta.

2 Et facta est prædicatio in omni Iudæa, et in Ierusalem omnibus qui erant ex captiuitate in Ierusalem congregati, ut quicunq; nõ occurrerit biduo uel triduo diei secundum iudicium assidentium seniorum, tollerentur facultates suæ, & ipse alienus iudicaretur à multitudine captiuitatis.

Consilio autem Ionathæ & aliorum primorum de populo, denuntiauit omni Iudææ & urbi Hierosolymæ, ut qui de captiuitate iamdudum uenerant, omnes congregarentur in urbem, intra triduum de rebus necessarijs & grauibus cõsulturi, idq; sub pœna graui à senioribus imponenda transgredientibus, ut habet litera. Aderat enim adhoc authoritas regis Persarum, & ducum plebis, consensusq; omnium bonorum, in maximo numero.

3 Et congregati sunt omnes qui erant ex tribu Iuda, & Beniamin in tribus diebus in Ierusalem. Hic mensis est nonus, dies mensis uicesimus. Et sedit omnis multitudo in area templi trementes propter hyemẽ præsentem.

Obsequitur sponte bonis principibus, et pijs doctori populo, plebs fidelis, non solet ut plurimum defectibus, plebis fidelis, non solet ut plurimum defectibus, pularium causa esse apud populum, sed apud male idoneos & impie affectatos sacerdotes & rectores: facile enim sequax est populus ad pias adhortationes, eorum, qui quod alios docent uerbo, hoc factis ostendunt utile, honestum, & facile. Intra triduum tantus populus conuenit currit, nono mense, qui Nouembris est, nobiscum quoq;, & eiusdem uigesima die, dum sol est in Sagitario, rigente; aër multo tunc frigore, tamen obediunt & obsequi legi dei ex animo cupiunt, in re tam graui & ardua. Atrium Israelis hic dicitur area templi, sub diuo extra atrium sacerdotum, ubi & tremebant à frigore.

4 Et exurgens Esdras dixit illis, Vos iniquitatem fecistis collocantes uobis in matrimonium uxores alienigenas, ut adderetis ad peccata Israel. Et nunc date confessionẽ, & magnificẽtiam dño deo patrũ nostrorum, & perficite uoluntatẽ ipsius, & discedite à gẽtibus terræ, & ab uxoribus alienigenis.

Afflictis afflictionem grauiorem imponit, arguens iniquitates eorum grauissimas contra legem, quia alienigenas & adhuc idololatria pollutas periculosasq; feminas adduxerant secũ à gentilitate, præter eas quas ex Israele uxores habuerãt, quas pro leuiculis rationibus reputauerant, non sine ingenti iniquitate, & scandalo intolerabili, quod ferri nõ posset. Quos omnes anxie hortatur ad pœnitentiam criminis, ut domino confiteantur peccata sua, quæ tergiuersari non poterant. Dei autem gratiam & bonitatem confiterentur, qui tam improbis peccatoribus non cessabat benefacere, optima rependere pro pessimis. Resipiscentesq; toto animo proponerent posthac emendare uitam, & domini dei sui uoluntatem implere per omnia, obediendo legi diuinæ, dimittendo alienigenas uxores, quas sine graui scandalo retinere nõ possent. Publica enim crimina, publica sunt confessione expianda: nec sufficit confessum crimen, nisi emendetur, & id sine dilatione, ut ne multitudini quidẽ peccantium deferatur, quæ non minuit peccatũ sed adauget. Nec solum uxores huiusmodi susceperant, sed comunia familiaritate sese miscebãt idololatris gentilibus, propter quos certum periculum formidandum erat, de relapsu ab idololatria, de qua iam ex captiuitate emendati fuerant.

5 Et clamauit omnis multitudo, & dixerunt uoce magna, Sicut dixisti, faciemus. Sed quoniam multitudo magna est, & tempus hybernum, & non possumus insubsistiendi stare, & hoc opus nõ est nobis unius diei, neque bidui, multum enim in his peccauimus: stent præpositi multitudinis, & omnes qui nobiscum inhabitant, & quot

quot

quot habent uxores apud se alienigenas, & assistant accepto tempore ex omni loco presbyteri, & iudices, usquequo soluant iram domini negotij huius.

Remedia præuaricatorum.

Multa potest in populo emendando sanctorum prædicatorũ seriosa adhortatio, qui fide & innocentia polleant, & apte docere possunt: qualis hic Esdras fuisse deprehenditur, ex tam festinata emendatione populi, promissa ab omnibus. Tota multitudo clamabat spiritu domini ad horam incitata ad frugem meliorẽ, promittendo uitæ emendationem, & obedientiam secundũ legem dei. Fatentur multos esse in hac præuaricatione, ut cito negotia cuncta de fœminarum fide & differentia discuti adnecessitatem non possint breui tempore, non enim omnes alienigenæ prohibitæ erant sanctis patribus, quales & Moses, & Salomon, & reliqui habuerunt, sed erat discutienda causa uxorum, quales essent, & qua ratione susceptæ, quomodo uiuerent, & si cum legitimarũ uxorum iactura uel contumelia haberentur. Tempus quoq; hyemale causantur & hybernũ, quod etiam in illa Chanaica terra intolerabile est, uel ex hoc, quod in Christi domini passione, ad diem paschæ, & post æquinoctium, prunæ necessariæ erant noctu. Hic autem in atrio consistebant, nondum exædificatis atrijs tectis, ut fuerant antea, & postea perfecta sunt. Insubsidiatos se dicunt, hoc est non sustentatos uel prouisos amictu sufficienti & uictus, uel comeatu. Consultant bene, ut negotium diligentius expendatur, & mature, nihil festinetur, sed qui rei sunt, à primoribus secundum tempus & ordinem aduocentur, ut nihil in tam arduis negotijs ob festinantiã præcipitanter agatur, eijciendo dignas cum pueris, uel indignis parcendo. Presbyteri, hoc est seniores in populo & iudices, decernant ad emendationem uitæ, & ad dei reconciliationem ne grauiora mala contingant.

6 Ionathas aũt filius Ezeli, & Ozias Thecam susceperunt secundũ hæc, & Boseramus, & Leuis, & Sabbatheus, simul coperati sunt cum illis. Et steterunt secundum hæc oĩa uniuersi, qui erant ex captiuitate.

Ionathas filius Ezeli in Esdra legitur Ionathan, filius Azabel. Et pro Ozias Techan, alibi legitur Iaazia filius Thecuæ. Dicuntur stetisse super hæc, suscepisse negotiũ exequendum, ut de indignis ac illegitimis connubijs disquirerent, & consilio seniorũ tractarent. Qui uero hic Boseramus, uel secundũ quosdam codices Ioseramus, in Esdra legitur Mesollam. Et pro Sabbatheo hic scripto, legitur ibidem Sebethai Leuites, qui auxilio fuerũt pribus. Steterunt super hæc omnia uniuersi qui erant ex captiuitate. Acquieuerunt sponte huic operi inquisitionis, et legi domini dei sui subdiderunt se, quotquot uenerant de captiuitate, submittentes se iudicio sacerdotũ & primatũ. Iam enim annum æquiores facti fuerant ex uexatione et angustijs, quas tulerãt, et è quibus iã emerserant.

7 Et elegit sibi uiros Esdras sacerdos principes magnos de patribus eorum secundũ domos, et confederunt nouilunio mensis decimi examinare negotiũ istud. Et determinatũ est de uiris qui habebãt uxores alienigenas usq; ad neomeniam primi mensis.

Non solus aggreditur tam inuidiosum opus et graue, quod etiam magnos quosq; inuoluebat sacerdotes, et eorum filios, sed socios assumit idoneos, uiros innocentes, & ex principibus populi maiores, pro authoritate maiori, & sacerdotes alios nominatos & nobiles. Statim autem adhuc durante hyeme, in lunatione decima, quæ Decembrium kalendarũ dies erat, hoc est nouilunio decimo, anni incipientis ab æquinoctio uernali, consedisse dicuntur ad examen instituti negotij, de uiris in hac causa commaculatis, reformandis aut emendandis. Durauit autem huiusmodi tractatus diu, pro multitudine reorum, tribus ad minus integris mensibus, si nõ fuit emboliſmalis annus, in quo Iudæis numerantur tredecim menses.

8 & inuenti sunt ex sacerdotibus permixti qui habebant alienigenas uxores. Ex filijs Iesu filij Iozedech & fratribus eius, Maseas & Eliozerus & Ioribus & Ioadeus, & iniecerunt manus ut expellerẽt uxores suas, & ad litandum in exorationem arietem pro ignorantia sua.

Sacerdotũ insignior præuaricatio.

Omnibus temporibus cœpit præuaricatio à sacerdotibus, uel impijs uel negligentibus, unde & hic quoq; inueniuntur ex sacerdotibus, quibus nõ suffecerant fœminæ Israeliticæ, sed alienigenas quoq; superinducere præsumpserunt, contra legem dei, quam uel ex hoc constat uel parũ cognitam, uel minus reueritam, ut tam improbo exemplo ausi fuerint labefactare plebem, cui doctores et exemplaria præfecti erant, & de ecclesiasticis bonis nutriebantur. Hanc luem uidimus cũ maxima fidei iactura et morum in ecclesia Christiana, in qua quicquid est uitiorum, à sacerdotũ malitia uel negligentia uel ignorantia descendit: qui tamẽ in colligendis censibus & augendis, & pro uendicanda sibi maxima authoritate, nihil neglexisse conspiciuntur. Hic uidemus etiã summi sacerdotis Iesu filij Iosedech filios, et proxime consanguineos, facinorosos extitisse, quorũ hic nomina recitãtur. Maseas qui hic legitur, ab Esdra dictus est Maasias. Eliezerus hic, ibi dicitur Eliezer. Ioribus hic, ibi est Iarib. Ioadeus aũt hic, ibidem Godolias. Iniicere manus hic aliud nõ est, quàm secundum Esdram manus uel dextras dando promittere de eijciendis alienigenis, ut qui transgressionis exemplũ dederant, etiam emendationẽ alijs facto suaderent. Proq; admisso peccato suo obtulerũt sacrificiũ pro peccato suo, & eorũ, quos scandalizauerãt. Ignorantia in huiusmodi locis aliud nõ est, quàm fragilitatis admissio, & delictũ in legem domini, de quibus Dauid: Ignorantias meas ne memineris domine: ubi tamen nulla excusatio locum habet, maxime in sacerdotibus, qui & doctores esse debent, & in uirtutũ exercitio solidiores, eis quos confirmare ex officio oportebat subiectos fideles.

9 Et ex filijs Semmeri Maseas & Esses & Ieelech, & Azarias. Et ex filijs Fosere, Lisomasias, Hismaenis & Nathanae, Iussio Iedus & Talsas.

Et hi quoq; sacerdotes erant ex filijs Aaron, quorum

qui hic dicitur Semmeri, in Esdra dicitur Emmer. Et hic Maseas, alibi dicitur Maasia. Sed Esses hic scriptus, forsitan alibi Elia dicitur. Et qui hic Ieelech, alibi Iehiel est. Azarias quoq; idem qui Ozias in multis locis scripturæ dicitur. Hic quoq; in omnibus exemplaribus scribitur Fosere Lisomasias, quæ sic restituuntur ex Esdra. Et filij Phesshur Elioenai Maasia. Sequitur, Hismaenus pro Ismahel. Et Nathanae pro Nathanael, pro Iussio Ieddus intelige, & pro Talsas accipe Elasa. Supersunt aliquot nomina in Esdra, quæ hic uitio olim scriptorum obmissa uidentur, quod multo minus mirandũ sit, quàm quod tam integra exemplaria ad nos peruenire potuerunt.

10 Et ex Leuitis, Iozabdus & Semeis & Colnis & Calitas & Facteas et Coluas & Elionas. Et ex sacris cantoribus, Eliasib, Zaccarus.

Et ex Leuitis nõ de filijs Aaron, erãt prævaricatores, ad exemplum sacerdotum, à quibus corrigi nõ poterant similiter pollutis. Pro Iozabdus Esdra habet Iozabed, p Semeis Semei, pro Colnis Celaia, pro Calitas Calita, pro Facteas Phathaia, pro Coluas Iuda, & pro Elionas Eliezer. Cantorũ primus Eliazib, secundus Zaccarus, in Esdra nõ legitur, ut iterũ incorrectior uideatur quàm hic liber. Ianitorũ primus Sallumus hic legitur, in Esdra Sellũ. Alius hic Tolbanes, alibi Telem, ubi & additur Vri.

11 Et ex ostiarijs, Sallumus et Tolbanes. Et ex Israel, ex filijs Forosi & Remias & Geddias & Melchias & Michelus & Eleazarus & Iemmebias & Bannas.

Ex populo Israelitico reliquo, inter prævaricatores numerantur filij Foro, qui alibi Pharos legitur, ut uideatur hic non tam Foro quàm Forosi legendum à Forosus. Sequitur, Remias, ibi Remeia, et Geddias pro Iezia, Melchias autem similiter hic & ibi, Michelus pro Miamin, Eleazarus pro Eliezer. Iemmebias non habet respondentem in Esdra. Bannas autem alibi Banea legitur.

12 Et ex filijs Iolamam, Chamas & Zacharias, & Iezrelus & Ioddius & Erimoth & Helias. Et ex filijs Zathoim, Eliadas & Liasumus Zochias & Larimoth & Zabdis & Tebedias.

Hic legitur Iolamam, qui in Esdra est Aelam. Et Chamas pro Mathana, Zecharias similiter, Iezrelus pro Iehiel, Ioddius pro Abdi, Erimoth pro Ierimoth, Helias pro Elia. Itẽ Zathoim pro Zethua, Eliadas pro Elioenai, Liasumus pro Eliasib, Mathana in Esdra hic dicitur Zochias. Hic Larimoth, alibi Ierimoth. Et Zabdis hic, ibi est Zabad. Tandem hic Tebedias, ibi est Aziza.

13 Et ex filijs Zebes: Iohannes, & Amanias & Zabdias & Emens. Et ex filijs Bannit Olamus & Malluchus & Ieddeus & Iasub & Asabus & Ierimoth. Et ex filijs Addin: Naathus & Moosias & Caleus & Raanas, Maaseas, Mathathias & Beseel & Bonnus & Manasses.

Filij Zebes, in Esdra dicuntur filij Bebai nominatim. Iohannes alibi Iohanan. Et Amanus pro Hanana: pro Zabdia hic, legitur ibi Zabbai. Et quod hic Emens legitur, ibi dicitur Athalai. Filij quoq; Bannu, hic, alibi Battus est. Pro Olamus, ibi legitur Mosollam, pro Malluchus Melluch, pro Ieddeus Adaia, pro Iasub idem ibidem, pro Asabus Saal, pro Ierimoth Ieramoth. Vbi autem hic dicitur, ex filijs Addin Naathus, Moosias, & Caleus uel Calenus, in Esdra legitur, Et de filijs Phahath, Moab, Edna & Chalal, pro Raanas ibi legitur Banaias, pro Maaseas Maasias, pro Matathias legitur alibi Mathanas, pro Beseel Beseleel, Bonnus pro Bennui, & pro Manasses Manasse ibi ut communiter legitur.

14 Et ex filijs Nuae: Noneas et Afeas & Melchias & Sameas & Simon, Beniamin & Malchus et Marras. Et filijs Asom: Carineus, Mathathias et Bannus et Eliphalach & Manasses & Semei.

Mirum quomodo pro Nuae Esdras dixit Herem, & pro Noneas Eliezer, pro Afeas Iesue, pro Melchias idem dixit, sicut & pro Sameas Semeias, Simeon pro Simon, Beniamin similiter, Malchus pro Maloch, Marras pro Samarias. Sic quoq; filij Asom pro Hasom, Carineus pro Mathanai. Et Mathathias pro Mathatha, Bannus pro Zabad, Eliphalach pro Elipheleth, Manasses pro Manasse iterum ut semper. Et Semei similiter. Hic uero obmittitur Iermai quem Esdras nominat.

15 Et ex filijs Bannit Ieremias & Moadias & Abramus & Iohel & Baneas & Pelias & Ionas & Marimoth & Eliasib & Mathanias & Zabadeus & Eliasis & Orizas & Dielus & Semedius & Zambris & Iosephus.

Filij Banni uel Benthir iuxta alia exemplaria, in Esdra legitur filij Bam. Hic uero Heremias legitur superiori uersu obmissus. Sed pro Moodias, alibi est Maadai, pro Abramus Amram, pro Iohel: uel, bisyllabum quasi Vhel. Baneas similiter. Pelias autem pro Badaias, ionas pro Cheliau, uel Vana potius, Marimoth p Marimuth. Eliasib autem similiter. Sequitur Mathaneus pro Mathanas. Eliasis pro Lasi, uel pro Ezrel. In Esdra quædam nomina hic obmissa ponuntur. Dielus uidetur pro Sellum, Semedius pro Seleman, Sambris pro Amaria, & Iosephus pro Ioseph.

16 Et ex filijs Nobei: Idelus & Mathathias & Sabadus & Zecheda Sedmi & Ielisei Baneas.

Pro filijs Nobei Esdras dixit Nebo, pro Idelus Iehiel, Mathathias similiter, Sabadus pro Zabad, Zecheda pro Ataia, Zabina, Sedmi pro Ieddu, Iessei pro Ioel, Baneas pro Banaia. Satis ex sic annotatis constat, huius libri scriptorẽ Iudæum fuisse doctum uirũ genealogiarum Iudaicarũ, & mutationũ quæ fiunt in noĩbus per uniuersas scripturas sacras, ut magna apud Iudæos uisa est eruditio, si quis talium insigniter fuisset peritus. Accesit & Græca eruditio, in qua lingua hunc librũ scripsisse uidetur, siue translatum à Syriace scripto uolumine. Proderit aliquando hæc notasse studiosis. Si quid uero in hoc libro uel in Esdra obmissum legitur, uel perperã scriptũ, quid aliud dicetur, q̃ dormitasse antiquariũ, idq; sine magna iactura

Omnes

17 Omnes isti coniunxerũt sibi uxores alienigenas, & dimiserũt eas cum filijs. Et inhabitauerunt sacerdotes, & Leuitæ: & qui erant ex Israel in Ierusalem, & in tota una regione, nouilunio mensis septimi. Et erãt filij Israel in commorationibus suis.

Grauis pœnitentia est uxores dimisisse cum filijs, nisi quis legere malit Dimisisse, ut aliquos ex ipsis natos matribus ab Esdra peractis, assignata sunt loca sacerdotibus et Leuitis, iuxta legẽ ab Esdra legisperito, ut in antiquis suis possessionibus habitauerint, prout fieri potuit. Videtur enim eo tempore satis uacua Iudæa fuisse colonis, ut sine bello & inuidia multi recuperare ualuerint suas hæreditates, ex dei prouidentia omnia gubernantis, qui potest sine bello si uelit consulere suis fidelibus, euacuare prouintias, & denuo populare. Quæ hic sequuntur eadem fermè habentur in libro Neemiæ capite octauo.

18 Et congregata est omnis multitudo simul in aream, quæ est ab oriente portæ sacræ, & dixerunt Esdræ pontifici, & lectori, ut afferret legẽ Moysi, quæ tradita est à domino deo Israel.

Videtur quod hic sequitur, factum eodem anno, post factam reformationem prouintiæ in hyeme, autumnali tempore post excultam terram in uere, & collectas fruges in æstate, intra dies feriales in septembri conuenisse populum, pro audientia uerbi dei, pro discenda lege. Conuocata numirum à sanctissimo Esdra, ad nouilunium mensis septimi, in aream atrij, quod est ad orientem. Fit autem conditio ecclesiæ, si hunc à domino spiritum consequatur, ut petat sibi interpretari legem domini dei sui. Verum non id tempus fuerat expectandum à sacerdotibus, sed pro eorum officio magis ad hoc solicitare debebant populum. Significatur autem hoc loco tantum profecisse populum ex informatione Esdræ scribæ, ut ad primam opportunitatem postea exquisierint audientiam legis ex ore sacerdotis.

19 Et attulit Esdras pontifex legẽ omni multitudini eorum à uiro usq; ad mulierem, & oibus sacerdotibus audire legem nouilunio mensis septimi. Et legebat in area, quæ est ante sacram portam templi, à prima luce usq; ad uesperam coram uiris, & mulieribus. Et dederunt omnes sensum ad legem.

Pontifex quidem dicitur Esdras, sed non summus, fuit enim sacerdos de genere Aaron. Is hic legem affert populo prælegendam unuerso uirorum & mulierũ. Quã etiam sacerdotes audire iubentur, ne se tantum sacrificulos putent & buccinatores, sed etiam, ut Esdras, legis pontifices & concionatores, à quibus petenda sit legis interpretatio & declaratio. Conueniebant autem in nouilunijs singulis, inter quæ celebrius erat id quod in septembri, qui mensis magna ex parte festiuus erat Iudæis. Area hic sæpe dicitur locus ante templum, ubi olim à tempore Salomonis atria steterant uirorum, mulierum, immundorum, & gentilium. Sacra quoq; porta orientalis intelligitur, quæ erat frequentior quàm australis uel borealis. Ab occidente enim porta non erat, nec in atria, nec in templũ. Ad eam enim plagam spectabat sanctum sanctorum, & omnes orationes uel orantium facies ad illud uertebantur. Tota die legebat à mane ad uesperam, quia morem habebant, afflictionum diebus & lectionis ieiunare usq; ad uesperam, donec scilicet solis iubar occidisset uel circiter. Dedisse mentem ad legem non poterant, nisi intellexissent idioma legis, linguam scilicet Hebraicam, quã intelligebant tunc quidẽ, sed usum loquendi nõ iam habebant, quia in Chaldæa didicerant iam Syriacam, quam & Chaldaicam nominare licet, in qua Hebræa forsan nescientibus interpretabatur utriusq; linguæ peritissimus Esdras. Omnino autem inutile & uanũ est, populo prælegi ea lingua & præcinere orationes, uel uerbum dei, aut cantica, quam non intelligit. Qua ex re Christianis iamdudum tota Europa contigit tanta diuinæ legis ignoratio, ut de domini uoluntate nimium pauca sciuerint, quandoquidem in ecclesijs omnibus alia uox audita non est in officijs diuinis, præter Latinam, quã ne Latini quidem nunc & Romani satis intelligunt, dum interim Gallis, Hispanis, & Germanis, ut licuit suam Romani linguam obtrudant, tanta tyrannide, ut sacra omnia non nisi Latine uelint audiri, etiam à Germanis, & Vngaris: quo quid est imperiosius & stultius? Cum Græci Græce orent, Indiam sua, sicut & olim primi Hierosolymis Christiam materna sua lingua usi sint. Sed de his multa dudum dicenda fuerant, quæ hodie communis sensus suppeditat. Velint nolint illi, qui sic hodie linguis ludunt, ut nuper scholastici suis paruis logicalibus & formalitatibus, quas qui nesciebat, prorsus habebatur indoctus & idiota, etiam si biblia unuersa pernouisset. Sic semper studet superbiæ pater, sacra prophanare per fastum, & non tam gloriam dei inquiri, & prorsus intendi, quàm hominũ: dum satan ipse docet suos filios amarè salutari in foro, & haberi magistros pulchrum suadet, & aliquanta scire quæ uulgus etiam doctorum ignoret, unde tam elegantes in ecclesia fructus prouenunt, & regnum Christi non tam Christo conceditur, quàm à prophanis magistris ambitur, ut regnent ipsi cum suo nomine, & soli aliquid in ecclesia esse credantur.

Lingua Hebraica & Syriaca.

Linguæ Latinæ tyrannis apud Christianos.

20 Et stetit Esdras sacerdos, & lector legis super ligneum tribunal, quod fabricatum erat. Et steterũt ad eum Mathathias, & Samus, Ananias, Azarias, Urias, Ezechias, & Balsamus ad dexteram: & ad sinistram Faldeus, Misael, Malachias, Abusthas, Sabus, Nabadias, & Zacharias.

Lector fuisse legis hic dicitur Esdras, non doctor uel dominus. Quam ut populo intelligibilẽ, legit totam. Nõ tantum tabulas decalogi, sed nec omnes quinq; libros Mosaicos: sed uel Deuteronomion tantũ, uel loca insignora, & populo necessaria scitu ad illud tempus, cum illis quoque cerimonijs, quæ ad sacerdotium spectabant. Suggestum ligneum parauerant, quo superior cunctis ab omnibus audiri & uideri posset, & tanto intelligi perfectius, quod hic dicitur tribunal ligneum. Assistebant autem

legenti à dextris septem. Quorum Mathathias hic & octauo Neemiæ similiter scribitur. Qui uero hic Samus dicitur, ibi Semeia, Ananias idem qui & Ania, Vrias hic et alibi similiter. Sed qui hic dicitur Azarias, in Neemia obmittitur, fortaßis errore scriptoris, cum septem fuisse ueri simile sit. Ezechias qui & Helcias, Balsamus qui Maasia. Ad sinistram quoq; similiter septem, quorũ primus hic Faldeus, alibi Phadaia dicitur, Misael hic & ibi similiter, Malachias pro Melchia, Abusthas fortaßis pro Mosollam scribitur, Sabus pro Hasum, ut Nabadias ponatur pro Hasbadana. De Zacharia enim conuenunt ut sint hi quoq; septem.

21 Et assumpsit Esdras librũ coram omni multitudine, præsidebat enim in gloria in conspectu omnium.

Reuerentia ad libros sacros.

Cum reuerenda grauitate susceptt uolumen legis. dei à sacerdote aliquo: quia uoluntas ipsißima erat domini dei exercituum, ut maximarum reliquiarum loco haberẽ, gestare, & reuereri illud decuerit sacerdotem, sic tamen ut maior sit reuerentia cordis, & fidei propensio, in librum continentem uerba dei uiuentis & omnipotentis. Vidimus & nos auro & gemmis Euangelicum codicem lucentem & ornatũ osculari à pontifice, qui intra nunquam uel inspexerat uel perlegerat. Verum, si agnouissent sacrosanctum codicem esse, & uerbum dei, non hodie persequerentur illius prædicatores, uel prohiberent legi ipsum à fidelibus, in ea lingua qua intelligere possint. Præsidebat in gloria, quia assistebant utrimq; septem sacerdotes uel Leuitæ in suggestu, pro testimonio sacrosanctæ ueritatis fideliter lectæ ad populum. Sed de gloria uestium & ornatuum nihil speciale memoratur.

22 Et cum absoluisset legem, omnes erecti steterunt: & benedixit Esdras dominũ deũ altissimum, deũ Sabaoth omnipotentem. Et respondit omnis populus, amen.

Sensus est, omnes stetisse Israelitas, donec absoluisset lectionem. Tunc autem dominum benedixit, solito more & populum: ad quod uerbum sanè intellectum, posset concordibus uotis & syncera fide respondere, amen.

23 Et eleuatis sursum manibus procidentes in terram, adorauerunt dominũ: Iesus & Banaeus & Sarebias & Iaddimus & Accubus & Sabbatheus & Calithes & Azarias & Ioradus & Ananias & Philias Leuitæ, qui docebant legem domini, & in multitudine legebant legem domini, & præferebant singuli eos, qui intelligebãt lectionẽ.

Cætera quæ hic leguntur inuenies similiter dicta & interpretata apud Neemiam, capite octauo, præter id quod uariare uidentur propria Leuitarũ nomina. Quorum primum est Iesus pro Iosue, Banaeus pro Bani, Sarebias pro Serebia, Iaddimus pro Odia, pro Accubus Accub, pro Sabbatheus Sebthai, pro Calithes Celita, Azarias idem habetur. Ioradus uero hic dictus, ibi legitur Iozabeth, Ananias pro Hanan. Philias autẽ hic, ibi scribitur Phalaia. Apud Neemiam autem leguntur insuper Ianim, & Maasias, quibus hic nihil respondet. Hic uero nominati sunt doctißimi legis doctores, quandiu solemnitas durabat, instabant docendo populo de uoluntate domini, de obseruantia legis, ubicunq; inuenuebant collectam plebem audire cupientẽ. Gaudebant autem singuli de suo profectu, & de gratia instituendi data doctoribus à domino gratulabantur.

24 Et dixit Atharathes Esdræ pontifici, & lectori, & Leuitis, qui docebant multitudinem, dicens, Dies hic sanctus est domino. Et omnes flebant, cum audissent legem. Et dixit Esdras, Digressi ergo manducate pinguissima quæq;, et bibite dulcissima quæq;, & mittite munera his qui nõ habent. Sanctus enim est hic dies domini, & nolite mœstri esse. Dominus enim clarificabit uos. Et Leuitæ denuntiabãt in publico omnibus, dicentes: Dies hic sanctus est nolite mœsti esse. Et abierunt omnes manducare & bibere, & epulari, & dare munera his qui nõ habebant, ut epulentur. Magnifice enim congregati sunt uniuersi in Ierusalem celebrare lætitiam, secundum testamentum domini dei Israel.

Quis pronuntiare de suo auderet, eundem agnominari hominem Nehomiam, quod octauo capite Neemiæ discimus, & Athersata? Nunc uero eundem tertio nominatum Atharethes? Vt discamus in his negotijs libere conuersari, sicut & in numeris, quo magis apparatui nostro superædificasse fundamento maiores, qui ex interpretationibus propriorum nominum, scripturarum mysteria magnifica eruere studuerunt, post ecclesiæ Alexandrinæ initia & neglectum literalis sensus, qui nullum non ædificat. Sic alij quoq; de numeris, Pythagoricos secuti, multa sine certa ratione docuerunt. Variat tamen hic litera ab ea quæ legitur in Neemia: sed leuicula causa. Quæ autem sequuntur ad finem libri, satis sunt explicata in Neemia, capite octauo.

FINIS.

COMMETARIVM IN QVARTVM LIBRVM ESDRAE.

Continet hic liber quartus, ut dicitur Esdræ, multa utilia pro fide nostra, de Christo scilicet domino nostro manifeste disserens, propter quod fortaßis à Iudæis recentioribus non est acceptatus, quanquã nonnulla passim et ipsi sabulentur, quæ in hoc libro legi uidentur. Sicut & Christus cum Apostolis, ut ex ipsorum uerbis iudicari potest, conformia multa ad hunc librum dixerunt. Tuto legi potest, & sine quacunque fidei offensione, propter quod & in bibliorũ uolumine apud Latinos omnes continetur, quam eum tractatorum nemo, quod sciam, attigerit, quem & ego præterijsse uolebam. Diligentius autem legens & relegens, cum dubia quædam uiderem, & modos explica-

explicatu difficiles, cum multis admodum fructuosis narrationibus, quas pius Lector nollet in suo codice gratis habere. Cumq; eum uiderem à sanctis patribus non indignum habitum, qui in ecclesia legeretur, & ex quo quædam in ecclesiasticum officium desumpsissent, non credidi sine fructu Lectorem relinquendum, saluo cuiuscunq; pij & eruditi iudicio, cui ut nihil præiudicare possum, sic minime uolo. Videtur autem hic liber scriptus diu ante Babylonicum regnum uastatum, per ferè quadraginta annos, quando adhuc integra ætate & fermè iunior Esdras uisiones huiusmodi uidisse, & fortasis tunc quoq; scripsisse uidetur, circiter trigesimum annum captiuitatis Iudaicæ in regnum Babylonicum, sub Nabuchodonosor & Euilmerodach, quando sanctissimus Esdras pluri-mum solicitus erat pro sua gente liberanda, pro dei in primis gloria uindicanda, pro humiliandis superbissimis Chaldæis, qui tunc ceu orbis uictores, domitores, & triumphatores illudebant pijs unius dei cultoribus, quod non nisi egerrime possent sancti ferre, iustitiæ, ueritatis, & ueræ fidei zelatores, præferre tamen coactus est gloriam dei gentis suæ honori, ideo tam clare prophetico spiritu & apostolico, prædicit ecclesiam congregandam ex gentibus in dei gloriam, & contumaces Iudæos abiiciendos, unde potuit non modicam inuidiam conflasse Iudæis hoc libro, ut eum legere, & inter suos habere recusarint, quem tamen ecclesia catholica reuerenter amplectatur, quanquam contra Iudæos blasphemos non producat, cum canonica sufficiant ab illis non neganda.

Tempus scriptoris.

CAPVT PRIMVM.



1 LIBER Esdræ prophetæ secundus, filij Sarei, filij Azarei, filij Helchiæ, filij Sadaniæ, filij Sadoch, filij Achitob, filij Achię, filij Phinees, filij Heli, filij Ameriæ, filij Asiei, filij Marimoth, filij Arna, filij Oziæ, filij Borith, filij Abisei, filij Phinees, filij Eleazar, filij Aaron ex tribu Leui, qui fuit captiuus in regione Medorum, in regno Artaxerxis regis Persarum.

Quod secundus Esdræ hic liber scribitur, mirabile non est, si intelligimus primum Esdræ & Neemiæ librum apud Hebræos pro uno haberi. Et qui tertius apud nos legitur, nihil proprium habet, nisi tantum duo capita tertium & quartum. Cætera enim ibidem scripta, ut patet ex Esdræ 1. & eo quem Neemiam appellamus, omnia desumpta cernimus. De catalogo autem Esdræ usq; ad genealogiæ suæ exordiũ Aaronẽ, ex dictis alibi satis cõstat, mutari, ppria nomina, nec omnia semper exprimi, sicut et Matthæus Euangelista in Christi generatione, maxime cum hic præcise uiginti recensentur patres cum filijs, nec plures scilicet nec pauciores. Quod autem hic dicitur captiuus fuisse in regione Medorũ, satis constat, quia inde redijt fauorem à Dario consequutus, cum sub Nabuchodonosor fuerit captus, quandoquidẽ trigesimo captiuitatis anno uisionem se scripsit uidisse in sequentibus, & orasse dominum pro sua gente tamdiu capta: quanq̃ non ignorauerit ante septuagesimum annum non relaxandam perfecte captiuitatẽ, uel templum restituendũ, quod contigit eo adhuc & diutius uiuente, sed sene. Artaxerxes autem commune nomen fuit regibus Persarum, quod illis interpretatum uel etiam Græcis, ualet ualidum propugnatorem, nempe suorum subditorum.

2 Et factum est uerbum domini ad me, dicens: Vade, & nũcia populo meo facinora ipsorum, & filijs eorũ iniquitates, quas in me admiserũt, ut nũcient filijs filiorũ: quia peccata parentũ ipsorũ in illis creuerũt. Obliti enim mei sacrificauerunt dijs alienis.

Vocabatur uir sanctus, & populi sui amator syncerissimus, ad prædicandum pœnitentiã & resipiscentiam missus captiuis Iudæis, ut intelligerent se dudũ demeruisse prævaricationibus suis et patrum, tam graue exilium, à quibus peccatis nondum resipiscerent, sed continue, ut olim, suis murmurationibus irritarent dominum. Hos iubetur instituere & reuocare ad meliorem mentem, ut cogitent se pro peccatis captos, non posse restitui libertati, nisi emendatos, & de parentum peccatis & suis digne dolentes. Maximum autem peccatorum fuerat idolorum cultus, à quo nunc iubetur eos præmunire, ne exemplo gentilium corrumpantur.

3 Nónne ego eduxi eos de terra Aegypti de domo seruitutis? Ipsi autem irritauerũt me, & consilia mea spreuerunt. Tu autẽ excute comã capitis tui, & proijce omnia mala super illos, quoniam non obedierunt legi meæ. Populus autem est indisciplinatus. Vsquequo eos sustinebo, quibus tanta beneficia contuli?

Verbis, signis, & factis, Hebraico more iubetur inculcare eis memoriam peccatorum suorum & patrum, propter quæ tale patiebantur exilium, hortaríq; ne pergant semper esse indisciplinati, & immorigeri uerbo domini, et contemptores tantorum beneficiorum, quæ consequenter adnumerare iubetur.

4 Reges multos propter eos subuerti. Pharaonem cum pueris suis, & omnem exercitum eius percussi. Omnes gentes à facie eorum perdidi, & in oriente prouinciarum duarum populos Tyri, & Sidonis dissipaui, & omnes aduersarios eorum interfeci.

Omnes gentes perdidisse se dicit, in ipsorum gratiam, hoc est, multas, maxime Chananaicas, & circumadiacentes terræ suæ, quam tradiderat patribus in hæreditariam possessionem, cum nihil tale meruissent, sed ad iracundiam sine intermissione prouocassent. Quod gentes Ty-

Tyrus & Sidon antiquissimæ urbes.

ri et Sidonis hic nominatim dissipatas dicit, fortassis ideo facit, quod constet ambas urbes colonias multas & magnificas destinasse ad occidentales partes multas mediterranei maris, usq; ad mare Gaditanũ & ultimũ, propter quas & hic orientales nominat prouincias, cũ respectu Iudææ sint magis septentrionales, quanquã uersus ortũ æstiualem tendentes. Nisi mendũ sit in litera, qualia nõ raro inueniuntur in locis huiusmodi, ubi urbium & prouinciarũ propria nomina describũtur. Crediderim hic quoq; nodum ueteribus inexplicabilem uisum esse.

5 Tu uero loquere ad eos, dicẽs: Hæc dicit dominus: Nempe ego uos per mare transmeaui, et plateas uobis initio munitas exhibui: ducẽ uobis dedi Moysen, & Aaron sacerdotem: lucem uobis per columnã ignis præstiti, et magna mirabilia feci in uobis: uos autẽ mei obliti estis, dicit dominꝰ. Hęc dicit dominus omnipotẽs: Coturnix uobis in signo fuit, castra uobis ad tutelã dedi, & illic murmurastis: & nõ triumphastis in nomine meo de perditione inimicorum uestrorũ, sed adhuc nunc usq; murmurastis. Vbi sunt beneficia, quæ pręstiti uobis? Nónne in deserto cũ esuiretis, proclamastis ad me, dicentes: Vt quid nos in desertũ istud adduxisti interficere nos? melius nobis fuerat seruire Aegyptijs, q̃ mori in deserto hoc. Ego dolui gemitus uestros, & dedi uobis manna in escã. Panẽ angelorum manducastis. Nónne cum sitiretis, petram excidi, & fluxerunt aquæ in saturitate? Propter æstus foliis arborum uos texi. Diuisi uobis terras pingues: Chananæos, & Pherezæos, & Philisthæos à facie uestra proieci, quid faciã uobis adhuc, dicit dominus?

Plateas nominat uiam per mare rubrũ, utrinq; aquis pro muro ipsos munientibus, Hebræis quidẽ per siccum ingredientibus, Aegyptijs subsequentibus inuolutis. Reliqua quoq; beneficia enumerat satis celebrata. Alloquitur autem ueluti præsentes patres in filijs, qui omnia ista ex lege uera didicerant, & maioribus suis usq; ad ista sua tempora in continuis murmurationibus conformabant sese, immemores se ostẽdentes tantis beneficijs, tam tunc illis exhibitis, quàm ex eo tempore semper, donec uerbũ domini per prophetas audire, spernere cœpissent: & satis clara est litera.

6 Hæc dicit dominus omnipotẽs: In deserto cum essetis in flumine Amorrhæo sitientes, & blasphemantes nomen meum, non ignẽ uobis pro blasphemijs dedi, sed mittens lignum in aquam, dulce feci flumen.

Flumen Amorrhæum puto fontem, unde fluuius deriuatur non longe à Iericho, qui per Eliseum conuersus est ad dulcedinẽ, qui fuerat amarus nimis: nisi quis de aquis Marath intelligere malit, quas Moses ostenso sibi ligno dulcorasse legitur, Exod. 15. Proprie non erat in terra Amorrhæorum, sed proximum mari rubro, quod iam transierant. Blasphemiam autẽ interpretatur, quod post tam stupẽdum uisum miraculum transitus maris rubri diuina uirtute, ausi fuerint tam procaciter contra deum et Mosen murmurare. Sed tamen uicit tantum malũ clementissimus deus in bono maximo, dulcorãdo aquas, quæ fuerant propter amaritudinem insalubres ad potum.

7 Quid tibi faciã Iacob? Noluisti obedire Iuda. Transferã me ad alias gẽtes, & dabo eis nomẽ meũ, ut custodiant legitima mea. Quoniã me dereliquistis, & ego uos derelinquam. Petentibus uobis à me misericordiam, nõ miserebor. Quando inuocabitis me, ego non exaudiã uos. Maculastis enim manus uestras sanguine, & pedes uestri impigri sunt ad cõmittenda homicidia. Non quasi me dereliquistis, sed uosipsos dicit dominus.

Didicerat ex omnibus prophetis futurã abiectionẽ Iudaici populi, & gentiũ generalẽ uocationẽ, uidebatq; bellionẽ suis quoq; temporibus nõ cessare, simulq; intelligebat procliuitatẽ gentiliũ ad unius dei cultum, si illis aliquando prædicandus esses, quod diebus Messiæ & de inceps futurum minime dubitabat, spiritu prophetico ipse imbutus. Ideo nunc gentium cõuersionem tanquam describit, ut mirum nõ sit, Iudæos hunc librũ sua lectione non fuisse generaliter dignatos. Vobis quidem, ait, oportebat prædicari uerbum domini, et illius per orbem benedictio mittenda, sed quia repellitis illud, & semper inobedientes fuistis omnibus eius prophetis, & insuper idola coluistis, ideo transferam me, ait dominus ad alias gentes, qui agnitum nomen meũ deuotissime reuerebuntur, & inuocabunt, legemq; meã prout uolui obseruandã custodient diligenter. Vos autem Iudæos semper rebelles sic derelinquã tandẽ, pro magna parte, ut etiam petentibus misericordiam, & inuocantibus gratiã, non sim eam præstiturus, ut uellent. Nõ enim sic peccata propria odium, ut mundanam gloriam & felicitatem cupiunt.

8 Hæc dicit dominus omnipotẽs: Nónne ego uos rogaui, ut pater filios, & ut mater filias, & ut nutrix paruulos suos, ut essẽtis mihi in populũ, & ego uobis in deũ: & uos mihi in filios, & ego uobis in patrẽ: Ira uos collegi, ut gallina pullos suos sub alas suas. Modo autẽ quid faciam uobis? Proijciam uos à facie mea. Oblationẽ cum mihi attuleritis, auertam faciem meam à uobis. Dies enĩ festos uestros, & neomenias & circumcisiones repudiaui. Ego misi pueros meos prophetas ad uos, quos acceptos interfecistis, & laniastis corpora eorum, quorũ sanguinem exquiram, dicit dominus.

Clara sunt hæc omnia ex lege & prophetis, dudum dicta à domino, & conscripta à prophetis, si legere uoluissent, ea quæ contra enormia peccata sua dominus plurimq; inspirauit prophetis, populo duræ ceruicis increpandã, sed nequicquam. Nũc quoq; iam proiectis Iudæis, quia non improperat, digne se nunc flagellari in exilio, quia non

solum id patres meruerint, sed & ipsi non desinant im-
pios patrum mores referre, ut & Ezechiel loquitur, ut
nisi se emendarint, grauiora sint in posteris mala perla-
turi. Et in captiuitate quoque seruabant suo more festos
dies, neomenias, & circumcisiones, quæ sine fide et obe
dientia mandatorum dei, non possunt domino placere,
maxime à persequutoribus prophetarum, quando & E-
zechiel ab eis occisus in regno Babyloniæ dicatur, sicut
Ieremias quoq; in Aegypto.

9 Hæc dicit dominus omnipotẽs: Domus
uestra deserta est. Proiiciam uos sicut uẽtus
stipulam, & filij procreationem nõ facient:
quoniam mandatũ meum neglexerunt, &
quod malum est corã me, fecerũt. Tradam
domos uestras populo uenienti, qui me nõ
audientes credũt, quibus signa nõ ostendi,
faciẽt quæ præcepi. Prophetas nõ uiderũt,
& memorabuntur iniquitatũ eorũ. Testor
populi uenientis gratiã, cuius paruuli exul
tant cum lætitia, me nõ uidentes oculis car
nalibus, sed spiritu credentes quæ dixi.

Iam exules peccabant in dominum, ideo grauiora eis
sufferenda prædicit, quæ olim passuri sint perpetuo con
tumaces in dominum. Iam domus eorum desertæ erant in
Iudæa, & adhuc proijciendos prædicit, nimirum per Ro
manos aliquando, semper enim mandata domini negli-
gunt, & malum coram deo faciunt, ideo & melioribus
gentibus data est Iudæa incolẽda per Romanos, Christia
nis scilicet suo tempore, qui tamen & ipsi pro peccatis
suis eijci meruerunt à Turcis, qui tamen utriq; uerbis do
mini, licet inæqualiter credunt. Summam scilicet fidei de
uno solo deo colendo & credendo, quod Israelitis uix et
aegre semper à prophetis potuit persuaderi, id quod gen
tes omnes interim in toto mundo sine cunctatione creden
dum susceperunt, cum talia signa nõ uiderint, qualia quo
tidie uiderant Israelitæ. Ab eo die gentium ecclesia, quæ
prophetas non uidit, ipsorum prophetijs credit, domini
mandata in spiritu & ueritate conseruare annititur stu-
dioseq; ubi id minus successerit, agnoscũt iniquitates suas,
& per mediatorem Christũ saluantur, idq; facient à pue
ri dei: ut cum exultatione & lætitia adoraturi sint maie
statem nominis mei, & credituri, afflandi sancto spiritu
quæcunq; per prophetas dixi & scribi uolui.

Iudæi, Chri
stiani, Tur-
ci.

10 Et nunc frater aspice, quæ gloria: & uide
populum uenientem ab oriente, quibus da
bo ducatum Abraham, Isaac, & Iacob, &
Oseæ, & Amos, & Micheæ, & Ioel, & Ab-
diæ, & Ionæ, & Naum, & Habacuc, Sopho
niæ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, qui &
angelus domini uocatus est.

Hortatur ad miraculum gratiæ dei perpendendũ, quo
facturus sit olim, ut pro perfidia populi Israelitici, domi-
num & Christũ suum contempturi, multi uenturi sint ab
oriente & occidente, qui recũbent cum Abraam, Isaac,
& Iacob in regno cœlorum, quãdo filij regni eijcientur
in tenebras exteriores, prout Christus dixit Matth. 8. om

nino conformiter ad hunc locũ. Quid enim aliud est prin
cipatũ patriarcharũ fidem, uirtutes, merita, gloriam, san
ctimoniam, & promissa dari gentibus, quàm ecclesiã fi-
delium congregari ex uniuerso mundo, ut omnes uno hu-
mero adorent unum deũ omnipotentẽ, quẽ solũ prædi-
cauerunt & glorificari totis desyderijs cupiuerunt, A-
braam, Isaac, & Iacob, Iosue, Samuel, Dauid, Esaias, Iere-
mias, Daniel, & duodecim prophetæ, qui hic ordine om
nes nominantur, ne quis parum reputet eorum authorita
tem, quorũ breues conspicit prophetias, quorũ aliqui Es
dræ quoq; temporibus sanctissime uiuentes, et docentes,
ab Israele ridebantur, & ab irritatrice gente & murmu
ratore populo, pro nihilo habebantur. Malachim autem
legitur pro Malachi, de quo dubiũ est, quis fuerit, quibus
dam dicentibus non alium quàm Esdram fuisse, alij Za-
chariam. Certe propheta insignis fuit, sic dictus, quacũq;
fuerit ꝓgenie generatus, quando admodum raro prophe
tarũ genealogiæ descriptæ sunt à prophetis, qui non tam
quibus essent orti natalibus prædicare seipsos uoluer-
unt, quàm domini dei sui gloriam, & qui in ipsis loque-
batur spiritum auditoribus cõmendare studuerũt. Quod
aũt angelus domini uocatus est, recte dicitur, si Macha-
chias legatur, quanquam Hebræi eum Malachi scribant.

CAPVT II.

1 HAec dicit dominus: Ego eduxi
populum istum de seruitute, qui
bus mãdata dedi p pueros meos
prophetas quos audire noluer-
unt, sed irrita fecerunt mea consilia.

Perpetua querela dei est, contra rebellem eum popu-
lum, quem præ cæteris electum, & multis magnis benefi
cijs obrutum semper passus est ingratissimum, clementis
simus, ut ueluti occasionem quæsiuisse uideatur, ostentan
di diuitias bonitatis & misericordiæ suæ omnibus per to
tum mundum nationibus, ut in illis erudirentur omnes, ad
exemplũ huius gentis, in fide & charitate ad dominum,
cernentes tam rebellem gentem, tantis beneficijs digna-
tam, tamdiu pertulisse, & tandem omnibus orbis parti-
bus iustitiæ & iudicij sui transmisisse testes & exempla
ria, simul quoq; sunt & uerborum dei iactatores & præ
uaricatores digne tractati.

2 Mater quæ eos generauit, dicit illis: Ite fi
lij, quia ego uidua sum & derelicta. Educa-
ui uos cum lætitia, & amisi uos cum luctu
& tristitia, quoniam peccastis coram domi
no deo uestro, & quod malum est corã eo
fecistis. Modo autem quid faciam uobis?
Ego uidua sum, & derelicta: ite filij, & peti-
te à domino misericordiam.

Matrem intelligit synagogam & Hierosolymam, uel
hæreditariã terram, quæ hunc populum procreauit pro
uidentia & consilio dei, in medio climate habitabilis ter
ræ, quæ iam ab Esdra uidua dicitur, quia eius coloni &
filij in exilio tenerentur, et in nullam coire ecclesiam ter
in anno poterant, iuxta legem, quæ & subuersa iacebat
in ruinis, multis iam annis, et ciuibus ac colonis uniuersa
terra destituta horrebat, deserta & inuia, quæ fuerat ut

hortus uoluptatis à filijs dei habitanda. Huius autem calamitatis causa erat, quia domino peccauerant, malum in conspectu eius commiserant. Nec de prouocanda pijs precibus clementia dei soliciti erant, ut iterum congregarentur, quia dominus exaudire nolebat, ideo gratiam postulandi gratiam non donabat.

3 Ego autem te pater testem inuoco super matrem filiorum, qui noluerunt testamentum meum seruare, ut des eis cõfusionem, & matrem eorum in direptionem, ne generatio eorum fiat. Dispergãtur in gentes nomina eorum, deleantur à terra: quoniã spreuerunt sacramentum meum.

Verba sunt Esdræ prophetæ ad dominum, contra impios uerbi dei et prophetarum eius contemptores, nondum resipiscentes Iudæos et Israelitas iam dispersos in orbem fermè uniuersum, sub imperio Chaldæorũ latissimo. Cum enim in donata illis hæreditate uiuerent, fœderis initi cum datore nunq̃ obseruatores fuerunt, quanquam sæpe innouauerint, ideo transgressi quoq; fœderis pœnã dignam frequenter experti sunt, grauiter cum sua matre confusi et direpti ab hostibus, quod illis lege debitũ erat. Tandem dispersi sunt inter gentes, & ueluti omnium nationum peripsema facti sunt: id quod hic propheta non tam gratulatur factum, quàm necessario id fieri debuisse prædictum esse dicit à prophetis. Iam enim pro spreto fœdere, quod sacramentum uocat, dispersi erant. Ne generatio eorum fiat, perinde est, ac si diceretur, Non prospererent, non felices agant, non gaudeant de sua multitudine, sint in maledicto dei, qui noluerunt benedictionem, et benedicti seminis promissionem habebant.

Iudæorum dispersio.

4 Vę tibi Assur qui abscõdis iniqs penes te. Gens mala, memorare quid fecerim Sodomę et Gomorrhę, quorũ terra iacet in pice is glebis, & aggeribus cinerũ: fic dabo eos, qui me nõ audierũt, dicit dominus omnipotens.

Grauissima mali interminatio est uel accusatio, quod tam mali sint & iniqui, ut scandalũ sint gentibus, quibus cum exilium sustinent, & Assyriorũ regnũ, in quod primum fuerant coniecti, quasi familiaritate & præsentia sua cõmaculent, & non melioribus gentibus comparari possint, quàm Sodomitis & Gomorrhæis, quandoquidẽ ferè simili iudicio à domino iudicati cernantur à mundo, pro eo quod non audierunt uocẽ domini dei sui, qui tam clementer eis loquitur per prophetas, de mane consurgens, tam in propria eorũ terra, quàm in exilio nõ destituens, pphetarũ solatio, si ad dominũ cõuerti uoluissent.

5 Hæc dicit dominus ad Esdrã: Nuntia populo meo, quoniam dabo eis regnũ Ierusalem, quod daturus eram Israel. Et sumam mihi gloriam illorũ, & dabo eis tabernacula æterna, quæ præparaueram illis.

Non est uerisimile Iudeos potuisse hanc prophetiam etiam in captiuitate positos æquanimiter ferre, & nõ potius hunc librum abijcere, falsisq; cõmaculare additionibus, in quo tam claram legerent gentium uocationẽ, & ipsorũ omnimodam abiectionẽ à facie domini, quod tam clare actũ uidere cogũtur suo malo, iam supra duo millia annorum, maxime aũt post occisionẽ summi omniũ prophetarum Christi domini et Meßiæ sui. Populũ suũ quem dicat, satis claret, fideliũ ecclesiã in mundo ex gentibus congregatã esse, quæ populũ se dei esse & confitetur & iactat, eliminatis idolis gentiũ, quæ olim pro dijs colebat, & unius dei cultores persequebatur. Nobis, iniquã, gentibus dominus deus unicus & uerus, dedit regnũ ecclesiarum, & Hierosolymã auream, ciuitatem uere fideliũ in toto mundo, ædificatam in fide & cultu dei uero, inhabitari fecit. Per gentes conuersas à cultu idolorũ, uel conuertendas ad me digne colendũ & adorandũ in spiritu & ueritate, ego longe illustriorẽ mihi gloriam rẽparabo, quàm habui hactenus à Iudæis circuncisis illis corpore tantum, non corde uel animo, & à filijs Abrahæ secundum carnẽ, non fidẽ uel spiritũ. Et in æternis mecum tabernaculis habitabũt: ecclesias dei uiuentis & unius exhibentes meo munere, in quibus semper cum illis habitabo, quem & nunquã sunt reiecturi, utcunq; enim pro conditione humana peccaturi sint semper, non tamen nomen meũ cõmutabunt pro Baalim, nunquã sibi deos alios ore respuendo amplectentur, pro mea gloria & confessione mei nominis maxima patientur, etiam ultima supplicia, non minus quàm hi, qui ex tota Israelitica gente multi ornium fuerunt deuotißimi, patriarchæ scilicet & prophetæ, quorũ illi filios se per fidem iactabunt, & factis ostendent, & nõ mihi erunt minus chari & electi quàm ipsi.

6 Lignũ uitæ erit illis in odore unguẽti, & nõ laborabũt, neq; fatigabunt. Ite, et accipietis. Rogate uobis dies paucos, ut iumenta requiescant. Iam paratũ est uobis regnũ: uigilate.

Restituã illis fidelibus meis istud lignũ uitæ, quod in paradiso perdiderant: uiuificabo eosdẽ per mortẽ Meßiæ, Lignum uitæ.
cuius gratia, ueritas, uerbũ, euangeliũ, promissio, meritũ, iustitia, sanctitas, erit ecclesiæ meæ illi, odor unguenti sese liberrimi & pretiosißimi, ut nõ posthac laboraturi, sint sub lege, sed recreandi per gratiã, fidei & charitatis. Nõ fatigabuntur operibus legis, sed fide in saluatorẽ suũ fouebuntur. Sic inquã ô Esdras, loquere ad nouũ hunc populum meũ, imò non nouũ, tales enim habui semper in gentibus homines, ut Iob & amicos suos, Melchizedech, & Achiorẽ, Cyrũ & Darium, Iethro & Naaman, Abimelech & Sareptanas. Sic dicas ad populum meum: ite filialiter ad ecclesiã dei uiuentis, & accipietis non minora uel pauciora gratiæ meæ bũficia, quàm Israelitæ semper ingrati & increduli uerbo meo, non uos similiter superbi & incredituli uerbo meo, non uos similiter fu cietis. Restant adhuc dies pauci, quando has meas promissiones cernetis & accipietis, ut gloria mei nominis, in totum orbem monarcharũ maximorũ edictis promouenda fit, spiritũ quoq; meum largiar electis, mora erit diebus paucis. Venient enim hæc bona temporibus Cyri, Darij, Alexandri, donec per Christũ & apostolos uocatio gentium impleatur, & prædicetur in orbẽ totum euangeliũ regni, quod per dei prouidentiã & prophetarũ prædictiones iam nunc est paratũ, et ex reliquijs Israelis secundum gratiã electionis multi durabũt, reliquis excæcatis, quorum

quorum delicto salus procurata est gentibus, & ex ramis fractis oleaster procedet insertus in oliuam bonã, ut fiat socius radicis & pinguedinis oliuæ populus gentilis, de quo Apostolus ad Romanos. Reliquum tantum est, ut qui dicuntur nunc populus domini, uigilent ad dei uoluntatem agnitam implendam.

7 Testare cœlum & terram. Cõtriui enim malum, & creaui bonum, quia uiuo ego dicit dominus.

Testem inuoca tu Esdra prophetico more cœlum & terram, contra exasperatricem gentem, & perpetuo rebellem populum, siue beneficijs lactem siue uindictis eruditam, semper enim perseuerat in malo, ideoq; cõtriui malum, & confudi in facie solis huius, aspicientibus cunctis gentibus iustũ iudiciũ meũ, cuius illi testimonium circũferre cogantur me uolente sacra Biblia sua, ex quibus et mea bonitas, & illorũ impietas, iustumq; utrinq; iudiciũ, toti mundo ad eius profectũ inclarescat, & ad gloriã meam. Cõtriui, inquã, malum populũ, improbam synagogam, et creaui bonum, ex reliquijs Iudaicis sanctis & multis, sed multo pluribus collectis ex gentibus, & suo tempore colligendis, quod prædictũ à prophetis, illi semper credere noluerunt. Tam certo autẽ hæc iã prædicta facturus sum, quàm certũ est me uiuere, & omnibus dare uitã, id quod iam factum interim totus mundus testatur.

8 Mater amplectere filios tuos, educa illos cum lætitia. Sicut columba confirma pedes eorum, quoniam te elegi dicit dominus.

Siue hoc referatur ad ecclesiam congregandã ex gentibus, quæ mater est nobilior quàm prior synagoga Esdras nouerat denuo congregandam, ædificandã Hierosolymam, & continuandam, donec ueniret promissus ab omnibus prophetis et patriarchis, nihil desiderabitur in uerbis & sententijs, quando in typo quidẽ electi ex Israel redierunt, et cõgregati sunt denuo in Hierosolymã urbem, & ad terrã sanctã, iuxta promissa prophetarũ. Quæ tamen cõgregatio magnificentior & amplior futura sit per Christũ & apostolos, sanctissimas reliquias Israelis. Tu, inquit dominus, ô Ierusalẽ mater amplecteris tuos legitimos filios, & electos fideles, & uerbo uitæ pasces eos, nõ fames uerbi diuini discrutiari, sed lætitia tutæ conscientiæ in uerbo dei pfrueris, cũ tuis filijs, tantũ, ut simplicitate columbina confirmeris in fide & moribus, intelligens te electam, non ex præcedentibus meritis, quæ nõ habuisti, sed ex gratia & misericordia, qua indiguisti. Cura ergo ut filiorum tuorum pedes confirmes, ad hoc enim elegi eos, ut simpliciter in me lætentur, & ego in eis.

Congregatio Ecclesiæ.

9 Et resuscitabo mortuos de locis suis, et de monumẽtis educã illos, quoniam cognoui nomen meũ in Israel. Noli timere mater filiorum, quoniam te elegi dicit dominus.

Ego dominus colligã eos de locis suis, ubi nunc miserrimam uitã agunt, & exilium ferunt infelicissimum, quod mors habetur ciuilis, quando & morti continuo obnoxij fiunt, iudicio truculentorũ dominorum, ut patet ex libro Tobiæ, ut in suis ergastulis latitare cogantur pro formidine hostiũ, ueluti mortui in sepulchris, progredi non audentes propter odiũ impiorum, qui pro minimo habebãt occidisse Iudæũ, uel mancipium ex Israelitis. Ab his et huiusmodi grauissimis miserijs educam illos, non propter ipsorum merita, sed propter gloriã nominis mei, quod per Israeliticã gentẽ, per quam agnitionẽ uoluntatis meæ statui iamdudum disseminari & clarificari in uniuersam terram, ut clare innotescat, te matrem fidelium & haberi et dici, unde prodijt uerbũ dei, et scientia salutaris, & creatoris agnitio in omnes gentes. Ad quam gloriam dominus elegit non aliam gentem & familiam, quàm Israeliticam, non pro sanctimonia & operibus, sed ex gratia & fidei dexteritate in electis ex eis, paucioribus ex multis.

10 Mittã tibi adiutoriũ pueros meos Isaiam & Ieremiam, ad quorum consilium sanctificaui, & paraui tibi arbores duodecim grauatas uarijs fructibus, et totidẽ fontes fluentes lac & mel: & montes immensos septem, habentes rosam & lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos.

Vtcunq; hæc quoq; de restitutione Israelis post captiuitatem, in qua erant, accipi posit, quia prophetarũ sanctorũ prædictiones, facto & experientia didicerunt uerissimas fuisse, quanq; illos semper indigne propter uerbũ dei tractauerint, & occiderint eorum multos crudeliter, Esaiam & Ieremiam nominando, ut principaliores, unde sua ut plurimum scripta hauserint minores prophetæ duodecim. Tamen, quia multo gloriosiores futuros prænoscit Esdras hos omnes prophetas, in ecclesia congreganda ex gentibus, ideo illos mittendos dicit spiritus dei, ecclesiæ sacrosanctæ omnium electorũ, ut fidem illorũ suis prophetijs tam clare impletis adiuuent, quorum primores & celebriores fuerunt Isaias & Ieremias. Ad quorum duorum scopum finem uel intentũ, quod hic uocat consilium, præparauit, quod est sanctificaut, duodecim arbores, quorũ prius nominauerat nomina, duodecim pphetas, qui quanquam diuino spiritu imbuti fuerint, eadem tamen uel ad idem dixisse cernuntur, quæ Isaias & Ieremias. Quorum omnium in simul prophetiæ & doctrinæ, nobilissimi fructus sunt, quibus uescuntur & nutriuntur fidelium animæ & conscientiæ, quæ & eadem ratione dici possunt fontes nobilissimi aquarum saluberrimarum, imò non tantum aquarum, sed lactis et mellis. Septem autem montes, quos intelligat certo pronunciare non possumus, quando autem præter hos quatuordecim prophetas quos explicauit nominibus, etiã noti sunt Moses, Samuel, Dauid, Salomon, Ezechiel, Daniel, Esdras, uel si dicamus, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Iosue, Caleb, & Samuel, recte septem uel multos ualde montes gloriosos exhibebimus et immensos, plenos omnium uirtutum floribus, qui Hebræis nomine rosarum & liliorum cuncti dicuntur, quibus electi filij ecclesiæ reficiuntur, & iucundantur in domino.

Gloria prophetarum in mundo.

11 Viduam iustifica, pupillo iudica, egenti da, orphanum tuere, nudũ uesti, confractũ & debilem cura, claudum irridere noli, tutare mancum, & cæcum ad uisionem claritatis meæ admitte.

Si uero ecclesiæ illius restituendæ & congregandæ ce-
Leges ecclesiæ. remonias, templum, leges, sacrificia, sacerdotiorũ officia scire uolueris, paucis dicam omnia. Viduam iustifica, hoc est iustitiam destitutorum auxilijs tu diligenter defende, ne uiduæ inferatur iniuria: pupillo decernas quod ei debetur, & quo indiget. Non patiaris proximum necessarijs indigere, dum tu abundas. Vbi orphanũ amicis destitutum opprimi uideris, pro omni uirili succurre & tuere. Nudum cum conspexeris, uestire studeas: si duas habueris tunicas, alteram trade nudo. Vt clemens & pius Samaritanus euangelicus, confractũ à latronibus et semiuiuum cura, nec solũ bona facias, sed ne quidẽ cõmittas mala. Mancum uel claudum noli irridere, sed magis pro tuis uiribus adiuua. Et si quẽ cæcũ uideris, dirige, nec solũ oculis corporalibus captum, sed æque ignarũ, errantẽ, infidelẽ, peccantem, & ueritatis ignarũ, & iustitiæ, studiose contendas adducere ad claritatem ueritatis, iustitiæ, fidei & morum. Talibus enim hostijs promeretur deus, & prohibetur ne doctrinis uarijs & peregrinis fideles abducantur.

12 Senem & iuuenem intra muros tuos seruatmortuos ubi inueneris signans cõmenda sepulchro, & dabo tibi primam sessionẽ in resurrectione mea.

Curam diligentem impende pro tutanda patria, pro ci-
Pietas deo gratissima. uibus defensandis, maxime eis, qui se uiribus suis propugnare non possunt, ut sunt senes & pueri, pro quibus te murum opponas hostibus, et urbis tuæ muros sic defende, ne hostis irrumpat ad commune exitium. Nec tantũ uiuus te humanũ præbeas & amicum, sed etiam mortuorũ corporibus, quæ religiose & humaniter sepelire non graueris, etiam adhibito signo, ut posteris illorũ nota sit maiorum sepultura. Hoc enim & ipsum pertinet ad pietatem, quam parentes à filijs non ingrati expectant, ut non uelut cadauera abijci uideãtur, sed cum charitate stabili prosequantur, & simul cum illis, si commode fieri possit sepeliantur, ut pariter resuscitandi simili quoq; cum sanctis sorte in corporibus quoq; donentur. Superstitio & pompa prorsus absit sepulturis, sed non prorsus officium pietatis intermittatur uiuorum ad corpora cum honestate collocanda. Si hæc prædicta pulchre curaueris, insignem gloriam & locũ felicitatis cum sanctis gloriosum tunc assequeris, in corpore & anima, cũ ego omnipotenti uirtute mea in die nouissimo resurgere fecero oẽs dormientes in puluere terræ, uel quomodocunq; resolutos in elementa.

13 Pausa & quiesce populus meus, quia ueniet requies tua. Nutrix bona nutri filios tuos, confirma pedes eorum. Seruos quos tibi dedi, nemo ex eis interiet: ego enim eos requiram de numero tuo. Noli fatigari.

Nunc ergo ad tempus quiesce, ut potes, exiliũ patiens,
Rectores ecclesiæ quæs. & fer æquanimiter quod aufugere non potes. Cogita interim te populum esse meum, quem elegi, redemi, planta ui, excolui, erudiui, ueniet tempus, quando quiesces iterum à præsentibus captiuitatis iniurijs. Tu autem mater ecclesia fidelium, quotquot officium accepistis regendi, docendi, consolandi, exhortandi fideles: curate, ut non negligantur sanctissimi patris cœlestis hæredes, filij & amici, non tantum doceatis quid agendum, sed uerbo & sanctis adhortemini, ut consistant in religione uera, & morum innocentia, ne labantur in fide uel charitate. Quin et seruilis conditionis & male ingeniatos homines nõ negligas, sed pro omni uirili eorũ reformationi operã des, ut si non amore uirtutis agere uolunt quod iustũ est, saltem formidine pœnarũ emendentur. Nõ mihi negligendos patiar etiam seruos, omnes enim mei sunt, & inter tuos filios, ô ecclesia, supputare debebis: omnis enim anima mea est, fœminæ æque ut uiri, seruuli & regis, ancillæ et dominæ, eorum numerum certò noui scriptum in libro uitæ, eum exigam à doctore, cui ipsos instituendos credideram, repetam eos integro mihi numero restituendos. Noli ergo fatigatus desistere à mandata tibi cura filiorũ meorum, sed uum te meũ instituí, fidelem te præbeas, ut supra plurima constituaris, & in gaudium domini tui adsumaris.

14 Cum enim uenerit dies pressuræ & angustiæ, alij plorabunt, & tristes eruntuau tem hilaris, & copiosa eris. Zelabunt gentes, & nil aduersus te poterunt, dicit dominus. Manus meæ tegẽt te, ne filij tui gehennam uideant.

Si fidelis in officio tuo fueris, & seruieris diligenter
ad gloriam meam & proximorum tuorũ, cum quibus & tu quoq; in hac mortalitatis uita angustias multas et pressuras sufferre cogeris, ueniet à me definitũ tempus, quando laborum tuorum & pressurarũ finis erit, quando laboris præmia capies, quando infideles & nequam serui, fletu & dentiũ stridore affligentur tristesq; plorabunt. Tu aũt fidelis ecclesiæ præses et minister, pro optime collocata opera tua, pro animabus seruatis domino tuo, in regno dei discumbes, dominus tuus tibi seruiet, & summo honore dignum ducet, supra multa constituet, & introducet in regnũ suũ. Sed & tu quoq; ecclesiastica anima, si domino deo tuo fide & charitate adhæseris, in omnibus huius mũdi pressuris, cõsolationem à deo recipies, & omniũ impiorũ infestationes domino protegente cuncta. Intelligi siquidẽ hæc omnia possunt, de fidelibus omnibus, subditis & prælatis, in ecclesia Mosis & Christi, de Ierosolyma ueteri & noua, semp enim pij in hoc mundo persecutiones patiuntur: multæ sunt enim tribulationes iustorum, sed de his omnibus liberat eos dominus. Liberauit à Babylone Iudæos, à Iudæis apostolos, à Cæsaribus Christianos: sic autẽ semper credendum, ut fiat, quod promisit dominus, qui ueritas est. Manus enim domini protegit & cõtegit iustos, ne in perditionem incidant, quæ nomine gehennæ significatur, cuius uocabuli usus ex huius authoris temporibus ortus uidetur, & perseuerasse ad Christi & Euangelistarum tempora.

15 Iucundare mater cum filijs tuis, quia ego te eripiam, dicit dominus. Filios tuos dormientes memorare, quoniam ego eos educam de lateribus terræ, & misericordiã cum illis faciam: quoniam misericors sum, dicit dominus omnipotens.

Consolatur gentem suam tunc captiuã à Babylonijs
Confol. sub improbis regibus, quam ut synagogã matrẽ appellat, ecclesiã

in typo ecclesiæ sanctorũ omniũ, semper durantis à primo Abel usque ad ultimum in fine mundi nasciturũ electum. Omnes pios in hac miseriarum ualle grauia perferentes, iubet non desperare, sed gratulari de bonitate patris sui. Imò sponsam & matrem de fide sponsi & mariti, qui promittit se erepturum matrem cum filijs, sub Cyro & Dario, ecclesiam Christi sub Constantino uel reliquis, semper autem à domino saluatore credentium, qui solus liberat ab angustijs animam, etiã si interim corpus interire permittat. Non aliter æstima tuos filios nunc captiuos, quàm ueluti dormientes, qui nunc noctem ducũt in somno, propediem euigilaturi ad salutem et redemptionẽ. Quos enim synagoga nunc mortuos plangis, statim resurrexisse ad uitam cum inæstimabili gaudio intuebe-
ris, cũ eos eduxero de lateribus aquilonis, de Chaldæa, Assyria, Perside, Media, & alijs nationibus, sub regno nunc maximo Chaldæorũ, propediem pessundando & finiendo. Tunc faciam misericordiam cum filijs tuis, ut à Persarum & Medorum regibus dimittantur, & redeãt
16 cum lætitia, quia misericors sum ad fideles.

Amplectere natos tuos usq; dũ uenio, & præstem illis misericordiã, quoniã exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet.

Amplecteris autem tunc natos tuos Ierusalem, & terra Israel, quos nunc dispersos luges. Veniã enim suo tempore, et misericordiæ quam promisi recordabor, et præstabo magnifice. Clemẽtissimus enim sum, & beneficus ualde, ut multo plura conferre sim solitus quàm promittere. Exuberant enim fontes bonitatis meæ, & gratia
17 mea non deficit unquam.

Ego Esdras præceptum accepi à domino in monte Oreb, ut irem ad Israel, ad quos cum uenirem, reprobauerunt me, & respuerunt mandatum domini.

Viderat fortassis in uisione & somno Esdras, se cum Mose perductũ in montem Sinai uel Oreb, ibiq; se exemplo Mosis præceptũ accepisse à domino, ut ad sui tempo-
ris Israelitas pergeret, & eos de domini uoluntate redderet certiores. Sed ut dominus sibi semper similis est, ad
ostium stans & pulsans, præueniẽs sua gratia prauas hominũ uoluntates, ut emendentur, & bene habeant, quos
omnes semper uult saluos fieri, nihil obmittens quo id mi-
nus sua ex parte non procedat, nisi caro & sanguis con-
tinuo primas agerent, quibus uoluntas deprauata consen-
tit. Sic quoq; semper homines, et præcipue Israelitarum Cæcitas Iudæorum.
natio, missos ad se prophetas abijciunt, cõtemnũt, respu-
unt, & audire renuunt, ut patet non solum Mosis tempo-
re, sed etiam Samuelis, Dauidis, Ezechiæ, Iosiæ, & pro-
phetarũ Esaiæ & Ieremiæ, Eliæ & Eliszi. Sic Christi tẽ-
poribus actum est, sic fit hodie, semper mundo odiente
ueritatem uerborũ dei. Sic hic Esdræ temporibus et Eze-
chielis satis patet duram fuisse, & semper persecuasse
ceruicem Iudaicam, non tam prophetarũ exhortationes
respuẽtes, quàm dñi dei, cuius ipsi nuntij erant. Sic Chri-
stus & Apostoli primo missi sunt ad eos, qui perierant
de domo Israel: sed quia illi se indignos exhibuerũt uer-
bo dei, cõuersi sunt pphetæ et Apostoli ad docendũ gen-
tes, quæ longe auidius & deuotius uerbũ dñi amplexati
sunt, q̃ olim uel unq̃ ualuerint filij Israel: ideo sequitur.

18 Ideoq; uobis dico gẽtes, quæ auditis & intelligitis: Expectate pastorẽ uestrũ, requiem æternitatis dabit uobis: quoniã in proximo est ille, qui in fine sæculi aduenier.

Quandoquidẽ Iudæis hoc salutis euangelium nõ placet, nec de dei gloria per orbẽ diffamanda cũ summa maiestate soliciti sunt, nisi id fiat cum sua uoluptate carnali, & gloria sæculari, quã unice spirant. Ideo uos gentes, qui tamdiu expectatis gratiã dei, & benedictũ semẽ ab exordio mundi promissum: uobis, inquam, ô gentes dico, qui auditis & intelligitis. Iudæi enim peruicaces, suo more antiquo, neq; audire uolunt nec intelligere possunt. Pastorẽ uestrum hactenus expectastis, qui filios dei ex uobis dispersos, in unũ colligeret, ab initio mundi promissum, teste Iacobo in benedictionibus et omnibus prophetis. Is dũ uenerit, uita, doctrina, meritis, & morte, requiẽ uobis æternam donabit, eximet ab erroribus et peccatis. De quo etiã eodẽ fermè tẽpore dixit Aggæus: Ad huc unũ modicum et ego cõmouebo, &c. & ueniet desideratus cunctis gentibus, et implebo &c. Sic in proximo est ille, qui aduenier in fine sæculi, bis scilicet uenturus, primum iudicandus, ultimo iudicaturus, unde & de uno aduentu prophetarum more transit ad alium. Iudæorum perfidia.

19 Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit uobis per æternitatem tẽporis. Fugite umbram sæculi huius: accipite iucunditatem gloriæ uestræ.

Sic uiuite ecclesiastici et electi à domino, ut cum uenerit ad iudiciũ, sitis parati ad digne percipiẽdũ præmia felicitatis æternæ, sanctis promissa. Omnia enim magnifica sunt, quæ suis electis præstabit omnipotẽs dñs. Lux enim perpetua lucebit omnibus sanctis, sine aliquo errore & ignorantia. Eam autẽ lucẽ promissam assequemini, si tenebras huius sæculi fugiatis. Si errores idololatrarũ, scientiam animalem, & carnis oblectamenta, quæ animum obtundunt, fugieritis. Vmbra est enim omnibus scientia & felicitas huius sæculi, comparatione futuræ beatitudinis, in qua uidebimus ueritatis iubar clarissimũ, et omniũ bonorum possessio, quæ desiderari poßint, sine fine continget electis. Fugite indignas uobis delitias & honores, magis autẽ suscipite à deo uobis donandã iocundissimã gloriã uitæ æternæ, quam soli à deo benedicti percipient in regno cœlesti, quod paratum est sanctis et angelis dei. Vita præsens & futura sanctorum.

20 Ego testor palàm saluatorẽ meum. Cõmendatum donum accipite, & iucundamini, gratias agentes ei, qui uos ad cœlestia regna uocauit.

Dixerat de saluatore expectando, & pastore animarũ, quæ de alio dici et intelligi nequeũt, q̃ de Meßia promisso deo et homine, per quẽ nunc iurat, illũ cum absens adhuc esset uocans in testem. Cum in alterius nomen iurari non deceat, nisi dei unius & ueri. Quem & saluatorem nominat suum, & omniũ fideliũ. Sub huiusmodi aũt contestatione precatur & orat, sanctos omnes, ut grati suscipiant donũ dei datũ hominibus, uel de proximo dan- Messiæ aduentus.

dum Messiã dominũ, unigenitum filiũ dei, & Dauidis. In quo tanto beneficio, quod solũ attigit semen Abrahæ & Dauidis, non angelos et potestates etiam cœlestes, iucundentur feliciter, gratias agẽtes domino, qui per mysteriũ filij incarnati saluatoris mundi, per euangelium dei, per prophetas prædictum & promissum, uocauit omnes credentes & electos ad regna cœlestia nunquam finienda.

21 Surgite, et state, et uidete numerum signatorum in cõuiuio domini. Qui se de umbra sæculi transtulerunt, splendidas tunicas à domino acceperunt.

Aduentus Christi duplex.

Sicut de duplici aduentu Christi promiscue loquitur, sic & de Hierosolyma duplici, terrestri & cœlesti, quando etiam Iudæorũ doctores, duplicem Christi aduentũ fatentur, ad patiendum scilicet, & ad regnandũ: sic Hierosolymã terrestrẽ reædificandam sperant, quam nos fatemur esse ecclesiã, quam dicimus militantẽ, & Hierosolymam, quã auream uocant in cœlis, quã nos nominamus triumphantem. De qua nũc loqui uidetur pincipaliter, cum tamen in typo et imperfectius scribat de terrestri, et adhuc peregrinãte ecclesia. Quotquot, inquit, ad istã ecclesiam pertinetis, surgite de otio uestro temporali, et uacate aliquantisper spiritualibus dei mysterijs contemplandis. Videte, inquã, inæstimabilem numerũ eorũ, qui signati sunt & inscripti in librum uitæ, in catalogũ ecclesiasticum, illius illustrissimæ ecclesiæ cœlestis, in cõuiuio regis æterni, in aula imperatoris summi, quando Christus in regno patris sui faciet seruos suos discumbere, & præcinget se, ut transiens ministret illis, quando nouum pascha celebrabit cum discipulis in regno cœlorũ, quod hic dicitur conuiuiũ domini, in quo discumbent contẽptores delitiarũ & uoluptatũ huius sæculi, ut iam translati de umbris huius uitæ, splẽdidis tunicis immortalitatis & impassibilitatis beati induentur in nuptijs agni, quas non ipsi sibi parauerũt suis meritis, sed à domino sunt donandi et accepturi, qui corpora sua tradiderunt in obsequiũ ueritatis & dei usque ad mortem.

22 Recipe Sion numerum tuum, & conclude candidatos tuos, qui legem domini cõpleuerunt. Filiorum tuorum quos optabas plenus est numerus.

Numerus sanctorum.

Soli deo notus est numerus saluandorũ, quos & intra suã Sionã, hoc est in ecclesiã tam militatẽ hic, q̃ triũphãtem in cœlis, recipiet, post diẽ iudicij finalis et generalis. Eos scilicet, qui legẽ domini compleuerũt, qui uel fide in deũ & charitate in proximũ domini uoluntatẽ, summã scilicet legis impleuerunt, uel post fragilitatis humanæ delicta, in fide dominũ pro indulgentia orauerunt per Christũ dominũ, in cuius nomine qui precatur, indulgentiã et sanctificationẽ sui nominis, nõ potest nõ exaudiri. Plenus tunc erit numerus, et nõ ante, filiorũ dei, quando Christus patri suo regnũ est traditurus, ut sit deus omnia futurus in omnibus. In hac autẽ uita nunquam impleri potest numerus filiorũ dei, sed nec optari, sunt enim filiationis huius merita & notæ inuisibiles, nec discerni possunt, nisi cum triticum liberatũ fuerit à zizania, quod non ante uentilationẽ continget, interim semper mali habitabunt cum sanctis, quos & exercitabunt in malorum exercitantiũ, & in gloriam amplificandam electis.

23 Roga imperiũ domini, ut sanctificetur populus tuus, qui uocatus est ab initio.

Apostolus ad Romanos docet dominũ deum eos quos præsciuit etiam prædestinasse, ut conformes fiant imaginis filij dei, cum sit ipse primogenitus in multis fratribus. Hi sunt autem ab initio uocati, quos & iustificauit, quos aũt iustificauit illos et magnificauit. Hi hic dicũtur populus sanctificatus, uel ab initio uocatus, qui et ptinet omnis ad imperiũ dei, quod sancti quotidie orant et precãtur ut sanctificetur. Nihil enim religiosius à deo rogari potest, q̃ ut sanctificetur nomen dei, & imperiũ dei in uocatos electos & sanctificatos augeatur in gloriã dei, ut crescat numerus beatorum et electorum dei, quod pij omnes maxime desiderant. Etiam si per impossibile ipsi sine gloria dimitti deberent, quãdo suam gloriam et felicitatẽ nõ tantopere cupiũt, quantũ gloriam dei. Dixi autem per impossibile, quod fieri non possit, ut homo tanta fide præditus & charitate in deum, non saluetur, & ad gloriam non perueniat beatorũ, qui dei gloriam ante omnia concupiscit.

24 Ego Esdras uidi in monte Sion turbam magnã, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant dominum.

Mons Sion. Siue mons Sion accipiatur pro ecclesia militante siue triumphante, non potest dubitari, quin immumerã multitudinem complectatur fideliũ, quæ quidem domino deo nota est, sed soli, nullis hominibus, nisi cui dignatur dominus reuelare. Omniũ autem piorũ tam in hoc mũdo morantiũ, quàm in cœlestibus, unicũ studium est, collaudare dominũ incessabili uoce et animo quæ nobis felicius est, dum in hac uita manemus prorsus inenarrabilis. Omnia enim bona sua & aliorũ, soli deo accepta referũt, intelligũt & admirãtur ea esse supramodũ intellectionis humanæ, quin et angelicæ, quia à se solo deus cognoscitur quo modo cognoscibilis est. Cantica autẽ à nobis dicũtur esse in cœlis, iuxta nostrũ modũ loquendi, qui de supercœlestibus, dum terreni sumus perfecte loqui non possumus.

25 Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, et magis exaltabatur.

Christus. Iuuenis in medio ecclesiæ cœlestis, qui coronas imponit triumphatoribus malorũ in hoc mundo, quis alius intelligi posset quàm Christus dominus? qui pro humanita te assumenda tunc iuuenis uidebatur & scribitur, pro remuneratione autem sanctorũ alius intelligi nõ potest nisi deus, qui solus corona suorũ sanctorũ, erat omnibus cœlestibus ciuibus sine dubio angelis & hominibus celsior. Nihil autem angelis altius & nobilius solo deo. Exaltabatur autẽ magis ex adaucto numero beatorũ, qui membra sunt Christi domini, quorũ ipse est caput, ipsi uero in uniuersum membra sunt eius. Non quod ipsi quippiã accedat ab hominibus, sed crescit gloria regis ex subditorum multitudine semper adaucta.

26 Ego autẽ miraculo tenebar. Tũc interro-

gaui

gaui angelum, et dixi, Qui sunt hi domine? Qui respondens, dixit mihi, Hi sunt, qui mortalẽ tunicam deposuerunt, & immortalẽ sumpserunt, & confessi sunt nomẽ dei. Non mirabile est mortalem hominẽ ex cœlestibus huiusmodi uisionibus in stuporẽ rapi, teneriq; miraculo, unde processit desiderium & studiũ inquirendi de uisis. Alloquitur autẽ angelum Esdras, qui adstare uidebatur, & dominũ appellat honoris & reuerentiæ gratia, à quo audit, hos omnes esse iam factos ex corporalibus et caducis hominibus, immortales & glorioſos, omni aduersitate exutos, quibus ut nihil abesse potest bonorũ, sic nihil potest desiderari ab eis. Quã immortalitatis et gloriæ tam illustris coronã assecuti sunt, beniuolentia & gratia dei, ea, qua confessi sunt nomen domini: omnia huius mundi bona & gaudia postposuerunt gloriæ dei, quã omnibus creaturis præposuerunt, parati mundũ & uitam perdere potius quàm dei honorem, & celebritatẽ nominis alicuatenus dehonestari, pro quo dira pati minime dubitarunt et mortem. Satis autem liquet non hæc dici posse de Iudæis, Hierosolymã redituris, nec de militante ecclesia, sed de triumphante, in qua coronantur à rege suo sancti omnes, & operũ suorũ ex fide non sine gratia dei actorum, mercedẽ recipiunt, quæ per palmam significatur. Non quod proprie merces dici possit ex natura operũ, sed ex promissione & beniuolentia dei tali præmio coronantur opera sancta, quæ melius & uerius dei opera dicuntur & sunt quàm hominum, ut non tam sanctorũ

27 quàm ipsius dei opera dominus coronare uere dicatur. Modo coronantur, & accipiũt palmas. Et dixi angelo, Ille iuuenis quis est, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi, Ipse est filius dei, quem in sæculo confessi sunt.

Quis miretur hunc librũ à posterioribus Iudæis non fuisse inter hagiographa computatum, qui tã expressa testimonia cõtinet de Christo domino? quomodo omniũ sanctorũ saluator sit in hoc mundo, coronator in cœlestibus, immortalitatis largitor, imperiũ habẽs in omnia, qui & iuuenis sit, et filius dei nominetur & sit, pro quo fiunt tot testes & martyres, uitam suam prodituri semper in sæculo, hi scilicet, qui pro ueritate certãtes et iustitia, uitã suã amittere & prodigere non cunctantur. Esse aũt filium dei aliud non est, quàm uerbum dei, quod & ipse deus est, à deo deus, lumen de lumine, notitia genita fide libus loquens domini uoluntatem, quod in dispensatione temporis patribus promissa, et à prophetis prædicta, factum est caro, & in terra uisum est in carne, & cum hominibus conuersatum est, patefactumq; carni in carne. Quomodo enim figuram substãtiæ eius aliter homines uidere, audire, et contingere potuissemus, nisi carnis tra bea indutum regem gloriæ & dominũ uniuersorum? Et quid indignum dicitur deo, quod dignatus est hominibus se semel ostendere hominem, diuina autem loqui & agere, excessumq; charitatis peragere, quo ad redamandũ dominũ accenderemur, uidẽtes nos tantopere à deo amari, ut filio suo unigenito non pepercerit, sed tradiderit pro nobis saluandis.

28 ego autẽ magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine domini steterũt. Tũc dixit mihi angelus, Vade, annũtia populo meo, qualia & quanta mirabilia dñi dei uidisti.

Hæc Esdras per uisionem cernens, sanctos dei in hoc mundo dura perferentes pro ueritate, tã glorioſas esse qui in cœlestibus palmas, cœpit magnificare sanctos, qui fortiter stetissent pro nomine domini. Nõ tamen dicitur quod id proprijs egerint uiribus. Cõmuni locutionis forma utitur, ut cum dominum in sanctis laudamus, sanctos laudare uideamur, non quia non à domino sit omne bonũ descendens à patre luminũ, sed ad aliorũ exempla laudandi sunt uiri fortes. Iubetur autem Esdras ab angelo, sacrosanctam uisionem & saluberrimam, maximeq; conformem scripturæ sacræ fidelibus annuntiare, ut discant magnanimiter expectare domini auxilium, fortiter ferre exilium, non sine domini uoluntate impositum, sed & propter odium ueritatis & fidei in unum deum, principaliter incidisse eos huiusmodi calamitatem. Non enim propter peccata gẽtis Israeliticæ gentiles perpetuo odio eos sunt persecuti, sed propter unius dei ueri professionem: quanquam & propter crimina sua deus eos ab illis uoluerit hæc cuncta perferre.

CAPVT III.

1 ANno tricesimo ruinæ ciuitatis eram in Babylone, & conturbatus sum super cubiculo meo recumbens, & cogitationes meæ ascendebant super cor meũ: quoniam uidi desertionem Sion, et abundantiam eorum qui habitabant in Babylone.

Quanquam præscripta duobus capitibus, nõ necessario accipienda sint, facta esse & dicta ante hunc trigesimum annum, quando non semper ordo historiæ, & eorum quæ narrantur, eodem ordine scripta inuenimus in prophetis, quo facta sunt, tamen ueriſimilius uidetur eodem anno dicta, præcessisse ea quæ nunc hoc loco dicuntur. Vt trigesimo destructionis Ierusalem anno à Nabuchodonosor tam hæc dicta sint, quàm ea quæ præcedũt. Inceperat & Ezechiel prophetiam suam anno trigesimo, sed ætatis suæ sicut & Christus. Ruina ciuitatis nõ Babylonicæ sed Hierosolymæ, iam ante triginta annos contigerat, et Ezechiel prophetauerat multis annis, sed sine magno fructu. Ideo eidem nunc iungitur Esdras, qui uiuebat in Babylone, incertum si in prouintiæ Babylonicæ loco aliquo, cum suis fratribus, uel in ipsa luxu corruptiſsima urbe, propter diuitias & glorioſos triũphos, propter prædas omnium gentium, ex quibus libidinabatur, & deum non uerebatur, sed idolis suis acceptam referebat hanc suam felicitatem, quæ tamẽ ob intemperantiam suam diu subsistere non poterat. Conturbatur autẽ animo uir sanctus, in secreto cubiculo suo, per spiritum sanctum, quo instigante cogitabat iudicia dei imperscrutabilia, cũ maxima admiratione: sicut & alij sancti multi Abacuc, Dauid, Iob, Ieremias, et alij, qua ratione dominus deus huiusmodi iniustitiam tamdiu ferret, quã exer-

cebant Babylonij, non solum in alia omnia regna idololatriæ dedita & impia, deum non colentia, sed etiam in proprium regnum dei omnipotentis & summi, in filios regni, in peculiariter deo dilectam & electam gentẽ Iudaicam, quam permisisset excindi secundum locum et gentem, etiam templo sanctificato gloriæ nominis sui nõ parcendo. Idq; fieri passus est, à corruptissimo imperio & impijssimo, quod tamen uidebatur omnium felicissimum et honoratissimũ, bonisq; omnibus locupletissimũ.

2 Et uentilatus est spiritus meus ualde, & cœpi loqui ad altissimum uerba timorata, & dixi, O dominator domine, tu dixisti ab initio, quando plantasti terrã, & hoc solus, & imperasti populo, & dedisti Adam corpus mortuũ: sed & ipsum figmentum manuũ tuarum erat, & insufflasti in eum spiritum uitæ, & factus est uiuens coram te, & induxisti eũ in paradiso, quẽ plantauerat dextera tua antequam terra aduentaret.

Cogitationibus huiusmodi anxijs et contrarijs distringebatur in cõsciẽtia sua, Qui fieri posset, ut dominus uniuersorũ hæc omnia fieri pateretur, quæ tam impia uidebantur? Quibus disputationibus adactus est tandẽ, ut dominũ deum alloqueretur, non procaciter & temere, sed ut decet domino colloquentem, uerbis humilibus & honestis, citra omnem fastum uel contẽptum, quod est uerba timorata dixisse, cum reuerentia maiestatis, ne quid effluueret indecens & blasphemum, contra altissimũ, qui omnia bene facit summe bonus, qui nulli obligatur rationem de factis suis. Qui ut omnia sapientissime condidit, sic uniuersa decentissime iustissimeq; gubernat, omnibus dominatur, cui subiecta sunt omnia, qui terrã fundauit, & sustinet uoluntate sua sola, sine aliquo fulcimento. Cuius solius uirtute ornatur terra, & plantatur pulcherrime. Quanquã autẽ cœlorũ influentia ac cœlestiũ, terram ornare uideatur, totum tamẽ uirtute prima, quæ ut causa prima agit in omnibus, idq; multo fortius quã causæ secundæ, quæ à prima in actionibus suis pendent, atq; in subsistentia. Ideo hic additur: Plantasti terram, & hoc solus. Quid mirum autem, si qui conditor est mundi, populo quoq; imperet, et omnibus hominibus etiam monarchis quamlibet fortibus, quos uno nutu humiliare potest, dum uult. Primo homini, et per eum omnibus alijs, dedit creator corpus mortale, quod mori possit, quia ex cõtrarijs elementis & qualitatibus primis confectũ opere manuum suarum, hoc est nutu uoluntatis & potentiæ suæ. Dixit enim & facta sunt. Verum è puluere et præiacente materia terrestri humanũ corpus finxit omnipotens, formator & figulus, iussu suo corpus formauit capax uitæ, & intellectiuæ animæ. Non aliter quàm figulus ex luto uaria uasa, sic dominus fecisse dicitur manibus non carneis, sed uolitione omnipotente, & de materia tangibili & præiacente. Sic humano loquendi modo, insufflasse dicitur spiritũ uitæ uegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuæ, ut uiuat nobile animal, præ reliquis cunctis, intellectu immortali carentibus, ut ueluti mixtum uideatur & compositum ex animali et angelo, uel spirituali natura

Conditor spirituum.

intellectum immortalẽ habente. Quo solo dominũ deum suum intelligere potest & amare, fide & charitate donanda ab eodem. Hortũ uoluptatis in terra homini condidit & ornauit, plenum omnibus necessarijs utilibus et iucundis rebus, quas homini in usum donauit et oblectamentum, quandiu creatori obsequeretur, in modicis etiã rebus & seruatu facilibus. Quod ubi serpenti consensit, & transgressus est domini uoluntatẽ, iusto dei iudicio, quod fuerat paradisus dei, maledictũ est propter hominẽ ut fieret talis terra, qualem hodie experimur, nõ sine doloribus & laboribus molestis excolenda, ad necessariũ uictum naturæ humanæ, iam destitutæ originali iustitia, in qua cõditus fuerat. Dicitur autẽ terra aduetasse, quia in aliũ ordinem & statum mutata propter peccatũ, ut talis interim sit, qualis non fuerat.

3 Et huic mandasti diligere uiam tuam, & præteriuit eã, & statim instituisti in eo mortem, & in nationibus eius, & natæ sunt gentes, & tribus & populi, & cognationes quarum non est numerus.

Homini cõdito præcepisti, ut uiueret secundũ uoluntatem tuam, ea tantum diligeret & operaretur, quæ tibi placere & grata esse cognosceret, leuia mandata dedit, ut de fructibus paradisi ederet, qualis tũc uniuersa terra erat, cuius imperiũ susceperat, et in pisces quoq; maris et uolatilia cœli, tantũ sibi temperaret à perceptione fructũ ligni scientiæ boni et mali, ut non plus sapere uellet quàm oportet, sineret se tantũ regi à domino deo suo, illius uoluntati & beneplacito perficiendis unice incũberet, deũ suum in rebus omnibus contemplaretur & coleret, ac proximi sui curam, æque ut sui ipsius seruaret, scientiam superuacaneã negligeret, bonũ illud putaret tantũ, quo domino deo placere cognosceret. Huiusmodi uiã tuã illi præscripseras. Sed longe diuersam satan in serpẽte sibi præscripsit inobedienti, in suam & totius naturæ formã persuasit inobedienti, in suam & totius naturæ perditionem, & grauissimam humani generis iacturam, quandoquidẽ mortem incidit, quæ sibi, nisi obediret, fieri minata, pro se & tota posteritate humana, grauissimam interminata, pro se & tota posteritate humana, grauissimam omnes nationes & progenies suas. Subinde enim nati sunt ex eo, per naturæ institutum filij et nepotes, usq; dum procederet propagatio secundũ tempus in tribus & populos, per totũ orbẽ dispergendos, donec posterorũ multitudo fieret numerus. De quibus consule libr. ũ Geneseos.

4 Et ambulauit unaquæq; gens in uoluntate sua, & mira agebant coram te, & spernebant præcepta tua.

Successu temporis, non absque prouidentia & ordinatione diuina, gentes degenerarunt in uaria studia, secundum multiplices locorum opportunitates, desideriis suis satisfacere cupientes, ratio eorum deprauata est magis atque magis: quanto sibi magis iuxta tempus & casus placere incipiebant, tanto minus leges naturæ inditas & honestas sectari studuerunt, uoluntatis autem tuæ rationem attendere minus curabant. Sed operabantur multa quædam, contra cursum bene institutæ naturæ, & in dies inuerterunt studium probitatis in malitias multas, contra legem rationis & naturæ, & contra maiorum simplici-

simplicitatem & institutionem, ut ad mandatorum dei transgressiones prolapsi fuerint multipliciter, in contemptum rerum diuinarum, & uniuersæ legis, quam dominus naturæ humanæ indiderat, & non tota ab initio collapsa erat.

5 Iterum autem in tempore induxisti diluuium super inhabitantes sæculum, & perdidisti eos. Et factum est in unoquoque eorũ, sicut Adæ mori, sic his diluuium.

Diluuij causa. De causis & modo diluuij uniuersalis sub Noë satis scriptum est in Genesi. Iam enim malitia sic increuerat inter homines, ex primo seminario lapsus humani, tãq; perniciosos post se fructus peperit inobedientia prima mandatorum dei, ut continuo aucta sic fuerit malignitas hominũ, ut suo pondere sese oppressura, à domino creatuæ oppressa est pariter, generali cataclysmo toti orbi immisso, ut ne unus quidem superfuerit homo extra arcam, quam Noë domino præcipiente & instigante parauerat. Omnes enim pariter mortui sunt, & Adæ primo homini decretam pro peccato pœnam posteri semel omnes pariter susceperunt occisi diluuio. Omnes enim concordi uoto peccauerant, & uno iusto dei iudicio pariter sunt absumpti.

6 Dereliquisti autem unum ex his Noe cum domo sua, & ex eo iusti omnes.

A diluuio iusti in mũdo fuerunt, omnes à Noë descenderunt, qui solus in generatione sua, hoc est in sæculo uitæ suæ, innocens & iustus inuentus est, ideoq; & salua tus est à diluuij exitio omnibus reliquis pereuntibus. Nec ca, inter quos satis constat nõ omnes iustos fuisse, sed partem maiorem, duos scilicet ex tribus. Quandoquidem et tertius in prole sua maledictus est, & mala progenie difamatus in terris multis, ut liquet ex Genesi de Cham.

7 Et factum est, cum cœpissent multiplicari, qui habitabant super terram, & multiplicauerunt filios, & populos, & gentes multas, & cœperunt iterato impietatem facere plus quàm priores.

Iudæi ang nescium. Satis explicat liber Geneseos, per quos & quales humanum genus denuo adauctum sit, et populata terra. De qua etiam gentilium quidem literæ quædam continent, ut est legere in fragmentis, quæ Berosi nomine habẽtur, quomodo ex tribus filijs Noë disseminatũ sit humanum genus, in totum terrarum orbem, etiam ad insulas, quia multiplicauerunt filios & filias in immensum, ut non ratio colonias disseminare cogerẽtur ad remotissima quæq; loca, unde potentissimæ gentes & fortia regna excreuerunt, ubi cum multitudo induceret studiorum uarietatem, denuo succreuerunt ingentia flagitia & iniquitates inter homines, ut qui fortior esset uiribus & ingenio astutior, cæteris cunctis faceſſeret negotium, & pro libidine inciperent cuncta geri, ratione neglecta. Quod ex ædificio Babylonicæ turris, et ex Nembrodi studijs satis claret legẽtibus. Impietates autem posterorum auctæ dicuntur, quia domini dei uindictam uiderant, dudum orbi illatam irã dei didicerant, sed deum cum suis iudicijs semel statuerunt nihil timere, unde & alienos sibi deos cum tempore cõfinxerunt, neglecto deo patrum suorũ, cuius gratiam & iustitiam à Noë & filijs adhuc extantibus discere potuissent, si credere & acquiescere sanctis monitis uoluissent. Quandoquidem & Sem sanctus usque ad Abrahæ tempora peruenisse, et cum eo diutius uixisse legitur in sacris.

8 Et factum est, cum iniquitatem facerent coram te, elegisti tibi uirum exhis cui nomen erat Abraham. Et dilexisti eum, & demonstrasti ei soli uoluntatem tuam.

Electio patrum. Semper ex pluribus malis peculiares sibi paucos delegisse deprehenditur dominus, diligenter considerãti. Vnde & hic ex deprauatissimis in fide & moribus Chaldaicis gentibus, inq; omni superstitione famatis, in qua & excellere uolebant, electus & segregatus est insignissimus amicus dei, non quia tam sanctus esset, sed ut esset, non enim eligi potuit, nisi ex gratia, nec domino iustus haberi, nisi ex fidei præstantia, qua deo credidit et iustificatus est. Ei nomen indidit, ut pater haberetur multarũ gentium, cum prius pater excelsus diceretur, Abram primo, deinde Abraham dictus, quẽ dominus dilexit præ alijs, & ad maiora merita & præmia prædestinauit ante omnia eius opera. Et soli dicitur dominus demonstrasse uoluntatem, quia familiariter ei se ostendit, locutus est, uocauit, promisit magnifica, direxit in actionibus, defensauit ab hostibus, tentauit ad iustitiam clarificandã, auxit prole & fama, fœdus cum eo iniit, & in quo sibi maxime complacare posset, reuelauit.

9 Et dispositi ei testamentum æternum, & dixisti ei ut non unquam derelinqueres semen eius. Et dedisti ei Isaac, & Isaac dedisti Iacob & Esau. Et segregasti tibi Iacob, Esau autem separasti. Et factus est Iacob in multitudine magna.

Beneficia dei ad patres. Beneficia dei multa commemorat præstita Abrahæ, postquã eũ eduxerat de Vr Chaldæorum. Inter quæ maximum, dispositio æterni fœderis erat, de benedicto semine, ab eodem suo tempore propagando, in quo benedicerẽtur gentium omnium multitudo, in quo & saluaretur orbis, & ad dei magnificam gloriam, nomen & merita Abrahæ per totum orbem essent concelebranda, & fidelium omnium patriarcha olim dicendus. Promissionem accepit à domino, nonunquam derelinquendum semen Abrahæ, quam longe sanctius & perfectius impleuit, q̃ Iudæi ualeant cogitare uel imaginari. Illos quidem semper sustinuit, defensauit, erudiuit, & eis usus est ad suam gloriam, misericordiam, & iustitiam suam manifestans in illis, donec promissum filium ex semine Abraham incarnandum demitteret, qui nouos Abrahæ filios longe gratiores propter fidem generaret, sua morte, & renouaret fidei exemplaria, in qua domino Abrahã complacuerat, obmissis interim illis filijs, qui iuxta carnem sibi gloriantes de patre Abrahã, re uera erant ex patre diabolo, quorum tamen posteros conseruat etiam in gloriã Abrahæ, quæ hodie clarior est in mundo apud fideles in Christo, quàm unquam fuerit apud Iudæos, qui & tanto

magis Abrahæ chari sunt, quanto dominũ deum suũ per eos coli uerius & fidelius nouit in spiritu, qui & iuxta carnẽ Israelitas in monimentũ suæ bonitatis, & nunquã intermorituroru̇ beneficiorum conseruat, & olim ad suam misericordiam clementer conuertet, interim eorũ dura ceruice abutitur, ad confirmandã ueritatem scripturarum sacrarum, quæ de gestis illorum extant & de domini dei beneficijs et portentis propter eos. Reliqua satis clara sunt ex Genesi. Segregasse Iacob aliud nõ est, quàm elegisse ad multiplicem gratiã, beneficia, & promissa, ut in semine eius benedicto præstaretur auo promissa, de Christo Messia ab ipso nascituro. A qua primo genituræ benedictione & gratia excidit Esau, quam & contempserat, quod hic dicit, separatum fuisse, non ad tanta bona destinatum atque electum. Vtcunque autem Esau creuerit, sicut & Ismael in maximam multitudinẽ, quia tamen de lege domini nihil curarunt, & in multitudine non complacet domino, sed in fide, ideo Iacob hic de maxima posteritatis multitudine commendatur.

Segregare eligere.

10 Et factum est, cum educeres semen eius ex Aegypto, adduxisti super montem Sina. Et inclinasti cœlos, & statuisti terram, et cõmouisti orbem, & tremere fecisti abyssos, & conturbasti sæculum, & transijt gloria tua portas quatuor ignis & terræmotus, et spiritus, et gelu, ut dares semini Iacob legẽ, & generationi Israel diligentiam.

Vt eductum Israelem ex Aegypto deduxerit in desertũ, ut castra ponerẽt secus montem Sinai & Oreb notũ, quod hic dicitur, super, cum magis transferendum fuerit secus uel iuxta. Cœlos inclinari, est cœlestia beneficia demitti, quale fuit legislatio diuina, descripta digito angeli illius qui dicitur dominus deus exercituum, & uerbum dei, per quod dominus Mosi locutus est. Statuere terrã hic dicitur condidisse uel terruisse magnificis portentis domini, & erexisse quasi auscultaturam quid dominus esset locuturus ex monte, unde & sequitur ad eundem sensum, commouisse orbem, partem explicando per totum. Sicut & tremere abyssum, est multipliciter sentire maiestatem omnipotentiæ diuinæ, qua tunc terrorem incutere uoluit populo, ut dominum timerent & reuerentur. Conturbauit mundum portẽtis maximis, hoc est homines illius sæculi, maximam illam Israeliticam gentem, memorabili facinore, quod in præsentem diem toto orbe famatur, agnitum semper fuit, & habetur in reuerentia. Gloria tua transit per quatuor portas, hoc est manifestata est toti mundo, maxime autem tunc populo fideli prope montem Sinai, à quibus interim mundus audiuit, & credidit uniuersa. Sunt autem quatuor portæ quadruplicia portenta, tunc ædita populo cœlitus. Ignis conflagratio per uisionem. Terræmotus tũc æditus uoluntate dei supra naturæ cursum. Ventus turbinis uiolentus et uehementer terribilis, tunc omnium concussit animos, ut consternarentur à facie potestatis diuinæ. Gelu quoque quod dicitur, uidetur fortassis oscitantia interpretis dictum de fulminibus, tonitruis, choruscationibus, lampadibus, & cæteris terriculamentis, quibus humiliari uolebat ad legis susceptionem, & eiusdẽ solicitam obseruantiam Israelitas, quam hic dicit diligentiam in timore dei & legis custodia.

Affectiones partiũ mundi.

11 Et non abstulisti ab eis cor malignum, ut faceret lex tua in eis fructum. Cor enim malignum baiulans primus Adam transgressus & uictus est, sed et omnes qui de eo nati sunt.

Non emendauit populũ eum, uel iustificauit, nec sanctos reddit hæc legis datio, sed magis pro tãto iræ operata est hæc lex, iuxta doctrinam Pauli ad Romanos, qui hunc librũ, nisi fallar plurimis cõiecturis, cũ esset pharisæus, diligẽter legisse conijcitur, unde & legẽ hic dicit nocuisse pro tanto Israelitis, quia nõ meliores fecit, sed magis peccati fomitẽ ab Adã transfusum in cor humanũ irritauit, et ueluti igniculũ excusitauit, ut niteretur in uitiũ, & caro contra spiritũ fortius irascceretur, quando gratiã implendi præcepta lex administrare non poterat, sed tantũ indicabat quid uellet dominus, hortabatur ad difficilia carnẽ suapte iam natura rebellem, unde & nihil profuisse Israelitis uidebatur, sed operata omnium illorum mortẽ est uisa, quando transgressio continua legis, & generalis murmuratio contra deũ, occasio fuit, ut ad unum & alterũ omnes morerentur in solitudine. Nec id solũ patuit in illis, sed in omnibus hominibus cernimus legem carnis reclamantẽ legi mentis, ut nõ quæ uelit hæc faciant, sed quod habitat in homine per Adam transfusum originale peccatũ, quod hic dicitur cor malignum, quod in Adam fuit, & transiuit per omnem posteritatẽ filiorum eius, per quod uincitur homo, & peccator fit coram deo & conscientia sua, non iustificandus nisi per benedictionem promissam ex semine sancto, quod contriturum sit caput huius uenenosi serpentis.

Protoeuangelium.

12 Et facta est permanẽs infirmitas et lex cũ corde populi, cum malignitate radicis, & discessit quod bonum est, & mansit malignum.

Hæc permanens infirmitas, quid aliud est quàm peccatum hoc originale? in quo nati sunt omnes, & uincuntur per fomitem, qui non cessat donec spiritus hos regat artus, ut propensiores simus ad mala quàm ad bona. Cũ qua mala radice semp pugnat lex domini, sed sine Christi iustitia & fide in saluatorem nihil proficitur. Christi autem gratia sic saluantur electi, ut ob iustitiam Christi ignoscantur pro credentibus, non imputetur illis peccatum, sed ex dei gratia per Christum saluentur fideles. Sine qua gratia dei & iustitia in fide Christi, certum experimur, non habitare bonum in nobis, sed malum, quod hic dicitur malignum, habitans etiam in populo electo à domino, et expellente bonum, hoc est carnem pugnare malam aduersum spiritum, qui per dei gratiam excusitatus, cupere quidem bonum, sed non facere potest, ut ad gratiam somniã respicere cogatur, qua sola per mediatoris Christi gratiam innocentiam & merita conciliatur deo, ut saluetur. De qua re Apostolus multis ad Romanos & ad Galatas agit, sed aliquanto clarioribus uerbis, quam hic author hoc loco utatur, eadem tamen cum illis in sententia.

Et

13 Et transierũt tempora, et finiti sunt anni: & suscitasti tibi seruũ nomine Dauid, & dixisti ei ædificare ciuitatẽ nominis tui, & offerre tibi in eadem thus & oblationes. Et factum est hoc annis multis, & dereliquerũt qui habitabant ciuitatẽ, in omnibus facientes sicut fecit Adam et omnes generationes eius: utebãtur enim & ipsi corde maligno.

Idolatria legenda.

In ea transgressione hic populus dei diutissime perseuerans, multum peccauit & sæpe contra legem & legis Latorẽ deum & Mosen, nondum gratia accepta implendi præcepta, propter quod & grauibus sæpe uindictis subiecti sunt, et multa passi, ut erudirentur in timore dei, & ab idololatria, intimo deprauatæ naturæ & propriæ uoluntatis malo, humiliatiq; dominum credere & reuereri discerent, ut tandem promissionibus diuinis aliqua saltem ex parte digni fierent. Cuius primum ferè signum innotuit in regno Dauid, quem dominus suscitauit ad regũ honorem, nihil tale speranti, qui exornauit & constabiliuit Hierosolymam regni sui metropolim, & montem Sion, suam ciuitatem extruxit, ibidemq; instituit dei optimi maximi cultum dignũ, nempe secundũ legẽ dei, ut offerrentur holocausta, oblationes, incensum, & reliqua, iuxta beneplacitũ dei, quod ex lege didicerat, & à prophetа institutus Nathan, Solomoni perficienda cuncta mandauit, sic domino uolente: in quibus tamen dominus non diutius passus est se coli, quàm donec in ipsius lege perstirent, quam ubi cõtemnere transgredi & abijcere cœperunt, & admoniti prophetis resipiscere noluerũt, sed iuxta damnatũ in Adã fomitẽ uiuere maluerũt, ut aliæ in mũdo improbæ nationes, abiectæ sunt cum illo cultu, qui nõ nisi ex fide placebat colentium, qua destitutas auersari quoq; earum sacrificia cœpit, & sanctuarium.

14 Et tradidisti ciuitatem tuam in manibus inimicorum tuorum. Nunquid meliora faciunt, qui habitãt Babylonem? Et propter hoc dominabitur Sion.

Pestilẽtia pecoris.

Hæc igitur ut ingenue confiteor, æquissima causa est nostræ præsentis calamitatis, in qua exules & misere uiuimus, quia fidem abiecimus & cultũ dignũ non tibi detulimus, ut æquo iudicio tradideris nos & locũ nostrum in manibus infideliũ, ut qui tibi semper infideles extitimus, nunc ab infidelibus quorum idola coluimus te spreto multis aduersis afficiamur. Verum dum cogito eos esse non tantũ nobis infestos, sed multo magis tibi, propter quem illi nobis imminent hostiliter, non tantũ nobis, sed tibi quoq; impijssime aduersantur, quem & odiunt & blasphemare non cessant, in nullo non peiores nobis: uehementer dolet, eos pessimos tanta posse contra tuã gloriam & tuum peculiũ, quî fieri potuerit, ut iniquissima Babylon lerna omnium abominationum præualere potuerit sacræ tuæ & amabili Hierosolymæ sacræ urbi, & paradiso deliciarũ tot sanctorum amicorũ tuorum, eam tratus tradidisti peccatricem quidem, sed omniũ impijssimis blasphematoribus nominis tui hostibus Babylonijs, quasi melior aut saltem aliquanto innocentior, sic crudeliter tractari & puniri debuerit à pessima Babylonia. Cuius hodie ciues superbissimi, & impijssimi tui hostes, filios tuos Israelitas tam acriter subsannant, irrident, contemnunt, & persequuntur, ut magis uidearis fauere illis quàm tuis, qui licet peccarint in te, hostes tamen tui & blasphematores tui nominis nunquã uideri & haberi uoluerũt, ut illi turpissimi Babylonici, qui nõ tã Sioni sacro mõti tuo dominari ausi sunt, q̃ totũ deijcere & calcare.

15 Factum est, cũ uenissem huc, & uidissem impietates, quarum nõ est numerus: & delinquentes multos uidit anima mea hoc tricesimo anno, & excessit cor meum: quoniã uidi quomodo sustines eos peccãtes, & pepercisti impie agentibus, & perdidisti populum tuum, & conseruasti inimicos tuos, & non significasti.

Soliloquiũ cum deo.

Soliloquiũ cum domino est sancti Esdræ, qui cum Babyloniam urbẽ aliquando ex loco captiuitatis peruenisset, uideretq; tam inconditas Chaldæorum malitias, & impietates intolerabiles, & sine numero, idq; trigesimo anno ultimæ captiuitatis, quæ facta est sub Zedechia, permentis excessum admiratus iudiciorum dei imperscrutabilẽ causam, hisce dominũ uerbis alloquutus est. Quomodo ô deus clementissime pater noster, sustinere potes tam diu crudelissimorũ Babyloniorũ crimina tam magna & multa? quomodo tamdiu parcere tua sanctitas potest, tam impie cuncta agentibus gentilibus & idololatris, cũ tam dure & seuere tractaueris electum tuũ peculiũ, tam atroci exilio premens tuos filios sub hostibus tuis pessimis, & tibi odiosissimis, quos tamen liberos et beatos esse in hoc mundo finis blasphematores diuinitatis suæ, & horum omniũ iudiciorũ tuorum causas, quas sacratissimas tecum esse non dubito, mihi zelatori gloriæ & honoris tui, & desyderanti bonum filiorum tuorum, non reuelas?

16 Nihil memini q̃modo debeat derelinqui uia hæc. Nunquid meliora facit Babylon, q̃ Sion? aut alia gẽs cognouit te præter Israel?

Quomodo hæc uia & ordinatio iudiciorũ & prouidentiæ tuæ excusari & defendi possit nõ memini. Nõ possum uia rationis humanæ satisfacere eis pusillis fide, qui in tuis huiusmodi opibus, à cuius manu fiunt omnia, simplices & sine spiritu tuo cogitantes scandalizantur. Quibus omnibus constat longe peiores esse Babylonios, tui nominis blasphematores, & omniũ gentiũ oppressores, omniũq; deorum & tui sanctuarij uastatores, quàm sit Sion urbs dicata tuo cultui, quæ quanquam prænaricata multipliciter fuerit leges tuas per omnia, nunquã tamen in te suam fidẽ abnegauit, magis áũt peccauit ex fragilitate & ignorantia quã ex tam insigni superbia, malitia, & contemptu, semper enim te omniũ creatorẽ coluit, semp deũ te esse patrũ suorum credidit, quanquam gentiũ reliquarũ moribus decepta, præter te etiam alios diuos coluerit, contra uerbum tuũ. Cui quidem aliquando credidit, & disciplinã incredulitatis non raro humiliter sustinuit, & ad tuæ misericordiæ spẽ nõ raro resipuit, & gratiã tuã facile impetrauit, tuũq; gloriosum nomen nihilo minus glorificauit & adorauit, quod illi nunquam non cessauerunt maledicere, & enormiter blasphemare.

17 Aut quæ tribus crediderunt testamentis tuis, ſicut Iacob? Quarum merces nō comparuit, neq; labor fructificauit.

Tribus hic ut aliàs ſæpe pro nationibus & regnorū populis accipitur, præter Iſraëliticum populū, quorum nullus domino deo uero ſic credidit & adhæſit ſicut peculiū illud ex poſteris patriarcharū ſanctorū: quanquam ſæpe deliquerit, credidit tamen teſtamento dei, & ſuſcepit perficienda mandata dei, quanquā pro humana fragilitate ſæpe deſciuerit, ſed nō ex integro. Multus enim ſemper ſuperfuit fideliū numerus, etiam dū ſe Elias ſolum & unicū dei cultorē arbitraretur, cū adhuc multa ſupereſſent fideliū tuorū millia. Sic aūt nunc apparent res Iſraelitarū tuorum, ut pro omni fide & actione ſua bona, nihil prorſus mercedis ſint unquā reportaturi, quaſi totos abieceris, non ſecus ac ſi nunquā cognouiſſes uel amicos habuiſſes, neq; aliquem fructū ſeruatæ legis uel impenſæ culturæ tuæ ſperare poſſint, quū promiſeris amicis tuis bonitatem tuam in mille progenies, & poſteritatum gradus, qui nondum ſunt finiti.

Fideliū numerus amplus.

18 Pertranſiens enim pertrāſiui in gētibus, & uidi abundantes eas, & non memorantes mandatorum tuorum. Nunc ergo pondera in ſtatera noſtras iniquitates, et eorum qui habitant in ſæculo: & non inuenietur nomen tuum, niſi in Iſraël.

Omnia aūt nunc contraria uidentur promiſſionibus tuis, quas patribus feciſti. Hodie enim feliciter agunt omnes gentes, quālibet infideles in ſumma tranquillitate ſub Babylonico imperio, in ſumma quoq; rerū abundantia, cum nihil de uoluntate tua cogitent uel ſoliciti ſint, mandata tua rideant & nolint audire: & nos quidē peccauimus, fatemur, experimur, ſed ſi expenderis iniquitates noſtras in æquilibrio & ſtatera iuſtitiæ, compoſitas & appenſas criminibus harum omnium nationum, quæ fide carent, inuenientur multo leuiores, quandoquidem fidem in te unum deum nunquā reiecimus, etiam ſi diuos gentiliū ingratiſſimi quidē coluerimus, de quo nunc plurimum dolere non ceſſamus: nomen tamen tuū non negauimus, populus tuus habētur et ſumus, quandoquidē dominus deus Iſrael appellaris, et dignus tibi cultus à nulla alia tibi gente defertur, præter quàm à nobis, qui populus tuus ſumus, & tui quoq; ſerui eſſe cupimus & cultores.

19 Aut quando non peccauerunt in conſpectu tuo, qui habitant terram? aut quæ gens ſic obſeruauit mandata tua? Hos quidē per nomina inuenies ſeruaſſe mandata tua, gentes autem non inuenies.

Peccatores omnes.

Non ſoli nos peccatores ſumus in orbe, & præuaricatores uoluntatis tuæ, ut odium tuum ſoli meruerimus, & calamitoſiſſimi omniū ſimus. Quotquot in toto orbe terrarum ſunt populi & fuerunt, omnes peccauerunt coram te, nec eſt qui non te ualde offenderit, & mandata tua nō cuſtodierit, ut ne unus quidē ex omnibus inuētus ſit, quod nos ſciamus, qui ſyncerus & pius tuus cultor fuerit, qui tibi placuerit, qui tibi deuotus & coram te ambulauerit innocenter per omnia. Ex populo tuo Iſrael multi fuerūt homines ſecundū cor tuum, quos ut ſuauiſſimos amicos ſo uiſti, amaſti, promouiſti ad magnam gratiam & gloriam, qui mandata tua pro omni uūrili ſua ſtudioſe ſeruarunt, et tibi complacere conati ſunt. Quibus promiſiſti magnifica bona, pro ſe & ſuis poſteris, & ecce eorum familia & ne potes, quales ſunt Samuelis, Dauidis, Salomonis filij, ut interim taceam Aaronis & Phinees poſteros, Aſaph & aliorum innumerabilium, hodie ſunt in graui exilio miſerrimi, & omnium gentium impiarum ſibilus & ſubſannatio. Id tibi conqueror pius amator gentis meæ, imò populi tui peculiaris, cui adhuc multa optima promiſiſti præſtanda, quæ utinam me contingant ſuperſtite, & de tuis beneficijs gratulante.

CAPVT IIII.

1 ET reſpondit ad me angelus, qui miſſus eſt ad me, cui nomē Vriel, & dixit mihi: Excedens excellit cor tuum in ſæculo hoc, & comprehendere cogitas uiam altiſſimi. Et dixi: Ita domine meus.

Quæ iam dicta eſt ab Eſdra oratio, querela eſt de ordine mundi, in quo cum dominus iuſtus & ſapiens, omnipotens & clemens, omnia moderetur, mirantur omnes ſanctos, & humanū aliquid ſemper ſunt paſſi circa cogitationem de prouidentia dei, de qua diſputant fideles apud ſemetipſos, ut in Abacuc & libro Iob. Huius Eſdræ perſonā retuliſſe uidentur amici ſancti Iob, quibus ut hic Eſdræ angelus reſpondere ſcribitur, quem Vrielem nominat, alibi non lectum, quod אוריאל ſcriptum, interpretatur flamma uel focus dei, aut illuminatio diuina. Ad hoc enim angeli mittuntur, ut fideles illuminent & inflamment domino deo ſuo miniſtrando ad ſalutem & ſolatiū electorum. Incipit aūt corrigere cogitatum humanū Eſdræ, qui communis eſt & ſemper fuit omnibus ſanctis zelatoribus pietatis & iuſtitiæ, qui iuxta Eſdræ uerba & ſententiā quorelas inſtruunt apud ſemetipſos, quibus ſi non angelus, tamen uerbū domini diligenter reſpondet ſecundū ea quæ ſequuntur. Sunt autē huiuſmodi animi tentationes reprimēdæ, quod hic dicit et docet angelus, ne quid nimis præſumat ratio humana & zelus, ſed intra cancellos fidei et timoris ſeruetur. Ne ad impoßibile homo iuſtus conetur, uelle ſcilicet noſce rationes operum dei, quare quid agat, aut quomodo, cum ſuijpſius opera & cogitatus certo dijudicare non poßit. Longe autem religioſius & prudentius eſt cogitare quid nobis agendū præceperit quàm quare id ratione uelit: & in paßionibus magis cogitandus quid nos deceat, quomodo reſignati ſimus ad domini beneplacitum, ut per æquanimitatem aduerſa feramus, quàm quare nos tantis malis impetat, certi nemini à deo fieri iniuriam. Hoc eſt autem quod tractatur hoc capite, ut modeſtiam diſcamus in cogitationibus de prouidentia dei et iuſtitia operum ipſius, quæ à creatura nulla nec poteſt nec debet iudicari. Vnde & hic angelus dicit Eſdram exceſſiſſe cogitando hoc modo de felicitate indigna Chaldeorum & de infelicitate indigna Iudæorū captorū, quandoquidem ignorare non debuerat Eſdras hanc Iudæorum miſeriam iuſtè pro peccatis maximis ipſorum accidiſſe, &

& post multas dudum crudelitates exactas in prophetas promeruisse. simul cum excidio gentis, urbis & templi, sed & Babyloniorum insolentiam & ferocitatem æque non semper ferendam, sed similiter suo tempore puniendam iuxta oracula prophetarum multorum, & ferè omnium quæ Esdras ignorare non debuit. Sed hæc omnia magis ad eruditionem aliorum scripsit, qui ùm ut hæc nescierit & indigucrit ab angelo erudiri, quanquam & alijs prophetis ad posteritatis institutionẽ similia dicta sunt: unde & humiliter reprehensus fatetur sic se uere excessisse huiusmodi meditando, dominum uocans honoris gratia, quem angelum esse non dubitauit.

2 Et respondit mihi, & dixit: Tres uias misit sum ostendere tibi, & tres similitudines proponere coram te: de quibus mihi si renũtiaueris unam ex his, & ego tibi demonstrabo uiam quam desyderas uidere, & docebo te unde sit cor malignum.

Exemplis tribus ostendit incomprehensibilem hominibus esse perquisitionem prouidentiæ diuinæ operum & causarum, nec magis comprehendi posse ab intellectu humano quàm intelligere uera & certa, uel respondere possit de quæstionibus quas sit ad ipsum prolaturus, ut dicat: Si tu mihi ad has triuiales & corporalium rerum causas respondere non potes, quia non capis, multo minus caspies si cœlestia scrutari perrexeris. Eodem fermè locutionis genere quo Christus dixit Nicodemo Ioan. 3. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia credetis? Et alibi Matth. 21. Interrogabo uos & ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego uobis dicam in qua potestate hoc facio.

Prouidentiam esse inscrutabilis

3 Et dixit: Loquere domine meus. Et dixit ad me: Vade, pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum uenti, aut reuoca mihi diem quæ præteriit.

Iam proponit impossibilitatis rationẽ in paruis comparatione magnorum quæ multo minus apprehendenda quærantur. Ignem ponderare nemo potest quod sit leuissima quidem res, quia sphæram suam sublunarem desyderans & sine fomento perseuerare non potens, quod suaquidem grauitate non careret, sed non est in igne. Flatus quoq; uenti complecti non potest, nec aliqua sensibili grauitate aer perpenditur: & diem transactum reuocari nemo non nouit impossibile, eundem numero, etiamsi anno transacto similis redire possit, sed non eadem.

4 Et respondi, & dixi: Quis natorum potest facere, ut me interroges de his?

Cui respondens Esdras, dicit: Non est ex filijs hominũ quispiam qui hæc quæ tu proponis transigere ualeat. Et de talibus non est habenda quæstio, quando ad hæc responderi prorsus nihil potest. Vane enim inquiritur ubi non speratur responsum.

5 Et dixit ad me: Si essem interrogãs te, dicẽs: Quãtæ habitationes sunt in corde maris, aut quãtæ uenæ sunt in principio abyssi, aut quãtæ uenæ sunt super firmamentũ, aut q̃ sunt exitus paradisi? diceres mihi forsitassis, In abyssum nõ descendi, neq; in infernum adhuc, neq; in cœlũ unquã ascendi.

Exaggerat causas indignæ disputationis de rebus quæ discuti non ualent, nec ratione humana comprehendi, quasi dicturus: Faciliora quidem interrogare possem, ad quæ nihil respondeas, ne de iã quæsitis causeris: nempe, Quot sunt piscium diuerticula intra latissimũ mare istud? Item, Quot sunt scaturigines fontium in lacu uel mari, unde fluminum & marium augentur aquæ? & quot sunt influentiæ aquarum & causæ delabentium suo quoq; tempore è cœlis uel æthere? Ad opinionem illorum loquens, qui cœlos aperiri credunt, dum cataractæ aquarum apertæ uidentur. Vbique enim hominum more scriptura loquitur. Et de fontibus paradisi quatuor, de quibus Genesis, quis uidit illorum profluxus & origines? Hæc & talia si quærerem abs te, haberes in promptu responsionem, Non descendi unquam ad abyssum, ut perquirerem uenas uel caueas piscium: infernũ quoq; non sum ingressus, uel quæ sunt subtus terram, nec cœlum lustraui: hoc est, ad hæc omnia & minora multa respondere non potest homo, quamlibet eruditus & expertus, multo minus si altiora rogetur. Disputationes indignæ

6 Nunc autem non interrogaui te, nisi de igne, & uento, & die, per quem transisti, & à quibus separari non potes: et non respondisti mihi de eis.

Quæ te rogaui communia sunt & præsentia tibi semper, sine quibus uiuere tibi non datur. Ignis scilicet & aqua, uentus qui est aeris commotio, quem respiras, & dies qui latione solis fit super nostrum hemisphærium, & mihi de talibus percunctanti respondere non potes: quomodo ergo de diuinis te rimandis intromittes? Hoc est autem quod infert uersu sequente.

7 Et dixit mihi: Tu quæ tua sunt, tecũ coadolescentia, non potes cognoscere: & quomodo poterit uas tuum capere altissimi uiam, & iam exterius corrupto sæculo intelligere corruptionem euidẽtem in facie mea?

Cum his naturalibus rebus coadoleuisti, ut sine ipsis durare quoque nequeas, quando & tecum sunt, & à te tangi possunt, & ea ignoras quid sint, rationes quoque operum & causas: quomodo ergo ingenij tui angustia, & uasculum tam minutum capere potest uel indagare secreta iudicia sapientiæ altissimi? In tanta corruptione sæculi totius in moribus extra & intra conscientiam, quomodo intelligere & iudicare potes, foris & ad faciem, quæ intus ab hominibus alantur in animo? Cum sint non pauci, qui foris pij uidentur, cum sint nefandissimi intra conscientiam: & contra, multi peccant foris, quos spiritus dei statim reddit compunctos, & emendat, ut fiant sancti, quo minus iudicare tu homines debeas, qui deo soli stant uel cadunt.

8 Et dixi illi: Melius erat nos nõ esse, quã adhuc uiuentes uiuere in impietatibus, & pati, & non intelligere de qua re.

Vtcunq; habeat de prouidentiæ diuinæ iudicijs, quæ satis intelligo hominibus imperuestigabilia, à nobis ne-

Impij cur uiuant.

gligi pro tanto debere, illud tamen asseuerare ausim, melius esse, tam impios homines, qui hodie negotium mundo facessunt, & probos innocentesq; nõ sinunt quiescere, eradicari & prorsus non extare, etiã à radice, quàm sic pro arbitrio malignari per omnia. Quid enim prodest tam impios uiuere? qui piorum uitam ad amaritudinem perducunt semper, quos non liceat uitasse, donec sic mundus pergit, ut cogamur tanta mala pati ab impijs, & interim causas nescire aduersitatum, & de dei iustitia hæsitare, qui cum sit iustissimus, tamen hæc cuncta dissimulat.

9 Et respondit ad me, & dixit: Proficiscens profectus sum ad syluam lignorum campi, & cogitauerũt cogitationem, & dixerunt: Venite, & eamus, & faciamus ad mare bellum, ut recedat coram nobis, & faciamus nobis alias syluas. Et similiter fluctus maris, & ipsi cogitauerunt cogitationem, & dixerunt: Venite ascendentes, debellemus syluas campi, ut & ibi consummemus nobismetipsis aliam regionem.

Non nimis sapiendum.

Alia similitudine angelus utitur, ad ostendendum inculpabiliter procedere semper ordinem operum diuinorum, ut homines non plus sapere cupiant quàm oportet, & emendata esse in mundo, quæ domino deo sic placent, quia sic uoluit, quia ei omnia sunt non solum bona, sed necessaria quoq;, ad prouidentiæ suæ processum. Stultum est, inquit, si syluæ cogitent, uelle meliorem conditionem ambire, & sibi cedere locum maris. Similiter si mare non contentum sua sorte, cupiat locum syluarum: fiet enim utrisq; exitium, quia supra naturarum suarum sortem aliquid cuperent, ut pariter excindantur, non agnoscentes conditionis suæ prærogatiuam, & aliam contendentes assequi, infelici simultate ambo dispereant. Satius fuerat utrisq; suis limitibus constitisse, & dei bonitatem pro suis naturalibus locis, conuenientissimos cogitasse & conseruasse.

10 Et factus est cogitatus syluæ in uanum: uenit enim ignis, & consumpsit eam. Similiter & cogitatus fluctuũ maris: stetit enim arena, & prohibuit eos. Si enim esses iudex horum, quem inciperes iustificare, aut quẽ condemnare?

Ordo diuinæ prouidentiæ.

Vanum est quicquid contra omnipotentis dei ordinem & institutum præsumitur, maneat potius in sua uocatione omnis creatura, & agnoscat nihil sibi melius cõtingere potuisse, quàm quod id sit quod facta est, non sit ingrata omnium conditori. Sed nec mundus quoq; totus melius fieri potuit, quàm factus est: qui ut omnia compleuisset, omnia intuitus, iudicauit omnia esse ualde bona. Quanquam autem naturalis creaturarum cõstitutio bona sit hominis tamen malitia non à domino condita est, sed à malo, quanquam ea quoque domino mala non sit, sed in ordine à se constituto bona, ut melior esse non posßit. Si uero naturalem excedere cupiat ordinem creatura quæcunq;, & contra dei institutum contendat, iam ipsa mala est, & impie agit. Sicut & mare, cupiens possidere locum, nõ sibi constitutum à domino, & syluæ sua conditionis pertæsa, contra naturam quidpiam moliatur, & contra ordinem dei prouidentia decretum. Eatenim uia, qua sese uoluerant oportunius ordinasse, utrasq; digno ingratitudinis uitio conciderunt: syluæ quidem ut sit conflagratione ignis absumpta, mare autem per aream impeditũ. Quæ ratio naturalis facile sentit, utrinq; peccatum esse præsumptione contra naturam.

11 Et respondi, & dixi: Vtiq; uanam cogitationem cogitauerunt. Terra enim data est syluæ, & mari locus portare fluctus suos.

Cogitur asseuerare, peccatum esse, si creatura quæcunq; non contenta sua sorte, quam à conditore accepit, statum suum feliciorem reddere conetur, & non obedire domino, qui omnia bene fecit, ut supra naturã suam & diuinum ordinem nihil moliatur. Sic supra captum suum homo non intelligere uelit & perscrutari consilia domini dei, ne opprimatur à gloria, & stultus abeat, qui sapientia sua diuinam sapientiam ausus fuerit indagare. De quo eleganter respondẽdo disserit angelus ad Esdrã.

12 Et respondit ad me, & dixit: Bene tu iudicasti, & quare non iudicasti tibimetipsis? Quemadmodum enim terra syluæ data est, & mare fluctibus suis: sic qui super terram inhabitant, quæ sunt super terram intelligere solummodo possunt: & qui super cælos, quæ super altitudinem cœlorum.

Oportebat te quoq;, ô Esdra, permisisse domino deo suum ordinem, & admirari bonitatem dei, qui malos tolerat, meliores exercet malis, qui cum felices esse poterant, meliores exercet malis, qui cum felices esse poterant, non contenti sua sorte, conditionis suæ ordinem infringere uoluerunt, diuinis legibus nil parere, uerbi dei spernere, exhortatores ad meliora occidere, & eam à quo cuncta possederant, non curare, quales Iudæi fuerant, qui humiliati exilio, uix tandem respiscunt, multo peiores futuri, si Babyloniorum sortem felicem, diuitias & potentiam fuissent assequuti, qui in exilio uix se passi sunt redigi in ordinem. Sic quoq; tu, terrenus cum sis, noli diuina rimari, & cum cogitationum tuarum dominus non sis, noli discutere quid dominus cogitet, dominus enim est, & iustus, & bonus, & sapiens. Angelorum est scire secreta domini, & non plus quàm dominus reuelauerit, uoluntariũ enim speculũ, si uult uidetur, & quantum uult, & non amplius. Tu ea quæ agenda mandauit dominus, cogita semper, in his sis totus, teipsum indica, non dei ordinem, qui deficere nõ potest à iustitiæ regula, quæ est ipsa dei uoluntas.

13 Et respõdi, & dixi: Deprecor te domine, ut mihi detur sensus intelligendi: nõ enim uolui interrogare de superioribus tuis, sed de his, quæ pertranseunt per nos quotidie, propter quid Israel datus in opprobriũ gentibus, quem dilexisti populum datus est tribubus impijs, & lex patrum nostrorum in interitum deducta est, & dispositiones scriptæ nusquam sunt: et pertransiuimus de sæculo, ut locustæ, & uita nostra stupor & pa-

uor

uor, et nec digni sumus misericordiam consequi. Sed quid faciet nomini suo quod invocatũ est super nos? Et de his interrogaui.

Admiratio iudiciorum dei.

Contendit quasi per replicam, non se solicitum quid agatur in cœlestibus inter angelos, et quid dominus deus ibidem disponat, sed dolere sibi de inæqualitate, quæ domino omnia gubernante ꝓspicitur inter homines in hac terra, ubi peßimi optime habent, & pißimi male. Huius rei sensum & intellectum consequi orat, cum sit enim Israeliticus populus peculium electum à domino, ex omnibus gentibus terræ, ipse tamen inter peßimos Babylonios opprobriũ datus sit. Lex domini de qua gloriabantur abolita uidetur & conculcata, imò & combusta ab impijs, iudicialia & ceremonialia à deo constituta nusquam seruantur, & exilio miserabili grauatur populus domini, plus quàm omnes peccatores terræ, opprimuntur & conculcantur à gentibus ut locustæ, ut non sit ipso rum uita morte optatior. Et cum hæc omnia miseri patiantur, nullus tamen eis locus relictus est promerendæ clementiæ, ut meliora propediẽ sperare poßint: & quod maximi refert, totum istud ipsorum infortunium redundat maxime in blaſphemiã tui sacratißimi nominis, quod inter gentes continuo irridetur, dicentes: Vbi est deus eorum? non potest populum suum eruere de nostris manibus, deus non est. Hæc magis sunt, quæ me lugentem torquent, quæ causari cogor, & quorum rationem inquiro, ut pios consolari queam & pusillanimes, non de cœlestibus loquor.

14 Et respondit ad me, & dixit: Si fueris plurimum scrutatus, frequẽter miraberis: quoniam festinans festinat sæculum pertrãsire, & non capit portare quæ in futuris tẽporibus iustis repromissa sunt: quoniã plenum est sæculũ hoc, & infirmitatibus iniustitia.

Multa sunt quæ admirari magis potes quàm perscrutari. Non enim prodest iudicia dei pœstigare, quæ sunt inscrutabilia, uerbi potius diuini regula adhibenda est, & iuxta illam uita & cogitatio ordinanda. Ex ea nosce quomodo uiuendo deo tuo proberis, & cogitandũ est tibi semper de lege domini, & quomodo proximis seruias & prosis. Sæculi autem cursum ipsius gubernatori omnium principi committas, qui illud definiuit finiendũ suo articulo uel momento. Non est hominum nosse tempora uel momẽta, quæ pater posuit in sua potestate. Hoc uero sufficit cognouisse, & firmiter credidisse, iustus remissa esse augustißima bona, præparasse deum electis magnifica, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, pro quibus assequendis facile derelinqui poßit hoc sæculum, positũ in maligno. Quod tu qualicunq; disputatione & impatientia emendare nõ potes, ut satius sit, tibijpsi prospicere dirigendo, & eis quæ tibi à domino commendantur. Regnorũ ortum, profectum, statum & casum, omnium gubernatori committe, cuius tu uoluntatem per omnia implere contende, qui sic te ac tui similes iustos defendet, ut in mũdo quamlibet tumultuoso, ipso protegente saluus consistas, donec perdus instituta aduenies, aliquo honesto mortis genere te transferat ad cœlestia, ubi omnium quæ hic bene uel male aguntur, rationem luculenter aspicies: quare pij diuexentur, & impij dominentur: quare sancti corruant, & impij conuertantur: quare uni gratia donatur, alter damnatur: quare ueritatis professores periclitantur, & hypocritæ regnant: quare eligitur Iacob, Esau improbatur: quare Isaac assumitur, Ismael relegatur, & id genus sine numero multa & magna.

Iudicium generale dei.

15 De quibus autem interrogas dicam: Seminatum enim est malum, & necdum uenit destructio ipsius. Si ergo non inuersum fuerit quod seminatum est, & discesserit locus ubi seminatum est malum: non ueniet ubi seminatum est bonum.

Omnes in Adam homines peccauerunt, ut sit omnis homo ab adolescentia sua tantum pronus ad malum. Malum intrauit in orbem, inimico homine, hoc est Satana superseminante zizania in agrum, qui à domino fuerat optime seminatus. Nondum tempus aduenit tollendi zizania illa, tolerantur à patre familiâs ad suum tempus, ut mali uel bonos exerceant, ut boni perseuerent, uel meliores euadant: aut ut ipsi aliquando conuertantur, & cum bonis exerceantur. Interim utilis est exercitatio, & ex malo bonum uel melius fit, uel clarius inclarescit. Veniet autem tempus, quando generali huic malo succurretur generali bono, quando mors mortem occidet, & caput serpentis conteretur, benedictio promissa gentibus sic impartietur, ut qui hodie propter pietatem persequuntur sanctos, olim ipsam sint pietatem assequuturi, & qui idola colunt, ea sint destructuri, & qui Ieroſolymam cum templo destruxerunt, olim sint ipsum reædificaturi, & qui toto mundo persequuntur Israelitas, toto in orbe de eodem se nomine sint quàm gloriosißime iactaturi. Malum ergo quod ab initio seminatum est in Adam primo, eradicabitur per secundum.

Originalis culpa.

16 Quoniam gramen seminis mali seminatum est in corde Adam ab initio: & quantum impietatis generauit usq; nunc, & generat usq; cum ueniat area?

Clare dicit quod dictum est, originalis iniustitia obtinuit per peccatum Adæ omnes ipsius posteros. Inexpiabile est hoc malum per aliquem purũ hominem similiter maculatum, quales usq; modo sunt omnes homines, quorum tamen nõ idem fructus progerminatur ex omnibus, sunt enim aliqui reliquis peruicatiores, aliqui innocentiores, promiscue tamen sese exercentes, & pariter habitantes, soli deo agniti utriq;, in una area collocati, quæ suo aliquando tempore uentilabitur. De qua Christus Matthæi 3. & Luc. 3. usq; ad illud tempus patientia necessaria est electis, quando omnes qui pie uiuere uolunt persecutionem patientur.

17 Aestima autem apud te gramen mali seminis, quantum fructum impietatis generauit: quando secatæ fuerint spicæ, quarum non est numerus, quàm magnam aream incipient facere?

Omnis ergo in hoc mundo iniquitas ex ea primi hoc

minis præuaricatione exorta est, ex malo semine malum gramen, unde & fructus malus, qui & indies peior & uberior exoritur, refrigescente charitate, & fide uera in dominum pereunte, donec pariter spicæ omnes iussu domini resecandæ sunt, & in maximam aream discutiendæ reponentur. Nihil enim euadet hanc iudicis extremi discussionem. De qua Matth. 25.

18 Et respondi, & dixi: Quomodo, & quando hæc? Quare modici & mali anni nostri?

An non tibi uidetur idem hic quæri, quod toties de hac areæ uentilatione & discussione apostoli à domino quæsierunt? Quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui? Hic uero Esdras quærit, quando hæc mala herba sit tandem eradicanda, quæ seminata est in cor primi parentis, unde omnia in hoc mundo mala oborta sunt. Et ut propius ad intentum proprium accedat, quærit de fine exilij, quando tandem sit finiendũ. Dicuntur aũt anni modici & mali, secundũ dictũ Iacob in Genesi, qui pauciores sint quàm communiter homines cupiant, & calamitosiores, quàm ut semper æquanimiter ferri possint.

19 Et respondit ad me, & dixit mihi: Non festines tu super altissimũ. Tu enim festinas inaniter esse super ipsum: nam excessus tuus multus. Nónne de his interrogauerunt animæ iustorum in promptuarijs suis, dicentes: Vsquequo spero sic, & quando ueniet fructus areæ mercedis nostræ?

Noli citius uelle scire secretum domini, de area uentilanda in ultimo iudicio, de finiendo Babylonico imperio, de reditu populi tui, & de pœna omniũ impiorum, quàm altissimo placent hæc omnia uel aliqua reuelare hominibus. Noli festinare ut scias, quæ præstat ignorasse. Quis enim hominum cuperet sibi significari horam mortis impendentem, uel annos felicitatis finiendæ, uel calamitatis inchoandæ? Sufficit magis diei sua malitia, ut interim in patientia possideamus animas nostras. Et tamen huiusmodi curiositate multi tenentur, futura præscindi, tui similes, in malum ipsorum, ut excedere contingat eos modum cognitionis humanæ. Animæ iustorum non quærunt anxie de talibus, sed sese totos committunt deo, toti ex ipso pendent, semper parati ad uocem sponsi cum lampadibus, etiamnocte media, donec sponsus ueniat, ut in promptu sint & habeant quod necessarium fuerit. Istis uero qui dicũt: Quamdiu nos sperare bonum oportet? quando tandem ueniet tempus areæ, ut excutiantur frumenta, & zizania segregetur? Illis respondet archangelus Ieremiel.

Cognitio futurorum.

20 Et respõdit ad ea Ieremiel archangelus, & dixit: Quando impletus fuerit numerus seminum in uobis, quoniam in statera ponderauit sæculũ, et mensura mensurauit tempora, & numero numerauit tempora, et nõ commouit, nec excitauit usquedum impleatur prædicta mensura?

Videntur hæc alicubi olim scripta fuisse in alio libro Ecclesiastico ex eorum numero qui non extant, quales apud Hebræos aliquos, & plures quidem fuisse, prophetæ indicant & apostoli. Is autem archangelus, huic quæstioni sic respondet ut decuit, quemadmodum & Christus dominus discipulis: Non est uestrum nosce tempora uel momenta, &c. Sic hic dicitur: Tunc areæ tempus adueniet, quando frumento implenda est. Dominus est solus, qui in statera ponderauit sæculum, cuius finem in sua posuit potestate, ipse solus mensurator est temporum, numerum dierum solus nouit, quem nec filio hominis reuelauit Christo, nec mundum commouebit in uniuersum, quod prædictum est futurum esse per prophetas, nec mortuos excitabit, donec prædicta impleatur mensura, domino soli nota, cuius nostra nihil refert scire, qui satis præmoniti sumus quid nobis facto sit opus.

21 Et respondi, & dixi: O dominator domine, sed & nos omnes pleni sumus impietate. Et ne forte propter nos non impleantur iustorum areæ, propter peccata inhabitantium super terram.

Timet & se cum sua gente in die areæ excutiendos cum impijs, & pro iniustitia plurima damnandos, cum alijs nationibus malis, quandoquidem electorum numerus nimium tarde impletur, propter malitias nostras, quò tardius emẽdamur, cum ueluti tuus populus ad iustitiam uocati sumus, ut sine nobis non perficiatur regnum cœlorum. Sic enim decet credere uocatos & electos, ut & ipsi pertineant ad aream tritici, non inter proiectamenta zizaniorum, ut ad promissiones dei percipiendas contendant.

22 Et respondit ad me, & dixit: Vade & interroga prægnantem, si quando impleuerit nouem menses suos, adhuc poterit matrix eius retinere partum in semetipsa?

Exemplo docet, non posse impediri meritis uel precibus solidum humanum. tis hominum diem iudicij ultimi, quem nominat tempus areæ, quemadmodum & Christus, quo minus adueniat citius quàm ordinatum est, uel etiam tardius. Sicut tempus pariendi fœmina differre non potest, nec anticipare quod est decretum à domino naturarum, per naturam et lunæ certissimum cursum, iuxta gradum lunæ ascendentis, uel immorantis, ut est regula Astrologorum de Oroscopo natiuitatis & cõceptionis. Dicit autem de nouem mensibus, qui ut plurimum implentur ad enixionem partus, cum quidam nascantur decimo, quidam octauo, quidam etiam septimo, sed nimis infeliciter.

23 Et dixi: Non potest domine. Et dixit ad me: In inferno promptuaria animarũ matrici assimilata sunt. Quemadmodum enim illa festinat quæ parit, effugere necessitatem partus: sic & hæc festinat reddere ea quæ cõmendata sunt. Ab initio tibi demonstrabitur de his quæ concupiscis uidere.

Habet ex conditore natura suum cursum, quem scrũ. De cursu tuatur, obediens domino uniuersorum, ideo impediri à creatura alia non potest. Infernũ dixit hæc terrestria, à superioribus astrorum lationibus gubernata, quo ad corpus cũ animabus animalium et uegetabiliũ, quæ suũ dicuntur habere promptuariũ, unde quasi produci dicuntur. Animæ

ma autẽ rationalis, à deo creando infunditur, & infundendo creatur, secundũ sanctos. Quanquã de eius condi tione uaria senserint tã theologi magni & sancti, quàm philosophi: sicut & uulgus loquitur uaria, quem loquendi modũ etiam scriptura seruat, ut sicut animæ beatorũ iam exutorũ à corporibus suum habent reseruaculũ, & paradisum ipsis à dño destinatã, sicut nascituræ quoque euocari dicuntur à Poetis & Philosophis, à suo quoque promptuario, quod aliud non est, quàm sapientia, bonitas, & omnipotentia dei, omniũ conditoris, qui pro suo beneplacito animas condit, quando scilicet & quomodo uult, quasi necessitas quædam naturæ sit, quia uoluntas dei & opus, quæ impediri non possunt. Statim autem organizato sufficienter corpusculo, anima infunditur, & expleto per domini uoluntatem, & lunæ cursum tempore partus matrix ipsa diutius fœtum retinere non potest, etiam si conaretur aut uellet. Festinat enim ad suum tempus matrix honestissima, reddere quæ deposita sunt semina, longe secundũ corpus elegantiora quàm susceperat. Fortassis autem ab initio translatum est pro ab ante, hoc est consequenter, uel à principio sermonis, promisi tibi

24 reseruare secreta, quæ desideras, ut scias.

Et respondi, & dixi, Si inueni gratiã ante oculos tuos, & si possibile est, & si idoneus sum, demõstra mihi, si plusquam præteritũ habet uenire, aut plura pertransierũt quàm futurum est. Quid pertransiuit, scio: quid autem futurum sit, ignoro.

Aliam quæstionem proponit Esdras angelo, de tempore futuro. Dubiũ autẽ uidetur, si intelligat de distantia adhuc et prolixitate temporis ad diem aream uel extremi iudicij, uel, si de aduentu Messiæ, quẽ sancti sicut et Dani el anxie desiderabant, iam illisipsis temporibus, uel, de sitè promisso. Quæ tamen non absolute petit uel desiderat reuelari ab angelo, sed ut decet sanctos, adiecta conditione, si illi placeat, si per domini uoluntatem liceat, et fieri possit, si non prorsus indignus habeatur, cui tanta mysteria reuelentur, si scilicet pluris de tempore exactũ sit, quàm superfit ad finẽ rei. Annos transactos nouerat propheta, uel à constitutione mundi, uel ab exitu de Aegypto, uel à destructo templo, sed futura tempora non

25 nouit, quæ pro hominum curiositate scire precatur.

Et dixit ad me, Sta supra dexterã partẽ, & demonstrabo tibi interpretationẽ similitudinis. Et steti, & uidi: et ecce fornax ardẽs transiit coram me: & factum est, cum transiret flãma, uidi, & ecce supauit fumus. Post hæc transiit corã me nubes plena aquæ, & immisit pluuiam impetu multã: & cũ transiret impetus pluuiæ, supauerũt in ea guttæ.

Obscurior quidem similitudo, ad designandũ obscurius. Notat tamen in genere, pauciores superesse dies uel annos ad sæculi longitudinẽ cõparatos, quàm sint guttæ reliquæ, post magnam pluuiã delapsæ. Videtur autẽ forsan significare angustias, & terrorem captiuitatis perpessæ in Ierusalem. Fumus autem, exilij molestias in quo sunt. Nubes aũt aquis plena, est destructio Babylonis, per Medos & Persas: nisi quis aptiora hic uideat, nam in huiusmodi uisionibus et spectris, spiritus dei abstrusiora tãtum subindicauit, non clare expressit.

26 Et dixit ad me, Cogita tibi, sicut crescit pluuia amplius q̃ guttæ, et ignis q̃ fumus: sic superabundauit quæ transiuit mensura. Superauerunt autem guttæ, & fumus:

Pluuia magis madefacit q̃ gutta, et est horribilior. Et ignis quoq; uehementior quàm tantũ fumus, qui nihil ardet: sic prolixius est tempus quod præterijt, quàm quod est futurũ, siue redẽptionẽ spectes per Cyrũ siue p Christũ primo uenturũ siue secundo. Et tamẽ figura loquendi loquitur, ut de futuris homines semper incerti perseuerẽt quibus minime prodest futura certo definita percipere, testimonio tam Christi quàm apostolorũ, qui semper uigilare suadent, & paratos esse fideles, sufferre salutẽ tardantem, & bene sperare de ueritate promissorũ & promittentis. Sic omnia prophetarũ uaticinia, futura quidẽ significant, & post modicũ, etiam hebdomadas definiendo, sed tamen multis ambiguo sermone, quod paucis non obsit scire futura, cũ id certatim omnes homines scire desiderent, ut est uanitas annexa menti humanæ, et curiositas ab exitu materni uteris ex Eua. Cum dominus magis doceat non cogitandũ de crastino, sed constanter agendũ quicquid prouidentia dei omnia agentis ad manus hominum adhibetur sacrum & utile. Non cogitandũ quid cras uel post annũ facturus sit, sed quid nunc exigat dei uoluntas, & instans proximi utilitas, propriaq; necessitas. Habebit enim futurũ tempus suam quoq; propriam molestiam, ut præsentem adaugere non debeas. Cursus mundi & finis.

27 et oraui, et dixi, Putas uiuo usq; in diebus illis: uel qd erit in diebus illis? Respõdit ad me, et dixit, De signis, de q̃bus me interrogas, ex parte possum tibi dicere: de uita aũt tua non sum missus dicere tibi, sed nescio.

Iã aliud postulat humana curiositas, audiẽs enim tempus abbreuiandũ, rogat, si uicturus sit tantundẽ, ut oculis quæ cupiat sit intuiturus. Quærit enim de uita prorogada, & de rebus prosperis tunc futuris & desideratis. Ad quæ angelus de uita quamdiu duratura, nihil respondẽdũ prodesse, cuius finem præstet nescire, sed in horas ueri, ut uigilet, & operetur homo dũ lux est, ne in tenebris comprehẽdatur. Nescire se dicit, uel quia re uera ne scíuit angelus, non enim norunt nisi à domino reuelata, uel quia tantum nouerat quæ dicenda acceperat, quale non erat periodus uitæ. De signis autem futuræ salutis quædam se posse dicere fatetur, de quibus sequitur. Vita prorogãda quæritur.

CAPVT V.

1 DE signis aũt: ecce dies uenient, in quibus apprehendent qui inhabitant terrã in cẽsu multo, et abscõdet ueritatis uia: et sterilis erit à fide regio: et multiplicabit iniustitia super hãc quã ipse tu uides, et sup quã audisti olim: et erit impositio uestigio, quã nunc uides regnare regionẽ, et uidebũt eã desertã,

Difficilis locus, quem olim fortassis acutius inspecturi, exactius interpretabuntur. Simplicitatē sectabimur more nostro, & ut fieri potest, consequenter magis dicendis & prædictis. Videtur prædicere futurum casum hostium populi dei, regni Babylonici, iam multo censu per rapinas innumeras omnium regnorum ditati, de quo prophetæ multa prædixerunt. Ifti, inquit, comprehendētur tandem, & non post multū temporis, in malitia sua. Tūc autem comprehendētur, quando quæ nunc aliquantisper uiget in regno illo ueritas obliterabitur, & amplius non comparebit, sed omnia falsitas obtinebit, & dei cognitio quæ sub Nabuchodonosor aliquantulū creuerat, sub Baltasaris regimine prorsus cōcidet, et nulla in tota regione Babylonica fides seruabitur, nec deo nec hominibus, nec ciuibus nec seruis. Sed multiplicabitur iniustitia, lōge magis, quàm sit ea, quam nunc plangis & admiraris à diuina eam ferri posse iustitia. Nulla tunc locum habebit ueritas, nullus audietur propheta domini, nec Daniel nec Ezechiel, nec similes, sed regnabit perfidia & contemptus dei, in cuius despectū omnia tentabuntur, quæ fieri poterunt. Propter quod & ea regio quam nunc calcas tuo uestigio, quam nunc reliquam totam terram opprimere cernis per uiolentiam Babylonici imperij, eam licebit tunc cernere totam uastatam ab hostibus, Medis scilicet & Persis, quos nunc minime timent, sed quorū sentient uires & ferociam, ut rependant Babyloni superefluentem mensuram, eius, quam cæteris nationibus iamdiu propinauerat, cum multa superbia & crudelitate.

Casus Babylonis.

2 Si autē tibi dederit altissimus uiuere, uidebis post tertiam tubam, & relucescet subito sol noctu, & luna ter in die, & de ligno sanguis stillabit, & lapis dabit uocem suā, & populi commouebuntur: & regnabit, quem nō sperant qui inhabitant super terram, & uolatilia commigrationē facient: & mare Sodomiticū pisces reiciet, & dabit uocē noctu, quam non nouerant multi.

Fieri potest, ut in illud usque tempus uiuere possis, quandoquidem tam longe non abest. Tunc uidebis tertiam tubam, qua uidetur subindicare tertium regem, ab eo qui ultimo Iudæos transtulit, & templum uastauit, Baltasar scilicet, post Euilmerodach, et secundum Nabuchodonosor: quanquam uarient authores, cum tamē hæc sit communior apud Hebræos opinio. Post cuius nimiā superbiam & perfidiam, cum eximio contemptu diuinitatis & religionis, subito dum minime timet, sed conuiuijs & libidinibus seruit, noctu scilicet malitiarum & iniustitiæ, Sol ipse diuini iustiq; iudicij relucescet, Cyri scilicet potentia, felicitas, iustitia, & religio. Et luna resplendescet ter in die, hoc est clarissime apparebit regnorū omnium sors & mutabilitas, quam reges non considerant, sed sibi perpetuum somniant regnum & honorem. Tūc de ligneo tabulato palatij regalis stillabit furor diuini iudicij, manus scilicet scribentis: Mane, Thekel, Phares, ut est apud Danielem. Et lapis ædificij retro tabulatum, hoc modo uocem suam ædet, omnibus aulicis impijs, & impijssimo regi. Et non tantum populus Babylonicus commouebitur, sed etiam Persarum ac Medorum exercitus, irruent urbi & regno tam superbis. Et regnabit qui minime credebantur, fidelis & religiosus Cyrus, à prophetis prædictus ex nomine, regnū suscipiet. Quo facto, cōtinuo statim anno, de licentia Cyri, uolatilia Israelitarum, populi captiui & dispersi per imperiū utrunque Persarū & Chaldæorū, commigrationem facient. Et tota Iudæa regio, quæ complectitur Sodomiticum lacū uel Asphaltitem, non erit posthac sterilis, sed alet denuo suos pisces & alites, quod nemo infidelium credidisset. Et in nocte transactæ calamitatis & miseriarum, erumpet in laudē domini dei sabaoth, quam impij & gentiles non norunt. Laus enim & gratiarūactio, & confessio dei ueri, audietur tunc à regibus etiam gentilium. Qualis ea fuit, quam Cyrus & Darius prodiderunt. Omnia, inquit, regna terræ dedit mihi dominus deus cœli, et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Ierusalem, &c. Quis autem huiusmodi uocem præteritis annis unquam audierat ab Ethnico tanto rege? quis audiendam credidisset?

3 Omnes autem audient uocem eius, & chaos fiet per loca multa, & ignis frequenter remittetur, & bestiæ agrestes transmigrabunt, & mulieres menstruatæ parient mōstra, & in dulcibus aquis salsæ inuenientur, & amici omnes semetipsos expugnabunt: & abscondetur tunc sensus, & intellectus separabitur in promptuarium suum, & quæretur à multis, & non inuenietur: & multiplicabitur iniustitia, & incontinentia super terram.

Hanc certè uocem audierunt & imitati sunt posthac tam Cambises uel Assuerus, quàm Darius, audierunt in toto imperio exules Iudæi, & cæteri Israelitæ cum exultatione. Interim tamen chaos fiet, per loca multa impedimenta tam reditus quàm ædificationis templi & urbis per multos annos, quando & ignis aduersitatis & persecutionis, frequenter immissus est illis, qui tamen statim remissus est domino miserante. Bestiæ in agro transmigrarunt, gentiles Ammonitæ et Moabitæ cū cæteris, qui terram Israelitarū absentium occupauerant abacti sunt, & iussæ dare locum Israelitis, & reditum ad suas hereditates. Improbæ quoque & immundæ mulieres, monstra pepererunt, impios Israelitas pariebant, post multas alienigenæ uxores susceptæ à redeuntibus, unde postea oborti sunt, qui male uoluerunt & fecerunt gentilitia, quod Esdras præuenire cupiens, reformauit ipsorum matrimonia remissis alienigenis. Salsæ aquæ immētæ sunt in dulcibus, quando inter pissimos Iudæos sacerdotes & populos, deprehensi sunt postea aliquot impij, & gentis suæ proditores, de quibus in Machabæorum libris, ut et Iesus summus sacerdos, dicatur indutus fuisse sordidis uestimentis apud Zachariam. Sed et dissensiones multæ obortæ sunt inter Iudæos, quorum aliqui pietatē sectabantur, & multa coacti sunt perpeti ab impijs, & gentilitatis deditis Iudæis, ac huius mundi honorumq; & diuitiarum amatoribus. Huic autem simile est & illud Christi: Separabitur homo aduersus patrem suum, & nurus aduersus

uersus socrum suã, & inimici hominis domestici eius. Ab
scondentur sensus, non audebunt pij aperte confiteri pie-
tatem fideq; quã colũt. Et deprauabũtur intellectus pluri
morũ, ut absterriti persecutionibus Antiochi & aliorũ,
maluerint dissimulare quod crediderint, quàm grauissima
pati. Tunc scripturæ intellectus & prophetica gratia,
sermoq; diuinus procul erit à gente, quandoquidẽ post
Zachariam Haggæumq; prophetas & Esdrã neminem
legimus quicquã prophetasse usq; ad Christũ, interim de
ficiente uerbo dei et fide, multiplicabitur iniustitia in po
pulo, castitas periclitabitur ob improba matrimonia.

4 Et interrogabit regio proximam suam, et
dicet, Nunquid per te pertransiit iustitia iu
stum faciens? Et hoc negabit.

In tota terra fides deficiet et iustitia, ut non sciant ho-
mines quo in loco inquiri possit uel inueniri pbitas atq;
innocentia. Nusq; erit fides, qua iustificantur electi, ut A-
braham. Scandalizabuntur enim malignitate improbo-
rum multorũ, qui gentilibus regibus adhærere malint, q;
uerbo dei, unde rarius erit in tota ea terra uerè religio-
sus & pius.

5 Et erit in illo tempore, & sperabunt ho-
mines, & non impetrabunt: laborabunt, &
non dirigentur uiæ eorum.

Tempus fortassis Machabæorum intelligit, in quo spe
bona fruebantur multi, de restituendo Iudæis regno, et de
gentilium obedientia præstanda, iuxta ipsorum intelle-
ctum ex prophetis, sed nõ impetrabunt, occisi sunt enim
unus post alium duces, filij Mathatiæ, & uiæ eorum, hoc
est institutæ ægre proficiebant uel dirigebantur, ut quan
quam inchoare uisa fuerit Iudæorum felicitas & gloria
sub Machabæis, non tamen constiterit nec profecit, sed
cum tempore defecit, ob malitiam sacerdotum fides et iu
stitia tam populi q̃am maiorum in populo, pontificum
sacerdotum & scribarum, ut patet ex historia Macha-
bæorum, Iosephi, & euangelica.

6 Hæc signa dicere tibi permissum est mihi:
& si oraueris iterum, & ploraueris, sicut &
nunc, & ieiunaueris septem diebus, audies
iterato horum maiora.

Et hæc quidẽ iam dicta à domino deo permissus sum
ego Vriel reuelare tibi de futuris temporibus quorũ fata
tantopere præscire desideras, ex amore tuæ gẽtis, nec a-
liud nunc noui reuelatũ mihi à domino, quod tibi permit
tar narrare, quod si plura uelis, iteratis tibi id oratiõibus
impetrandũ erit, quæ ut feruentiores prodeant, promoẽ
dæ sunt ieiunijs idoneis & sacris, aliquot diebus abstinẽ
do à licitis uoluptatibus. Tunc domino assentiente, plu-
ra & his maiora tibi renuntiare permittar.

7 Et euigilaui, & corpus meũ horruit ual-
de: & anima mea laborauit, ut deficeret: &
tenuit me qui uenit angelus, qui loqueba-
tur in me, & confortauit me, & statuit me
super pedes.

Hæc ergo in somnis dicta sunt & facta, de quo som-
no nũc scribitur Esdras euigilasse. Et pro angelica apari-
tione pro more horripilatum est corpus uidentis & pro
phetæ, & præ pauore multo mens & animus perturba-
tus est, ut consistere cogitatio firma non ualuerit, sed la-
borando defecit magis: unde & prope erat, ut collaba-
scerem nisi me angelus domini tenuisset, qui mihi locutus
fuerat, & iam denuo locuturus. Is me confortauit adsistẽs
et sic restituit uiribus, ut conualescens in pedes sterem.

8 Et factum est in nocte secunda, & uenit
ad Salathiel dux populi, & dixit mihi, Vbi
eras? et quare uultus tuus tristis? An nescis,
quoniam tibi creditus est Israel in regione
transmigrationis eorum? Exurge ergo, &
gusta panem, & non derelinquas nos, sicut
pastor gregem suum in manibus luporum
malignorum.

Hoc uero non in somnis actum est, sed re uera ad cre-
pusculum imminentis noctis ad Esdram uenit Salathiel il-
le, pater Zorobabelis, qui tũc ut erat dux populi, hoc est
consul & primas exulum, de uoluntate regis Babyloni-
ci. Is consueuerat forte noctu uisitare sanctos, quos fami-
liariter nouerat, & ipse pius, sicut & Tobias faciebat
suo loco & tempore. Is dicit Esdræ quærens, Vbi eras? Ba
bylone erat, sed intra domum uel aliquo secreto sese lo-
co collegerat ad orandum, & aduertendum quid in eo
dominus loqueretur, unde & abfuisse existimabatur. Et
ex ieiunio, uigilijs, & uisionum terrore uultu nonnihil
destitutus uidebatur ut tristis cerneretur et anxius nimis.
Admonet autem Esdram Salathiel, ne pro quacunque re priuata sua, negligat officium prospiciendi commissis sibi Israelitis, in captiuitate miseris, consolatione multa indigentibus hominum piorum pariter & eruditorum. Officium non negligẽ dum.
Nunquam enim dominus suos fideles destituit consola-
tione sua per seruos suos fideles: quales semper ordinat
& mittit ecclesiæ suæ, sicut nunc hic missse dicitur Es-
dram. Hortatur ergo, ad admittendum spiritui refrige-
rium, ex necessario corpori suo cibo. Sunt eruditi &
pij uiri in ecclesia pastores, ipsa accepta gratia à deo, or-
dinati, ut regant, dirigant, pascant, prospiciant, doceant
commissam sibi gregem, ne hostes fidei & morum in-
star luporum irrumpentes oues discerpant.

9 Et dixi ei, Vade à me et non appropies ad
me. Et audiuit, ut dixit et recessit à me et ego
ieiunaui diebus septem ululans et plorans,
ficut mihi mandauit Vriel angelus.

Secretũ suũ sibi seruabat, & nõ uolebat negligere col
loquium, quod sibi promissum fuerat pro ieiunio & ora
tione aliquot diebus exequendis. Orat ut abiens nõ reuer
tatur aliquanto tẽpore, donec impleatur uisio dei, & al-
loquiũ angeli, de quo tamẽ homo minime arrogans nihil
proferebat, qui & acquieuit uiro sancto & spirituali,
quẽ satis intelligebat solicitũ esse, in opere aliquo secreto
pro officio suo, in usum & utilitatẽ exulũ sibi cõmenda-
torũ. Ab illius autẽ abitu, ieiuniũ cœpit, & orationẽ non
fictam, sed cum fletu & lachrymis, iuxta adhortationem
angeli, quem conscientia propria spiritu sancto directa
agnoscebat sanctũ angelum, & minime impostorem sata-
nam. Huiusmodi enim securitatem deus donat amicis suis,
ne à meridiano dæmonio fallantur.

10 Et factum est post dies septem, & iterum cogitationes cordis mei molestæ erãt mihi ualde, & resumpsit anima mea spiritum intellectus: & iterum cœpi loqui coram altissimo sermones, & dixit:

Ex animo cupiebat gloriam dei, & sanctificationem sui nominis in orbe, maxime autẽ pro populo suo & dei solicitus erat usq; ad afflictionẽ spiritus, inspiratione tamen spiritus sancti et occulta angeli præsentis auxilio cõfortatus est, spiritu & intellectu aliquousque illustratus est, ut iterum loqui cœperit cum domino quæ decebant.

11 Dominator domine ex omni sylua terræ, & omnibus arboribus, elegisti uineam unicam: & ex omni terra orbis, elegisti tibi foueã unam: & ex omnibus floribus orbis, elegisti tibi lilium unũ: & ex omnibus abyssis maris, replesti tibi riuum unum: & ex omnibus ædificatis ciuitatibus, sanctificasti tibimetipsi Sion: et ex omnibus creatis uolatilibus, nominasti tibi columbam unam: & ex omnibus plasmatis pecoribus, prouidisti tibi ouem unam: & ex omnibus multiplicatis populis, acquisiuisti tibi populum unum: & ab omnibus probatam legẽ donasti huic, quem desiderasti, populo.

Prærogatiuas multiplices & illustres populi Israeliti ei, præ omnibus alijs gẽtibus, ex beneficijs dei agnitas & ostensas, allegat Esdras inter orandum, nõ secus quàm si filius commendetur patri, qui illum non amare non potest, iratus tamen emolliri tentetur ad filium humiliatum uel afflictum. Ex omnibus gentibus dominus Israelem elegit, non quia esset, sed ut esset potius unica et electissima uinea, de qua Isaiæ 5. Cant. 2. & Iere. 2. Foueam intelligit Hebraico more, ut uidetur, torcular & cellarium, cellam uinariam. Lilium quoq; dicitur, Can. 2. Ozeæ 14. & Ecclesiastici 39. Riuus autẽ amœnissimus dicitur plenus optimis piscibus, de felicissima scaturigine incessanter emanans, Eze. 31. Ioelis 3. Amos 8. Vrbs quoq; Sion elegantissima, ferè ubiq; pro ecclesia fideliũ capitur: quanquam et riuus pro Iordane, & urbs pro Hierosolyma ad literam intelligi possit, quæ hæreditario iure dedit Israelitis, & sua gratia celeberrima fecit. Columba autem dicitur sæpe et clare in Canticis canticorũ. Ouis quoq; una dicitur, ob simplicitatem & multiplicẽ usum ut ilem per omnia. Ex omnibus populis dominus Israelẽ elegit, ut melior esset fide & exemplo, et ut in illo ostenderet magnitudinẽ potentiæ, sapientiæ, bonitatis, & misericordiæ suæ. Sed & iustitiæ & iræ in ingratos, quod iã proposuit toti mũdo, ut luculenter intueatur ueritatem uerbi dei, & illius iustitiæ, qui gratiose inclinatus ad eximie beneficiendum, si uiderit ingratos, & uerbi sui contemptores, eos æque magna iracundia et miseria afficere uult et consuescit. Quæ enim sanctior gens erat, dũ obediebat? Quæ uero nunc est in mũdo calamitosior à tanto tempore, quia ingratissima semper fuit domino deo & patri suo? Lex etiam probata dicitur, quia de nulla iniustitia notari unquam potuit, & inuenitur pro toto mundo regendo sufficientissima, si secundum illam uiuatur.

Allegoriæ fontes.

12 Et nũc domine, ut quid tradidisti unum pluribus? Et præparasti super unam radicẽ alias, & disperdidisti unicum tuũ in multis? & conculcauerunt eum, qui contradicebãt sponsionibus tuis, quiq; tuis testamentis non credebant.

Vnã Israeliticã gentem dispersérat iam ante propter contemptũ legis & prophetarũ, in multas gentes & regna, in Aegyptum, Persas, Medos, Chaldæos, Assyrios, Græcos, Palestinos, &c. Iam tibi charioresse uidentur cultores tui, quos iam habes in gentibus, qui fidem ueram à nobis didicerunt, quàm nunc nos simus. Vt idem ferè sit quod hic dicitur, cum eo quod ad Rom. Paulus scribit, de olea & oleastro inserto. Super una enim radice fidei Israeliticæ, iam omniũ terrarũ nationes fundatæ sum, & in sertæ in ecclesiam dei, quæ est omniũ electorũ. Hoc enim semper male habuit Iudæos etiam sanctos, non quòd gentium uocatio & gratia, sed si quando uiderent sic Iudæis cum populum deprauatum, ut iuste refutãdis illis, fideles ex gentibus præferendi essent. Non tam inuiderunt gentibus conuersionem ad dominũ, quàm ipsorum Iudæorum auersionem & iustam abiectionẽ. Ideo & hic Esdras iactus queritur, conculcari Iudæos à gentibus, sic impijs, ut contradicant semper promissionibus diuinis, non credentes uera esse prophetarum oracula, quibus consolabantur de futura liberatione eius. Cupiebat autẽ ut pius, & amantissimus gentis suæ, uapulare quidem donec emendentur, sed non à tã improbis gentibus, quæ longe essent nequiores Israele, qualitercunq; præuaricantibus, iuxta iudiciũ rationis humanæ. Sed longe aliud est iudicium dei, qui meliores corrigit, & punit à peioribus semper, & exercet bonos per malos.

13 Et si odiens odisti populum tuum, tuis manibus debet castigari. Et factum est cum locutus essem sermones, & missus est angelus ad me, qui ante uenerat ad me præterita nocte, & dixit mihi, Audi me, & instruam te: & intende mihi, & adijciam coram te. Et dixi, Loquere domine meus.

Post prolixam orationẽ ad dominũ, quã hic dicit sermones multos, statim dominus amicũ suũ, fidele pastorẽ populi, et zelosum gloriæ dei, cõsolatur, mittendo angelũ Vrielẽ. Is statim incipit alloqui & solari mœstũ, per uerbũ domini, quod à domino susceperat, pio homini reuelãdũ, secundũ mensurã donationis, et ut Esdræ prodesse posterat, non ut omnino cupiebat, multo enim plura sanctis pastores bona precãtur & optant subditis, q̃ illi mereãtur ut plurimũ capere et assequi. Iubet angelus ut auscultet se quidẽ, sed nõ nisi ex uerbo domini locuturũ, nihil enim sine illius cõmissione loquuntur uel agũt. Instruere quidẽ te uolo, sed & per te alios. Intende, inquit, & adijciam coram te, nempe adhuc quædã loqui post prædicta iuper, & quasi ad illa eadem iam consequenter.

14 Et dixit ad me, Valde tu in excessu mentis factus es pro Israel: an plus dilexisti eum, quàm qui eum fecit?

Semper

Semper dominum suum nominat, tum quia nuntius domini, tum quia natura præstantiore præditus, quia immortali & sancta. Commendat quidem affectum eximium pie tatis ad suam gentem, quæ erat etiam amata à domino, sed quia uidebatur excedens, et inconsideratior ob amorem, quasi longe melior Israel sit, quàm gentes, ideoq; non tam topere puniendi essent à domino, siquidem filij non à seruis, ideo addit: Num tu magis Israelē diligere potes, quàm pater eius, quàm egoipse, qui eum creaui, elegi, cui et tanto tempore beneficī?

15 Et dixi ad eum, Nō domine, sed dolens locutus sum. Torquent enim me renes mei per omnem horam, quærentem apprehendere semitam altissimi, & inuestigare partē iudicij eius.

Ex charitate quæ domino placet locutus sum per excessum, quem non imputabis. Ex præcordijs enim & animi uidetur ab eo qui fecit illum, non quidem dubitans omnia circa eum iustè geri & sanctè, sed rationem dispensationis diuinæ circa eum admiror, & cogitatione nulla consequi ualeo. Ideoq; altitudinem iudiciorum dei apprehendere cupio, si quis sit qui indicet, non abyssum quidem, sed partem tantum iudicij eius.

16 Et dixit ad me, Nō potes. Et dixi, Quare domine? Ad quid nascebar, aut quare nō fiebat matrix matris meæ mihi sepulchrum, ut non uiderem laborem Iacob, & defatigationem generis Israel?

Hominī imperuestigabilia sunt iudicia dei, quæ certe iniusta esse non possunt, sed à creato intellectu interminatæ rationes & diuinæ, nedum comprehendi, sed ne apprehendi quidem possunt. Ideoq; stulte agit, qui quæ supra se sunt persequitur, & seipsum nescit. Verum ea quæ caro & sanguis sunt, sua semper negotia agunt, & non potest dissimulare caro quod est: ideo ingenue fatetur, se enixisi me concupiscere bonum gentis suæ, ut malit uel non esse, uel nunquam fuisse natum, quàm uidere tantam in mundo iniustitiam, fidelium ac piorū miseriam, & oppressionem ab eis qui sunt omnium iniquissimi. Quando id non solum iniuria est populi innocentis, sed blasphemiæ causam præstat contra deum optimum & maximum, qui uno nutu perdere potest impios, & emendare quicquid est ubiq; malorum inter homines uel punire.

17 Et dixit ad me, Numera mihi quæ necdū uenerant, & collige mihi dispersas guttas, et reuirida mihi aridos flores, & aperi mihi clausa promptuaria, & produc mihi inclusos in eis flatus, demonstra mihi uocis imaginem: & tunc ostendam tibi laborē, quem rogas uidere.

Ex alio arguit angelus contra propositum Esdræ. Ad impossibile, inquit, contendis, uolens malorum omnium quæ in hoc mundo fiunt rationes indagare: nec id facilius assequeris, quàm si mihi ea distinctim numeres, quæ olim quidem in mundo erunt, sed nondum uenerunt, uel sunt à quocunq; conspecta: quàm si colligas in utrem uel uas alí quod ingens singulas guttas ex pluuia modica: aut si flores iam marcidos reuiridare coneris, aut promittas: aut flatus uentorum excipere uel includere in promptuaria uelis. Quæ ut sunt cuncta factu impossibilia, sic multo magis intelligere consilium omne prouidentiæ diuinæ. Sed & æque fieri non potest, ut uocis imaginem cernas oculis, & colorem audias, uel sonum tactu comprehendas. Omissis ergo tam difficillimis rebus, sine fructu perquirendis, operā potius da rei utili, & sine dominum transigere opus suum, & quæ te iussit agere, cura omni diligentia semper.

18 Et dixi, Dominator domine, quis enim est, qui potest hæc scire, nisi qui cum hominibus habitationem nō habet? Ego autem insipiēs: & quomodo potero dicere de his, quibus me interrogasti?

Hæc omnia quæ proposuisti, mortalium nemo nec nouit nec discere ualet, uix id angeli & spirituales creaturæ possunt, qui cum hominibus non habent consuetudinem, ut de eis me hominem pusillo ingenio præditum interrogare non debueris. Habet enim mortalium ratio limites, quos penetrare non ualet, ut nihil intellectus consequi possit, quod non prius sensibus percipitur corporalibus, sensuq; communi.

19 Et dixit ad me, Quomodo nō potes facere unum de his, quæ dicta sunt: sic non poteris inuenire iudicium meū, aut in fine charitatem, quam populo promisi.

Cum quæ minora sunt & corporalia assequi intellectu uel sensu non potes in creaturis, quomodo ferenda est præsumptio, uolentis disquirere maxima & spiritualia in cœlestibus, sola fide de diuinis percipienda. Quæ sunt multo admirabiliora, quàm ut cōsequi possit ea sensus humanus. Omnium autem minime metiri potes eam charitatis meæ mēsuram, quam huic, pro quo tam solicitus es, populo olim sum exhibiturus, aspiciente toto mundo. Quid enim in omnibus rebus admirabilius et maius cogitari potest, quàm ex Iudaico genere filium dei unigenitum, suo tempore incarnandum, & id non post multa tempora, comparatione sæculorum, ut qui nunc propter fidē suam tam exosi sunt toto mundo, olim pro eadem fide gloriosissimi futuri sint in uniuerso mundo. Et hæc facta omnia perfectissime norunt omnes fideles, & credit uenerarturq; nunc totus orbis, iam tanto ex tempore, ut stupere cogantur id etiam Iudæi, & pro magnitudine rei credere uix possint. Incarnatio uerbi dei.

20 Et dixi, Sed ecce domine, tu prope es his, qui in finem sunt: & quid facient, qui ante me fuerunt, aut nos, aut hi qui post nos?

Respondit ad hæc Esdras: Nouimus quidem quotquot prophetis credimus, felicitates quas promisisti tuo Israelitico populo, & regnum in mundo felicissimum, quod promissum est ad dies nouissimos, qui sunt Messiæ. Sed quid ea nos nunc iuuant? quid possunt consolari eos calamitosos, qui uel iam ante nos mortui sunt, uel nunc nobiscum uiuunt, uel statim post nostra sæcula sunt futuri? quid nobis postrema gaudiorum importabunt, cum fuerimus

mortui omnes, & extra memoriam hominum.

21 Et dixit ad me, Coronæ assimilabo iudicium meum. Sicut non nouissimorum tarditas, sic nec priorum uelocitas.

Respondet angelus huic quæstioni. Omnia tempora et singula habent sua negotia, casus, gesta, & iudicia dei iusta. Comparatur enim coronæ eatenus, ut unum sequatur continuo aliud, sine fine, qui nobis sit perceptibilis, instar coronæ, ut domino deo nostro nihil tardum sit, nihil festinum, ei omnia præsentia sunt semper, nihil præteritum nec futurum, unum æternitatis indiuisibile instans uel momentum omnia temporalia complectitur & metitur. Cui unico adsistit uniuersa, sine temporum differentia, æque deo adsistens, proxima, & nota, ut capiti corona æque insistit, & præsens est: ut apud deum nec sit nouissimorum tarditas, nec priorum uelocitas. Secus autem est de hominum iudicio, quo deus non utitur. Suo iudicio deus mundum moderatur, non hominum uel angelorum. Ideoq; sibi suum homines iudicium sumentes, omnipotenti, æterno, & summo deo suum relinquant.

Sæculum cõparatur coronæ.

22 Et respondi, & dixi, Nec poteras facere eos qui facti sunt, & qui sunt, & qui futuri sunt, in unum, ut celerius iudicium tuum ostendas?

Quærit humana phantasia & curiosus intellectus, num non facere deus possit, ut uno tempore uiuant cuncti homines, & quicquid olim futurum deus præordinauit, id faciat nunc existere, ut etiam apud homines nõ sit, nec præteritum nec futurũ, uel saltem, ut quod post multa annorum millia futurum est, id nunc hodie diuina ordinatione consistat uel agatur: uel ut iudicium tuum, ô deus, olim futurum, & mundi finis, qui promittitur, citius expediatur, ne tamdiu expectare iudiciorum tuorum censuras cogamur.

23 Et respondit ad me, & dixit, Non potest festinare creatura sup creatorẽ, nec sustinere sæculũ eos qui in eo creandi sunt, in unũ.

Duas ad hoc angelus rationes respondet. Non est hoc sæculum hominum, sed dei, non propter nos deus hunc mundum condidit, qui nunc sumus uel fuimus, sed propter seipsum, ut bonitatis suæ magnitudinem ostentaret creaturæ rationali, angelis & hominibus. Ipse autem æternitatis momentum indiuisibile habitat, omnibus temporum differentijs breuibus & prolixis coexistens. Nec aliqua creatura potest urgere deum, ut quod facit citius faciat, uel quæ agere decreuit, quacunq; ratione uel hominum uoluntate obmittat. Et ut humana tibi ratione occurratur, non potest terra ipsa quantumlibet lata & longa capere simul & semel omnes homines qui futuri sunt uel fuerunt in ea, ut necesse sit aliquos prius & alios posterius procreandos decernere, omnium rerum moderatorem deum omnipotentem.

Sæculũ dei non hominum.

24 Et dixi, Quo modo dixisti seruo tuo, quoniam uiuificans uiuificasti à te creatam creaturam in unum, et sustinebat creatura: potuit & nunc portare præsentes in unum.

Ad iam dicta sic Esdras denuo opponit. Sicut, inquit, per sacras tuas literas & ex lege tua, in principio dacui sti nos, uno tempore te dominum deum creasse, simul & eodem fermè tempore cœlum & terrã, mare & aridam, solem & lunam, astra & æthera, homines & iumenta, terrestria & aquatilia, & non unum aliquot annorum millibus post aliud: sic etiam potuisti omnes homines pari ter condidisse, unico iussu uoluntatis tuæ, ut etiam tota terra omnes in simul homines sustinere in hoc sæculo possit, si tu uelis, ut potes. Dicere seruo suo, est, per scripturas diuinas docere & alloqui studiosos & fideles.

25 Et dixit ad me, Interroga matricẽ mulieris, & dices ad eã, Et si paris, quare per tempus? Roga ergo eam, ut det decẽ in unum. Et dixi, Non utique poterit, sed secundum tempus.

Creare quidem similiter potest omnipotens deus infinitus, sed naturæ cursus quem deus semel instituit perpetuo duraturum non sustinet, nec capere potest, ut una mulier eodem tempore multos progeneret filios uel filias, sed per idoneum tempus, unum post alium, interuallis legitimis parit eos qui sunt generandi.

26 Et dixit ad me, Et ego dedi matricem terræ his, qui seminati sunt super eam per tempus. Quemadmodum enim infans non parit ea, quæ senum sunt: sic ego disposui à me creatum sæculum.

Sic suum terra modum percepit à creatore suo, ut non infinitos simul alat, sed secundum legitimam numeri proportionem & naturam, quo possint omnes pariter commode ali & uiuere. Matricem enim terræ uocat uim illi connaturalem producendi uegetabilia & sensitiua, hominum & animalia. Indidit enim eidem uim producendi fructus & animalia. Indidit enim eidem uim producendi fructus men, conseruandi ac alendi quicquid quomodocunq; uiuit super terram. Omnia autem non subito neq; simul, sed in tempore & successiue. Sicut enim non est eadem ætas senum & iuuenum, non eadem studia, sic nec eadem producuntur è terra diuersis temporibus, nec uno tempore pariter omnia, sed unum post aliud suo quoq; tempore.

27 Et interrogaui, & dixi, Cum iam dederis mihi uiam, loquar coram te: nam mater nostra, de qua dixisti mihi, Adhuc iuuenis est: iam senectuti appropinquat.

Precatur Esdras angelum, ut boni consulat colloquium suum, non iratscatur, si pergat adhuc quædam loqui, quandoquidem quæ hactenus dixit, tam æquanimiter passus sit dici, & tam benigniter dignatus respondere. Ideo consequenter addit: Mater illa omnium, de qua dixisti, terra scilicet alma, & tam benenola alumna omnium quæ nutriuunt, iuuenis quidem fuit olim, & adhuc satis uiuax & uigorosa est, ut multa alere ualeat, sed iam incipiet senescere, & ueluti uiribus exhausta pauciora producere uel cibare.

28 Et respondit ad me, & dixit, Interroga eã quæ parit, & dicet tibi. Dices eni ei, Quare quos peperisti, nũc nõ sunt similes his qui ante te, sed minores statura? Et dicet tibi & ipsa, Alij sunt, qui in iuuentute uirtutis natisunt:

sunt: & alij qui sub tempore senectutis deficiente matrice sunt nati.

Terra antiquatur.

Angelus infert, Tu potius terram quære, & protinus respondere tibi dignabitur. Sic autem interrogabis: Quî sit alma terra, ut homines & animalia quæ nunc profers & generas, magnitudine corporum & staturarum longitudine non iam æquent eos, quos ante nos duxit generasse conspiceris? Hoc enim cernere licet ex antiquis animalium multorum ossibus, gigantumq; coporibus, quorũ ad nos usq; ossa seruantur, quorũ similia nulla nunc uiuere conspicimus, aliqua terrarũ in parte. Ad hæc autem interrogata respondebit terra, & dicet: Alia olim corpora, & quidem magna ædere potui cum iunior essem, & creationi meæ proximior, pro uiuacitate uirium, quibus tunc potiebar, nunc uero proiectior ætate, debiliora produco corpora eiusdem generis, non aliter quàm uetula mater, exhausta pariendi uiribus, non tam fortes generat filios ut iunior consueuerat.

29 Consydera ergo & tu, quoniam minori statura estis præ his, qui ante uos, & qui post uos minori quàm uos, quasi iam senescentes creaturæ, & fortitudinem iuuentutis prætereuntes.

Corporum brevitas.

Hoc autem tam certò constat, ut nemo non uideat studiosus, longe minore statura constare homines nostri temporis, quam eos qui nos præcessisse uidentur. Vnde colligere est, posteros quoq; nostros futuros nostris quoq; corporibus breuiores: unde discere possumus mundum olim habuisse initium, qui nunc ueteraſcere aliquo modo cernitur, & exhauriri uirtute uel minui, quæ illi diminutio nõ nuper contingere cœpit, sed sic esse conditus conijcitur, ut finẽ quoq; aliquãdo sit habiturus, dum summo omnũ conditori placuerit renouandũ. Non ergo nunc, ut tu uolebas, oĩa simul constare possunt, per uirtutẽ producendi, sed omnia consequenter sunt producenda, quæ & denuo sint corrumpenda corporea, ut locũ præbeant sequuturis, omnũ creatori commodius uisum est, quàm quod tu minor sensu & opinione erronea censebas.

30 Et dixi: Rogo domine, si inueni gratiam ante oculos tuos, demonstra seruo tuo, per quem uisites creaturam tuam.

Aliam nunc Esdras quæstionem mouet, unde dignus fuerat hoc quod sequitur ex hoc uersu caput initiandũ. Desyderat autem audire ab angelo sermonem, de eo qui mittẽdus sperabatur saluator mundi: de quo Iacob in benedictionibus Iudæ prædixerat, & Messiam promiserat, per quem uniuersorum dominus suum mundum olim esset uisitaturus: hoc est, rationabiles creaturas homines saluandos, & angelos quo ad numerum instaurandos.

CAPVT VI.

ET dixit ad me: Initio terreni orbis, & antequàm starent exitus sæculi, & antequã spirarent conuentiones uentorũ, & antequã sonarent uoces tonitruũm, & antequam splenderent nitores coruscationũ, & antequam confirmarent fundamenta paradisi,

& antequã uiderentur decori flores, & antequam confirmarentur motæ uirtutes, & antequã colligerentur innumerabiles militiæ angelorũ, & antequam extollerentur altitudines aëris, & antequam nominarentur mensuræ firmamentorũ, & antequam æstuarent camini in Sion, & antequam inuestigarẽtur præsentes anni, & antequam abalienarentur eorum qui nunc peccant adinuentiones, & configurati essent qui fidem thesaurizauerunt: tunc cogitaui, & facta sunt per me solum, & non per alium: & finis per me, & non per alium.

Non statim ad interrogatum respondet, sed magnalia dei cuncta deprædicat prius, ut doceat nihil deũ non sapientissime agere et benignissime, inq; bonum quoq; eorum quos diligit, cui sese fideles per omnia cõmittere debent, & ipsi permittere solicitudinem de nobis regendis, qui id solus nouit, longeq; facit clementius, quàm nos desyderare possimus. Cui nihil in hac uita gratius exhibemus, quàm si resignati totaliter in illum, bona consulamus quicquid de nobis decreuerit, certi, nos amari ab ipso, propter quem & conditi sumus ab ipso, ut bonitate sua fruamur. Ideo non debeamus impatienter ferre suum circa nos ordinem, prouidentiæ suæ circa nos casus, sed tantum cogitare de illius implendo per nos beneplacito, reliqua fata nostra ab illius gratia pendere circa electos, iustitiam autem apud improbos. Vnde & sanctissimum eius ordinem, ab ipso institutum, duraturum tamdiu, donec sæculum persisteret, nemo poterit uel meliorem desyderare uel immutare, stat enim immobilis circa mundi regimen sacrosancta uoluntas omnipotentis & optimi, qui sua prouidentia & prædestinatione cuncta præordinauit antequam quicquam crearetur, ante mundi exordiũ præuidit, non tantum tunc creanda omnia, sed & totius mundi finem, cũ suo perpetuo processu, quæ omnia summa bonitate sic ordinauit, ut melius omnia constitui non potuerint. Sicut enim sanctissime uoluit, sic omnia facta sunt. Sola enim cogitatione & uoluntate creauit, ordinauit, & hactenus conseruauit hæc omnia. Nullum in hoc tanto opere sodalem uel cooperatorem, angelum uel deum in consilium euocauit, quando solus tunc erat, nec alium omnium conditorum & creaturarũ finem constituit, præter se solum, omnia enim propter semetipsum creauit altissimus. Ideo ad finem intentum à domino cuncta aptius ordinari minime potuissent, ut sibi homines temperent, stulti & parum scientes, à murmuratione contra dei opera. Difficili autẽ phrasi per multa membra eloquitur, prædestinatione sua sanctissima oĩa præordinata esse decentissime, & à se solo: antequam totus terrarum orbis, & mundi totius machina uerbo suo condita essent: antequam ordines huius uniuersi sæculi inchoati essent, & modi uiuendi hominum & animalium, qui exitus sæculi uel processus dicuntur: antequam spiracula tot uentorũ, de locis oppositis prodeuntium, sese impetendo cum horribili fragore colliderentur: antequam in nubibus uoces exaudirentur tonitruum horren-

Deo resignari homines.

Solus creator omnia prænouit.

dissimorũ, ex concussionibus nubiũ, ex exalationibus calidis & siccis coactarum: antequam coruscationum fulgura terrerent mortales, horrendo utore uel resplendentia uehementi et subitanea: antequã paradisi uoluptuosissimus hortus, hominu custodiendus & excolendus commendaretur, & à dei bonitate fundaretur, unde flumina nobilissima prodirent, ad irrigandas ubiq; terras, per omnes orbis plagas: antequam exornaretur terra pulcherrimis floribus, graminibus, arboribus, & arbustis: antequam uirtutes cœlorum inciperent influere suo motu in inferiores creaturas omnes, & ad hoc perpetuo agendũ confirmarentur: antequã omnia cœlestia illa et ætherea implerentur spiritualibus & intellectualibus creaturis, quæ terrestri mole minume grauarentur, sed substantia subtilissima constarent, tanto aëri subtiliores, quanto aër subtilior est aquis, & aquæ substantia terræ grositudine ex qua mortalis & terrestris homo et animal, quantumuis rationale, tamẽ per corporis molem depressus huiusmodi spirituales creaturas cognoscere in hac uita mortali & corpore tam molesto non potest, ut nõ propterea putentur nulla esse, quia à sensibus nostris, quibus intellectus noster nunc nutitur, comprehendi nõ possunt. Non propterea non est aër necessarius auiculis & iucundus, quia illum tam serenũ & iucundũ talpa ferre non potest, uel piscium plura genera. Ideoq; tam pauca & breuia, etiam in sacris literis, de statu & natura militiæ cœlestis uel angelorum ordinibus describuntur, hominibus nõ intelligenda. Sequitur: Antequam extollerentur sic altitudines aëris, ut diuiderent iuxta scripturã aquas superiores ab inferioribus, quæ aëris extensio uel expansio, iuxta Hebræos à nostris patribus firmamentũ est appellatum: antequam etiam mensuræ cœlorum decernerentur ab omnium plasmatore, ut haberent suam figuram, orbes, motum, progressiones, retrocessiones, eleuationes, & auges, iuxta astrorum quorundam uarios & mirabilissimos motus, per ecentricos & epicyclos, ut est compertum ab ingenuosis harum rerũ obseruatoribus: antequam etiam destinasset alicubi in terra locum diuinu cultus & modum, quem tandem tarde definuit in montem Sion, locum quem elegit sibi, ad miracula gloriæ suæ, diffamanda inde in totum orbem terrarum. Camin autem in Sion, significant, ut uidetur, sacra altaria, pro multis oblationum generibus, propter quæ fideles eum locum sanctissimum habuerunt, & umbilicum terræ appellarunt: antequã peruenuretur per lapsum temporis, iuxta motum astrorum, ad præsentes annos, hoc est, ante omnia tempora, quæ mensuræ sunt motuum: antequam præuaricationes tantæ, quæ nunc & interim fiunt, iusto dei iudicio talia odientis et auersantis, legitimis decerneren tur pœnis atq; uindictis: antequam tandem decernerentur præmia uel magis promitterentur electis & optarentur: ante, inquam, hæc omnia uoluntate mea condidi hæc omnia, solus ad finem, non quem tu uelles uel intelligis, sed qui mihi tunc & hactenus placet ac semper.

Paradisus uoluptatis.

Angeli.

Cœlestia astra.

2 Et respondi, & dixi: Quæ erit separatio temporum? aut quando prioris finis, & sequentis initium?

Occasione captata de tẽporibus à domino ordinatis, quæ uellet Esdras feliciora esse, & succedere se uiuente, quæ uellet Esdras feliciora esse, & succedere se uiuente, lætiora suæ genti quam zelabat, ut pastor pius & fidelis, iam aliam quæstionẽ mouet: quando scilicet tempora distinguentur et uariabuntur, ut quæ nunc mala sunt uel uidentur exulibus, aliquando feliciora & iucundiora futura sint redimendis. Quærit ergo rationes temporis, secundum quas unum finiri dicatur, & aliud inchoari.

3 Et dixit ad me: Ab Abraham usq; ad Isac, quando nati sunt ab eo Iacob & Esau, manus Iacob tenebat ab initio calcaneum Esau: finis enim huius sæculi Esau, & principium sequentis Iacob. Hominis manus inter calcaneũ, & manũ. Aliud noli quærere Esdra.

Difficilis responsio quæ duplicem sensum habere potest. Primus, Non distinguuntur tempora secundum bonum & malum, sed secundum homines bonos uel malos. Abraham habuit omne tempus suum bonum, quia bonus erat, omnia quæ in tempore illi accidebant læta uel tristia, bona & commoda erant, omne tempus uitæ suæ felix illi erat, intelligebat enim omnia geri et fieri ab optimo mundi conditore et ordinatore, qui uidit omnia quæ fecerat & ualde bona erant. Iacob autem & Esau uarie habuerũt tempora, unus bona, alius mala. Deuotissimus enim deo Israël, omnia boni consulebat, etiam quæ aduersa occurrebant in tempore, omnia illi lucrum erant, utcunq; mali & modici putarentur dies uitæ suæ, ab aliis, quod & uideri multis non negabat. Esau autem quam feliciter uiuere putaretur, de quo nihil scriptura aduersitatum cõmeminit, ut bonum tempus suum putarit, malum tamen erat, quia & ipse malus & inobediens tam parenti quàm deo, & ad inclyta bona Abrahæ & Isaac promissa non est electus uel prædestinatus: ut clarum sit oĩbus, tempora bona bonis, mala malis esse. Alias fortassis non alienus à litera sensus est magis philosophicus, ut temporis posterioris lapsus continuetur prosimitio ad finem iam exacti temporis per instantaneũ momentum & indiuisibile præsens. Haud longe aliter intelligendum, quàm ut cogitetur natiuitas Esau primogeniti, & Iacob illico subsequentis, & tenentis manu sua plantam prioris. Sic enim quodlibet tempus sequens iungitur præcedenti per præsens, nunc, uel instans, temporis connectentis posteriora prioribus, sicut manus Iacobi coniungebatur plantæ Idumæi. Sic nonnunquam eludendæ sunt à sapientibus quæstiones hominũ magis curiosæ quàm religiosæ. Cum aliud potius hic quærendũ fuisset, quomodo uiuendum in tempore, quomodo difficultates temporum per patientiam & longanimitatem ferendæ.

4 Et respondi, & dixi: O dominator Domine, si inueni gratiam ante oculos tuos, oro ut demonstres seruo tuo finem signorum tuorum, quorũ partem mihi demonstrasti nocte præcedenti.

Obmissis igitur quæstionibus iam motis, redit ad eam, qua signa futuræ redemptionis rogauerat in fine capitis quarti, quam nocte nuper transacta proposuerat, & re-

sponsum

sponsum acceperat, sese aliqua auditurum non de tempore uitæ suæ, qua superuicturus esset, quæ nulli prædicuntur diu ante obitum, sed de signis, quæ uentura sunt tempore Babylonicæ captiuitatis iam finitæ. De quibus quædam in principio quinti capitis loqui incœperat, sed non permissus tunc fuerat absoluere quæstionem, & ad plenum differre postulata. Alloquitur autem angelum cum multa reuerentia, propter eum cuius ad se internuntius erat domini dei exercituum, qui solus dominator est: angeli autem sunt administratorij spiritus, ad salutem missi propter eos qui sunt electi.

5 Et respondit, & dixit ad me: Surge super pedes tuos, & audi uocē plenissimam sonitus: Et erit sicut commotio, nec commouebitur locus, in quo stes super eum.

Præparat his uerbis angelus ad audiendum studiosius Esdram, iubens ab oratione surgere, & stare alacriter in pedes, ut auditat attente quæ permissione dei reuelanda sint ipsi ab angelo, maxime autem, quia auditurus sit suis auribus sonum uel tumultum maximæ commotionis, qua terra hæc uniuersa mouebitur, præter hanc istam tuam in qua stas, quæ ne numium expauescas, non mutabitur: hoc est sine tuo malo tota Babylon urbs & regnum, te superstite confusioni maximæ subiacebit & disperibit ad tuam tuorumq; salutem, quam tantopere postulas.

6 Ideo cū loquitur, tu non expaueas, quoniam de fine uerbum & fundamentum terræ intelligitur, quoniam de ipsis sermo tremiscit & commouetur. Scit enim quoniā finem eorum oportet commutari.

Cum uerbis nunc tibi deus loquitur, & olim tanta Babylonici regni commotione factis loquetur cum Chaldaica gente, tu non expaueſcas, iam enim de fine tui exilij loquar, qui Babylonis quoq; finis erit. Loquetur enim per me tibi dominus de fine captiuitatis, hoc est, uerbū de fine, de quo uerbo contremiscet fundamentum huius terræ, ubi illud de se dici intelliget. Totus enim hic sermo eis digna contra eam sententia. Sentiet enim ex hoc sermone finem suum instare, quem nemini crederet, & cogetur deinceps scire se non perpetuò tyrannidem scruaturam, quæ tanto tempore fideles Israëlitas tam indigne tractando calcauit. Vnde & longe infeliciora ei temporа subsequentur quàm hactenus est experta.

Contra Babylonem.

7 Et factū est, cum audissem, surrexi super pedes meos, & audiui, & ecce uox loquēs, & sonus eius sicut sonus aquarū multarū, & dixit: Ecce dies ueniunt, & erit, quando appropinquare incipiam, ut uisitem habitantes in terra: & quando inquirere iniquitatem habitantium in ea, & quando suppleta fuerit humilitas Sion: & cum superfignabitur sæculum quod incipiet pertrāsire, hæc signa faciam, quod prius uocem dixit plenissimam sonitus, hoc nunc nominat uocem loquentem horribiliter, & cum commotione magna, quasi si aquarū multarū sonitus audiatur. Horrenda enim impijs Babylonicis denuntiatura erat, iucunda autem fidelibus Israëlitis. Signa quæ postulas futuræ liberationis uestræ, quæ promisi ad orationem tuam, sic capias: Venient adhuc te superstite et uita commoda uiuente per ætatē, talia tempora, tunc, quando uisitabo hanc impijssimā terram, per iustum iudiciū meum iniustitiā suam, qua opressit maligna uoluntate sua eam gentem, quam ego iusto quidem iudicio meo decreueram pro peccatis modice puniendam, quod crudelissime numium Babylonici sunt prosequuti. Tunc autem uisitationis illius tempus aduenet primum, quando Iudæorum in Babylone captiuorum superbia fuerit humiliata, quando de pristinis impietatibus & rebellionibus fuerint emendati. Tunc enim statim tempus mutabitur, ut bonum succedat tempus Israëlitis, iam de malitia emendatis, & conuersis ad dominum, ut tempus bonum adsit bene uiuentibus. Et uicissim Babylonijs suum quoq; tempus mutabitur, ut qui bona receperant tempora, et in illis iniquissimi facti fuerant, & unde gloriam tantam accepissent ad honorem agnoscere noluerunt, eis tunc pessima tempora superuenient, cum maxima calamitate à Persis & Medis subito ut dictum est, opprimendis. Tunc illorum felix sæculum pertransibit & finietur, superuenet autem & incipiet diuturna miseria tanto maior & calamitosior, quanto inexpectatior post gloriam tantam. Visitatio Babylonis.

8 Libri aperientur ante faciē firmamenti, & omnes uidebunt simul, & anniculi infantes loquentur uocibus suis, & pręgnantes immaturos parient infantes triū & quatuor mensium, & uiuent & suscitabuntur.

Hæc aūt tunc signa ostendā. Libri illi in quibus facta pessima Chaldæorum & grauissima diuturnaq; crimina descripta sunt, corā deo et in conspectu totius mundi desuper iudicantis, tunc aperientur, et digna iudicabuntur tanta uindicta, quæ Babylon superuenet. Omnes simul gentes uidebūt, pro tantis malis iustissimā pœnam. Infantes loquētur uocibus suis. Hoc intelligi potest uel de parulis Babylonis allidendis ad petrā, secundū illud: Beatus qui tenebit et allidet parulos Babylonis ad petrā, ut retribuat eidem retributionē quā retribuerunt Israëlitis, crudelissima uoluntate et ira. Vel per paruulos intelligi possunt simplices & minores in gente qualibet, qui & ipsi dignā hanc retributionē esse consentient & fatebuntur. Tanta quoq; erit subitanea angustia ob captam noctu Babylonem tota in urbe, ut prægnantes à mensibus quatuor uel tribus, immaturos fœtus præ formidine sint edituræ, quæ tamē uiuere et tanta mala uidere cogētur.

9 Et subito apparebūt seminata loca non seminata, & plena promptuaria subito inuenient uacua: & tuba canet cū sono, quā cum omnes audierint, subito expauescent.

Subito aūt loca Iudaici quondā regni, quæ à septuaginta annis seminata non fuerant, accepta primo anno Cyri licentia & indulgentia redeundi, statim eodē anno in magna multitudine redibunt, & seminabūt hæreditatis suæ agros, qui sabbata sua peregerant per diuturnum sabbatum septuaginta annorum, & Babylonici regni & Cyri licentia.

urbis plenißima promptuaria ab hoſtibus Perſis et Medis euacuabuntur. Canet enim claſsicũ intra urbem tuba Cyri, quando Baltaſar genuo cum ſuis indulgẽs, in maximo luxu & faſtu, omnium minime ſe ab hoſte opprimendum putaſſet, intra mœnia tam potentißimæ urbis: unde & non ſolum ipſe ea nocte occidendus, ſed aula tota & uniuerſa ciuitas pariter omnes audientes expauerunt, et ſomno mortis oppreſsi ſunt in magnis anguſtijs.

10 Et erit in illo tempore, debellabunt amici amicos ut inimici, & expaueſcet terra cũ his: & uenæ fontium ſtabunt, & nõ decurrent in horis tribus:

Tunc in noctis illius tenebris, mutuis cadent cædibus ciues Babylonici, & iudicio diuino alterutrum pro Babylonica confuſione trucidabunt, ut eis rependatur ipſorum crudelitas, quam exercuerunt in Ieroſolyma & cæteris Iudææ & aliarũ nationũ urbibus. A tanta Babylonicæ cladis ſæuitia tota terra expaueſcet, quãdoquidẽ id fieri potuiſſe nemo hominũ cogitaſſet. Venæ fontium in urbe ſtabunt, & intercidentur aut replebuntur foſſæ, ne poſthac apta duret felici habitationi. Niſi quis hanc ſtationem fontiũ interpretandam uelit de diuiſione Euphratis in alueos plures, ut ea parte urbis exercitus Cyri ingredi potuerit, donec aliquot horis capta urbs fuerit.

11 & erit, omnis qui derelictus fuerit ex omnibus iſtis quibus prædixi tibi, ipſe ſalua bitur, & uidebit ſalutare meum, & finem ſæculi ueſtri.

Iſraelis redemptio.

Poſt hanc urbis tantæ deſtructionẽ & captiuitatem, omnes in toto imperio non ſolum Babylonico, ſed etiam Cyri & Darij Iſraëlitæ, qui relicti fuerant exules, ſaluabuntur: hoc eſt, facultatẽ ad propria redeundi accipiẽt, domino procurante per Cyrũ, quod dudum prædixerat per Iſaiam. Ex quo tempore ſaluabitur Iuda & Iſrael, & uidebit ſalutare dei, & finem infelicis ſæculi ſui, principium aũt felicioris & beati, cum denuo templũ & urbẽ Ieroſolymis extrui cernent, quanquam in anguſtia temporum. Finis aut temporis feliciſsimi tunc erit Babyloni, quam tu nunc tantopere felicem et triumphantem quærularis: utrinq; enim finis erit, & calamitatis ueſtræ, et magnificentiæ Babylonicæ, hic erit finis ſæculi ueſtri.

12 Et uidebunt qui recepti ſunt homines, qui mortem non guſtauerunt à natiuitate ſua, & mutabitur cor inhabitantiũ, & conuertetur in ſenſum alium. Delebitur enim malum, & extinguetur dolus.

Qui ab hoc ueſtro exilio ſeruabuntur in uita, & ſaluabuntur redituri in Iudæam, qui illos tales ſalutis annos attigerint, & redire maluerint ad dominu hæreditatem, quàm remanere in gentium terris, iſti cordibus ſuis mutabuntur, & cum gaudio maximo facti erunt conſolati. Tunc repletum erit gaudio os eorum, & lingua ipſorum exultatione: uenientes enim uenient cũ exultatione, portantes manipulos ſuos. Reuertentur enim in alium ſenſum, cum conuerterit dominus captiuitatem Sion, ut facti fiant conſolati. Delebitur enim tunc malum per anthonomaſiam, hoc eſt Babylonicum regnum, & iugum omnium populorum. Et qui uſq; ad id tempus doloſe egerant Iudæi, ad dominum fideliter conuerſi, ædificabuntur, & gratiam domini aſſequentur.

13 Florebit autem fides & uincetur corruptela, & oſtendetur ueritas quæ ſine fructu fuit diebus tantis.

Fides per Iudæos.

Poſt deletum hoc malum unuerſale & perfidiã exterminatam, quid aliud reſtaret, quàm fidei profectus & floritio? quæ peruaſit regem uictorem Cyrum, & totum regnum ſuum, ſimiliter Iudæos paſsim diſperſos, qui iam dei ſui promiſsiones impleri cernebãt, manumiſsi ad ſuas hæreditates, quod eorum plurimi credere noluerunt. Sic denuq; pro non modica portione idololatriæ corruptela incœpit, dum unius dei gloria celebrari cœpit, eatenus, ut etiam ex gentilium regum & populorum diuitijs munera traderentur pro templi Ieroſolymitani reædificatione. Veritas quoq; cœpit inclareſcere multis modis: ut ob laudem & cultum ueritatis, in tertio libro Zorobabel apud Darium gratiam inſignem inuenerit, & natus fuerit ſplendidam oportunitatem redeundi ad propria, & domini templi perficiendi. Quæ ſanè ueritas, utcunque apud Gentes agnita eſſet, & ſenſu communi percepta, tota tamen fuit apud illos infructuoſa, quia fide & pietate non ornata.

14 Et factum eſt cũ loqueretur mihi, & ecce paulatim intuebar ſuper eum ante quẽ ſtabam, & dixit ad me hæc: Veni tibi oſtendere tempus uenturæ noctis. Si ergo iterum rogaueris, & iterũ ieiunaueris ſeptem diebus, iterum tibi renuntiabo horũ maiora per diem quam audiui.

Præparatio quædam eſt ad aliam uiſionẽ. Super eum intueri, eſt diligenter aſpicere & intendere. Promittit autem ſe denuo uenturum, in aliqua noctium uenturarũ, ſibiq; plura reuelaturum quæ cupiat noſce, ſi illud præcibus, ad quas diſponit ieiunium, obtinere nitatur: id uero non ſemel tantum orando, ſed aſsidue & perſeueranter cum humiliatione mentis & corporis.

15 Audita eſt enim uox tua apud altiſsimũ. Vidit enim fortis directionẽ tuam, & prouidit pudicitiam, quam à iuuentute tua habuiſti: & propter hoc miſit me demonſtrare tibi hæc omnia, & dicere tibi: Confide, & noli timere, & noli feſtinare cum prioribus temporibus cogitare uana, ut nõ properes à nouiſſimis temporibus.

Huiuſmodi orationibus iam ſæpe impetrauerat audiri Oratum re multa & ardua, penetrant enim nubes, & ad dominũ in-ſe. peruenunt piorum & humilium uota, pro fraterna charitate zelantium pro electis. Videt et conſyderat omnipotens ſynceritatem animi, quæ dicitur hic cordis directio, quod nihil curioſum intendat, nihil ad uanam gloriam uel quæſtum, ſed tantum pro gloria dei ſui, ad quæ putaret proficere, ſi populus dei, & peculium ab antiquo, & ſanctißimorum patriarcharum poſteritas, paulò felicius ſe haberet, & ſcandalo nõ eſſet in mundo impijs & riſui. Pudicitiam intelligit modeſtiam & prudentiã carnalis-

carnaliumq; desyderiorum mortificationem, ut totum se traderet orationi, lectioni, uel doctrinæ pro suo potulo, quem cõmendatum susceperat, cuius pastoralem curam gerebat. Sperandum est de bonitate domini, dum oratur, alioqui nihil proficitur: sed non est nisi pro licitis & ad sanctificationem diuini nominis pertinentibus orandum. Non timendum seruiliter, ne minus ad dominum orationibus liceat prouocare propter peccata: quandoquidem non propter iustos dominus angelos mittit, sicut nec filium, sed pro reducendis peccatoribus. Noli festinare, hoc est, temere & inconsulte quicquid subito inciderit effutire de iudicijs Domini: nec tibi persuadeas aliqua ratione tempora abbreuianda, quæ per prophetas à domino reuelata sunt, ad suum tempus perficienda. Sicut enim uel Ieremias septuaginta annos prædixit duraturam captiuitatem, uel Danuel septuaginta hebdomadas, utrumq; dei uerbum cum sit mutari non potest, nec abbreuiari, quin necesse sit labi tempus, & contra hoc dei institutum serioſe & absq; conditione adiecta non orandum etiam sanctis.

16 Et factum est post hæc, & fleui iterum: & similiter ieiunaui septẽ diebus, ut suppleam tres hebdomadas, quæ dictæ sunt mihi. Et factum est in octaua nocte, & cor meũ turbabatur iterato in me, et cœpi loqui coram altissimo. Inflammabat enim spiritus meus ualde, & anima mea anxiabatur, & dixit:

Audiens Esdras bonam uoluntatẽ domini, ad secretorum reuelationẽ audentior, seſe adaptat orationibus & ieiunijs, per non modicũ tempus, integra scilicet septimana, perfecto numero. Quia autẽ exaudiendus erat, ideo efficaciter orandi gratiam accipit, & deuotione uehementer permouetur. Suppleuisse tres hebdomadas dicitur, quia iam ante duabus seſe ad orationẽ adfixerat cũ fletu & solicitudine, pro populo dei, cui pastor fuerat assignatus. Nocte autem turbatur, quia in somnis erat alloquendus ab angelo, ideo uigilans orabat, cogitando attente de domino, à quo esset in somnis instituendus. Præuenendus est enim somnus sanctis meditationibus, ne improbiora fantasmata locũ inueniant in dormiente. Hinc dicitur, studiosorum somnia meliora esse quàm uitiosorum, hinc & somnia à domino imputari possint, propter præcedentes indignas bono uiro cogitationes. Orationes ad dominum fiant serioſe, non frigide uel pro more tantum, aut sine affectu. Ideo hic Esdras spiritu inflammatur, & anxie orat, quia exaudiendus erat.

17 O domine, loquens locutus es ab initio creaturæ in primo die, dicens: Fiat cœlum & terra: & tuum uerbum opus perfectum.

Omnipotentem oraturus, beneficia cõmemorat creationis omnium rerum, ex fide sapientiæ & bonitatis diuinæ, edoctus ex lege & patribus sanctis. Ab initio creaturæ dicit, secundum primum uerbũ legis: In principio, hoc est, cum nondum cœpisset prima dies, dixit dominus: & facta sunt cœlum & terra, opus perfectum, quod à primo die creari cœpit perficiendum in sexto, ut omnũ quæ sequuntur summa dicta uideatur, more Hebraico, breui proloquio, quasi dicturus: Sic à principio condita sunt omnia ab omnipotente deo, per uerbum suum, quo dixit et facta sunt cœlum et terra, hoc est totus mundus, qui cœlum & terram complectitur, & quæ in illis continentur. Nec loquitur deus ut homines uel angeli, sed dicere suum, hoc est uelle, opus perfectum est. Statim enim ut dixit, facta sunt omnia, quæ uoluit. Executiua alia uirtute, præter uoluntatem, deus nulla indiguit: uelle enim eius est facere.

18 Et erat tunc spiritus, & tenebræ circumferebantur, & silentium, sonus uocis hominis nondum erat abs te. Tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum.

Et erat cum uerbo apud deum etiam spiritus, unum principium creationis omnium, nõ multa per essentiam, sed proprietate quadam hominibus inenarrabili. Erat suffusum cœlum & terra tenebris, & rudi forma, sine fructu & ordine, priuata adhuc lumine, quod primum fieri debebat, ut species rebus non sine causa accederet: quid enim forma in rebus est sine omni lumine? Formas ergo materiæ impressurus, præmittit lumẽ aliquod: quod quale fuerit ante solem, difficile est explicatu. Silentium autem illud intelligitur priuatio formarũ, quæ adhuc rebus aderat, nondũ additis formis, multo minus tunc uox erat in rebus, quæ ex aëris repercußione nondum possibili ædenda erat, quia nondum homo creatus erat. Tunc addidisti uerbum tuum ut iuberetur fieri lux, hoc est aliquid quomodocunq; luminosum, quo triduum primum conficeretur. Qualecunq; hoc fuerit, opus tamẽ domini erat, & necessarium rebus formandis consequenter. De quibus omnibus subtiliorem disquisitionem permitto doctoribus, nobis sat est simpliciter intelligere scripturas.

19 Et die secundo creasti spiritũ firmamenti, & imperasti ei ut diuideret et diuisionem faceret inter aquas, ut pars quædã sursum recederet, pars uero deorsum maneret.

Spiritum firmamenti habent codices quidam, pro specie numerum & pulchritudine, quæ est in latißima expansione earum uisibilium rerum, quæ supra nos omnia æthera uocamus & cœlum, & uisibilem à nobis aërem & terris proximiorẽ, qui dicitur hic et in Genesi interstitium inter aquas superiores & graues, & inter aquas supra aërem existentes in sua causa. Quæ duplices uocatæ aquæ, firmamento & æthere suo modo nobis quoq; inexplicabili distinguuntur, quarum pars quædam sursum recederet, defluitura in pluuias, pars uero deorsum maneret. Nisi omnia iuxta modulũ communis sensus hominum dicta & intelligenda accipiantur, ut uidemus aquas defluere non posse, nisi in superioribus præextitisset, hominibus prospera & aduersa magna illaturas.

20 Et tertia die imperasti aquis congregari in septima parte terræ: sex uero partes siccasti & conseruasti, ut ex his sint coram te ministrantia seminata à deo, & culta. Verbum enim tuum processit, & opus statim fiebat.

Aquarum proportio cum terra.

Septimam partẽ terræ æquare uidetur aquis, ut tunc erant, quod iuxta traditiones maiorum dictum suspicor, quod nihil tale adiunctum alibi legimus in canonicis literis, quando scimus multa olim dicta apud Iudæos, quæ ut canonice credi oporteat non proponuntur. Verisimiliora autẽ sunt hæc, quod aquam totam terræ septimam partem æquare credamus, quàm quæ nobis tradiderunt philosophi, nempe decuplo terra maiorem esse aquã, uel orbem aquarũ, sicut & aërem decuplo aquis, & ignem decuplo excedere aërẽ: quanto uerisimilius uidemus & intelligimus, oĩbus admonuti sensibus, aquam ut nunc est cõpactior, longe minorẽ locũ occupare quàm terra ipsa tanta mole distenta, cũ nullibi oceani perueſtigatores nõ inuenant fundũ & deprehendant subesse, etiam si non sufficiant ubiq; funes. Vt non sit irrationabiliter dictum, multis admodũ partibus minorẽ esse molẽ aquarũ quàm terræ, cum incertam multitudinẽ septenario nominet hic author post patrum sententias. Aliquot autem terræ partes creator dñs sic disposuit, ut nõ obrueretur aquis, sed tantum irrigaretur, ut apta præberetur uiuentibus, quæ sine aquis non possunt subsistere, & terra sine aquis fructificare non potest, quia nec seminari utiliter. Quanquam ne seminata quidem terra fructus profert, nisi à domino culta, cui soli debetur omnis prouentus, tam hominum laboris, quàm influentiarũ cœlestiũ, à quo solo oranda et impetranda erit fertilitas terræ hoĩbus necessaria.

21 Processit enim subito fructus multitudinis immensus, & concupiscentiæ gustus multiformes, & flores colore immutabili, & odores odoramẽti inuestigabilis: & die tertia hæc facta sunt.

Domino soli referenda sunt accepta, quæ nos homines accipimus de terra. Verbo enim domini proferuntur omnia, unde procedit iubente deo fructuũ immẽsitas, utilitas, iucunditas, oblectatio omnium sensuum, tam uisus q̃ gustus & oderatus, in pulcherrimis floribus, & suauissimis odoribus, simul & gratiosissimis gustui. Quorũ omnium legitima ratio sic imperuestigabilis est, ut soli admirationi creatoris omniũ, locus rationabilibus creaturis relinquetur, usus aũt etiam cæteris animantibus. Flores dicuntur esse colore immutabili: hoc est, qui ab humana ui uel arte mutari non possunt, ut sint elegantiores quàm natura ædit. Et hæc quidẽ facta omnia narrantur die tertia. De sex diebus operum diuinorum, quãdo scilicet terra iussa est producere herbas, flores, gramina, frutices, arbores, olera, & quicquid fructum ædere potest, cum suo semine, quo seipsum deinceps seminet, iuxta genus suum sese conseruando, omnia autem uirtute omnipotentiæ inexhauribili, quæ & omnia tunc à domino uisa bona sunt pronuntiata, & sic benedicta.

22 Quarto aũt die imperasti fieri solis splendorem, lunæ lumen, stellarum dispositionem: et imperasti eis, ut deseruirent futuro plasmato homini.

Sine curiosa uerborũ proprietate loquitur, ad sensum tantum aspiciens, omnium prophetarum more, alioqui non splendor solis tantũ productus est tertio die, sed corpus illud eximie splendidum, & simul stellæ, & reliqua astra omnia, suum à sole splendorem recipientia: sic & lumen lunæ productum dicitur, hoc est luna, ut resplendentia radiorum solis dimidia illustretur semper, nisi obstet terræ opacitatis umbra in Ecclipsi, quæ dicitur lunæ. Et stellarum dispositionem, discrimen in lumine, magnitudine, situ, & influentia nominat. De quibus authores non indigna tradunt quædam, quanquam & excedant nonnihil curiositate sua, dubia tradendo pro compertis. Omnibus autem istis etiam cœlestibus creaturis suis multo magis uel æque terrestribus mandauit dominus, ut hominu seruiant ad usum necessarium, & utilem, quatenus ipse homo seruiat domino deo suo, à quo se nouit tanta percepisse beneficia, ut maiora capere non potuerit. Stellarum productio. & quomodo.

23 Quinto autem die dixisti septimæ parti, ubi erat aqua cõgregata, ut procrearet animalia, & uolatilia, & pisces: & ita fiebat: aqua muta, & sine anima quæ dei nutu iube bantur, animalia faciebat, ut ex hoc mirabilia tua nationes enarrent.

Quintæ dici opera diuina in aquis relucent, non tam marinis uel oceani, sed fontium & fluminum, ex quibus uirtute dei illis indita uaria producuntur animalibus, quorum quædam semper aquas habitant, quædam tamẽ pro sustentatione et recreatione utuntur, sine quibus nec generantur nec aluntur, nec crescunt, nec etiã conseruari possunt: unde non est locus conueniens animantibus, ubi prorsus nulla est aqua ad minus rorida. Septimam uero partẽ terræ aquã indicat, quia ubiq; nititur terra, & ab ea sustentatur, cum ipsa operatur uaria, sine quã fermè nihil terra producit. Producuntur aũt ab aquis nõ sine auxilio terræ animalia uaria, aues nominatim & pisces, ea conditione, ut aues quidẽ semper aëre fruantur, quo nõ uiuunt, aquis tamẽ potãtur. Sic pisces aquis semper fruuntur, tamen sine respiratione aliqua captata suo modo ex aëre nõ subsistunt. Facere aũt animalia dicitur ipsa aqua, quia uirtutẽ agendi à creatore accepit, qui ut est in omnibus prima causa, sic ad omnium actionem prius accedit, ut mirabilia cuncta maris & aëris, qui humorem participat maris uel aquarũ, non mari ostẽdantur, sed deo, qui mirabilis est in oĩbus operibus suis. Aquarum creatura.

24 Et tunc cõseruasti duas animas, nomen uni uocasti Enoch, & nomen secundæ uocasti Leuiathan, et separasti ea ab alterutro. Non enim poterat septima pars, ubi erat aqua congregata, capere ea.

Ex hoc loco fabulam accipiunt Iudæi ridiculam, de certe grandissimo creato cum sua fœmella, quam tamen statim deus occiderit, & carnes eius salierit, reseruetq; pro cibo beatorum in patria, addentes facti aliam rationem, quia pro corporis utriusq; uasta magnitudine, si numero magno excreuisset hæc species, & in multa individua, periculũ futurũ erat, ne mũdus totus aquis occuparetur, & terra pateretur diluuium perpetuũ. Sic philosophantur Iudæi pro omissa unica litera Iod, in nomine יעבץ quod cete transferunt. Longe uerius, quia simplicius exponuntur, tam primum caput Geneſis, quàm hic locus de Fabula Iudæorum de cete.

duabus animabus, hoc est fastißimorum corporum duorum animalibus, quorum unum ibidem dictum בהמות grande scilicet animal terrestre, quod hic nescio qua ratione Enoch dicitur, fortaßis olim Behemoth dictum. Nomen autem alterius animalis, magnæ molis ut sunt uarij generis magu pisces in mari, balenæ & cete. Quæ omnia hic et in Genesi generali nomine dicuntur תנינים, alibi Leuiathan maximus serpens, quod serpat & moueatur in aquis, animal fortaßis ad nihil utile, nisi ad subuersionem nauium, ut non sine causa satanas ei aßimiletur inimicus hominibus. Sunt huiusmodi quidem grandia animalia à domino sic separata, ut non multum conueniant, nec multam prolem ædant, ne cæteris animalibus obsint, & ea capere mare & arida uniuersa cum tranquillitate non poßit. Omnia enim constituit deus in numero, pondere, & mensura, ut harum fabularum Iudaicarum minime egeamus, sed omnia reijcianus in sapientiam & bonitatem diuinam, qua omnia sic condita sunt à deo, ut sint ualde bona.

Duæ animæ

25 Et dedisti Enoch unam partem quæ ficcata est tertio die, ut habitet in ea ubi sunt montes mille. Leuiathan aũt dedisti septimam partẽ humidã, & seruasti eam, ut fiat in deuorationẽ quibus uis, & quando uis.

Beßijs illis magnis & iumentis, quales sunt elephantes & uri uel reliquæ maiores, quæ fortaßis olim & adhuc alicubi sit inuenire, designauit terram, hominibus non habitabilem, ut & בהמות dici poßint, sicut & maxima maris animalia לויתן dicta leguntur. De montibus mille quid dicendum non inuenio, potest tamẽ pro mille dicendum fuisse אלף magnus principatus, & ducatus illius generis, pinguißimum quoddam animal, & ueluti sunt boues maximi, eximia animalia in montibus, ubi monstra sunt animaliũ, ut alicubi inuenta conspicitur ex immanibus oßibus uetustißimis. Iudæi & aliam fabulam de Behemoth boue maximo fingunt, qui omni die deuoret gramina mille montium. Ex quibus fabulis hoc colligere possumus, olim lectum fuisse ab illorum doctoribus hunc librum, sed quia de gentium uocatione, & de Christo uero deo et homine, gentium omnium saluatore clariora dicit, quàm illis placere poßit induratis in odio cõtra Christum, hunc supprimere librum studuerunt pro uirili, quem tamen prouidentia dei, & spiritus diuinus in sanctis, non est passus perire ecclesiæ, utcunq; sine hoc libro, sicut & sine cæteris quibusdam, dogmata Christiana consistere poßint. Singuli tamen iuuant, & testimonia reddunt ueritati cõtra Iudæorum perfidiam. Quod Leuiathan maximum piscem dicit seruandum in cibum, quibus uelit, sanè intelligi potest, eiusmodi pisces, suo tempore morientes, quando immortale nihil est quod est corporeum, & elementis compositum, fieri in utilitatem cæteris beluis marinis, qui inde & à talibus nutriri possunt, ut lucios nutriri scimus, & alios pisces à corporibus uiuorum & mortuorum animalium, ut non necesse sit comminisci tam stulta Iudaica mendacia, qui ut uidere est apud illorũ tractatores, cum uoluptate meri ßiri consueuerunt suis auditoribus, & maxime ridicula scribere non uerentur, quando semel mendaciorum patri sese addixerunt, ueritate negata, quæ Christus dominus est ab illis crucifixus, & coram Pilato abnegatus.

Authorita- tes libri quos reiicimus.

26 Sexto autem die imperasti terræ, ut crearet coram te iumenta & bestias, & reptilia: & super his Adam quem cõstituisti ducem super omnibus factis quæ fecisti, & ex eo educimur nos omnes, quemq; elegisti populum.

Ex Genesi satis patet, quod hic dicitur, nisi quod non similiter iumenta & bestiæ terrestres facta sunt de terra ut Adam, qui manibus dei plasmatus est de puluere, & inflatus diuino & immortali spiritu, hoc est qui felicitatis in deo capax fiat. Hominem autẽ illum ducem & dominatorem constituit omnium, quæ fecerat, unde & terram agnoscunt omnes homines suam originem, æque boni & electi, sicut impij & damnandi ob inobedientiam.

27 Hæc autem omnia dixi coram te domine, quia propter nos creasti sæculum. Residuas autem gentes ab Adam natas dixisti eas nil esse, & quoniam saliuæ assimilatæ sunt, & quasi stillicidium de uase similasti abundantiam eorum.

Propter nos inquit, ô deus, constituisti sæculum, non ut Iudæi iterũ fabulantur nimirũ ex hoc loco seducti, quasi solius Iudaici populi respectu & ratione constitutum sit sæculum, sed propter electos, sanctos, pios dei cultores, qualis non tantum Abraham fuit & carnale semen eius, sed in omni natione & gente, qui credunt in dominum, & Abrahæ fidem & iustitiam imitantur pro uirili, & gratia dei adiuti. Hi sunt sancti & fundamenta mũdi, propter quos deus sæculum creauit & seruat, quod alioqui pro impiorum demeritis nõ aliter uastandũ esset, quàm olim Noë temporibus per diluuium. Residuas gentes ingratas domino deo suo, & illius timorem abijcientes, creaturasq; potius amantes quàm creatorem, nihil æstimat creator dominus & moderator, non computat in sorte suorum filiorum, sed maledicit cum socio illorum satana, cuius maluerunt uoluntatem perficere, quàm dei optimi & maximi. Eos impios & uerbo domini nil credentes, saliuæ aßimilat abominabili, ut proijciantur cum ignominia, calcentur pedibus, deleantur ut peßimi. Qui quamlibet multi sint, non tamen grati esse possunt, sine fide & charitate, sed quasi stillicidium de uase sic pereunt, ut calcentur & non colligantur in sortem electorum, quos dominus in suum consortium beatificandos asseruat.

Fundamentum mundi & eius saliua.

28 Et nunc domine, ecce, istæ gentes quæ in nihilum deputatæ sunt, cœperunt dominari nostri, & deuorare nos autem populus tuus quem uocasti primogenitũ unigenitum æmulatorem tuum, traditi sumus in manibus eorum: & si propter nos creatum est sæculum, quare non hæreditatem possidemus cum sæculo? Vsquequo hæc?

Querela non indigna utitur in orationis fine, qua et ab initio, idem instituit orare, ut suo populo aliquando

concilietur, & fiat propitius: gentes autem impias compescat, ne semper Israelitas conculcent, & tractent crudeliter Primogenitum quidē deus uocauit Israelem, quia ex illius semine, omnium rerum principium, & ante omnes creaturas primogenitū uoluit incarnari, eundem sibi in peculiarem populum deligere, quem toti mundo statueret in exemplum bonitatis & iudicij, charitatis & iræ. Quod autem eorum dominati sunt populi infideles, hoc pro eorum infidelitate promissum ut fuit, sic explere debuit. Vnigenitum uocat Israelem, non quod solum Iudæos creauerit, sed ut unigenitum amauit. Illi autem ut unicum creatorem suum, nunquam coluerunt, sed seipsos, & Baalim. Vocauit quidem dominus unigenitum primogenitum & æmulatorem, tales enim illos esse decebat pro beneficijs infinitis, quibus similia non fecit omni nationi, & iudicia sua non manifestauit gentibus alijs, donec orbi uniuerso declaratum est, eos esse & semper fuisse contemptores dei, & uerbi sui. Gentes autē in auditu auris obediuisse domino, & obediuisse salutis euangelio, Abrahæ quoq; Isaac, & Iacob hæreditatem translatam esse ad filios Abrahæ nō iuxta carnem, sed in fide, quæ iustificat, & amicos dei constituit homines undecunq; natos, ut & de lapidibus fieri potuerint filij Abrahæ. Traditi quidem semper uidentur pij in impiorū manibus, sed non nisi peccantes, statim eximendi dum resipuerint. Iudæi autem dei ueritatem & iustitiam odiunt, & non cessant blasphemare in Christo, qui nō illis id est quod cupiunt, sed tantum à pijs & electis agnoscitur & amatur. Fallitur Esdras ut cæteri hominum, si propter Iudæos carnales putet conditum sæculum: propter amicos autem dei, & electos à constitutione mundi, quorum Christus caput est & primogenitus, satis constat creatum esse mundum. Verè autem fideles nō requirunt hæreditatem suam posßidere cum sæculo, sed extra sæculum istud in regno potius cœlorum quàm terrenorum, qualia terrena semper tantum Iudæi desiderant. Vsquequo, inquit, hæc sic se habebunt, ut miseri à te relinquamur, & intra impias has gentes captiui?

Vnigenitus Israel dictus

Iudæorum conditio.

CAPVT VII.

1 ET factū est, cum finissem loquī uerba hæc, missus est ad me angelus, qui missus fuerat ad me primis noctibus, & dixit ad me, Surge Esdra, & audi sermones quos ueni loqui ad te.

Angelorum officium.

Familiares angelos deus facit, & ordinat eis qui fideliter ministrant ecclesiæ, qui diligunt eos, quos illorum dominus diligit, & seruiunt fideliter eis pro quibus unigenitum suum dare nō est dedignatus. Mittuntur autem angeli ad reuelandum mysteria dei, ad instigandum ad sacra exercitia, in quibus angelis etiam dominus agit, sed ut causa prima per secundas, dominus per ministros. Iam aliquot noctibus oranti miserat angelum dominus, sed quia perseuerat in oratione & ieiunio, continuo quoq; consolatio mittitur. Ab oratione aliquantisper iubet desistere, ut audiat quid ad eum loquatur dominus pro cāptu illius, qui & inter infirmos computandus erat, & in carne adhuc uiuentes, non sine culpa.

2 Et dixi, Loquere deus meus. Et dixit ad me, Mare positum est in spacioso loco, ut esset altum & immensum: erit autem ei introitus in angusto loco positus, ut esset fluminibus. Quis enim uolens uoluerit ingredi mare, & uidere eum uel dominari eius: si non tranfierit angustum, in latitudinem quomodo uenire poterit?

Vide pag. 2. col. 2.

Deum nominat cuius beneficia sentiebat in ministro. Nisi uerbum dominu olim incarnandum intellexerit, loquens in angelis ad prophetas et patres ab initio mundi. Dixit ad Esdram uerbum dei, dominus per angelum, docere illum uolens, Sanctos homines, electos quidem ante mundi exordium, ad æterna & magnifica dona, immensáq; beneficia: sed tamen illuc peruenuri non posse, nisi per magnos labores, uel multas angustias, quādo angusta ualde uia est, quæ ducit ad uitam. Vnde & omnes huius mundi aduersitates, uia sunt, sed angusta & arduā, perueuendi ad gaudia sempiterna & cœlestia. Ad latitudines gaudiorum non peruenturur nisi per angustias dolorum: & ad immarcessibilia dona, ad cœlestem patriam, ad Hierosolymam beatam, non peruenturur nisi per mortem carnis, per huius mundi miserias, per Babylonicas captiuitates. Vnde & Christus aliam uiam nō transiuit nec docuit, dicens: Oportebat pati Christum, & ita ingredi in suam gloriam. Granum frumenti nō multiplicatur, nisi prius in terra moriatur. Ad id docendū, angelus duplici primū utitur similitudine. Prima, quod ad latitudinem maximam maris non peruenitur nisi per fines tium, torrentium, fluuiorum angustias multas et longas.

3 Item aliud, Ciuitas est ædificata, & posita in loco campestri: est autem plena omnium bonorum: introitus eius angustus & in præcipiti positus, ut esset à dextris quidem ignis, à sinistris aqua alta: semita autem est una sola inter eos posita, hoc est inter ignem & aquam, ut non capiat semita, nisi solummodo uestigium hominis.

Secunda est similitudo, ad probandum institutum, ut dicat, regnum cœlorū aliter non se habere, quàm uti amplissima urbs, plena omnibus bonis & gaudijs, amicis & fautoribus, ad quos & ad quæ anxij hoīes certatim contendant ingredi, sed uia quæ ad eandem urbē sola ducit et unica, arctissima est, et multa solicitudine incedenda, non sine maximis periculis, quandoquidē angusta ad illū urbem dirigat semita, ut sit à dextris ignis quidē impenetrabilis, à sinistris autem aqua altissima, & impermeabilis. Si autem dabitur ciuitas homini in hæreditatem, si nunquam antepositum periculū pertransierit, quomodo accipiet hæreditatem suam? Et dixi, Sic domine.

4

Cœlestis ergo habitatio & regnum cœlorū, cum donata sit homini, & promissa in hæreditatem, superna Hierosolyma, plena omnibus gaudijs & æternis, à nullo consequi potest uel adiri, nisi per multas & graues angustias

gustias, quas qui transire recusauerit, ad hæreditatẽ nun quam penetrabit propositam & promissam. Sic promissionis terram Israel ingredi non potuit, nisi per quadraginta annos eremum perpessus esset. Et non sine præliis multis contra hostes truculentos, & non sine pressuris multis & tonsionibus expoliuntur lapides, in cœleste ædificiũ collocandi. Omnes sancti multa passi sunt, ut ad coronas sibi à domino destinatas peruenirent.

5 Et dixit ad me, Sic est & Israel pars. Propter eos enim feci sæculũ: & quando transgressus est Adam constitutiones meas, iudicatum est quod factum est. Et facti sunt introitus huius sæculi angusti, & dolentes & laboriosi: pauci autẽ & mali, & periculorum pleni, et labore magnopere fulti: nam maioris sæculi introitus spatiosi & securi, & facientes immortalitatis fructum. Si ergo ingredientes non fuerunt ingressi qui uiuunt, angusta & uana hæc: non poterũt recipere quæ sunt reposita.

Applicat similitudines præmissas, quasi dicat: Sic nõ potest Israel assequi suam hæreditatem, & gloriam maximam quæ manet illum, nisi per multas angustias ferendas. Sæculum quidem creauit propter sanctos, & ante mundi constitutionem prædestinatos ad gaudia æterna, ad quæ ego creaueram omnes quidem homines, ex æquo omnia tradens naturæ dona, quibus uoluntati meæ per omnia complacẽdo, ad propositum beatitudinis regnum peruenirent. Sed statim Adam primus latissimam uiam non incedens angustas potius elegit sibi in hoc sæculo, & tortuosas semitas, laborum plenas, & insuper admodum paucas & periculosissimas, non tam tuti quàm impediti itineris ad gloriam ueram. Sed & imprudentia Adæ contigit, ut & in hunc mundum introitus laboriosissimus sit, & perquam durus, dum propter præuaricationem primorum parentũ, in magna angustia homines generantur & educantur, cum multis laboribus, pœnis & erumnis. Sic quoq; cum multo timore & dolore exeunt propter hoc homines hunc mundum. Cum autem illius maioris sæculi spatiosi & securi, uiam angustam ingressi cum labore fuerimus, ad immortalitatis fructum peruenuemus. Sic ergo qui illam studiose ingredientur uiam arctam & arduam, ad uitam peruenient. Qui autem eam fugerint, reposita illis magnifica bona non assequentur. Impeditior quidem est litera, sed quam liceat à doctiore restitui.

6 Nunc ergo quare tu conturbaris, cum sis corruptibilis? & quid moueris tu, cum sis mortalis? Et quare nõ accepisti in corde tuo quod est futurũ, sed quod in præsenti? Quare ergo tu Esdra, pro te & populo tuo tam ægre fers huius mundi calamitates? ut abhorreas hanc semitam angustam, per quam solam peruenitur ad uitam beatam, quæ & sanctos facit solicitos magis & circumspectos, ut tutius longe per eam ambulent, quàm si sine cura per latissimum campum sine uia palabundi incedant, ut tandem confundantur & incidant in latrones. Mortalis ergo cum sis, mortalium uices & fata ferre debes æquanimiter, & ex necessitate formare uirtutem, & nõ perturbari in re, quam necesse sit aggredi, sed cum alacritate cogitare laborum tantorũ finem optatissimum. Non ergo tam præsentia & præterita tibi sunt cogitanda, quàm futura, & ea optima, & à deo ueritatis promissa. Quæ si non tam cito aduenant uti uelles, expectanda sunt, quandoquidem uementia ueniunt, & non tardabunt, nemo illarũ tempus differet, sed nec præoccupabit.

7 Respondi & dixi, Dominator domine, ecce disposuisti lege tua, quoniã iusti hæreditabunt hæc, impij autem peribunt: iusti autem ferẽt angusta, sperantes spatiosa: qui enim impie gesserunt, & angusta passi sunt & spacioſa non uidebunt.

Respondet Esdras et amplectitur quæ iam dicta sunt, ad suum & suorum solatium, quasi dicere uideatur: O domine omnipotens, satis nunc capio iustitiam tuæ legis, qua statuisti iustos quidem hæreditare hæreditatem felicissimam, amplam, & cœlestem, impios autem perire & disperdi, hoc enim lex clamat & prophetæ testantur. Sed & quod iusti in hoc mundo angustias ferunt, id illis cedere ordinas ad gaudia sempiterna. Contra autem, qui iusti non sunt, sed impia gesserunt in hoc mundo, & angustias passi non sunt, illi ad spatiosas cœlorum mansiones nõ assumentur. Cui et Paulus consentit 2. Corinth. 4. cum post multa in hanc sententiam dicit: Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, &c.

8 Et dixit ad me, Non est iudex super deũ, neq; intelligens super altissimum. Pereunt enim multi præsentes, quia negligitur quę antepositа est dei lex.

Non est iustior in unuerso iudex quàm deus, qui est ipsa iustitia, qui uelle et probare malum non potest. Nec rationes iudiciorum eius quisquam comprehendere potest, præter seipsum qui est sapientissimus & altissimus, super omnem cogitatum humanum, cuius leges solæ tutæ sunt, secundum quas si quis uixerit, tuto incedet per huius mundi pericula. Qui autem ambulant per suas cupiditates & insolentias, lege dei neglecta, iuste pereunt & damnantur.

9 Mandans enim mandauit deus uenientibus, quando uenerunt, quid facientes uiuerent, & quid obseruantes nõ punirent.

Aeterna & infallibili lege dominus ordinauit, de rebus omnibus quæ sunt futuræ, ut eius institutum à nulla prorsus creatura mundi possit infringi. Quæ futura destinauit, nemo impediet quo minus sint uentura, sed & ad illud præcise tempus constitutum occurret, ut nec differri possit, nec ut tu uelles anticipari, & citius promoueri. Constituit quoq; lege sua hominibus omnibus, quos condidit bonis & malis, quid agere & obmittere debeant, ad percipiendum præmiũ salutis æternæ & tranquillitatis uitæ præsentis. Et ea quoq;, quæ si faciant minime sint puniendi. Prouidentia dei.

10 Hi autẽ non ſunt perſuaſi, & contradixe runt ei, & conſtituerunt ſibi cogitamen ua nitatis, & propoſuerũt ſibi circunuentio- nes delictorũ, & ſuperdixerũt altiſſimo nõ eſſe, & uias eius nõ cognouerunt, & legem eius ſpreuerũt, & ſponſiones eius abnega- uerunt, & in legitimis eius fidem non ha- buerunt, & opera eius non perfecerunt:

Iudæorum peruerſitas.

Hi autem tui Iudæi, pro quibus tam es ſolicitus, qui le gem domini illis conſtitutam neglexerunt, & legitima in quibus uiuentes uiuerent, non ſolum non ſeruarunt, ſed magis dura ceruice & praua cupiditate perſuaſi & in- ducti, contradixerunt uerbo & factis. Exoſam enim ha buerunt ueritatem, & domini uoluntatem, abiecerunt legem illius, & uanitatis cogitationem ſecuti ſunt, quam & pro omni facultate ſua perfecerunt, ut toti uanſie- rent, & uanißimis rebus inhærerent, ſectarenturq; quic quid dominũ odire ſciebant. Non ex fragilitate uel igno rantia peccando, ſed ex propoſito & data opera propo nendo ſibi circunuentiones delictorũ, ut omnes quos poſ- ſunt, ſuis prauitatibus circunuenant, contra legẽ dei & hominũ: quandoquidem nõ timuerunt deũ, ſed ſuper al- tißimo dixerunt, quod nihil ſit. Audent, in profundũ ma litiarum demerſi, iam dominũ ſine timore blaſphemare et dicere, Nõ eſt deus, quia uias dei ex animo odiunt, ideoq; non cogitant, & ſeſe ignorare eas abiurant, & ſpernunt quicquid eſt iuxta legem, etiam perſequuntur eos quos legis dei zelatores inuenerint. Quem enim prophetarũ non ſunt perſecuti, à Moſe uſq; ad Hieremiam? ſed & promißiones dei pro nihilo habuerunt, eas nõ magnifa- ciendo, uel etiã non credendo implendas. Quod et hodie quoq; ſicut & tunc ſentiebant, nihil futurũ eorũ quæ de Meßia promiſſa erãt ipſis, cum ſalute mittenda, quando ſine temporali gloria & pompa uenientẽ, & tantũ cœ- lorum regnũ prædicantẽ, audire et ſuſcipere renuerunt. Opera quoq; dei, quæ ex fide iuxta legẽ fieri deus præ- ceperat, prorſus obmiſerunt, & minime perfecerunt. Quid ergo ô Eſdra, aliud ipſis ſperandũ eſt, quàm ut ma- los male perdat, & uineam ſuam legem ſanctißimam, ſtu dium uerborũ dei, gaudium de iuſtitia dei, regnũ Meßiæ, redemptionis fructum, et prophetarum expectationem, alijs, hoc eſt ex gentilitate credituris, & eccleſiæ unuer ſalis filijs locabit, & cõcedet cum immenſa gratia, qua ſe illi reddiderũt indignos: ut qui uacui ſunt fide, uacui quo que ſint gratia, & qui iuſtitiam ſectantur & ſitiunt, ſa- turentur, & filij dei altißimi nominentur & fiant.

11 Propter hoc Eſdra uacua uacuis, & ple- na plenis. Ecce tempus ueniet, & erit quan do uenient ſigna quæ prædixi tibi, & appa rebit ſponſa, & appareſcẽs oſtendetur quæ nunc ſubducitur terra: & omnis qui libe- ratus eſt de prædictis malis, ipſe uidebit mi rabilia mea.

Redibunt quidem ſuo tempore iuxta prophetarum oracula iſti, pro quibus ſolicitus es & oras, ad ſuam Hie- roſolymam ſecundum ſigna quæ præcedent & conſe- quentur, ſed non minus præuaricatores legis erunt, & uerbi dei contemptores, & prophetarum occiſores, ſem ctorum perſecutores, & dei hoſtes quàm fuerant iam olim. De cultu uero meo nihil curabunt, ſeſe tantũ et ſua colent, pißimas leges meas ſpernent, ſuas traditiones ad quæſtum populo meo obtrudent, & ueritatis aſſertores Chriſtum & Apoſtolos perſequentur & occident. Tũc autem apparebit, ab exordio mundi prædicata ſponſa eccleſia gentiũ congreganda, & toto in orbe ſubito ap pareſcet, quæ nunc latet ueluti ſepulta in terra. Tunc ſi quis in toto populo ab his tantis criminibus & peccatis liberatus fuerit, is uidebit mirabilia dei, quandoquidem reliquiæ Iſraelis utcunq; raræ & modicæ excreſcent in immenſum, & totam terram replebunt ſcientia domini, & gloriam dei tandiu à gentibus expectatam, mundus uniuerſus intuebitur, lumenq; orietur ad reuelationẽ gen tium, & gloria plebis, non totius Iſraelis, ſed reliquiarũ conſpicietur. Verum & id quidem in gloriam ueri Iſrae lis, omnium ſcilicet, qui ex Iſraele quondã electi ſunt & ſanctificati. De mirabilibus autem dei ad tempora Chris ſti, ipſimet Iudæi teſtabantur, Ioannis ſeptimo, dicentes: Chriſtus cum uenerit, nunquid plura ſigna faciet quàm quæ hic facit? De quo hic clare ſequitur.

12 Reuelabitur enĩ filius meus IESVS, cum his qui cũ eo ſunt: & iucundabuntur qui relicti ſunt in annis quadringentis. Et erit poſt annos hos, & morietur filius meus CHRISTVS.

Diuina prouidentia actum eſt, ut qui ſaluator dictus eſt capite ſecundo, is hic inuitis Iudæis, & oculos cum auribus auertentibus, iam auerſis dudum à domino & ſua lege, dictus eſt, inquam, IHSOYS, hoc eſt ſaluator. Quid autem aliud eſt filius meus, quàm filius dei? Eius ſcilicet ad quem ſuperius dixit, Dominator domine, qui diſpoſuiſti legem tuam. Cui ſine dubio tanquam uerbum, deus de deo, conſubſtantialis eſt. Is IESVS dei filius re uelabitur, per maxima ſigna, & per euangelium, Iudæis & gentibus. Cum his qui cum eo ſunt, hoc eſt cum præ- phetis et patriarchis, à quibus genitus eſt iuxta carnem, & promiſſus per ſpiritum, & cum omnibus ſanctis & electis, qui omnes iucundabuntur ex incarnatione filij dei, à ſæculi exordio prophetata. Non omnes autem Iu dæi uel iuxta carnem Iſraelitæ iucundabuntur cum ſalu uatore mundi, & filio dei, ſed tantum relicti, & poſtu Iudaici reliquiæ, Apoſtoli & primitiuæ eccleſiæ Apoſto lici uiri. Hæ autẽ reliquiæ erunt poſt annos circiter qua dringentos, à reſtitutione ſcilicet ea, quam Eſdras tam anxie deſiderabat & orabat ardentiſſime. Poſt hos an tem quadringentos annos, morietur filius meus Chriſtus, hoc eſt ut explicauit Daniel clarius, occidetur Chriſtus, numirum à ſuo populo tradendus, & reprobandus ut an gularis lapis, inde prærogatiuam obtineat. Annorum ma tem ſupputationem diſquire apud Danielem, de ſeptua ginta hebdomadibus. De cauſis aũt & modo moriẽdi, nõ eſt ut poſt Euangeliſtas quicq; deſideres. Et hanc tam ma nifeſtã de Chriſti diuinitate & paßione ſcripturã, ſi iu dæi nõ amplectuntur, non ſunt morandi, quandoquidẽ et prophetas nullos adhũc ſenſum ſuſcipiunt, unde et in ſua pertinacia

pertinacia dimittendi, et iuxta uindictam diuinam exercendi, donec aliquando uelamen amoueatur, & post interitum gentium, ipsi quoq; scripturas intelligant ueras esse, & prophetas fideles, ut non semper futura credant, quando ante tria millia annorum, & ante duo millia & postea futura prædicta sunt. Volunt habere regem, qui toto mundo dominetur, sub quo omnes sint principes ipsi Iudæi, qui in æternum sit regnaturus, cui manifesta sint hominum corda, sub cuius imperio lupus sit habitaturus cum agno, sub quo non nisi unus deus adoretur humero uno, quem omnes gentes sint adoraturæ, qui auream sit ædificaturus Hierosolymam, cuius imperio subiugandi sint omnes reges, cuius temporibus idola omnia sint corruitura. Et cum omnia ista perfectissime in Christo, & per suum euangeliũ completa sint, ut liquido notũ est omnibus non cæcis, tamen adhuc omnia semper sperant futura, quæ mundus iam ante mille annos uidit præterita.

13 Et omnes qui spiramentũ habent homines: & conuertetur sæculum in antiquum silentium diebus septem, sicut in prioribus iudicijs, ita ut nemo derelinquatur. Et erit post dies septem, & excitabitur quod nondum uigilat sæculũ, & morietur corruptũ:

Hactenus de primo Christi filij dei aduentu, nunc de secundo. Omnes homines qui ut uiuerent prædestinati sunt in hoc mundo, cum fuerint mortui, tunc in suã perfectionem sæculum conuertetur, & silentium ut olim seruabit aliquot diebus, sic ut nemo prorsus in sua mortalitate derelinquatur Christo domino ueniente, & omnia ad iudiciũ conuocante. Tunc autem excitabitur per uocem tubarum sæculum, quod nõ uigilat, sed in terræ pulucre dormit. Et quicquid corrumpendum erat, mortuum tunc iacebit, ad diem nouissimum expectandum.

14 & terra reddet quæ in ea dormiũt, & pulueris qui in eo silentio habitãt, & promptuaria reddẽt quæ eis cõmendatæ sunt animæ.

Tunc ad præfinitũ diem nouissimum, hominibus ante hac omnibus incognitũ excitabuntur subito mortui, & terra ipsa omnes quos detinuit mortuos reddet, diuina uirtute & uocatione mortuos, qui in ipsa dormierunt à multis annorum sæculis. Et puluis quoq; reddet eos, qui in eo habitant cum silentio, corpora scilicet hominum, quomodocunq; mortuorum, uel occisorum naturaliter uel uiolenter, & omnia huiusmodi promptuaria mortuorum, in terra, aëre, aqua, uel igne, reddent corpora hominum suis animabus, à deo ordinatis ut reuiuiscant. Animæ autem sua quoq; promptuaria habent à domino usq; ad diem iudicij, unde prodibũt, tunc cum corporibus reuenendæ in die nouissimo, & iudicandæ pro meritis & iustitia dei.

15 Et reuelabitur altissimus super sedem iudicij, & pertransibunt miseriæ, & longanimitas congregabitur. Iudicium autem solum remanebit, ueritas stabit, & fides conualescet: & opus subsequetur, & merces ostendetur, & iustitiæ uigilabunt, & iniustitiæ non dominabuntur.

Resuscitatis hoc modo hominibus, et astantibus in corpore & anima, iterum reuelabitur cum inenarrabili gloria & maiestate in nubibus uenuens is Christus dominus, qui dudum in humilitate carnis mortalis apparuerat iudicandus & crucifigendus, nunc super sedem maiestatis suæ reuelabitur in nubibus, ad iudicandum omnes homines, qui unquam & uspiam uixerunt. Habebunt autem omnes tunc immortalia corpora, sine omnibus huius mundi miserijs & necessitatibus. Transibunt enim huius mũdi calamitates quæ nunc uigẽt. Et spes omnis quæ fuerat in electis & longanimitas, asequetur tunc quod speraverat. Et quod usq; ad illud tempus dominus longanimiter in malis tulerat & distulerat, hoc tunc eisdem plena mensura rependet. Tunc nullum inuenuet locum clementia uel gratia pro delictis, sed solum remanebit iustum dei iudicium. Et quod fide in hoc sæculo nunc iustificatum est, & ex fide factum opus pium de genere, hoc tunc in bonum sempiternum conualescet, & eximio præmio in æternum donabitur. Opus quoq; sequetur diuisionis extremæ, quæ fiet à filio hominis sedente super solium regni sui, ut merces stet omnibus unicuiq; secundum opera quæ gessit in uita, bona siue mala, gloria uel confusione æterna. Tunc qui iustitiam fidei sectati sunt, uigilabunt, & dei gloriæ participes reddentur, & ad salutem perfectam assumentur nunquam perturbandam. Tunc tandẽ iustitiæ palàm conspicientur & euigilabunt. Tunc stabunt iusti in magna constantia. Iniustitiæ autem hominũ quæ in hac uita passim dominaturæ uidentur, & primas in hoc mundo possidere, hæ tunc minime dominabuntur, sed digna factis recipient, ab eo cui seruire maluerunt, dæmone, domino deo decernente. Non, inquit, dominabuntur, sed pro sua crudelitate qua grassati sunt in hac uita in sanctos, sic tunc calcabuntur, & crudeliter uapulabunt, ut digna factis talibus compensari ab omnibus iudicetur, & à propria ipsorum conscientia. Quid autẽ simplicius, intelligibilius, clarius dici potuit, & conformius euangelio Christi iuxta Matthæum capite uicesimoquinto, & Paulo ad Thessalonicenses? Iudicium extremum per Christũ

16 Et dixi, Primus Abrahã propter Sodomitas orauit, & Moyses pro patribus qui in deserto peccauerũt, & qui post eum pro Israel in diebus Achaz, & Samuelis, & Dauid pro confractione, & Salomon pro eis qui uenerunt in sanctificationem, & Elias pro his qui pluuiã acceperunt, & pro mortuo ut uiueret, & Ezechias pro populo in diebus Sennacherib, & multi pro multis.

Audiens Esdras iudicium futurum, primũ, & nouissimum, de populo suo, maxime autẽ de abiectione synagogæ Iudaicæ, pro qua plurimum zelabat, quia in eius locum surroganda esset sponsa ecclesia sine ruga, solicite inquirit ab angelo, si non sit relictus aliquis locus intercedendi pro eo populo, & clementiã impetrandi à pientissimo patre cœlesti, cuius sunt infinitæ miserationes. Si quo modo gratia implorari possit pro Israele, iuxta carnem, ne omnino abijciatur. Cum bonitatẽ suam à mundi exordio semper immensam ostẽderit, ut p pauciſsimis bo

nis, paratus semper fuerit misereri ualde multis impijs.
Orationes sanctorum. Primus, inquit, qui exauditus est à domino, Abraham fuit pro Sodomitis, si uel pauciſſimi ibi inueniendi fuiſſent. Cum nũc multo credat plures inueniendos, quàm decem de tam multis Iſraelitis, ut non ſit deſperandum de exauditione diuinæ pietatis, pro populo ſemper ualde dilecto. Moſes quoq; oratione ſua multa apud deum pro populo iſto potuit, cum etiam plurimum peccauiſſent, ingratiſſimi poſt nuper recepta maxima beneficia. Sed in diebus Achas et Ezechiæ multum ualuit oratio ſancti Iſaiæ pro populo etiam ſub impio rege. Et Samuel ſanctus, etiam pro malo populo orationibus ſuis impetrauit magna à domino beneficia. Et Dauid quid non potuit impetrare pro ſuo populo? Omnes enim iſti in confractione ſeſe opposuerunt murum pro domo Iſrael, efficaciſſimis orationibus ſuis, ſemper exauditis. Et Helias quoq; pro peſtilenti regno Iſraelitico multa orationibus potuit, qui pluuiam continuit & impetrauit dum oraſſet ad dominum. Et Salomon unica oratione ſua promouit populũ totum Iſraeliticum ad magnifica & perpetua beneficia dei. Et Ezechias quoq; ſuis orationibus obtinuit maximam & mirabilem numis cladem infeſtiſſimi hoſtis fidelium, & totius regni Iudaici recuperationẽ à domino. Nec omnes qui à deo orationibus gratiam inueniſſe leguntur facile enumerari poſſent. Nunquid ergo non nunc quoq; tale aliquid eſt audendũ, ut orationibus tantũ malum à populo meo quod prædicis amoliri poſſit ab aliquo ſanctorũ?

17 Si ergo modo quando corruptibile increuit, & iniuſtitia multiplicata eſt, & orauerunt iuſti pro impijs: quare & nunc ſic non erit?

Omnibus illis ætatibus & caſibus multum deprehenditur ualuiſſe oratio iuſtorum aſſidua, quotieſcunq; inualuiſſet corruptio fidei & morum, & multiplicata nimium fuiſſet omnis generis iniuſtitia, ſemper enim in iſtis temporibus orantes iuſti pro iniuſtis Iſraelitis exauditi ſunt à domino. Quare ergo nunc quoq; non idem licebit cum miſericordiæ domini non ſint imminutæ et amor dei ad peculium ſuum nondum eſt exinanitus? Orandum ergo nobis erit, ut hæc tanta mala quæ futura prædicis, contra hunc populum, per dei infinitam & ſemper nobis promiſſam gratiam amolienda impetretur.

18 Et reſpõdit ad me, & dixit, Præſens ſæculum nõ eſt finis, gloria in eo frequens manet, propter hoc orauerunt pro inualidis.

Spes ueniæ in hoc ſæculo. Ante finem huius ſæculi, ante iudicium finale ultimũ uel etiam ſpeciale, quod fit in mortis articulo, ſemper orare cum ſpe exauditionis licebit, pro fidelibus et hominibus etiam impijs. Non eſt enim in hoc ſæculo finis diuinæ gratiæ & exauditionum. Glorificat enim deus frequenter ſanctos ſuos, ut ad meritorum ſuorum ſignificationem exaudiat orantes, ut contigit de omnibus quos iam enumeraſti ſanctiſſimis uiris, qui exauditi ſunt pro ipſorum reuerentia, ad emendationem eorum qui non erant omnino damnati ad interitum, propter quod & permiſit dominus, et ſubordinauit orare ſanctos pro iniquis uel peccatoribus, qui pro fragilitate & non ex infidelitate uel certa malitia peccant, & ex contemptu.

19 Dies enim iudicij erit finis temporis huius, & initium temporis futuræ immortalitatis, in quo tranſiuit corruptela, ſoluta eſt intemperantia, abſciſſa eſt incredulitas, creuit autem iuſtitia, orta eſt ueritas:

Hoc quidem in tempore ſemper licebit orare pro peccatoribus dominum, & ante iudicium domini promulgatum, eo tempore quo deus nouit. Poſt autem diem iudicij diuini, quod deus nouit, orare quidem licebit ignorantibus domini uoluntatem, iam definitam, ſed non exaudietur oratio. In iudicio autẽ ultimo generali uel etiã ſpeciali, iam ſtatus eſt immortalitatis, iam lignum ubi ceciderit ibi ſemper perſeuerabit. Non enim tunc locum habebit corruptio animarum uel corporum, uſque ad illud tempus uita emendari poteſt, & gratia orationibus impetrari. Nemo poſt illud tempus per intemperantiam uel exceſſum quemcunq; peccare poteſt, & iudicij dei in malum uel in bonum mutare. Infidelitas tunc locum non habebit, uidebunt enim tunc impij & iuſti iuſtitiam & ſentient, ut credere nulli hominum uel ſcriptura cogantur. Tunc autem iuſtitia obtinebit gradum ſuum, & nullum prorſus locum inueniet iniuſtitia, non in terra, non in cœlis, non in inferno quicquam iniquum inueniatur. Sed tunc ſolum regnabit ipſiſſima ueritas et iuſtitia.

20 Tunc enim nemo poterit ſaluare eũ qui periit, neque demergere qui uicit.

Eo tempore & ſtatu pro nullo orandum erit, nullius tunc crimina expiari poterunt, nemo eorum qui ad peremptionem iudicatus tunc fuerit, poterit reuocari quoquomodo medio. Neq; ſi quis euicit mala omnia ante hoc dei iudicium poterit poſtea uinci, & in ſtatum damnationis interuolui. Hoc ergo tempore, dum licet conuerti ad dominũ uel auerti, orandũ eſt, cum multa ſolicitudine, antequam iudicium dei definitum eſt, & lata ſententia irrecuſabilis. Nunc ergo orare quidem potes pro tuo populo, ut conuertatur, & tempus quod ordinauit illi dominus bene expendat, à peccatis abhorreat, & domino deo ſuo complacere contendat. In his exaudiri poteris, quod ad finem à dño de eo populo definitũ eſt, tuis non poteris orationibus impedire. Tu quidem bonæ uoluntatis tuæ præmium auferes, illi autẽ pro ſuis factis bonis uel malis iuſto iudicio ſubiacebunt. Si qui ex ipſis ſancte uoluerint & egerint bona fide, recipient ſine dubio ſecundũ quod geſſerint. Oculus dñi iniquus non eſt, iniuriam non facit.

21 Et reſpondi, & dixi, Hic eſt ſermo meus primus & nouiſſimus, quoniã melius erat non dare terrã Adam, uel cum iam dediſſet coercere eum, ut non peccaret. Quid enim prodeſt hominibus in præſenti uiuere in triſtitia, & mortuos ſperare punitionem?

Obmittit quidem de iam proxime dictis diſſertationem de iudicijs dei, ſed recurrit iterũ ad primam obiectionem & quærelam, quam fecerat capite tertio circa finẽ, contendens adhuc conſtare, uerum eſſe quod dixerat, melius eſſe Adam non fuiſſe creatum in terra, uel omnino impeditum à domino, ne tam pernicioſe peccaret cum damno tanto

tanto tot hominum, quàm sic secum inuoluisse tot malis homines in hoc mundo, uiuentes & mortuos. Hic enim, ait, sermo meus primus, quem tibi opposui, quẽ & nunc quoq; credo non improbandũ. Quid enim infelicius est, quam homines semper dum uiuunt peccare, & pro eo plurima pati mala, non solum in præsenti, sed etiam in sæculo animarum, & post mortem nõ sperare indulgentiam, sed punitionem pro omnibus, quæ hic perperam gessisse conuincentur in iudicio.

22 O tu quid fecisti Adam? Si enim tu peccasti, nõ est factus solius tuus casus, sed & nobis qui ex te aduenimus. Quid eñ prodest nobis si promissum est nobis immortale tempus, nos autẽ mortalia opera egimus?

Casus humanæ generationis.

Ex feruore repetitæ disputationis primæ, Esdras erumpit in querelam contra primum hominem, inuehendo in eius imprudentiam & malitiam, cui non suffecit sibi nocuisse, nisi uniuersum quoq; mortalium genus in tot mala inuoluisset. Quid inquit, ô Adam, fecisti tibi & nobis? qui cum perpetuo feliciter uiuere potuisses, cum omni posteritate tua, non tantum peccasti pro te, sed etiam pro posteris, perdendo simul tot bona naturæ & gratiæ. Non tu solus cecideristi per peccatum, sed nos omnes tuos filios tecum inuoluisti reatui grauissimorum malorum, quæ & semper durant in tuo & nostro genere. Quam autem nobis à deo promissa sit immortalitas post hanc uitam, si pie uiuamus in hoc sæculo, expectatio scilicet beatæ spei, nihil tamen agimus dignum fauore tuo, et tanto præmio. Immortale tempus dicit futuræ beatitudinis æternitatem, in corpore & anima, quæ promissa est omnibus pietatem colentibus: nos autem mortalia opera egimus, hoc est, peccatis contra deum & homines sic polluimur, ut æternam mortem impijs promissam expectare cogamur.

23 Et quoniã prædicta est nobis perennis spes: nos uero pessimi uani facti sumus.

Spe fraudati.

promissa quidem fidelibus est, & dei mandata seruantibus spes perennis felicitatis, quæ confundere non possit innocentes & credentes dei uerbo. Nos autem non tantum uerbum dei non audimus, uel non credimus, sed etiã contemnimus, & contra dei legem sine aliquo timore quotidie agimus & uiuimus, pessima quæq; sectamur, ideoq; uani sumus, quia uanitatẽ pro ueritate diligimus, mundi huius uanitatem eligimus, & uerborum dei ueritatem non credimus, propter quod habitacula felicitatis quæ nobis promissa à domini lege sunt, & reposita, minime ingredietur, æternorum gaudiorum securitatem non attingemus, sed desperatione infelicissime damnabimur, quandoquidem malis grauissimis immoramur uolentes, & bona domini nihili pendentes.

24 Et quoniã reposita sunt nobis habitacula sanitatis & securitatis: nos uero male conuersati sumus. Et quoniã reposita est gloria altissimi protegere eos qui tarde conuersati sunt: nos autẽ pessimis uijs ambulauimus. Et quoniã ostendetur paradisus, cuius fructus incorruptus perseuerat, in quo est securitas & medela: nos uero nõ ingrediemur.

Iustitiæ & sanctitatis, innocentiæ & incorruptionis perpetuæ paradisus nobis quidẽ promissus est, & immortalitatis cœlestis beatissimus fructus, in quo nobis donanda est medela contra omnia mala, securitas ab aduersis imperpetuum duratura, nos uero præsentibus dediti & caducis, futura & felicia non curamus, tarde ab iniquitate conuertimur, repositã gloriam ab altissimo non speramus, sed in conuersatione maligna semper progredimur, & tantorum bonorum nos participes reddere nihil studemus. Ad literam autem hic sensus est, Extat & semper durat gloria dei hæc, ut expectet, non puniendo statim eos qui tarde sese emendant: uerũ nos abutimur longanimitate eius, ut tanto magis delinquamus, quanto minus à domino corripimur, & rependimus malitiam deo pro immensa bonitate sua. Præparatã quoq; nobis paradisum securitatis, sanitatis & incorruptibilis uitæ nos ingredi contemnimus, præsentia gaudia futuris præmijs præferentes.

Aeternorũ incuria.

25 In ingratis eñ locis cõuersati sumus. Et quoniã super stellas fulgebũt facies eorum, qui abstinentiã habuerũt: nostræ autem facies super tenebras nigræ: non enim cogitauimus uiuentes quando iniquitatẽ faciebamus, quod incipiemus post mortem pati.

Toti tibi domino ingrati sumus semper, inobedientiã exhibendo, pro syncerissima bonitate tua, quod est suo loquendi modo conuersari in locis ingratis. Qui aũt à uitijs abstinent, & carnis concupiscentias restinguunt & reprimunt, horum facies in cœlestibus fulgebunt supra solis splendorem. Fulgebunt enim iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, habitabunt enim cum domino, cuius regnũ perseuerabit usq; imperpetuũ. Nostræ autem facies, qui malis potius oblectamur, obtenebrescent, & ut tenebræ nigerrimæ erunt præ confusione, & criminum conscientia qua grauamur. Nihil enim futura perpendimus gaudia, sed præsentes tantum libidines desyderamus, non quid post hanc uitã expectandũ sit curantes, sed tantum ut uiuentes lætemur in corpore. De pœnis infernalibus post mortem sustinendis nihil soliciti, quando simul anima cum corpore patietur supplicium damnatorum cum dæmonibus, sine fine duraturum.

Ingratitudo hominum.

26 Et respondit, & dixit: Hoc est cogitamentum certaminis quod certabit, qui super terram natus est homo, ut si uictus fuerit, patiatur quod dixisti: si autem uicerit, recipiet quod dico: quoniã hæc est uita quam Moyses dixit cum uiueret, ad populum, dicens: Elige tibi uitam, ut uiuas.

Perpetuũ certamen habet humana cogitatio cũ uitijs & cõcupiscentijs, donec anima uixerit in hac corruptibili carne, & deprauata natura, ut non nisi improba sectari delectent, cõtraria carni & sanguini prorsus auersetur. Contra uero spiritus quoq; luctatur cõtra carnem, & ea quæ dei sunt urget. In quo certamine semper durante, si spiritus & anima uictus fuerit à concupiscentia carnis, non adiutus per dei gratiam, sine qua semper uin-

Malitia humana.

citur & peccat: certũ est non aliud hominem præmium manere, quàm paßiones perpetuas post mortẽ, confusiones cõscientiæ nunquam finiendas, tenebras et angustias cum diabolo & angelis eius. Si autem uicerit spiritus per dei timorem & gratiam, uitam poßidebit æternam, quæ alia non est, quàm promissa à domino per Mosen, dum uiueret adhuc in solitudine, ubi in legis datione obseruatoribus legis promissa est uita, dicẽdo: Elige tibi uitam, ut scilicet legem custodiens, uitã promerearis eam qua cum creatore suo sancti & electi amici dei in æternum perfruentur. Corporalis enim uitæ diuturnitas nullius est pretij, quantũuis in hoc mundo felix, quæ rarißime contingit hominibus etiam pijs, quando iam mortis fatum ingruit, quando non aliter uita tũc inuite amittitur, & uanitas fuisse cogitatur, quã si breuißima contigisset, ut pro uirtute præmiũ uerũ, uita alia digne reddi nõ posset, q̃ quæ uere sit uita sine miserijs & semper duratura.

Victoria spiritus.

27 Non crediderunt autem ei, sed nec post eũ prophetis: sed nec mihi qui locutus sum ad eos: quoniam non esset tristitia in perditionem eorum, ficut futurum est gaudium super eos, quibus persuasa est salus.

Causa autem iustæ reprobationis Iudaicæ, quam ipsis impendere tandem prædixi, eidẽ iustißimè infligendæ ea est perfidia & infidelitas maxima peccatorum in deum, & contraria iustitiæ fidei, quã solam deus exigit & amplectitur, quia non crediderunt uerbis dei, tot portentis & claris beneficijs cõprobatis, non crediderũt Mosi seruo dei, mirabilia maxima patranti, & non nisi æquißima illisq̃; utilßima iniungenti, sed nec sequentibus prophetis Samueli, Dauidi, Isaiæ, & cæteris. Tandem etiam prophetarum maximo Meßiæ & suis apostolis, non solum non crediderunt, sed pro ueritate ad se dicta occiderunt ignominioßißime. Vnde & quæ nunc Christus dominus uerbum dei per angelum loquitur, non sunt audituri ipsi tui subditi, pro quibus sic oras, ideoq̃; & non euadent tristitiam perditionis, nec assequentur gaudium futuræ felicitatis & salutis æternæ, quod promittitur sanctis quidẽ cum ipsi impij esse malint, & inobedientes iusteq̃; damnandi: quandoquidem eis nunquam salus persuaderi potuit, ideo perditionem incident, quam nunquã excutient, sed æterna tristitia afficientur, qui in domino gaudere non elegerunt.

Perfidia Iudaica.

28 Et respõdi, & dixi: Scio domine, quoniã uocatus est altißimus misericors in eo, q̃d misereatur his qui nondũ in sęculo aduenerunt, & quod miseretur illis qui conuersionem faciunt in lege eius: & longanimis est, quoniã longanimitatẽ præstat his qui peccauerunt quasi suis operibus: & munificus est, quoniamquidẽ donare uult pro exigentijs: et multæ misericordiæ, quoniam multiplicat magis misericordias his q̃ præsentes sunt & qui pręterierunt, & qui futuri sunt.

Fatetur Esdras hanc suam fidem, qua credat nulli desperandum esse peccanti in hac uita contra dei mandata, quamdiu nondum adsit huius sæculi finis, et uitæ perio-

dus finiatur. Qui nondũ, inquit, in sæculo aduenerũt, hoc est, qui nondũ excesserunt hanc uitã in hoc sæculo mortalem. Et credo etiam misericordiã non negari eis, qui illigunt legẽ dei, etiãsi quando impingant per fragilitatem & ignorantias multas, quibus inuoluitur humana imbecillitas à primæua conditione sua. Istis dominus longanimis est, longanimiter fert eos qui peccant operibus tantum, non etiam contemptu, proposito, odio, uel perfidia, qui & munificus est, semper dare paratus eis, qui bene sperant de ipso, qui illi fidunt toto corde, ut pro huius temporis exigentijs, hoc est, casibus incidentibus clementer succurrit. Id autem semper agit, & temporibus petuis, ideoq̃; non deerit in futurum uicturis fidelibus ipsum timentibus, sicut nec nũc negat gratiam pierogantibus, & in sæculis præteritis, eius misericordiã multitudinem semper experti sunt patres nostri. Est enim misericordiarum dominus, qui & multiplicat dona clementiæ ad omnes generationes.

29 Si enim non multiplicauerit misericordias suas, non uiuificabitur sæculum cum his qui inhæreditabant in eo:

Si dominus semper iuxta iustitiæ suæ rigorẽ nobiscũ egerit, si iniquitates obseruauerit, si in iudicium cum suis seruis ingressus fuerit, si non misericordias suas multiplicauerit, nemo illius iudicium poterit sustinere, non uiuificabitur in conspectu iusti iudicij sui omnis anima, quantumlibet fidelis & deo seruire cupiens. Totum enim sæculum, & qui in eo habitant, morti damnabitur, si secundum illius facta contigerit iudicari.

30 & donat, quoniam si non donauerit de bonitate sua, ut alleuiẽtur hi qui iniquitatẽ fecerunt, de suis iniquitatibus, non poterit decies millesima pars uiuificari hominum:

Donat quoq; dominus gratis sua munera corporalia & spiritualia hominibus cunctis, & ex fonte bonitatis suæ magis quàm propter merita quæcunq;. Boni consplit transgressiones fragilitatis humanæ, & alleuiat peccatorum & iniquitatis, ut non secundum demerita puniat, sed donet errata gratuito. Si autem non ea donaret, exigere autem uellet ad unguẽ iniquitates hominum in hoc mundo, ad numerũ calculare pergat, non poterit decies millesima pars hominũ in mundo saluari. Sed non sic agit deus cum fidelibus suis, præstabilis est super malitia, & misericordiæ eius super omnia opera eius, ipse cognouit figmentum nostrum, & gaudet misereri, humiliter seſe recognoſcentibus, & gratiã implorantibus. Non ad numerum reuocat peccata nostra, sed proijcit in abyſſum misericordiæ suæ omnia delicta humiliatorum, quin & humiliationis quoq; gratiam electis largitur.

31 & iudex si nõ ignouerit his q̃ curati sunt uerbo eius, & deleuerit multitudinẽ cõtentionum: non fortassis derelinquerentur in innumerabili multitudine, nisi pauci ualde

Et si pro iustitia sua iustus iudex non dignabitur misereri eorum qui uerbum suum præuaricati sunt, & si non per gratiam suam solam delere dignabitur multitudinem iniquitatum nostrarum, sed in iudicium cum seruis suis

suis intrauerit, & opera discusserit fragilitatis humanæ, non poterint ex tota hominũ innumerabili multitudine uel paucissimi saluari. Humano loquitur more, secundum quem iudicamus excellenter religiosos præ aliis, dignos esse qui saluentur. Humanum autem iudicium fallit in talibus, unde etiam qui apud homines sancti habentur, pauci de multis, si iudicio dei sistantur, non iustificabitur in conspectu eius omnis uiuens, quando & iustitiæ ipsæ nostræ immundiciæ sunt, & ut pannus menstruatæ computantur: quomodo ergo nostræ iniustitiæ in conspectu illius poterunt expiari?

CAPVT VIII.

1 TRespondit ad me, & dixit: Hoc sæculum fecit altissimus propter multos, futurum autem propter paucos.

Pendet ex iã dictis de multitudine damnandorũ, paucitate autem eorum qui sancte ambulare cernuntur, cum utriusq; sortis iudicium stet penes deum, qui cum altissimus sit & omnipotens, hoc quidem sæculum condidit, ut in eo multi homines uiuerent, & producerentur secundum successiones generationum & ætates, ex quibus tamen admodum pauci iustitiam colerent, & in uoluntate creatoris persisterent, secundũ illud domini: Multi sunt uocati, pauci autem electi. Dicit futurũ propter paucos ipsum sæculum, hoc est, paucis utile erit ad finem conse-quendum, ad quem sunt à creatore plasmati.

2 Dicam autem corã te similitudinem Esdra. Quomodo autẽ interrogabis terram, & dicet tibi, quoniã dabit terram multam magis unde fiat fictile, paruum autem pulueren unde aurum fit? sic & actus præsentis sæculi. Multi quidem creati sunt, pauci autem saluabuntur.

Pauci electi, sancti & à deo electi per similitudinem. Impedita est autem lectio propter interpretem, cum sit clara sententia. Si quis roget qua ratione contingat, ut cũ tam multi sint in terra homines, pauci tamen sint sancti, & qui ad beatitudinem sint electi, is similis est interroganti terram, quare tanta illius portio sit eius naturæ, ut ex ea fictilia formari possint, & tam modica eiusdem portio, unde conficiatur aurum. Semper enim maior stultorum est numerus, quàm sapientum: & rerum preciosarum semper minor est copia, alioqui preciosa nõ haberentur. Cum alioqui limi et puluerum melior sit usus, et utilior quàm auri uel argenti: sed id non ad propositum facit.

3 Et respondi & dixi: Absorbe ergo anima sensum, & deuora quod sapit: conuenisti enim obaudire, & prophetare uolens. Nec enim tibi datum est spatium, nisi solummodo uiuere.

Esdras ergo ex his infert: Si sic res habent in hoc mundo, ut piorum semper sit futura minor portio, & maior impiorum, humiliter ergo nobis sentiendum erit, & non nimis curiose talia sunt inquirenda, cum sic habere uideamus statum mundi & domini uoluntatem, cuius ratio non possit à nobis cognosci. Satius ergo erit, ô anima mea, ut iudicium sensus tui obmittas, & ne nimis in talibus sapere cupias, sed humilia potius sensum & cogitatum tuum ne quid nimis discutias. Deuora potius huius mundi necessitatem, & ad sobrietatem sapias & intelligas. Officium tuum cogites esse obaudire uerbo domini, & creatoris tui uoluntatem attendere, super hoc enim conueniisti cum domino, cum tu potius obmissa functione tibi demandata, cupias & eligas prophetare & docere alios. Tutius est enim audire, quàm prophetare aut docere. Nunc autem, ô anima, sufficerit tibi si maiora conse qui non potes, uel agere functiones, saltem corpus uiuificare, & bene uiuere pro te studeas, iuxta dei legẽ, quam præstat auditam implere, quàm de legislatoris consilio et intentione multa disputare.

4 O domine si non permittes seruo tuo, ut oremus coram te, & des nobis semẽ cordi, & sensui culturam, unde fructus fiat, unde uiuere possit omnis corruptus: qui portabit locum hominis?

Saltem, ô domine deus, hoc apud tuam clementiam orationibus impetremus, ut tu nobis largiri digneris semina uirtutum uerarum, in cor nostrum per uerbum tuum, qui es solus cœlestis agricola, & nosti quales tibi in nobis fructus placeant, fidei scilicet, spei & charitatis, cum reliquis quæ connectuntur eisdem, nec tantum semines per uerbum et inspirationes, sed insuper tua gratia excolere non obmittas, ut scientes beneplacitum tuũ, illud implere & prosequi deuoto corde uelimus & ualeamus, ut quod bonum & gratum est fructificemus, si quo modo corruptio originalis & primæua, in natura hominis, denuo ad bonam uitam & uirtuosam reformari ualeat per tuam gratiam, & in locum hominis, ad quem à principio creatus fuerat posit restitui natura tam improba. Sic homini sæpe orandum, ut semina pietatis per dei gratiam & uerbum seminata, non otiosa iaceant, sed in fructus prodeant & proficiant pietatis, ut animalis homo per culpam factus, reformetur in spiritum, qui secundum deum uiuere optet & possit. Fructus sancti seminis.

5 Solus enim es, & una plasmatio nos sumus manuum tuarum, sicut locutus es:

Tu solus es conditor noster, & omnium quæ sunt creata, non est alius cui aliquid obligemur, quàm scire uelle & implere uoluntatem tuam. Omnes nos homines una plasmatio sumus, ex uno semine & radice, sed uenenata per inimicum hominẽ seminati, contra tuam legem, hoc est quod experimur in carne nostra, & ex uerbo tuo discimus, unde scilicet nobis proueniat tanta malitia in corpore mortis huius, & rebellio carnis nostræ contra spiritum.

6 & quomodo nũc in matrice plasmatum est corpus, & præstas mẽbra: conseruatur in igne, & aqua tua creatio: & nouem mẽsibus patitur tua plasmatio tuã creaturã quę in ea creata est: ipsum autem quod seruat, et quod seruatur, utraq; seruabũtur: seruataq;

quandoq; iterum reddit matrix, quæ in ea creuerunt.

Peccatores nascimur.

Cum tuis manibus Adam plasmaueris primum hominem, non sic tamen nos interim cuncti producimur. Nũc enim non sine peccato & libidine fœda plasmatur seminatum corpus in matrice, secundum singula membra, quæ subinde præstantur à natura seminis & materni caloris, ubi fouetur mirabiliter uirtute tua, cœlitus infuso calore solis omnia uiuificantis, & humore sacro à deo destinato. Sunt enim prima uitæ sensitiuæ & uegetatiuæ principia, calor & humiditas, quæ dicit ignem & aquam. Ibi autem diuina uirtute plasmatur corpusculum per nouem menses, in quo anima intellectiua à te creata intra uiuificat. Anima enim humana creando infunditur, & infundendo creatur, utrumq; à domino, qui omnia simul producit & seruat, sic ut anima ipsa seruetur à corpore, & corpus conseruetur ab anima, utrumq; autem & seruans anima, & corpus seruatum, conseruatur à creatore. Quanquam & aliquando fœtus sine perfectione proditur à matrice, & eijcitur abortiuum.

7 Imperasti enim ex ipsis membris, hoc est mammillis prębere lac fructui mammilarũ. ut nutriatur id quod plasmatum est usq; in tempus aliquod, & postea disponas eum tuæ misericordiæ.

Tua, ô deus, prouidentia admirabili, dispposuisti ex ipsis maternis membris, fœtui suum fructũ, quo crescat, coalescat, & cõpleatur. Lacte mammillas implens ut nutriatur infans genitus per aliquod tempus, donec ablactatus fortioribus alimentis foueatur, quæ tua bonitate è terra producis, & das escam omni carni. Deinde per tuam misericordiam & instinctum illum suscipis erudiendum tua lege, statim ut intellexerit quid bonum & malum, quid utile uel noxium, quem & per innumera pericula semper tueris, & conseruas ab offensionibus, quas satan parat, & ad eius custodiam ministros tuos angelos submittis.

8 enutristi eum tua iustitia, & erudisti eum in lege tua, & corripuisti eũ tuo intellectu: & mortificabis eum, ut tuam creaturam: & uiuificabis eum, ut opus tuum.

Nihil obmisisti pertinens ad salutem hominis iam perfectioris ætatis & adulti, fidei enim iustitia, quæ tibi maxime placet, tu eum exornas, si uelit amplecti, qui neminem cogis. Proposuisti enim legem qua erudiatur ad omnem uitæ & morum iustitiam, in qua nihil desyderatur. Sapientia uerbi tui erudiuisti, & corrigis hominẽ suapte natura malum & insipientem. Suo eum tempore corpore a morte transferes ad uitam sempiternam, quandoquidem creatura tua est anima & immortalis, de tua substantia omnia uiuificante, & tua uirtute; ideoq; tuum illud opus uiuificabis semper, & conseruabis ad tuam gloriam, ut te fruantur creaturæ tuæ, & in te sint beatæ & felices. Ex te denique totus pendet homo secundum animam & corpus, cui si uitam præstas, durat: si subtrahis, corrumpitur: si gratiam largiaris, beatificatur.

9 Si ergo perdideris eum qui tantis laboribus plasmatus est: tuo iussu facile est ordinari, ut & id quod fiebat seruaretur.

In tua potestate & uoluntate est perdere & omnino annihilare quod fecisti, quod tantis laboribus parentum tuum alitum est & confectum, unico tuo iussu dum uis destruis, & si placet diutius conseruare, etiam si plurimum aliquando uiribus destitutum cernatur, unico uoluntatis iussu restituis & sanas.

10 Et nunc domine dicam: de omni homine tu magis scis: de populo autem tuo obquem doleo: & de hæreditate tua, propter quã lugeo: & propter Israel, propter quem dolo: & de Iacob, propter quem dotristis sum: & de lacob, propter quem doleo: ideo incipiam orare coram te pro me, & pro eis: quoniam uideo lapsus nostros, qui inhabitamus terram.

Cum itaque omnipotens deus, omnia possis, homines omnes producere conseruare occidere & restituere, qui omnes quidem tui sunt, quorum omnium prouidentiam geris, & necessitatibus succurris. Maxime autẽ tuus est, & à te peculiariter electus is Israeliticus populus, nunc per totum mundum dispersus, pro quo dolco plurimum & omnium maxime. Est enim tuus populus, tua hæreditas, propter quam & ego tristus sum, tanquam pro fratribus mihi quoque commissis, pro filijs Iacob & Israel, ideo non ægre feras, si pro eis orare incepero misericordiam tuam, & simul pro me, qui pariter omnes peccatores uimus tibi, & has miserias quas patimur pro nostra ingratitudine, & perfidia digne portamus.

11 Sed audiui celeritatẽ iudicis, qui futurus est. Ideo audi uocem meam: & intellige sermonem meum, & loquar coram te.

Audiui iam instare iudicium impiorum in hac Babylonica terra, in hac superbissima urbe, in qua grauissima pœna uisitaturus sis omnes qui tibi hostes sunt, & uoluntatis tuæ prævaricatores. Ideo nunc pro me quoque peccatore, & pro meo populo prævaricante tuas leges orabo bonitatem, ne nos quoque pro nostris peccatis pariter inuoluamur cum impijs. Tuũ est ergo exaudire humiles preces nostras, quas ante conspectum tuum præsentes dam, ut non pro meritis nostris, sed tua gratia eximamur ab impendentibus malis, quæ te reuelante citius audiuimus.

12 Initium uerborum Esdræ priusquam assumeretur:

Hæc sententia, titulus est sequentis orationis, quam, ut uidetur, sæpe dicere consuetus fuit, in captiuitate positus, cupiens reuelari sibi domini uoluntatem circa se, & commissum sibi populum, quem docendum susceperat, & dirigendum in agendis, ne exilium alioqui grauius redderetur. Priusquam dicit, assumptiones uidere inciperet, quæ Hebræis dicuntur assumptiones & spectra, raptus & extases.

13 Et dixi: Domine, qui inhabitas sæculum, cuius oculi eleuati in supna & aere: & cuius thronus inæstimabilis, & gloria incomprehensibilis: cui astat exercitus angelorũ cum

tre

tremore, quorum seruatio in uento & igni conuertitur: cuius uerbum uerum, & dicta perseuerantia: cuius iussio fortis, & dispositio terribilis: cuius aspectus arefacit abyssos, & indignatio tabescere facit montes, & ueritas testificatur:

Preces suas domino propositurus, exordio utitur plenis epithetis domini dei omnipotentis, in quibus maiestas domini & gloria uerbis, quibus potest humana fragilitas explicatur, ut primũ illum nominet Dominũ, qui inhabitat sæculũ, qui dominus est orbis totius, & possessor, tanquam proprij palatij, qui omnia sua maiestate implet, & omnibus præsens est, omnia nouit & ordinat, sicut pater familiâs in propria sua domo. Secundo nominat omnia intuentẽ suis oculis, & de altissimis despicientẽ, absq; ali quo impedimento, qui quidẽ in altis habitat, sed humilia respicit in cœlo & in terra. Cuius quoq; thronus est imæstimabilis, potestas iudiciaria & sacrosancta uoluntas et iustitiæ ordo, omnia sunt ineffabilia & maxima. Gloria quoq; quam habet in omnibus creaturis quas condidit, à quibus ut opifex ab opere laudatur, ut dicant sine intermissione: Sanctus, sanctus, sanctus, &c. plena est omnis terra gloria eius. Cui astat exercitus angelorum, secundum illud Danielis 7. Tronus eius flammæ ignis, &c. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, id quoq; cum tremore, hoc est summa reuerentia & perfectissima obedientia, quorum angelorum conuersatio & ministerium in aere est, & sine labore sese mutandi ad locum de loco, non aliter quàm uentus, qui nobis uidetur omnium mobilium maxime mobilis, sicut & ignis: unde & Seraphin dicuntur, ab ignis & ardoris proprietate, & angeli propter ministerij eorum promptitudinem & uelocitatem. Item, laudat à ueritate uerborum eius, quia dicta eius perseuerantia sint, ut nec fallere uelit nec possit falli. Voluntas quoque eius potentissima & sancta, quæ & est ipsissima dei omnipotentia. Omnia enim quæ uoluit dominus, fecit, in cœlo et in terra. Terribilis quoque est dispositio sapientiæ suæ, ut ordinem à se constitutum nemo uel meliorem reddere, uel immutare aut impedire possit. Terribilis etiam dicitur, quia ueneranda & suspicienda, & à nulla creatura uituperanda, cum sit sacra & optima. Cuius aspectus arefacit abyssos, quod est unico nutu suo exiccare potest dum uult aquas marium, ut patet in maris rubri transitu, & Iordanis. Et indignatio tabescere facit montes, hoc est, tremere facit & inuertit fundamenta terræ, & quicquid in mundo fortissimum est, suæ cedit uoluntati ad uota & sæpe ædiderit, quæ nunquam non commemorare solent prophetæ, quoties domini maiestatem celebrare incipiunt. Veritas quoque dei testificatur, & uera omnia conuincit, quandoquidem deus est ueritas, & in eo mendacium non est.

Perfectiões diuinæ.

Angelorum excellentia.

14 exaudi orationẽ serui tui, & auribus percipe precationem figmenti tui. Dum enim uiuo, loquar: & dum sapio, respondebo.

Tu igitur domine deus talis ac tantus, exaudi orationem humilitatis meæ, qui seruus tuus esse cupio, & humilis figmenti tui uota non asperneris, sed exaudi deprecationem. Non enim possum non loqui quæ sentio, & ad commissæ mihi gentis & populi tui salutem, necessario sum attentus: & ut sapio, sic loquor: ut desydero, sic oro, non aliter quàm in sanctificationem tui nominis.

15 Nec respicias populi tui delicta, sed qui tibi in ueritate seruiunt.

Sunt quidem in populo tuo sancti & peccatores, nulli tamen ut spero impij, qui nominis tui gloriam nõ agnoscant ac uenerentur, quantũuis enim peccent, tamen non te negant. Eorum igitur transgressorum delicta oro, non respicias, ut uindicare uelis, sed eorum potius fidem & opera respicias ex populo tuo, qui tibi fideliter cupiunt seruire, & nomen tuum sanctificari ante omnia, in ueritate tibi adhærent, uerbo obediunt toto corde: eos potius respicias, & pro eorum meritis, reliquis in legem tuam peccantibus, indulgeas.

16 Nec intẽdas impia gentiũ studia, sed qui tua testimonia cũ doloribus custodierunt.

Non parcas impijs gentibus, qui improbis suis studijs te irritare nihil uerentur, populum tuum opprimunt, & se id tuo beneplacito agere iactant, quasi tu nos prorsus reieceris, eos potius clementer aspicias, tuos filios quos elegisti, & possedisti à sæculis, qui testimonia tua custodierunt cum doloribus, qui scilicet etiam in graui exilio, inter gentes, nomen tuum non negant, sed aduersa plura patiuntur, propter confessionem tui sanctissimi nominis.

17 Nec cogites qui in cõspectu tuo falsè conuersati sunt, sed memorare qui ex uoluntate tua timorem cognouerunt.

Quod si qui sunt ex nostris, qui per hypocrisim conuersantur tecum, non in ueritate, sed ficte nomen tuum confitentur, uel propter impatientiam exilij impingunt in ceremonialia legis, quæ commode inter gentes seruari non possunt, illorum tu delicta ex fragilitate admissa, oro, non tam respicias quàm aliorum piorum, qui multi sunt, deuotionem, & zelũ pro tuo nomine & sacrosancta lege, & ex bona uoluntate timorem tui nominis gerunt, noluntq; offendere maiestatem tuam, quantumlibet dure tractati.

18 Neq; uolueris perdere, qui pecudũ mores habuerunt: sed respicias eos, qui legem tuam splendide docuerunt.

Eos quoque qui inter nos bestialiter uiuunt, & indulgent concupiscentijs, non pro offensione digne punias ut merentur, sed potius aspicias ad bonos in populo nostro, qui non tantum legem tuam diligunt & conseruant studiosè, sed etiam docent, & ad illius obseruantiam hortantur quos possunt, ut sic acceptabilior tibi sit bonorum deuotio, quàm displiceat tibi malorum præuaricatio, quando pluribus Sodomitis parcere uoluisti, propter paucissimos bonos.

19 Nec indigneris eis, qui bestijs peiores iudicati sunt: sed diligas eos, q semper in tua iustitia confidunt, & gloria.

Si qui inter nos sunt, qui peiores sese bestijs facto

ostendunt & concupiscentijs, ut animalia bruta magis censendi sint quàm homines pij, istos quæso feras propter alios filios tuos, quos nosti intra peculiũ tuum esse, qui semper confidunt, non in sua iustitia, sed in tua misericordia. Gloriam tuam magnopere æmulantur, & fiduciam habent in bonitate tua, quando de proprijs meritis nihil iactare uolunt neq; possunt.

20 Quoniam nos & patres nostri talibus morbis languemus: tu autem propter nos peccatores misericors uocaberis.

Non possumus negare nobiscũ esse peccatores multos, & præuaricatores tuæ legis, nos enim ingenue fatemur non meliores nos esse quàm patres nostros, qui talibus morbis languemus, ut sensuales simus, & cõcupiscentias bestiales sentiamus, legi tuæ rebellantes. Tu aũt fac nobiscum secundũ nomen tuum, quia clemens & misericors appellaris, ne rem tui nominis nobiscũ obmisisse uidearis, sed placare potius peccatis nostris, & fac quod diceris, gratia tua indigemus & eã suppliciter ambimus.

21 Si enim desyderaueris ut nostri miserearis, tũc misericors uocaberis, nobis autem non habentibus opera iustitiæ.

Non uideberis palàm & serio misericors appellari, nisi tibi quoq; placeat tuam nobis gratiam impartiri, & peccatorum nostrorũ misereri. Desyderaueris dixit, pro dignanter instituerit, & decreuerit, &c. Misericordia autem tua nobis omnibus est necessaria, qui opera iustitiæ non agnoscimus, & humiliter confitemur non habere, qui de nostris meritis præsumere prorsus non ualemus, sed clementiam tantum tuam appellamus humiliter.

22 Iusti enĩ quibus sunt opera multa reposita, ex proprijs operibus recipient mercedẽ.

Non sunt medici necessarij nisi ægrotis, misericordia tua opus habent tantũmodo peccatores: sic homines qui non alia agunt quàm quæ debent, & quomodo debent, qui ex fide seruant dei mandata, & studiosi sunt in uia uirtutum, qui operam dant sanctis operibus, qui perfecti sunt in timore dei, ut possunt in hoc mundo perfici homines, ij sine dubio à domino mercedem bonorũ operum percipient, isti iusti dicuntur & sunt, quia sine fide non uiuũt, cuius fructus certißimos æduntur: ex fructibus enim arbor cognoscitur. Addit autẽ ex proprijs operibus, non enim unus pro alio bene operari potest, sicut orare, quanquam & oratio quoq; pro alio utilis non est, nisi & ipse oret, & domino deuotus fiat & emendetur.

23 Quid est eñ homo, ut ei indigneris: aut genus corruptibile, ut ita amar⁹ sis de ipso?

Figmentũ humani generis à sui initio statim in parente primo deprauatũ est tantopere, ut à nullo homine reformari possit, & impotens sit ad omne opus perfecte bonũ, nec sine dei gratia bonũ agere potest. Noli ergo indignari contra hominis delicta, qui ex genere suo sanctus & innocens non est, & ex genere corrupto ortus est, et mortalis ad mortalia procliuis ex natura, ut irasci ei minus debeas. Amarus dicitur deus de homine, quia iuste pro peccatis tractat & punit, cum sit tamen benignißimus, & summe bonus, dulcis & suauis.

24 In ueritate enim nemo de genitis est, qui non impie gessit: & de confitentibus, qui non deliquit.

Insignis sentẽtia, neminẽ sine peccato esse ex genitis, qui non impie agat in uita sua, hoc est, peccet in opere, uerbo, cogitatu aut concupiscentia, etiã ex sanctis, & in fide deum reuerentibus, non est qui non offendat uel in uerbo. Confidentes autem nominat eos, qui fide deo copulantur & adhærent, cum spe et charitate. Delinquere autem est omittere in opere aliquo circumstantiam bonam ad opus sanctum requisitam, uel peccare, non omnino iustum quod est, iuste prosequi. Impie quicquam geri, est ex infidelitate uel fidei defectu delinquere.

25 In hoc enim annũtiabitur iustitia tua, & bonitas tua Dñe, cũ misertus fueris eis qui non habent substantiam bonorũ operum.

Iustus quidẽ es domine semper & bonus, sed nõ apparet hominibus nisi ex beneficijs, quæ tamẽ nusquam noret hominibus nisi ex beneficijs, quæ tamẽ nusquam noret apparẽt. Non aũt annuntiantur, nisi cũ intellexeris redditi esse bona pro malis, quod est esse misertũ: & non esse excitatũ in bonis operibus, est substantiã sanctimoniæ nõ habere, quæ ex fide habetur, & sine bonorũ operum ubertate habere, quæ ex fide habetur, & sine bonorũ operum ubertate gno fidei fructu nõ subsistit. Orat igitur Esdras, ut magnalia bonitatis suæ ostendat, misericordiam præstando indignis, & non rependendo uicem peccantibus, sed misericordiam, ut superexaltet iudicium, & ut non meminerit iniquitatum, quas admiserunt parentes, nec malorum hominum improbos mores, sed promissa bona patribus cogitet, & sanctorum fidem respiciat.

26 Et respõdit ad me, & dixit: Recte locutus es aliqua: & iuxta sermones tuos, sic & fiet es aliqua: & iuxta sermones tuos, sic & fiet

Ad hanc orationẽ angelus respõdet de domini uolun tate: Iam tandẽ aliqua recte loquutus es, quando non omnia quæ dixisti hactenus perfectorum sunt uerba. Exaudita est ergo oratio tua, ut fiat quod postulasti. Longe enim maiore clementia prosequitur semper deus populũ tuũ, quã mereatur, & patrũ sanctorũ promissiones excedere nõ possunt, quo minus fiant quæ eis promissa sunt, sed & respectus dei ad fideles in populo, magis prodest electis, quàm obsit malignitas impiorum, id autem totum ex clementia dei, quæ est inenarrabilis. Fiet ergo quod es precatus, quia digna orasti humiliter & instanter.

27 quoniã nõ uere cogitabo sup plasma eorũ q peccauerũt ante mortẽ, ante iudiciũ, ante perditionẽ: sed iucũdabor super iustorum figmentũ, & memorabor peregrinationis. q̃q;, & saluationis, & mercedis receptionis.

Quamdiu uiuitur in hoc mundo ante diem mortis et iudicij, semper locum permitto obtinendi peccãtibus per pœnitentiã, remissionẽ & gratiam, expecto enim diem præfinitum iudicij, ante quem clementer indulgeo resipiscentibus etiam in fine uitæ, antequam perditionem incidant, quæ nõ finiatur per mortẽ. Sed iustorum figmentum, ut noui nõ stare per seipsos, quo sancti sint uel perseuerent: sic boni cõsulo, & de conscientiarum humilitate & timore filiali gaudio. Non sum immemor fragilitatis agnatæ, & miseriarum peregrinationis in hac uita mor-

tali

tali, sed cogito cogitationes pacis & non afflictionis, salutis & non perditionis, & de reponenda mercede seruientibus fideliter.

28 Quomodo ergo locutus sum, sic & est. Sicut enim agricola serit super terram semina multa, & plãtationes multitudinis plantat, sed non in tẽpore omnia quæ seminata sunt, saluantur, sed nec omnia quę plantata sunt, radicabunt: sic & qui in sęculo seminati sunt, non omnes saluabuntur.

Quod de multitudine perdendorũ dixi, & paucitate electorum, uerũ est. Cuius et aliud post prædicta signum adfero, in eo qui exijt, ut seminet semẽ suum. Multa enim cum prõijciat semina, & cum multa plantaria instituat qui plantat, nõ tamen etiam suo tempore omnia crescunt & adolescunt in fructum. Sic multi quidem in hũc mundum generantur, ut filij dei fiant & saluentur, nõ tamen omnes saluãtur, hoc est pauci cõparatione dãnandorum. Sic enim solet scriptura loqui, non omnes pro paucis, ut claret ex locis multis, ideoq; tu non ægre feras, si non saluantur impij de gente tua, in gratiam sanctorum.

29 Et respõdi, & dixi, Si inueni gratiam, loquar. Quo modo semẽ agricolę si nõ ascenderit, aut non acceperit pluuiam tuã in tempore, aut si corruptũ fuerit multitudine pluuię: sic perit et similiter homo qui manibus tuis plasmatus est, & tu ei imago nominatus: quoniã similatus es ei, propter quẽ omnia plasmasti, & similasti semini agricolæ.

30 Non irascaris super nos, sed parce populo tuo, & miserere hæreditati tuæ. Tu aũt creaturæ tuæ misereris.

Prophetæ sermo ad Deum.

Si pro quia, continuo in scripturis exponitur, ut dicat hic quoq; Quandoquidẽ uideo me gratiã inuenisse tuã, ut loqui me feras, addam adhuc et aliud. Sicut quod dixi sti uerissimũ est, nõ posse semen crescere nisi seminetur: sic nec seminatũ quidem prodibit & germinabit, uel fructum ædet, nisi desuper compluatur in tempore suo. Sed nec semper ex pluuia concrescit, nempe si nimia fuerit. Sua ergo iustus illi non sufficit semini, sed oportet cœlitus foueri, sic quoq; homo mortalis & terrestris, manibus quidem tuis qui es cœlestis agricola plasmatus est, et ad tuam formatus imaginẽ, qui olim decreuisti huiusmodi formam induere, & mundo corporeus apparere, ad quam figuram omnes homines condidisti, propter quem quoq; omnia cætera creasti. Voluistiq; illum crescere & multiplicari in terra, non aliter quàm semen ab agricola terræ commendatũ. Ideoq; & similiter sine fauore tuo et gratiarum tuarum influentia non profecit homo in fructus sanctitatis, cœlitus immissarum, ideo & necessaria est homini misericordia tua, ut non irascaris, nec imbrem ꝓhibeas tuæ benedictionis, sed parce magis populo tuo, quem elegisti tibi, & quem tuis manibus confecisti plasmator omnipotens, et electæ hæreditati tuæ miserere, sicut omnũ creaturarum misereris immensa bonitate tua.

31 Et respõdit ad me, & dixit, Quę sunt præsentia præsentibus, & quæ futura futuris.

In præsentiarũ benefacio & misericordiã præsto eis, qui præsentes sunt, & meã humliter gratiã deprecãtur, qui dũ uiuunt, me pro dignitate et uirili colunt. Quæ futura aũt sunt in suũ sæculũ differo, ut tũc quoq; iustitiam faciã, iudicium præsens decerno, secundũ præsentẽ iustitiã pronũtio. Quod si quis hodie iustus cras impie agat, secundũ eam quoq; impietatem eũ sum craslino iudicaturus. Si quis à iustitia ceciderit, et impius esse cœperit omniũ iustitiarũ suarum quas fecerat non recordabor. Nulla in me mutatio locum habet, sed in creaturis.

32 Multũ enim tibi restat ut possis diligere meã creaturã sup me: tibi aũt frequenter & ipsi proximi, iniustis autem nunquam.

Non deficit à dei bonitate iustissimus homo, nec tantũ potest amare amicũ homo, quantũ dominus diligit peccatores, sed ut conuertãtur & uiuãt. Omnes in simul sancti non tantũ amare possunt piũ hominẽ, quantũ diligitur à solo deo suo. Impiũ est ergo hominẽ quẽcunq;, magis uel æque cõfidere de sanctorum fauore circa se, q̃ de gratia dei, ut nõ nisi homine, quamlibet sancto intercedente, domini clemẽtiã audeat implorare. Vnde et proximus deus est fidelibus cunctis ad indulgendũ, sed humiliatis, in quibus charitas dei diffunditur per spiritũ sanctum, cuius et templum sunt, qui delitias ducit habitare cum filijs hominũ, credẽtibus et timẽtibus deũ. Prope est ergo dñs timentibus eũ et omnibus inuocantibus in ueritate. Iniustos aũt & malos male perdit, & iudicat cum æquitate, quibus omnia male cedunt, quos respicit de longinquo.

33 Sed & in hoc mirabilis es coram altissimo, quoniam humiliasti te sicut decet teret non iudicasti te, ut inter iustos plurimum glorificeris.

Seruorum dei laus.

Mirabilem esse Hebræis, est excellere, à reliquis segregari, & quasi familiarius deo amari, quod contingit fidelibus & humilibus, mansuetis et fraterno amore syncero flagrantibus, qui omnibus prodesse cupiunt, sicut & pater eorum cœlestis, cui & legitimi filij uocantur, quia pacifici sunt, hoc est pacem & salutem omnibus procurantes magnopere. Talis Esdras fuisse uidetur ex studijs suis, quale & testimonium accepit à domino, ut humiliter de se sentiat, de alijs autem melius. Id autem decet dei seruos, ut discant à domino, mites esse & humiles corde, ut inueniant requiem animabus suis, qualem superbi nusquã assequuntur, et qui male afficiuntur ad proximos. Sancti autẽ propriam gloriam nõ inquirunt, sed omne suum donũ desuper acceptum agnoscũt, & ex gratia, suũ tãtum imperfectum aspiciunt, sibi imputant, nullis sese præferunt, nec iustitiam iactant, sed pro ignorantijs suis quotidie deum interpellant.

34 Propter quod miseriæ multæ, & miserabiles efficientur eis, qui habitant sæculum in nouissimis: quia in multa superbia ambulauerunt.

Superbia.

Nihil deo odibilius superbia, quam in nulla unquam ferre potuit creatura, propter quam & angelis non pepercit, & factis docuit humilitatem maximam in filio, quem tradidit in mortẽ ignominiosissimam: nec gloriam

aliquam, nisi humiliatis largitur. Quanto ergo superbia magis crescit, tanto plura in mundo mala succrescunt. Ideoq; incipientibus superbire hominibus, in posterioribus temporibus calamitates multæ orientur, dum superbi non nisi alta moliuntur, & dominus semper superbis resistit, quo necesse sit tumultum insignem fieri, impijs semper contendentibus superbire & ascendere, deo autem resistente & præcipitante ad inferna.

35 Tu autem pro te intellige, et de similibus tuis inquire gloriam.

Curam tui habeas, & cogita in quo domino deo tuo ualeas complacere: apud teipsum habita: noli alta sapere, sed time: soli deo gloriam da. Et non nisi de tui similibus tibi gloriam studeas aucupare, non despicias minores, nec maioribus cupias præferri, sed sectare modestiã, in qua apud dominum reputeris. Sufficiat tibi si cum æqualibus collocaris.

36 Vobis enim apertus est paradisus, plantata est arbor uitæ, præparatum est futurũ tempus, præparata est abundantia, ædificata est ciuitas, probata est requies, perfecta est bonitas, & perfecta sapientia.

Tibi tuiq; similibus humilibus modestis, fratrum amatoribus, & dei glorificatoribus, iustitiæ zelatoribus, & uerbi dei studiosis doctoribus, apertus est paradisus, qui fuerat clausus superbis & inobedientibus. Et arbor uitæ quæ negata est intellectu & affectu illicitorum tumentibus, & eis qui plus nosce & sapere uolunt quàm oportet sapere: illa restituitur simplicibus, humiliter sentientibus, & suam ignorantiã fateri non erubescentibus. Præparatum est quoq; iam uobis cœlorum regnum, quod in futurũ promittitur amicis dei omnibus & electis, ut hic felicitatem in spiritu inchoantes, suo tempore perfectam possessuri sunt mente & corpore. Præparata quoque uobis est abundantia, qui deum possidetis in omnibus, quiq; nihil habentes omnia possidetis, nec plura desideratis q̃ necessaria ad salutem & uitam, quæ abunde deus suppeditat. Aedificata iã nunc uobis est ciuitas cœlestis municipatus, aurea Hierosolyma quæ subrui à nullo poterit inimico. Et requies cõscientiarũ in sanctis, per fidẽ inspiratã & infusam gratiã probata est & cõfirmata. Bonitas quoq;, quæ alia nõ est quàm clemens acceptatio nostri à domino, iam est perfecta, ut nemo damnare audeat, quos deus probauit & suscepit in gratiã. Perfecta quoq; est hæc sapientia, qua deum credimus, reueremur, & colimus, fide, spe, et charitate: qua sapientia melior et maior cogitari non potest, perficienda tamen in patria.

Ierusalem cœlestis.

37 Radix mali signata est à uobis: infirmitas, & tinea à uobis absconsa est: et in infernum fugit corruptio in obliuione.

Radix mali à primo parente fundata, manet quidẽ in carne corruptibili, fomesq; ad mala solicitãs nõ cessat, donec uiuitur in fragilitate carnis corruptæ: sed tamen sic est signata, et clausa per dei gratiam in electis, ut fructus damnationis non germinet, uel saltem non ad maturitatem perducat. Et tinea inserta uesti uel ligno sic adest, ut mortificata per dei indulgentiam, non exedere ualeat cõscientiam. Et si in morte quoq; occurrat peccati consentia, timorq; culpæ, in promptu tamẽ fidelibus cõsolatio est de salute in Christo, in eo qui est salus, iustitia, & sanctificatio sanctorum, propter quẽ in obliuionẽ eunt, coram diuino iudicio peccata præterita, & inferni leges excidunt, minimeq; eis ligantur sancti p gratiã saluandi.

38 Transierunt dolores, & ostensus est in fine thesaurus immortalitatis.

Dolores qui nunc pro conditione mortalis uitæ sanctos afficiunt, tunc eliminabuntur, & aberunt procul luctus omnis & gemitus. Sequitur autem statim thesaurus locupletissimus immortalitatis, in quo simul aderunt omnia bona, ut nihil desiderari possit bonorum, quo minus perfecta sit felicitas, quæ manet sanctos eos qui tui sunt similes, uerbi dei per omnia studiosi, & in fraterna charitate feruentes, zelosi æmulatores gloriæ dei. In fine autem particulariter ostendetur in morte hominis, generaliter autem in iudicio extremo.

39 Noli ergo adijcere inquirendo de multitudine eorum qui pereunt.

Cessandum igitur, ô Esdras, nunc tibi est ab ista disputatione, qua te inquietum facis inaniter inquirendo causam perditionis multorũ, cum pauciores saluentur. Horum enim pendent non à ratione humana, sed à uoluntate diuina, cuius ab homine nulla est inquirenda ratio, quæ ob liquari in nullo potest, neq; deficere. Tu autẽ inquirendo tam errare poteris, quàm necessario deficies, qui tuorum operũ & cogitatuum rationes à teipso exigere admodum non uales. Domino uniuersorum commenda regimen, qui nouit solus numerum perdendorum et causas.

40 Nam & ipsi accipientes libertatẽ, spreuerunt altissimum, & legem eius contempserunt, & uias eius dereliquerunt. Adhucaũt iustos eius conculcauerunt, & dixerunt in corde suo non esse deum: & quidẽ scientes quoniam moriuntur.

Neminem deus damnabit, nisi eos tantũ, qui cũ libertatem accepissent ad bene agendum, idq; iusti essent, & bene agẽdi occasiones complurimas susceperunt, et promissiones magnificorum præmiorum, ipsi tamen data omnia, et minime coacti, sponte spreuerunt altissimũ, eum omnibus suis legibus. Dedignatiq; sunt sequi domini dei sui uoluntatem, & uias potius difficiles & periculosas perrexerũt, quàm planas et securas legis diuinæ. Earum autem uideri poterat, bona non egisse, iuxta dominum legitima, nisi & bonos, & legis dei zelatores & doctores persecuti essent & conculcauissent, dixissentq; in corde & credidissent prorsus deum nõ esse, quando nideruntur mori eos dei amicos, quos ipsi impij occidissent. Hoc enim generale scandalũ impijs ponit iustissimus, ut ab impijs occisos nõ statim uindicet in occisoribus, ut pergant blasphemare. Sanctos autem feliciter uitam suam donat consummare, uitam æternam dando pro morte.

41 Sicut enim uos suscipient quæ prædicta sunt: sic eos sitis, & cruciatus, quæ præparata sunt.

Vos quidem, ô Esdras & tui similes, deum timentes, et sancti,

sancti, prædicta iam multa bona & felicia uersu 26. susci piet, ut felicissimi futuri sitis in hac uita et futura, si ea ui uendi formula pergatis sicut facitis, si fide spe & charita te fueritis excellentes. Eos autem qui deum odiunt, et cu piunt nõ esse, uerbis suis nõ credũt, sanctos persequũtur, duriſsimus manet cruciatus et æternus qui præparatus est diabolo & angelis eius, & oĩbus negatoribus dei. Iã præparata illis supplicia sunt, quæ experiẽtur suo tẽpo re. Sitis ingens, ut Christus dixit p exemplũ diuitis epulo nis. Quorũ, ut Isaias, ignis nõ extinguetur, nec uermis morietur: bonorũ perpetuo desiderio fatigabuntur, & desperatione calamitosissima, sine omni cõsolatione.

42 Non enim uoluit hominẽ disperdi. Sed & ipsi, qui creati sunt, coinquinauerunt no men eius qui fecit eos: & ingrati fuerunt ei qui præparauit eis uitam.

Ad salutem dominus homines condit, qui uult omnes saluos fieri, et salutis uiam eandẽ omnibus apperuit, gra tia sua prosequitur, propensissime, ut sit paratissimus ad largiendum, si non pigri essent ad suscipiendum, quam potius contemnunt sua culpa, propter quã & disperdun tur. Quia nomen domini quod reuereri & sanctificare eos oportebat, illud blasphemant: creatorem suum nõ co lunt, beneficijs omnibus sunt ingrati, uiam iustitiæ & ui tæ prorsus ingredi recusant, & radicis malæ fructus ger minant maledictos. Inquinare autem nomen domini, est maiestatem domini non reuereri, sed odire.

43 Quapropter iudicium meum modo ap propinquat: Quæ non omnibus demon straui, nisi tibi, & tibi similibus paucis.

Non diu differetur iudicium domini, breue enim est omne tempus quo uiuitur in hoc mũdo, cui statim et sine dilatione succedit iudicium domini, graue & iustũ, quod sanctis quidem credentibus terribile non est, sed corona rum largitio, impijs autem horrendũ et exitiale, propter incredulitatem. Quæ quidẽ iudicia à domino, cum uide bitur, sanctis dominus reuelabit, ut nunc Esdræ & sibi similibus, quos hic dei spiritus & uerbum ueritatis pau cos esse pronuntiat, quod & Esdras conqueri & ægre ferre non cessat.

44 Et respondi, & dixi, Ecce nunc domine demonstrasti mihi multitudinem signorũ, quæ incipies facere in nouissimis: sed non demonstrasti mihi quo tempore.

Tempora nouissima.

Signa sibi demonstrata dicit, eorum quæ fient in no uissimis, quod aliud non est, quàm per signa docuisse bo norũ futurã remunerationẽ, & malorũ damnationẽ. No uissima autẽ tempora Hebraico more, non semper sed ra ro dicuntur ultimum iudiciũ, & finis mundi, sed frequen tius posteriora tempora comparatione præsentium. Si cut & non raro tempora Messiæ & ecclesiæ congregan dæ ex gentibus dicuntur nouissima tempora, quandoqui dem durabunt usque ad sæculi cõsummationẽ. Inter mul ta autem dixerat angelus de fine huius Babylonici regni, sub quo tunc Iudæi tenebantur exules, pro quorum libe ratione erat solicitus, & ardenter orabat. Ideo hic quoq; alijs omnibus obmissis, de eo negotio latius intelligendo

orat, unde & de eo consequenter fit sermo.

CAPVT IX.

1 ET respondit ad me, & dixit, Metiens metire tẽpus in semetipsos & erit, cũ uideris, quando transi erit pars quędam signorum quę prædicta sunt, tunc intelliges quoniam ip sum est tempus, in quo incipiet altissimus uisitare sæculum quod ab eo factum est. Et quando uidebitur in sæculo motio loco rum, & populorũ turbatio, tunc intelliges quoniam de his erat altissimus locutus à diebus, qui fuerunt ante te ab initio.

Apud temetipsum, ô Esdras, expende quæ dicta sunt tibi, futura multa suis temporibus, maxime autẽ de remis sione captiuitatis, in qua nunc populus dei est, pro quo oras, & in cuius gratiam tanta tibi quotidie reuelat, quẽ nondum reliquit, nec est unquam relicturus, propter sa crosanctas reliquias semper duraturas. Quã reductionẽ & reditũ præcedet magnus gentiũ tumultus, in quo tan tum imperiũ Chaldæorũ inopinato casu annihilabitur. Hæc autem Babylonici regni destructio, & tanta cõmo tio terræ, pars quædam sunt eorũ signorum quæ futura prædixi. Quibus uisis oculis tuis, quandoquidẽ eis adhuc temporibus tu uiues, in hoc tuo corpore, tunc certius q̃ nunc sperare poteris etiam alia futura esse propediem, quæ iam tibi reuelaui. Exhibitione enim præteritorũ fi dem comfirmabis de eis quæ sunt futura ut ueniant, æque prædicta. Statim enim tunc uisitare incipiet dominus po pulũ suũ, quẽ fecit, et hoc sæculum, in quo tu nunc uiuis, uidebis enim horribilem commotionẽ tui sæculi, & popu lorum perturbationes, uincentiũ & uictorum. Tunc in telliges in ianuis esse ea, quæ iamdudum prædixi per pro phetas Isaiam, Ieremiam, & reliquos, quæ & nunc tibi quotidie loquor, ut ores feruentius.

2 Sicut enim omne quod factum est in sæculo, initium habet, pariter et consummati onem, & consummatio est manifesta: sic & altissimi tempora initia habent manifesta in prodigijs, & in uirtutibus, & cõsumma tiones in actu & in signis.

Quæ in mundo fieri incipiunt ab hominibus magnis, illa uidemus non raro compleri & consummari, siue re gna obtineantur, siue extruantur urbes, siue bella susci piantur, finem suum tandem percipiunt omnibus quorũ interest manifestum. Multo magis quæ deus optimus ma ximus instituit, & suis reuelauit amicis prophetis, & uo luit in perpetuam memoriam cõscribi, ut mundus sciret uniuersus, ista minime poterant suo carere fine. Fieri nõ potest, ut non impleãtur, quæ dominus futura, & factu rum se statuit & promisit. Sicut enim manifeste prædici ea uoluit & promitti, sic manifeste ea quoq; conficiet et complebit. Quæ tu tũc proximo instare iudicabis, quan do tibi quoque prædicta signa præcessura, iam tuis ocu lis confici & comparere conspexeris.

3 Et erit, omnis qui saluus factus fuerit, & qui poterit effugere per opera sua & per fi-

dem, in qua credidiſtis, relinquetur de prædictis periculis & uidebit ſalutare meum in terra mea, & in finibus meis, quoniam ſanctificaui me à ſæculo.

Sanctificatur deus in ſanctis.

Semper & in omnibus huius ſæculi negotijs ſanctificatur dominus, cuius per omnia fit ſacroſancta uoluntas & beneplacitum. Sẽper enim ſaluantur homines pij, & qui deo curæ ſunt propter fidem & opera, ſecundũ uerbum dei. Siue tumultus ingruat & bellum, ſiue generalis mundi perturbatio, ſancti ſaluantur per ſuum patrem et dominum, & ueluti in faſciculo uiuentium apud deũ cuſtodiuntur animæ piorum, 1. Regum 25. Effugiunt enim propter opera ſua quæ faciunt ex fide, iuxta uoluntatẽ dei, quia ſeſe totos per fidem credunt domino ſuo. Ideo et in periculis ſeruantur totius orbis, et communibus ſtragis, impijs pereuntibus ipſi ſuſcipiũtur à domino, & illis digna & felici morte rapiuntur ex hoc mundo ad felicitatem, quæ illos expectat. Sic & Iſraelitæ capti in Babylonem ſeruati ſunt dum Babylon caperetur, reſeruati in tẽpus, quo cũ gaudio ad propria eſſent rediturí, ad terram Iſrael, quæ proprie dei eſſe dicitur, quia filiorũ dei patria, & typus cœleſtiũ manſionum, & ſupernæ Ieruſalem, ubi ſanctificandum ſit peculiariter nomẽ dei.

4 Et tũc miſerebuntur, qui nũc abuſi ſunt uias meas: & in tormentis commorabuntur hi qui eas proiecerunt in contemptum.

Si qui inter Iudæos et gentes erãt, ut ſemper ſunt multi, qui uias domini non agnoſcunt, nolunt ſectari, ſed libidines proprias carnis, contempta dei lege magis eligunt, iſti pro contemptu tali, in tormenta conijcientur, ubi & ſine fine cõmorabuntur. Si qui uero de ſuis abuſibus reſipiſcunt, non illis nocebit, uel damno perpetuo erit legis diuinæ præuaricatio, ſed miſericordiam conſequentur. Illi in ſuam hæreditatem reuerſi, bene habebunt, & gloriam meam aſpicient.

5 Qui enim non cognouerũt me, uiuentes beneficia cõſecuti: et qui faſtidierunt legem meã, cum adhuc erãt habentes libertatẽ, & cũ adhuc eſſet eis apertus pœnitentię locus nõ intellexerunt, ſed ſpreuerunt: hos oportet poſt mortẽ in cruciamento cognoſcere.

Qui quãdiu uiuebant, multis à me beneficijs affecti, ſemper ingrati fuerũt, ſed & æquiſſimas & ſanctiſſimas leges meas, ex magna miſericordia illis datas faſtidierũt, data opera, ſine neceſſitate uel coactione aliqua abiecerunt, ne mihi ſubeſſent, cum poſſent, ſi uoluiſſent meam gratiam amplectentes cuſtodiuiſſe & ſeruaſſe eam, uel poſt præuaricationem eius ſtatim reſipuiſſe, non tamen attendere aliquatenus uoluerunt ad uoluntatẽ meam, ſed magis ſpreuerunt. Quæ talibus dignior rependeretur remuneratio pro tanto cõtemptu ſummæ maieſtatis, et maximorũ beneficiorum, quàm cruciamenta perpetua poſt hanc uitam? ut morte æterna occidantur, nunquam tamẽ morituri.

6 Tu ergo noli adhuc curioſus eſſe, quomodo impĳ cruciabũtur: ſed inquire quomodo iuſti ſaluabuntur, & quorum ſæculum, & quando? Vo

Cum igitur certiſſimum ſit impios omnes poſt hanc uitam cruciandos diuino iudicio, quod ſpreuerant uiuẽtes, non tamen inueſtigari oportet nunc à uiuentibus modus, menſura, qualitas, & quantitas eius pœnæ. Sed magis beneplacitum liberalitatis & clementiæ diuinæ, quæ manet eos, qui obediunt deo. Omnis fidelium cura ſit, cogitare de domini uoluntate & gratia promerenda, non quid in obedientes paſſuri ſint, ſed quid dominus uelit, in quo illi gratificemur et obſequamur, ut eius æterna beneficia cõſequamur poſt præſentia. Non cogitat probus filius de ſeruorum improborum flagellis, ſed de patris amore & iuſſu, nihil ſolicitus de plagis, ſed de implenda patris uoluntate, non dubius de hæreditate & fauore patris, ſi illum nunquam contempſerit. De iuſtorum potius ſorte cogitandum erit iuſtis, propter quos ſæculum omne et quæ in ſæculo condita ſunt, ut eo utantur & fruantur legitime, donec uixerint, & durauerint.

7 Et reſpõdi, & dixi, Olim locutus ſum, & nũc dico, & poſtea dicam: quoniam plures ſunt qui pereunt, quàm qui ſaluabuntur: ſicut multiplicatur fluctus ſuper guttam:

Quomodo habituri ſint, & quid paſſuri ibi, qui propter ſuis criminibus & perfidia damnantur, iubes quidẽ non eſſe me ſolicitum, id quidem faciam. Non tamen adhuc leuari poſſum tãta admiratione, qua maceror, qui fiat tanta dei bonitatem, & qua ratione, ut multo maior ſit numerus peccantium ſemper, et non obedientium domino, ut mereantur iuſte damnari, quàm ſit eorum, qui in lege domini meditantur, & creatori per omnia obſequuntur ut ſaluentur, maxime cum longe numerus impiorũ excedat iuſtorum multitudinem, ſicut fluctus torrentium maximerum excedat guttarum, uel magnitudo fluminis uiuacem, ut ita loquar, uel minimam guttam, cum pulchrius uideretur multos eſſe optimos homines, malos autem perquàm raros & paucos.

8 Et reſpõdit ad me, & dixit, Qualis ager, talia & ſemina: & quales flores, tales & tincturæ: & qualis operator, talis & creatio: et qualis agricola, talis cultura: quoniam rempus erat ſæculi.

Reſpondet iterũ quæſtioni per ſimilitudines, quia ſi ager, licet, per peccatum primũ corrupta ſit natura humana, ut lõge procliuior ſit ad mala, quàm bona. Quã propẽſt onẽ imitatur tanquã connaturalẽ factã homini per peccatũ, ut rariſſimi ſint, qui uim faciant malis ſuis inclinationibus, & gratiã dei oratiõibus impetrare malint, quàm ſectari carnis illecebras, et quæ placent. Talis, inquit, eſt ager cordis humani, ut de natura ſua quã nũc habet, non alia ſemina producere poſſit quàm ferat maledictio quã accepit. Omnino enim talis apparebit in æſtate ager, qua lia in uere ſemina ſuſcepit, ut ſi in benedictione ſeminatus ſit, fructus quoq; referat benedictos. Si parce ſeminatus ſit, uel parum idoneo ſemine, parce etiam de eo metetur. Habent ſinguli quoque flores ſuas quaſque tincturas, iuxta ſuam naturam. Et ſi quis ſcite & diligenter operetur, is etiam aptiores proferet operas, creaturas, quã ſi-

ſuras.

turæ. Imperitus agricola non proſperabitur in ſua cultura: ſic fit in tempore huius ſæculi, ut arbor mala malos quoque proferat fructus, ſicut & bona bonos. Sic homo in ſua origine faſcinatus, non poteſt ex ſe ſanos proferre fructus, ſed ab adoleſcentia propenſus ad mala, ſine externo gratiæ dei auxilio nõ proferet niſi mala.

9 Et nũc cum eſſem parãs eis his qui nunc ſunt, antequam fieret ſæculum, in quo habitarent: et nemo mihi contradixit:

Loquitur ubique angelus in perſona domini, à quo miſſus eſt, & cuius agit negotium & nuntium. Verbũ enim domini dominus eſt, qui hic ſic loqui introducitur. Dum ante mundi totius conſtitutionem, quando nihil eorum eſſet, quod nunc eſt, cogitarẽ de mundo condendo, nemo erat qui conſilium daret, qui præſcriberet eius fõrmam, aut rationem doceret, quomodo quidq; ſtatuendũ, ſed ſolus ego, quæ uolui et quomodo bonum iudicaui omnia feci. Ideoq; & nunc nulli rationem huius facti reddere debeo neque uolo. Voluntas mea ratio eſt omniũ quæ ſunt creata, ut nulla alia ſit à quocunq; requirenda. Vt ſic conderetur uoluntas mea fuit, et conſilium proprium à nullo ſuſceptum, ſed ideo bonum, quia ſic mihi complacitum, ut de totius mundi uniuerſo ordine homo non debeat curioſius diſcutere rationem, ſed ſic domino placuiſſe abunde ſibi quoq; ſufficere, tantumq; incumbere, ut ſuo creatori ualeat modis omnibus complacere, in nullo contradicere.

Voluntas dei ratio uerbum dei.

10 tunc enim quiſq;, & nũc creator in mundo hoc parato, & menſe indeficiẽti, & lege inueſtigabili corrupti ſunt mores eorum.

Eadẽ quoque domini uoluntate ſacra, qua tunc mundus eſt conditus, eadem nunc & ſemper creaturæ producuntur, & homines quoque omnes, quibus hic mundus paratus eſt, ut inhabitent, & cœleſtis influentia, quã mẽſem uel lunationem nominat. Alij meſſem legunt, indeficiente opera & actione homini miniſtrans, in manu, hoc eſt uoluntate dei per omnia conſiſtit, ut præter eam nulla ratio perueſtiganda ſit. Corruptio autem morum in hominibus, non deo, nec eius uoluntati tribuenda eſt, ſed hominis malitiæ, quam ſua culpa incidit, & ad quam manus ſuas porrexit, cum præberetur ei bonũ & malum, ſcientia & error, iuſtitia & culpa. Ipſe ſibi homo uoluntate libera elegit malum errorem, & culpam, quæ lex membrorum & naturæ deprauatæ dicta, ſemper durat in homine, pro imperueſtigabili iudicio dei.

Mẽſem, cursum, uiam.

11 Et conſideraui ſæculũ, & ecce erat periculum propter cogitationes quæ in eo aduenerunt.

Nemo ergo ſine tranſgreſſionis periculo hunc nunc mundum inhabitare poteſt, quandoquidem omnes hominum cogitationes tantum pronæ ſunt ad malum omni tempore. Eſt enim poſitus mundus in maligno, propter dominum ſuum inſtitutum hominem, qui ut corruptionẽ incidit neceſſe fuit etiam familiam uniuerſam nõnihil cõfundi, minime reſtituenda, niſi per eum qui condidiſſet partem aliquam, ſed nobiliſſimam factam, primogenitũ ſcilicet omnis creaturæ, Chriſtum ſaluatorem.

12 Et uidi, & peperci ei ualde: & ſeruaui mihi acinũ de botro, & plantationẽ de tribu multa. Pereat ergo multitudo, quę ſine causa nata eſt, & ſeruetur acinus meus, & plãtatio mea: quia cum multo labore perfeci.

Quanquã autem mundus, & is qui in mundo eſt optimus generaliter deprauatus ſit, ut nemo ſit abſque peccato, ne infans quidem cuius ſit unius diei uita ſuper terrã. Deniq; gentiũ omnium maxima multitudo ſectatur concupiſcentias & errores, ignorantiam diuinorum, impios cogitatus, uerba & opera, non tamen omnes. Sunt enim ex hominibus quidam quos elegi, reſpiciens oculis clementiæ meæ, quibus peperci, ut non communi prauorum lege tenerentur fideles aliqui. Quos paucos quidem ex multis præſeruaui per gratiam, ueluti ſi quis acinum de botro reliquum ſeruet, & racemationẽ faciens, inquirat paucos ſaluandos poſt multos deperditos. Sic ego Iſraeliticam gentem ſelegi mihi, ex infinitis tribubus et cognationibus populorum, quos mihi ad peculium aſſumpſi, & ueluti plantationem per exciſam arborem. Multitudo ergo hominum quæ ſine dei ſcientia & fide conuerſatur & uiuit, nec uult in horto dominico, uel uinea domini ſabaoth, uel creſcere uel fructificare, ea pereat, eradicetur, & conijciatur in ignem. Sinæ cauſa enim nata eſt, quia non aſſequitur finem ad quem condita eſt. Seruabitur autem ex gratia & meritis ſuo modo acinus, quia reliquiæ ſaluæ erunt, nempe plantatio domini, quã dominus dicitur multo labore perfeciſſe. Quid enim illi uineæ facere debuit quod non fecit?

Pauci electi

13 Tũc autem ſi adhuc intromittas ſeptem dies alios, ſed nõ ieiunabis in eis: ibis in campum florum, ubi domus nõ eſt ædificata: & manducabis ſolummodo de floribus campi, & carnem non guſtabis, et uinum non bibes, ſed ſolummodo flores: deprecare altiſſimũ ſine intermiſſione, et ueniam, et loquar tecum.

Solicitatur ab angelo de uoluntate dei, & præparatur ad aliam uiſionem, demonſtrandam poſt alios ſeptem dies, quos in ſolitudine tranſigere debeat, abſque conſueto ieiunio. Habitaturus in campo & de floribus ſalubribus illius regionis paſcendus ad neceſſitatem, non ad luxum, ubi & orationibus incumbat, ſi quo modo dominus ut antea ipſi ſecreta ſalubria ſcitu reuelare dignetur, eſt autem ſine intermißione ſic orandum ad dominũ, ut externis & impertinentibus negotijs non diſtrahatur à deſiderio ſancto, & phantaſiæ imaginatio fortioribus cogitationibus non occupetur, ut locũ inueniat inſpiratio ſancta.

14 Et profectus ſum, ſicut dixit mihi in campum, qui uocatur Ardath, & ſedi ibi in floribus. Et de herbis agri manducaui, & facta eſt eſca earum mihi in ſaturitatem.

Videtur etiam ſibi campus ſignificatus fuiſſe, quò ſe cõferret. De nomine autẽ eius quod Ardath ſcribitur, certi nihil ſcio ex ſcripturis, ueriſimile eſt prope urbẽ Babylonicam fuiſſe, eo tẽpore ſic dictus locus. Sedere Hebræ

ũ, est habitare & conuersari. Non enim septem diebus semper sedit. Non est hic inquirenda ratio de modo uicti tandi ex herbis aut floribus, non est apud deum impoßibile omne uerbum. Et Baptista Ioannes sustentatus est similibus. Et totus Israel in eremo uirtute dei tanto tempore pastus est. Quando nõ in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo dei.

15 Et factum est post dies septem, & ego discumbebam supra fœnũ, & cor meum iterũ turbabatur sicut ante. Et apertũ est os meũ, & inchoaui dicere coram altissimo, & dixi,

Perseuerantia opus est in oratione, quæ notatur per septẽ dies, id est multos. Fœnũ nominat gramina & flores, quibus adiuuabatur ad contemplationẽ uirtutis diuinæ, & mirabiliũ operũ eius, mente aũt turbabatur propter populũ domini, & propter gloriæ diuinæ cõtemptum inter gentes, propter peccata et miserias suæ gẽtis, & proprias, à quibus aliquando releuari cupiebat, & eximi cũ suis ex gratia dei, quã optabat citius cõdonari, & nõ tamdiu differri redẽptionem ab exilio. Propter quod magno affectu loqui cœpit, quod est aperire os, & alloqui in oratione nõ alium quam altißimũ, ut diceret:

16 Ô domine, te nobis ostendens ostensus es patribus nostris in deserto, quod non calcatur: & infructuoso, quando erant exeuntes de Aegypto: & dicens dixisti, Tu Israel audi me, & semen Iacob intende sermonibus meis.

Ostenderat sese dominus olim sæpe patribus Abrahæ, Iacob, & Mosi, celebrior autem ea habetur, qua se in monte Sinai ostendit toti populo dei, in datione legis, & deinde frequenter supra tabernaculum, sine intermissione in nube & columna, quamdiu moram trahere coacti sunt peccatis urgentibus & pertransire infructuosißimum eremum, à tempore egressus de Aegypto, usq; ad ingressum in hæreditatem, ultra & cis Iordanem, populo Israelis diuiso sortibus. Ibi enim, hoc est in monte Sinai, dixisti, ô deus, ut Israel audiret te, hoc est pareret tuis legibus, & uerbum dei minime sperneret.

17 Ecce enim ego semino in uobis legem meam, & faciet in uobis fructum, & glorificabimini in eo per sæculum.

Sermonibus & opera Mosis tunc deus semina ueritatis & iustitiæ inseruit cordibus piorum Israelitarum, ut proficeret per dei gratiam, & studia pietatis in fructus iustitiæ, ut gloria dei & potentia simul & fides populi illius celebraretur per omne sæculum, toto tandem orbe terrarum. Ad hoc enim assumptus est Israelis cognatio ad seruitium dei, ut obediens & deuota glorificaretur in sæculo, & illorum patres ad dei gloriam celebrarentur: incredula autem & rebellis, toti mundo cederet & exaret ad exemplum.

18 Nam patres uestri accipientes legẽ, non seruauerunt, et legitima mea non custodierunt, & factus est fructus legis non parens: nec enim poterat, quoniam tuus erat. Nam qui acceperunt, perierunt, nõ custodientes quod in eis seminatum fuerat.

Vtcunque multa tua gratia legem uitæ illis tradideris, quam seruantes saluarentur & uiuerent, ipsi tamen eam sibi mortis fecerunt iudicium, dum non solum non eam seruauerunt, sed cum legislatore semper oderunt et persecuti sunt, ideo nullum legis dei fructum ædiderunt, hoc est mortem potius sibi ex lege procurarunt. Cessit enim eis præuaricatio legis ad mortẽ, quæ in se bona extitens mortem operata est impijs & rebellibus, qui licet pro tanto tui essent, quia à te electi in peculium & ex Aegypto redempti, tui tamen esse noluerunt, recipientes enim sub contestatione super se legem seruandam, illam tamen non custodierũt & semen sanctum prauis suis affectibus fœdauerunt, infamauerunt, & obruerunt ne fructum æderet, ideoq; & perierunt omnes occisi in solitudine præter duos.

19 Et ecce, consuetudo est, ut cum acceperit terra semen, uel nauẽ mare, uel uas aliquod escam uel potum: cũ fuerit exterminatum id, in quo seminatũ est, uel in quod missum est: simul id quod seminatũ, uel missum est, uel quæ suscepta sunt, exterminantur, & suscepta iam non manent apud nos.

20 Sed nobis sic nõ factum est. Nos quidem qui legem accepimus peccãtes periuimus, et cor nostrum quod suscepit eam: nam lex non periit, sed permansit in suo labore.

Quanquam nos Israelitæ, sicut & patres nostri, per inobedientiam perierimus, tunc in solitudine mortui, deinde sæpe grauibus iudicijs puniti, nunc uero de statu nostro præcipitati, & in exilium relegati, dispersi in orbẽ, non tamen propterea lex dei periit, non euacuata est à suo fructu uel potestate, adhuc enim obligati eidem sumus. Nõ enim sic lex periit in Israel, ut semen periit in terra salsuginis, uel nauis submersa in mari, ut potus uel esca ualse confracto. Vtcumq; enim uasa legis infidelium corda confracta sunt, non tamen lex fracta est, ipsis commendata hominibus. Legem enim suscepimus, per inobedientiam legis perditi sumus, & corde nostro deprauati: non tamen lex periit, sed adhuc nos ligare non cessat, quo ad ea quæ uerè sunt legis, quæ & in decalogo continentur, quæ in reliquis scripturis postea multis explicantur sermonibus, cancellis quoque quibusdam ceremoniarum et iudiciorum muniuntur, ut facilius ei adhæreatur, et à populo sufficientius capiatur.

21 Et cum loquerer hęc in corde meo, respexi oculis meis, & uidi mulierẽ in dextera parte, & ecce hæc lugebat, & plorabat cum uoce magna, et aïo dolebat ualde, & uestimẽta eius discissa, et cinis super caput eius.

Hic uisio incipit, & narratur per singula. Primũ quid uiderit describit. Deinde quid portendat significat, in medio sequentis decimi capitis. Sic autem Esdra loquente cum domino & orante, statim ei respondetur per spectrum mulieris, quæ significabat synagogã iudaicam, & patet satis litera quæ sequitur. Luget autem perpetuo synagoga impietatem & rebellionem multorum in sua

in sua gente, qui Israelitas quidem se dici gloriabantur, & peculium dei, non tamen obsequebantur eius uolun-
tati & legi. Scissa dicuntur uestimenta, propter fœderis cum deo initi frequẽtes transgressiones. Caput aspersum
cinere, quia sacerdotes & Leuitæ semper primi fuerunt
in præuaricatione legis, intra & extra terrã promissam.
22 Et dimisi cogitatus, in quibus eram co-
gitans & conuersus sum ad eam, & dixi ei,
Vt quid fles? & quid doles animo?

Sic dominus sua prouidentia agit in spectris & ne-
gotijs: hic omisso luctu & oratione, consolari nititur
fœminã calamitosam, ideo propriam meretur intra suam
conscientiam, & pro toto populo suo, quem tantopere
23 amabat, ut nullam pro eo non amplecteretur tristitiam.
Et dixit ad me, Dimitte me domine me-
us, ut defleam me, & adijciam dolorẽ: quo
niam ualde amaro sum animo, & humilia-
ta sum ualde.

Deflet synagoga malitiam filiorum suorum, propter
quam omnipotens sponsus & maritus, castigare cogitur
ipsam, cum sit iustissimus, & ingratitudinem pro tantis
beneficijs ac infidelitatem pro promissis necessario uin-
dicat, pro quo dolere cogitur, & amare flere, cum con-
tinuo incremento pœnarum pro magnitudine delictorũ,
donec humilietur, hoc est prosternatur, & omnem suam
24 honestatem amittat.
Et dixi ei, Quid passa es? Dic mihi. Et di
xit ad me, Sterilis fui ego famula tua, & nõ
peperi, habens maritũ annis triginta. Ego
enim per singulas horas, & per singulos
dies, et annos hos triginta deprecor altissi-
mum nocte, ac die.

Sterilitatem hic queritur, non paucitatem filiorum,
quos multos habuit, sed pro tenuitate status & gloriæ in
ter cæteras gentes eo tempore. Maritum habuisse trigin
ta iam annis, est totũ generationis tẽpus perdidisse, quan
do iam quinquagesimum ætatis annum attingere uideri
poterat, ut per naturam sterilis habeatur, et gratiam de-
super filiorũ à domino orationibus impetrare tanto tem-
pore non potuerim, quamlibet indesinenter orarim.
25 Et factum est, post triginta annos exau-
diuit me deus ancillam tuam, & uidit hu-
militatem meam, & attendit tribulationi
meæ, & dedit mihi filium:

Tandem synagoga accepit locum & ordinem diuini
cultus iuxta legem Mosaicam, longo tempore post inha-
bitatam terram à Iosue, cum nondum locus diuino cultui
electus certò reuelatus fuisset Dauidi, nempe ante cla-
dem pestilentiæ, & designatum sacrificij locum in area
26 Ornan Iebusæi: de quo uide suo loco.
Et iucundata sum super eũ ualde ego, &
uir meus, & omnes ciues mei, & honorifi-
cabamus ualde fortẽ. Et nutriui eum cum
labore multo. Et factum est, cum creuisset,
& uenisset accipere uxorẽ, feci diem epuli,

Gauisus ualde fuit Israeliticus populus de prosperita-
te sua, collata sibi sub regno Salomonis, quando clarita-

tem maximam in regnis & nationibus consecuta, quasi unigenitum filium peperisse uidebatur, hoc est maximi honoris occasionem se percepisse credebat. Fortem no-
minat ipsum deum omnipotentem, quem laudabant Israe
litæ pro gloria gentis et regni Salomonici. Nutriuit hunc
filium, hoc est dei cultum instituit templo ædificato mul-
tis laboribus & impensis. Accipere uxorẽ, est sese apta-
re ad propagationem regni glorioſi ad posteros. Epula-
rum autem dies fuit maiestas regia & potestas, post ex-
tructum templum, sacerdotium institutum, domos regias
ædificatas, collectos census & tributa, initasq; amicitias
cum uicinis regnis & populis pro se & suis posteris.

CAPVT X.

1 ET factũ est, cum introisset filius
meus in thalamo suo, cecidit, &
mortuus est: & euertimus om-
nes lumina, & surrexerunt om-
nes ciues mei ad consolandũ me, & quieui
usq; in alium diem usq; nocte.

Inepte distinguuntur capita librorum ferè tota scri-
ptura, etiã canonica, ut tanto minus in hoc libro idipsum
admurari contingat. Thalamus introitur, quando regnũ
confirmari uidetur, & perpetuo duraturum promitti-
tur, si fides seruetur domino & sponso. Sed tunc statim
in Roboam cadere cœpit, & consequenter semper de-
bilitatum est, per scissuras & hostiũ incursiones sub mul
tis regibus utriusque regni, Iuda & Israel, donec ultimo
capta ciuitate, & templo combusto, cultuq; diuino ces-
sante, & populo in exilium relegato, totus dei fauor &
matrimonij illius fructus periisse uideretur. Quando &
euersa sunt lumina, cessaruntq; prophetiæ omnes in ter-
ra Israel, & nox tenebrosa desolationis omnem terram
Israel occupasset. Euersio quoque luminum, est ablatio
omnis materiæ gaudiorum, quæ in tenebris haberi non
possunt. Amici consolatores prophetæ fuerunt, qui de
restituenda urbe & regno, deq; Messiæ aduentu multa
prædixisse legebantur in sacris literis. Alius dies quietis
uideri potest, tempus ab Ezechiæ regno, quãdo regnum
ferè destructum uidebatur, restante sola urbe Ierusalem,
tamen cum maxima gloria resloruit, usque ad tempora
Iosiæ & filiorum eius, usq; ad Sedechiam ultimum.
2 Et factum est, cum omnes quieuissent ut
me cõsolarentur ut quiescerem: & surrexi
nocte, & fugi: & ueni sicut uides in hoc
campo: & cogito iam non reuerti in ciui-
tatem, sed hic consistere: & neq; manduc-
care, neq; bibere, sed sine intermissione lu-
gere, & ieiunare usq; dum moriar.

Erant multi qui consolarentur prophetæ, maxime Ie
remias, sed frustra. Eius enim temporibus abijt synago-
ga in captiuitatem Babylonicam, in campum Chaldaicæ
prouinciæ. Vbi tamdiu cõuersata est, ut inciperet de re-
ditu desperare, & in continuo dolore animi ferre op-
probria, scandala, peccata suorum, & clades multas sub
impijs regibus per septuaginta annos. Hæc querela mu-
lieris, quam per uisionem cernebat Esdras opere diuino:
quæ tamen omnia infra latius exponuntur.

3 Et dereliqui sermones in quibus eram, & respondi cum iracundia ad eam, & dixi, Stulta sup omnes mulieres, nõ uides luctũ nostrũ, & quę nobis contingunt? Quoniã Sion mater nostra omni tristitia contristatur, et humilitate humiliata est, et luget ualidisse. Et nũc quoniam omnes lugemus, & tristes sumus: quoniã omnes contristati sumus, tu autem contristaris in uno filio?

Sermonem habuerat secum ad dominum de peccatis patrum, quibus tanta mala, in quibus uersabantur, debebantur, & iam incumbebant populo suo. Id quod interim hoc mulieris paradigmate, ex alio medio ostendebatur, ut dictum est. Quo ostendebatur numium se dolere, & solicitum esse de ratione iudiciorum dei, & indefatigabili mœrore moueri de exilio gentis, quod illi deus iuste decreuerat. Irascitur mulieri de numio luctu, cum idem ipse committeret. Stultissimam pro luctu pronuntiat de tam parua causa unici amissi filij. Ostendens maximum suum zelum quem gerebat pro populo dei, ut in omnibus huius mundi euentibus qui occurrebant, nihil citius cogitationi ingerebatur, quàm gentis suæ & paternæ hæreditatis desolatio, quam omnium maxime à cunctis uoluisset lamentari, unde et loquitur mulieri: Potésne tantum plangere tuum unum filium mortuum, cum uideas totius Israelis cladem, & angustias, quæ nobis omnibus contigerunt? Cum totus Israel, regnumq; Iuda & synagoga omnis, quæ dicitur Sion mater, materiam arduam & grauissimam habeat maximæ tristitiæ pro tantis malis inferius late enumerandis.

4 Interroga enim terrã, & dicet tibi: quoniam hæc est, quæ debeat lugere casum tantorum super eam germinantiũ. Et ex ipsa ab initio omnes nati, & alij uenietis: & ecce, pene omnes in perditionem ambulant, & exterminium fit multitudo eorum.

Tanta est miseria terræ nostræ, ut eam ad sufficientiam ipsa tota semper dolens, plangere non ualeat. Eam si cur lugeat quæsieris, longe grauiores proferet planctuum causas, quàm tu habeas. Nihil enim sanum & integrum relictum est in ea, ut merito dicantur lugere uiæ Sion, eo quod nemo ueniat ad solennitatẽ, quæ cessarunt omnino. Nec sola Sion de qua dictum est, sed tota habitabilis terra, quottanis perdit germina sua sub hyemẽ, & omni decore suo destituitur, cum per totum uernale tempus ex se tam pulchra & utilia generarit. Quicquid enim tam animalium quàm plantarum ac hominũ uiuit, hoc ex alma terra progeneratur, quæ tamen omnia suo tempore concidunt, ut in suam matrẽ redeant, nunquam eadem numero reuersura.

5 Et quis ergo debet lugere magis, nisi hęc quæ tam magnam multitudinẽ perdidit, quàm tu, quæ pro uno doles?

Longe maiorem luctus causam terra habet, quæ uno tempore, uel etiã consequenter, tanta et tot amittit ex se generata quàm tu, quæ de uno tantum filio sic tristaris amisso, ut nullã suscipere uelis ueri similem consolationẽ.

6 Si autem dicis mihi, Quoniam non est planctus meus similis terræ: quoniam fructum uentris mei perdidi, quem cum mœroribus peperi, & cũ doloribus genui: terra autem secundum uiam terræ, abitq; ea multitudo præsens, quo modo euenit: & ego tibi dico, sicut tu cum labore peperisti, sic & terra dat fructum suum homini ab initio ei qui fecit eam.

Pulchre respondet tacitæ obiectioni, qua diceret mulier, Non est similis dolor terræ dolori meo. Ego mulier dolore genui meum filium, tanto tempore desideratum, tarde susceptum ac unicum, nunquam reuersurũ. Terra autem sine dolore progerminat fœturam suam, & tuxta naturæ uiam quottannis repletur germinibus nouis, id mihi negatum plango nõ immerito. Ad id ego, inquit, sic tibi respondeo, ô mulier. Sicut terra ipsa hominibus eorum fructibus suis prouentũ largitur uberem, in horrea & apotheca reponendum, siue id laboribus fiat siue minus: sic quoq; homines qui generant filios, non sibi generant, sed deo suo, qui tales sic uoluit suo tempore nasci, et cum uoluerit in suum usum & horreum reponere: propterse metipsum enim oĩa creauit, & semper creat altissimus.

7 Nunc ergo retine apud temetipsam dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerunt casus.

Desine ergo, tu mulier, dolere tantisper, et fortiter fer casum quem impedire nõ potuisti, nec reuocare iactum. Dominus est, qui hæc oĩa agit in omnibus, pro sua sapientia & bonitate, cui hæc oĩa referenda sunt accepta, ipse his omnibus utitur in gloriam suam & fidelium salutem.

8 Si enim iustificaueris terminum dei, & in consilium suum recipies in tempore, & in talibus collaudaberis.

Si querelas multas contra dei prouidentiam deposueris, nihil proficies, sed te culpabilem sentiens, & undiq; temeritatis tuæ non effugies. Si iustitiã dei intellexeris, & confessus humiliter fueris humilitatẽ tuam, & ipsius maiestatis potentiã, ac per omnia bonitatem, cõsiliumq; ipsius sacrosanctum reueritus fueris, non solum in secuto anumarum gloriam multam suscipies, sed etiam in præsenti uita multa tranquillitate frueris, & beatus laudaberis, qui te totum creatori offeras, à quo solo omnia fata pendent, cuius bonitati te totum committas.

9 Ingredere ergo in ciuitatem ad uirum tuum. Et dixit ad me, Non faciam, neq; ingrediar ciuitatem, sed hic moriar.

Hortatur fœminam, sese marito conciliet, & non nimis de casu irreuocabili sese maceret sine omni fructu. Sic sibijpsi Esdras consulere debebat, ut sese & populum domino deo suo committeret, eius beneficia in tempore expectaret, reditum in Iudæam iuxta prophetarum oracula longanimiter perferret in suum tempus, & ad similia fratres hortaretur. Sed mulieri fit similis, quam corripit, ut sapienter monenti acquiescere uelit.

10 Et apposui adhuc loqui ad eam, & dixi, Noli facere hunc sermonem, sed consenti

persuadenti. Quot enim casus Sion? Consolare propter dolorem Ierusalem.

Ex alio medio aggreditur, persuasurus fœminæ æquanimiter ferre aduersa modica, comparatione malorum, quæ sustinere iamdiu cogitur tota Iudaica synagoga, unde & contra unicum fœminæ casum, pro obitu unius filij, incipit enumerare grauissimos casus Iudaici regni & status, & urbis quondam inclytæ, quæ comparata multorum filiorum mœri, longe uidebitur grauiora & plura passa fuisse, quàm hæc mulier, ut uidebatur, quæ unum tantum filium perdiderat.

11 Vides enim quoniam sanctificatio nostra deserta effecta est, & altare nostrum demolitum est, & templum nostrum destructum est, & psalteriũ nostrum humiliatum est, & hymnus conticuit, & exultatio nostra dissoluta est, & lumen candelabri nostri extinctum est, & arca testamenti nostri direpta est, & sancta nostra contaminata sunt, & nomen quod inuocatum est super nos, pene prophanatũ est: & liberi nostri contumeliam passi sunt, & sacerdotes nostri succensi sunt, & Leuitæ nostri in captiuitatem abierunt, & uirgines nostræ coinquinatæ sunt, & mulieres nostræ uim passæ sunt, & iusti nostri rapti sunt, & paruuli nostri perditi sunt, & iuuenes nostri seruierunt, & fortes nostri inualidi facti sunt: & quod omnium maius signaculum Sion, quoniam refignata est de gloria sua.

Viginti fermè casus horrendos paucis exaggerando commemorat, quos sit perpessa Ierusalem, cum suis filijs & membris. Sanctificationem desertam intelligit, totum diuini cultus locũ, multa complectentem & pulcherrima ædificia, cum toto statu sacerdotali, Leutico, & regio, quæ & subinde speciatim explicat. Altare tam thimiamatis aureum intra templum, quàm holocaustorum æreum & celeberrimũ demolitum cõqueritur, & ablatum in fustis per rapinam ab impijs. Templũ illud Salomonicum, in toto orbe pulcherrimum & sacratißimum, igne combustum est, & in ruinas miserandas redactum. Cantorum & carminũ uox, studium & gaudium, in honorem dei à sacerdotibus et Leuitis, proq; spirituali alacritate cum multis Dauidicis instrumentis, deleta omnia cessauerunt, quorũ loco ululæ ululant. Hymnus laudum diuinarum & heroum in illa gente laus omnis conticuit. Solennitatum omnium exultatio & epulæ cum alacri populo & deuoto dissoluta est. Candelabri nostri aurei lucernæ omnes extinctæ sunt. Scabellum pedum dei, arca fœderis, & testamenti dei cum patribus et nobiscũ initi, direpta est, uastata & ablata in prædam. Vasa omnia sancta & deo dicata conspurcata sunt, et ablata in templa idolorum Babylonica. Maiestas domini dei nostri, potestas & bonitas blasphematur inter gentes, & omnino prophanatur, ut sancta minime habeatur. Liberi quoq; nostri uenditi sunt in seruos gentibus perfidis & crudelibus, & grauiora passi sunt in corporibus. Sacerdotes nostri cum templo combusti sunt. Leuitæ qui templum ingredi nõ audebant, in captiuitatem ligati abducti sunt. Virgines nostræ constupratæ & indignißime tractatæ. Mulieres honestißimæ, uxores nostræ, uim passæ sunt. Sancti prophetæ nostri, et religiosi uiri uel Nazaræi rapti sunt in exilium & uenditi. Paruuli occisi, iuuenes uenditi in perpetuam seruitutem. Propugnatores nostri fortißimi, præ terrore et fame inualidi facti sunt. Signaculum autem Sion, quid intelligat, non certò pronuntio, potest enim urim & thummim accipi, quod in pectore summi pontificis gestatum fuerat, quod in secundo templo cum alijs quibusdã sacris dicitur non fuisse, nec recuperatum aliquando. Sed & spiritus prophetiæ cessauit, nunquam ut antea illic futurus. Fidei quoq; iactura, etiã in quibusdam electis non parua accidit, ex totius sacri diuini cultus ablatione. Potest & propitiatorium accipi & sedes dei, cum Seraphim in sancto sanctorũ, ut dicatur signaculum Sion, uel gloria dei: quæ omnia tradita sunt in manus Edomitarum, Moabitarum, Ammonitarũ, Philistinorum, qui omnes adfuerunt exercitui Chaldæorum, crudeliq; studio annisi sunt, ut nullis hominibus uel rebus etiam sacris parceretur, ut patet ex sequentibus.*

12 Nam & tradita est in manibus eorum, qui nos oderunt. Tu ergo excute tuam trifitiam multam, & depone abs te multitudinem dolorum, ut tibi repropitietur fortis, & requiem faciat tibi altissimus requietionem laborum.

Post tot calamitatum catalogum recitatum, hortatur fœminam, ut nõ ægre posthac ferat suum incommodum, de unici filij obitu, doleat magis de gloria dei blasphemata, de tot iniurijs diuinis rebus illata, de ignominia sanctæ gentis, de desolatione patriæ. Alioqui cõcitatura sit iram domini dei exercituum, qui fortis dicitur per excellentiam, qui uindicaturus in illam sit tristitiam carnalem & humanam pro filio, cum pro diuino honore & rebus sacris uastatis, non tantum dolere cernatur. Id si consenserit agere, ut maioris habeat totius gentis infortunia quàm priuatam in filio amisso, sperare eam iubet, ab altissimo requiem & tranquillitatem optatißimam, in futurũ. Hæc omnia loquitur mulieri apparenti in spectro.

13 Et factũ est, cum loquebar ad eam, facies eius fulgebat subito & species, coruscus fiebat uisus eius, ut essem pauẽs ualde ad eam & cogitarem quid esset hoc.

Volebat dominus huiusmodi uisione ostendere, quàm sibi placeret zelus piorum omnũ, maxime aũt pastorum pro ecclesia, quẽ ubi hic Esdras sufficienter expressisset, lamentabili oratione, fidelißimoq; affectu, statim significatum est, uisionem fuisse angelicã, quod uiderat & audierat de hac muliere, quæ statim his dictis euanuit, prius autem transformata in gloriosam speciem insolitam, ut totus expauesceret pro more angelicarum uisionum.

14 Et ecce, subito emisit sonitum uocis magnum timore plenum, ut commoueretur terra à mulieris sono:

Iam ex uisu territus fuerat, nunc similiter & magis

ex auditu, horrendæ uocis plenæ timoris. Et terræmotus quoq; significabat maximum illum regnorũ motum, per quem suo tempore Babylonicum regnum esset corruiturum, quo facto reædificanda esset non solum Hierosolyma Iudaica, sed & fides catholica in unum deum omnipotentem, in totum regnum Persarum & Medorum, per Cyri & Darij decreta, & Iudæorum passim exulum studia pia, cum tempore disseminanda & ædificanda. Cui suo tempore Christus cum discipulis subsequeretur euangelica prædicatione in uniuersum mundum, quod factum uidetur.

15 & uidi: & ecce, amplius mulier nõ comparebat mihi, sed ciuitas ædificabatur, & locus demonstrabatur de fundamẽtis magnis: & timui, & clamaui uoce magna, & dixi, Vbi est Vriel angelus, qui à principio uenit ad me? quoniam ipse me fecit uenire in multitudine in excessu mentis huius:

Mulier synagoga non amplius comparet, sed ad quid locuta sit, & quid ex spectro Esdras discere debeat, succedente statim uisione ostenditur. Iam enim ædificari uidet ciuitatem, locus quoq; amplissimus designatur, adhuc magis ampliandæ urbi, super fortissima fundamenta. Et quia angelica uisio erat etiã ista, ideo timet, clamatq; ad suum angelum, quem iam aliquot diebus expectauerat, quem statim intelligit huius fuisse uisionis artificem, ut ex nomine illum audeat aduocare.

16 & factus est finis meus in coruptionem, & oratio mea in improperium.

Nisi statim angelus adfuisset orationibus & clamori Esdræ, poterat sibi uisum esse statim se periturũ et moriturum, ex tam horribili & magnifica uisione, et ne forte oratio sua domino displicuisset & pro improperio quo-

Stilus libri. dam habita fuisset. Satis enim interpres Latinus hic & aliâs inuolute transtulit. Suspicor Syriaca illũ scripta numis uoluisse diligenter ad literam reddere, unde difficultas sensus, ut fit in talibus, suboriri solet. Nec tamen à Latinis nostris propterea spernu debet. Malo enim ad uerbum reddita fideliter, quàm ut ad Latinitatem sectandam à litera quicquam declinandum quis crediderit.

17 Et cum essem loquens ego hæc, ecce uenit ad me, & uidit me: & ecce eram positus ut mortuus, & intellectus meus alienatus erat, & tenuit dexteram meam, & confortauit me, & statuit me super pedes meos:

Angelus Vriel uenit ad Esdram, & diligenter est eum intuitus pauentem, & ex facie pro timore destitutum, ac ueluti mortuum iacentem sine intellectu, qui alienatus erat, ut non attenderet quæ circa eum gererentur. Nec solum uidit, sed & auxilio fuit, manus porrigendo, confortando uires, & restituendo in pedes, qui ceciderat præ pauore ex horribili uisione.

18 & dixit mihi, Quid tibi est? & quare conturbatus est intellectus tuus, & sensus cordis tui? & quare cõturbaris? Et dixi, Quoniam dereliquisti me, & ego quidẽ feci secundum sermones tuos, & exiui in campum: & ecce uidi & uideo quod non possum enarrare.

Occasionẽ facit colloquij ex interrogatione, cum uehil angelus eorũ quæ fiebant nesciret, qui omnia iam egerat, fueratq; author totius spectri potentia sua et uoluntate dei, præparat ergo eum ad attendendum dicendis.

19 Et dixit ad me, Sta ut uir, & commonebo te. Et dixi, Loquere domine meus tu in me, noli me derelinquere, ut nõ frustra moriar: quoniam uidi quæ non sciebam, & audio quæ non scio. Aut nunquid sensus meus fallitur, anima mea supremat? Nunc ergo deprecor te, ut demonstres seruo tuo de excessu hoc.

Non ualenti enarrare quæ uiderat Esdræ angelus omnia differit, non tantum quid factum sit & conspectum, sed & quid significent loquens. Iubet uiriliter ut agat, non timeat nimis, promittitq; se commonefacturum de omnibus quæ uidit, ut in memoriam reuocentur, & intelligere possit quid sibi uelint. Rogat autem Esdras angelum, ut ipse loquatur potius, qui possit, nam ipse nunc præ pauore nequeat. Loquere, inquit, tu in me, hoc est mecum, & commonefacias. Noli me tantopere consternatum ex uisione relinquere sine consolatione, & explicatione eorum quæ uidi, ne forte destitutus tua conformatione, moriar statim, ex horrore uisionis quam non intelligo, & uerba audui quæ non scio quid sibi uelint. Vel dic, si fallar sensibus, aut fantasia inanis me adobruerit & terruerit uane, ut sese erigere sua ui nõ possit, & ut luti supprimatur à seipsa angoribus cogitationum importunarum. Quod ergo meopte studio cõsequi intelligendo non possum, hoc tu doceas de eis rebus, quæ uidi per mentis excessum.

20 Et respondit ad me, & dixit, Audi me, & doceam te, & dicam tibi de quibus times: quoniam altissimus reuelauit tibi mysteria multa. Vidit rectam uiam tuam, quoniam fine intermissione contristabaris pro populo tuo, & ualde lugebas propter Sion.

Promittit dicere interpretationem uisionis, quam eũ tanto horrore uiderit, asserens mysteria dei esse, & ea non pauca nec modica. Adijcit autem pro consolatione prophetæ, ne timeat sibi de morte imminente, uel ira dei, quandoquidem deo dilectus sit, propter fidem in deum, & uerbum suum, & ob charitatem ad fideles generis sui. Id autem est recta uia, qua coram deo sancti homines conuersantur cum innocentia, benefaciendo omnibus quibus & quantum possunt. Compati autem & contristari illis, quibus non est facultas adiuuandi, lugere diuinum cultus neglectum & contemptum, populi dei captiuitatem, tam diuturnum exiliũ in Babylone & Assyria.

21 Hic ergo intellectus uisionis quæ tibi apparuit ante paululũ. Quam uidisti lugentem, inchoasti consolari eam. Nunc autem iam speciem mulieris non uides, sed apparuit tibi ciuitas ædificari: & quoniã enarrabat tibi de casu filij sui:

incipit

Incipit explanare uisionem ad eum modum qui iam dictus est, sed aliquanto obscurius & breuius. Pulchre autem in summa recapitulat, quid uiderit, lugentem sciscitari humiliter et fideliter, pro officio boni & sapientis uiri, quæ tamen euanuerit statim auditis uerbis consolatoriis, nunc uero uiderit post abitum eius ædificari ciuitatem.

22 hæc absolutio est. Hæc mulier quã uidisti, hæc est Sion: & quoniã dixi tibi quam & nunc conspicies, ut ciuitatẽ ædificatam.

Absolutionem uocat explicationem spectri. Sion dicitur synagoga uel populus deo credentium, maxime ueteris testamenti, in Psalmis & Isaia, qui & per Hierosolymam intelligitur, quæ dicitur filia Sion. Ecclesia scilicet deum uerum digne colentiũ. Quæ tunc dißipata erat in gentes & capta propter peccata sua, quæ tamen reædificanda erat corporaliter, aspiciente olim Esdra corporalibus oculis, & spiritualiter secundũ prophetas per Christum & euangelium.

23 Et quoniã dixit tibi, quia sterilis fuit triginta annis: propter quod erant anni scilicet triginta, quando non erat in ea adhuc oblatio oblata.

Sterilitas synagogæ per triginta annos, quæ à nuptijs computantur, intelligitur iuxta modum humanum, ut ex natura sua nihil de se sacrum & uiuidum gignere potuerit, religionis uerè opus secundum legem diuinus est cultus institutus, & fides promißionum dei de regno & pacifica possessione, quæ utraq; non contigerunt ante tempora Salomonis, quãdo oblationes secundum legem perfici cœperũt. Quod autem triginta annis oblationes defuisse nũc dicuntur, partim, ut dixi, tempus pariendi neglectum intelligitur, partim trecenti anni à Iosue ad Heli, ut numerus capiatur pro numero, uel à destructione Silo usque ad regnum Dauid, & translationem arcæ in Sion. Nec tamen ad unguem numerus iste sit calculandus necessario, cum similitudo sit, non historia, sed historiæ per spectrum designatio.

Sterilitas.

24 Et factum est post annos triginta, ædificauit Salomon ciuitatẽ, & obtulit oblationes, tunc fuit quãdo peperit sterilis filium.

Anni triginta dicuntur pro multis, ut iam dictum est, nempe ab instituto Dauidis de templo ædificãdo, usq; ad eiusdem iam à Salomone ædificati dedicationem, quando oblationes fieri incœperunt, quarum sacrificia deo oblata, hic dicuntur significare partum filij à sterili. Quæ tamen alibi multorum filiorum mater dicitur, comparatione sterilis gentilitatis: sic in figuris uarijs, uariæ plerunqueres & nomina applicantur instituto & signato.

25 Et quod tibi dixit, quoniã nutriuit eum cũ labore, hoc erat habitatio in Ierusalem.

Nutrire cum labore filium, est populum fidelem multo labore & crebris periculis defendere à gentilibus, & impijs gentibus, obsidentibus promißionis terram, & in primis urbem Hierosolymam, quæ ob diuinum cultum semper multa est passa ab idololatris, quem odij titulum gentes quidem prætendebant, re autẽ uera propter peccata et infidelitatem à domino Iudæis infligebantur, quia uel idola pariter colebant, uel non nisi hypocritice & fictæ legales ceremonias obseruabant, non syncera fide & deuotione digna sanctis.

26 Et quoniam dixit tibi, quod filius meus ueniens in suo thalamo mortuus esset & contigisset ei casus, hoc erat quæ facta est ruina Ierusalem.

Cum iam Iudaicus populus à domino multipliciter honoratus fuisset, maiestate templi, celebritate diuini nominis, quod ibi colebatur: sapientia regum, miraculis celeberrimis æditis contra gentes, dono prophetiæ & sanctißimorum uirorum doctrina, ut iam in statum honestißimũ stabilitus uideretur, tunc propter magna regum principum & populi consentientis crimina, subuersum est regnum cum metropoli, nõ sine confusione totius gentis, & cum blasphemia diuini nominis.

27 Et ecce, uidisti similitudinẽ eius: & quoniam filium lugeret, inchoasti consolari eam, & de his quæ contigerunt: hæc erant tibi aperienda.

Spectrum lugentis fœminæ uidens, permotus es charitate, ut consolari illam desideraueris, & omnem impenderis operam multis uerbis, ostendẽs te dignum, qui & ipse à domino consolareris, pro luctu quem gerebas continuo pro populo dei, tibi ut pastori & doctori commisso. Beati enim qui lugent, quoniam consolabuntur. Nihil quoq; sanctius, quàm curam gerere piorum, eos consolari tristes, docere errantes, lugere miseros, & condolere oppressis, orare pro fidelibus.

28 Et nunc uidet altissimus, quoniã ex animo contristatus es, & quoniã ex toto corde pateris pro ea, ostendit tibi claritatem gloriæ eius, & pulchritudinẽ decoris eius.

Approbat dominus studium pietatis & charitatis in te, qui ex animo contristatus es pro ecclesia sancta, solicitam pro ea curã geris, & tam peccata eius quàm exilium plangis ut tuum malum. Cupisq; ex corde gloriam dei augere in mundo, & in fidelium ecclesia profectum fidei & charitatis. Ideo dignum te habuit & fecit, cui claritatem ostenderet ecclesiæ sanctæ denuo extruendæ, tam corporalis Hierosolymæ, quàm uniuersalis ecclesiæ, cuius illa typus erat. Clementißimus est enim consolator, eruditor, promotor, & remunerator, deus omnium qui toto corde zelant bonũ ecclesiæ, & omnia sua opera ad illam promouendũ impendunt, tanquam fideles serui domini sui, à quo super multa sint in hoc mundo & in cœlestibus constituendi, qualis hic fuit pijssimus Esdras.

Studium pietatis.

29 Propterea enim dixit tibi, ut maneres in campo ubi domus non est ædificata. Sciebam enim ego, quoniam altissimus incipiebat tibi ostendere hæc: propterea dixi tibi, ut uenires in agrum ubi non est fundamentum ædificij. Nec enim poterat opus ædificij hominis sustineri in loco, ubi incipiebatur altissimi ciuitas ostendi.

Tranquillitas loci.

In deserto manere iussus fueras, ubi locus pateret ædificandæ maximæ urbis, & ne inter homines perturbandus ineptus fieres mysterijs apprehendendis, quæ tibi dominus reuelare decreuerat. Necessarius est enim quietus animus, & à temporalibus tumultibus sabbathũ, mentis tranquillitas à uicijs & concupiscentijs, ei quibus diuina secreta debeant reuelari. Quæ tamen magis in animo est sita tranquillitas, quàm in corporalibus locis quibuscunq;: quanquam & cubiculum requirendum doceatur à Christo, ei qui in oratione mentem suspendere ad diuina molitur: duobus dominis pariter seruiri non potest.

30 Tu ergo noli timere, neq; expauescat cor tuum: sed ingredere, & uide splendorem & magnitudinem ædificij, quantũ capax est tibi uisu oculorum uidere: & post hæc audies quantũ capit auditus aurium tuarum audire.

Subindicat litera non solum incœptũ fuisse ædificium urbis post excessum fœminæ, sed etiam consummatũ, & pulcherrime adornatũ, quod nunc inspicere, ingredi, & circumlustrare iubetur, sicut & Ezechieli contigit. Nihil enim sancti prophetales uiri aliud uel magis cogitabant, desiderabant, quàm restaurationem ciuitatis dei, quo minus mirabile habeatur, si de ea somnia, spectra, & ex consequenti reuelationes, & consolationes à deo acceperunt, tanquam piorum desideriorum præmia & solatia.

31 Tu enim beatus es præ multis, & uocatus es apud altissimum sicut & pauci.

Beatus dicitur præ multis, quia deo charus, æmulator zelosissimus diuinæ gloriæ et fratrum salutis. Ex multis autem electus es, ut gratiam dei experiaris, de sorte eorum qui electi sunt paucorum, de quibus solicitus es, non de numero immenso uocatorũ, quos diuino iudicio committere oportet, qui nouit quid de suis facturus sit creaturis, de quo nullam nobis rationem obligatur, nostrum est, ut de sorte piorum esse contendamus & speremus, idq; oremus à domino, ut impetremus, nec unquam mentem subeat serioſe nos prorsus addictos esse damnandorum cœtui, sed potius dei gratia sine intermissione cum fide precanda, quam nulli humiliter roganti negabit pater omnium clementissimus.

32 Nocte autem quæ in crastinũ futura est, manebis hic: & ostẽdet tibi altissimus has uisiones supremorũ, quæ faciet altissimus his qui habitant super terram à nouissimis diebus. Et dormiui illam noctem & aliam, sicut dixerat mihi.

Præparatur adhuc ad alias quoq; uisiones, quia ut patet ex dictis, uir erat desideriorum, ut alter Daniel, quales passim in populo fuisse tunc multos coniectura est, ut & Neemias & Zorobabel, tres quoq; socij Danielis, Mardochæus, & similes multi, propter quod & redire contigit omnes, qui uoluerunt, & magnum fidei fructum cum regibus proumtiarum magnatis protulerunt pietatis & sanctificationis diuini nominis, quanquam et tanto plura, ut fit, incommoda perpessi sæpe fuerint, ut patet de Aman & hostibus Danielis. Visiones supremorum dicuntur eorũ prophetica spectra, quæ post reditum à Babylone & demolitum regnum Babylonicum futura alias quando erant, usq; ad Christi domini promissa tempora, etiam à Daniele suo modo prædicta. Incipit tamen à regno Babylonico prædicere quædam, quod tunc maxima potentia omnibus dominabatur regnis, usq; ad monarchiam Persarum ac Medorum, quæ illi successit.

CAPVT XI.

1 LEtuidi somniũ, & ecce ascendebat de mari aquila, cui erãt duodecim alę pennarũ, et capita tria.

2 Et uidi, & ecce expãdebat alas suas in omnem terram, & omnes uenti cœli insufflabant in eam, & colligebantur.

3 Et uidi, & de pennis eius nascebantur contrariæ pennæ, et ipsæ fiebant in pennaculis minutis & modicis.

4 Nam capita eius erant quiescentia, & dimidium caput erat maius aliorũ capitum, sed ipsa quiescebat cum eis.

5 Et uidi, & ecce aquila uolauit in pennis suis, & regnauit super terram, & super eos qui habitant in ea.

6 Et uidi, quoniã subiecta erant ei omnia sub cœlo, & nemo illi contradicebat, neq; unus de creatura quæ est super terram.

Difficiles uisiones istas cum nemo attigerit, consultius putaui obmittendas, maxime quod dudum omnia ante Christi tempora transacta uideantur in regnis Persarum, Medorum, Græcorum, Assyriorum, & Iudæorum. Videtur enim significata per has uisiones inchoari à Babyloneo excidio, & usq; ad Machabæorum acta, & posterius aliquãto protendi, inq; Iudæorum extermino per Romanos finiri, quæ scilicet in hoc undecimo & duodecimo capite continentur, quorum cum duodecimum expositio sit undecimi, Lectori tantum ostendam, quid cui possit per otium hæc lecturus cõponere, si quo modo alteri occasio captetur ad hæc, si uidebitur, diligentius exponenda, quæ ego ingenue fateor ad plenum certoq; declarare nõ posse. Nec multa utilitas huic studio debetur, quanquam nõ tam absurda sunt omnia, ut hactenus multis est uisum, qui hunc librũ ne cõtingere quidẽ uoluerũt. De aquila autem hac, & duodecim alis, tribusq; capitibus, expositionem lege uersu quarto capitis duodecimi, usque ad sextum eiusdem. Videbis fortasis aquilam eam regnum uel monarchiam significare, Persarum & Medorum, à primo monarcha Cyro, usq; ad ultimũ Darii, Arsami filium, qui sex tantum annis regnans, occisus est ab Alexandro, & sic persarum regnum desijt, quod Babyloneo successerat, sub quo nunc Esdras hæc uidit & scribit. In quo Persarum regno, regnauerunt successiue duodecim reges, de quibus loquitur quintus uersus, capite duodecimo. Sed obmittũtur, primo duo illi magi, qui post Cambysen septem tantum mensibus præfuerunt, & Arsabanus

tabanus sextus rex Persarũ, qui præfuit similiter septem mensibus tantum, ut merito obmittantur, qui tamen cum aliis duobus Xerxe secundo, & Sogdiano, qui ambo octo tantum mensibus, omnes quatuor duobus tantum annis regnarunt, pro duobus supputari possunt, ut habeantur duodecim huius imperij reges. Sed de his doctior Lector inquirat, & de aliis quæ hic dicuntur, ut quæ dicantur tria capita, fortassis Medorum, Persarum et Assyriorum uel Babyloniorum potentatus, qui istis regibus paruerunt multis annis. Non tamen sine magnis & grauibus præiijs, de quibus iustinus, & alij, propter quæ hic pennæ contrariæ. Dimidium autem caput, melius forte legendum est, medium, scilicet trium capitum.

7 Et uidi, & ecce surrexit aquila super ungues suos, & misit uocem pennis suis, dicēs: Nolite omnes simul uigilare, dormite unusquisq; in loco suo, & per tempus uigilate. Capita autē in nouissimo seruentur.

Exponitur hoc sexto uersu capitis duodecimi, de contentionibus, quæ factæ sunt in illa monarchia non modice intra se & cum alijs multis regnis, quæ illi molestarunt, & à quibus sunt tandem etiam uastati, ut patet de Alexandro, qui successit in regno latissimo, etiam Aegyptum sibi subiugans, & Alexandriam condens, sed statim in Babylonia moriens. Vnguibus suis hæc aquila multos discerpsit, ut patet de Cyro primo, & Dario ultimo, quibus intermedij non fuerunt dissimiles, ut ex historijs illorum temporum patet. De uoce autem pennarum, de uigilia & dormitione quomodo referatur ad casum & restitutionem, exponatur ex historijs illorum temporum sæcularibus, sic de seruatis capitibus in nouissimo: fortassis successores Alexandri accipi possunt.

8 Et uidi, & ecce uox non exibat de capitibus eius, sed de medietate corporis eius. Et numeraui contrarias pennas eius, & ecce ipsæ erant octo.

9 Et uidi, & ecce à dextera parte surrexit una penna, et regnauit super omnē terram.

10 Et factum est cum regnaret, uenit ei finis, & non apparuit locus eius: & sequens ex surrexit et regnabat. Ipsa multum tenuit tempus.

11 Et factum est cum regnaret, & ueniebat finis eius, ut non appareret sicut prior. Et ecce uox emissa est illi, dicens: Audi tu quæ tanto tempore tenuisti terram, hæc annuntio tibi antequam incipias non apparere: Nemo post te tenebit tempus tuũ, sed nec dimidium eius.

12 Et leuauit tertia, & tenuit principatum sicut & priores: & non apparuit & ipsa. Et sic contingebat & omnibus alijs singulatim principatũ gerere, & iterum nusquam comparere.

13 Et uidi, & ecce in tempore sequentes pennæ erigebantur à dextera parte, ut tenerent & ipsæ principatum: & ex his erant quæ tenebant, sed tamen statim non compareſcebant. Nam & aliquæ ex eis erigebantur, sed non tenebant principatum.

Horum expositionem breuiter exponit angelus capite duodecimo, uersu iuxta nostrã assignationem septimo. Ii octo reges qui per octo alas aut pennas significantur, post regnum Persarum designare possunt octo reges Syriæ, Babylonis, & cæterarum prouinciarum superiorum, qui fuerunt Alexander Magnus, qui regnauit duodecim annis, Seleucus Nicanor trigintaduobus, Antiochus Soter quadragintatribus, Antiochus Theos quindecim, Seleucus Gallinicus uiginti, Seleucus Ceraunus tribus, Antiochus Magnus trigintasex, Seleucus Philopater duodecim: cui successit nonus rex Syriæ & Asiæ, Antiochus Epiphanes persecutor maximus fidelium, sub quo surrexit Iudas Machabæus, primus dux Iudæorum, qui & ipse habuit successores octo usq; ad Herodem primum, sub cuius anno trigesimo secundo natus est Christus, sub quo & dominium ademptum Iudæis est, & traditum gentibus sceptrum Iuda. His adiuuari Lector studiosior poterit, cum his quæ dicentur in libis Machabæorum, ad huius loci difficilis intellectum. Vna penna quæ surrexit à dextris, uidetur significasse omnium illorum primum Alexandrum Magnum, qui cum Macedonicus rex esset, monarchiam sibi totam subiugauit Persarum, quæ prius fuerat Babyloniorum, unde & super omnem terram regnasse dicitur, sed statim finuit, moriens adhuc iuuenis in Babylone, nec habuit successorem in suo dominio tanto, sed diuisum est in quatuor regna: de quibus uide historias, & Machabæorum libros. Sequens illum Seleucus, secunda penna surrexisse dicitur & regnasse, sed multo tempore cõparatione eius temporis quo Alexander regnauit, nempe trigintaduobus annis, et Antiochus Soter quadragintatribus: omnes alij successores parum regnauerunt usque ad Antiochum Magnum, qui trigintasex annis gloriose regnauit. De sequentibus pennis à dextra parte reges fortassis sunt Macedonici cum alijs qui regibus Syriæ subiecti sunt, sicut et Asiæ celebre regnum paruit Demetrio Syriæ regi. Reges Græcorum.

14 Et uidi post hæc, & ecce nõ comparuerunt duodecim pennæ, & duo pennacula: & nihil supererat in corpore aquilæ nisi duo capita quiescentia & sex pennacula.

15 Et uidi, & ecce sex pennaculis diuisę sunt duæ, & manserunt sub capite, quod est ad dexteram partē. Nam quatuor manserunt in loco suo.

16 Et uidi, & ecce subalares cogitabant se erigere, & tenere principatus. Et uidi, & ecce una erecta est, sed statim non comparuit. Et secundæ uelocius, quàm priores non comparuerunt.

17 Et uidi, & ecce duæ quæ superauerunt apud semetipsas cogitabāt et ipsæ regnare: & in eo cum cogitarent, ecce unum quiescentium capitum quod erat mediũ euigilabat: hoc enim erat duorũ capitũ maius,

De duobus capitibus quiescentibus, & sex pennaculis, lege octauũ uersum capitis duodecimi, ubi tamen tria dicuntur quiescentia, quæ sunt regnum fortaßis Syriacum, Aegyptium, & Iudaicum, tunc tenuiter inchoatum à Iuda Machabæo & fratribus. Cui successerunt sex reges uel duces Iudaici generis, usq; ad Hircanum pontificem, ut poßint dici sex pennacula: quibus tamẽ quomodo concordent quæ sequuntur, iudicet diligentior & otioßor, & in gestis eorum temporũ eruditior. De istis ßubalaribus pennis quæ se erigebant, una dicitur sic erecta, ut ßtatim non comparuerit: fortaßis Aristobulus notatur, qui se non contentus ducum nomine, regem dici uoluit, & uno tantum anno regnauit. Et quæ secutæ sunt alæ, & ipßæ non diu præfuerunt in magna potentia, licet diu regnarint, sed ßub Syriacis et Aegyptiacis, tandemq; Romanis principibus. Duæ ultimæ alæ poßsunt intelligi Hircanus ßummus pontifex, & qui eum præcesserat Alexander, qui ßibi regnum uendicantes in Iudæos, Romanorum potentatu humiliati sunt & ßubiugati, à quibus Herodes rex inßtitutus est, ßub quo Chriſtus dominus natus est, cuius temporibus Romani pacem & imperium sunt assequuti.

18 Et uidi quoniam completa sunt duo capita secũ: & ecce conuersum est caput cum his, qui cum eo erant, et comedit duas ßubalares quæ cogitabant regnare. Hoc etiam caput perconterruit omnem terram, & dominabatur in ea his qui habitant terram cum labore multo, & potentatũ tenuit orbis terrarum ßuper omnes alas quæ fuerũt.

19 Et uidi post hæc, & ecce medium caput ßubito non comparuit, & hoc ßicut alæ. Superauerunt autem duo capita, quæ & ipßa ßimiliter regnauerunt ßuper terram, & ßuper eos qui habitant in ea. Et uidi, & ecce deuorauit caput à dextera parte illud quod à leua.

Nihil hic certi uideo, diuinationes haberi poßsunt circa hunc locum, quas alijs excutiendas relinquimus. Huius autem uersus & sequentis obscuram interpretationem lege capite sequenti, uersu nono & decimo, à nobis annotato. Duo capita, ut diximus, deuorata sunt ab eo regno, quod contriuit omnem terram, nempe à Romanis duce Pompeio. Illud autem regnum quomodo multo labore et moleßtia potentatum ßuum dilatauerit in omnem terram, ßatis conßtat, ut omnes alas de quibus dictum est, ßibi affixerit hæc grandis & rapacißima aquila. Quod autem de duobus capitibus illius aquilæ, quorum unum non durarit, ßed unum aliud deßtruxerit, forte de Cæsare & Pompeio, uel Antonio intelligi poteßt.

20 Et audiui uocem dicentem mihi: Conßpice contra te, & conßydera quod uides. Et uidi, & ecce ßicut leo concitatus de ßylua rugiens: & uidi quoniã emittebat uocem hominis ad aquilam.

21 Et dixit, dicens: Audi tu, & loquar ad te, & dicet altißimus tibi: Nónne tu es qui superaßti de quatuor animalibus, quæ feceram regnare in sæculo meo: & ut per eos ueniret finis temporum eorum?

22 Et quartus ueniens deuicit omnia animalia quæ tranßierunt, & potentatu tenuit sæculum cum tremore multo, & omnem orbem cum labore peßßimo, & inhabitauit tot temporibus orbem terrarũ cum dolo.

23 Et iudicaßti terrã non cum ueritate. Tribulaßti enim manßuetos, & læßißti quiescentes, & dilexißti mendaces, & deßtruxißti habitationes eorum qui fructificabant: & humiliaßti muros eorum, qui te non nocuerunt.

24 Et aßcendit contumelia tua usque ad altißimum, & ßuperbia tua ad fortem. Et respexit altißimus ßuperba tempora, & ecce finita sunt, & scelera eius completa sunt.

25 Propterea nõ appareas tu aquila, & alæ tuæ horribiles, & pennacula tua peßßima, & capita tua maligna, & ungues tui peßßimi, & omne corpus tuum uanum, ut refrigeretur, omnis terra, & reuertatur liberata de tua ui, & ßperet iudicium & mißericordiam eius qui fecit eam.

Vißio alia hic aßßuitur, de leone, cuius expoßitionem leges in uersu undecimo, ßequentis capitis. Poteßt utriq; exponi de Machabæorum zelo, & Antiochi Epiphanis impiißimi ßtudijs. Sic quoque de Chriſto & discipulis, contra regnum Romanorum. Tam Antiochus enim ille, quàm Romani leones fuerunt ferocißime rugientes contra fideles, & unius dei cultores. Vox autem hominis, profeßßio eßt fidei ßanctæ, à Machabæis & ßuis ßcijs, propter quam multa ßunt paßßi, ßicut & apoßtoli, apoßtolici uiri & martyres, eadem ratione à tyrannis imperatoribus Romanis. Sed & Antiochus multos ßuperauerat reges, & ßuccedebat imperio eorum in Syria & alibi. De Romanis quomodo omnibus ßucceßßerint, notum. Finem accepit tyrannis utraq;, tam Antiochi & ßucceßorum contra Iudæos, quàm Romanorum contra Chriſtianos. Quod uero quartus omnia uincens & timorem ßæculo incutiens, & omnem orbem concutiens, & cum multa iniuria uel dolo obtinens & inhabitans dominatione multa, ueritatem perßequendo, manßuetos occidendo, quietos lædendo, mendaces diligendo, utiles deßtruendo uiros, & ßubruendo urbium multarum muros, contumelias iaculando in altißimum, ßuperbiendo contra deum altißimum & fortißimum, ut ßceleribus cunctis indulgeat, & uirtuti aduerßetur. Hoc de Antiocho uerum dici probari poteßt hißtorijs Machabæorum. De Romanis clarißimũ eßt contra martyres Chriſti. Vtriq; autem leones illi & alio nomine aquilæ, horrenda animalia & crudelia, ceßßauerunt & perierunt ßuo tempore, ut non comparuerint iam olim, ut refrigerata poßt utroßq; ßit fidelium terra, ut à uiolentia perfidorũ credentes liberati ßint in tempore, & dei mißericordiam pro ßua in deum fide ßenßerint.

Et

1 ET factũ est, dum loqueretur leo ẏba hæc ad aquilam: & uidi, & ecce quod superauerat caput, & non cõparuerunt quatuor alæ illæ quæ ad eũ tranſierunt, & erectæ ſunt ut regnarent: & erat regnum eorum exile, & tumultu plenum. Et uidi, & ecce ipſa non apparebant, & omne corpus aquilæ incendebatur, & expaueſcebat terra ualde.

Satis Lector clare uides imprudenter diſtincta capita, quæ tamẽ maluimus indicare, quàm exemplaria cõfunde re & uariare ſine neceſsitate. Vnde quæ hic à principio ſcribuntur, pertinent ad uiſionẽ ultimã præcedentis ſectionis, quæ tamẽ ut difficilia aliis explicanda relinquo, tantum admonendo de utriuſq; regni Syriaci ſcilicet & Romani humili deſitione, quæ utraq; conſtat ex hiſtoriis.

2 Et ego à tumultu & exceſſu mentis, & à magno timore uigilaui, & dixi ſpiritui meo, Ecce tu præſtitiſti mihi hoc in eo, ꝙd ſcrutaris uias altiſſimi. Ecce adhuc fatigatus ſum animo, & ſpiritu meo inualidus ſum ualde, & nec modica eſt in me uirtus à multo timore, quam expaui nocte hac.

Incipit hic præparatio quædã ad explicationẽ uiſionis totius quã uiderat Eſdras iam recitatæ. Viderat hæc cuncta in ſomnis, unde & perterrefactus ex uiſis, euigilauit, et apud ſe cogitauit, hoc eſt ſpiritui ſuo locutus eſt, in hanc ſententiã: Ecce ô Eſdra, unde tam grauia ſomnia ferre cogaris, & horribiles uiſiones. Tua tibi mens & affectio præſtat huiuſmodi ſolicitudines, quia tam curioſe cogitas de iudiciorum diuinorũ altitudine, quæ eſt ſupra captum humanũ, uolens perſcrutari conſiliorũ dei rationes. Anxiæ enim ſolicitudines diurnæ inducunt ſomnia moleſta & turbulenta. Ecce etiã dum uigilo, animũ meũ intelligo imbecillem, anxium, & pauentẽ, inuenioq; uires omnino exhauſtas, præ terrore uiſionum ex ſomnijs.

3 Nunc ergo orabo altiſſimũ, ut me confortet uſque in finem. Et dixi: Dominator domine, ſi inueni gratiã ante oculos tuos, & ſi iuſtificatus ſum apud te præ multis, & ſi certè aſcẽdit deprecatio mea ante faciem tuam, conforta me, & oſtẽde ſeruo tuo mihi interpretationem & diſtinctionem uiſionis horribilis huius, ut pleniſſime conſoleris animam meam. Dignum enim me habuiſti oſtendere mihi temporũ nouiſſima.

Vtcunq; ſentiam defeciſſe uires ex pauore, quia tamen hactenus toties in ſimili cauſa bonitatem & auxiliũ dei circa me ſenſi, nec nunc quoq; deſperare poſſum, ſed orare potius altiſſimum, ut qui dedit uidere, donet intelligere. Iam autem ab angelo audierat, ſe deo non eſſe ingratum, ſed placere ei modeſtiam & fidem, ſpem & charitatem, ad deum & proximos fratres, ad ſalutem gentis Iudaicæ. Audierat ſeſe computatum inter iuſtos, hoc eſt iuſtificatum, id eſt deo acceptum, non præ omnibus, ſed præ multis Iſraëlitis. Sed et orationes ſuas ſæpe exaudiri ſenſerat, ideo nunc quoq; ſe orat confirmari uirtute diuina, & mitti ſibi ſuum angelum, qui reuelet myſteria uiſionum tam horribilium, & multarum, quæ intelligebat eſſe præſagia rerum futurarum poſt ſua tempora.

4 Et dixit ad me: Hæc eſt interpretatio uiſionis huius. Aquilam quam uidiſti aſcendentem de mari, hoc eſt regnum quod uiſum eſt in uiſione Danieli fratri ſuo. Sed non eſt illi interpretatũ, quoniam ego nũc tibi interpretor. Ecce dies ueniunt, & exurget regnũ ſuper terram, & erit timor acrior omnium regnorum quæ fuerũt ante eum.

Simpliciter inchoatur explicatio uiſionis, ut ſubintelligatur nihil noui ſpectri ſuccurriſſe ei, ſed angelum eundem qui omnia prædicta reuelauerat, etiam nunc ſcribenda dixerit, & interpretatus ſit, quæ pro maiori parte ex prædictis accipi poſſunt, nõ tamen tam perſpicua ut Lector deſyderat. Sed quid agimus? Oremus quotquot horum Lectores ſumus, ut ſi quid utile & neceſſariũ nobis & eccleſiæ cõtinet hæc uiſio, illud alicui de eccleſia reuelare dignetur. Et interim qui poteſt cogitet, & ad hiſtorias tranſactas conferat, quãdo ueriſimile eſt quicquid hic propheta uidet auditq; futurum, dudum tranſierit in præteritum. Aquilam dicit de mari uiſam aſcendere, eſſe eiuſdem ſignificantiæ, cuius erat leo ille, qui alas habebat aquilæ, quæ & euulſæ fuerunt ſecundum uiſionem Danielis, quæ legitur Danielis capite ſeptimo, uerſu quarto. Qui hic dicitur frater, quia ſimili prophetiæ dono à domino donatus. Quod autem additur, eam aquilæ uiſionem non eſſe Danieli interpretatam, uere dicit, quandoquidem nihil aliud ibi angelus Danieli dixerat, quàm quatuor beſtias magnas eſſe quatuor regna, de terra conſurgentia, poſt quæ regna ſanctorum regnum futurum eſſet ſempiternum. Statim autem Daniel quæſierat, tantum de quarta beſtia, numium cæteris diſsimili & terribili, cuius dentes & ungues eſſent ferrei, quæ & omnia edebat, conculcabat, & comminuebat, &c. De leone autem uel aquila, de urſo & pardo nihil quæſierat, ideo nihil interpretatum illi tunc fuerat. Terribiliſsimum autem omnium regnorum dicitur fuiſſe Perſarum, quia non ſolum latiſsime regnauit, ſed etiam maximos ſæpiſsime exercitus habuiſſe legitur apud Iuſtinum, maximas feciſſe clades, et pertuliſſe, ut ſæpe occiſi legantur in ipſorum prælijs bis centum millia, & ter centum millia. Sic ut olim eas hiſtorias legens iumor ſupputauerim, in eorum prælijs paucis annis ſupra duodecies centena millia fuiſſe occiſa, in tribus exercitibus Perſarum, Græcorum, Amazonum, & aliorũ, qui conuenerant aliquoties, infinito penè numero, ut maiores ſtrages factæ non legantur, quàm ab huius regni ducibus & bellis.

5 Regnabunt autẽ in ea reges duodecim, unus poſt unum. Nam ſecundus incipiet regnare, & ipſe tenebit amplius tẽpus præ duodecim. Hæc eſt interpretatio duodecim alarum quas uidiſti.

De duodecim his regibus ſibi ſuccedentibus, dictum eſt cap. 11. De prolixitate autẽ regiminis ſecundi regis, iudicet meliora qui poteſt. Patet autem totam aliquam

monarchiam designatam esse per unam aquilam, cuius duodecim alæ designauerint duodecim reges, ut etiam alio in loco, ubi postulat interpretandi consequentia, similiter loqui posimus.

Et quam audisti uocem quæ locuta est,
6 nõ de capitibus eius exeuntem, sed de medio corporis eius, hæc est interpretatio, quoniam post tempus regni illius nascentur contentiones nõ modicæ & periclitabitur ut cadat: & nõ cadet tunc, sed iterum constituetur in suum initium.

Ad finem quidem regni Persarum post obitum Alexandri, partita tota monarchia in quatuor regna, occasio facta est multarum contentionum inter successores, ut patebit ex Machabæorum libris ad longum, quando & Asiæ regnum principale nõ diu constitit, sed sub Demetrio Macedonæ & Asiæ rege deuolutum est ad Seleucum Syriæ regem, cognomine Polyorceten, ubi iterum constitutum uideri posit in suum initium.

Et quoniã uidisti subalares octo cohæ-
7 rentes alis eius, hæc est interpretatio: exurgent in ipso octo reges, quorũ erunt tempora leuia, & anni citati, & duo quidem ex ipsis perient. Appropinquante autem tempore medio, quatuor seruabuntur in tempore, cum incipiet appropinquare tempus eius ut finiat: duæ uero in finẽ seruabunt.

Octo reges in ipso scilicet Alexandro exurgent, qui successiue regnabunt in ea regione, quæ Syria dicitur, et cõplectitur Chaldæam, Iudæam, Samariam, Persidem, & Mediam, quæ omnes cum Asia multis Syriæ regibus paruerunt, usq; ad Antiochum Epiphanem uel Illustrem, qui sic se uocari uolebat impijssimus regum, sub quo Machabæi cœperunt esse zelatores legis, libertatis & fratrum. Quomodo autem reliqua capi posint, ut historiæ quadrent, uiderit doctior. Potest et Antiochus haberi is, de quo dictũ sit, regnasse super totã Syriam, qui propter malitiam suam in iustos non diu regnarit, quia tantũ undecim annis, quandoquidẽ et à deo percussus interierit.

8 Et quoniam uidisti tria capita quiescentia, hęc est interpretatio: in nouissimis eius suscitabit altissimus tria regna, et reuocabit in ea multa, & dominabuntur terrã, & qui habitant in ea, cũ labore multo super omnes qui fuerunt ante hos: propter hoc ipsi uocati sunt capita aquilæ. Isti enim erunt qui recapitulabunt impietates eius, & qui perficient nouissima eius.

Tria capita uideri possunt fuisse Syriacũ, Aegyptiacum, & Iudaicum, duorum medium, tenuiter inchoatum sub Antiocho Illustri: multa tunc fient bella in Iudæa, ut omnes illi tres dominari in ea uelint, Iudæi, Aegyptij, & Syri. Iudææ autẽ inhabitatores multa hac occasione patientur & grauia, multoq; labore sese defendere cogentur, quod & facient, unde et capita aquilæ dicuntur hæc tria regna, impie agent, tam Syri quàm Aegyptij, ambo tamen contra Iudæos non prævalebunt.

9 Et quoniam uidisti caput maius non apparens, hæc est interpretatio eius: quoniã unus ex eis super lectum suum morietur, & tamen cũ tormentis. Nam duo qui perseuerauerint, gladius eos comedet. Vnius gladius comedet qui cum eo: sed tamen hic gladio in nouissimis cadet.

Antiochus quidem cum multis tormentis mortuus est super lectũ suum. Quomodo aũt duo alij gladio sine mortui, & quomodo perseuerauerint, & quis prior uel ultimus, gesta ostendẽt, si cui uacauerit studioso inquirere.

10 Et quoniam uidisti duas subalares transcientes super caput quod est in dextera parte, hæc est interpretatio: hi sunt quos conseruauit altissimus in finem suum, hoc est regnum exile, & turbationis plenum.

Duo minores reges uel duces, qui subalares dicuntur, qui superauerunt caput. Imò duo capita fortassis Ioannes Hircanus, uel ante eum Ionathas frater Iudæ Machabæi, uel Simon, quos conseruauit altissimus, ut regnum manu tenerent exile Iudaicum, & turbationis plenum post impium Antiochum.

11 Sicut uidisti & leonem, quem uidisti de silua euigilantem, & rugientem, et loquentem ad aquilam, & arguentem eam, & iniustitias ipsius per omnes sermones eius, sicut audisti: hoc est uentus quẽ seruauit altissimus in finẽ ad eos, & impietates ipsorum, & arguet illos, & incutiet coram ipsis diserptiones eorum. Statuet enim eos in iudicio uiuos: & erit, cũ arguerit eos, tunc corripiet eos:

Ventus hic quem seruauit ad ultimum Iudæorũ tempus, qui contentiones huiusmodi tandẽ diremit, & pro iniquitatibus suis de iudicio, licet improba uoluntate sum dicauit. Forsitan Romani fuerunt, qui finem fecerunt, primum quidem Aegypti regno, deinde Syriaco, tandem Iudaico, omnes iudicando, & eliminando, & toti terræ regulos instituendo. Primum quidẽ eorũ corripiet, ut ab iniquitate & iniurijs utrinq; temperent, tandem nõ ofsequentes, pariter oppressit, & subiugauit suo imperio.

12 nam reliquum populum meum liberabit cum misericordia, qui saluati sunt super fines meos, & iucundabit eos quoadusq; ueniet finis dies iudicij: de quo locutus sum tibi ab initio.

Reliquum populi liberatum intelligere possumus Iudæos à clade assidua post Machabæos liberatos, nõ tamen immunes à multis miserijs. Istis suo tempore Messias mittetur, cum quo boni & fideles iucundabuntur in spiritu, quæ iucunditas durabit ad finem, & ad diem iudicij. Possunt reliquum populi dici reliqui ex persecutionibus imperatorum Romanorum fideles Christiani, qui in medio miseriarum huius mundi iucundantur cum rege suo Christo domino, qui non patitur uel minimum perdi eorum quos sibi dedit pater, & qui regno suo sponte subiisse cupiunt. Ii saluabuntur æterna salute, & suo tempore a tyran-

tyrannorũ infestatione eripientur, ut sunt erepti martyres, & sub Christianis primis Cæsaribus, qualis liberatio nõ sine miserijs, sed quæ uinci poßint, durabit usq; ad finem temporũ, usq; ad diem iudicij: de quo iudicio ultimo & generali iam antea quædam tibi sunt à me reuelata. In hac autem expositione nihil certò affirmare ausim, sed tantum inquirere uolui, quæ Lector pius & eruditus discutiat, quæ nunc mihi nõ sunt comperta: unde & si discrepantia inueniat in nostris, cunctationi ascribat, & emendet aptiora reponendo in harum locum, si uoluerit.

13 Hoc somniũ quod uidisti, & hæ interpretationes. Tu ergo solus dignus fuisti scire altissimi secretum hoc. Scribe ergo omnia ista in libro quæ uidisti, & pone ea in loco abscondito: & docebis ea sapientes de populo tuo, quorũ corda scis posse capere & seruare secreta hæc.

14 Tu autem adhuc sustine hic alios dies septem, ut tibi ostendatur quicquid uisum fuerit altissimo ostendere tibi. Et profectus est à me.

Obscuras huiusmodi uisiones & obscure interpretatas iubetur abscondere à uulgo, sed doctis tantũ scribere & declarare, qui ingenuo polleant & eruditione, maxime autem fidelibus, qui dicuntur populus sanctorũ, qui & illi debeant quæ intelligunt audita, non reuelare gentilibus & perfidis, nec proijcere margaritas ante porcos. Nondum uult cum redire angelus in urbem, sed expectare & alia mysteria reuelanda à domino per dies aliquot, quos non adnumerat: uerisimile est & aliam per hebdomadam usq; ad sabbatum expectandum.

15 Et factum est cum audisset omnis populus quoniam pertransierunt septem dies, & ego nõ fuissem reuersus in ciuitatem, & cõgregauit se omnis à minimo usq; ad maximum: & uenit ad me, & dixerũt mihi, dicentes: Quid peccauimus tibi, & quid iniuste egimus in te, quoniam derelinquens nos sedisti in loco hoc?

Deuotio et obseruantia digna cõmendatur populi fidelis ad suum pastorẽ et præceptorem, quem septimana integra nõ cernentes, et in agro solũ habitare audientes, religiose uisitant, agnoscũt magistrũ, & eo nolunt carere diutius, à quo sanctæ doctrinæ solatia percipere consueuerant. Exemplum ecclesijs ut dignos ministros uerbi & fideles pastores duplici honore dignos habeant, &

16 *abesse non patiantur sine magna & necessaria causa.*

Tu enim nobis superes solus ex omnibus populis, sicut botrus de uinea, & sicut lucerna in loco obscuro, & sicut portus & nauis saluata à tempestate. Aut non sufficiunt nobis mala quæ contingunt? Si ergo tu nos dereliqueris, quanto nobis erat melius si essemus succensi & nos cum incendio Sion? Nec enim nos sumus meliores eorum qui ibi mortui sunt. Et ploraue-

Non ad faciem tantum loquuntur, sed sic sentiebant, & talis erat, decebat agnoscere eos beneficiũ, quod percipiebant, & sese gratos exhibere uerbis & factis. Ex magnis enim uiris & doctis in lege domini dum urbs caperetur & templum deleretur, solus de multis superesse uidebatur, qui in exilij angustijs & miserijs lux illis & lucerna erat, & cõsolatio in aduersis. Omnia cætera mala leuius ferre statuunt eo præsente, & in uerbo consolante, quàm absente. Fatentur nihil grauius accidere fidelibus posse, quàm si destitui eos contingat prædicatore uerbi dei, ut malint cum templo fuisse combusti, quàm prædicatore legis diuinæ & doctore carere.

17 Et respondi ad eos, & dixi: Confide Israël, & noli tristari tu domus Iacob. Est enim memoria uestri corã altissimo, & fortis non est oblitus uestri in tentatione.

Iubet populum exulem bene sperare de futura redemptione, quam tamen non statim sibi reuelatam testatur, sed secretum suum sibi reseruat, suo tempore commodius reuelandum. Hoc tantum testatur certum sibi esse de bona gratia dei ad suum populum, cuius memoria interciderе non poßit, etiam dum tentantur, quando non sinat clemens suos tentari, supra id quod ualeant sustinere.

18 Ego enim non dereliqui uos, neque excessi à uobis: sed ueni in hunc locũ, ut deprecarer pro desolatione Sion, ut quærerem misericordiam pro humilitate sanctificationis uestræ.

Quamuis corpore abesset extra urbis mœnia, proximus tamen affectu aderat, & orationibus assiduis causam illorum promouere conabatur. Nunquam otiosior, quàm cum esset solus, aptum locum cõtemplationi quæsierat & orationi, à tumultu populari remotum. Nihil magis dolet quàm desolationem loci sanctißimi, & diuini cultus obmißionem, legis diuinæ obliuionem, & tardas à domino prophetias: unde & misericordiam domini precatur, ut sanctificetur populus, & dignus iterum reddatur promißionibus dei, & ut si fieri posset tempus exilij à prophetis prædictum aliquanto minueretur, ad ipsorum emendationem.

19 Et nunc ite unusquisq; uestrum in domum suam, & ego ueniã ad uos post dies istos. Et profectus est populus, sicut dixi ei, in ciuitatem.

20 Ego autẽ sedi in campo septem diebus, sicut mihi mandauit, & manducabam de floribus solummodo agri, de herbis facta est esca mihi in diebus illis.

Iubet redire, & adhuc aliquanto diutius expectare uoluntatem dei, & suum regressum, ut sit cum maiori fructu & solatio propediem rediturus.

CAPVT XIII.

1 ET factum est post dies septem, & somniaui somniũ nocte. Et ecce de mari uentus exurgebat, ut cõturbaret omnes fluctus eius.

Mare significare huius totius mundi habitabilem ter-

ram, iam sæpe intelleximus, & terrã ipsam pro hominibus, quorũ discordiæ, multiplicia bella et tumultus, uentus & fluctus immanes dicuntur, ideoq; & ante Christi dñi aduentum primũ, in carnẽ scilicet, maximi in mundo tumultus fuerunt, pro parando Romano imperio, quod totum orbem fatigabat, nobis notum. Sicut & ante secundũ Christi domini aduentũ ad iudiciũ, ipsomet teste, multis tumultibus grauabitur mundus, ut gens sit consurrectura in gentem, regnũ aduersus regnũ, et mala multa.

2 Et uidi, & ecce conualescebat ille homo cum millibus cœli: & ubi uultũ suum uertebat ut consyderaret, tremebant omnia quæ sub eo uidebantur: et ubicunq; exibat uox de ore eius ardescebãt omnes qui audiebãt uoces eius, sicut quiescit terra quando senserit ignem.

Christus homo.

Ille homo dicitur cum emphasi, hoc est, caput, princeps & primarius omnium hominum, sanctißimus & perfectißimus, qui infra uersu 13. clare explicatur, filius dei, eius scilicet, qui per angelum loquebatur prophetæ, qui nunc dicitur uenire cum nubibus cœli, in maxima maiestate, sicut et Matth. 25. cap. ubi hunc locum Christus dominus introducere uidetur. Tunc autẽ uultu severo & iracundo apparebit, ut à facie eius omnia contremiscãt. Quanquã et de primo aduentu intelligi posse uideatur, quo non iam ut infans natus est de uirgine, sed ut regum omnium rex & imperator, post resurrectionem, omnem accepit à patre potestatem in cœlo & in terra, sedens ad dexteram dei, patris omnipotentis, cuius Euangelicum uerbum intonuit per apostolicas tubas, in totum orbem terrarum, à cuius uocis terrore & gratia, omnes in mundo errores & idola cuncta eliminata sunt, & accensa corda electorum omnium, ad fidem & charitatem in deum uerum & unicum, cui ueritati nemo hominum potuit cõtradicere, sed necessario obsequuti sunt electi omnes, & crediderunt, ac sese persuaderi permiserunt, ut relinquentes uanitates gentilium errorum, ad ueritatis agnitionem acquiescerent, & se sinerent persuaderi: sicut terra quoq; cedit, & terrea quæ sunt, igni cedunt, & resistere non contendunt.

3 Et uidi post hæc, & ecce congregabatur multitudo hominum, quorũ non erat numerus de quatuor uentis cœli, ut debellarent hominem qui ascenderat de mari. Et uidi, & ecce sibimetipsi sculpserat montem magnum, & uolauit super eum. Ego autẽ quæsiui uidere regionem, uel locum unde sculptus esset mons, & non potui.

Huic Euangelicæ ueritati & uerbo dei incarnato & prædicato in toto mundo per apostolos, omnis in toto mundo hominum multitudo contradixit, & sese opposuit, monarchæ in primis orbis Romani, & cæteri reges, Iudæi non tantum in Iudæa dominum crucifigentes, sed in toto mundo iam dispersi concordibus uotis apostolis & Christi domini Euangelio aduersati sunt, & philosophorum sapientia omnium, hæreticorumq; uafricies & malitia, cum huius mundi et diuitiarũ omnibus amatoribus, & carnalia enixe sectantibus. Hi, inquit, omnes ex cunctis mari ascendentẽ filiũ hominis debellare, collatis uiribus [illegible] & animis contenderunt. Sed id suis omnibus uiribus nõ [illegible] potuerũt assequi, maior est enim ueritas, fidei iustitia, & fortior, quàm ut omnium regum fortitudine subuertatur, unde nihilominus semper Christus, & uerbum suũ, fides & ueritas triumpharunt, & semper prævalebunt. Hoc autem intelligi uidetur per id quod dicitur, tam alti sibi montem Christum dominũ sculpsisse, hoc est, destinasse & præparasse, ut ad deijciendũ illum de suo regno, omnium regum & populorum impia studia nihil potuerint tunc uel interim, sed nec posthac unquã. Hæc autẽ Christi uirtus, et iustitiæ soliditas, montes dei hominibus immobiles sunt, et diuina tantum spirituali; uirtute firmatur. Non armis corporeis, non bello Christus uincit sed patitur, martyrio superat tyrannos, nõ hasta aut gladio. Arma enim fidelium spiritualia sunt, & inuisibilia.

4 Et post hæc uidi, & ecce, omnes qui congregati sunt ad eum, ut expugnarent eum, timebant ualde, tamen audebant pugnare.

Omnes reges terræ, & populi totius orbis, deinceps à fide & ueritate, uirtute Christi & diuina per dei gratiã & miraculorum apostolicorum magnitudine & sanctitate doctrinæ cum claritate conuersi sunt ad adorandum quem blasphemauerant, ad credendũ quem negauerant, & ad propugnandum illius honorem & gloriam, quem impugnauerant, & uitam expendendam pro catholica ueritate, quam usq; ad mortem fuerant persecuti. Tunc re & colere deuotißime cœperunt gentes, & Iudæorum plurimi, qui eum ausi fuerant expugnare, quidam tamen eorum, ut non destiterunt audacter impugnare Christũ, à Christo expugnati sunt.

5 Et ecce ut uidit impetũ multitudinis uenientis non leuauit manũ suam, neq; phramæam tenebat, neq; aliquod uas bellicosum, nisi solummodo ut uidi, quoniã emisit de ore suo sicut flatum ignis, & de labijs eius spiritus flammæ, et de lingua eius emittebat scintillas, & tempestates, et commista sunt omnia simul, hic flatus ignis, & spiritus flammæ, & multitudo tempestatis: & concidit super multitudinem in imperu, quæ præparata erat pugnare, & succendit omnes, ut subito nihil uideretur de innumerabili multitudine, nisi solummodo puluis, & fumi odor.

Quod pertinaciter Christũ dominũ impugnare perrexerunt hi omnes superati sunt & occisi, nõ armis carnalibus & brachio humano, non phramæa, nec catapultis, non iaculis uel lanceis, sed spiritu oris dominici, uerbo ueritatis, quo ueluti ignis flatu orbem unuersum accendit. De eius enim labijs ueritas Euangelica flammas fidei ardentis, & charitatis succendit. Horribiles impijs sententias protulit, ut omnis simul sic fuerit cõmixta gentilium philosophorum & rhetorum sapientia, sic confusa, ut nihil in conspectu Christianæ orthodoxæ doctrinæ consistere potuerit. Hæc, inquit, doctrina fidei apo-

sto

stolicæ, & Christi euangelium æternum, omnem satanæ potentiam contriuit, superstitiones sacrilegas damnauit, & superauit idolorũ statuas, arasq; euertit, & omnem huius mundi altitudinem cum pompa prostrauit & elimauit, ut nihil relictũ fuerit de omni illa sacrilega gentilium superstitione, per longa tempora, sicut & per Ioue concidit uniuersa Amorrhæorum malitia & idololatria. Quomodo autem oscitantia episcoporũ, & auaritia monachorũ, denuo aræ & idola succreuerint, satisq; superq; clare constat, quæ & ipsa nunc uerbo ueritatis & euãgelio Christi denuo opprimũtur & eradicantur, semperq; suum uigorem habet & seruat potentissimum uerbũ dei, quoties strenue per pios fuerit prædicatum.

6 & uidi, & extimui. Et post hęc uidi ipsum hominẽ descendentẽ de monte, & uocantem ad se multitudinẽ aliam pacificam, & accedebat ad eum uultus hominũ multorum quorundã gaudentium, quorundam tristantium: aliqui uero alligati, aliqui adducentes ex eis qui offerebantur:

Eliminatis idololatris Iudæis, hæreticis, impijs, & negatoribus, Christus magnus ille homo de cœlo delapsus, iuxta filiationem dei, & naturam æternam diuinitatem patri coæqualem, demisit se ad fidelium humilitatem et charitatem, ut potuerit capi, intelligi & amari à pacifis eius filijs suis ab humilibus spiritu & mansuetis, gaudentibus de ueritatis agnitione, de solatio conscientiæ iam emundatæ per Christi iustitiam & merita. Alijs interim cõtristantibus de peccatis præteritis: aliqui uero per uiolentiam attracti sunt ad emendationem morum, ad errorum abiurationem, ad ueritatis agnitionem, inter quos si qui non syncere credũt uel confitentur dei gratiam per Christũ, hi suo tempore discutientur, & iudicabuntur,

7 dum secundo dominus mundum iudicaturus aduenerit. & ægrotaui à multitudine pauoris, & expergefactus sum, & dixi: Tu ab initio demonstrasti seruo tuo mirabilia hæc, & dignũ me habuisti ut susciperes deprecationem meam: & nunc demonstra mihi adhuc interpretationem somnij huius.

Facile est post expletas prophetias interpretari easdem. Vnde & Iudæi nihil propheticũ, quod de Christo sonat impletum credentes, difficillime legunt & interpretantur scripturas, sic illis alicubi difficiles, ut malue-rint hactenus negare quædam, inter quæ suspicor computandum & hunc quartũ librum Esdræ, q̃ ut uera amplectantur uerba prophetica. Ideo & hic Esdras anxius est de horum intellectu, & præ auditorum admiratione pauescit, ad ægritudinem usq; in somnis, ut expergefiat, statimq; ante omnia confugit ad orationem sibi familiarissimam, ut dominum exoret pro horum intellectu, ut aliàs egerat iam toties.

8 Sicut enim existimo in sensu meo, uæ q̃ derelicti fuerint in dieb⁹ illis: & multo plus uæ his qui nõ sunt derelicti. Qui enim non sunt derelicti, tristes erant. Intelligo nunc quæ sunt repositа in nouissimis diebus, & occurrent eis, sed & his qui derelicti sunt.

Ecclesiæ Christi primitiæ Iudæi.

Intelligit quosdã eo tempore ex Iudæis derelinquendos, hoc est grauissima pro uerbo dei passuros, quales fuerunt primitiuæ ecclesiæ fideles, maxime apostoli apostolici uiri, & martyres, qui pro maxima parte erãt ex Iudaismo conuersi ad Christum, hi quid & quanta passi fuerint, testantur Acta apostolorum & martyrũ, ecclesiastica historia, & gesta sanctorum. Sed longe peius uæ manet eos, qui nõ sunt derelicti, qui in suo Iudaismo perstiterunt in toto orbe terrarum, qui sanctos sunt persecuti. Horum enim sic est prolongata & aucta incommodis semper & adaugetur captiuitas, ut iam mille quingentis annis miserrima in conditione toto in orbe uixerint & uiuant, sine spe redemptionis uel alleuiationis, nisi si qui ipsorum conuertantur ad contemplandum ueritatem uerbi dei, ut confiteantur deum uere perfecisse dudum, quod locutus est per prophetas, ante duorũ millium annorum sæculum. Sunt enim fermè nunc duo millia annorum, si non plus, quãdo hæc Esdras uidit, de proximo complẽda, & descripsit ad rei memoriam. Ex qua scriptura, cum multa legerint, & hodie teneant, dicãtq; Iudæi stultis interpretantes, certa tamen quædam & dubia cum cæteris prophetijs consonantia, negare maluerunt q̃ credere, si non etiam quædam minus certa assuere ausi sunt, ut uideri potest, & ex sequẽtibus patefiet.

9 Propter hoc uenerunt enim in pericula magna, & necessitates multas, sicut ostendunt somnia hæc. Attamen facilius est periclitantem uenire in hunc, q̃ pertranfire, sicut nubem à sæculo, & nunc uidere quæ contingunt in nouissimo.

Intelligebat statim propheta multa mala obruitura suos Iudæos, ex huiusmodi omnibus uisionibus pericula & necessitates, non tamen omnino delendos, unde & minus malum putat, misere uiuere suam gentem, & in exilio multa pati, quàm prorsus occidi, & in totum eliminari, semperq; spem habere de posterioribus, ut sint futura meliora prioribus. Arbitrabatur enim consolationis particulam esse desolatis & captiuis, si spe melioris status certiores facti animarentur, & promissionibus diuinis lactarentur, quæ excidere prorsus non possunt.

10 Et respondit ad me, & dixit: Et uisionis interpretationem dicam tibi: & de quibus locutus es, adaperiam tibi. Quoniã de his dixisti qui derelicti sunt, hæc est interpretatio: qui aufert periculum illo tempore, hic se custodiuit: qui in periculo inciderunt, hi sunt qui habent opera, & fidem ad fortissimum. Scito ergo quoniam magis beatificati sunt, q derelicti super eos qui mortui sunt. Hæ interpretationes uisionis.

Angelus pollicetur se explicaturũ huius uisionis arcana, & nunc Esdram de quibusdam bene iudicasse testatur. De derelictis duplicibus sermo fuerat: quidam sic inciderunt periculum, ut occiderentur: alij sic, ut caperentur & seruirent grauiter. Qui enim fidem & opera sua direxerunt ad deum, hi beatificati sunt, etiam si

occisi sunt, & qui dominum negauerunt miseri sunt & erunt, etiamsi mortis iacturam uitauerunt.

11 quia uidisti uirum ascendentem de corde maris, ipse est quẽ conseruat altissimus multis temporibus, qui per semetipsum liberabit creaturam suam: & ipse disponet, qui derelicti sunt.

Christus ascendens. *Iam incipit ab exordio exponere uisionem. Dicitur autem Christus dominus hic conseruatus ab altissimo, hoc est post promissionem de eo uenturo factam primo homini, Abrahæ, Iacobo, Mosi, Dauidi, & omnibus prophetis, tamdiu dilatus & reseruatus, usq; dum ueniret plenitudo temporis, in quo deus filium suum mitteret, genitum à uirgine, & factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum per naturalem dei filium assequerentur, idq; post multa tempora. Qui uir sic ascendens, Christus dominus, per semetipsum creaturarum maximam & nobilissimam, primo peccato perditum hominem, liberaret benedicto aduentu suo in carnem, eos nempe qui derelicti tamdiu fuerant in potestate diaboli.*

12 Et quoniam uidisti de ore eius exire, ut spiritum, & ignem, & tempestatem: & quoniam nõ tenebat phramæam, neq; uas bellicosum: corrupit enim impetus eius multitudinem, quæ uenerat expugnare eum, hæc est interpretatio:

Explicat spiritum, ignem, tempestatem, phramæam, uasa bellica, illi uiro non futura, aliud quàm spiritus oris diuini, secundum illud Isaiæ 11. Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium, quia repleta est terra scientia domini, sicut aqua maris. Ibidem quoq; & de relictis populi sui ab Assyrijs à Phetros & Aethiopia reducẽdis, à quatuor plagis terræ, &c.

13 ecce dies ueniũt, quando incipiet altissimus liberare eos qui super terrã sunt: & ueniet in excessu mentis super eos qui inhabitant terram. Et alij alios cogitabunt debellare: ciuitas ciuitatem, & locus locum, & gens aduersus gentem, & regnũ aduersus regnum. Et erit, cum fient hæc, & contingent signa quæ ante ostendi tibi: & tũc reuelabitur filius meus, quem uidisti ut uirum ascendentem.

Constituit ab exordio peccati primi dominus liberare, qui sunt super terrã homines electos suos, suo autem tempore uenire disposuit in mysterio non omnibus manifestando, in primo aduentu suo. Luculentissime autem in secundo ad iudiciũ uniuersale. Vtrunq; autem aduentum præcedent bella multa & grauia, ut ciuitas contra ciuitatem, locus contra locum, gens aduersum gentem, regnum contra regnum, nõ sine alijs multis mirabilibus signis, quibus reuelabitur filius meus haud dubie, quin filius dei, qui in angelo loquebatur Esdræ, qui & saluator mundi dicitur, hic & prius aliquoties, & filius dei de cœlo descendens, uir quoq; ascendens, ut intelligi possit Christi persona cõstituta ex homine ascendente, & deo descendente, nempe filio dei incarnato, & in similitudine carnis factus homo, ut hominis saluator esset.

14 Et erit quando audierint omnes gentes uocem eius: & derelinquet unusquisq; in regione sua bellum suum, quod habent ad alterutrum: & colligetur in unum multitudo innumerabilis, sicut uolentes uenire, & expugnare eum.

Mysterio Christi aduersatus est totus mundus, ut dictum est, sed uictus tunc, & toties uincetur, quoties uerbum dei impugnare consenserint, quamlibet maxima illorum multitudo futura sit. Venient quidẽ expugnatum ueritatẽ, sed ab ipsa uincentur, quæ semper inuicta consistit, unde & sequitur.

15 Ipse autem stabit super cacumen mõtis Sion. Sion autem ueniet, & ostendetur omnibus parata, & ædificata: sicut uidisti montem sculpi sine manibus.

Victoria ecclesiæ. *Ecclesiastica doctrina, quæ & catholica, uerbũ dei pro regula habens, semper uincet omnem falsitatem & superstitionem, qua doctrina fundata est, & sem per perseuerabit firma ecclesia sancta, in qua Christus ueluti sponsus stans propugnator & saluator uidetur suorum fidelium. Quam certe ecclesiam urbem uel sionem, sine manibus confirmauit & extulit, adornauit etenam semper propugnabit ab omnibus inimicis. Cacumen autem tenet in ecclesia solus hic uir filius dei, Christus dominus, omnia prospiciens & ordinans, regens & saluans: ipse solus caput ecclesiæ suæ est: ipse constitutus est rex super Sion montem sanctum dei, prædicans præceptum dei. Hæc autem ecclesia, cuius Christus caput est, omnibus ædificata ostendetur electis. Recte ergo non est intelligenda aliqua lapidea uel aurea ciuitas in uno terrarum loco, sed toto orbe conspicuam esse necesse est toto orbe diffusam & dilatatam.*

16 Ipse autem filius meus arguet, quæ adinuenerunt gentes, impietates eorũ has, quæ tempestati appropinquauerunt, propter mala cogitamenta eorum, & cruciamẽta, quibus incipient cruciari: quæ assimilatæ sunt flammæ, & perdet eos sine labore, per legem, quæ igni assimilata est.

Christus dei. *Filius dei Iesus Christus, sic arguet mundum de peccato, iudicio, et iustitia, ut exterminaturus sit uerbo oris sui, omnem aduersariæ potestatis malitiã, idololatriam, errorem, quæ omnia mala adinuenerunt gentes impietatibus suis, pessimis cogitationibus suis, quibus ueluti graui aliqua tempestate semper terruerunt pios, & persecuti sunt pietatem ueram, discruciauerunt multiplici ter omnes qui pie uiuere uoluissent cultores unius ueri dei. Hos omnes Christus perdet, sine labore corporeo, spiritu oris sui, & uerbis labiorum suorũ, per legem euangelicam, quæ assimilata est igni in die pentecostes, infusa apostolis linguis igneis.*

17 Et quoniam uidisti eum colligentem ad

se aliam multitudinem pacificam, hæ sunt decem tribus, quæ captiuæ factæ sunt de terra sua, in diebus Osee regis, quem captiuum duxit Salmanasar rex Assyriorum: & transtulit eos trans flumen, & trãslati sunt in terram aliam.

Ecclesia Christi.

Ex omnibus autem gentibus collegit sibi Christus ecclesiam sacrosanctam, catholicam & apostolicam, maximam & inæstimabilem fidelium multitudinem, pacificam, hoc est filiorum dei, qui possunt in bono uincere malum, qui exemplo regis sui, non armis pugnant pro sua gloria uel honore. Hæc autem multitudo pacifica ea est fidelium ecclesia, quæ, ut dictum est, uincit in bono malum, tollenti pallium donat & tunicam, quæ parata est magis mori q̃ occidere. Cui displicet omnis fastus & luxus huius mundi, quæ in mundo secundum corpus habitans, animo nihil mundi cogitat, sed impiorum quantum potest consortia uitat: si potest, deserta loca perquirit, ut ab impietate nulla eã uinci contingat. Sic istis Esdræ temporibus quidam Israelitæ egerunt, qui alicubi secesserunt, cum studiosioribus diuinæ legis, loco qui interdrás aliquot sacerdotes & Leuitas petijt, qui secum ascenderent Hierosolymam, quos & accepisse ibidem legitur, & ad Hierosolymã secum duxisse. De hac autem collectione decem tribuum, cum historiæ cuiusdam assignatione alibi nihil legitur in scripturis, nisi 4. Reg. 17. quomodo anno nono Osee regis Israel, Salmanasar rex Assyriorum ceperit Samariam, & trãstulerit quos tunc inuenit Israelitas in Assyrios, posueritq; eos in Ala & in Habor, iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus Medorũ. Vnde quod dicitur hic in terram aliam, legendum uidetur, in terram Ala.

18 Ipsi autem sibi dederũt consilium hoc, ut derelinquerent multitudinẽ gentium, & proficiscerẽtur in ulteriorem regionem, ubi nunquam inhabitauit genus humanum: uel ibi obseruare legitima sua, quæ non fuerant seruantes in regione sua.

19 Per introitus autem angustos fluminis Euphraten introierunt. Fecit enim eis tũc altissimus signa, & statuit uenas fluminis usq; quò transirent. Per eam eñ regionem erat uia multa itineris, anni unius, & dimidij: nam regio illa uocatur Arsareth.

20 Tunc inhabitauerunt ibi usq; in nouissimo tempore: & nunc iterum cum cœperint uenire, iterũ altissimus statuet uenas fluminis, ut possint transire: propter hæc uidisti multitudinem cum pace.

21 Sed & qui derelicti sunt de populo tuo, hi sunt qui inueniuntur intra terminum meum. Factum erit ergo, quando incipiet perdere multitudinem earum, quæ collectæ sunt gentes, proteget eos qui superauerunt populum: & tunc ostendet eis multa plurima portenta.

Quæ his quatuor pericopis historia recitatur, uerisimile est additamentum esse, olim à Iudæis adiectum, cum nihil habeat uerisimilitudinis, maxime ut nunc usq; durare eam collectionem Iudæorũ credamus in Caspeis montibus, qui montes portio cum sint Tauri montis, nõ potuerũt illis & posteris temporibus fuisse ignoti Cosmographis. Mordicus autem hanc ex hoc loco historiam Iudæi suis hodie quoq; recitant pueris, confirmare uolentes, Iudæis hodie quoq; esse suum regem in Babylonica prouincia, in Caspeis montibus, ubi legem suam obseruent, & sanctissime uiuant. Idq; respondent Christianis instantibus de amisso sceptro, à tempore Christi, iuxta prophetiam Iacob in suis benedictionibus. Quia autem uehementer hac in re persuasi sunt, suosq; discipulos Rabini de hoc commento decipiunt, referam & ego historiam de hac re auditam, ab ore doctissimorum & pijssimorũ uirorum sanctæ memoriæ Ioannis Reuchlin, & Conradi Summerhart, quæ sic habet: Redierat à Vienna Pannoniorum Capnion ille uir magnus, ab obitu Friderychi Cæsaris tertij, cuius fuerat à consilijs diu, ubi & Hebræa didicerat à Iudæo, curiã Cæsaris frequentante, ut autem Stutgardiam peruenit, à duce Vuirtenbergense primo Eberhardo tradita uxore ibi mansurus, scripsit Hebraicam epistolam Iudæo cuidam docto, ad oppidum Binniken dictum. Hanc epistolam Iudæus legens, supra modum admiratus à Christiano potuisse talem dictari, credere uix potuit. Vnde & statim Stutgardiam accurrit, uisurus hominem mirabilem, qui hæc scripsisset. Benigne autem susceptus, ut erat humanissimus uir, cœpit Iudæus quærere, quid hoc portenti esset, huiuscemodi epistolam scriptam à Christiano, quod nemo in Germania Iudæorum posset. Cui Reuchlinus augere uolens stuporem, & illudere Christi domini illusoribus respondẽs, dicebat, se in montibus Caspiæ hanc linguam didicisse. Iudæo autem requirente maxima cum lætitia, si in montibus Caspiæ fuisset, & quandiu. Respondit Capnion, homo supra modum festiuus, & ingenio promptus, & iucundus etiam in senio. Contigit, inquit, Cæsarem me mittere cum nuncio principe ad Turcarum imperatorem Constantinopolim, ubi cum uiderem aliquot mensibus me moram acturum, & audirem non procul abesse montes Caspiæ, rogaui Turcam, ut sineret me illò proficisci, quo annuente, in gratiam Cæsaris Romani, perueni ad fluuium Sabbathiũ. De quo hoc loco Esdras mentionem facere uidetur, quem iuxta suum nomen in Sabbatho quiescentem, & aridum pertransiui, & ueni ad Iudæos, á quibus humaniter susceptus, edoctus sum intra quindecim dies Hebræa, ut nunc me scire ex epistola nosti. Redij autem & quintodecimo die iterum in sabbatho, ut fluuium potuerim transuadere, deinde Constantinopolim ac Viennam, Hebraice doctus ad miraculum. Hæc audiens Iudæus, supra modum exhilaratus, quia meruisset uidere hominem, qui interfuisset montibus Caspiæ, & sanctos fratres in regno fidelium uiuentes, suis oculis conspexisset. Rediens autem ad oppidulum transcribi fecit eam epistolam, & per totam Germaniam synagogis transmisit, addens eam dictatam ab

Assutitia uidentur.

Ioannes Reuchlin. Conradus Summerhart.

Epistola ex Caspijs.

homine docto & probo, qui Hebraicam linguam didicisset in montibus Caspiæ. Hæc epistola & hic rumor peruasit omnes Iudæorum congregationes, etiam in regnis alijs. Sic enim exultabant Iudæi de testimonio isto, cum antea tantum relationibus maiorum credidissent, extare alicubi Iudæis regnum suum. Hãc actæ fabulæ seriem cum D. Chuonrado Summerhart Capnion ut contigerat enarrasset, commotus est pius Chuonradus pro ratione tanti scandali, quia fabulam suam hoc mendacio confirmasset, cœpit suadere Capnioni, ut si animæ saluti cõsulere uellet, simili epistola recantaret, quod prius ioco

Reuocatio fabulæ

fuerat ementitus. Capnion autẽ, ut erat uir pius & prudens, statim abijt eques ad Binniken oppidulum, conuocatisq; Iudæis omnibus, cum multa alacritate conuolantibus ad uidendum hunc uirum, qui montibus Caspiæ interfuisset. Equo insidens loquebatur omnibus. Epistolã, inquiens, quam legistis scripsi quidem, sed quod Caspiæ montes uiderim, & illic Hebræa didicerim, prorsus nego, & ioco me nuper dixisse confiteor, uoloq; ut si fabulam huiusmodi disseminastis per literas uel personas, nõ obmittatis etiam illac renunciare hanc meam reuocationem. Ludens enim dixi, & nunc falsum esse contestor, quod hac de re omnes Iudæorum primores fabulantur de huiusmodi regno. Hæc ego ab utrisq; uiris factum audiui anno 1500. Et cum hic locus tale aliquid memoriæ refricuisset, non inutile credidi assignasse. Quandoquidem & mihi aliquoties Iudæi narrarunt, se firmiter credere extare illis regnum in Caspiæ montibus, in quo nuper ex eis quispiam fuisset, & ad Germaniam redijsset. Hæc à sanctis illis uiris dicta audiui, & testor. Doctiores autem norunt montes Caspiæ nullos huiusmodi continere Iudæos, nec clausos sic esse. Quod autem generalis Mappæ nuperrimi reformatores alicubi in extremis angulis terræ inter septentrionem & orientem circiter gradum longitudinis 200. & latitudinis 50. adscripserunt, Iudæi clausi, ad Iudæorum irrisionem arbitror accidisse, qui hoc loco dicuntur à Medorum prouincia, in quam designati fuerint, à Salmanasar recedentes, collatis consilijs, quasi nõ essent captiui, abscessisse, & uiam itineris integri anni unius, & sex mensium peragratos peruenisse ad regionem, quæ uocetur Azareth, maxime cum per angustias introitus illius regionis, coacti sint transire Euphraten fluuium, non ita remotum certe, sed ipsam Assyriæ ac Mediæ partes alluentem. Et aliàs Hebraici commentatores asserant, non esse locum in arida, unde mare non possit attingi diebus decem & octo. Et iuniores Iudæi, mendacium comprobare pro ueritate uolentes, non Euphraten nominãt hunc fluuium, sed sabbathium, quia septima die conquiescẽs, non fluat, ignotum contestantes per longe ignotius, homines semel à ueritate adeo auersi, quam damnauerunt in crucem, ut nihil ex eodem tempore præter mendacia cõscribere possint, dati in reprobũ sensum, homines sanguinolenti, qui sanguinem testamenti & innocenter crucifixi Christi domini, super se tenere precati sunt, & esse uoluerunt semper rei illius sacratissimi sanguinis, innocenter crucifixi Messiæ. Clamantes improba uoce, quæ adhuc resonat in

Montes Caspiæ.

Sabbathius fluuius.

auribus domini dei Sabaoth, Sanguis eius super nos & super filios nostros. Dominus illos ad uerbum suum intelligendum & credendum restituat, & ad saluatorem animarum conuertere dignetur, Amen. Suspicor autem hunc locum olim sanctis patribus ecclesiasticis causam fuisse, quare hunc totum librum, alioqui non contemnendum, sed Christianissimis sententijs repletum, cõsentiendum, inter canonicos numerari. Cũ uerisimilius sit à pfidis Iudæis propter sacratissimas & clarissimas sententias, pro diuinitate Christi, & electione ecclesiæ ex gentibus, & reprobatione synagogæ in hunc librum insertas, reiectum librum, & insuper suspectis quibusdam sententijs asperssisse, quæ cæteris scripturæ locis non quadrent, quales sunt ij quatuor uersus, quos pijs & doctis lectoribus commendo diligenter discutiendos, quæ nisi prolixior fuissem, adhuc prolixius tractare potuissem, nisi quod ultimũ addunt, Hæc dicta propter pacificos, quasi non potius pacifici sint maxime, qui uere sint Christiani uel fideles, qui uincere norunt in bono malum, & inter malos norunt, ut Lot & Abraam, domino deo suo fidelissime seruire.

22 Et dixi ego: Dominator domine, hoc mihi ostende, propter quod uidi uirum ascendentem de corde maris. Et dixit mihi: Sicut non potes hæc uel scrutari, uel scire quæ sunt in profundo maris: sic non potest quisq; super terram uidere filium meum, uel eos qui cum eo sunt, nisi in tempore diei.

Obmissa tota illa narratione de ecclesia colligenda, in nescio quibus terris, quæ tantum legis doctorem uere potuissent ad quæstiones necessarias, ad minus ad eã, si liceret ceremonias Mosaicæ legis in alia terra deferre, quàm in Iudæa uel Ierusalem: unum illud magis pergit discere, quis & qualis sit futurus is qui de corde maris uir dei, & filius dei ascensurus sit. Tota enim Esdræ intentio ferebatur ad redẽptionem suæ gentis: ideo de promisso saluatore tam est solicitus. Dominatorem autem dominum appellat eum, qui uirum eum saluatorem suum uocauerat filiũ. Videre filium dei, & eos qui cum ipso sunt, est scire diem aduentus eius, tam primi quam nouissimi. Dicente etiam domino apostolis: Non est uestrum nosce tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Præterea licet hebdomadas definierit Daniel, Christo uenturo, non tamen ad liquidum: quando quidem & adhuc multa in eis applicandis & calculandis incipiendis & finiendis inuenitur difficultas & incertitudo, licet in Christi passione finitas, nemo non inueniat numerando, quo minus calumniari hic dicta possit, non posse quenquã eorum qui tunc erant super terram, scire quando uenturus sit filius dei, & eos qui cum ipso electi sunt, nempe scire qui sint futuri & quales.

23 Hæc est interpretatio somnij quod uidisti, & propter quod illuminatus es hic sus. Dereliquisti enim tuam, & circa meam uacasti legem, & quæsisti. Vitã enim tuam disposuisti

disposuisti in sapientia, & sensum tuum uo
casti matrem: & propter hoc ostendi tibi
merces apud altissimum.

Securum reddit de intellectu somnij, & de gratia dei circa ipsum Esdram, pro eo quod sit zelator legis diuinæ, sedulus & sanctissimus præ omnibus reliquis, qui in lege domini meditetur die & nocte, & nihil impensius cupiat, q̃ gloriam dei sui, & salutem populi Iudaici, qui omnem uitam dicauerit assequẽdæ sapientiæ, & sensum suum dicauerit spiritui sancto, & sapientiam ueram solam suam matrem elegerit & unice amauerit, ut amantissimã matrem: ideoq; dignus habitus est cui ostenderentur secreta altissimi, pro mercede studiorum sanctorum, ut qui edunt sapientiam, adhuc magis esuriant: & quanto magis esuriunt, tanto auidius sumunt, ut gratiosius à domino satientur.

24 erit enim post alios tres dies, ad te alia lo
quar, & exponã tibi grauia, & mirabilia.
Et profectus sum, & transij in campũ, mul
tum glorificãs, & laudans altissimũ de mi-
rabilibus quæ per tempus faciebat: & quo
niam gubernat ipsum, & quæ sunt in tẽpo
ribus illata, & sedi ibi tribus diebus.

Amplius auidũ reddit desiderãdorum mysteriorum, & promittit non defutura adhuc plura dei dona, si hæc cum debita gratiarumactione percepisse uidebitur. Gratias aũt domino agit pro beneficijs tam familiaris reuelationis & colloquij angelici, quæ de bonitate dei sibi intelligit delata. Aptus aũt locus non solũ reuelationibus percipiendis, sed & reddendis gratijs, & laudandi dominũ locus est desertus ab hominibus, & longe dißitus à tumultu sæculari, ubi dñs dũ uult prædicit futura, dum prodest, & seruis suis nonnunquam reuelat causas prouidentiæ suæ. Id uero, si adsit in zelo gloriæ diuinæ & oratione perseuerãtia, unde dicitur: Et sedi ibi tribus diebus. Potest aũt et urbis mediũ homini pio solitudo esse, ut non tam locus quærendus sit q̃ animus uacuus à curis superuacaneis, ut frustra sibi monachi placeant de suis eremitorijs, in quibus sunt plerunq; inquietißimi.

CAPVT XIIII.

1 FActũ est tertio die, & ego sede-
bam sub quercu. Et ecce, uox exi
uit cõtra me de rubo, & dixit: Es
dra Esdra. Et dixi: Ecce ego dñe.
Et surrexi super pedes meos.

Mirabile non est supra omnem modũ, si Mosaicæ legis studiosißimo doctori Esdræ iuxta testimonium quod habuit à suis, ut dictum est, & ab ethnicis regibus Persarum, similia dormienti in mentẽ ueniant eorũ quæ quotidie legit & cogitat, qui nihil feruentius zelabat, q̃ legis diuinæ obseruantiã, in eis qui suis fuerant curis commendati. Visum ergo in somnis uidit, sicut & alia, quasi sedenti sibi sub quercu, de rubo uox dei loqueretur, cui non aliter responderet q̃ legerat Moysen respondisse: Ecce, inquit, ego domine: ut & sibi uideretur in pedes stetisse, unde & similibus fermè sermonibus audit sibi loquentem dominum, quales in Exodo toties legerat. Volebat enim eum restitutorem doctrinæ sanctæ in populo dominus præparare.

2 Et dixit ad me: Reuelãs reuelatus sum su
per rubũ, & locutus sum Moysi, quando
populus meus seruiebat in Aegypto, & mi
si eum, & eduxi populũ meũ de Aegypto,
& adduxi eum super montẽ Sina, & detine
bam eum apud me diebus multis: & enar-
raui ei mirabilia multa, & ostẽdi ei tempo-
rũ secreta, & finẽ: & præcepi ei, dicens: Hęc
in palàm facies uerba, & hæc abscondes.

Sic angelus dñi loquitur in persona dei, uel uerbum dei deus, qui & Mosi in rubo apparuit, sese clementer exhibendo, cum eius gratia & auxilio maxime fideles indigerent, quod anadiplosis significat. Populũ suum dicit quem elegerat, ut instrumentũ bonitatis & potentiæ suæ ostendendæ toti mundo super montem Sina. Iterum dicit adductum, non populum sed Mosen, quem bis quadraginta diebus secum in monte detinuit, cui uoluntatem suam reuelauit, & per ipsum conscribi uoluit, mirabilia multa, quæ fecerat dominus à conditione mundi, & per singula tempora quæ præterierant, ea Mosi reuelauit, quæ per uiam rationis naturalis alioqui scire ad certitudinem non potuisset. Temporũ secreta dicuntur tam futura q̃ præterita, dei ordinata opera, in tempore facta, et finem Christum, & mundi uniuersale iudiciũ, & cætera quæ conscripsit in suis libris. Ex reuelatis diuinis mandatis, quædam tantũ septuaginta senioribus reuelauit, secundum Iudæos, alia aũt populo necessaria legi inseruit. Satis autem constat, necessaria ad salutẽ populo non esse ea quæ palàm haberi non uoluit, sed abscondit, nec esse in aliquo contraria, his quæ palàm scienda uel operanda cõscripsit. Sed mysteria quædam de rebus diuinis uel etiã naturalibus, deq; futuris temporibus prophetiæ, nõ omnibus reuelanda Mosi tantũ describẽda cõmendauit. Temporum secreta.

3 Et nunc tibi dico: signa quæ demonstra
ui, & somnia quæ uidisti, & interpretatio-
nes quas tu uidisti, in corde tuo repone ea:
tu enim recipieris ab omnibus, conuerte-
ris residuus cum cõsilio meo, & cum simi-
libus tuis, usq; quo finiãtur tempora: quo-
niam sęculum perdidit iuuentutem suam,
& tempora appropinquant senescere.

Difficilis litera propter interpretis obscuritatẽ, quã tamen ob originalis scripturæ carentiã Hebraice uel Syriace illustriorem reddere non possumus. Videtur uelle, has sibi reuelatas uisiones describendas in rei memoriam pro posteris temporibus reseruandas, quandoquidẽ ipse sit ex hoc sæculo per mortẽ abiturus, cum omnibus qui tunc secum uiuunt. Vel fortè ad hunc sensum: Tu ex omnibus recipieris, hoc est, ex pluribus superstes eris, tẽpore redẽptionis Iudaicæ sub Cyro & Dario, de qua tibi quædam reuelaui, & cum residuis reuerteris in Iudæã, ex meo decreto uel consilio, cum quibusdã tibi similibus bonis uiris, tunc, cum huius Babylonici regni & uestræ præsentis captiuitatis tempora finiẽtur. Sæculũ aũt perdidisse suam iuuentutem, satis intelligi potest: durauerat

enim iam tunc quatuor annorũ millibus, & ut dictũ est hominũ corpora imminui notabiliter uisa sunt, etiam eo tempore: quanto magis nunc nostris temporibus, dũ circiter sex millia numerantur, senescere tempora dici possent, & perditam iuuentutem, quod tunc uirilem egisse ætatem uidetur. Nisi sæculum illud intelligat Iudæorum uel Israelitarum statum, qui ab Abraham incipiens, & in Christi tempora durans, circa Esdræ tempora, iam senescere dici potuit, scilicet duorum millium circiter annorum, cum 400. annis Esdras Christum præcesserit, Abraham autem Esdram circiter mille sexcentis.

4 Duodecim eñ partibus diuisum est sæculum, & transierunt eius decima, & dimidium decimæ partis, supersunt autem eius post medium decimæ partis.

Ætas mundi.

Et hic uersus multam habet ambiguitatem propter sæculum, si ab initio mundi usq; ad secundum Christi aduentum accipi debeat, de quo iam fermè sex millia præterierunt. Iudæis hodie numerantibus 5294. alij aliquot centenarijs plures annos: uel ad primum Christi aduentum, post quem Ierusalem & Iudæa uastata est cum Iudaica gente, cuius sacræ reliquiæ gentium inchoauerũt sacrosanctam ecclesiam catholicam. Certe si totũ ab initio mundi usq; ad sex millia annorum tempus duodecim in partes diuidas, singulis tribues quingentos annos. Decima aũt eius numeri quælibet pars, 600. habet, decem aũt duodecimæ 5000. annos facerent, unde si decimam legamus, transierant iam tunc Esdræ temporibus plures decimæ, tot scilicet quoties in 4000. continentur 600. dimidium autem decimæ non nisi 300. essent. Si autẽ non decima cum dimidia, sed decem duodecimæ cum dimidia legerentur, iam post Esdræ tempora is annorum numerus complendus fuerat. Quod autẽ Esdræ temporibus superesset adhuc sæculi dimidiũ decimæ partis, qui potest inquirat. Arbitror & hũc locũ priscis in causa fuisse, ut ausi non fuerint hunc librum inter ecclesiasticos legendum definire, quando inuolutum hunc locũ inuenissent.

5 Nunc ergo dispone domum tuam, & corripe populum tuum, & consolare humiles eorum, & renuncia iam corruptelæ, & dimitte abs te mortales cogitationes, & proijce abs te pondera humana, & exue te iam infirmam naturã: & repone in unam partem molestissima tibi cogitamenta, & festina transmigrare à temporibus his:

Iubet non tam solicitum esse Esdram de futuro sæculo, q̃ de suo iam præsente, ut propriã sibi à domino commendatã familiam promoueat & doceat, corripiat atq; consoletur, ut ablegatis impietatibus & sæcularibus desiderijs, sobrie & pie iustq; in hoc sæculo suo uiuant, ut festinet transmigrare de huiuscemodi cogitationibus & quæ magis necessaria sunt prosequatur, uerba, cogitationes & opera.

6 quæ eñ uidisti nunc contigisse mala, iterum horũ deteriora facient: quantũ enim inualidũ fiet sæculum à senectute, tantum multiplicabũtur super inhabitantes mala.

Prolongauit eñ se magis ueritas, & appropinquauit mendaciũ. Iam enim festinat uenire, quam uidisti uisionem.

Vidisti mala quæ passi sunt Iudæi, propter peccata sua tempore primi templi, propter quæ & nũc exilium ferant, scias autem eosdem olim restituendos, peiora facturos, unde & grauiora sint mala perpessuri. Cõtinuo enim peiores fiunt, sicut & sæculum antiquatũ fit semper deterius, ut tandem nulla sit in fine mundi fides imminenda. Recedet enim ueritas, negligetur dei uerbũ propter hominum inutiles uanasq; traditiones, & pharisaicas leges in secundo templo. Sicut & postea inter Christianos nunc factum cernimus. Festinat enim uenire illud tempus, ut desinant loqui & scribere Iudæorũ prophetæ ueri, quales tunc erant Daniel, Zacharias, Haggeus, Esdras, & similes, qui ultimi prophetarum sciuntur, quibus successerunt magnæ synagogæ Rabini, & pharisæi doctores, qui suis potius q̃ diuinis legibus populum instituerunt & rexerunt.

7 Et respondi, & dixi coram te dñe: Ecce enim ego abibo, sicut præcepisti mihi, & corripiam præsentem populum. Qui aũt iterum nati fuerint, quis commouebit? Positum est ergo sæculum in tenebris: & qui inhabitant in eo, sine lumine:

Pro omni uirili mea & gratia, auxilioq; tuo agã fideliter cum populo mihi à te cõmendato, donec uixero, sed quis me mortuo præerit illi, & docebit? Quis tunc corripiet peccantes? Erit enim sæculũ illud tunc sine lumine uerborum dei, & meræ tenebræ traditionum humanarum extabunt.

8 Quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit quæ à te facta sunt, uel quę incipient opera. Si enim inueni in te gratiam, immitte in me spiritum sanctũ, & scribam omne quod factũ est in sæculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta, ut possint homines inuenire semitam: & qui uoluerint uiuere in nouissimis, uiuant.

Ex hoc loco arbitror acceptũ à patribus, legẽ Mosis Libros de combustam fuisse tempore Babylonicæ captiuitatis, et à nostra. nemine reseruatã fuisse, sic ut necesse fuerit, illam prorsus de nouo restitui, unde & literas nouas inuenisse aquibusdam creditur, quæ hodie sint Iudæis in usu, quod non mihi rationabiliter dictum uidetur, quandoquidem satis constat etiam ex Esdra, alicubi fuisse doctos uiros, quales secum duxit è Babylone Hierosolymam, qui sine sacris literis docti fuisse non possent. Et iamdudum Israelitæ toto orbe dispersi, non putantur fuisse sine lege dei. Offenduntur in Germania codices uetustissimi legis Hebraicæ scripti, qualem olim uidi apud Iudæum quendam, qui dicebat ex numero in eo inuento excessisse ætatẽ mille & sexcentorum annorum, erat aliquot partibus nouus, sed maxima parte uetustissimus. Iudiciũ tamen in talibus permitto circumspecto Lectori. Quod uero hic dicit, neminem scire opera quæ à deo facta sint, intelligo paucos uere doctos fuisse, & fortassis quosdam libros non canonicos

cos desideratos quos ille restituerit, & sui temporis historias annotarit, uel fortassis explanationes quasdã diuinæ legis, & doctorũ uirorũ monimenta, quæ alioqui excidissent. Supererant, ut dictum est, prophetæ sancti, qui suas prophetias cõscribebant. Erat Ezechiel cum suo coætaneo, supererat prophetia Isaiæ & Ieremiæ, multo magis non in totũ excidisset lex ipsa Mosis. Nunquam enim populo defuerunt de genere sacerdotali & Leuitico uiri magni, & multi, ut patet ex libro primo Esdræ & Nehemia, qui sine legis diuinæ scientia & codicibus nihil fuissent nec profuissent, nec officium peregissent, cum redeuntibus è Babylone cum Zorobabel, & Iesu filio Iosedech. De hac quæstione multa dici possent & argutari, quæ alijs cogitanda committo. Præsentior est, & semper fuit prouidentiæ dei cura circa suum uerbũ, & canonicas scripturas, ꝙut in tantum periculum illud peruenire permiserit, ut nullum in mundo exemplar fuerit, sed Esdram restituere coactũ. Quanquam nõ negarim, potuisse quempiam studiosorum totum canonem ueterem memoriter tenuisse, ut si fuisset necessarium de nouo scribere ex memoria potuisse. Sed non sine magna suspicione falsitatis & perpetuæ derogationis authoritatis.

9 Et respondit ad me, & dixit, Vadẽs congrega populũ, & dices ad eos ut non quærant te diebus quadraginta. Tu autem præpara tibi buxos multos, & accipe tecũ Saream, Dabriam, Salemiam, Echanum, & Asiel quinq; hos, qui parati sunt ad scribẽdum uelociter: & uenias huc, & ego accendam in corde tuo lucernã intellectus, quæ non extinguetur, quoadusq; finiãtur quæ incipias scribere.

Ex buxo quidem fiunt tibiæ multiforatiles & pectines, sicut & tabulæ quibus inscribuntur literæ et memoracula: sed librorũ & uoluminum usus, longe antiquior fuit, ut patet ex Mose & prophetis, præcipue Ieremia, cuius prophetia scribitur à Ioakim rege per multas sectiones combusta, parauit scriptores multos, & materiam scriptoribus aptam, ut totis quadraginta diebus incumberent ad excipiendum dictata ab Esdra.

10 Et tunc perfectis quædam palàm facies, quædã sapientibus absconse trades: in crastinum enim hac hora incipies scribere.

Perfectos intelligit studiosos & fideles de uulgo, quibus communiter scienda descripsit. Sapientibus aũt & primoribus altiora de diuinis & humanis rebus memoriter conseruanda, & in scriptis legenda commisit. Verum quid de hac re doctissimus Picus Mirandulanus, Comes Ioannes scripserit, leges in oratione quam habuit de hominis dignitate.

11 Et profectus sum, sicut mihi præcepit, & congregaui omnem populũ, & dixi, Audi Israel uerba hæc: Peregrinati sunt patres nostri ab initio in Aegypto, et liberati sunt inde: & acceperũt legem uitæ, quã non custodierũt, quam & uos post eos transgressi estis: & data est uobis terra in sortẽ, & terra Sion, & patres uestri & uos iniquitatẽ fecistis, & non seruastis uias quas præcepit uobis altissimus: & iustus iudex cũ sit, abstulit à uobis in tempore, quod donauerat.

Alloquitur multos Iudæorũ, qui in Babylone habitabant, & ante triginta annos illuc fuerant captiui ducti, scientes pro maxima eorum parte, quid passi fuissent in clade Hierosolymitana, quibusq; ex causis. Eadem ne quãdo obliuioni cederent, statuit omnia conscribẽda, ut & posteritas sciret, & peccata maiorũ & iustitias dñi.

12 Et nunc uos hic estis, & fratres uestri introrsum uestrũ sunt. Si ergo imperaueritis sensui uestro, & erudieritis cor uestrũ, uiui conseruati eritis, & post mortẽ misericordiam consequemini. Iudicium enim post mortem ueniet, quando iterum reuiuiscemus: & tunc iustorum nomina parebunt, & impiorum facta ostendentur.

Hortatur ad obseruantiam legis dei, ut quanquã terræ Israeliticæ inhabitatione fraudati iam sint, non tamen se à legis obseruatione credant exemptos. Fratres qui intra populum sint intelligit se & alios quosdam doctos uiros, quos scriptores elegerat doctrinæ fructiferæ iuxta legem et prophetarũ explicationes, sine quibus cõmode conuersari in hoc mũdo non possint. Imperare sensui docentur, hoc est refrenare concupiscentias carnis, & sensualitati, quæ cõtinuo solicitat ad legis præuaricationes, quibus est continuo resistendum, ne caro spiritui dominetur. Sed mens potius fidelis, de domini beneplacito eruditur. Id si faciant, dei gratiam & felicem in hoc mundo uitã sint percepturi, post mortem aũt dei gloriam ingressuri, & omnium peccatorum indulgentiam percepturi. Statim enim à morte, uel in ipsa morte iudiciũ hominis extremũ manet et irretractabile, præmiorũ pro fide & suis fructibus, pœnarũ pro perfidia & suis impijs actionibus, ubi tũc ceciderit lignum, ibi iacebit semper.

13 Ad me igitur nemo accedat nunc, neq; requirat me usq; dies quadraginta. Et accepi quinq; uiros, sicut mãdauit mihi, & profecti sumus in campũ, & mansimus ibi. Et factus sum in crastinũ, & ecce uox uocauit me, dicens, Esdra, aperi os tuum, & bibe quo te potauero.

Sine strepitu rerũ sæculariũ necesse est esse eum, qui sacra & utilia semperq; duraturaq; conscribere debet, unde & Moses quadraginta diebus solus habitauit cũ dño, ut influxum diuini spiritus sine impedimento susciperet. Sic nunc Esdras inducias orat quadraginta dierum, auditurus, quid sit locuturus in se spiritus domini. Viros antiquarios secum ducit, qui scribant dictanda. Non autem absimilis est uocationis huius modus, aliorũ quorundam prophetarum, qui ut Isaias & Ezechiel os suum aperire iubentur, ut in eis loquatur spiritus domini.

14 Et aperui os meum, & ecce calix plenus porrigebatur mihi. Hoc erat plenum ficut aqua: color aũt eius ut ignis similis. Et accepi, & bibi: & in eo cũ bibissem, cor meum

cruciabatur intellectu, & in pectus meum increſcebat ſapientia. Nam ſpiritus meus conſeruabatur memoria.

Senſibilibus his ſignis indicatur, non humanũ cõmentum eſſe, quod iſti uiri ex illius ore excepturi ſint, ſed in ſpirationem propheticam deſuper infundendam, ut & ipſi harũ rerum teſtes eſſe poßint ad populum. Alioqui cum inſpiratione uerborum & ſententiarum à domino in cor hominis prophetæ, etiam aſſenſus mentis & fidei certitudo infunditur, ut de ueritate reuelationis dubitare non poßit, qui inſpirationẽ ſuſcipit. Alij autem nihilominus audientes quæ reuelata ſunt, & ſcripta legentes, dubitare cum poßint, & in conſcientijs trepidare. Ideo hic & in ſimilibus reuelationibus, ſupra naturæ ordinẽ ſigna ordinantur, quibus diuina uoluntas & inſpiratio certa efficitur. Cor aũt intellectu cruciari, eſt ad ſummũ impleri eruditione ſacra, & certa, ut ſeſe continere affectus non poßit ab effundendo dignis auditoribus. Sic pectus increſcere ſapientia, eſt clare intelligere uera, utilia, & ſancta dogmata. Spiritum quoq; conſeruari memoria, eſt lucide aſpicere pronuncianda dei uerba.

15 Et apertũ eſt os meũ, & non eſt clauſum amplius. Altiſſimus dedit intellectũ quinque uiris, & ſcripſerũt quæ dicebantur exceſſiones noctis quas nõ ſciebãt. Nocte autem manducabãt panẽ, ego autẽ per diem loquebar, & per noctem non tacebam.

Dictare cœpit ſacras doctrinas Eſdras, declarationes legis, exhortationes ad uirtutes heroicas, uitiorũ redargutiones, præcepta uiuẽdi ſecundũ dei leges. Hæc autem ſpiritus dei loquebatur per ſacrum id organum, quod, ut dictũ eſt, plenum erat humilitate, fide & charitate. Poſt quam ſemel loqui cœpit, dictante ſancto ſpiritu, nõ ultra deſijt, donec omnia excepta fuiſſent à quinq; prænominatis uiris. Exceßiones noctis dicuntur non ſciuiſſe, hoc eſt cum multa uoluptate excipiebant omnia dictata, ſine aliqua fatigatione, etiam ſi inſomnes oportuiſſet noctes continuaſſe. Noctu tantũ reficiebantur cibo, non tamen Eſdras ſacra loqui & tractare ceſſabat.

16 Scripti ſunt autẽ per quadraginta dies libri ducentiquatuor. Et factũ eſt cum compleuiſſent quadraginta dies, locutus eſt altiſſimus, dicẽs, Priora quæ ſcripſiſti, in palàm pone, & legant digni & indigni: nouiſſimos autem ſeptuaginta conſeruabis, ut tradas eos ſapientibus de populo tuo. In his enim eſt uena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen. Et feci ſic.

Ioannes Picus Mirandulanus de Cabala.

Quæ ad hunc locum pertinentia ſcripſit Ioannes Picus, diſſimulare non poſſum, quæ iuuenis olim maxima cum uoluptate legi, quæ & occaſionem præbuerunt mihi, non minimã, infatigabilis deſiderij diſcendi Hebræa. Scribũt, inquit, celebres Hebræorũ doctores, ſed & ex noſtris quoq; Heſdras, Hilarius, & Origenes, Moſen nõ legem modo, quam quinq; exaratam libris poſteris reliquit, ſed ſecretiorẽ quoq; & ueram legis enarrationem in monte diuinitus accepiſſe, præceptum autẽ ei à deo, ut legem quidem populo publicaret, legis interpretationem nec traderet literis nec inuulgaret. Sed ipſe Ieſu Naue tantum, quam ille alijs deinceps ſuccedentibus ſacerdotum primoribus magna ſilentij religione reuelaret. Satis erat per ſimplicem hiſtoriam nũc dei potentiã, nunc in improbos iram, in bonos clementiam, in omnes iuſtitiam agnoſcere, & per diuina ſalutariaq; præcepta ad beatẽq; uiuendum, & cultum ueræ religionis inſtitui. At myſteria ſecretiora, & ſub cortice legis rudiq; uerborum prætextu latitantia, altiſſimæ diuinitatis arcana, plebi palàm facere, quid erat aliud, quàm dare ſanctum canibus, & inter porcos ſpargere margaritas? Ergo hæc clam uulgo habere, perfectis communicanda, inter quos tantum ſapientiam loqui ſe ait Paulus, non humani cõſilij, ſed diuini præcepti fuit. Et poſt philoſophorum multorũ, Origenis, & Hilarij uerba adducta, idem ibidem Picus proſequitur. Verum poſtquam Hebræa à Babylonica captiuitate reſtituti per Cyrum & ſub Zorobabel, inſtaurato templo ad reparandum legem animum appulerunt, Eſdras tunc eccleſiæ præfectus, poſtmendatum Moſeos librum, cum planè cognoſceret, per exilia, cædes, fugas, captiuitatem gentis Iſraeliticæ, inſtitutum à maioribus morem tradendæ per manus doctrinæ ſeruari non poſſe, futurumq; ut ſibi diuinitus inſulta cœleſtis doctrinæ arcana perirent, quorum commentarijs non intercedentibus durare diu memoria non poterat, conſtituit, ut conuocatis qui tunc ſupererant ſapientibus, afferret unuſquiſq; in medium, quæ de myſterijs legis memoriter tenebat, adhibitiſq; notarijs in LXX. noctis lumina redigerentur. Qua de re ne mihi ſoli credatis patres, audite Eſdram ipſum ſic loquentem, Exactis quadraginta diebus, locutus eſt altiſſimus, dicẽs, Priora quæ ſcripſiſti in palàm pone, & legant digni & indigni: nouiſſimos autem ſeptuaginta libros conſeruabis, ut tradas eos ſapientibus de populo tuo. In his enim eſt uena intellectus & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen, atq; iis ſecci. Hæc Eſdras ad uerbum. Hi ſunt libri ſcientiæ Cabalæ, quod eſt receptionis, in his libris merito Eſdras uenam intellectus, id eſt ineffabilem de ſuperſubſtantiali deitate Theologiam, ſapientiæ fontem, id eſt de intelligibilibus angelicisq; formis exactam metaphiſicam, & ſcientiæ flumen, id eſt de rebus naturalibus firmiſſimam philoſophiam eſſe, clara in primis uoce pronunciauit. Ex his autem cabaliſticis libris, de quibus tanta ſibi Picus præmittit, ibidem theologiæ myſteria deſumpta puto omnia quæ Auguſtinus olim Iuſtinianus in ſcholijs ſuis in Pſalmos, & Petrus Galetinus in ſuis libris pro Capnione ad Cæſarem Maximilianum deſumpſerunt, & ex Paulo olim dicto de Heredia.

CAPVT XV.

1 Ccce loquere in aures plebis meę ſermones prophetiæ, quos immiſero in os tuum, dicit dominus, & fac ut in charta ſcribantur, quoniam fideles & ueri ſunt.

Difficilis quidẽ contextus, ſed ſimplicius, ut fieri poterit, exponetur, nulli præiudicando certiora, accommodatoru,

dationa, & religiosiora adferenti, semel enim susceptum negotium, non nunc est in fine declinandum. Ad suũ qui bus præerat populum Esdras à dei spiritu mittitur, sicut & Ezechiel isto quoq; tẽpore missus fuerat ad gentem præuaricatricem. Iubetur admonere suam plebem per uerba, quæ repositurus esset dominus in os prophetæ. Non enim dominus dormit, custos Israelis & fidelium, semper mittit nuncios, bonitatem suam semper ostendit, ut malitiã ingratitudinis & perfidiæ confundat. Nec tantum huiusmodi in præsentiarum uult dici, sed etiam pro futuris instituẽdis similiter acturis, uult scribi in chartas.

2 Ne timeas à cogitatiõibus aduersum te, nec turbẽt te incredulitates dicentiũ, Quoniã omnis incredulus in incredulitate sua morietur.

Veritatis prædicatores, & criminum accusatores, semper contrarios habebunt rebelles, impios & perfidos, huius mundi amatores & incredulos, à quorum infestatione non timeant, sed obedientes domino confidãt liberari ab improborum insidijs & factionibus. Citius enim huiusmodi impios mori continget, quàm uidere ueritatis & præconum eius perditionem. Etiam si dei seruos occidisse uelint & ualeant, illi quidem domino suo & ueritati fideles, æterna beatitudine coronabuntur, et succedent ueritatis propugnatores domino mittẽte, longe prioribus fortiores. Premi quidẽ ueritas potest, & iustitia, supprimi & perire non potest. Impij autẽ in sua incredulitate & desperatione morientur, etiam morte secunda, quæ est æterna damnatio.

3 Ecce ego induco, dicit dñs, super orbem terrarum mala, gladium, & famem, & mortem, & interitum: propter quod superpoluit iniquitas omnem terram, & adimpleta sunt opera nociua illorum.

Quotiescunq; aliqua terra impletur publice & generaliter, iniustitia & impietate, quæ non punitur à præsidibus, & absq; impedimento iniquitas grassatur, toties dominus inducit ei terræ mala maxima, qualia sunt gladius uiolentus & hostilis crudelissimorũ hominum, qui sunt dei lictores, olim quoq; pro mala ipsorum uoluntate & ipsi tractandi crudeliter. Famem quoq; ob terrarum sterilitatem facile inducit, ut grauior in mundo lues uix contingat. Pestes quoq; & interitus multos deus impijs immittit, quibus resistere nequeunt, ut nolentes cessent offendere deum & homines.

4 Propterea dicit dñs: Iam non filebo de impietatibus eorũ quæ irreligiose agunt, nec sustinebo in his quæ inique exercẽt, ecce sanguis innoxi⁹ & tristis clamat ad me, & animæ iustorũ clamant perseueranter.

Non dissimulat deus iniustitias hominũ, illorũ maxime qui deum contemnunt, & regere mundũ non credũt, hi primi sentiũt ipsius iustitiam & uindictã, maxime aũt odit sanguinarios, qui homicidijs delectantur, qui pro auro uenales circumferunt suas animas, qui præferunt uitæ innocentiæ auri pretia. Quorũ occisorũ sanguis clamare non cessat ad deũ, donec uindicta de sanguinis effusoribus crudelissimis sumatur. Perseueranter uindictã expetunt sancti ad dei gloriã, de qua soliciti nolunt impios euadere iudicium iustum. Non iam peccare possunt, nec iniquitatem nolle damnari uel non emendari.

5 Vindicans uindicabo illos dicit dominus, & accipiam omnem sanguinem innoxium ex illis ad me.

Ad Esdræ quæstionem iam respondetur, non semper bene habituros eos quos nunc in peccatis suis triumphare credit, propediẽ tempus aduenit iustissimæ ultionis. Sine dubio enim uindicabit dominus iniustissimam innoxij sanguinis effusionem, à quocunq;, & quandocunq; hæc contigerit. Vindicatus est prophetarum sanguis in subuersione Hierosolymæ, quæ ad os usq; sanguine plena fuerat: uindicatus est Iudæorum sanguis à Babylonijs per Persas, Persarum sanguis à Græcis, Græcorum à Romanis, Romanorum à Gothis: qui & ipsi perierunt: sic enim dominus à mundi exordio definiuit.

6 Ecce populus meus quasi grex ad occisionem ducitur, iam non patiar illum habitare in terra Aegypti: sed educam eum in manu potenti, & brachio excelso, & percutiam plaga sicut prius, & corrumpam omnem terrã eius. Lugebit Aegyptus, & fundamẽta eius plaga uerberata, & castigatione quas inducet ei deus.

Ducitur quidẽ nunc populus meus captiuus Israel ad occisionẽ, ueluti grex à gentibus multis, in quas dispersi eum. Sed suo tẽpore uindicabũtur, non leuius uel segnius q̃ olim illis contigit in Aegypto. Exemplũ illud sibi capiant omnes crudeles, ut non aliud sibi uenturũ iudiciũ credant, q̃ olim Aegyptij susceperunt, et sunt perpessi. Sic nunc quoq; captiuũ meũ populũ non aliter educã de exilio, q̃ olim eduxi ab Aegypto, post maximas clades Babyloniorũ. Mei Israelitæ redibunt ad propria, ut olim post submersos Aegyptios: ostendã enim denuo brachiũ meũ in excidio Chaldæorũ, & salute Israelitarũ. Nunc quoq; oppressores populi mei, nõ aliter q̃ olim tractabo. Et sicut tũc uarijs plagis Aegyptũ percutiebã, sic suo tẽpore et hos Babylonios uisitabo, quos hic uocare uidetur Aegyptios, quia in Babylõia habitãtes Iudæi, cõtra Babylonios clare loqui et prophetare nõ debebãt. Verũ quia nõ aliter sese Israelitis exhibebãt q̃ olim Aegyptij, non aliã expectare poterant diuinæ ultionis iustam sententiam.

7 Lugebunt cultores operantes terram, quoniam deficient semina eorum ab uredine et grandine, & à sydere terribili. Væ sæculo, & qui habitant in eo: quia appropinquauit gladius & contritio eorum, & exurget gens contra gentem ad pugnam, & romphæa in manibus eorum.

Agricolæ lugebunt ob terræ sterilitatem & grandines, defectumq; pluuiarũ, propter uredinem & influentias cœli horrendas, ex ira dei cœlestia moderantis: non aliter atq; olim Aegyptij percussi sunt, sic quoq; Babylonij. Væ regno crudelissimo & superbissimo Chaldæorũ, & omnibus in ea terra habitantibus: gladiũ enim patien-

tur post famem, & qui hodie subiecti sunt populi, prope diem insurgent, & mutuis se cædibus perdent, donec tandem cõmuni uoto Babyloniam destruant, & exuant rapinis comportatis & spolijs omnium gentium.

8 Erit enim inconstabilitio hominibus, et alijs alijs inualescentes non curabunt regem suum & principes, uiæ gestorum suorum in potentia sua.

Nulla erit subditorũ constantia pro suis Babylonicis regibus, sed sponte superuenienti Cyro sese dedent, & suum cupient Baltasarũ impium regem occidi. Traditur enim ea nocte audita urbis captiuitate, non à Persis, sed à Babylonijs occisus. Qui tunc erit potentior, is & acceptior, pro potentia enim gerũtur opera, Viuat dicent Chaldæi qui uicerit.

9 Concupiscet enim homo in ciuitatem ire, & non poterit. Propter superbiã enim eorum ciuitates turbabuntur, domus exterentur, homines metuent.

Hæc satis clare uidentur impleta in captiuitate Babylonis, quandiu à Medis obsessam & Persis, homines extra urbem Chaldæi ingredi non ualuerunt. Sic enim maxima superbia regni & urbis humiliãda erat, & sic aliquando tractanda, ut tractauerat ipsa alias. Beatus qui retribuet retributionem tuam, quam retribuisti nobis, canebant Israelitæ, & conspexerunt se uindicatos, & de reditu festinato non poterant amplius dubitare. Destructa siquidem urbs fuit, magna ex parte domus dirutæ, et mortis plurimo horrore perculsi illius ciues oppressi & deprædati.

10 Non miserebitur homo proximũ suum ad irritum faciendũ domos eorum in gladium, ad diripiendas substantias eorũ propter famem panis & tribulationẽ multam.

Superbia regnorum.

Describitur multis Babylonica clades quidẽ, sed non solius, quin potius omnium superbarum urbium & gentium, regnorũ & regum. Sic Samariæ contigit, sic Hierosolymæ, sic Babyloniæ, sic Alexandriæ, sic Romæ. Similis enim impietas similibus à deo uindictis uisitatur per omnia sæcula. Cum sic dominus punire decreuerit impios, prouidentiæ diuinæ ordine omnia sese adaptãt. Armatur uniuersa creatura in ultionem creatoris, qui tunc dehonestari conuincitur, cũ iustitia & ueritas conculcatur. Cuius iudicio fit, ut impij ipsi mutuis cadãt cædibus, impius contra impium, occidendo, diripiẽdo, spoliando, capiendo, annona priuãdo, agros uastando, obq; uictus & alimoniæ angustias sese interficiendo: sic enim alios quoq; olim tractauerant. Qua maxima calamitate carebunt semper urbes & populi, qui student iustitiæ, fidei, charitati, paci & frugalitati, donec si uixerint à nemine lædentur.

11 Ecce ego conuoco, dicit deus, omnes reges terræ ad me uerendum, qui sunt ab oriente, & ab austro, ab euro, & à Libano, ad conuertendos ad se, & reddere quæ dederunt illis: sicut faciunt usq; hodie electis meis, sic faciam & reddam in sinu eorum.

Oppresserant Babylonij omnes reges & regna terræ, qui suo tempore omnes gratulabuntur accurrere ad impiæ urbis & monarchiæ deletionem. Confluent ab omnibus plagis terræ, & uicem dignam repẽdent ei quæ flagellauerat omnes. Videntes autem iustum iudicium meum in improbam urbem, in reges omnũ nationum, et gratiam in populum me colentem, quem redire iubebo, incipient agnoscere nomen meum, & reuerebuntur omnipotentiam meam & iustitiam. Rependam enim dignam uicem hostibus meis, qui non alia ratione Israelem exosum habuerunt, q̃ quia nomen meum suis idolis prætulerunt, & me unum deum solum coluerunt.

12 Hæc dicit dominus deus, Nõ parcet dextera mea super peccatores, nec cessabit rhomphæa super effundẽtem sanguinem innoxium super terram.

Generalis sententia est, nõ posse nec uelle dominum dissimulare crimen effusi sanguinis innocentium, non zelo iustitiæ occidentiũ, sed odio & desiderio rapinarum. Potentia enim dei quæ & dextera dicitur, non parcit peccatoribus, sed emendatis & pœnitentibus, & ut diutius ferri uideatur crudelitas sanguinariorũ, non tamen sine digna uindicta finietur. Ab exordio enim creationis sic est constitutum à domino, ut terra bibens sanguinem innocentum, non à clamore cesset, nisi occisoris quoque sanguis effundatur.

13 Exiit ignis ab ira eius & deuorauit fundamẽta terræ, & peccatores quasi stramen incensum. Væ eis qui peccant, & non obseruãt mãdata mea dicit dñs nõ parcã illis.

Ira dei.

Ira dñi contra crudeles efferuescit ad uindictã, et sine ditus euellet homines, urbes, et regna, quæ sanguine effuderunt innoxiũ. Nulla se poterunt potentia defendere, sed ut stramen facile incensum conflagrabũt impij. Sentient grauissima mala tẽporalia & æterna, hi qui mandata mea per contemptum præuaricantur, cuiuscunq; iu mundo sint conditionis. Potentes aũt præ alijs, potenter tormenta patientur, qui ad hoc sunt à dño facti potẽtes, ut uiolentiam potenter impediant, & infirmioribus succurrant, ut queant subsistere, non ut opprimant humiles & mãsuetos, uel pauperes & uiribus destitutos. Quod aũt addit, Non parcã illis, aliud non est, q̃ attestatio uehemens instar iuramenti, ut certissime credatur dei iustitia.

14 Discedite filij à potestate. Nolite contaminare sanctificationem meam, quoniam nouit dominus omnes qui delinquunt in illum: propterea tradidit eos in mortem, & in occisionem.

Nolite quicquam agere per uiolentiam uos homines, qui filij mei estis per creationem: nolite cultores meos mihi fidentes, & sanctificatores mei nominis polluere & pollutos æstimare, uel quacunq; ignominia afficere, nisi uelitis duriter puniri. Nõ enim parcet crudelibus & impijs, nouit quibus eos afficiat pœnis: occisioni enim & morti tradentur.

15 Iam enim uenerũt super orbẽ terrarum mala, & manebitis in illis: nõ eñ liberabit uos

uos deus, propter quod peccastis in eum.

Quicquid malorum in sæculo sustinetur, non aliunde eritur uel procreatur, quàm à peccatis, quibus impletus est orbis terrarũ. Quandiu enim iniuriæ durant & iniquitates inter homines, tandiu dominus à flagellis non temperat, sed digne pro sua iustitia tractat impios et crudeles. Nec spes aliqua felicitatis in hoc mundo superest, quandiu uigent inter homines iniuriæ, & fidelium oppressiones, quorum ultor est dominus.

16 Ecce uisio horribilis, & facies illius ab oriente. Et exient nationes draconũ Arabum in curribus multis, & sicut flatus eorum numerus fertur super terram, ut iam timeant & trepident omnes qui illos audient Carmonij insanientes in ira, & exient ut apri de sylua, & aduenient in uirtute magna, & constabunt in pugnam cum illis, et uastabunt portionem terræ Assyriorum.

Babylonem iterum specialiter alloquitur, sub cuius tyrannide fideles tenebantur, quam à Persis & Medis ab oriente aduenturis, uastandam & humiliandam multis prædicit. Nationes draconum & latronum, quales Arabes dicuntur, & insidiatores sanguinis, uenturas dicit magno tumultu, instar tempestuosissimi uenti, & uale horribilis, ut timeant sibi ab insania contra subditos, ne hostium insaniã ferre cogantur. Quos hic Carmonios uocat, quos alij Carmanios, ab ortu Persis imminentes, à septentrione Parthos, ab austro Indicum pelagus: illi cum Persis & Medis in exercitu Cyri obruerunt Babylonios, & deleuerunt imperiũ sibiq; rapuerunt cum gloria & diuitijs, omniq; dominuo Assyriorũ, quod à Chaldæis translatum tunc est ad Persas. Est autem Carmania tractus non multum distans ab Arabia felice: de qua hic quoq; fit mentio.

17 Et post hæc superualescent dracones natiuitatis suæ memores, & cõuertent se conspirantes in uirtute magna ad persequendos eos.

Dracones Arabum dicũtur latrones & Ichthyophagi proximi istis regionibus, sic dicti, quia in littore maris piscibus tantum uiuũt, quos calore feruentis solis assant, & hoc solo uictitãt alimento. Hi quoq; populi olim à Babylonijs lacessiti, nacta occasione inuadent eos cum Persis, memores oppressionũ & iniuriarũ ad persequendos eos sese animabunt, & conspirabunt cum reliquis.

18 Isti turbabuntur & silebunt in uirtute illorum, & cõuertent pedes suos in fugam, & à territorio Assyriorum subsessor obsidebit eos, & cõsumet unum ex illis, & erit timor & tremor in exercitu illorũ, & contentio in reges ipsorum.

Tota Assyriorum terra post hæc uictoribus Babylonis parebit, Cyro scilicet, & post eum Persarũ regibus multo tempore, qui & ipsi turbabuntur, & multa patientur grauissimis prælijs atterendi, & maximis suis profligatis exercitibus fugientibus & occisis, ut patet ex gestis illorum regum, Darij scilicet & Xerxis nominibus dictorum. Quorum unus tandem consumetur Darius scilicet ultimus, erit enim timor & tremor ingens in exercitu eorum, & contentio magna in regibus illius temporis, & terræ eius, quæ nũc Chaldæis subijcitur.

19 Ecce nubes ab oriente, & à septentrione usq; ad meridianum, & facies earum horrida ualde, plena iræ & procellæ,

Multa subinde passa est Assyriorum regio ingens, à multis regibus, ab illo potissimũ tempore, quo cœpit Samariam & Hierosolymam, & in seruos emit uendidit & in exilium relegauit filios Israel. Ab oriente Persæ, Medi, Parthi, & Carmonij: à septentrione Græci & Asiani. Collisiq; sunt reges maximis exercitibus in ea Assyriaca terra, quæ bellorũ commotiones hic dicũtur procellæ & horribiles aspectus, & iracundia plena hostilitas, qui à septentrione ad meridianum crebro ducentes exercitus, semper inter mediam Assyriam & Syrorum prouincias uastauerunt, maxima sanguinis effusione, cuius non alibi facile similes uel maiores leguntur, in omnibus historijs regnorum, propter quod dicitur.

20 & collident se inuicem, & collident sydus copiosum super terrã, & sydus illorũ,

21 & erit sanguis à gladio usq; ad uentrẽ, & fimus hominis usq; ad substramen cameli,

Martiale sydus & bellicosa cõstellatio maxime huic prouinciæ imminebit. Collidentur ibi maximi exercitus, & sanguis humanus inæstimabili copia in regno illo Persarum effundetur, ut omnia plena sanguinis, & polluta inueniãtur, à gladio usq; ad uentrem, & fimus hominis, & substramen cameli, omnia humano cruore aspersa erunt horribiliter. Ad gladium à uentre sanguis defluet & animalium stragula commaculabuntur. Fumum hic exemplaria habent, pro quo potius fimus legetur, qui ex corporum & cruoris commixtione producitur.

22 & erit timor & tremor multus super terram, & horrebunt qui uidebunt irã illam, & tremor apprehendet illos,

Quid ni tremor sit & timor multus in terra, ubi tanti exercitus congrediuntur, & sese concutiunt, cruentisq; prælijs nunc is nunc ille multos occidisse se gratulatur, euasisse autem paucos? Quid enim dici & cogitari potest horribilius à superstitibus?

23 & post hæc mouebuntur nimbi copiosi à meridiano, & septẽtrione, & portio alia ab occidente,

24 & superinualescẽt uenti ab oriente, & recludẽt eam, & nubem quã suscitauit in ira, & sydus ad faciendam exterritationem ad orientalem uentũ & occidentẽ uiolabitur.

Fortassis indicat bella Græcorum & Aegyptiorum simul & Romanorum, quandoquidem nominat septentrionem, austrũ & occidentem, de quibus prælijs multa legimus in Iustino & Machabæis. Nimbi autem copiosi dicuntur, qui terram uastare, & à fertilitate impedire consueuerunt, & paratas iam messes deuastare magna pernicie, ut fieri solet ex magnis hostium exercitibus, &

perceptis cladibus belligerantium. Tota autem hæc oratio significat maximorũ regnorum damna maxima, ex furia bellandi, quam sydus uocat infelix & exterminiũ, quod notatur per orientalem uentum, qui est omnium tempestuosissimus & horribilior, non sine maximo damno nauigantium.

25 & exaltabuntur nubes magnę & ualidæ plenæ iræ, & sydus, ut exterreant omnem terram, & inhabitantes eam, & infundent super omnem locum altum & eminentem sydus terribile, ignẽ & grãdinem, & rhomphæas uolantes, & aquas multas, ut etiam impleantur omnes campi, & omnes riui plenitudine aquarum multarum.

Nubes magnæ & ualidæ idem significant quod de maximis exercitibus dictum, ubi omnia per iram sine ratione & iustitia peraguntur, ut uincat qui fortior, non qui melior, ut qui uictor euaserit, nihil aliud se putet obtinuisse, quàm terrarũ prædas & clades, non aliter hominibus dominando quàm si bestias credat. Nulli prorsus parcendo, non aliter quàm si diluuium inundet, quod nemini parcit: sic ignis & gladius omnia depopulantur in prælijs.

26 & demolientur ciuitates, & muros, & montes, & colles, & ligna syluarum, & fœnum pratorũ, & frumenta eorũ. Et transibunt constantes usq; Babylonem, & exterrent eam: conuenient ad ipsam, & circumibunt eam & effundent sydus & omnem iram super eam.

Tantas bellorum clades maximas prædicit, primum quidem nũc instare Babylonijs, qui hodie talibus medijs & stragis principatum obtentum cum multa tyrannide retinent, quam exercent, maxime in humiles & fideles, sine modestia & humanitate, quã non habent. Nec tantum in homines debacchantur, sed in ædificia & urbes, maximis laboribus extructa, & cum multis incõmodis restituenda. Nulli prorsus rei parcere norunt, nõ aliter, quàm si beluæ essent, uel dæmones potius, ad humani generis perniciem conditi. Tales sibi hostes olim sentient superuenturos, quales ipsi alijs extiterunt, cum maximis terroribus circundabunt undiq;, & hostilissimum animum cum inuincibili furia effundent in eos.

27 & subibit puluis & fumus usq; in cœlũ, & omnes in circumitu lugebunt eam: & qui sub ea remanserint, seruient his qui eos terruerunt.

Non tantum obsidebunt hostes Babyloniam, sed incendent, & totam uastabunt, ut puluis & fumus concidentium & conflagrantium domorum subeat in aera, & à longe uideatur grauissima clades, unde permouean tur ad planctum omnes habitatores eius regionis. Qui omnes deinde seruire cogentur & parere his, qui illos terruerunt, & hostiliter aggredientes uicerunt redegeruntq; in seruos.

28 Et tu Asia cõcors in spem Babylonis, & gloria personę eius: uæ tibi misera propter quod assimilasti ei, & ornasti filias tuas in fornicatione ad placendũ & gloriandũ in amatoribus tuis, qui tecũ cupierũt semper fornicari. Odibilem imitata es in omnibus operibus eius, & in adinuẽtionibus eius.

Succesit domitoribus Babylonis, in ipsa Babylone regnantibus Alexander magnus, & reges Asiæ, qui suis quiq; temporibus simili superbia & atrocitate regnarunt in toto regno Babylonico & Persico, propter quorum Græcorum imperium, tota illa regio amplissima dicta est Asia maior scilicet à minori. Sed linguam suam Græcanicam cum imperio ampliarunt, per totam Syriã, Aegyptum, & circumpositas omnes regiones. Quorum post Alexandrum plures fuerunt potentissimi reges æque crudelissimi, contra pietatẽ & pios, Antiochi scilicet aliquot & Seleuci: horũ dominiũ hic Asiam nominare uidetur Esdras. Quæ nõ minore superbia est inflata & tyrannide grassata in Iudæos q̃ Babylon, testibus historijs. Quæ tamen Asia sicut Babyloni assimilata est in sæuitia & superbia: sic quoq; similes experietur miserias. Ornasse dicitur filias, hoc est ædificasse urbes, ex regũ nõibus uocatas passim in orbe Alexãdrias, Antiochias, & Seleucias, ad complacendũ dæmonibus, quorum nomina adorabãt in suis idolis, quod fornicatio dicitur in sacris & abominatio, quando magis odio digna essent q̃ reuerentia.

29 propterea dicit deus, Immittã tibi mala, uiduitatem, paupertatem, & famem, & gladium, & pestem, ad deuastandas domos tuas diũ, & pestem, ad deuastandas domos tuę, à uiolatiõe, & morte, & gloria uirtutis tuę.

Nulla Persarum & Medorum insignis sæuitia legitur illata Iudæis uel Israelitis, sed maxime à Babylonijs & Asiaticis regibus multis. Ideo hic contra utrosq; loquitur, qui uidetur, contra Babylonem & contra Græciam, qui bus utrisq; propter crudelitatem in unius ueri dei cultores, suo tempore superuenient grauissima mala, Babylonijs à Persis, Græcis à Romanis. Nominãtur autem hæc mala uiduitas, quia eorum filij & reges occidentur, & regna transferentur ad alienos. Paupertas, quia quæ tenuerant alijs, eripiẽtur quoq; eis. Fames ingruet ob prælia & aeris inclementiam, propter peccata à deo immittenda. Gladius & pestis, hoc est omnia pariter calamitatum genera dominus colliget ad uindicandũ fideles. Sic ut utriusq; imperij gloria in faucillas redigatur & cineres, in mortem & ignominiam perpetuam.

30 Sicut flos ficcabitur, cũ exurget ardor q̃ emissus est super te infirmaberis ut puerpercula plagata, & castigata à mulieribus, ut nõ possint te susc ipere potẽtes et amatores.

Sic sunt utraq; imperia Babylonicum & Græcorum misere uastata successiue, urbibus dirutis & regionibus desolatis, quæ fuerant florentissimæ, ut pro hominum paucitate & pauperie prouinciarum, & solitudinum horrore, quæ illis contigit, nulli regũ fuerint postea amabiendæ, nõ aliter quàm si flos concidat, non tollitur, nec leuatur, sed proijcitur magis. Et puercula aliquamdiu trix, plagata, spoliata, inueterata, castigata à mulieribus uel prioribus amatoribus ut nõ facile denuo inueniat qui amore

amore eam dignentur potentes uel amatores reliqui.

31 Nunquid ego sic zelabor te dicit dominus: nisi occidisses electos meos in omni tẽpore, exaltãs percussionẽ manuum, & dices; super mortem eorum, cum inebriata es? Exorna speciem uultus tui?

Alloquitur impium magistratum, quem dominus punire cogitur durius pro sua iustitia, quandoquidẽ abusus sua potestate occidit unius dei cultores iniquissimo animo ex odio dei et zelo placendi idolis. Vnde & exaltasse manus dicuntur, ut crudelius ferirent eos à quibus læsi non fuerant, quos deniq; mortuos uoluisti inglorios, & superstites eorum non permisisti plangere interfectos parentes uel fratres. Tali tyrannide cum fideles tractaueris austere nimium, quos ego parum erudiri uolebam, moderata correctione, ideo tu quoq; similia suo tẽpore perferes, & digne tractaberis.

32 Merces fornicationis tuæ in sinu tuo, propter hoc redditionem accipies. Sicut facies electis meis, dicit dominus, sic faciet tibi deus, & tradet te in malum.

Non alia ratione tu afflixisti meũ populũ, quàm quia idola tua abhorrebant, & religione alia initiati erant, tuosq; deos adorare recusarunt. Cum tu fueris longe grauius puniendus propter idololatriam, quam sequitur omnis nequitia et impuritas animi et corporis. Merces enim idololatriæ est chorus nequitiarũ & uitiorum omnium, ideoq; & redditionẽ accipies, digna mercede punieris, ut calamitatibus opprimaris. Sicut enim persequutus es meos electos, homines innocuos & humiles, sine causa, sic tu pro peccatis tuis enormibus grauissime punieris. Subruentur urbes tuæ, & comburentur, & in seruitutem uendentur tui filij, sic enim egisti de urbe sancta Ierusalem, & de peculiariter electo populo dei.

33 Et nati tui fame interient: & tu rhomphæa cades, & ciuitates tuæ conterentur, & omnes tui in campo gladio cadent. Et qui sunt in montibus, fame peribunt, & manducabũt carnes suas, & sanguinem bibent à fame panis & siti aquæ.

Filij tui ab hostibus obsessi, uel sinistra constellatione ad esuriem adacti, fame morientur: sic enim tu egisti cum meis Israelitis. Gladio quoq; cades hostium, qui sine misericordia Iudæos occidisti. Ciuitates eorum diruentur, qui sine causa uel amaro animo fideles sunt persequuti & ex patria exules deportarunt combusta ciuitate quam elegerat dominus, quod si qui urbes tuas obsessas ab hostibus euaserint, & sese montibus præbuerint occultandos, ibi quoq; fame morientur, & non euadent. Tantum abest, ut domini manum euadant, ut citius proprias suas manus sint à famis magnitudine absumpturi, & sanguinem proprium bibituri, qui modum in domini undicta seruare in Iudæos non uoluerunt.

34 Infelix per maria uenies, & rursum accipies mala. Et in transitu allident ciuitatẽ ociſam, & exterent aliquam portionẽ terræ tuæ, & partem gloriæ tuæ exterminabunt, rursum reuertentes conuersam.

Asiaticum imperium alloqui uidetur, inimicissimum semper Iudæis, quod naualibus prælijs uicit & uictum est, tandemq; deletum, & Romanis subditum, spoliatum gloria & diuitijs, malis multis sæpe affectum, quod & toties terrestri expeditione usum est contra Aegyptios, toties molestauit depredatumq; est Hebræos medios constitutos, ut uidere est multipliciter in Machabæorum historia. Sic uicissim illis factum est ab Aegyptijs & Romanis, donec tota Asia subderetur & seruiret.

35 Et demolita eris illis pro stipula, & ipsi erunt tibi ignis: & deuorabunt te, et ciuitates tuas, terram tuam, & montes tuos, omnes syluas tuas, & lignum fructiferum igni comburent. Filios tuos captiuos ducent, & censum tuum in prædam habebunt, & gloriam faciei tuæ exterminabunt.

Demolietur tam Babylon quàm Græcia propter iniquitates, quas exercuerunt in Israelitas, & id nullo negocio, domino sic uolente. Igne enim absumeris ab inimicis, ciuitates tuæ comburentur, & tota in eremum redigeris: si qui residui fuerint ex filijs tuis à morte, isti uendentur in seruos, & omnium gentium prædas, quas tot annis per iniuriam collegisti, hostes & oppressores tui auferent, ut fiat tibi quod alijs feciſti, ut tandem insignis illa superbia quam iactasti in diuitijs, fortitudine & sapientia prorsus redacta uideatur in nihilum. Sic fit omnibus tyrannicis imperijs, pietatis & piorum hostibus, populis, regnis, & regibus, ut hæc omnia in genere intelligi possint, quæ de Babylonico & Asiatico regno singulariter, & non sine notissima causa uidentur prædicta & consummata.

CAPVT XVI.

1 VAe tibi Babylon & Asia, uæ tibi Aegypte & Syria. Præcigite uos saccis & cilicijs, & plãgite filios uestros, & dolete: quoniã appropinquauit contritio uestra.

Iam diuisim prædixerat uindicandos Israelitas, tam indigne tractatos à Babylone & Asia, nunc collectim de ambobus regnis idem prosequitur, simul socians Aegyptum & Syriam, per hos nimirum intelligens omnes persequutores unius dei cultorum, fidelium & electorum, qui in omni gente per omnes ætates à filijs huius mundi, & sæculum amantibus & possidentibus, magna multa & grauia pati coguntur, qui tamen fidei & fidelium persecutores suo quoq; tempore domino ordinante digne uicissim tractantur. Id quod nunc spiritus prædicit Esdræ ad consolationem fidelium tunc exilium sustinentium, ne se solos in hoc mundo miseros cernentes scandalizentur fide, & plus nimio perturbentur: id quod ab initio libri Esdras querebatur, & deinde multis uerbis & querelis, more etiam prophetarum aliorum, ut dictum est. Eis ergo gentibus, quæ tunc felices habebantur, Babylonijs subiectæ, & qui illis successuri erant populis, ad solatium Esdræ dominus per angelum nunc prædicit, quod & per Danielem & Ezechielem prædicebatur,

& iamdudum per prophetas priores, instare illis dei contemptoribus & idololatris simulq; piorum persecutoribus tyrannicis grauissima mala, quæ ad sufficientiã plangere nequeant, etiamsi saccis & cilitijs præcingantur, & posteri quoq; plangere iubentur, ne putetur breuis futura angustia, & iam non diu tardaturas quoq; calamitates prædicendas testatur.

2 Immissus est uobis gladius, & quis est q auertat illum? Immissus est in uobis ignis, & quis est qui extinguat illũ? Immissa sunt uobis mala, & quis est qui repellat ea?

Iam à domino decretum est, iam domino uisum, sic, ut à nemine ualeat impediri: iam gladius euaginatus est, quẽ nulla possit creata potestas auertere: iam ignis paratus est urbibus & syluis inextinguibilis, non unum malum manet perfidos, sed multa, quia multum peccarunt, & contra multos nulli parcentes, nec cessaturi si diutissime possint.

3 Nunquid repellet aliquis leonem esurientem in sylua, aut extinguet ignem in stipula mox quãdo cœperit arderere? Nũquid repellet aliquis sagittã à sagittario forti missam?

Idem exemplis docet & inculcat, non posse uindictã dei in impios prohiberi à quacunq; uirtute creata, quam libet forti.

4 Dominus fortis immittit mala, & quis est qui repellat ea? Exĩt ignis ex iracũdia eius, & quis est qui extinguat eũ? Coruscabit, & quis non timebit? Tonabit, & quis non pauebit? Dominus cõminabitur, & quis non funditus conteretur à facie ipsius?

Applicatur similitudo ad dominum, qui pro omnipotentia sua à malis immittendis prohiberi non potest, iracundiam eius nemo subterfugiet, ignem iudicij diuini nullus extinguet, fulgur horrendi aduentus illius nemo sine grauissimo terrore conspiciet. Magnitudinem tonitrui diuini quo sententiam dicit contra impios quis sustinebit? Ipso comminante mundus totus contremiscit: reuerendus est igitur & colendus, obsequendum præceptis, ne iudicio subdi cogamur.

5 Terra tremuit & fundamenta eius, mare fluctuat de profundo, & fluctus eius disturbabuntur, & pisces eius à facie domini, & à gloria uirtutis eius: quoniam fortis dextera eius quæ arcũ tendit, sagittæ eius acutæ quæ ab ipso mittuntur, non deficient cum cœperint mitti in fines terræ.

Prouidentiam dei circa omnia docet, ut omnipotentia timeatur, in manu enim ipsius terra tota est, & omnia fundamenta eius: loco enim mouere potest terram dum uult, ut sentimus, & diluuio aquis mersam integro anno legimus. Maris tumultuosi fluctus & horribiles eleuationes dominus facit, & comprimit. Pisces maris non effugiunt iudicium domini, quin ibidem dum uult malis possit afficere. Magnificentia uirtutis diuinæ simpliciter manifestatur in omnibus. Manu potentiæ suæ arcum tendit, & parat, ut quem uelit in mundo sagitta appetat, nulla uirtute iuuandum, etiamsi omnium exercituum fortitudine propugnetur, nemo illi loci longinquitate abest, qui ubiq; est, & omnia agit in omnibus.

6 Ecce mittuntur mala, & non reuertẽtur, donec ueniãt super terram. Ignis succendit, donec cõsumat fundamẽta terræ. Quemadmodum non redit sagitta missa à ualido sagittario: sic non reuertẽtur mala, quæ missa fuerint in terram.

Omne quidem bonum desuper uenit, & à domino, sed & non est in ciuitate malum, uel etiam toto in mundo, quod non fecerit dominus, uel quæ mundus prohibere possit, domino uolente ut fiat. Hæc sententia sæpius explicatur, ut dominum timere discamus.

7 Væ mihi, uæ mihi: quis me liberabit in illis diebus? Initium dolorum & multi gemitus, initium famis & multi interitus, initium bellorum & formidabunt potestates, initiũ malorũ & trepidabunt omnes. In his quid faciam cum uenerint mala?

Tam impius erit tunc mundus, & tam iusta dei uindicta, ut iusti quidem uix sint saluandi. Ideoq; Eschylus clamat spiritu sancto instigatus: Væ mihi, uæ mihi, quis me tunc uicturum, dum Babylon subuertetur, dum à domino peccatores iudicabuntur, liberare poterit, cum me quoque sine peccato esse fateri non possim? Quid sum ego tunc acturus dum mala euenient, qui nunc ad tantorum malorum initia sic perturbor? Audio enim grauissima instare mala, causas dolorum, & multi gemitus, famis, & multi interitus bellorum quoque et formidinum, peccata scilicet, quibus mundus implicatur, & oneratur se, quorum maxima occasio est potestatum & principum insolentia & impietas.

8 Ecce fames & plaga, & tribulatio, & angustia missa sunt flagella in emendatione, & in his omnibus se non conuertent ab iniquitatibus suis, neque flagellorum memores erunt semper.

Ad emendationem hominum dominus tot mala immittit, sicut & Iudæis immissa captiuitas est, fames, plaga, tribulatio, angustiæ & flagella, ut emendarentur, & tamen non sunt emendati, cum populus dei esset, legem & prophetas haberent, ideoq; tantopere sunt flagellati. Quid fiet gentibus non sic admonitis, castigatis, & ad legem naturæ uel dei non instituentibus suam uitã, sed ad peiora semper inclinantibus? quomodo isti emendati cadent, qui admonitores non acceperunt, nec institutum colunt uitæ melioris?

9 Ecce, erit annonę uilitas super terram, sic ut putent sibi esse directam pacem, & tunc germinabunt mala super terram, gladius, fames, & magna confusio. A fame enim plurimi qui inhabitant terram interient, & gladius perdet cæteros, qui superauerint à fame, & mortui sicut stercora proiicientur, & non erit qui consoletur eos.

Difficile homines emendantur, ut dictum est, ex flagellis

gellis, multo tardius id fiet ex rebus saluis omnibus, & in pace huius mundi. Citius enim ut per cœli & terræ benignitatem, de dei gratia, uilitas hominibus annonæ contingit, ut nulla fame discrutientur, sed ad copiam abundetur in omnibus, statim insolescere incipiunt homines, & super terram ilico mala germinant peccatorum, quæ statim quoque subsequitur cumulus plagarum, gladius, fames, confusio.

10 Derelinquetur enim terra deserta, & ciui tates eius deiscientur. Non derelinquetur qui colat terram, & qui seminet eam.

Nulla uenit ut plurimum calamitas sola: ideo domino irato propter peccata perfidiæ, & auaritiæ, superbiæ, & iræ, quomodo non succederet fames & latrocinium, mors & horror, bellum & rapinæ bonorum, pauperum oppressio & diuitum deprædatio? Quibus sic grassantibus propter peccata, necesse est terras redigi in solitudines, dirui, & in ruinis iacere urbes, terram squalidam iacere & incultam, à raritate eorum qui colere uelint aut possint.

11 Ligna dabũt fructus, & quis uindemiabit illa? Vua matura fiet, & qs calcabit illã? Eritenim locis magna desertio. Cupiet enim homo hoiem uidere, uel uocẽ eius audire.

Etiamsi fructus daturæ sua sponte sint arbores, nemo tamen supererit in desolata habitatoribus terra, qui uindemiarum tempore legat uel colligat. Vuæ si maturescant sponte nascentes, à nemine calcabuntur, propter insignem solitudinem, & hominum paucitatem, ut rarissimi sint homines futuri in terris, ubi olim frequentissimæ fuerant coloniæ. Lamẽtatur alicubi diuus Hieronymus solitudines Græciæ & Syriæ, suis fuisse temporibus, quæ si interim hominibus repletæ fuerint, nescio. Satis autem constat prisco illo sæculo, quo florebant regna Græcorũ & Persarum longe populosiorem fuisse utramq; regionem, quàm interim. Et quot hodie urbes Turca ædificet non audimus, quantas autem strages per has omnes terras ædiderit uidimus, & nimis certò scimus.

Solitudines terrarum.

12 Relinquentur enim de ciuitate decem, & duo de agro qui absconderint se in densis nemoribus, & scissuris petrarum: quemadmodum dum derelinquuntur in oliueto, & singulis arboribus tres aut quatuor oliuæ: aut sicut in uinea uindemiata racemi relinquuntur ab his qui diligenter uineam scrutantur: sic relinquentur in diebus illis tres aut quatuor scrutantibus domos eorum in rhomphæa.

Omnibus prænominatis regnis maximis & florentissimis longo tempore spiritus domini in propheta prædicit maximas desolationes, quas olim factas per furias regum Persidis, Asiæ, Syriæ & Aegypti, satis exponunt historiæ illarum gentium, quæ late patent legendæ, ut nõ necesse sit multa commemorare, quàm multæ fuerint urbes dirutæ, homines occisi, Carmeli uersi in syluas, homines fugisse in deserta montium & uallium, in uastissimas solitudines, quæ & hodie fiunt propter peccata multa hominum & magna, ut paucissimi relinquantur pro pluribus in istis terris quàm maxime quæ hic nominantur.

13 Et relinquet terra deserta, & agri eius inueterabũt, & uiæ eius & omnes semitæ eius germinabunt spinas, eò quòd non trasient homines per eam.

14 Lugebunt uirgines non habentes sponsos, lugebunt mulieres nõ habentes uiros, lugebunt filiæ earum non habentes adiutorium sponsi earum: in bello consumentur, & uiri earum in fame exterentur.

Eadem prophetico more exaggerantur pro rerum magnitudine, quando calamitatum tantarum pondus nemo sufficiat explicare, quarum tamen similia multa legimus à prophetis, de uastationibus nempe regnorum, maxime autem horum quæ hic nominantur. Sæpe enim huiusmodi prophetiæ impletæ sunt, ut terra luxerit præ solitudine, agri in syluas & arbusta increuerint, alicubi etiam urbes magnificæ deletæ, quarum aliquæ restitutæ, sed paucæ comparatione illarum quæ in ruinis iacent, quarum uix quoq; ruinæ inuestigari possint. Sic de hominum paucitate, maxime autem uirorum, qua fit ut uirgines lugeant, non inuenientes maritos aut sponsos.

15 Audite uero ista, & cognoscite ea serui domini. Ecce uerbũ domini, excipite illud: ne diis credatis, de quibus dicit dominus. Ecce appropinquant mala, & non tardant.

Ex gentilium regnorum uastatione, quæ Esdræ temporibus florentissima erant, subiectis Babylonicæ monarchiæ, quæ tamen suo tempore olim nec ita post longum tempus conuertenda erant in maximam solitudinem, occasionem arripit consolandi suam gentem captiuam, ne se solam miseram reputaret. O uos, inquit, serui dei & cultores omnipotentis & ueri, audite hæc & agnoscite quæ iam futura prædixi, sunt enim certissima, quia à spiritu domini mihi reuelata: uerbum domini sunt non humana commenta, non inania somnia, sed reuelationes diuinæ, non mendacia falsorum prophetarum, uel diuinationes dæmonum ab extis idolorum.

16 Quemadmodum prægnans cum parit in nono mẽse filium suum, appropinquante hora partus eius, ante horas duas uel tres dolores circumeunt uentrem eius, & prodeunte infante de uentre non tardabunt uno puncto: sic non morabuntur mala ad prodeundum super terram, & sæculum gemet, & dolores circuntenebunt illud.

Non sufficiat uobis, ô serui dei, hæc prædicta futura credere nisi & cito credatis perficienda, & certissime, ut nemo ualeat quacunq; uia impedire, non magis quàm partus suo tempore decretus à cursu lunæ, uel potius dei prouidentia differri in aliud tempus non potest. Iam enim malitia grandis illarum gentium, portendit non diu differendam earum iudicium graue, quod est prædictum. Iam sæculum gemere uidetur, et torsiones sentire, ut quæ hodie gloriosissima cernitur Babylon, statim futura sit habitaculum eorum animalium, quæ non nisi solitudines

amant,& cõsortia hominũ abominantur quàm maxime.

17 Audite uerbum plebs mea. Parate uos in pugnam,& in malis: sic estote quasi aduenę terræ. Qui uendit quasi qui fugiat: & qui emit, quasi qui perditurus. Qui mercatur quasi qui fructũ nõ capiat: & qui ædificat, quasi nõ habitaturus. Qui seminat, quasi qui nõ metet: sic & qui uineam putat, quasi qui non uindemiaturus. Qui nubunt, sic quasi filios non facturi: et qui non nubunt, sic quasi uidui: propter quod qui laborant, sine causa laborant.

Exhortatio uidetur esse spiritus prophetici ad fideles, qui tunc erant inter captiuos, qui & populus domini dicuntur, etiam extra terram Israel. Vult autem dicere: Vos Israelitæ redituri suo tempore ad hæreditatem uestram ad Iudæam, uel etiam nunc in exilio manentes, non putetis uobis unquam solidam in hoc mundo pacem & felicitatem concedendam, sed memineritis potius, omnem quam hic uiuitis uitam aliud non esse quàm continuam pugnam, non solum contra malitiam infideliũ, qui uos continuo persequuntur, sed etiam cõtra uestram carnem & sanguinem, in qua pugna semper stare uos oportet, & experiri cum patientia mala huius mundi, & uitæ mortalis, in qua semper putate uos esse aduenas & peregrinos, non habentes hic stabilem mansionem, sed futuram inquirite. Maior sit ergo uobis solicitudo, quomodo perueniatis ad cœlestem patriam, & ad sortẽ animarum fidelium, in qua beatæ animæ cum domino requiescunt, quàm quomodo perueniatis iterum in Iudaicam patriam uestram: ideóq; nihil in hoc mundo multum diligite, tempus enim breue est. Reliquũ est enim, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura huius mundi, quæ Paulus 1. Corinth. 7. fermè ex hoc loco suscepisse uidetur, docens semper paratos esse debere fideles, ut domino uocanti exire hunc mũdum parati sint: quandoquidem nihil sit certum uel diuturnũ pijs, in hoc mundo inter impios & infideles habitantibus, quibus inquirenda sit melior patria in sæculo animarũ post hanc uitam corpoream.

18 Fructus enim illorum alienigenę metent & substantiam illorum rapient, & domos euertent: & filios eorum captiuabunt, quia in captiuitate & fame generant natos suos.

Si in hac terra Chaldæorum uel reliqua quacunque multum laboraueritis pro temporalibus diuitijs colligendis, insipienter agetis: quandoquidem inter hostes fidei & morum, inter idololatras & dei negatores, omnia uobis ambigua & incerta erunt. Non ergo aliter hic uiuatis, quàm aduenæ huius terræ: siquidem & huius quoque terræ fructus, qui Babylonijs importatur ab alienigenis deuorabitur. Gens aliqua hostilis substantiam ipsorum diripiet, eorum domos euertet, filios captiuos abducent, ubi & in miserijs & ad seruitutem generabunt filios suos, ut satius sit nullos genuisse.

19 Et qui negociãtur in rapina quantũ diu exornãt ciuitates & domos suas, & possessiones & personas suas, tanto magis adzelabor eos super peccata sua, dicit dominus.

Qui negotiationes suas habent in rapina & depræ dationibus aliorum, quales hactenus fuerunt Babylonij, et gentes cæteræ deum non colentes uel timẽtes, hi quanto magis ciuitates suas & domos exornant, & augent possessiones suas de auro direpto & Tolosano, tanto magis accelerabo uindictã in illos, ut uel citius occidantur, uel ab hostibus collecta perperam diripiantur, ut peccata digne puniantur.

20 Quomodo zelatur fornicaria mulierem idoneam & bonã ualde: sic zelabitur iustitiam iniquitatẽ, cũ exornat se, & accusat eam in facie cum uenerit qui defendat exquirem tem omne peccatum super terram. Propterea nolite similari ei nec operibus eius: quoniam adhuc pusillum, & tolletur iniquitas à terra, & iustitia regnabit in uos.

Sicut odire solet & persequi mulier turpis & formicaria fœminam honestæ conuersationis & pulchram, à qua confunditur & erubescere cogitur: sic semper iustitia quoque odit quicquid iniquum & sibi contrarium uiderit, & quanto se magis iniquitas ingerit & profecit, tanto magis à iustitia oditur. Accusatq; eius turpitudinem & damnat, ut confundatur, suo quoque tempore eam coràm redarguet, tunc maxime, cum sese coram omnium iudice peccatorum, quæ fiunt super terram, ipsa se iniustitia defendere audebit, sed minime poterit. Ideo uos quotquot fideles esse debetis iniustitiam omnem odite, in nullo casu eidem assimilari uelitis, sed potius eam procul abijcite. Dominus enim omne illud iniustitiæ regnum finiet, abijciet, & in nihilum rediget, prorsusq; confundet. Regnabit autem pro eo regnum iustius, & rex à deo destinatus melior, & deo dilectior, cuius iam dudum nomen & studia Isaias prædixit propheta.

21 Non dicat peccator se non peccasse: quoniam carbones ignis comburet super caput eius qui dicit, Non peccaui coram deo & gloria ipsius.

Sententia notatu digna de confitendo peccato suo, ne quis peccator de peccato fuerit accusatus, ne neget, uel iustificare se pergat dum peccasse scitur: exaggerat etiam peccatum magis, dum falsum asserit, & non humiliter se peccatorem agnoscit, & indignior sit indulgentia, quæ humiliatis conceditur, & se peccasse plangentibus atque dolentibus. Sic hortatur Esdras populum, ut humiliter peccata agnoscant sua, ut indulgentiam assequantur. Nouit enim dominus peccata nostra, quo minus ea confiteri uereamur, si de eis doluerimus. Durius autem sibi iudicium accersit, qui ut alter Cain fateri cõtemnit.

22 Ecce dñs cognoscet omnia opera hominum, & adinuentiones illorum & cogitationes illorum & corda illorum. Dixit enim: Fiat terra, & facta est: fiat cœlum, & factum est

est. Et in uerbo illius stellæ fundatæ sunt, & nouit numerũ stellarũ. Qui scrutatur abyssum & thesauros illarum: qui mẽsus est mare, & conceptum eius. Qui cõclusit mare in medio aquarum, & suspendit terram super aquas uerbo suo. Qui extẽdit cœlum quasi camerã super aquas fundauit eum. Qui posuit in deserto fontes aquarum, & super uerticem montiũ lacus ad emittendum flumina ab eminenti petra, ut potaret terram.

Etiam si peccata confiteri domino nolimus, non tamen illum latere potest malitia, qui non tantum opera cognoscit omnia, sed & uerba, & cogitatus, quin & desyderia ipsa tam bona quàm improba omnia. Quomodo enim ignoraret quod condidit? Cum itaq; omnia condiderit, etiam cordis humani secreta ignorare non potest. Cœlum, terram, stellas, earum numerum, abyssum, & quicquid ea continetur: mare, & quicquid complectitur, omnia nouit qui condidit. Mare conclusisse in medio aquarum, est colligi ipsum ab omnibus fontibus & fluminibus, undique in illud fluentibus, & ut iterum fluant exmari & aquis undiq; circundantibus terram, ut sit sine fine fluxus & refluxus. Suspendere terram super aquas, est aridam eleuari ad terrestriũ animantium uitam. Cœlum camera dicitur omnium quæ in cœlo clauduntur & conseruantur. Cœlum quoque super aquas fundasse, est demittere aquas pluuiarum, dum authori complacet, uel sic cœlos firmasse, ut supra aquas consistant in altissimis, cum aquæ ad ima tendant, & semper decliuia sectentur. Deserta uocat montes & conualles pro animalium habitaculo, ubi non desunt, ut plurimi fontes & torrentes. De lacubus in altissimis alpibus, unde promanant flumina & lacus, qui exonerantur per flumina tandem in mare satis constat.

Mare conclusi.

25 Qui finxit hominem & posuit cor suum in medio corporis, & misit ei spiritũ, uitam & intellectum, & spiramen dei omnipotentis, qui fecit omnia, & scrutinat omnia abscõsa in absconsis terræ.

Multus est author in designatione uirtutum diuinarum, eius qui omnia condidit, ut & omnia quæ fiunt in creaturis cognoscat, ut nihil absconditum sit à facie eius. Qui enim de limo terræ finxit humanũ corpus, & mentem posuit intra cor hominis, quod ut sol in medio firmamenti, sic cor in medio corporis, omnia uiuificat, & spiritu uit ali sustentat. Inspirauit quoq; spiraculum uitæ in faciem hominis, quo uiuat anima sensitiua & rationali uel intellectiua, qua cæteris animalibus antefertur, angelis quoque comparatur & æquatur, qua & creatorem suum nosce potest, & amare, gratus esse, & uoluntati ipsius obsequi, & per omnia obedire. Est enim anima intellectiua spiritus à deo creatus & infusus, quo perpetuò uiuat homo, & deum colat, fide, spe, & charitate, in hac uita, cui in futuro sæculo succedat uisio dei, & fruitio, cum certitudine de permansura æterna felicitate, & nunquam finienda, quam tentionem uocant. Is itaque dominus deus talis ac tantus, omnia abscondita nouit, quid omnibus creaturis incomprehensibile est & ignotum, id omnipotens, & omnia sciens perfectissime intuetur: longe menti humanæ proximior, quàm sit ipsa sibi, cui nullæ prorsus latent cogitationes & desyderia, multo minus opera secreta quæcunq;.

Anima intellectiua.

24 Hic nouit adinuentionẽ uestram, & quæ cogitatis in cordibus uestris peccantes & uolentes occultare peccata uestra.

Studia humana & cogitationes nouit dominus, quid alant in pectore, quid cupiant tam mali quàm boni, ut nihil prorsus tentet homo abscondere ab oculis dei, omnia perspicientis, & contẽplantis, quo magis sibi animus hominis caueat ab omnibus malis institutis, uerbis et factis.

25 Propter quod dñs scrutinando scrutinauit omnia opera uestra, & traducet uos omnes, & uos cõfusi eritis cũ processerint peccata uestra coram hominibus, & iniquitates erunt quæ accusatores stabũt in die illo.

Cum intelligatis uos esse populum dei, & suscepisse eius legem, ut iniustitia coram eo conuersemini non in desyderijs carnis, sicut gentes, quæ deum ignorant, ideo ab omni mala cogitatione uobis cauete, scientes domini dei uestri prouidentiam circa omnia quæ geritis & cogitatis, quomodo omnia scrutatur, perquiritq; certissime, & in die iudicij sui traducet omnia cordis uestri occulta in publicum: nihil enim nunc est opertum, quod non reuelabitur, & occultum quod non scietur. Tunc autem in iudicij uniuersalis die confundentur impij de occultis criminibus, quæ à deo producentur, & iudicabuntur. Ipsa autẽ crimina accusatores erunt conscientiæ uestræ & condemnatores, ut alijs testibus opus non sit, quando conscientia testimonium perhibebit iustæ damnationi.

26 Quid facietis, aut quomodo abscõdetis peccata uestra corã deo & angelis eius? Ecce iudex deus, timete eũ. Desinite à peccatis uestris, & obliuiscamini iniquitates uestras iam agere eas in sempiterno, & deus educet uos & liberabit de omni tribulatione.

Tunc nullus erit locus excusationi, nemo latere poterit, peccata nõ abscondentur, non tantum deo patebunt, sed omnibus angelis dei, qui in iudicio dei testes aderunt peccatorum & sanctorum operum, Domino deo iudicante secundum opera iusta uel iniusta, ut benedicti propter obedientiam eant in uitam æternam & felicem: maledicti autem propter inobedientiam cum satana & angelis eius transmittantur in supplicium æternum. De quo ad longum Matthæi 25. Eum ergo timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Sic autem timeatis ut ab offensa eius temperetis & abhorreatis. Offenditur autem per infidelitatem, dum uerbis suis fides non habetur, & præceptis non obeditur. Desistendũ potius magna solicitudine est ab omni offensa illius, ne semper pergatur in malo culpæ, ut & à malo pœnarum liberari possit homo. Sunt enim tribulationum & exiliorum causæ peccata hominum, quæ per dei iustitiã non relinquuntur impunita, maxime autem in illis, qui legẽ domini cum

tantis beneficijs acceperunt, & præ reliquis sunt pecu-
lium dei facti ex gratia.

27 Ecce emĩ incenditur ardor super uos tur
bæ copiosæ, & rapient quosdã ex uobis &
cibabunt idolis occisos, & qui consenserint
eis erũt illis in derisum & in improperium
& in conculcationem.

De persecutione futura sub Antiocho loqui uidetur, quando pro pietate multa sunt passi Iudæi, nolentes idolis sacrificare, legẽ præuaricari, & gentilium sacrilegijs pollui, quando furorem impijssimi idololatræ pertulerũt, & coacti sunt ad illicita, consentientes autem irrisi sunt ab impijs, negantes uero occisi.

28 Erit emĩ locis locus, & in uicinas ciuitates
exurrectio multa super timẽtes dominum.
Erunt quasi insani, nemini parcẽtes, ad diri
piendum & deuastandũ adhuc timẽtes do
minum: quia deuastabunt & diripient sub-
stantias, & de domibus suis eos ejcient.

In omnibus locis fideles & pij ab impijs inquirentur, & de ciuitate in ciuitatẽ persequentur propter dei legẽ, ut nusquã sint tutum locũ habituri timentes deum, ab impij regis Antiochi tyrannide grauissima: de qua in libris Machabæorũ. Nemini parcent pio impijssimi homicidæ, sed postquã bona rapuerint temporalia, & exuerint diuitijs et rebus oĩbus, inq; exiliũ relegauerint, & in extremam pauperiem, etiam morte crudeli afficient in pietate perseuerantes, ut uidebitur in historia Machabæorum.

29 Tunc parebit probatio electorum meo-
rum, ut aurum quod probatur ab igne.

Tunc probabũtur electi in camino aduersitatis: fides quoq; illorum probabitur, & conspicua deo erit & hominibus. Vincent enim fide & pietate perfidiã tyrannorum, & confundent idololatriam, dominũ autem deum suum glorificabunt, & gloriam æternam assequentur.

30 Audite dilecti mei dicit dominus. Ecce
adsunt dies tribulationis, & de his libera-
bo uos. Ne timeatis nec hęsitetis: quoniam
deus dux uester est. Et qui seruat mandata
& præcepta mea dicit dominus deus, ne
pręponderent uos peccata uestra ne super-
eleuent se iniquitates uestræ.

Concludit exhortando pios, ut constanter in tentatione præsenti & futura consistant, tempora tribulationis patienter ferãt, certissime se scientes liberari ab omnibus malis præsentibus et futuris. Quandoquidẽ omnipotens & clementissimus dominus deus, dux sit ipsorum & pater, qui eos non sit deserturus, si in mandatis eius pro omni uirili sua ambulauerint, si à peccatis grauibus sibi temperauerint, & in corpore mortis huius pietatem coluerint, perfecta deo fide adhæserint. Quanquã autem sine peccatis in hac uita uiuere homo non possit, curandũ tamen ne grauibus onerentur pij, et magno pondere deprimantur, quod aliud non est quàm perfidia, & non credere uerbis dei, ex quo continuo grauiora emergunt crimina. Peccator enim in profundum perueniens peccatorum, contemnit, & omnem melioris uitæ abijcit curam,

Constantia in persecutionibus.

sed lætatur cum malefacit, & exultat in rebus pessimis:

31 Væ qui constringũtur à peccatis suis, &
obtegũtur ab iniquitatibus suis, quẽadmo
dũ ager constringitur à sylua, & spinis tegi
tur semita eius per quã nõ transit homo, &
excluditur, & mittitur ad deuorationẽ ignis.

Humanũ quidem est peccare, & in multis quotidie offendere, perseuerare autem in malo diabolicum, à quo & diuino iudicio impij constringuntur, sese dæmoni seruos constituunt & dedunt totos, domino deo suo contempto, & irriso illius uerbo: quo fit ut sic iniquitatibus obruantur, ut emergere de illis non possint, tandem etiãno lint, unde & iustitia damnationis eorum iusta cernatur omnibus, & propriæ quoq; suæ conscientiæ, quando ad iudicium tam priuatum mortis, quàm generale in fine mũdi fuerint præsentati. Tunc enim apparebit tota ipso rum uita fuisse mera perfidia, & contemptus dei, uidebuntur enim obruti toti criminibus, & ut bonis omnia cooperantur in bonum, sic illis reprobis omnia cessisse in malum & iustam damnationẽ, inq; desperationem perpetuam. Nõ aliter quàm si desperetur de arbore semper fructus malos proferente, qui tandẽ excinditur, & mittitur in ignem æternum. Et quid aliud agro spinis tantũ obsito, & nihil bonæ frugis adferenti reliquũ est, quàm ut semel immisso igne, in totũ conflagretur & ignis fiat. Sic impijs expectandũ, qui conuerti ad dominum contemnunt: sanctis autem & fidelibus reposita merces est, cum angelis dei in cœlestibus, cũ patre omnium spirituum in gloria æterna, ad quam uocabũtur benedicti, ut regnum percipiant felicissimum & æternum.

COMMENTARIVM IN PRIMVM LIBRVM Machabæorum.

MAchabæorum primus liber elegantissimus est, & stilo honesto, etiamsi humano tantum spiritu foret conscriptus, cum reuera sit diuini spiritus instigatione ad multorũ prophetarum intelligentiam à sancto aliquo uiro dictatus, sine quo ecclesiastica eruditio perfecta non fuisset, cum secundo Machabæorum & tertio carere posit ecclesia, unde & secundum pijssimam catholicæ ecclesiæ institutionem post alios quosq; canonicos libros legi debeat mense Octobri, quem, pro Nouembri, sequũtur Daniel, duodecimq; prophetæ, quæ utinã ordinatio seruata fuisset in ecclesia, non tot certe errores increuissent. Sed utiliores esse tandem cœperunt legendarũ, quas uocant, lectiones, de patrum gestis & sanctorum meritis, & miraculis, pro sanctorũ cultu prædicandis, & monachorũ quæstu, quem sacrosancta collegia, tandem ueneno auaritiæ infecta perperam sunt secuta. Rabanus eruditus & pius monachus, memorat in epistola sua ad Ludouicum Pium, hos libros institutos à Romana ecclesia ut legantur in ecclesia. Et ut id fieret religiosius, mystice illos interpretatus est, non obmittendo literæ intellectum. Hoc autem

autem quandoquidē litera ipsa nostris temporibus optime seruit, sicut & omnibus solet temporibus multū prodesse, eā inquiremus pro more, & uidebimus perpetuo sibi similē esse mundū, ut et eisdem medicinis egeat eccle siastica calamitas & miseria, quādo omni tempore, qui pie deo uiuere cupiunt, grauia perferre coguntur à mundo, qui iam nunc ut dudū antea constituitur in maligno. Et pietas semper infestatur ab impijs, ut simili quoq; fide et opera fideles sibi prospicere cogitent, contra tyrannorū insultus, fide in dominū, cum oratione assidua, magis q̄ armis carnalibus sibi opus esse cogitent, & sese domino totos committant, qui potens est humiliare superbos, & uerbi sui legisq; blasphematores cōterere, sanctos quoq; consolari. Quanquā et corporalibus armis subditos fideles defendere, & impios ab iniurijs arcere, satis religiosum esse probetur ex gestis sanctorū, Abrahæ, Iacob, Iosue, Dauidis, Iosaphat, Ezechiæ, & Machabæorū, ut nostros taceam, Carolū, & similes. Sed si maiores fortitudinis sibi partes uindicent fides & zelus rerū diuinarū, nō gloria uel fastus aut quæcunq; auaritia uel odiū, ardorq; nocendi etiam infidelibus, qui magis uerbo & exēplo, uirtutibus et scripturis, sunt à seuitia absterrendi. Vt meritate & mansuetudine, libris & stilo, quàm spiculis aut bombardis, Longe alia uia tentanda erit Christianæ religionis felix propagatio q̄ hactenus. Non augeatur quæstus episcopis, & papæ monarchia, sed Christi domini gloria, pax, tranquillitas, & morū innocentia, charitas & humanitas. Ad hoc linguarū peritia proderit, si pietas fidei inter Christianos increuerit, ut non prius alias gentes Christo lucrari tentemus, quàm nos fuerimus meliores Christi discipuli, & regni cœlestis domestici: prius nō emendemur, et de alijs emēdandis deinde cogitemus, ne si Turcis peiores sumus, alijs festucā extrahere præsumamus, cum trabem infixum habeamus in oculis.

Defendere pios, iustū.

Turcarum ingenium.

CAPVT PRIMVM.



1 IT FACTVM est postquā percussit Alexander Philippi Macedo, qui exiuit de terra Cethim et percussit Darīū regem Persarū, & Medorū: & regnauit in loco eius primus in Græcia, & constituit prælia multa, & obtinuit munitiones, & interfecit reges terræ:

2 & pertransijt usque ad fines terræ, & accepit spolia multitudinis gentium: & siluit terra in conspectu eius, & exaltatum est & eleuatum cor eius:

Exordiū libri testatur esse primū Hebraice scriptum uel Syriace, iuxta idiotismos, quia præmittit uerbū quidē futuri temporis, sed uau præfixum ut mutetur de futuro in præteritum, & non sit coniunctiua particula, sed grāmaticalis nota, nihil significans præter tēporis mutationem, sicut & in libro Iosue, & alibi. Vt sit sensus, Contigit post triūphos nobiles & multos Alexandri magni in totā Græciam & regnū Persarū, &c. Ne ex cōiunctione, et mysteriū aliquod eruere contēdamus, cū aliud nō succurrit dicendū in libri exordio. Alexander Philippi dicitur, regis scilicet Macedoniæ filius, et matris Olympiadis, natus Olympiade 106. Qui Philippus uigesimus secundus Macedoniæ rex, uigesimo sexto anno regni sui, in Aeggæis à Pausania filio Cerastē insidias passus perimitur. Succedens autem filius Alexander imperio, transijt Hellespontum, Darij XIIII. regis Persarū et ultimi, qui Arsamis filius dictus est, duces deuicit super Granicū flumen confligens. Cumq; percurrisset Lydiā et Ioniam, deindeq; Pamphiliā, primus hic in totam Græciā regnasse scribitur, unde et ab eius regno numerus annorū est inceptus: de quo hoc libro frequenter fit mentio, nō de Olympiadibus, quæ tunc erant in usu Græcorum. Multi aūt iam olim in Græcia reges fuerant, nempe Argiuis, Athenienſibus, Lacedæmonijs, Corinthijs, & Lydis, in Macedonia primus rex fuit eo tēpore, quo Iudæis rex fuit Ozias. Egressus autem dicitur de terra Cethim, quæ manifeste hic dicitur Macedonia, nisi totam Græciā, uel ut Hieronymus uult, omnes prope per Græciam insulas, uno nomine Cethim dici: quandoquidē constat, penè oēs insulas & totius orbis littora & terras, mari uicinas, à Græcis accolis occupatas. Percussit autē Dariū regē Persarum & Medorū, iuxta Danielis prophetiā, qui de ariete Dario dixit, cuius duo cornua confregit, Medos et Persas, utrunq; enim regnū suo subiugauit imperio. Constituit autē prælia multa, quia post Darij mortē, Hyrcanos & Parthos subegit, inde Thraces, & reliquos ferè omnes populos, unde tot in orbe Alexandriæ conditæ sunt, pro honore sui nominis, & ab ipso: in Aegypto, Arachosia, Aria, Carmania, Sogdiana, & Parthia, ut ad Indum quoque flumen peruenerit, unde Babyloniam celeriter redierit: ibi eum totius orbis prouintiarum legati expectabant, Carthaginenſium & totius Aphricæ ciuitatum, sed & Hiſpanorum, Gallorum, Siciliæ, Sardiniæq;, plurimæ quoque partes Italiæ. Tantus enim timor in summo oriente constituti regis, populos ultimi occidentis inuaserat, ut inde peregrinam cernens toto mundo legationem, quo uix crederes peruenisse rumorem, ut bene scriptum hic sit: Et siluit terra in conspectu eius, quando nemo omnium illi rebellare audebat.

De Græcorum regibus.

3 Et congregauit uirtutē, & exercitum fortem nimis: & obtinuit regiones gētium, & tyrannos: & facti sunt illi in tributum.

Ex multis ac perpetuis uictoris, quibus à domino donabatur, & quas prædixerat ei in somnis dominus, teste eodem ad laudem summum sacerdotem, maximam congregauit uirtutē, hoc est exercitum selectissimum & inuincibilem, hoc est nimis fortem, illiq; fauore & fide addictissimum, quanquam non defuerint inuidi & infide-

les, qui fortunæ illius inuidebant, ut fit potẽtibus. Per superbiam autem eleuatus est, non dedit gloriam deo, sed ex continuo successu superbiuit, & crudelior est factus, multum effudit sanguinem, & obtinuit multas et magnas regiones gentium, usq; ad Indiam, & Aethiopiam. Tyrannos humiliauit, ut ipse superbiret, et tandẽ nimisq; cito ipse quoq; humiliaretur: id quod magnis principibus semper est meditandum, ut proximos se casui nouerint, ubi se uiderint plurimũ exaltatos. Tributarios illos fecit, thesarosq; & opes ubiq; abstulit gentibus, propter quas duces & milites eo mortuo contenderunt. Scribunt enim Pompeius Trogus et Iustinus, reperta fuisse in thesauris eius, quinquaginta millia talenta auri, & in annuo uectigalium tributo tricena millia. Id sibi honores putãt principes, si rapiãt quàm plurima, his quos à rapina improborum defendere oportebat ex officio.

4 Et posthæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur.

Satis canũt historiæ facta huius Alexandri, ut ea adducere in mediũ nõ sit necesse, nihil est enim neglectum, si nõ excessum à talium rerum scriptoribus. Breuiter hic transit noster author, ostendens post maximam exaltationem breui humiliatum, & quem orbis uincere non poterat, potus modicus humiliauit: ut obnoxios se norint maximis infortunijs, qui cupiũt dominari multis. Decidit in lectum, sumpto ueneno in conuiuio Babyloniæ, parato à familiaribus hostibus, in aqua frigida, unde statim cognouit se moriturum. Dicitur tumultuantes milites insidias suspicantes Alexander sedasse, eosq; omnes prolatus in æditum locum ad conspectum suum admisisse, & osculandam dextram suam flentibus porrexisse, sine suis lachrymis, & sine tristioris mentis argumento, ut quosdam impatientius dolentes fuerit consolatus, ut inuictus illi animus, sicut in hostes sic quoq; in mortem fuerit.

Alexander uictus.

5 Et uocauit pueros suos nobiles, qui secũ erant nutriti à iuuentute: & diuisit illis regnum suum, cum adhuc uiueret.

Pueros uocasse hic dicitur, id est subditos sibi duces exercitus, coætaneos & fideles amicos, quibus diuisit regnũ suum, hoc est multos principatus sui successores reliquit. Antigonus quidem Asiam apprehendit, Seleucus Babylonem gentesq; uicinas, Lysimacho contigit Hellespontus, Macedoniã rexit Cassander, Ptolemæus autem Lagi filius Aegyptum possedit, qui dum aduersum se seditiones haberent, suumq; dilatare principatũ quiq; contenderent, diuturnis bellis ciuitates concussæ sunt, multis ciuium certaminibus pereuntes. Apud Rabanum lege, unde desumpta est glossa ordinaria, quomodo diuisæ sint per singulos principes regiones principatuũ, in quibus quatuordecim annis dominati sunt, & uelut opimã prædam à magno leone prostratam, auidi discerpserunt catuli. Inter quæ tamen quatuor iam dicta regna eminebant, iuxta Danielis prophetiam, qua prædicitur capite octauo fracto uno cornu maiore in capite hirci insignis, orta sint pro eo quatuor cornua minora.

6 Et regnauit Alexander annis duodecim, et mortuus est. Et obtinuerũt pueri eius regnum, unusquisque in loco suo: & imposuerũt omnes sibi diademata post mortem eius, & filij eorum post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra.

Annis tantum duodecim regnauit Alexander magnus, obijtq; ætatis suæ anno trigesimotertio. In tam breui autem tẽpore, feliciter dimicans, primum Illyricos & Thraces uicit, subuersisq; Thebis, in Persas arma mouit. Vrbem Sardis capit, capta Tyro Iudæam inuadit, a qua fauorabiliter exceptus, deo uictimas immolat. De quo Iosephum uide in fine libri undecimi, pontificemq; templi Iaddum honoribus plurimis prosequitur, Samaritanorum urbem captam Macedonibus ad inhabitandum tradidit. Aegyptum & Babylonem obtinuit, Asiã pertram capit, & Indum amnem transgreditur. Contra Porum & Taxillen in India bellum gerit, rediens Babyloniam, moritur, translatoq; in multos imperio, diuersi regnauerunt, quod est diademata sibi imposuisse successores, & post eos filij ac nepotes annis multis: de quo Eusebius. Mala autem multiplicata in terra sunt, quia reges Syriæ & Aegypti populũ Israel afflixerunt plurimum.

7 Et exijt ex eis radix peccati Antiochus illustris, filius Antiochi regis qui fuerat Romæ obses: et regnauit in anno cẽtesimo tricesimoseptimo regni Græcorum.

Plurimis obmissis, author ad Antiochum Epiphanem uel nobilem descendit. Primus enim post Alexandrum regnauit in Syria Seleucus, cognomento Nichanor, annis trigintatribus. Secundus Antiochus Sother, annis decem & nouem. Tertius Antiochus Theos, annis quindecim. Quarto Seleucus Gallinicus, annis uiginti. Quintus Seleucus Ceraunus, annis tribus. Sextus Antiochus magnus quem scriptura Antiochi Illustris hic dicit patrem esse, qui frater erat Seleuci Cerauni, & filius Seleuci Gallinici. Regnauit autem hic Antiochus magnus, triginta sex annis. Septimus Seleucus qui & Philopator nominatus, annis duodecim. Post quem Antiochus Epiphanes Illustris, frater Seleuci Philopatoris, & filius Antiochi magni, regnauit annis undecim: de quo nunc narratur, quod ex eis orta sit radix peccati Antiochus Illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses. Nã Antiochus magnus, per Romanos oppressus fuerat, ab infestatione uicinarum sibi gentium, Romanis fœderataram, & pro maiori securitate suorum, obsidem acceperunt, unum rem hunc filium Antiochum Epiphanem, qui audita morte sui patris, & inertia Seleuci fratris, clam Roma discessit, & in Syriam ueniens maritimas quasdam urbes tenuit, donec regno toto potitus fuit. Dicitur autem radix peccati, quia impijssimus erat in deũ, sub quo cœpit legis dei & fidelium persecutio, & per occasionem Machabæorum bella. Regnare autem cœpit anno centesimo tricesimoseptimo regni Græcorum, quando scilicet Græci suum regnũ licet per partes cœperunt in Alexandro magno.

8 In diebus illis exierũt ex Israel filij iniqui, & suaserũt multis, dicẽtes, Eamus, & disponamus testamentum cũ gentibus quæ circa

ca nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala.

Huc pertinet quicquid scribitur in secundo libro Machabæorum, capitibus tertio & quarto. Vt Simon quidam de tribu Beniamin præpositus templi Hierosolymitani, iniqua quædam molitus fuerit, non solum ambiendo sacerdotium, sed etiam prodendo sanctuarij thesaurum, Apollonio Tharseæ filio duci inferioris Syriæ & Phœnicis, qui Heliodorum misit, sed à domino flagellatus cum confusione & re infecta redijt. Hic quoque Simon male loquebatur de optimo sacerdote Onia, proditor patriæ & religionis. Cui successit alius, Iason dictus, frater Oniæ pontificis, pontificatum ambiens, multa hic Antiocho Epiphano talenta argenti promittens, si sibi concederetur authoritas condendi gymnasium, et Ephebiam ciuilitatemq; ambiuit gentilium, ut Antiochenici ciues appellarentur, quotquot habitarent Hierosolymis. Quæ omnia non tantum initium, sed & incrementum quoddam erant gentilitatis, nefarium scelus & inaudita impietas. Menelaus quoque & ipse frater Iasonis, æque impia designauit in gentem suam & sanctuarium, ut ibidem legitur, ut etiam Oniam occiderit. Alius quoq; Lysimachus multa commisit sacrilegia Menelai consilio in ipsum templum & gentem. Quos tales uerisimile est multos habuisse fautores & complices homines prorsus impios, & à dei lege abhorrentes, cui placebant idolatrarum ceremoniæ & mores, huius mundi amatores, & religionis sanctæ hostes. Exibant autem à fidelibus, quia non erant ex eis, sed iniqui filij, non tantum apud semetipsos impij, sed alios quoque ad impietatem solicitantes, & ad defectionẽ à uera pietate. Eamus dicebant, & fœdus ineamus cum gentilibus uicinis nostris, quorum nobis familiaritas et amicitia utilior erit, quàm obseruantia legis diuinæ. Nulla nobis de dei uerbo cura sit, sed ut huius mundi potentibus placeamus, ut pacem habeamus cũ uicinis. Nulla est enim felicitas, ubi uerbi dei & legis diuinæ studium suscipitur: felices potius sunt, quotquot mundi huius fauores inquirunt. Multa autem mala inuenerunt nos, ex quo recessimus à societate gentium, & emulatores diuinæ legis esse incepimus. Talis Compositio. etiam inter Christianos hodie uox auditur, contendentes salubrius esse uitam instituere secundum traditiones humanas, diuos colere & inuocare, sacrificia quotidiana pro uiuis offerre & mortuis, monasteriorum professoriorum regulas, quàm iuxta dei uerbum & sacras literas uitam instituere. Talis olim gentilium querela fuit, dum causabantur Romani imperij declinationem processisse ex idolorum neglectu, cum tot martyrum legiones impissime occisorum causam nihili haberent, & gentilitatis uetustissimæ ritum, contra dei uerbum acerrime defensarent.

9 Et bonus uisus est sermo in oculis eorum. Et destinauerunt aliqui de populo, & abierũt ad regem: & dedit illis potestatem, ut facerent iustitiam gentium.

Facile multis persuadetur antiquitatis ritus, quamlibet superstitiosus, si tamen arrideat carni & sanguini. *Placuit pax & fauor cum gentilibus contra uerbum dei, & spiritum pietatis, qui docet malos fieri peiores cum malis, procul abijciendum quicquid uoluntati diuinæ aduersari cognoscitur. Sed non attendunt deo, qui deum non credunt, qui uerbum dei non reuerentur, qui in uetitum nituntur, nihil religiosum amplectuntur. A gentilium rege Iudæi quidam, haud dubie quin multorum nomine, impetrauerunt facile, ut non iuxta diuinas patrias & sacras leges uiuere cogerentur, non secundum uerbum domini, sed ad morem et iura gentilium, quæ illis probatiora & auspicatiora uidebantur, unde & regibus placere sperabant, domini uoluntate contempta, & uerbo dei prorsus abiecto. Quo quid fieri potuit nequius?* Iustitia gentium. *Iustitia gentium tũc erat colere idola, spectacula prophana celebrare, gymnasia sæcularis eruditionis sectari, à nulla turpitudinis specie abhorrere, pollui sacrificijs deorum, adorare deos multos & homines, & omnibus modis iuxta ritum incircumcisorum uitam instituere, mundo uiuere, legem dei non attendere, alienigenas esse, negare sese Iudæos facto, capitale peccatum, æstimare si quid contra regum leges admittatur, de uerbo dei studium nullum gerere, non quid deus, sed quid prophanæ leges statuissent.*

10 Et ædificauerunt gymnasium in Hierosolymis secundum leges nationum: & fecerunt sibi præputia, & recesserũt à testamento sancto, & iuncti sunt nationibus, & uenundati sunt ut facerent malum.

Quale hoc fuerit gymnasiũ certo pronũtiare non possum. Gymnasiũ Hierosolymis. *Videtur turpissimi exercitij locus fuisse, ubi nudi, nescio quid turpitudinis more turpissimorũ gẽtiliũ saltabãt, à qua turpitudine sic nõ abhorrebãt tũc impij Iudæi, ut ad cõplacendũ gentibus, etiã circũcisionis locũ sic adornabãt, secundũ Iosephũ lib 12. cap. 6. ut præputiati uiderentur, et de lege Israelitica erubescẽtes, uereciũdantes de circũcisione, quæ Aegyptijs quoq; sacratioribus, & alijs quibusdã gentibus fortassis ab Ismaele & Esau progenitis, magno semper honore habita fuit. Quanquã & de loco studij philosophici, et gentilium legumlationũ capi possit, quando iam neglecta lege diuina, & libris prophetalibus, sæcularem eruditionem, & execranda Græcorum mendatia auidius persequebãtur, quibus iam placere cœperat, quicquid uerè sanctum nõ erat, & tamen tã docti quàm religiosi haberi uolebãt populo. Quo cũ tempore factum est, ut in locum diuinæ legis successerint humanæ traditiones. Non aliter quàm etiam apud Christianos factum uidimus, in ipsorum quoq; gymnasijs, ubi omnia diligentius tradita sunt, & accepta dogmata, q̃ biblica & uerè theologica, ab hisquoq; qui se theologiæ professores uenditare ut possent, multis pecuniarum & epularum expensis impetrauerunt, quum nullum prophetarum ad uerum intellectũ unquam legerint. Huiusmodi autem gymnasium perseuerasse Hierosolymis, & aliquo modo reformatũ, satis argumentari licet ex euangelicis & Apostolicis actis, quando synagogæ leguntur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorũ, disputantes cum Stephano, sed resistere non poterant spi-*

ritu, qui in ipso loquebatur. Sic hodie non resistere possunt gymnasia theologastrorũ talium ueritati, quæ profertur clarissime ex sacris literis, maxime si desit quæstus & fastus, sed loquatur spiritus & ueritas. Fecerunt sibi præputia, dupliciter intelligi potest, uel quod nõ circumciderunt masculos iuxta legem, uel quod se circumcisos esse, omnibus quibus id modis poterant occultarent. In uniuersum autem recesserunt à testamento sancto, contemnentes & erubescentes se dei Israelis peculium esse, sed more potius aliarum gentiũ per omnia uiuere et haberi cupiebant. Vnde & nationibus iuncti sunt, alienigenas uxores ducendo, cibis lege prohibitis utendo, idola adorando, sacrificando dæmonibus, & à nulla mandatorum dei transgressione abhorrendo. Omnibus modis regi complacendo impio, & malum faciendo in despectum legis & legislatoris, quod totum unico uerbo explicauit, dicens, Venundati sunt ut facerent malum.

Præputia facere.

11 Et paratum est regnum in conspectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Aegypti, ut regnaret super duo regna.

His modis inualuit regnum impissimi Antiochi. Ea præcipuum ratione à suis sacrorum pontificibus illustris & Epiphanes dici meruit, quia totius orbis uniuersalem fidem, hoc est communem idololatriæ errorem promouere conatus est, non parcens à sanguine eorum, qui uni soli deo seruire uolebant, idola abominari, & uerbum dei regijs mandatis contrarium zelare, & pro eo fortiter mori. Et cum tam impius esset, prosperatus tamen est, eo usque in obtinendis regnis, ut super duo regna regnauerit, in terra Aegypti & Syria. Ea potissimum occasione Antiochus magnus, pater huius Antiochi nobilis, pro cõfœderatione cum rege Aegypti Ptolemæo dicto Epiphanes, filio Ptolemæi Philopatoris, post bella grauia amicitiam faciens, Cleopatram filiam Ptolemæo uxorem dedit, simulq; dotis nomine data est ei Syria Phœnicis, Samaria, et Iudæa. Ex hoc autem matrimonio Ptolemæi Epiphanis & Cleopatræ, natus est Ptolemæus Philometor dictus. Mortuo autem Ptolemæo Epiphane, Antiochus illustris rex Syriæ, frater Cleopatræ accepit quasdam Syriæ ciuitates propinquiores regno suo, quasi tutor sui nepotis ex sorore, qui puer adhuc erat: quas cum duces Aegypti repeterent pro puero, ipse uero reddere recusaret, bellum cœpit inter Aegyptios duces & Antiochum, in quo deuicti sunt Aegyptij duces. Porrò Antiochus parcens puero, & amicitias simulans, ascendit ad Memphis, ibiq; ex more regnum accipiens Aegypti, puerique rebus prouidere se dicens, cum modico exercitu totam sibi subiugauit Aegyptum.

Antiochus Epiphanes unde dictus

12 Et intrauit in Aegyptum in multitudine graui, in curribus & elephantis, & equitibus, & copiosa nauium multitudine:

13 & constituit bellũ aduersus Ptolemæum regẽ Aegypti, & ueritus est Ptolemæus à facie eius, & fugit, & ceciderũt uulnerati multi. Et cõprehendit ciuitates munitas in terra Aegypti, & accepit spolia terræ Aegypti.

Post biennium iterũ congregauit Antiochus contra eundem Ptolemæum exercitum magnum, & intrauit iterum Aegyptum in multitudine graui, cum curribus & elephantis, quibus tunc bella administrabantur, cumq; multis equitibus & copiosa nauium multitudine. Cumq; duo fratres Ptolemæi Cleopatræ filij, quorum auunculus erat Antiochus, obsiderentur Alexandriæ, legati Romani uenerunt, quorum unus Marcus Publius, cum statem inuenissent in littore, & senatusconsultum dedissent, quo præcipiebatur ab amicis populi Romani recedere, & suo imperio contentum esse, Ille uero cum responsum detulisset ad amicorum consilium, Marcus in arenis baculo, quem tenebat in manibus circulum deduxit, & regem circumscripsit, dicens, Senatus populusq; Romanus præcipiunt, ut in isto loco respondeas, quid geras consilij. Quibus dictis ille perterritus, ait, Si hoc placet senatui & populo Romano, recedendum est hinc, atque ita statim mouit exercitum. Vtrumque igitur Antiochi ingressum, author breuitati studẽs, quasi unum descripsit. Vt multa intulerit mala Aegyptijs Antiochus, cui rex Aegypti resistere non potuerit, quomodo ciuitates munitas comprehenderit, stragẽ cõfecerit, spolia terræ Aegypti acceperit.

14 Et conuertit Antiochus, postq̃ percussit Aegyptũ in centesimo et quadragesimo tertio anno, & ascendit ad Israel, & ascendit Hierosolymam in multitudine graui.

His consentanea Iosephus scripsit, quomodo reuersus propter Romanorum timorem ab Aegypto, rex Antiochus ad Hierosolymam duxerit exercitum, quò perueniens, anno centesimo quadragesimotertio, centesima quinquagesimatertia olimpiade, die uicesimoquarto mẽsis Casleu, quẽ Macedones Appelleon nominãt, cepit eam absq; cõflictu, quibusdã aperientibus portas, qui uoluntati illius consentiebant. Ascendere dicitur iuxta scripturæ morem, quoties ab Aegypto in Iudæam transitur. Percussisse Aegyptum dicitur, quia iam antea grauibus eam cladibus afflixerat impissimus rex. Eumq; suam, quam Romani infregerant, & odium paritèr pietatis ostendere cupiens, Hierosolymam obtinuit, quam ingressus multos interemit, sibi contraria sapientes, nec non etiam eos qui portas aperientes ciuitatem ei tradiderunt propter templi diuitias interfecit.

15 Et intrauit in sanctificationem cũ superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & uniuersa uasa eius, et mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & uelum, & coronas, et ornamentum aureum quod in facie templi erat: et conminuit omnia. Et accepit argentum & aurum & uasa concupiscibilia: et accepit thesauros occultos quos inuenit. & sublatis omnibus abijt in terrã suam.

16 Et fecit cædem hominum, & locutus est in superbia magna.

Sanctificatio nominatur templum, & ea quæ circa templum ædificia erant, hic uero non timuit irrumpere in sacram ædem, & sacrilega superbia prophanare sanctuarium.

Secundum utrunq; templum in monte Sion & Garizim apud Sichimitas uel Samaritanos. Erant illic principes boni & mali, impij & fideles, dolebãt uicem boni primores gloriæ dei & cultus diuini. Alij damna emolumentorum plangebant, quando de sua gloria plurimũ sibi sentiebant detrahi. Præ nimio terrore omnis ætatis homines ægrotabant, fide scandalizati, & malorum prosperitate tanta territi, uidentes impijssimi tyranni tantum successum. Omnis enim dignitas & omnis ætas & sexus dolet tumultuantibus impijs, cum nulla persona immunis fit à persecutione. Gemit quisq; tam pro suæ tranquillitatis detrimento, quàm etiam de fide cadentium damno. Solicitati sunt enim pij de damno fratrum. Cessat luxus, ubi dominiũ assequitur luctus. Lugere tunc malunt quàm libidinarij. Sic potest deus humiliare fastum & gaudia inepta in improbis, si sic potuit in probis, ut semp ab omnibus timeatur eius prouidentiæ admirabilis administratio, sic futurum prædictum erat, ideo sic fiebat. De commotione terræ loquitur, ad exaggerandum magnitudinem calamitatis. Iam enim totius gentis uidebatur iterata uastatio, quia sic dominus gloriæ suæ iacturam tantam dissimulabat, & impijssimo tanta permittebat.

18 Et post duos annos dierũ misit rex principem tributorũ in ciuitates Iuda, & uenit Ierusalẽ cũ turba magna. Et locutus est ad eos uerba pacifica in dolo, et crediderũt ei.

Magna certè fidelium tentatio erat toto biennio, sic templum uastatum cernere, sine ultione digna à domino templi & summo deo immissa. Quis enim non ingens scandalum incidisset ex longanimitate dei, circa impijssimũ sacrilegũq; tyrannũ? Et tamẽ insuper post biennium feliciter exactum, principem tributorum submittit, qui post dilapidata sacrilegia, & omnes diuitias templi absumptas, ciuium quoque substantiam aggreditur per omnes ciuitates Iuda, & in ipsa metropoli. Agit autem id magna turba perfidissimorum hominum, quos constat fidelibus infestissimos fuisse. Qui nulla prorsus commiseratione uel iustitia permouerentur, in odium domini dei propensi, & ad gratiam regis crudelissimi, in totam pietatem & ueri dei cultores iniquissimi. Cũ uero nemo impiorum uelit non pius uideri, & prætexere criminũ suorum integumenta, ideo hic quoque legatus impij, omnia per dolum agit & mendacijs: nihil enim qui huiusmodi faciunt ueritate possunt, ideo dolis aggrediuntur et mendacio, quod ueritate non possunt uincere. Sancti simpliciter agunt ac dextre, creduntq; sibi similes esse cæteros, tarde mendacia suspicantur, ideo frequenter decipiuntur, sed non in finem, nouit enim dominus illudere illusoribus.

19 Et irruit super ciuitatem repente, & percussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israel. Et accepit spolia ciuitatis: & succendit eam igni, & destruxit domos eius, & muros eius in circuitu: et captiuas duxerunt mulieres, & natos, & pecora possederunt.

Horrendum iudicium domini super populum suum,

Sanctuarium. Aureum altare dicitur incensi ara, intra templi adita, quæ in secundo templo, cui semper arca fœderis abfuit, sicut & alia quædam, stetisse uidetur in ipso sancto sanctorũ, in loco arcæ & cherubim, quo summus sacerdos semel tantum ingrediebatur, sicut & in primo templo. Candelabrum autem aureũ restituerant in suum locum, uel nouum confecerant reuersi à Babylone secundum tempus. Vniuersa quoque uasa aurea reliqua, quæ in tẽplo reperta sunt, & mensa ipsa propositionis, quam Iosephus dicit à Ptolemæo Philadelpho pulcherrimam & pretiosissimam missam, ad dei gloriam, quandoquidem hic nihil excipitur, quanquã duas fuisse ibidem narretur. Alia quoque uasa ad dei cultum à Salomone et Zorobabel institutum necessaria omnia abstulit. Velum autem quid hic dicatur, aliud non uideo, quàm quod diuidebat sanctum à sancto sanctorum, uel ex foribus ibidẽ pendens nimirum pretiosum & pulchrum. Coronæ autem fuerunt aureæ templi ornamenta, quibus etiam propha-
rum reges et duces sacrũ locũ exornauerãt, & ueluti opimis quibusdam donarijs illustrauerant. Ornamentũ quoque ad quod in fronte templi pretiosum & pulchrũ, sacrilegus nequam abstulit, nulli rei parcens, omnia autem commutauit, absq; omni timore dei. Quorũ omnium conflatorũ aurum & argentum rapuit sibi. Et insuper quicquid thesaurorum inuentum est circa templi pastophoria & cameras, omnibus sublatis abijt Antiochiã, quam terræ suæ metropolim statuerat. Tunc impletũ est quod prædixerat dudum Daniel undecimo capite de hoc Antiocho. Cor eius aduersus testamentum sanctum, & faciet ac reuertetur & indignabitur contra testamentum sanctuarij, et faciet ac reuertetur, & cogitabit aduersus eos qui dereliquerunt testamentum, et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium, & dabunt dominationem in desolationem, & impij in testamento simulabunt fraudulenter. Populus autem sciens deum suum obtinebit & faciet. De quo uide Rabanum uel ordinariam glossam.

17 Et factus est plãctus magnus in Israel, & in omni loco eorũ: & ingemuerunt principes et seniores, & iuuenes et uirgines infirmati sunt, & speciositas mulierum immutata est. Omnis maritus sumpsit lamẽtum: & quæ sedebant in thoro maritali, lugebãt: & commota est terra super habitãtes in ea, & uniuersa domus Iacob induit cõfusionem.

Iam adauctus fuerat ualde populus Israeliticus, ex omnibus tribubus denuo congregatus. Iam in magna gloria diu steterat gloriosum templũ domini, à maximo regum Alexandro magno honoratum, & alijs & in tam glorioso statu, ut maxima felicitas haberetur, si quis in eo summum pontificatum administrare potuisset, quem & maxime ambiebant, sed impij, propter quẽ & sese mutuum occidebant. Quanto ergo illius gloria maior fuit, tanto nunc Iudæi pij & impij magis dolent & plangunt, non tantum Hierosolymis, sed & in tota Iudæa, quæ nunc dicitur terra Israel, cum Galilæa & Samaria, & reliquis regionibus, quæ tamen per diuersa studia scindebantur.

quem sic fert duriter perdi. Sed uigebant illic studia partiũ, quarũ maior pars erat impiorum, & de gloria dei et cultu minus solicitorum. Quod si qui fuerunt zelatores pietatis, tepidi erant, & pro pace sua conseruanda non indoluerunt ualde iacturam religionis & fidei. Alioqui satis tempestiue sese murum opposuissent pro domo Israel, sicut tandem unus Mathathias cum filijs ausus est dño fretus. Cui quia debiliter confidebant ciues Hierosolymorum, & continua schismata fouebant, ideo grauia ferre eos uoluit dominus. Inter quos multi quoq; erãt, quos præstabat in innocentia sua mori à tyranno, quàm tam crudelia & impia facinora diu in nimia cordis amaritudine intueri. Iudicio dei percussus est populus Israel, quia sese in lege domini conseruanda, iamdudum concordare non poterant. Spolia tollit, quæ sola cupit princeps latronum, et tyrannicus carnifex, quales multitudo impiorum Israelitarum merebatur habere ultores et principes. Parum fuit spolia abstulisse, nisi & magnam urbis partem conflagratione perdidisset, damnosissima iactura populorum. Domos & murum diruit, & ad hæc cuncta dominus conniuere cernebatur, cuius tam horrendi iudicij rationes, quanquam ex contextu historiæ cogitari possint, quia sub tam improbis pontificibus nõ potuit multitudo gentis non etiam uiuere plus quàm irreligiose, & sine timore dei, uel amore pietatis, cum nulla esset excusatio tam maioribus quàm minoribus. Tamen non potest à nobis exactius perscrutari altitudo iudiciorum dei, qui sine iustissima causa populum non deserit, uel ab impijs patitur conculcari. Id satis ostenditur ex consequentibus, ubidum in fide dei audent tueri dei gloriam, suamq; salutem & innocentiam, statim adfuit & defensauit suos, et gloriosis adornauit triumphis, quãdiu domino ex corde integro fidere uoluerunt.

20 Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem:

Ciuitas Dauid dicitur mons Sion, aliquanto æditiore in loco sita quàm templũ domini. Eam collis altitudinem olim Dauid muro cinxerat, & sedem regni Iudaici fecerat, sæpius deinde diruta, nunc autem pro arce munitissima confirmatur, ut sit habitaculum perpetuorum hostium, qui urbibus & ciuibus semper immineant, ut libertatis spem nullam habeant, sed ad iugulum semper paratos habeant gentiles intra ipsos urbis muros, quo minus regibus externis possint rebellare. Hæc autem munimenta murorum & turrium omnia parantur contra Iudæos à tyrannis, qui nihil aliud intendebant, nisi uiolentiam et crudelitatem, alioqui tam firmis munitionibus non indiguissent, si scilicet clementer & pie illis dominari uoluissent, & non potius ad extremam impietatem arctare contra fas & omnem humanitatem, ne dicam pietatem & religionem. Illis facta est in arcem, non Iudæis sed gentibus Macedonicis, ut ex ea semper opprimerẽtur pij.

21 & posuerunt illic gentẽ peccatricẽ uiros iniquos, et conualuerũt in ea: et posuerunt arma, & escas, & cõgregauerunt spolia Ierusalem, & reposuerunt illic: et facti sunt in laqueum magnum.

Gens peccatrix dicitur idololatra, & criminibus omnibus conspurcatissima, sine dei timore & cultu, sine honestatis quocunque zelo, legio aliqua militum Græcanicorum, qui nihil nouerant quàm occidere, prædari, incrudelitatem, potari, scortari, & cætera agere, qualia genus hoc militum communiter exercere consueuit, qui pro auro parati sint quiduis audere, quibus pax est pernicies, qui non nisi raptu & uiolentia uiuunt, nutriti ad uenationes hominum, nihil horrentes effusionẽ humani sanguinis, quorum omniũ semper est pro ratione uoluntas, feritudo pro iustitia, audacia pro pietate, corporis libidines pro felicitate. In ea arce continuo conualuerunt mali tudine, uiribus, audacia, & furore. Quam & escis ac armis munierunt, omnia contra salutẽ & libertatem ciuium. Quotidianis excursionibus rapientes, si quid reliduum esset opum, nisi quis eorum partem iuuare, perfidiam sequi, & abiurare fidem in dominum uoluisset. His amici erant & tutores, donec placebat, uel nondum rapinæ desiderium æstuaret. Alioqui semper casus arripiebantur deprædandi Iudæos cuiuscunque uoti essent uel fidei, quam nõ tantopere curabant, sed tantum, ut nihil ad uoluptates fouendas deesset militibus, ut genio improbo satis semper indulgere ualerẽt. Alioqui nullis parcere solent, improbum hoc latronum genus, nihil spirantium præter cædes aliorum, & rapinas, suas autem luxurias omnis generis ex otio. Magnus ergo laqueus factus est in Israel, pijs oppressis, impijs iuuantibus ad omne malum, & tam pestifero exemplo deprauandis.

22 Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum malum in Israel: & effuderunt sanguinem innocentem per circumitum sanctificationis,

Si quis in sanctuario orare uel offerre tentasset piorum, statim ex arcis uicinia periclitabatur ad mortem. Aggredi nemo audebat, nemo se dei cultorem prodere, & uerbi dei amatorem poterat, absque mortis periculo. Sic enim pietas uiolentia premebatur, cum ratione non posset aut æquo iudicio. Ad arma confugiunt, qui nihil iuris et ueritatis pro se tenent. Is est diabolus in Israel, compelli homines ad sacrilegia, impediri uerbum dei, legibus gentium abrogare diuina mandata, obedire hominibus magis quàm deo. Quid enim fideliũ conscientiæ grauius imponi potest, quàm cogi ad impietates, impediri uiolenter à fidei & charitatis sanctissimis fructibus? Ea autem occasione quotidianæ cædes piorum fiebant, ab his militibus eorum, qui deuotionem suæ fidei dissimulare non poterant, qui uerbo domini magis afficiebantur, quàm ut uerbo uel facto dissimulare possent, qui in atrio & circunquaque iuxta templum iam diu clausum orantes, occidebantur crudeliter, & sese sacrificia domino offerebant, cum alia non haberent.

23 & contaminauerũt sanctificationem. Et fugierũt habitatores Ierusalẽ propter eos, & facta est habitatio exterorũ, & facta est extera semini suo, & nati eius reliquerũt eam.

Quicquid ad loci contaminationem et horrorem ripo-

ri poterat, hoc impij milites nõ negligebant, absterrendo fideles ab oratione, & dei cultu. Tamq; crudeliter insistebant ciuibus, ut cogerentur aufugere, & paternis hæreditatibus renuntiare, Hierosolymam relinquere, et ad ignotiora loca exilium subire cum familijs, miseranda numium necessitate cõpulsi. In quorũ loca subintrabãt gentiles, et occupabant fidelium ædes, & areas, agros et uiolatrarum, et spurcissimorũ Græcorum belligerantium. Sic enim contigit semel Israël & Iuda sua patria & hæreditate excludi, & eam relinquere improbis gentibus.

24 Sanctificatio eius desolata est ficut solitudo, dies festi eius conuersi sunt in luctũ, sabbatha eius in opprobriũ, honores eius in nihilum. Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius: & sublimitas eius conuersa est in luctum.

Miseria gentis.

Solitudo ergo facta est locus sanctificationis, hortus tribulorum atq; spinarum facti sunt atrij circa templum sacerdotale & Israëliticũ: uespertilionũ & upuparum, aliorumq; animalium ruinas amantiũ habitatio facta est templum illud, & ipsa quoq; sancta sanctorum. Dies festi secundum legem cõuersi sunt in luctum, cum nullibi conuenire liceret, multo minime in loco sacro & Hierosolymis. Si quis apud semetipsum alicubi locorum sabbathum seruare uel sanctificare audebat, is ut publicus hostis imadebatur, prodebatur militibus gentilibus, tanquã rerum contemptor et mandatorum eius iudicabatur, et luebat durissime. Nullus omnino honor deferebatur alicui dierum sanctorum, quos iuxta legem sanctificasse debuerant. Iam autem in pœnam peccatorũ sacerdotalium & Leuiticorum, templum quoq; & atrium seruabat sabbatha sua. Quanto glorioſior olim locus extiterat, tanto nunc erat ignominioſior & horridior. Quod ſi quis hodie præpoſtere religioſorũ, ex hoc loco lamentetur quarundam eccleſiarũ & monaſteriorũ ſolitudines, huic in promptu ſunt multæ & ualidæ reſponſiones. Ex legis præſcripto, ad quam obligabantur, Iudæi uno loco ſacrificare debebant, & non multis: non niſi uno deo, donec Chriſtus promiſſus præſtaretur. Iam Chriſtus in cruce conſummauit ſacrificia omnia, ut nullum ſit Chriſtianorum ſacrificium, niſi Euchariſtia, hoc eſt gratiarum actio, pro ſacrificio quod ſe pro nobis Chriſtus obtulit. Hodie multis diuis, multa templa, multæ aræ, multæ letaniæ erigũtur contra uerbum dei propter quæſtum, ad ſimilitudinem gentilium idololatrarũ. Vota perpetua caſtitatis præſumuntur, quæ ſeruari non poſſunt ſine rariſſima dei gratia: unde uidemus monaſteria plena luxurijs omnis generis, quæ præſtat uacua eſſe quàm otioſis huiuſmodi plena. Vbi cum olim ſcholæ fuerint ſacrarum literarũ, quæ ſingulis annis prælegebantur, unde edocti ſacra eccleſijs Epiſcopi præficiebantur, & paræciani. Hodie legendæ ſanctorum & miracula eorum leguntur, cantionibus res agitur, prorſus ad nihil utilibus, quando ab auditoribus non intelliguntur: omnia ad quæſtum diriguntur, & ad populi deceptionẽ. Satius eſt ergo ea loca deſolata eſſe, quàm ſacrilegijs plena. Reformari tamẽ ea præſtaret ad

Corruptio religionis.

Voluntaria.

catholicum uſum, eccleſiæ utilem, iuxta uerbum dei, non quidem omnia, non enim prodeſt, ſed multum obeſt multitudo, ſed aliqua, iuxta regionũ neceſſitatem oportuna. Ne piorum regum deuotio & fides fraudaretur ſuo religioſo inſtituto, quo cupiebant erudiri multos honeſtos et probos in ſacra eruditione, & uera pietate, qui eccleſijs præficerentur regẽdis. In his enim locis olim, nondũ extantibus in urbibus gymnaſijs unuerſalibus, ſcholæ tantum erant & ſtudia bonarũ literarũ, et honeſtiſſimorum morũ. Id ut oĩbus modis reſtituatur annitendũ eſt Epiſcopis et principibus, ſi uelint bene conſultũ eccleſijs, ut debent ex officio. Quod ubi neglectũ fuerit, omnino præſtat ea loca dirui, quàm ad otioſos nutriẽdos promoueri, niſi in uſum infirmorũ et emeritorũ ſeruentur, ut iam inutiles eccleſijs adminiſtrãdis, illic ſuſtententur, et honorifice tractentur in ſenio, qui ætatẽ ſuam laudabiliter exegerunt. Sed de hac re proprius fòret tractatus habendus. Reformanda eccleſia, & monaſteria, nõ euertenda.

25 Et ſcripſit rex Antiochus omni regno ſuo, ut eſſet omnis populus unus. Et reliquerũt unuſquiſq; legem ſuam, & conſenſerunt omnes gentes ſecundum uerbum regis Antiochi.

Inſtitutum ſacrilegi Antiochi.

Cupiebat eiſdẽ legibus totius Aſiæ & Syriæ populos ſibi ſubiectos regi: & id in externis intendere, & ſub legibus iuſtis uelle improbum non fuiſſet: ſed conſcientias ligare in cauſa fidei, & diuinis legibus præiudicare, laxare frena impietatibus, contra domini dei uoluntatem & leges militare, populũ cogere, pacem promouere nõ poterat, quam unice debebat intendere. Leges relinquere uetuſtas & iuſtas difficile erat, quibus reges et populorum gubernatores ſeruire debent. ſi iuſtæ ſunt, non regibus ſubſint leges, niſi improbæ ſint, ut tunc corrigantur. In lege autem domini omnia ſanctiſſima erant, et iuſtiſſima, ideo eã relinquere Iſraëlitæ nõ poterant, quamlibet aliæ gentes acquieſcerent regi, quæ nõ niſi humana & municipalia contingebant, quæ ſecundũ loca, tempora & perſonas mutari poſſunt. Non autem diuina, qualia erant Iudæorum Moſaicæ leges, tabularum ſcilicet, & iudiciales ſecundum eas. Ibi enim oportebat magis obedire deo quàm hominibus. Fœdus quoq; initum cum domino creatore, negligendum non erat, propter noui regis arbitrium, qui in illa Syriaca regione inferiori & ſuperiori, crebro mutabantur, propter domina Aegyptiorũ, Syrorum, Græcorum, Chaldæorum, Perſarum, & Romanorum. Longe ſatius fuiſſet, ſi ſaluis legibus, tributorum tantum ratio habita fuiſſet à regibus.

26 Et multi ex Iſrael conſenſerũt ei, & ſacrificauerunt idolis & coinquinauerunt ſabbathum.

Improborũ ut plurimũ maior eſt numerus, quibus & nouitia placent, & qui regum gratiam aucupari geſtiũt. & ſuperſtitio gentilitatis cordi eſt, et qui domini dei uerbum & legẽ ſuſtinent grauatim, quibus nihil difficile, niſi quod uerbo domini conformatur. Sic erant ex Iſraël ſuo more multi legis diuinæ cõtemptores, qui facile obtemperabãt regibus impijs, quin & ex primoribus erãt, qui regem ad urgendũ huiuſmodi incitabant, & ij quidẽ

Desertores religionis.

pontifices, & summi, pro ambitione sua, qua regibus placere, & populo dominari, diuites fieri, & subditis illudere cupiebant. Ii præcipui consenserunt regi cõtra uerbum domini, & leges diuinas, quas propugnasse ex officio debuissent, & murũ posuisse se pro legibus dei. Sed placuit magis, ut idolis sacrificarẽt multis, quàm uno deo uero supplices ut essent. Sed & sabbathum conculcauerunt, quo intelligitur omnis & tota gentilitatis superstitio assumpta. Sicut in lege domini nihil æque sedulo inculcatur, ut sabbathi obseruatio, qua intelligitur studium uerbi dei, & legis obseruatio, ac unus dei tota sacrosancta religio, quæ sabbathis docebatur, & meditabatur iuxta legem, in quibus aliud nihil fieri domino præcipiente licebat, quàm quod ad dei gloriam pertinebat. Quod totum hi pestilentissimi gentiles, cultibus deorum & otio libidinoso, spurcitijsq; nefandis dedicatũ uolebant. Cuius adhuc durantis gentilis maledictionis reliquias uidemus,

Festa nimiũ plura.

dum non ad aliud tot festa celebrantur, quàm ut otium habeatur ad peccata supplenda, quæ laborũ temporibus fieri non uacat, quod ubi passim fieri cernitur, tanquam sacrilegium amoliri deberet, et dominica dies religiosius coli & sanctificari, per sacra studia, quæ nobis diuina & naturali lege scimus iuncta, ut dominus oretur pro totius septimanæ laboribus prosperandis per dominũ, utq; eo die animarum pabulis prospiciatur, quemadmodũ reliquis corporis necessaria perquiruntur.

27 Et misit rex Antiochus libros per manus nuntiorum in Ierusalem, & in omnes ciuitates Iudææ, ut sequerentur leges gentium terræ & prohiberent holocausta & sacrificia, & placationes fieri in templo dei.

Libros intelligit epistolas & mandata regalia, ut obmissis diuinis legibus, & posthabito uerbo dei, regis edicta quamlibet contraria perficerẽtur. Prohibebat quidẽ

Studia quorundam nostri temporis.

holocausta & sacrificia, unu uero & soli domino secundum legẽ domini offerenda. Contemnens quicquid diuinum erat, suas aũt cõsuetudines, leges, & decreta seruari mandauit, ut idola sua colerẽtur, imagines statuerentur, porci sacrificarentur, & cætera iuxta leges sacrilegas impiæ gentilitatis, quæ robur & authoritatem non habent, nisi uetustatẽ erroris, & uiolentiam principũ, quæ stumq; sacerdotum, quem negligere non licet, per iuramentum præstitum, de ampliando cultu diuorũ, ut hodie seruare moliuntur. Sabbathũ quidem prohibet celebrari, & reliquas solennitates legales, quæ iuxta uerbũ domini fuerant institutæ. Alias aũt ferias gentilitias multas instituit, multiplicibus dijs suis, & idolis iuxta tempora et loca. Sic semper mundo placuit quicquid abominatur deus, & uicissim damnat, quicquid legi dei concordat.

28 Et iussit coinquinari sancta & sanctum populũ Israël, & iussit ædificari aras & templa & idola, & immolari carnes suillas, & pecora cõmunia, & relinquere filios suos incircuncisos, & coinquinari animas eorũ in omnibus immunditijs & abominationibus, ita ut obliuiscerentur legem, & immutarent omnes iustificationes dei.

Sanctus quomodo.

Inquinantur sancta dum promiscua multitudo admittitur locis sacris, dum gentiliũ sacrificia fiunt, dum oblationes aliter fiunt quàm secundũ legem dei, cum immunda sacrificantur, et idola eriguntur ut adorentur, aũ gentium mores assumuntur & leges. Sanctus aũt dicitur populus Israël, quia per electionẽ sanctificatus, in peculium dei susceptus, lege instructus, & uerbo dei dirigendus, unus dei cultui dedicatus, ad uitæ sanctimoniam eruditus & uocatus. Inquinamentorũ spurcitias enumerat, aras habere multas, singulis diuis consecratas, quando non licebat unam aram consecrari duobus diuis uel pluribus, quam nos impietatẽ pro more uidimus adauctã, ut totius altare dedicaretur, quot capere imagines aras poterat, ut quatuordecim auxiliatores unu altari præficerentur, alteri decem millia martyrum, & undecim millium, & insuper septem uel plurium legionum, quæ nix olim credet posteritas, cum nobis in usu nuper hæc fuerint, & usq; hodie defensentur à clericis & monachis. Immolari carnes suillas uidemus usq; hodie sancto Antonio, & cõ sacrari olim peculiare sacrificium Marti deo, quale & Maguntiacum festum nostris quoq; temporibus celebratum à uetustate gentili suscepit, nescio si hodie non erubescere incipiant, ut tam manifesta gentilitatis sacrilegia in sui Martis mutato nomine in Martinum ueneratione non incipiant nunc agnoscere, cum Episcopum habeant sapientem & religiosum. Communia pecora dicuntur, quæ non licet edere iuxta legẽ Mosis, id est, nõ sacra uel laica. Filios circuncidi obmittunt pro fauore gentiliũ ridiculi cupando, ut in theatralibus ludis inter gentiles ridiculi & leues posint ad placendum regibus comparere. Immundas coinquinari, est corpora pollui immũditijs legitimas habitis, cibis eorum animaliũ quæ Leuit. 11. decernuntur abominanda fidelibus Israëlitis. Quibus tandẽ sactis est, ut obliuiscerẽtur legis diuinæ, in totũ, quando nemo eam prædicare audebat, sed legis edicta atrociter inculcabatur obseruãda, sub pœnis grauissimis: unde successu temporis nescirẽtur, quid religiosum uel impium esset in populo, ut antiquitatis tandem authoritas præponderaret uoluntati diuinæ et legi. Denuq; quod olim in dei cultum deferebatur iuxta legem, id subinde rebus mutatis cedebat in cultum idolorum. Non multũ absimiliter actum est in Christiana religione, ubi imprudentia pontificũ, olim diuis delata solennia & sacrificia, quasi ad formã magis piam mutata sunt, ut sanctis martyribus in idolorum locum succedentibus, exhibeantur hactenus. Luce uerbi diuini, ut spes est propediem emendanda, uel prorsus abijcienda, quod est facilius, et omnino tutius, ne semel permissa superstitio & tolerata, denuo radicibus sumptis succrescat citius, lolium pro tritico, falsum pro uero.

29 Et quicunq; nõ feciſſent secundum uerbum regis Antiochi morerentur. Secundum omnia uerba hęc scripſit omni regno suo, & præposuit principes populo qui hæc fieri cogerent. Et iusserunt ciuitatibus Iudæ sacrificare.

Accipiant huius temporis principes exemplũ ab hoc rege, non quod sequantur, sed quod ut à uerbo dei alienum

Tyrannis episcoporũ & principũ in causa fidei.

natum declinent, ne resipiscentes fideles cogant ad cultũ diuorum restitutionẽ idolorũ, reædificationem gymnasiorum, hoc est monasteriorũ iuste dirutorum, quia prorsus inutilium & prouintiarũ grauissimũ onus, sine fructu & usu: ne cibi delectũ contra libertatẽ Christianam præcipiant: perpetua uota contra matrimoniũ, & generalẽ obedientiã non permittant, si quis cõtinere uelit, sinatur agere donec possit, & dño uel ecclesiæ aliud placeat. Inquinamenta libidinũ deleant ex clero, & populo, ne uerbum dñi in obliuionem peruenat, quod solũ in ecclesia debeat prædicari, ne theologia falsificetur per metaphysicam, & lex dei per traditiones humanas, ut innocentiã defendant, uitia exterminent in totis regnis suis: cauentq; ab illis, qui his contraria suadent in ipsorũ lucrum meminerintq; sese à domino præsides constitutos ciuitatibus Iudæ, hoc est fidelium cultorũ unus dei, ut sciant se regulam habere iustitiæ, uerbum dñi & iudicem habitus iustum dominũ dominantiũ, cui strictam in die iudicij sint rationem reddituri. Si quos principes sub se expectantur habere, qui Antiocho malint placere quàm deo uel religiosis regibus, hos corrigant, nõ sectentur, foueãt pietatem & pios, ut à domino conseruentur & ipsi.

30 Et congregati sunt multi de populo ad eos, qui dereliquerant legem domini, & fecerunt mala super terram, & effugauerunt populum Israel in abditis & in absconditis fugitiuorum locis.

Pijorum fides quando exploratur.

Non recens mundi cursus est, ut impij præualeant iustis, ferè semper id accidit, nisi ubi à spiritu domini fortes in fide dominũ inuocantes & solũ habentes præ oculis, non propriam quamcũq; gloriam, à domino instigantur, tunc cum impiorũ crimina suam mensuram impleuerint, usq; enim ad illud tempus fideles multa pati prodest magis quàm feliciter agere, ut ferè nunquam in hoc mundo pij triumphent, nisi ubi aduersarij dominum blasphemantes, nulla ignorantia, sed data opera dominum cœperint irritare. Tunc sibi capita arrigant pij, ut fiducialiter agant, sed præuia oratione, humiliatione, & animi fortitudine, ac concordia, quæ tunc omnia administrat deus. Deficiebant ex filijs Israël multi à lege, ad idololatriam, in gratiam regis, & abiecto timore domini, omnia sibi impia licere tunc arbitrabantur, nec eis sufficit gentilites uiuere, nisi & pios fratres suos, ut familiariores honoris accresceret. Sic autem Israelitæ sancti fugati sunt ab impijs Iudæis, ut sese in abdita abscondere cogerentur, ut patet sequenti capite.

31 Die quintadecima mensis Casleu quinto & quadragesimo et centesimo anno ædificauit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare dei, et per uniuersas ciuitates Iudæ in circumitu ædificauerunt aras, & ante ianuas domorũ, & in plateis incendebant thura et sacrificabant.

Idolorum promotores quos tyranni exornant.

Multa solennitate edictũ regis curatum est promulgari, ne quispiam ignorantia excusaretur. Erant enim non pauci, quibus idipsum placebat, qui regẽ instigabant, maxime ex pontificibus et illorum fautoribus, qui tunc impietatis antesignani erant. Mensis Casleu dicitur, correspondens Octobri & Nouembri, dum scilicet sol est in signo Scorpionis, eius lunationis die quintadecima, perfecta est grandis & non intermoritura unquam abominatio, quã tamdiu antea Daniel prædixerat, quo die nefandissimus tyrannus Antiochus erexit abominandũ idolum, hoc est simulachrum Iouis Olimpij, principatus sui anno octauo, anno centesimo quadragesimo quinto regni Græcorũ, eodem quoq; anno, in Samaria, super uerticem montis Garisim in templum dudũ extructũ in gloriam dei Israël, ipse idem impius introduxit & statuit simulachrum Iouis hospitalis. Similem etiam abominationem Cæsaris imaginem Pilatus posuit in templum: et statua Adriani posita est in sanctum sanctorũ. Hic uero Antiochus non modo Ierosolymis, sed & per uniuersas ciuitates Iudæ aras ædificauit, & ante ianuas domorũ sacella in uicis & biuijs, ubiq; diuis uarijs thura sacrificando. Hic uideant quẽ sequantur, & cui assimilentur, qui idola & aras uenerantur, uel de nouo ædificant, uel nuper eliminata restituunt, non est necesse de hoc multa scribere, ipsi se produnt, & inde religionis famam sperant, & pontificũ filij uideri uolunt, cuius sectantur fidẽ & mores, interim fortiter dissimulato uerbo dñi, quod si quis allegarit circa hunc articulum, ut hæreticus damnatur.

32 Et libros legis dei cõbusserunt igni scindentes eos, & apud quemcunq; inueniebantur libri testamẽti domini, & quicunq; obseruabat legem domini secundum edictum regis trucidabant eum.

Librorum sacrorum combustores.

Officium impijssimi tyranni uaferrime exequitur Antiochus illustris & nobilis in omni truculentia & perfidia, cõtra deum omnipotentẽ, sacratissimos libros diuinæ legis, legem & prophetas, hagiographa canonis sanctissimi codices, conscindi iubens, & igni comburi. Ii enim libri edictis regijs reclamabant, quos expediebat tolli quàm regios libros, sic enim placebat, sic improbis pontificibus probabatur, qui malebãt Iouis Olimpij nescio cuius sacrificuli esse, quàm domini dei sabaoth, & apud quemcunq; inueniebantur libri testamenti domini, secundum edictum regis trucidabant eum. An non huiusmodi hodie quoq; uidemus per omnia simili impietate, ut hæreticus habeatur et schismaticus, si quis testamentũ domini secum habeat, legat uel prædicet. Sed dicunt, uitiatum esse per nescio quos, sed bene nobiscum agitur, superesse nobis codices uetustos, Latinos & Germanicos, non tantum manu olim descriptos, sed ante quinquaginta uel septuaginta annos impressos. Illi saltem producãtur, secundum illos examinentur dogmata, de quibus controuertitur, & ubi uarietas occurrit in interpretibus, consulantur in ueteri testamẽto Hebraica uolumina, in nouo Græca, & quod consonum ueteribus exemplaribus offenditur, id sequatur, iuxta pontificias leges & decreta. Accipiantur exemplaria illa Complutensia, ædita à Phœnice felicissimo nostrorum temporũ Cardinalium sanctæ Romanæ ecclesiæ, olim Franciscani, domini Francisci Simenij de Cisneros archiepiscopi Toletani, & si tũc post

Cardinalis Phœnix Minorita.

eiusdem magni uiri fidelissimum zelum & diligentiam prauũ aliquid in nostris exemplaribus inuenietur, iustitia fiat. Sed id nõ prodest satrapis ecclesiasticis, ut illis uidetur, cum statibus suis nihil utilius & honestius tentare possint. Facilius est libros sacros comburere, quàm superare: sed & facilius erit ecclesiam totam tales tyrannos contemnere, quàm ipsos communi omnium hominũ sensui semper illudere. Sanctos ecclesia Episcopos optat, & exigit, & sacrarum literarum peritos, principes sæculi iam ab antiquo patienter fert, & magnanimiter in perpetuum de eis in Christo triumphat per ueritatem et uerbum domini, quod manet in æternum, inuitis omnibus impijs. Et quicunq; obseruabant legem domini, qui iuxta uerbum dei uitã instituere satagebant, hi tunc ab impijs pessime tractabãtur, et iuxta edictũ regis trucidabantur.

33 In uirtute sua faciebãt hęc populo Israël, q inueniebat in omni mense in ciuitatibus.

Antiochi sectatores. Virtus sua intelligitur exercitus Antiochi ex gentibus collectus, et ex defectoribus Iudæis, qui fideles prodebãt, ut nocentissimi, quia familiares inimici. Edictum ij regiũ prosequebantur, disquirendo libros, & unus dei cultores per singulos menses, ne quid occulte molirentur fideles miserabiliter oppressi. Talia quoq; nunc aguntur nõ minori diligentia, quàm si Antiochũ hunc pro diuo colendũ suscepissent, cuius studia æmulantur, inquirendo, si quis ex plebe testamentũ penes se habeat, maxime si dives sit, ut inde ansas capiant rapiendi, quanquam & pauperibus nõ parcant, quos in corpore persequuntur. Hæc est autem uirtus sua, hæc hora tenebrarũ. Videbitur propediem uirtus dei, & ueritas uinci nunquam poterit.

34 Et quinta & uicesima die mensis sacrificabant super aram quæ erat contra altare:

Idola erecta in despectũ euangelij. Iuxta altare dei, uel in fundamenta altaris dei Antiochus erexit abominandũ idolum quintadecima die mensis. Eiusdem autem mensis uicesima quinta cõsecrauit illud, sacrificando super illud, uel super aram prophanam, quæ erat contra altare domini. Habent hæc omnia non ineptas allegorias suas apud pium utiq; doctorem Rabanum Magnentium. Nos nunc alium modum tempora docent, & ecclesiastica historia, exponendi scripturas ad literam, quando ferè eadem nos uidere contingit à Christianis fieri, quæ tunc Antiochi prætores et milites exercebant, quæ Turca non faceret. In eadem enim ecclesia ubi secundum uerbum domini et Euangelica scripta mensa celebratur dominica, & cœna Christi domini, ab ipso instituta, quanto id fieri potest similius, ibi in despectum uerbi dei, idola eriguntur, uel diuorum imagines, quod idem est, quibus sacrificia deferuntur, uel ad eorum laudem & honorem missæ celebrantur, & corpus offertur dominicum, & sacrificatur ad salutem uiuorum & mortuorum. Cui sacrilegæ præsumptioni obsequi coguntur fideles, etiã reclamante conscientia, nisi exilium & rerũ omnũ rapinã perferre uelint. Sed hæc fient non diutius q̃ hic Antiochus grassari potuit cõtra deũ & pietatem.

35 & mulieres quæ circuncidebant filios suos trucidabantur secundũ iussum regis Antiochi. Et suspendebant pueros à cerui cibus per uniuersas domos eorum, & eos qui circunciderant illos trucidabant.

Ne fœminis quidẽ parcebatur, quæ legem domini seruare uolentes suos filios circuncidendo octaua die offendebant in edictum regis, & ideo trucidabantur propter opus pium, sanctum & necessariũ, de quo nemo unquam dubitarat, quin sanctè id fieri à fidelibus Israelitis posset sine alicuius damno uel offensa, tantum quia Antiochi mandatum spreuerant, & domino deo suo placere cupiebant. An non merito impius tyrannus olim & propediẽ amarissima morte discruciendus esset, & in barathrum æternæ maledictionis submergendus, qui talia ausus fuit? Suspendebant atrocissimi latrones pueros ex cruribus ad fores domorum, pro terrendis reliquis: quid crudelius poterat cogitari? sed & qui circuncisionis authores fuerant, sunt pariter occisi. Non igitur desperandum, nunquoq; fidelibus est, sed conijcienda spes in dominum, qui horũ quoq; temporũ persecutionibus finem dabit. Quia nondũ tam crudeles per omnia tyrannos experti sumus, sed propediem speramus et optamus melius iudicaturos, & ad ueritatis amorem perducẽdos. Si prius impij pontifices fuerint aliquãtisper humiliati, uel quod optamus, conuersi ad uerbum domini, cuius ex officio promotores & propugnatores esse uelint ut obligantur.

36 Et multi de populo Israël diffinierunt apud se, ut non manducarent immunda, & elegerunt magis mori quàm cibis coinquinari immundis, et noluerunt infringere legem dei sanctã, & trucidati sunt, & facta est ira magna super populũ Israël ualdeca.

Nunquã orantibus, fidentibus sperantibus, defuit dei auxiliũ, sicut nec gratia. Inter multos numium impios idæos erant non pauci synceri cultores legis diuinæ, qui non territi tanta crudelitate tyrannuci regiminis, apud conscientias suas & animum firmiter statuerunt, obseruare se uelle legem dei, nõ manducare lege prohibita uel immunda, ut elegerint potius mori, quàm cibis coinquinari immundis, ideoq; et mortis sententiam alacres subierunt. Quibus uerbis significantur duæ hystoriæ descriptæ 2. Machab. 6. de Eleazaro, & 7. de septem fratribus cum matre apprehensis & occisis ab impiissimo tyranno, cum eius crudelissima fama, ipsorum laudatissimo celeberrimoq; triumpho, toto in orbe & omnibus seculis. Vide ibidem.

CAPVT II.

1 IN diebus illis surrexit Mathias filius Iohannis filij Simeonis sacerdos ex filijs Ioarim ab Ierusalem, & cõsedit in monte Modin.

Post calamitatem grauissimã populi Israelitici descriptam, quæ tamen latius habetur 2. Mach. 3. 4. 5. 6. 7. hic de reuelatione eiusdem gentis incipit, de qua & Daniel prædixerat. Impij inquit, in testamentũ simulabunt peruersiter fraudulenter. Populus aũt sciens deum suũ obtinebit & faciet, & docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. Cumq; corruerint subleuabuntur auxilio parũ

parulo, & applicabuntur eis plurimi fraudulenter, & de eruditis ruent, ut conflentur & eligantur, et dealbentur, usq; ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus erit. Quanta Iudæi ab Antiocho passi sint, præsens narrat historia, & triumphi eorum testimonio sunt, qui pro custodia legis dei flammas & gladios, seruitutẽ, rapinas, & ultimas pœnas sustinuerũt. Cuius historiæ initium in populo sciente dominũ, hic notatur, in posteris scilicet et socijs Machabæorum, quorum hic genitor Matathias de sacerdotali genere uerus sacerdos, & gloriæ diuinæ zelator inclytus, hic describitur filius quidem Iohannis, qui fuit filius inclyti cuiusdam Simonis, & nobilis, de uice prima sacerdotali, citra summi sacerdotij lineam, ex filijs Ioarim. Iosephus scribit filiũ Iohannis, filij Simeonis, filij Asomonei, sacerdos de uice Iobab Hierosolymitæ. Incertum quem dixerit Iobab, quandoquidem 1. Paralip. 24. ex uigintiquatuor ordinibus sacerdotalibus primus ordo erat Ioiarib, qui & Ioarim dici potuit, ex uice tertia Harim, uel ex quarta Seorim. Verũ non est ex allusione uocum certa diuinatio, secundũ quam Iobab dici potuisset pro Hoppha, qui fuit in uice decimatertia. Sed non tam diligenter fuerit discutiendũ unde natus, quàm quid egerit, & qualis fuerit in dei gloriã, & in zelo sacerdotali, suo generi digno, quid egerit pro populo dei. Scribitur quippe surrexisse, hoc est irruente in se spiritu dignissimi zeli, resistendi tantis impietatibus, uindicandi gloriã dei, & liberandi sanctos oppressos, accinxit se, et quiete obmissa, uidit semel pro dei honore periclitandum. Ideo à patrio loco Hierosolyma digressus, abijt in Modin oppidum, constitutũ in monte Bahala, in tribu Iuda super torrentẽ, qui apud Secronam effunditur, ibiq; cõsedit deliberãs quid facto opus esset in tantis rerũ difficultatibus.

Matathias sacerdos.

2 Et habebat filios quinq;, Iohannam qui cognominabat Gaddis, & Simeonem qui cognominabatur Thasi, & Iudam qui uocabatur Machabæus, & Eleazarum qui cognominabatur Abaron, & Ionathan qui cognominabatur Apphus.

Matathiæ filij.

Quinq; habebat filios Matathias, iam adultos, fortes & bellicosos. Quorũ primus Iohãnan dictus, cognomento Gaddis. Secundus Simon, qui alio nomine dicebatur Thasi, ut uidere liceat causas uarietatis nominũ proprio rum, quæ multa erant Iudæis, iuxta uarios euentus et hominес, ne quis studiosus in literis sacris multum de hac re turbetur, cum nulla posset de eis dari certa ratio & infallibilis, quandoquidẽ & nec necessaria est, quando & historiæ acto magis est consyderanda, quàm agentiũ nomina. Tertius filius Iudas dicitur cognomine Machabæus, à quo, quia primus parenti succesit, reliqui quoq; fratres sui dicti sunt Machabæi. Alij autẽ septem fratres unius mulieris sanctissimæ filij martyres, ea tantum ratione Machabæi dicuntur, quia eorum martyrium scriptum sit in libro Machabæorum secundo. Eleazarus autem quartus filius, hic alio nomine uocatur Abaron, quẽ tur Ionathan Apphus cognominat. Et econtra qui hic dicitur Ionathan Abaron, alibi dicitur Ionathan Aphus, cõ mutatione nominum, ne nimis in talibus simus curiosi.

Ludit in horum nominum interpretationibus Rabanus, *more priscorum, sed sine fructu & fundamento. Concordans hæc nomina ad catalogum officiorum Ecclesiasticorum, ut significent apostolos, prophetas, Euangelistas, pastores, & doctores, de quibus aliorum sit iudicium. Aliena potius uidentur ab instituto tam huius loci, quàm Pauli Apostoli, ad Ephesios quarto.* Rabanus.

3 Hi uiderũt mala quæ fiebant in populo Iuda & in Ierusalem. Et dixit Matathias: Væ mihi: ut quid natus sum uidere contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, & sedere illic cum datur in manibus inimicorum?

Alijs frigide animatis in legis diuinæ honorem & ob seruantiam, & diu talia uidere potentibus, absq; zelo digno fideli uiro, ij uiri optimi & fortes in fide ad dominum, ac charitate in gentem electam à domino, uiderunt iusto & zeloso iudicio, quæ fiebant in populo Iuda, in quo tanta apparebat tam perfidia quàm fragilitas, & tenuis zelus paternarũ legum, & quanta mala commissa essent in loco sancto, in templo, in urbe sacra, quæ omnia diutius ferre non ualentes, consultarunt quid facto opus foret. Vbi pijssimus pater omnium & fortissimus, sic locutus est: Quanta ô deus sunt quæ nunc patimur socordes? quàm hactenus frigidi fuimus in propugnanda gloria domini dei nostri & totius gentis? Satius fuisset me nunquam gentium esse, quàm sic æquanimiter uidisse, & dissimulasse tanta mala, quæ fiunt nobis patientibus, contra dominum deum nostrum & populum, sic uarie grauiterq; contritum & conculcatum, & contra urbem nostram sacram & patriam, tam miserè tractatam & direptam, ut ab ea cogantur fugere filij, & locum cedere impijssimis Ethnicis. Num semper hic sedere poterimus, & quiescere, uidereq; eam tradi in gladios hostium crudelissimorum? Patris religio.

4 Sancta in manu extraneorũ facta sunt, templum eius sicut homo ignobilis. Vasa gloriæ eius captiua abducta sunt, trucidati sunt senes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum.

Enumerat distinctim, quæ summatim iam dixerat. Sanctissimũ templũ, & ipsa sanctitas nostra, in quam ne summo quidẽ pontifici fas est nisi suo tẽpore ingredi, iam conculcatur & polluitur ingressu spurcissimorum idolatrarum atq; gentilium, ab omni pietate extraneorum. Templum domini sicut homo ignobilis, nullo honore dignatur, ut communis hominũ prophanorũ habitatio existimatur à prophanis. Vasa sacra intra templum & in atrio, et quicquid diuino cultui consecratũ fuerat, abducta sunt, conflata, & dispersa, inq; prophanissimum usum conuersa. Senes populi absq; respectu personarum trucidati sunt crudeliter in plateis Ierusalem: iuuenes autem, dum propugnare uellent senatores, & uindicare, pariter occisi sunt ab impijs gentilibus. Quid aũt atrocius et grauius contingere potuisset hominibus sensatis?

5 Quæ gens non hæreditauit regnũ eius, & non obtinuit spolia eius? Omnis com-

positio eius ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla.

Quicquid glorioſum nobiſcum erat & ſanctũ, quicquid pretioſum & delectabile, direptum eſt à gentibus, & paſsim diſtractum, ut nihil nobis de hæreditate noſtra paterna reliquum ſit, quod nõ in manus peruenerit alienigenarum, & hoſtium noſtrorum, nobis propterea illudentiũ. Vbiq; uiſuntur in mundo ſpolia Iſraëliticæ gentis, in ignominiam noſtram, & omnium patrum noſtrorum, quibus hæc omnia pretioſa omnipotentis dei manus poſsidenda tradiderat & propria, iure æquiſsimo uoluntatis ſuæ. Quicquid in domo domini adornatum compoſitum elegans & iucundum erat uiſu, totum ablatum eſt. Gens ſancta populus acquiſitionis, redempta à domino & libertati donata, facta eſt ancilla impuriſsimorum hominũ. Quæ multis olim dominabatur gentibus, iterum ſeruituti peſsimorum eſt ſubdita grauiſsimæ, et quæ fuerat populus dei, dæmoniũ malignitati ſubditur.

6 Et ecce ſancta noſtra & pulchritudo noſtra, & claritas noſtra deſolata eſt, & coinquinauerunt eam gentes. Quo ergo nobis adhuc uiuere?

Sancta Iudæorum erant diuinus & uerus dei cultus, ab ipſomet domino deo in ſua lege inſtitutus, quem certũ erat domino placere, qui ſic deſcribi illum præceperat, qualis in toto mundo non erat, in eo quoq; loco quem elegerat. Sacerdotiũ, lex & doctrina hæc uere ſancta erãt, ſed iam tunc in ignominia erant, ceſſauerant, contaminata erant ob perfidiam hominum, tam gentilium, quàm Iudæorum gentilizantium & impio regi obſequentium. Claritas noſtra, aiunt, hoc eſt, laus & fama ſanctitatis, et certiſsimæ ueritatis ac pietatis, celebritas miraculorum dei, pro ſuo populo prorſus defecerat, quia fides ſolida nulla extabat, & pontifices ſummi homicidæ facti fuerant, & abominandi idololatræ, quorum exemplã ueri ſimile eſt cæteros quoq; ſacerdotes ſecutos, ut nulla uera extaret religio, ſed ſic populus eſſet ut erant ſacerdotes: & ſi qui pij remanſerant, periclitari pro pietate nolebant, cernentes omnia corrupta ac deſperata, impietate regum, qui ut erant perfidi, ſic quoq; à perfidiſsimis pontificibus ad crudelitatẽ cõtra religioſos & pios ueritatis obſeruatores incitabantur, ut patet ex ſecundo libro Machabæorũ, cap. 3. 4. 5. In hac aũt tali ac tanta rerũ corruptione & malignitate, cũ tam horrendo ſcandalo, piiſsimi uiri Matathias cum filijs iuſte decreuerũt, felicius eſſe uirum bonũ glorioſe mori, quàm tam calamitoſe uiuere.

7 Et ſcidit ueſtimenta ſua Matathias & filij eius, & operuerunt ſe ciliciis, & planxerunt ualde:

Pro more gentis oſtendit iuſtam indignationẽ ex animo, contra malitiam tantã, quæ neminem mouere poterat, nemo ſe pro dei gloria periculo exponere uolebat, diſsimulabant omnes, zelabat nemo. Id peſsime ſanctum habuit, hac quoq; ſciſsione filios ad zelum animabat, ut ſimiliter agerent, & in ſanctũ zelum, ac neceſsariũ inſtitutum conſpirarent. Operuerunt ſe cilicijs more perturbatorum & plangentiũ indignitatẽ rei, quam nemo curabat. Et planxerũt ualde, uerbis & factis ſeſe oſtendebãt bene affectos ad ſtatũ ſuæ gentis uindicandũ, ad dei gloriam, & diuini cultus reſtitutionem, ſe uelle ſatagere pro omni uirtute ſua. Sic nõ ſufficit dolere, ſed & periclitari, de malo abigendo, & bono promouendo contendendum eſt, et manus apponendæ, alijs quoq; ad exemplũ, ut & ipſi audeant, quæ iuſta ſunt, et iniquitatibus obuiare.

8 & uenerunt illuc qui miſſi erant à rege Antiocho ut cogerẽt eos qui confugerant in ciuitatem Modin immolare & accendere thura, & à lege dei diſcedere:

Non negligunt impij occaſiones ſuas, ſtatim adſunt regis improbi ſatellites, numirum excitati improbitate peſtilentium Iudæorum, prodentium piiſsimum inſtitutum optimorum uirorum impijs aulicis. Semper enim primas ſibi ſumunt authores iniquitatis, & ad mala promouenda promptiores ut plurimum ſunt, quàm pij ad religionem ſectandam. Miſsi ab Antiocho uenerunt ad Modinem, quò uiri boni confluxerant, mutuum ſe adiuuaturi, ſtetim quoq; proditi. Cogere autem præſumebãt fideles, ut deficerent & ipſi à uerbo domini, à legis obſeruantia, à cultu unius dei, ad idolorum culturam, ad gentiliũ ritum, ad impietatis conſenſum, ad impij regis obedientiam.

9 Et multi de populo Iſrael conſentientes acceſſerũt ad eos, ſed Matathias & filij eius conſtantes ſteterunt.

Ad exemplum ſummorũ pontificũ, qui erant peſsimi, impiiſsimi, mirum nõ eſt, ſi populus impius, uel ſaltem puſillo animo & timoratus eſſet, & ei ſe fide concredere nõ uiderent, quam à ſuis ſacerdotibus cernebãt ſperni. Si regi obſequerentur, quem et potentiſsimum uidebant, cui & pontifices acquieſcebant per omnia. Conſenſerunt ergo nuntijs regis, & pedibus conceſſerunt in regis & pontificum ſententiã, præeligentes in pace idolis ſeruire, & ritu gentiliũ uiuere, quàm de uita periclitari & rebus, à parte ſtantes uerbi dei et legis. Matathias aũt diuinis gratia permotus & inſtigatus, elegit deum habere amicum & propitium, cum ſuis optimis filijs, quàm regẽ aut eũ dem eos, aut ſummos pontifices, Iaſonẽ uel Menelaum, qui ſibi alia nomina aſſumpſerant gentilitia & prophana, in gratiã regis, ut proderent qua fide ſtarent in deũ. Omnis unus uocatus à parentibus, maluit appellari Menelaus: et alter frater eius Ieſus dictus, elegit, ut Iaſon diceretur. Hæc omnia ſancti filij cum parente decrepito, ſed animoſo, ferre nolentes conſtantiam induerunt ſacram, & auxilium domini ſunt conſequenter magnifice experti, ad dei gloriam & gentis totius ſalutem & libertatem.

10 Et reſpondentes qui miſſi erant ab Antiocho, dixerũt Matathiæ: princeps & clariſsimus & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filijs & fratribus.

Videntes nuntij regis, nihil ſe promouere ſimplici cõminatione, incipiunt more prudentũ in ſæculo, tentare hypocriſim, honeſtiſsime alloquendo patrem ſenem, cuius ſi animum euicciſſent, ſperabant actum eſſe de filijs. Appellat autem principem, hoc eſt totius magnæ familiæ ducem & prælatum. Et cum denuq; clariſsimum, ex ſapientia

pientia et factis. Magnum quoq; inter ciues Modin, qui nobilis esset, & authoritate præclara, multa quoq; cognatione illustris, et ampla familia, qui multa posset, ubi uellet in utranq; partem inclinando.

11 Ergo accede prior & fac iussum regis sicut fecerunt omnes gentes & uiri Iuda, & qui remanserunt in Ierusalem. Et eris tu & filij tui inter amicos regis, & amplificatus auro & argento, & muneribus multis.

Exempla uehemẽter mouent, maxime magnorum et senum, et in religionis causa potißimũ, ubi allegatur maiorum religio, qualiscunque tandem fuerit. Ideo hic aulici uolunt priorem acquiescere regijs præceptis, more aliarum gentium omniũ, sed et uirorum de tribu Iuda, quorum multi defecerant ad regis fauorem á lege, quemadmodum & ipsi pontifices & sacerdotes, qui habitabant adhuc Hierosolymis. Huiusmodi specimen obedientiæ et ipse præferret ad salutem suam & multorum, qui ipsius essent uestigia successuri. Nec tantum hortatur & monet, sed etiã magnifica pollicetur præmia pro se & filijs, utq; sit insignis amicus futurus regi & gratißimus, maiora amicitiæ dona accepturus, amplificãdus diuitijs auri & argenti, & multis muneribus. Sic diabolus uenatur probos, sic improbos capit, huiusmodi est mundi huius sapientia, qua obtinet quicquid illi est utile, ut qui nõ possunt exhortationibus uel minis, hi gratia & muneribus corrumpãtur. Hac arte hodie quoq; dæmon utitur in familia Antichristi, thesauros omnes reuelãs, & producẽs, quos diu collegerat in arcas sacerdotũ et monachorũ, his bombardis hodie inuestat muros & turres sanctæ ecclesiæ, quibus et proficit multũ, sed nõ quantũ uellet, quando fortior ueritas sensum cõmunem sic illustrat, ut nemo non uideat, qua ratione procedatur ad perfidiam stabiliendam, ut nõ cesset impiorum quæstus, luxus, ac fastus.

Anti-christi thesauri.

12 Et respondit Matathias & dixit magna uoce: Et si omne gentes regi Antiocho obediunt, ut discedant unusquisq; à seruitute legis patrum suorũ, & consentiant mandatis eius, ego & filij mei & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum.

Incunctanter & dudum in conscientia præmeditatus pater, respondit pro se & filijs, solidißima conscientia, sine timore, ideoq; et magna uoce, digna sanctißimo uiro & fortißimo: Nõ me mouet multitudo male agentiũ, & a rege oppressorũ inuoluntarie, Antiocho obedientium. illi pro se omnes domino respondebunt. Ego contra conscientiam, nil admittam, uerbũ domini nõ prodã, legibus diuinis obsequar, inuitis inferorũ portis. Et si omnes gentes regi applaudẽtes discedãt à suis legitimis. Et si de nostra gente complures renuntient seruituti legis diuinæ, patrumq; suorum, & ficte uel uerè consentiant mandatis regis, contra uoluntatem & legem domini, ego tamen & filij mei, & tota mea familia, qui fratres dicuntur Hebræis (quanquam & re uera fratres habuisse multos credendũ sit) obediemus legi domini dei nostri, quã semper obseruare studuerunt patres & maiores nostri, quibus nos pijs uestigijs adhærebimus, & dei super nos ordinem, deq; nobis suum iudicium sponte amplectemur. Sic agendum fidelibus est, ut agnitam ueritatẽ ad nullius gratiam abnegemus, uerbo domini constanter adhæreamus. Fata nostra diuinæ misericordiæ cõmendemus, malumus pro ueritate mori, quàm iniquitati obtemperare, uitam aliquousq; & non diu quoq; prorogaturi.

13 Propitius sit nobis deus, non est nobis utile relinquere legem & iustitias dei. Non audiemus uerba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgrediẽtes legis nostræ mandata, ut eamus altera uia.

Clementiorẽ nobis dominũ cupimus, quàm ut in tantam nos perfidiã ruere permittat, & tẽporale quodcũq; cõmodum, uel regiũ fauorẽ præponamus æteris bonis, et gratiæ conditoris. Sine legibus et iustitia uiuere nõ possumus, præstat igitur diuinis legibus dirigi, quæ sunt infallibiles et sanctæ, quàm hominũ arbitrijs, ut plurimũ fallacibus, & pernitiosis. Conditoris nostri legem cum fœdere suscepimus, eam fideliter cõseruare instituimus, de promissorũ certitudine nullatenus dubitamus. Proinde notum sit uobis regijs ministris, quod in præiudiciũ legis nostræ & paternarũ traditionũ, prorsus nõ obediemus: oportet enim magis deo obedire q̃ hominibus. Nõ sacrificabimus idolis quibuscũq;, ut legis dñi dei nostri præuaricatores improbi statuamur, & pergamus alia uia, q̃ ea quam patres nostri sancti et fideles incesserũt in omnibus mandatis diuinis, ne rei in dominum arguamur ab ipso.

14 Et ut cessauit loqui uerba hæc, accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in ciuitate Modin secundum iussum regis.

Statim fortißimæ uolũtati et zelo, dñi prouidentia occasionẽ præstat eximio operi, et exacuit statim impietas insolita et mirume ferẽda pietatẽ fidelißimi herois. Quid enim intolerabilius fortißimo cõtingere potuisset uiro et sancto, q̃ quod procacißimũ nebulonẽ Iudaicũ uidere cogitur, pcedentẽ in cœtu multorũ, idololatriã cõmittit, sacrificans intra ciuitatẽ Modin, super arã, in despectũ nõ tantum dei sanctißimi, sed totius populi religiosi, in quo multi erant, qui uitã et res omnes prodigere parati erãt, magis q̃ sacrificare, uel in tantã iniquitatẽ obsequi regi impijßimo. Simile exemplũ hodie plurimi præstant, qui cõtra conscientiã parũ coacti, potius sese ab ecclesia fideliũ separant, q̃ ut impijs uelint uel in modico displicere.

15 Et uidit Matathias & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram.

Quomodo talis & tantus uir Matathias iam alioqui succensus uerbis, & solicitationibus regis ad impia, et iã periclitatus ad uitam, non magis exarsisset ira & iustißimo zelo, ut uehementer tremeret toto pectore, & renibus, hoc est totis uisceribus contremisceret, et ad iustam tantæ impietatis ultionem permoueretur? Accensus autẽ iustißimo furore uir sanctus, iuxta iudicium legis, hoc est ut æquum erat in zelatore perfecto legis diuinæ & gloriæ dei, insiliens Matathias in nefarium idololatram, su-

per aram trucidauit, uel iuxta eam, idoloq; illud statuit dignum sacrificium, zelo iustitiæ & ueritatis armatus, non moratus regis nuntios, quos statim uidit sibi capitale negotium paraturos. Sed & eodem loci & temporis, animam suam posuit in manibus ab impijs tunc præsentibus occidendus. Non enim tantam exercuisset temeritatem uir iniquus, nisi sibi auxiliatores adesse credidisset, qui tunc diuino iudicio cohibiti sunt nolẽtes, ne quid crudele molirentur in sanctum. Sic fortem non tantum fortuna, sed & gratia dei iuuat.

16 Sed & uirum quem rex Antiochus miserat qui cogebat immolare occidit in ipso tempore, & aram destruxit, & zelatus est legẽ sicut fecit Phinees Zambri filio Salomi.

Iosephus hunc uirum Appolonium nominat, qui tamen ille esse non potuit: de quo posita ibidem, & in hoc libro quædam narrantur. Hic enim à Matathia occisus scribitur, is scilicet qui à rege missus fuerat, ut cogeret immolare Iudæos, idq; eodẽ statim tempore, simulq; iam incepto arduo negotio, tanto regi rebellandi ad maiora progreditur, aram ipsam cum idolo superpositio demoliendo. Semel enim spiritu domini afflatus, zelo legis instigatus progreditur, exemplum filijs prostituens, quod olim magnanimiter sint æmulaturi. Sicut & Matathiæ ipsi, statim succurrebat exẽplar sui patriarchæ Phinees, qui simili in occasione occidit Zambri filiũ Salomi, dum scortaretur cum Madianitide fœmina, in despectum omnium filiorum Israel aspicientiũ, ut patet Numeri 25. Hisce in casibus proficiunt exempla maiorum, legitime refricata & inculcata memorijs iuniorum, ut sciant uirtutes progenitorum suorum, quas æmulari pulcherrimum arbitrentur. Et ad hoc quoq; soliciti sint parentes, ut filijs post se uirtutis exempla relinquant.

Exempla maiorum.

17 Et exclamauit Matathias uoce magna in ciuitate, dicẽs, Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me, & fugit ipse & filij eius in montes, & reliquerunt quæcunq; habebant in ciuitate.

Auspicijs fortitudinis, & zelosissimæ fidei semel captatis, & inchoato tam periculoso negotio, alacriores reddit, & animos excitat uirorum fidelium, non tantum fratrum, filiorum, & suæ cognationis, sed totam insuper ciuitatem. Voce aũt magna classicum intonat in ciuitate Modin dicens: Omnis qui zelum diuinæ legis sic habet, ut impietates tantas uindicari desideret, is statuat testamentum, hoc est fideliter promittat se mihi adstiturum, sicut & ego illi, & exeat scilicet urbem post me, ut intelligatur multos in urbe ciues adfuisse, quibus factum Matathiæ displicuerit, nõ tamẽ ausi fuerint inuadere ipsum, sed iam pluribus stipatim fortissimis socijs abire permiserint. Sic ergo fugit ipse & filij eius in montes, & reliquerunt pro ueritatis amore, et ex fide in dominũ, quicquid in ciuitate habebant possessionum & amicorum, horum exemplorum & casuum hodie multa nobis exuberant præclara multorũ gesta, quorũ deus fidem respiciat, & tutor assistat, ut hactenus sæpe compertum est.

18 Tunc descenderunt multi quærentes iudicium & iustitiam in desertũ, & sederunt ibi ipsi & filij eius & mulieres eorum & pecora eorum, quoniã inundauerunt super eos mala.

In urbibus et oppidis nulla inueniebatur iustitia. Vrgebat enim tyrannis regia, ut quotquot pietatis studiosi [Iustitiæ exilium.] essent, multa & grauia pati cogerentur, eo uel solo nomine rei, quia legem domini zelarent, tyrannicis edictis nõ obsequerentur. Hi si quid etiam forensium causarum agere cogerentur, nihil iuris inueniebant, quãdo iam pro clamati haberentur hæretici, & contra regis & pontificum mandata pietatẽ tuerentur. Non ergo aliter iustificum ferre poterant, nisi fugiendo ad solitudines, & omnia deserẽdo quæ possederant. In urbibus habitabant, regio obsequentes mandato. Fideles ibi locum quietis nullũ inuenerunt. Nulla illis iustitia publica debebatur, quia iustitiã tuebantur. Sed in syluis, & inter feras, pij habitare cogebantur. Erãt enim impij & accusatores & iudices. Habitauerũt ergo cum filijs & amicis, mulieribus & filiabus, cũ suis pecoribus in solitudine. Non enim satis erat, eos inter ciues uiuere, qui regi obsequi malebant q̃ deo. Prospiciant nũc quoq; sibi principes, ut in causa fidei, non tyrannidem exerceant, quando fides cogi nõ potest, nec armis defendi, æque nõ impugnari debet, aliter quàm sacris literis, quicquid dubiũ inuenitur. Nunq̃ alias his disceptationibus amussis adhiberi debuit, quàm cas non sacerrimus, qui non tam difficilis est, quin ab omnibus capi possit ingenijs, quæ non sunt præoccupata pernitiam, fastum, & odium, sui quoq; ipsius amorem.

19 Et renuntiatum est uiris regis & exercitui qui erant in Ierusalem ciuitate Dauid, quoniam discessissent uiri quidam qui dissipauerunt mandatum regis in loca occulta in deserto, & abijssent post eos multi.

Iam occupata fuit Hierosolyma exercitu Antiochi, maxime uero arx ipsa, quæ Dauidis dicebatur olim, plena Græcanicis militibus, qui ad regis illic præcepta expectabant, si quid dissensionis uel inobedientiæ perciperetur in populo. His legionibus renuntiatũ est de rebellione Matathiæ & complicum, qui mandatum regis dissipassent, & secessissent in loca occulta, in solitudines, & multos rebellionis socios susscepissent. Quandoquidem multi passim fideles zelatores legis, audientes confidentiam Matathiæ & filiorum, ausi sunt & ipsi pro sua fide & deuotione in uerbum dei. Nulla contra sanctos querela assumitur, nisi tantum, quia mandatis regijs nõ obsequerentur. Non interrogatur de quibus mandatis, quàm iuste decretis, si contra deum uel iustitiam, sed ad tyrannidem exercendam sufficit qualibuscunq; mandatis contra uenisse fideles. Non enim ratio quærenda erat legũ, quæ præsumebantur errare non potuisse.

20 Et statim perrexerunt ad eos, & constituerunt aduersus eos prælium in die sabbathorum, & dixerunt ad eos, Refiftitis & nunc adhuc? Exite & facite secundum uerbũ regis Antiochi, & uiuetis. Et dixerunt, Non

Nõ exibimus neq; faciemus uerbum regis, ut polluamus diem sabbathorum.

Instructo exercitu aggressi sunt gentiles illi Macedonici milites, & cũ sibi de iustitia & uiribus diffisi essent, & superstitiosos putarent Iudæos, quasi in sabbatho non pugnaturos, quod certè nõ ex lege nec usu priscorum regum quorumcunq; didicerant, sed contentione uindicandi legem quasi in alterum transgressionis limitem declinando decreuerant, non licere bellum gerere sabbathis. Eo ergo die numũ ceremoniales aggrediuntur, in qua nõ resistere auderent, unde & obtrudunt illis reuerentiam legis, quasi illius transgressores futuros, si percussi audeant sese tueri & repercutere: Num audetis hac parte contra legem agere præliando in die quietis? & tam cer uicose reluctaminu regi in alijs mandatis legis tam mordicus asseruandis? Iubent ergo exire antra aut syluas, & sese tueri, aut regi obedire per omnia. Illi autem præterunt quidẽ sabbathum, sed ad alia potius grauiora regis præcepta contra legem recusant obedire. Facile fuisset egredi, sed regi in omnibus obsequi integrũ illis nõ erat.

21 Et concitauerunt aduersus eos præliũ. Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec opilauerunt loca occulta, dicentes, Moriamur omnes in simplicitate nostra, & testes erunt super nos cœlum & terra, quod iniuste perditis nos.

Non commendatur simpliciter institutum horum Iudæorum, ut sabbathorũ die sese defendere noluerint nec impedire aditũ. Verum quia bona intentione, & ex simplici errore id actum est, à sperantibus idipsum deo gratum esse, & iuxta dictamen legis, excusantur, ut non habeantur rei propriæ mortis sibi illatæ. Satis siquidẽ clare coniectabant, non se posse resistere tanto exercitui, paucos & imbecilles, & belli strenuissimi nullũ adhuc exemplum conspexerant, carebantq; ducibus prudentioribus. Ideo simpliciter maluerunt mori mundis manibus, quàm sanguine pollutis. Sperantes iudicium domini in partem suam olim declinaturum, fortiter sperantes domini dei gratiam, & præmium, si sese domino sacrificium in odorem suauitatis obtulissent. Ea proculdubio simplicitas non displicuit, sed æterna felicitate compensata est.

22 Et intulerunt illis bellum sabbathis, & mortui sunt ipsi & uxores eorũ, & filij eorum, et pecora eorum usq; ad mille animas hominum.

Bellum in sabbatis.

Bello illato inermibus & cessantibus, ferire facile erat, omnes occidere, maxime cum adessent mulieres filij & pecora usq; ad mille homines, inter quos pauciss imi erant apti ad repugnandum, quorum iam dies à domino constituta aduenerat feliciter moriendi. Suo propediem tempore, & ipsi longe maiori numero occidendi à domino per Machabæorum exercitum. Non omnis fausta est uictoria: uincunt sæpe impij ut uincantur, elati uictorijs & excedentibus in crudelitate. Crudelissimum erat inermes trucidare, sed longe nuper crudelius sæuitum est in pauperes, iam sub spe & promissione euasionis exãmatos in Alsatia. Sed manet illos suum quoq; iudicium, si nondum senserunt.

23 Et cognouit Matathias & amici eius, & luctum habuerũt super eos ualde. Et dixit uir proximo suo, Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnauerimus aduersus gentes pro animabus nostris & iustificationibus nostris, citius disperdent nos à terra.

Intelligitur ex hoc, has mille animas, alio quodam in loco congregatas ad regis edicta declinandum, nondum Matathia cum suis parato uel cognoscente, unde & milites impij locum fortassis præuenerunt, & congressum impedierunt, ne si ad Machabæos citius peruenissent, actus fuisset Iudæorum exercitus contra gentiles, & gentilium adiutores impios Iudæos. Vt uero innotuit Matathiæ, iuste indoluit superstitionis huius errorem exitialem, quem nemo unquam patrum inciderat, & luctum habuit pro tot animarũ, hoc est hominum occubitu. Prudenterq; statuerunt, aliter sibi consulturos, nõ esse exemplum hoc non se defendendi legitimum, sed superstitiosum, præstare potius, ut non aggrediantur hostes in sabbatho non coacti, sed ut sese audacter defendere non obmittant aggressi etiam in sabbatho. Alioqui non est permittenda occasio impijs efferantibus in fideles, ut magis obesse possint, impediendi potius sunt à strage fidelium, utcunq; id fieri potest. Repugnandum est inuocato auxilio dei, quo non ferente, obeundũ iudicium domini cum patientia & modestia, euentus autem negotij domino commitendus est, qui nouit quid prosit electis.

24 Et cogitauerũt die illa, dicentes, Omnis homo quicunq; uenerit ad nos in bello die sabbathorum, pugnemus aduersus eum, & nõ moriemur omnes sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.

Cogitatio pro instituto capitur uel decreto, de consilio enim Matathiæ ordinauerunt bello se defendere contra omnes qui se impeterent, etiam die sabbathorũ, alioqui statim omnes occidendi fideles forent, tantoq; sæuerius impetendi ab impijs fidelium hostibus, quanto fidem suam syncerius testarentur. Optarent enim impij, nulla adesse arma fidelibus, ut resistere non potentes, ad unum omnes pios occiderent. Non autem sic dominus ordinauit, non semper miraculis negotia fidelium transigit, sed manibus ut plurimum fideles defendit ipse principalior propugnator.

25 Tunc congregata est ad eos synagoga Iudæorum fortis uiribus ex Israel, omnis uoluntarius in lege, & omnes qui fugiebãt à malis additi sunt ad eos, & facti sunt illis ad firmamentum.

Qui uerè Iudæi erant & confessores diuini nominis, zelatores legis dei, & legitimi filij Israel, quibus dolebat ex animo conculcatio sanctæ gentis à spurcissimo rege idololatra, qui in dominũ confidebant, & credebant promissis dei. Hi auditis sermonibus, et proposito Matathiæ animũ resumpserunt, & dei circa se prouidentiam in bonum sperare cœperũt, ideoq; mutuũ sese consolantes &

confortantes, ad ſtrenue decertandum pro dei honore et ſancta gloria patrum ſuorum, quorum nollent haberi degeneres filij. Congregati ſunt in magnam ſynagogam, quæ et uiribus tam animorum quàm corporũ fortis erat, omnes autem uoluntarij zelatores legis, & deteſtatores tantarum abominationum, quas iam aliquamdiu inuiti conſpexerant, & impatientes, perteſi tantorum malorum, quæ ab impijs inferebantur. Fugerunt ut poterant tantam uiolentiam, & additi ſunt filijs Matathiæ, & facti ſunt illis ad firmamentum corporeum, dominum ſperantes futurũ illis principale robur, & propugnaculum. Sic enim in deſperatis eſt agendũ negotijs. Iaciendus eſt enim cogitatus in dominum, interim tamen quod humanutus fieri poteſt minime obmittendum.

26 Et collegerunt exercitũ, & percuſſerunt peccatores in ira ſua, & uiros iniquos in indignatione ſua, & cæteri fugerunt ad nationes ut euaderent.

Non dubiũ eſt dominũ ſolicitaſſe uiros, ut animũ ſumerent repugnandi tantæ malitiæ, quando & ſtatim proſperari cœpit negotium in illorũ manibus. Collecto enim iuſto exercitu perquiſierunt in primis malignos illos Iudæos defectores & apoſtatas, qui per antonomaſiam hic dicuntur peccatores, in quos alicubi deprehenſos exercuerunt ſanctiſſimam iram ſuam, & proditores ſanctorũ ac patriæ dignißimis affecerunt uindictis. Percuſſerunt eos in iuſta indignatione ſua, & occiderunt iuxta legem dei, quia ſolicitatores fuerãt aliorũ, ad deficiendũ à deo, & ſectandi idololatriã, & gentiũ facinora cuncta, irriſores omnium diuinarũ rerum, & uerbi dei contemptores, incenſores librorũ ſanctorũ, hos proderat omnino occiſos quàm fideles ulterius perſequi, & prodere ad exitium. Quos ergo huiuſmodi aſſequi ualuerũt, digne tractarũt, ut meruerant, cæteri fugerũt ad nationes gentiliũ, à quibus defendebantur, & pro proditoribus utebantur eorũ opera. Nobis nunc non eſt huiuſmodi ſectandũ conſiliũ, qui non habemus idololatras uel dei negatores pro hoſtibus, ſed aſſertores eiuſdem fidei, eorundem Apoſtolicorum articulorũ, & totius ſacræ ſcripturæ nobiſcum confeſſores, & unus dei & dñi noſtri Ieſu Chriſti cultores.

Arma piorum. Error tantum & ſiniſtra intelligentia nos ſeparat, ut ex conſuetudine inueterata, et ceremoniarũ pulchritudine, multi magis pendeant, quàm ex ſyncera intelligẽtia uerbi dei. Verbis ſcripturæ agendũ nobis eſt, non armis, tolerantia ignorantiarũ uel infirmitatũ humanarũ, potius quàm bello & haſtis. Orationibus tranſigendum eſt hoc negotium & paßionibus magis quàm deprædationibus. Tentandũ ſi in bono malũ ſuperare poßimus. Manifeſte impij & blaſphemi corrigendi ſunt, uel iuſto iudicio ſecundũ legẽ dei auferendi. Vbi multitudo bona præualet, ibi pauciores coercendi: ubi mali dominantur tentanda prædicatio eſt, ſi quo modo aliqui emendentur, & reſipiſcant quidã cum tempore, qui & conuerſationis charitate alliciendi potius ſunt, quàm cogẽdi, dei enim ſunt.

27 Et circumiuit Matathias & amici eius, & deſtruxerunt aras, & circumciderũt pueros incircumciſos quotquot inuenerũt in finibus Iſrael in fortitudine.

Non ſeguiter ab initio egerunt cum uiderent aliquo uſq; proſperari negotium, non cunctabantur iuxta uires agere quæ fieri poterant, nullã oportunitatem negligentes fortiter inſteterunt, quod ſanctum et iuſtum eſſe ſciebant, iuxta uerbum domini, quod ſequebantur pro regula: ideoq; et amicos multos aſſecuti ſunt, animatos conſtantia et ſucceſſu in re ſancta, ideoq; ſtatim ab initio ſubuerterunt aras diuorum, ubicunq; inueniebantur, in urbibus & campis, in domibus & plateis, cum ſuis unuerſis idolis & imaginibus, quibus homines numiũ ſuperſtitioſe inhærere ſolebant, & affectibus irretiri, ab exordio condi tarum imaginũ. Id quod dominus tam diligenter ſemper uetuit: non ignorans, quantum erroris ex eis mundo ſem per proditurum eſſet. Vnde & uſq; hodie nimium lente proficitur in uera fide, quamdiu idola huiuſmodi in Chriſtianorum templis tolerantur. Quanquã non ſit principale, ad quod nobis conandũ ſit, facillimum tamen eſt uel ea ex parte uerbo domini obedire, quod uidetur ex nobis ſtare poſſe, auferre truncos. Non ſic perfidiam, odium, auaritiam, luxum, & cætera, quæ in cute latent amoliri poſſumus. Quibus tantũ dei gratia & ſpiritus donatione ſuccurritur, orationibus præuijs, & uerbi dei aſſidua inculcatione, cum uirtutũ exemplo, & iuuentutis fidelißima inſtitutione, ex qua etiam prouectiores & parentes ipſi emendari, et apud ſemetipſos reſipiſcere poſſunt. Facile quoq; erat præputiũ circumcidere carnis, non ita cordis, et ſenſuum reliquorũ, illud tamen primũ arripiendum erat, quia fieri ab illis poterat, domino autẽ reliqua cõmendanda fuerant, et nihil ſeguiter tentandũ. Si enim quæ fieri facile per ipſos poterãt obmiſiſſent, ad maiora à domino auxilium non accepiſſent. Non ſunt parua negligenda, ſi ad maiora conamur aſſurgere. Nihil modicum æſtimetur, quod legi domini aduerſatur.

28 Et perſecuti ſunt filios ſuperbiæ, & proſperatum eſt opus in manibus eorum. Et obtinuerunt legem de manibus gentium, & de manibus regũ, & nõ dederunt cornu peccatori.

Filios ſuperbiæ nominat contra dominum ſuperbientes, legẽ domini contemnentes, ut eidem obedire nolint, neq; id ſolum agunt, ſed perſequuntur quoq; omnes quos legis diuinæ zelatores intelligũt, ut tũc erant, nõ tantum gentiles, ſed & plurimi Iudæorũ proditores piorũ, et qui gentilibus cõplacere cupiebant, utcunq; dño diſplicerẽt, cui obedire nolebant, et uerbum eius negauerũt. Hos tales tam impiißimos hoſtes diuini nominis, ſancta audacia Matathias cum filijs ubiq; perquiſitos & inuentos occidit, expulit, ac eſt magnanimiter perſeculus, proſperatumq; eſt ſanctum negotium, zelo fidei & gloriæ diuinæ ſuſceptum ſecundum legem dei, nemine audente reſiſtere, regeq; agente in longinquis regionibus, principibus autem gubernatoribus attonitis uirtute dei, ut reſiſtere ſtatim auſi non fuerint, uidentes quoque indignitatem negotij, quod ſuſcipiebatur contra fideles, ſui dei cultores, pro cuius gloria & amore parati eſſent agere & pati, quæ nemo ipſorum pateretur pro ſuis idolis. Omnia autem

autem dei prouidentia gerebantur, & ad sui nominis gloriam, electorumq; salutem ordinabantur inuitis impijs & confusis. Obtinuerunt ui & fortitudine, ut permitterentur uti suis, hoc est diuinis legibus, patrumq; suorum moribus uiuere, non morati cornu, hoc est superbiã, ferociam gentiliũ, & regis impij, quem non ambigebant proximo disperdendum.

29 Et appropinquauerunt dies Matathiæ moriendi, & dixit filijs suis: Nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus euersionis, & ira indignationis.

Ingens & numiũ grauis tentatio statim oboritur, prouidentia dei & fidei piorum, ad ipsorum probationem, & scandalum impiorum, ut qui sordent sordescant adhuc, sancti autem per patientiam & spem proficiant, ut animas suas possideant. Quis enim acerbior dolor contingere potuisset fidelibus, qui iam egerant tanta in despectum impijssimi regis, quàm mors Matathiæ, cui consenserant per omnia, à quo nunc deserendi erant, ad gaudium quidem hostium crudelissimorum, & ad desperationem pusillorum animo, & in fide fragiliũ. Ad horam quidem impij gauisuri erant de morte Matathiæ, sed statim grauiora passuri, domino propitio suis fidelibus, quã do hoc casu ducis non sunt animo fracti, ut legis propugnationem pauidi deseruissent. Senex quidem iam erat Matathias, sed non tam decrepitus, quin ardua prosequi cogitarit bella contra regem cum suis filijs. Potuit per ætatem multa egisse pro gloria dei, & salute gentis suæ uti uoluerat, sed nunc mori iubetur, et deserere agonem, quẽ cœperat, derelinquere filios quos iam induxerat in uirum. Appropinquauerunt enim dies, in quibus sciebat se de proximo moriturum. Non tamen desperat de dei te, non murmurat contra dominum, cuius opus tanto periculo aggressus fuerat suo & filiorum, imò omnium fidelium. Quanquam intelligeret quale futurum esset regis odium, & uindicta præsumenda contra fideles, unde & loquitur: Nunc omnes superbi præsument grauiora contra Iudæos, iam superbire audebunt confidentius me mortuo, quasi deorum suorum iudicio occidẽdus, quorũ delubra & aras cuerti: iam perfidiam suam iactabunt sanctimoniam esse: iam fidem nostram perfidiam iudicabunt ex facto: iam dei nostri gloriam et potentiam blasphemabunt: iam atrocissime uolent castigare uos meos filios, pro zelo meo quem exercui in idola ipsorum, & pro inobedientia ad regem: iam illis uidebitur pro mea morte adesse tempus, quo facile totam nostram gentem & religionem euertant, deos suos pro se militare credent, & mihi indignatos, ideoq; me occidisse dicentur. Argutabuntur enim fieri non posse, ut domino deo nostro placeat officiũ seruitutis meæ, quod exhibui in euertendis simulachris, qui me statim occiderit, & ueluti mihi fuerit indignatus, hoc iudicabunt impij ex Iudæis. Sed gentiles dicent, non potuisse me deum seruare, cuius honorem zelatus essem & deos gentium meis studijs adtuerfatos præualuisse.

30 Nunc ergo filij æmulatores estote legis, & date animas uestras pro testamento patrum & mementote operum patrum quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.

Omnibus his non obstantibus, scandali & infidelitatis causis, fortissimus in fide uera, sciens cui credidit, & certus existens se iuxta dei legem ambulando & satagendo domino deo suo placuisse, non fide deficit, non animo consternatus est, nõ pœnitentia ducitur actorum, non dolet filios periclitandos: sed plenus fide & pietate in deum & populum sanctum, hortatur suos filios, non ut cœptis desistant & regi concilientur, sed ut strenui sint zelatores uerbi dei & legis diuinæ, propugnatores paternarum legum & sacræ religionis, parati impendere animas suas, hoc est uitam & corpora, pro tutanda fide, & fœdere conseruando ad dominũ deum suum, ut nulla necessitate uel uiolentia patiantur se ad aliquid cogi contra testamentum dei, & contra legem, quam patres sancti sui susceperant obseruandã semper. Hortatur, ut non cogitent sua fata, & instantem sibi mortem, quasi pœnam suorum peccatorum, sed opera sanctissimorum patriarcharum, quorum fide & longanimitate deus delectatus, eosdem à multis & grauibus semper tentationibus eripuerit, strenue domino militantes, & legibus parentes diuinis, ab omnibus hostibus semper magnifice liberauerit. Eorum exempla aspicientes consolentur, & similia agere non cunctentur: pro qua ipsorum magnanimitate accepturi sint mercedem æternam, quam promisit fidelibus hæreditatem patrum suorũ in cœlestibus. Et insuper fidei & bene gestorum & obedientiæ diuinæ gloriam assequentur etiam in hac terra inter homines pios, quibus tantum placuisse abunde pulchrum sit & plausibile, non impijs. Zelus religionis uetæ.

31 Abraham nónne in tentatione inuẽtus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam?

In specie incipit prædicare patrum magnalia ad dei gloriam, quibus filij quoq; sui pro omni uirili sua assimilari uelint. Vt in primis fidem Abrahæ æmulentur, qui credere dei uerbo potuit, iuxta humanam rationem impossibilia pronuntienti, qui in difficillimis rebus malebat obedire deo, quàm frui rebus quantumuis amantissimis in hoc mundo, proprio filio & unico non parcendo, quinq; regibus resistendo, & in medio nationis praue, tanto tempore cum dei gratia conuersando. Vnde discãt & sui filij fidem in deum, fortitudinem in hostes, & uictoriam impiorum per dei assistentiam, si illi credatur toto corde. Vt iustificentur ea fide ad dominũ, sicut Abraham domino credens iustificatus est, non ex ratione operis, sed gratia dei, qui fidem illi reputauit pro iustitia. Abrahæ exemplum.

32 Ioseph in tẽpore angustiæ suæ custodiuit mandatũ, & factus est dominus Aegypti.

Aliud exemplum proponit, obmissis multis, de Ioseph, qui in multis angustijs sicut & pater Iacob, semper domino per omnia confidens, in innocentia sua saluatus est, de manu fratrum, de crimine adulterij, de odio & proditione procacis fœminæ, de custodia carceris, non alia

causa quàm quia eius curã habuit dominus, cui toto corde se cõmendauerat semper. Et longanumiter sustinuit aduersa grauissima, semper domino fidens, donec factus est etiam in hoc mundo magnus, ut toti dominaretur Aegypto, & tandem gloria potiretur æterna in cœlestibus. Ideo nunc hortatur ne in angustia nunc præsente desciscant à domino, uel timeant se relinquendos, si domino toto corde adhæserint.

33 Phinees pater noster zelando zelum dei, accepit testamentum sacerdotij æterni.

Phinees exemplum.

Hortatur ne paueant ad exemplum suum, quod ædidit regibus aduersando, quasi perdendi sint & calcandi propterea, ut seguores aggrediantur opus domini. Sed magis patriarchæ sui Phinees, de cuius semine erant omnes filij Matathiæ. Sacerdotali enim familia progentus erat Matathias ut dictum est, ideoq; & zelus Phinees contra Zambri semper posteris proponebatur ad exemplum uirtutis. Sic enim prodest maiores haberi in honore & memoria etiam post fata, ut magnifica uirtutum gesta cogitentur à filijs, ut cupiant sanctis & honoratis patribus filij per quàm simillimos se esse. Honorem præcipuum assecutus est Phinees, pro zelo forti & sancto, quo uindicare ignominam suæ gentis minime cunctabatur, unde & æternum sacerdotij munus, & honorem pro se accepit & posteris. Sic eis nunc quoq; agendum esse, ut nõ parcant uitæ, quin exponant se totos pro lege dei uindicanda, magnanumiter sperando auxilium dei illis minime defuturum, sicut nec defuit Phinees & familiæ suæ in eum usq; diem.

34 Iesus dum impleuit uerbũ, factus est dux in Israel.

Iosue exemplum.

De Iesu filio Naue uel Nun consequenter exemplum inducit, qui domino deo suo obediens, et ad præscriptum uerbi dei omnia agens, omnes Chananæorum regulos fortissimos, numero XXXI. uicit, prostrauit, deleuit, in eadem terra, quam & patribus in hæreditatem diuisit iure diuino, pro quo nunc asserendo simili sint sorte & successu præliaturi, & defensaturi, id quod nunc impij rapere conantur contra ius & fas, & contra domini uoluntatem, qui nunc quoq; uiriliter fide & animo confirmati, similia poterunt domino adiuuante, de cuius beniuolentia dubitandum illis non sit.

35 Caleb dum testificatur, in ecclesia accepit hæreditatem.

Caleb.

Numeri uicesimoquarto de Caleb actis et meritis multa leguntur quomodo in fide uerborũ dei profecit meritis apud deum, gloria ac diuitijs clarissimisq; uictorijs de fortissimis hostibus apud homines suæ ætatis, & per omnia sæcula, ut patet Iosue capite decimoquarto. Pro testimonio enim ueritatis de dei promissis, accepit non solũ uitæ præsentis prorogationem, alijs omnibus per diffidentiam mortuis, sed & hæreditatem præclaram in montanis Iudææ, spolia augusta & opima, ut insignem sui nominis gloriam & honorem transtulerit ad suos posteros, unde nondum nunc quoq; abbreuiata sit manus domini, ut simili claritate honorare uos quoq; non possit, si fortiter domino adhæseritis, & egeritis magnifice.

36 Dauid in sua misericordia, consecutus est sedem regni in sæcula.

Dauidis exemplum.

Quid Dauid egerit contra impium Saulem, quoties gratia dei & merito innocentiæ quam exhibuit, domino deo suo credens, contra spem in spem, liberatus fuerit de manu eius, & præsentissimo mortis periculo, non est ut multa dicantur uobis, plenus hæc omnia nostis. Gratium similem à domino assequeminu filij, si æque fideliter egeritis, si electum dei populum summa fide propugnaueritis, & gloriam dei promouere tota uirtute studueritis. Misericordiam Dauidis intelligit probitatem & fidem, cum beneficentia, cui respondet dictio חסד. Propter quam assecutus est totius mundi Israelitici regnum, quam non sine multis & arduis tentationibus, quas dei dono deuicit.

37 Helias dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum.

Helię exemplum.

Non uos terreat zelus meus contra hunc regem, zelo longe maiore zelatus est legem domini dei nostri Helias propheta, regibus se opponens, sed gratia dei protectus, & promotus ad magnam miraculorum gloriam, do nec tandem in cœlum subleuatus igneo curru, non contemparuit amplius, translatus sine dubio in sæculum animarum sanctarum. Sic dei gloriam quæ est lex ipsa dei, zelare studeatis, ut deum potius formidetis quàm homines, cœlestem regem omnium moderatorem magis quàm cinerem & sanguinem, cinerem & puluerem illum Antiochum. Zelus hic ex fide proficiscatur, non ex odio uel fastu, pro gloria dei non propria. Hunc ego arripiens dei auxilio multa potui, poteritis & uos longe maiora, si boni zelatores fueritis, & hæreditatis domini amatores.

38 Ananias & Azarias & Misael credentes, liberati sunt de flamma.

Quid horribilius cogitari poterat furore Nabuchodonosor, et succensi fornacis tam immenso igne: in quem tamen conjecti socij Danielis, fide firmissima constantes, à domino sunt erepti salui & incolumes, quo & miraculo uicta est superbia & perfidia tanti regis, ut ex persecutore gloriæ diuinæ, statim euaserit in promulgatorem omnipotentiæ dei, ut prohiberet edicto longe dissimili priori, ne quis nomen domini blasphemaret. Sic uincentis & hunc regem, si dominus propitius fuerit.

39 Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum.

Simplicitas quæ sanctos liberat à malis, est obedientia deuota, qua contra spem in spem domino confidunt, & sine meritorum iactantia sese gratiæ diuinæ committunt totos, ut quicquid de ipsis domino agendum complacuerit, id resignati amplectantur. Sic Daniel conjectus est in lacum leonum, ubi à domino custoditus est, cui se totum deuouerat, plena fide credens se posse defendi, si domino placeret, uel iuxta dei beneplacitum uitam finire. Sic uobis omnis uestra cura iactanda est in dominum, qui uos & uestros fratres defendere poterit, si uelit, à tyrannis: qui si id nolit, alio medio uos glorificare decreuit, si in sanctificationem sui nominis promouendam de ad fideles defensandum propensi fueritis.

Et

Sperare in dominum.

Et ita cogitate per generationem & generationẽ, quia omnes qui sperant in eum non infirmantur.

Ad propositum trahit iam enumerata exemplа, quæ ideo in sacris literis memoriæ prodita sint, ut fideles discant sperare de domino in bonitate, & frequenter ruminare per gesta omnia patriarcharũ, ut nemo unquam à domino fuerit desertus, qui in ipsum toto animo sperauerit. Sic fidelibus huiusmodi frequenter exempla sanctorum cogitanda sunt, non ut illos inuocemus pro auxilio, aut ut intercessores constituamus apud deum, quod neminem unquã sanctorũ fecisse legimus in sacris: quanquidem longe nobis clementior est & benignior pater noster in cœlis & præsentior, in quo spiramus & uiuimus, qui intra nos est, & nouit quid cogitemus, q̃ omnes sancti pariter possint, etiam si uelint. Verum exẽpla nobis in quibusdam eorũ gestis esse possunt, & id quoq; non omnino in omnibus, cum eorum nemo sine omnibus peccatis uixerit. Id unum saltem ex omnibus his prædicti nunc filijs Matathias proponitur, ut discant toto corde sperare in dñm, & in obseruantia mandatorũ dei strenuè permanere, contra omnia huius mundi molimina.

41 Et à uerbis uiri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius sterc⁹ & uermis est. Hodie exaltabitur, & cras nõ inuenietur, quia conuersus est in terrã suã, & cogitatio eius periit.

Vir peccator Antiochus.

Virum peccatorem nominat, non tantũ Antiochum, sed omnes fidei negatores, & infidelium adiutores, qui nunquam non persequũtur iustum, uerum & sanctum, sed non assequuntur quod uolunt. Vnde enim impietatem promouere studeant, inde subruitur, & econtra. Tyrannum hunc terribilem nunc, & crudelissima machinantem & iactantem magnifica, ab omnibus honoratũ, statim uidebitis stercus futurum & uermes, ut infra legitur lib. 2. cap. 9. Sic alijs quoq; omnibus impietatis sectatoribus & negatoribus ueritatis diuinæ cõtinget, ut confundantur & pereant. Hodie enim, hoc est, in præsenti & nunc extolluntur, quasi omnia possint quæ uelint, cui omnia debeant obedire, cras uero non amplius comparebunt, subito abrepti in tartara. Sic hic Antiochus desperabundus cessabit, si fortiter egeritis, redibit uel in suam terram, uos dimittendo: uel quod ueri simillius est, in sepulchrum illi ante tempus præparatum abibit, cum maxima cõfusione & terrore pœnarum, hic incipientium, & ad omnia sæcula sæculorum perseuerãtium. Perijt enim expectatio, quia non prosequi poterunt malũ quod proposuerunt, domino præoccupante nefandissimum instutum ipsorum, & ante tempus perdente.

42 Vos ergo filij confortamini & uiriliter agite in lege, quia cum feceritis quæ uobis præcepta sunt in lege à domino deo uestro, in ipsa glorioſi eritis.

Fortiter consistite in cœptis, in propugnatione diuinæ legis uiriliter agite, bona spe fruamini in dominũ, qui ut cœpit iuuare sanctum studium nostrum, & semel cadere uoluit idolorum cultum, & abominandas statuas, is sine dubio subinde iuuabit, ut tota excindãtur, etiamsi id sine periculo uestro & laboribus perfici non possit, fiet tamen si præcepta domini dei uestri obseruaueritis diligenter, & zelum legis non obmiseritis, in gloriam dei uestri, quam per uos magnificabit, unde & uos glorioſi eritis, quia dei gloriam toto pectore zelabitis.

43 Et ecce Simon frater uester scio quod uir consilij est. Ipsum audite semper, & ipse erit uobis pater.

Iam testamentum ordinat, nõ de diuidendis pacifice hæreditatibus, hæc enim non in primis cogitabat, nec se uult consolari de instanti morte, quam non plangit nec formidat, alioqui tam audenti animo tam periculosa prælia non tentasset. Ante omnia cogitat de promouenda salute gentis suæ, & ut gratiam fortitudinis, animæ & corporis collatam à domino filijs nõ segniter administrent, sed pro gloria dei, pro ueritatis defensione, pro opprimenda falsitate & gentilitate in terra sua totis conentur nisibus, mutuum sese adiuuando quisq; secundum acceptam à deo gratiam sine æmulatione uel inuidia, sine ætatis uel honoris quocunq; respectu. Vnde & Simonem secundo gentium nunc ordinat omnibus cæteris consultorem, quanquam ut ex sequentibus patet, fuerit fortissimus, & plurimum fortunatus, qui & octo annis postea Iudaicis rebus præfuit, hunc noluit primum & maxime periclitari, qui pollebat consilio & circumspectione in agendis. Hunc dicit esse uirum consilij, quem & audire iubentur & reuereri, tanquã natu maiorem, quãquam senior omnibus esset Ioannes cognomento Gaddis, qui quare non præpositus cæteris fuerit, non est scrupulosius inquirendum. In rerum enim difficultatibus ratio habenda est, non hominum, sed officiorum & operum. Nihil hic de honoribus cogitatur, sed de ordiẽdo bello contra impios, & eos periculosissimos hostes.

44 Et Iudas Machabæus fortis uiribus à iuuentute sua sit uobis princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.

Spiritu pietatis & fidei plenus, iam moriturus ordinat principem futuri exercitus tertio genitum, Iudã Machabæũ, pro insigni fortitudine & alacritate animi contra hostes fidelium, qui & à iuuentute ad hoc exercitauerat uires, & arma tractare didicerat, huic committit principatum in bellis tractandis, cui alij obsequantur, et auxilio sint pariter & consilio, ut tutius omnia gererentur, & nulla fides desideraretur in ducibus, cum omnia administrarentur à fratribus, ut nihil uictorijs conducit magis, q̃ prudens consilium, fidum silentium, consensus animorum, probitas morum, & fides in exercitum. Hæc omnia hic ordinantur à patre, quo felicior sit belli casus & alea, quæ hic in primis postulatur à domino, & speratur, non tamen obmittũtur interim opportuna media, sine quibus congredi cum hoste nemo debet. Ipse iubetur iam agere bellum populi, hoc est populum fidelem propugnare fideliter, & non tam pro propria gloria, quàm pro salute gentis & patriæ solicitum esse.

45 Et adducetis ad uos omnes factores legis, & uindicate uindictam populi uestri. Retribuite retributionem gentibus, & in-

tendite in præceptum legis.

Eligendi in exercitū sacrum.

Docet ut exercitus militum deligatur contra hostes fidei, non ex alijs quàm ex legis factoribus, qui scilicet fide in deum polleant, cuius gloriā uelint promotam ante omnia, qui nunquam fuerint suspecti de gentilitatis fauore, qui à fide non desciuerint, qui alienigenas non habeant uxores ex gentibus, qui non consenserunt in idololatriam, & zelū legis semper ostenderint. Hic enim non de auro decertandum erat aut dominio, sed de obseruantia uerbi dei & legis Mosaicæ: ideo nemo tuto poterat uel debebat admitti, nisi de cuius fide constaret certius, ne quæ intercederet proditio, ut fieri solet in exercitu ubi dispar conditio est uotorum, maxime autem in causa fidei, quæ arctius stringit. Quanquam enim pro causa fidei non sit decertandum, nisi sacris literis, non bombardis, omnium humanarum adinuentionum funestissimis. Si tamen ab hostibus fidei fideles impetantur, eatenus, ut congressus armorum uitari non possit, cauendum tunc erit maxime, ne intra exercitum fidelium admittātur hostes fidei, fautores hostium, uerbi dei contemptores, criminibus quibuscunq; publicis aspersi, omnis disciplinæ osores, qui mallent uinci ab infidelibus, ut in uitijs liberius uiuere liceret, qui de deo & religione nihil soliciti sunt, qui odiunt pietatem, & eos qui pietatem docent atq; defendunt. Hi si pie intendentium exercitui miscebuntur, proditiones molientur, fugam inchoabunt, non feruenter pro fidelibus uel cum eis pugnabunt, beneuolos absterrebunt, ubi fuerint conserendæ manus, inuadēt libētius si quem pium & fidelem offenderint. Satius est ergo paucos esse & tutos, fideles, synceros, consentaneos, beneuolos & pios, q̄ discordes & impios multos. Sed hæc exercitium probat, non sunt literis docenda. Docuit hæc nos proprium periculum, quia hunc locum attendere non curauimus, ubi sapientissimus Matathias docet pro lege decertaturos, alios non allegari uel conscribi, q̄ eos quos legis factores nossent, zelantes pro uerbo domini, pro loco sancto, pro dei cultu, pro fide catholica, pro innocentia uitæ secundum legem plantanda. Hoc uult ostendere, cum dicit factores legis, non eos qui gentilibus fauebant magis, in exercitum conscribendos & proditores futuros ueræ pietatis, & cultus diuini secundum legem. Ii enim dei populum maluissent deuictum, atq; deletum cum templo & sacerdotio sacro. Cupit uindicari perfidiam & sacrilegium, commissa in sacris, in templo spoliato, in cultu dei iam aliquot mensibus deleto, & dei gloriam prorsus blasphematam, quæ tanta mala non potuit nec debuit uir sanctus non uelle iustissime uindicari de impijs, quod ipso defuncto statim contigit. Verum dum essent tam duriter uindictam sumpturi de impijs, maxime eis curandam docet, ne sint ipsi quoque impij, sed ut summopere intendant ad legis diuinæ præcepta implenda, ne alios damnantes impietatis admissæ, ipsi impij deprehendantur in leges dei.

46 Et benedixit eos, et apposit⁹ est ad patres suos. Et defunctus est anno cētesimo quadragesimo sexto, & sepult⁹ est à filijs suis in sepulchris patrū suorū in Modin, & planxerunt eum omnes Israel planctu magno.

Moriturus iam in dei gratia, & filios desserturus, patriarcharum more filios benedicit, gratiam & pacē imprecatur, ut in lege domini permanēāt, & à domino pacem contra impios hostes assequantur, uictoriasq; in multis tentationibus, quas illis ex temporū malignitate, hoc est impiorum principum malitia impēdere uidebat, pro quibus euadendis aduersis, dominum precabatur, cui illos fideliter commendabat. Sicq; pie in domino moriens, appositus est ad patres suos, consortium beatarum animarum assequutus est, in sinum patriarcharum sanctorum repositus. Secundum corpus uero honore debito sepultus est in sepulchris maiorum, pro cuius salute non leguntur sacrificia oblata, nec preces publicæ pro ipsius anima, quæ sancta antiquitas fidelium ignorauit, alias tia noua excogitauit. Annus mortis adnotatus est, ut sciatur anno secundo mortuus, quo cœperat impietatē persequi, quæ sese erexerat contra dominum, quando omnia sacra fuerant ab impijs conculcata, & malitia obtinuerat principatum, non tamen diutius duratura.

CAPVT III.

1 ET surrexit Iudas qui uocabatur Machabæus filius eius pro eo, & adiuuabāt eum omnes fratres eius, & uniuersi qui se coniunxerant patri eius, & præliabantur prælium Israel cum lætitia.

Machabæus

Surgere Hebræis est præparari & accingi ad opus instītutum, quod hic est reprimere hostes fidelium, protegere imbecilles, liberare oppressos, defendere leges & iura, iniurias propulsare & uindicare. Ad hæc iam Iudas Machabæus patri obsecuturus accingitur, conceptum pro tot malis gentis suæ dolorem ferre non ualens. Id certe quod propius nominis sui interpretationem sonat, ut dicatur, q̄ ut bellator dicatur, quanquam utמכאבאי trunq; egerit fortiter & syncere. In locum autem patris succedens, uindex & propugnator suæ gentis, parauit se contra uiolentos, quos uerisimiliter præuidebat affuturos, cui alacriter & prompte se iunxerunt omnes fratres sui, demortui parentis testamentum & commissionem prosecuturi, quod & fortiter ac feliciter perfecerunt, unde & concordibus & animosis filijs sancti parentis sociauerunt se omnes, qui iam ante patrem adiuuerant, bona fide & uirili animo, & quoad uixerunt filij, pariter prælia domini pro gente Israelitica, & pro dei gloria uindicanda, cū lætitia & alacriter præliarunt. iustissimam enim nouerant belli causam, deoq; acceptā, & fidelibus defensandis necessariam, in quo si uincerēt, tranquillitatis fructum assequerentur, pro se & posteris cum insigni gloria uirtutis. Si uero uincerentur in opere sancto, pro dei charitate & honore suscepto, non dubitarent brauiū supernæ & æternæ felicitatis se assequuturos, quo fierent in omnibus periculis alaciores et animo fortiores. Non sic qui pro prædis rapiendis, & auro corradendo, non coacti necessitate amicorum bella suscipiunt, qui uenales animas & uitam circumferūt, & corpora implendis foueis pro argento uendunt, non

non homines, sed beluis crudeliores.

2 Et dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in prælijs, & protegebat castra gladio suo.

Laudem Machabæi

Laudem author prosequitur dignam constantissimi Machabæi, qui pro dei gloria, & redẽptione gentis nullas ægre tulit bellorum difficultates & pericula, populo Iudaico in ima contumeliarum & seruitutum proiecto magnanimiter insignem per omnia sæcula gloriam restituit: fortitudinis loricam & fidei indutus, sese propugnatorem fortissimum exhibuit gentis suæ, ut gigas celeberrimus. Corporis fortitudinem, dei donum, in dei gloriam & fratrum salutem impendit laudabiliter. Addit, naturæ & dei donis, artis & humanæ prouidentiæ arma bellica gloriosa, & hostibus terribilia, pro amicis depugnaturus impijssimos hostes, ad fortiter prælia sustinenda, & euincendas hostium atrocitates. Vnus ipse omnium fortissimus & sapientissimus, gentis suæ castra protexit & defensauit, insigni circumspectione & fidelitate sua, ut leo fortissimus insistens contra beluas cæteras, ad gloriæ dei et populi defensionem ac magnificentiam, ut quæ pater multa laude inchoauit pietatis prælia, iste maiori cum honore adaugeret, & continuandam fratribus post se relinqueret.

3 Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiẽs in uenatione.

Leonis fortitudo.

Leonem pingunt quidam in arma Iudæ Machabæi, quod fieri potuit, & semper usui fuit gentibus & Israelitis, ut signis uterentur. Hic leonis fortitudini comparatur audacia Machabæi, ad nullius occursum terrendi hostis, fortitudinem & seueritatem exercentis in hostes, clementiã in prostratos ac supplices. Additur catulorum rugitus & alacritas, si quando hostibus persequendis instandum erat insatigabilis pernicitas, & in hostium prædis colligendis liberalitas, qui populum domini persequi semper cupiebant, non tantum corpora occidendo, sed etiam animas perfidia idololatriæ contaminando. Nec nouum est in utramuis partem animalium uires comparari hominibus ad laudem & uituperium, quando et leo diabolus dicitur, & leoni de tribu Iuda Christus assimilatur. Et patriarcha dicebat: Catulus leonis Iuda ad prædam fili me ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leena, quis suscitabit eum? Leo est igitur Iudas contra impios & pro pijs.

4 Et persecut⁹ est iniquos perscrutãs eos, & qui conturbabant populũ suum omnes succendit flammis, & repulsi sunt inimici eius præ timore eius. Et omnes operarij iniquitatis conturbati sunt, & directa est salus in manu eius.

Non solum impios ubiq; Iudæos & desertores legis, proditoresq; patriæ perquisiuit et tractauit pro meritis, sed etiam gentilitũ atrociores hostes, & immaniores perscrutabatur ubi poterat, eorumq; tam corpora q̃ domos & possessiones, igne uastauit, ut quietem obtineret sanctis, & populo dei, quibus tam fortiter gestis absterrebantur inimici, ne sibi omnia tentare putarent integrum esse, sed repulsionis timore reprimerentur. Omnes quoq; perfidi defectores, qui ad gratiam gentium legem abnegauerãt, desperantes de dei auxilio, quem & negare ausi fuerant, qui hic operarij iniquitatis dicuntur, hi conturbabantur ex successu Iudaico. Consolati sunt autem fideles, & animis resumptis, adauctisq; uiribus, salus totius gentis directa est & promota feliciter in manu Iudæ Machabæi dum uiueret & continuata per fratres.

5 Et exacerbabat reges multos, & lætificabat Iacob in operibus suis, & in sæculũ memoria eius in benedictione.

Iam ira percitos, & indigne inuadentes principes exercituum & reges uel eorum populos, victorijs magnificis magis infensos reddidit animos & exacerbauit, sed repressit simul quoq; illorum furores, & conculcauit uires, prostrauit exercitus, spolijs exuit, unde & lætificatus est dei populus ex gratia quam experiebatur in inclytis Machabæi victorijs, unde & memoriã beneficiorum & glorioſorum operum disseminarũt in omne sæculum & regnum, ut omnes passim tyrãnorum osores, & crudelitatis hostes, benedicerent nomen istorum heroum, qui populum domini & pro fide uera oppressum, feliciter liberassent. Cuius in hodiernum diem magnifica narrantur gesta, fratrumq; suorum & patris.

6 Et perambulabat ciuitates Iuda, & perdidit impios ex eis, & auertit irã ab Israel.

Ex Israelitarum perfidia, & defectione à lege domini, tot miraculis à mundi exordio confirmata, negationeq; uirtutis & bonitatis diuinæ, quomodo non uehementer dominus irasceretur suæ genti, & grauibus huiusmodi tumultibus digne opprimeret & puniret? qui in dominum fidentes, non tam facile descisscere debuerant, sed inseruerat sacerdotum luxus & fastus perfidiam discordiamq; ingentem, ut regnum in se diuisum subsistere non ualeret, ut sic per domini iustum iudiciũ pariter punirentur. Quã nunc dei iram Iudas zelo suo & suorum mitigasse dicitur, & auertisse ab Israel, perambulando ut alter Iosias, & perquirendo puniendos eos qui à lege dei discesserãt, & aliis occasio fuerant desperandi. Hos passim inuentos tractauit digne, & perdidit tanquam homines contagioſos, quibus uiuentibus, nihil posset à pijs tutò tentari & perfici. Patet iam nõ paruo successu res Iudæorum restitutas, quando iam Iudææ urbes & totam prouinciam ferè pertransire potuit, & pro uoluntate sancta disponere. Facile gentes ferebant impios Iudæos à Iuda puniri, & dissensiones gentis totius, quam totam uoluissent perditam, prout poterant in discordia fouebant. Interim tamen piorum sors & libertas augebatur, ut tandem fortior resisteret, occisis perfidis, & numero secundum tempus adaucto iustorum.

7 Et nominatus est usq; ad nouissimũ terræ, & congregauit pereuntes.

Virtutum opera ubiq; inueniũt laudatores suos, sed apud uirtuoſos, quorũ laus est alicuius pretij & æstimationis, quando non est speciosa laus in ore impiorum, à quibus præstat uituperari quàm celebrari: quanquam et

confundat non raro uirtus etiam malos homines, ut non laudare bonum mali non possint. Victoriarum autem huius Iudæ fama contra tam potentem regem non poterat non late diffundi in exteras quoq; nationes, pro odio uel fauore quibus obnoxij sunt reges magni. Nouissimum terræ, uulgari modo locutionis accipiendum est, hoc est, longe lateq; fama huius uiri celebrata est, id certe quod sic domino placuit, ad gloriæ suæ amplitudinem. Ipse autem Iudas non quid diceretur de eo, sed quid ageret dignum bono uiro curabat. Congregauitq; passim Iudæos dispersos, hoc est attraxit fama suarum uictoriarum, bonos & cordatos ubiq; Iudæos, ut cõcurrerent ad Machabæos illorum uictorias adiuturi, & gentis suæ collapsum statum denuo erecturi, audientes adesse illis dei fauorem & auxilium.

8 Et congregauit Apollonius gentes, & à Samaria uirtutem multam & magnam ad bellandum contra Israel.

Is Apollonius dux erat Samariæ, & hostis Iudæorum, pro more suæ gentis, qui ut refert Iosephus, dum Iudæos uiderent calamitatibus pressos, negabant se esse eorum cognatos, ueritatem confitentes. Cum uero uiderẽt clarum aliquid Iudæis offerri, tunc se socios Iudaico generi fatebantur, originem suam à nepotibus Ioseph, Ephraim & Manasse recensentes. Hos ergo Samaritas tunc colligens ipsorum dux Apollonius, magnum contraxit exercitum, pugnaturus contra exercitum Iuda, qui nunc dicitur Israel propter fidem, quia factis & fide sese legitimos Israelitas ostendebant. Virtutem autem nominat gentilium milites, quia sese inuincibiles æstimabant, & ipsissimam uirtutem, cum omnis fortitudo à domino sit, & uirtus uincendi à solo sit domino, non ab humano brachio, iactataq; uirtute.

9 Et cognouit Iudas, & exijt obuiã illi, & percussit, & occidit illum, & ceciderũt uulnerati multi, & reliqui fugerunt, & accepit spolia eorum:

Non defuerunt Iudæ sui quoq; fautores in terra, à quibus tempestiue admonitus est, de collecto Apollonij exercitu aduentante, cui & magnanimiter & forti animo obuiam fit, non sua sed domini uirtute confisus, nihil tamen obmittens eorum quæ ad promouendum uictoriam pertinebant, non minus tunc quàm in posterioribus bellis, præmittendo orationem ad dominum, exhortando milites ad fiduciam in dominum, & constantiam contra impios, de iustissima causa sua, contra idololatras iniquissimos, ordinando consentaneos commilitones, & disciplina militari legitime instruendo. Vnde & contigit ordinante domino, quem blasphemauerant, ut nullo negotio, hoc est feliciter faciléq; percuteret, non tantum exercitum, sed etiam ducem Apollonium, quem occidit Iudas Machabæus, quo cadente, qui effugere poterant fugerunt, quorũ omnium spolia abstulit, cum gratiarum actione, domino sine dubio digne delata.

10 & gladium Apollonij abstulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.

Inter occisos Samaritas ducem Iudas Apollonium exuit, quem interemerat, gladiumq; illius singulare & magnificum Iudas abstulit, quo & postea usus est donec uixit. Videtur enim sub tyrannide constitutis Iudæis, inhibitum fuisse, sicut & Saulis temporibus, & omnino curatum, ne arma Iudæis permitterentur ferrea, & ad uictorias apta, ut rusticanis tantum armis uti cogerentur, quo tanto glorioſior dei inter suos inclarescere tur tus & gratia, qui sine armis tot millia Assyriorum & aliorum sæpe prostrauit una manu sua. Placet autem hoc loco allegoria Rabani, qui gladium Apollonij facit sermonem legis & prophetarum, quem doctores sanctæ ecclesiæ tenent in manibus semper, quo pugnant contra omnes errores gentium & hæreticorũ, omnibusq; diebus huius sæculi gloriosam ueritatis & dogmatum partiuictoriam. His ergo armis fidelibus non alijs pugnandũ, cæteris paribus, quod nonnunquam etiam sacerdotibus pugnare necesse fuit, ut erant omnes ij sancti & gloriosi Machabæi de stirpe Aaron sacerdotes. Quando autem id fieri liceat, non datur regula generalis, sed docebit unctio.

11 Et audiuit Seron princeps exercitus Syriæ quod congregauit Iudas congregationem fidelium & ecclesiam secum, & ait: Faciam mihi nomẽ & glorificabor in regno, & debellabo Iudam & eos qui cum ipso sunt, qui spernebant uerbum regis.

Seron hic nominatus dux erat inferioris Syriæ, sicut fuerat Apollonius Syriæ superioris uel montanæ, ubi erat Samaria, iam occisus. Quod audiens Seron, Iudam Machabæum accinctum contra regis uoluntatem & ducem Samariæ occidisse, nihil aliud quàm uictoriæ cogitat, & ante bellum epicinium canit, gloriamq; magnam sibi seruatam somniat, non multum iratus de socij occasu, inter quos non raro simultas intercedit, sperat se eleuandum celebri uictoria, super omnes totius Syriæ duces & regiones, quia Iudam debellare posset, qui tanti regis edictum spreuisset. Huiusmodi prima oboritur gloriæ cogitatio, sine deo bellaturis, & certissime opprimendis, cum humilitas, oratio, dei imploratio, libertatis & salutis cogitatio, primas teneat in ducibus fidelium exercituum, & quædam quasi desperatio de proprijs uiribus, fiducia autem in deum, non interim obmisso quicquid humana prudentia & uirtus possit adhibere.

12 Et præparauit se, & ascenderũt cum eo castra impiorum fortes auxiliarij, ut facerent uindictam in filios Israel.

Scopus gentilis exercitus erat & finis, uindicare se de Israelitarum uictoria, de inobedientia exhibita regi: nihil de iustitia interim uenichat in mentem, tantum se præparabant armis carnalibus, uirtutem exercitus ponentes in multitudine improborum, quos sibi auxiliatores asciuerant, cum quibus congregationem fidelium, et ecclesiam dei uiuentis opprimere cogitabant. Fortes quidem erant, & plures, inter quos quoq; erãt perfidi non pauci Iudæi qui regi consenserant, quorum possibile est quosdam metu magis adactos ad ritum gentilium, & nunc ad belligerandum cum Israel, quàm sua sponte & cum prompta

prompta alacritate, unde & facilius uinci quoq; tunc potuit Syrorum exercitus, domino etiam malum ordinante ad bonũ, & salutem ex inimicis propagante dum cœperit misereri suis.

13 Et appropinquauerunt usq; Bethoron, & exiuit Iudas obuiam illis cum paucis.

Bethoron uicinor.

Bethoron hic dictam Iosephus suo more nominat Bethoram, uicum Iudææ, qui uidetur aliâs dictus Bethoron inferior, situs in longitudine 65. graduum & 54. minutorum, & latitudine trigintaduorũ ad decliuem collem, descendendo à Ghibhon ad Antipatridam in descensu Siloh, cõmunis limes tribuum Ephraim & Beniamin. Cuius nunc regio Iudæa quoq; nominatur, ablatis tunc limitum & uocabulorum discriminibus, cum sint & aliæ Bethoron urbes & uici in alijs tribubus. Iudas de domini fortitudine confidens, & de angelorum legionibus, & in causæ suæ iustitiam, cum paucis obuiam exit magno exercitui sese oppositurus. Iam fines Iudææ gentes accesserant, ut dissimulandum Iudæ diutius non fuerit, sed deterrere hostem cogebatur, tantoq; erat alacrior, obuiam factus cum paucis.

14 Vt autem uiderũt exercitum uenientem sibi obuiam, dixerũt Iudæ: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem hanc tantam & tam fortem, & nos fatigati sumus ieiunio hodie?

Non dissimulat caro fragilitatis suæ conscientiã, & spiritu nunquã non obmittitur perturbata. Vident gentium improbarum multitudinem, & tam fortem, quam sine dei auxilio non possint uincere. Ideo nonnihil cunctantur & timent sibi de parua potentia sua, quã agnoscunt, & in qua dominus uincere uoluit, ne non suũ hoc opus putaretur, si maximum contra multos tenuissent exercitum. Accesserat ieiunium, quo uel per orationem uel egestate compulsi, minus ad bellum alacres esse poterant: uel propter iter, quo eo die obuiam euntes fuerant fatigati. Quæ tamen diuina prouidentia sic agebantur, ut & ducis Machabæi uirtus, & dei gloria magis clareret, & tanto maiori circumspectione negotium ageretur. Bonis enim omnia cooperãtur in bonum, nec folium ab arbore cadit sine uoluntate domini, multo minus fidelium uictoria uel occasus.

15 Et ait Iudas: Facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu dei cœli liberare in multis & in paucis, quoniam non in multitudine exercitus uictoria belli, sed de cœlo fortitudo est.

Angelorum legiones.

Facile quidẽ est non hominis uirtuti, sed diuinæ, quæ unico nutu omnia disponit, & prosternit uerbo uirtutis, ut Christus in horto, & angelus in exercitu Sennacherib, Abraham quoq; cum paucis multorum regum exercitus. Talia tunc filijs sanctorum cogitanda erant, talibus cogitationibus Machabæus in spem erigebatur, tertio iam uincendos Allophilos & improbos idololatras, cum desertoribus Iudæis, qui perniciosiores hostes instabant fidelibus, sed in suum damnum, in gloriam dei, in consolationem fidelium. Non est differentia in dei actibus, propter causarum secundarum differentias: quandoquidem etiam secundarum causarum actio pendet ex uoto & uirtute primæ causæ, cui nihil secunda uirtutis uel auxilij administrat. E cœlis omnis donatur uel negatur uictoria, omnis fortitudo desuper est, unde & moderatur alea fortunaq; bellorum.

16 Ipsi ueniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia, ut disperdant nos, & uxores nostras, & filios nostros, ut spoliẽt nos. Nos uero pugnabimꝰ pro animabus nostris & legibus nostris, & ipse dominus conteret eos ante faciem nostram. Vos autem ne timueritis eos.

Additur consolationi ratio. Semper domino deo nostro displicuit superbia, contumacia & præsumptio, quibus illi tantum fortes sunt, nostram ridentes paucitatem, & domini dei nostri omnipotentiam blasphemantes, finem illi sibi præstituunt crudelitatem, sine nostra culpa uera nos aggredientes: nos pro legibus domini dei nostri necessitate compulsi adsumus pugnaturi, pro nostris uxoribus, filijs, & patria, pro sanctificatione dei nostri. Eodem nunc titulo freti, quo semper tunc utebantur patres nostri, quando uictoria sunt è cœlo donati, nihil prorsus timeamus, sed in conspectu domini dei nostri intrepidi agamus, dominum auxiliatorem habituri, ut conterendi sint iam nunc sub pedibus nostris. Valde semper curandum, qua causa bellum adsumatur, & qualis militantibus finis præstruatur, ne quicquam aliud intendatur q̃ dei gloria, non nostra, non prædæ, non contemptus hostium, non crudelitatis uotum, non conscientia perfidiæ, quin cæteris paribus semper uelle debemus pacẽ et mansuetudinem, qua longe uinceremus præclarius quàm congressu hostili, unde & lege docemur pacem offerre militaturi: quæ si conditionibus æquis detur, iam uicimus, sin minus tentandum cum dei inuocatione erit, quod uitare non possumus.

17 Vt cessauit autem loqui insiluit in eos subito. Et cõtritus est Seron & exercitus eius in cõspectu ipsius, & persecutus est eum in descensu Bethoron usq; in campum, & ceciderunt ex eis octingenti uiri, reliqui autẽ fugerunt in terram Philisthiim.

Non impræmeditate agit, sed iam quid acturus esset præcogitatũ instituerat, & quæ dicenda erant præmiserat: nunc autem festinato aggreditur, quod instabat necessario conficiendum, quod sæpe paratis nocuit tardasse uel breuiter. Subito insilijt cum suis fratribus & militibus in eos, qui pro paucitate eorum nihil ausuros timebant, & sese pro nimia multitudine tutiores confidebãt, simplici sed aptißimo stratagemate, quo solo tunc uti potuisse uidentur. Vnde & subito dum nihil putasset minus, contritus est manu domini, per fidelium istorum paruum exercitũ, Seron ille dux magni exercitus, & in fugam abactus, pro maxima sua parte, salutem pedibus perquirendo. Vnde & iam fugitiuos Syros Machabæus fortiter est illos insecutus, ut per descensum, qui est circa il-

lam Bethoron urbem de monte coactos decurrere per-
sequeretur hostes, donec peruenirentur in campum, occi-
sis in ea strage octingentis uiris de Syria, reliquis in Pa-
læstinam aufugentibus. In exemplaribus Iosephi legun-
tur cæsa octo millia. Nescio quæ uerior lectio, nisi quod
frequens est ualde, in numerorum assignatione non tan-
tum codices mutatos, negligentia antiquariorum, sed et
ab historicis, ut fieri solet differenter ab initio conscri-
ptos. Siue autem proxima Bethoron Philistææ fuerit, si-
ue remotior, rationabile est Philisthæos perpetuos ho-
stes Israelis multos adfuisse, maritima habitantes, & fa-
cile in exercitum contrahendos.

18 Et cecidit timor Iudæ ac fratrum eius, &
formido super omnes gentes in circumitu
eorũ, & peruenit ad regem nomen eius, &
de prælijs Iudæ narrabant omnes gentes.

Iam Matathias primus triumphauerat de exercitu
infidelium, & nunc Iudas secundo, ut nõ potuerint non
multum obstupescere gentiles, domini dei gratiam ad
suos denuo cogitantes, & inopinatas uictorias pauco-
rum fidelium, contra tam populosos exercitus, & tam
bellicosos duces. Iudæ, inquit, & fratrum ipsius terror
cecidit super omnes in circuitu Iudææ populos, quin &
rex Antiochus coactus est audire suorum strages à Iu-
dæis, quos statuerat ad unum omnes eradicandos, &
Hierosolymam diruendam, omnia in despectum domini
dei exercituum, cuius nũc uirtutem sentit infelix, suisq;
occisis ducibus, Israelitarum ducem Machabæum audire
cogitur eximijs passim laudibus diffamari, ut illi rũpan-
tur ilia superbissimo tyranno, qui nunc tertio fuerat ue-
hementer confusus.

19 Vt audiuit autem rex Antiochus sermo
nes istos, iratus est animo, & misit & con-
gregauit exercitum uniuersi regni sui, ca-
stra fortia ualde,

Impij homines ex dei magnalijs, & adhibita pro pec
catis disciplina non emendãtur, sed peiores fiunt, ut men
suram scelerum suorum implentes, tandem destinatum il
lis iustum à deo iudicium uideantur toti mundo meritis-
sime suscepisse, ut nulli prorsus excusationi locus relin-
quatur, sed iustitia dei glorificetur ab omnibus, quam ne
damnati quidem audeant circa se digne factam negare.
Antiochus ille illustris nomine & criminibus, in deum
& suos cultores nunc tertio spretus irascitur, & omnes
nunc uires suas experiri contendit, quasi dominũ deum
exercituum de cœlo debellaturus. Contrahit enim uni-
uersi regni sui quod maximum tunc erat, post Roma-
nos, & castra multa ualde adornat, multaq; proponit et
magnifica, sed confunditur, domino consilium inuerten
te, in cuius uoluntate stat omne uerbum, & cor regũ o-
mnium atq; fortuna.

20 & aperuit ærarium suum, & dedit sti-
pendia exercitui in annum, & mandauit il
lis ut essent parati ad omnia. Et uidit quod
defecit pecunia de thesauris suis, & tributa
regionis modica propter dissensionem &
plagam quam fecit in terra, ut tolleret legi-
tima quæ erant à primis diebus.

Antiochus iste

Intelligitur parum fauoris habuisse Antiochus iste in toto suo regno, ob nimiam ipsius crudelitatem & per fidiam, qui mendacijs & dolis omnia agebat, ubique, in Aegypto, in Perside, in Syria, in Iudæa, cumq; de omnibus se cogitat uindicare, & ulcisci iniurias, ærarium suum aperit, ex rapinis multis ditatum, sed infelicem, ut conueniebat, parum scilicet fortunarum adesse rapto-rum diuitijs, & iniusto titulo congestis. Dedit quidem stipendia militibus, & in annum: quid autem peregerit pro se nihil legitur: sed & non sufficiunt expensæ ærarij, sed deficiunt magis, quod nemo infideli principi fidelis adesset seruus. Dissensio erat in regno, odientibus multis regem, pro studijs impijs illius, alijs pro compendio tantum ipsorum amantibus, uel potius amare fingentibus, unde & tanti regni tributa non sufficiebant eius expensis. Exacerbauerat quoq; non tantum Iudæos, sed & alias urbes & regiones regni sui, quibus æque interdixerat sua sacra, & non contentus imperio corporum & rerum, animarum quoq; cõscientias, & religionum differentias cupiebat ad suum placitum ordinare, ut is deus haberetur & coleretur ab omnibus qui illi uideretur, & paternas gentium leges & ceremonias eliminatur, & re passim cupiebat, ad id quoq; edicta inuisissima promulgabat, quorum præuaricatores mulctis grauissimis punuebat, ut fiscũ augeret, fidem perderet, amorem nullum inueniret, & omnibus tandem odiosus fieret, quia periturus erat. Vix aliud magis populos irritat, quam innouationes legitimorum, & ueterum probatarum consuetudinum, quarum innouandarum hic Antiochus admodum studiosus erat.

21 Et timuit ne nõ haberet, & semel & bis
in sumptus & donaria quæ dederat ante
larga manu, & abundauerat super reges q
ante eum fuerant. Et consternatus est ani
mo ualde, et cogitauit ire in Persidem ut ac
ciperet tributa regionum, & congregaret
argentum multum.

Sacrilegi

Multa rapuerat passim, non parcens diuorum templis, sic ut etiam summi dei templum spoliarit omnibus ornamentis pretiosis, ideo nunc eget, & donarijs non sufficiunt tanti regni sumptus, & quanto auidius rapit, tanto minus abundat. Præstat ergo mediocritas impensis, ut sufficiant tributa in impensis. Ditissimus fuerat ante direpta sacrilegia, postea etiam habitis indiget, & multa quæ habebat minus sufficiebant, quia contra ius & fas nullis spoliandis parcebat. Sic solent iustas diuitias dilapidare, qui eas miscent spolijs & rapinis, maxime ecclesiasticis, uel communibus ærarijs, quæ anathemata ut sunt, sic iniustos eorum tractatores prodere solent, & publicis aspergere ignominijs. Instigatur à fatis ut in Persidem abeat templa spoliaturus, turpissima & horrenda morte citius moriturus. Id enim illius tam dudum crimina exigebant pro pœna, ut exemplum fieret rus impijs tyrannis, nulla fide & ueritate utentibus, omni timore dei posthabito, quorum est pro ratione uoluntas abeat in Persidem superbus, humiliatus autem & fatim

statim per desperationem à domino trucidandus.

22 Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali super negotia regia à flumine Euphraten usq; ad flumen Aegypti, & ut nutriret Antiochum filium suum, donec rediret.

In Antiochia metropoli Syriaci tunc regni, Lysiam abiturus in Persidem dimisit, ad regni sui custodiam, si quid nouarum rerum suscitandum esset in regno, maxime à Iudæis, pro quibus in absentia sua destruendis, & eorum regione populanda, & prorsus extirpanda Iudaico nomine, exercitum conscribi iubet. Deniq; filium suum Antiochum, qui nominatus est postea Eupator, ad hunc infantem nutriendũ commisit Lysiæ, homini admodum nobili, & fideli ipsius regis, quem & Lysiam præfecit toti Syriæ prouinciæ, protensæ à flumine Euphrate, usq; ad mare mediterraneum, & deinde usq; ad Pelusium. Arabiam enim et Persidem cum superioribus ipse tunc accedere deliberauerat, usq; ad Persicum mare utringq; ut uideatur superbiæ suæ causa tantus dominatus ignorantis eum deum & persequentis, qui hæc omnia illi contulerat.

23 Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos, & mandauit ei de omnibus quæ uolebat, & de inhabitantibus Iudæam & Ierusalem, & ut mitteret ad eos exercitum ad conterendam & extirpãdam uirtutem Israel & reliquias Ierusalem, & auferẽdam memoriam eorum de loco, & ut constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorũ, & sorte distribueret terram eorum.

Non sunt hostium contemnendæ uirtutes, nõ prodest semper exercitum diuisisse. Sufficere arbitrabatur dimidium sui exercitus ad domandum Iudæos, & id quidem uere, nisi domini dei sui uirtus adstitisset, & impij regis sacrilegia obstitissent. Quicquid rex uolebat fieri, hoc Lysiæ perficiendũ iubebat, quasi nihil obstare posit uotis tanti regis. Discant hic reges non nimis præsumere, sed timere deum, & ab illo pendere, ipsum semper habere fautorem propitium, sine quo nihil potest quæcunq; creata fortitudo. Ante omnia uult Lysiam rex opprimere Iudam Machabæum cum fratribus, ut habitatores Iudææ & Ierusalem gladio petat, & magno suo exercitu, qui sufficiat ad conterendum omnes Iudæos bello aptos, & quicquid reliquiarum Iudaicarum erat quæ in Hierosolyma inuenirẽdæ essent, prorsus auferret, quasi uel deũ non haberent, uel non omnipotentem, aut saltem minime uolentem succurrere. Somniabat miser idololatra, se posse domini dei Israelis & cultorum eius memoriam et nomen delere posse, & urbem sanctam nouis in totũ accolis habitandam concedere alienigenis, quibus & totam Iudæorum terrã uolebat distribui, tantopere superbiebat, tanti faciebat pietatem, sic dominum reuerebatur. Sic ad summũ malitiæ pertingere debebat, qui mundo & regibus exemplum esse æternum debebat. Quem Daniel sanctus impijssimum & facie impudentem & crudelissimum iam dudum præscripserat.

24 Et rex assumpsit partem exercitus residui, & exiuit ab Antiochia ciuitate regni sui anno centesimo & quadragesimoseptimo, & transfretauit Euphraten flumen, et perambulabat superiores regiones.

Non tantum exercitum Lysiæ permittit, sed & partem utiq; sufficientem ad expugnationem Iudæ, reliquã partem ducit secum in Persidem, illic quoq; coacturus urbes ad tributa pendenda, & ad diripiendum deorum pretiosissima templa, ut Hierosolymis egerat, diuiso exercitu, nihil utrinq; confecturus, sed cum ignominia rediturus, & infelicissime moriturus. Ab Antiochia exiuit, quam sedem regni sui constituerat, & ex suo nomine appellauerat ipse uel pater suus, Antiochus magnus. Exiuit autem anno regni Græcorũ, uel monarchiæ, centesimo & quadragesimoseptimo, anno sequente obitum Mathiæ. Transgressus rex est Euphraten, ut perueniret ad Persidem prouinciam, quæ cum reliquis prouincijs orientalior est & australior Euphrate, propter quod et dicuntur superiores regiones, Susiana scilicet, & Carmania, & Gedrosiorũ tractus. Perambulabat, inquit, quia constituerat perambulare, nisi fuisset repulsus, ut nõ tantum rapinarum abstulerit, quantum cupiuisset, ut fit impijs & auaris.

25 Et elegit Lysias Prolemæum filiũ Dorimeni & Nicanorem & Gorgiam uiros potẽtes ex amicis regis, & misit cũ eis quadraginta millia uirorũ, & septem millia equitum ut uenirent in terram Iuda, & disperderent eam secundum uerbum regis.

Elegit sibi statim Lysias ducem exercitus, obiturum pericula, qui putaretur sufficere rebus gerẽdis in Iudæa, quam perpetuo contemnebãt, non credentes dominum deum illius protectorem & gentis Iudaicæ. Ptolemæum filium Dorijmeni, cui adiunxit Nicanorem, & Gorgiam auxiliatores uiros fortes, quos periculis obijceret interim se tuto. Magnum illis addidit exercitum, quadraginta millia peditum militum, equitum uero septem millia. De elephantis nihil hic dicitur, quos fortassis secum duxit in Persidem, ubi commodius uiuunt. Hos omnes misit in Iudæam contra Machabæum, ut disperderet terram, & caperet urbes, & alienigenis suis habitãdas decerneret, Israelis & Iudæ totas hæreditates.

26 Et processerunt ut irent cum uniuersa uirtute sua, & uenerunt & applicuerunt Ammaum in terra campestri.

Processit exercitus contra Iudæam, magna fiducia uictoriæ, pro sua multitudine & fortitudine, multoq; fastu, ex tanta uirtute sua, non cogitantes quid dominus deus posset, quem non timebant. Applicuerunt autẽ ad Ammaum, nõ explicat flumen ne sit an uicus uel mons. Sed Iosephus Emaus dicit urbem, ex Euangelio notam, quæ postea dicta est Nicopolis, procul à Hierosolyma sexaginta stadijs, uia ab Ioppe iuxta Zieglerum, longitudine sexaginta quinq;, quinquaginta quatuor, & latitudine triginta unum, quinquaginta nouem. Hic uero di

citur sita fuisse in terra campestri, alibi quoque Emaus locus dicitur.

27 Et audierunt mercatores regionum nomen eorum, & acceperunt argentũ & aurum multum ualde & pueros, & uenerũt in castra ut acciperẽt filios Israel in seruos, & additi sunt ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum.

Subindicat certissime sperata ab omnibus impijs circum Iudæam existentibus Iudæorum perniciem, & exterminiũ, qui tam potentissimo regi sese opponere præsumpsissent. Ideo enim uicini populi mercatores, Ammonitæ scilicet, & Moabitæ, Palæstini, Idumæi, & reliqui mercatores onusti pecunijs, & seruis, admiscuerũt se exercitui Lysiæ, ut captis Iudæis, emerent eorum meliores in seruos & ancillas. Simulq; auxerunt regis exercitũ, omnes uicinarũ regionũ incolæ, magno semper odio prosequentes Iudæos, quos nunc in seruos emere sperabant. Prouidentia autem dei id actum est, ut pro impia uoluntate sua in innoxios, digne pariter plecterentur, longe aliter finiendo negotio q̃ præcogitassent.

28 Et uidit Iudas & fratres eius, quia multiplicata sunt mala, & exercitus applicabat ad fines eorum, & cognouerunt uerba regis quæ mandauerat populo facere in interitum & consummationem.

Multiplicata dicuntur fuisse mala, quia grandis inuidia & furor incesserat omnes uicinas nationes, ut ad omne malum conspirarent, pariter sese iuuantes, ad internicium fidelium, ut uia humana ipsos saluari nemo crederе posset, utq; nihil parceretur ipsis, sed crudelitate maxima uiderentur debacchaturi omnes. Et erat insuper immensus exercitus hostium, qui iam applicabat finibus Iudæorum multa audacia. Fama quoq; edicti regij uulgabatur passim, de omnino disperdendis Iudæis & eradicandis, donec omnes consumpti interissent. Qua auditione, non mirum, si plurimũ territi fuerint fideles, pauci contra tam multos.

29 Et dixerunt unusquisq; ad proximum suum, Erigamus deiectionẽ populi nostri, & pugnemus pro populo nostro et sanctis nostris:

Quanto magis deserti uidebantur ab hominibus, & humana fortitudine, tanto de dei clementia & assistentia fideles magis confidebant domino illos confortante, & addente animum, ut minime turbarentur ad ignauiam, sed consolaretur quisq; à suo proximo, pariter consultantes, & à Iuda Machabæo & fratribus animati, qui dicebant, Nimium hactenus deiecti fuimus, & oppressi ab impijs dei hostibus, nunc de domini auxilio sperantes, qui tertio nos uictores fecit, adhuc non nos deserturus, uiriliter erigamus populum nostrum, & liberemus calcatos à gentibus, & nos similiter calcandos eruamus, proq; nobis & populo nostro pugnemus, & pro legitimis dei nostri, pro templo & sacris, ut ea denuo erigamus, domino adsistente, cuius negotium agitur, æque ferè ut nostrum.

30 Et congregatus est conuentus ut essent parati in prælium, & ut orarent & peterẽt misericordiam & miserationes:

Collectus est & Iudæorum exercitus, & sacra domini synagoga, præmissaq; oratione, & fiducia corroborata in dominum, nihil obmiserunt eorum quæ humana diligentia in tam periculoso negotio fuerint adhibenda. Nihil tamen de proprijs meritis iactant, sed diuinam misericordiam tantum implorant, uidentes se non posse eripi tantis malis, nisi domino succurrente.

31 & Ierusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum. Nõ erat qui ingrederetur & egrederetur de natis eius, & sanctum conculcabatur.

Habitabatur quidem, sed non à fidelibus, sed ab alienigenis, à militibus Macedonicis, ab Ammonitis et Moabitis, cæterisq; hostibus Iudæorum, quandoquidem illic pij perseuerare non poterãt, oppressi ab impijs, quibus insidiabantur, & orantes legemq; seruantes tradebant tyrannis, tam pontificibus impijs q̃ gentilibus. templum, quod ab omnibus uitabatur, & squalebat misere per atria & intra, iamdiu clausum. Non erat Iudæorum qui ingredi urbem salua uita auderet, & qui egrederetur: omnes enim in ea nati filij Israel periclitabantur, soli regnabant impij, & domino se præualuisse fortes gratulabantur. Omnia illis tuta uidebãtur, nemo uerbum domini ne nominare quidem audebat. Gentium potius legibus regebantur, & uenientem contra Iudæos exercitum, magna lætitia operiebantur, Iudæorum cladem certissimam gratulaturi. Nemo erat qui non Iudæos omnes iam crederet extirpandos.

32 Et filij alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio gentium, & ablata est uoluptas à Iacob, & defecit ibi tibia & cythara.

In ciuitate Dauid, in arce Sion, iuxta templum, Graeci incubabant urbi alienigenæ, ad hoc illuc ordinati, ut urbem diuexarent misere, eos nempe qui regijs mandatis contrauenirent, & non per omnia obsequerentur iniquis etiam institutis. Quomodo ergo Israelitæ huiusmodi cernentes & patientes gaudere potuissent, uel nõ plurimum dolere? Procul aberat omne gaudiũ pijs, quia iam statim impensius humiliati, exhilarari oportebat, ut discerent sibi bonum quod humiliarentur à domino.

33 Et congregati sunt, & uenerunt in Masphat contra Ierusalẽ, quia locus orationis erat in Masphat ante in Israel.

Exercitus Machabæorum non ualens Hierosolymis orare dominum, antequam aggrederentur hostem quamlibet impium, & tam de causa iusta, quàm de dei clementia plurimum confiderent, conueniunt tamen in locum orationis, dudum à patribus frequentatum pro dei clementia inuocanda in Masphat. Locus est in monte Iehorim, prope Siloha, ubi olim domus Samuelis, non procul à Hierosolymis. Ibi communibus precibus dominum inuocabant pro auxilio. Non sunt enim tam ardua negotia sine seriosissimis precibus inchoanda, maxime cum dominus

dominus de cœlo tantum largiatur uictorias. Certum autem exanditionis signum id erat, quia unanimiter dominum orare concordauerant & orabant.

34 Et ieiunauerunt illa die, & induerunt se cilitijs, & cinerem imposuerunt capiti suo, & dissuerunt uestimenta sua:

Comes idoneus est orationi, uerum & religiosum ieiunium, quod non ciborum discrimine celebratur, præterlegem, sed cibi quantitate, ut sit mens sobria & humilis, non carnis oblectamentis distracta. Cilicijs indui & cinere aspergi, lamentantium habitus est. Vult autem author describere affectuosissime eos dominum orasse pro salute & uictoria, pro sanctificatione diuini nominis, quæ nimium contempta fuisset, si succumbere pios tunc contigisset. Multis uerbis humiliationem & orationem describit fidelium, dum illis necessitas bellum aggredien dum incidisset. Hæc enim stratagemata prima esse fideli bus debent, præliaturis contra impios, ardens, humilis, & deuota oratio. Nihil hic scribitur de prælijs adeundis eorum, qui nihil cogitant præliaturi q̃ gloriam uel rapinas, pro auro conducti ad affligendum prouincias, ad tyrannos contra pauperes adiuuandos, quibus non de iusti tia, multo minus de fide cogitatio est, sed tantũ de auro.

35 & expanderunt libros legis de quibus scrutabantur gentes similitudinem simulachrorum suorum, & attulerũt ornamenta sacerdotalia & primitias & decimas, & suscitauerunt Nazaræos qui impleuerant dies:

Exemplo Isaiæ & Ezechiæ qui Rabsacis literas uel Sennacherib blasphemias expandebant cum oratione ad dominum, sic hic Machabæi domino deo suo expandunt legem, pro qua defensanda nunc belligerari cogantur, quam unice gentes deletam cupiant. Quæ causa sit odij gentium in Iudæos, quam nunc denuo obseruandam sibi promittant, quæ & omnibus fermè sæculis sanctis & pijs multarum tentationum occasio est, quam impij totis uiribus ut exosam persequuntur, quam perscrutantur ut deleant, & in eius locum statuant simulachra sua, & picturas, quas longe pretiosiores habent & chariores, quàm uerbum domini quod talia damnat, & ostendit impia. Id quod hodie patimur, persecutiones sustinẽtes, quia in locum idolorum uerbum domini statuimus, & fidelibus persuademus, legem dei sectandam magis quàm traditiones humanas, diuinis præscriptis contrarias. Virtutes ueras & uere bona opera docemus, quæ impij zelatores luxus & quæstus ferre pro suo more non possunt, tamen uelint nolint cogentur. Sacerdotalia quoq; ornamenta sacra quæ restabant, proponebãt militaturis, quæ maxima illis in reuerentia erant, pro quibus non pollutendis, uitam expendere deberent & corpus, quibus ut tunc rebus stantibus, uti non poterant sacerdotes, quia cultus iste ceremonialis extra Hierosolymam domino exhiberi iuxta legem non poterat. Et primitiarum decimarumq; usus extra locum diuino cultui consecratum non licebat. Et Nazaræorum religio non proderat diuino cultu deleto, & non præstito suo loco & tempore.

Quibus omnibus testabantur, non se legis obseruatores esse, donec sic Hierosolyma à gentibus conculcata teneretur, pro qua nunc recuperanda, cum suis pontificibus ueris Machabæis belli aleam, uel potius dei assistentis gratiam cuperent experiri, & præsentibus precibus impetrare.

36 & clamauerunt uoce magna in cœlum, dicẽtes, Quid faciemus istis, & quò eos ducemus? Et sancta tua cõculcata sunt & contaminata sunt, & sacerdotes tui facti sunt in luctum & in humilitatem.

Multis ceremonijs incenderant pectora, ad feruentissime orandum, quod multum apud multitudinem momenti habeat ad mentis compunctionem harum rerum usus & propositio, ubi exhortatio prophetica locũ non habet, quæ tunc, ut uidetur, in totum defecerat. Nemo enim aderat prophetarum, qui ex uerbo dei ad ipsos missa, de nouo consolari posset, nemo prædicebat istis lætos triumphos, nemo ad fortiter dimicandum de dei authoritate illos certos reddebat. Sed his ceremonijs prouocati, quod solum poterant, agebant. Clamabant magna uoce ad dominum omnibus præsidentem pro illius auxilio, ut misertus ipsorum, non sineret hæc omnia sancta pollui ab idololatris turpissimis, ut dignaretur restituere cultũ suum dignum iuxta legem, qui iam aliquot annis iacebat sepultus, & calcatus erat locus sacer à gentibus. Sacra omnia contaminata, ut sacerdotes sancti nõ tam carmina & hymnos domino canere possent, quàm luctum, planctum, & clamores, humiliati ad dominum. Digne hodie alicubi plangerent ablata sacrificia, aureos suos diuos, & gratiosas imagines, Ecclesias ornatas aris & uexillis, cantibus & organis, canonicis & adolescentibus cantoribus, si hæc omnia secũdum dei uerbum hactenus domino placuisse, & non potius maxime displicuisse, et à uerbo dei prorsus aliena fuisse probare possent ex uerbo dei, ut potest contrarium. Ablata sacra.

37 & ecce nationes conuenerũt aduersum nos, ut nos disperdant. Tu scis quæ cogitant in nos. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu deus adiuues nos? Et tubis exclamauerunt uoce magna.

Nationes erant idololatriæ deditæ, & uerbũ domini totis uiribus persequentes multis criminibus obnoxiæ, pro quibus multos deos inuocabãt, quæ & fideles unius dei cultores ex animo odiebant, & semper infestare studuerunt. Nunc autem omnibus collatis uiribus, semel legem & obseruatores è medio tollere, cum maxima dei blasphemia cogitabant. Egerant hoc antea uerbis, edictis, insidijs, depeculationibus, quod ubi nihil proficere sentiunt, concordi malignitate & furia nunc totũ semel Israelem eliminare aggrediuntur, et omnino disperdere intendunt. Id uero, ò dñe deus noster, & uniuersorũ dñs, qui omnia nosti & potes, tu nosti quid cogitent contra nos tuos reliquos paucos de multis. Quomodo poterimus subsistere contra tam immensum exercitũ, nisi tu solus nos iuueris & propugnaueris? His uero ardentibus animis dictis, & fusis lachrymis, sacrificatis precibus in

Gallorum gens nimis in Iudæos.

spiritu humiliatis, animisq; contritis, quibus placatur deus, etiam statim tubis inclamauerunt, & mutuum se se ad alacritatem spiritus exhortati sunt, omnia magnis uocibus aera implentes, & concordibus uotis sese domino committentes, prælium experiri satagunt & fœderantur.

38 Et post hæc constituit Iudas duces populi, tribunos & centuriones, & pentacontarchos & decuriones.

Iam omnibus rite præmissis ad felix aggrediendum bellum, & omnibus concordantibus in idipsum, de prodigenda uita & animabus pro religione sancta & uerbo dei, tunc primum compertis animis fortium in fide, & pro gente zelosis militibus, prudentissimus Machabæus duces constituit militum, tribunos quoq; legionibus præpositos, centuriones & quinquagenarios simul cum decurionibus, eos scilicet, de quorum fortitudine et fide plene confideret, ut nihil timoris sibi decertanti & reliquis de traditione quacunq; timendum foret, sed omnia ex fide agenda minime dubitaret. Multum interest ducum fortitudinis, ut certo sciant omnia bene ordinata & administranda à fidelissimis commilitonibus.

39 Et dixit his qui ædificabant domos & sponsabant uxores, & plantabant uineas, & formidolosis, ut redirent unusquisq; in domum suam secundum legem.

Cum legis defensionem molirentur pij duces, necesse quoq; erat omnia secundum legem etiam in prælijs disponi, quæ Deute. 20. habet, Hominem formidolosum & corde pauido non egredi debere in pugnam, sed potius uadat & redeat in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est. Sic de eis qui domos ædificauerant, & sponsas duxerant, uineas plantauerant, omnes enim non animo alacres redire iubentur, iuxta legem, ut uiuacior & hilarior cũ hostibus sit congressus. Non sunt enim omnes apti bellatores, nõ omnes arma tractare possunt per corporis uires, qui tamen consilijs & exhortatione, circumspectioneq; prosunt. Adesse seniores debent, et sacerdotes ad exhortationes. Delectus omnino habendus est idoneorum ad prælia aggrediẽda, ne omnino nolentes uel inepti ad prælia cogantur, reclamante natura uel uoluntate, ne proditio uel fuga procuretur.

40 Et mouerunt castra, & collocauerũt ad austrum Ammaum. Et ait Iudas, Accingimini & estote filij potentes, & estote parati in mane, ut pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt disperdere nos, & sancta nostra, quoniam melius est nos mori in bello, quàm uidere mala gẽtis nostræ & sanctorum. Sicut autem fuerit uoluntas in cœlo, sic fiat.

Omnibus rite expeditis & maturo consilio ordinatis, non subito, & sine ordine promiscueq; admissis, sed aciebus instructis aptissimis militibus, & omnium fortissimis, castra mouent, & locum sibi idoneũ multa prudentia bellica statuunt, ab austro positi aggressuriq; hostes ab aquilone uenturos, ut solis ardores & lumen hostes sentirent ex facie, Iudæi autem à dorso, idq; longe cõmodius. Erat etiam locus iste ab austro oppidi Emaus, locus ab Antiochia ueniẽtibus aduersus, & bello aptus. Tunc quoq; Iudas fortiter uerbis instat, ut optimus ducum, animos ultro sibi rapiẽs & animosissimos reddẽs, Accingimini, inquit, uiri fratres Israelitæ, & estote similes patribus olim uestris, qui hanc sibi à domino promissam terram magnis uiribus fortiter acquisierunt, tempore de uoluntate domini dei uestri possederunt iustissime, quam nunc incircumcisi isti hostes omnis pietatis & nostrarum animarum, eripere nobis indigne aggrediuntur: nec id tantum, sed animas quoq; nostras & uxorum filiorumq; quærunt ad exitium & in obliuionem æternam, imò in contumeliam totius gentis nostræ. Et quod maximum est, domini dei nostri legem eripere nobis uolũt, & iam sancta domini dei nostri polluta & desserta reddiderunt, quasi non esset dominus deus noster, dominus exercituum, & dominus dominorum, & nos errori semper seruiuissemus, simul & sanctissimi patres nostri. Eorum ergo parentum sanctorum uos nunc ostendite legitimos filios, ipsorum gloriam tam diuturnã non nunc tandem obliterari sinatis & patiamini. Estote potentes uirtute animi & corporum, parati sitis, ut mane præliemini prælia domini contra gentes idololatras, aduersus impias & truculentas nationes has, quæ cupiunt & iam instant disperdere nos & sancta nostra, quod eis quis animis nemo aspicere uelit, sed mori malit. Taliter autem nobis animatis, & nihil, nunc saltem iniquum intendentibus, & quod nostrum est non obmittentibus, cætera sicut & nos ipsos totos domino committamus, cuius fiat uoluntas nunc nobiscum in terra, ut semper de cuius fiat uoluntas nunc nobiscum in terra, ut semper de super perficitur in cœlestibus. Sanctificetur saltẽ nomen suum, ut sic fiat quomodo uult deus noster in cœlis.

CAPVT IIII.

1 ET assumpsit Gorgias quinq; millia uirorum & mille equites electos, & mouerunt castra nocte, ut applicarent ad castra Iudæorum, & percuterent eos subito. Et filij qui erant ex arce erant illis duces.

Tertius ducũ Gorgias hic per insidias agit, sed non succedit institutũ, dño aliud disponente. Hic de exercitu magno ualde selegit sibi quinq; millia peditum electorum, & mille equites, ut noctu obrueret fideles, qui sese dño commendarant, pro quibus etiã noctu dominus non dormit, qui custodit Israel. Mouit quidem is Gorgias suas castra noctu, ut approximaret Iudæis, & subito occideret improuisos. Non poterant autem hoc stratagema ignorare periti legis, & sacrarum historiarum: nam & simile quoddam olim iudicum tempore ipsi quoq; fecerant patres, Gedeon scilicet & Abraham, & reliqui. Ideo sibi fortes patrum filij caute prospiciunt, secundum quod dicitur consequẽter. Verũ additur hic quoq; filios arcis, hoc est quidam eorum qui arcem Sion obtinebant, & certius Iudæorum traditione scire poterant, uel aspectu loci ubi esset Iudas cum suis prodere, quod

quod & egisse maligne traduntur. Sed frustra iacitur re te in oculis pennatorũ, non sic facile dei filij obruuntur.

2 Et audiuit Iudas, & surrexit ipse & potentes percutere uirtutem exercituum regis, quæ erant in Ammaum. Adhuc enim dispersus erat exercitus à castris:

Habuit & uir sanctus, pius & circũspectus suos fautores, qui dicebant quid ageretur passim, nouit quid in tam periculosis negotijs sit agendum, & à domino propitio inspiratur pro salute fidelium dum tempus postulat. Surrexit & Iudas noctu, & iam diminutum aliquantulum exercitũ accedit, artem arte fallit, ut hostibus occurrat consilio, quo illi imponere conabãtur. Iam autem animosi facti erant, consilium illud cernentes geri à domino inspirante, ut non dubitarint de uictoria eripienda impijssimo regi, cuius fortissimus in prospectu erat exercitus, & à domino traditus, quia adhuc dispersus in castris, aciem nondum instruere cogitabat, non se putantes à tam paucis impetendos Iudæis. Exercitus dicitur, qui erat in Emao, hoc est prope Emaus oppidũ, ad differentiam tam eius qui cum rege erat, q̃ eius qui cum Gorgia, quem tutius erat fugere q̃ aggredi iam paratũ: hos autem palantes, & nihil minus cogitantes, tutius obrue re poterat, quod & fecit.

3 & uenit Gorgias in castra Iudæ noctu et neminem inuenit. Et quærebat eos in montibus, quoniam dixit, Fugiunt hi à nobis.

Interim Gorgias frustra conatur, non inueniens quos quærebat. Nec tamen superbi aliud præter uictorias & gloriam poterant cogitare, non uenit in mentem consilium Iudæ tam prouidum esse, q̃ erat suum. Facile credebat territos aufugisse paucos et formidolosos, & in montibus latitantes, quo minus curaret se denuo & in tempore coniungere exercitui, sed in montibus discurrebat, perquirẽs minime ignauos milites, ipse stolidior. Fugam tantum credebant, non à domino donatã audaciam. Hæc enim domini agebantur auspicijs, qui illudere nouit suis illusoribus, & dirigere ad salutem fidentibus sibi toto corde, & humiliter sibi deuotis.

4 Et cũ dies factus esset apparuit Iudas in campo cũ tribus millibus uirorũ tantum qui tegumenta & gladios non habebant.

Noctu locum mutauerat Iudas, & præparauerat omnia opportune, ut diluculo somnolentos & palantes sine timore inuaderet, quamlibet essent pauci, tantum sciret tria millia, sed uirorum fortiũ & consentientium, nihilq; timentium. Et hi tamen armati non erant, illorum more, quos adoriri uolebant, omnibus modis instructissimos. Tegumenta dicit loricas & clypeos, gladiosq; imstructi, ut alij, sed fortassis lanceis & fundis, uel aliter instructi suo more aderant, non tam clypeis fidentes q̃ domino. Aut intelligitur, non nisi tria millia insigniter armatos, ex uictoria Apollonij, in qua ipse quoq; Iudas, ut gladium obtinuit Apollonij, sic alij quoq; sibi arma rapuerant, sed non ultra trium millium armaturam, quam quam adessent plures aliter instructi.

5 Et uiderunt castra gentium ualida & loricatos & equitatus in circumitu eorũ, & hi docti ad prælium.

Semper in hoc mundi certamine superant fortuna rerum temporalium impij fideles, & prudentiores sunt huius mundi filij, filijs lucis. Si nunc gentilium exercitus ad omnem copiam arma tenet & loricas, equitatum & gladios, ut ualidissimi appareãt: at exercitus domini his non uincit, sed oratione, ieiunio, humilitate, fiducia, hæc sunt arma, quibus pij triumphant & brachium domini. Erat exercitus in magna multitudine, ut ferè circumdederint subito Iudæos. Insuper & docti erant ad prælia incunda, & arma tractanda assueti, ferire & resistere, à multis annis, omnibus gentibus didicerant esse molesti, & gentium oppressores: hos iam fideles & innocentes uincere oportet, & confundere fortia mundi, ut dei gratia reueletur.

6 Et ait Iudas uiris qui secum erant: Ne timueritis multitudinẽ eorum & impetũ eorum ne formidetis. Memẽtote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro, cũ sequeretur eos Pharao cũ exercitu multo.

Multum refert fides, fortitudo, iustitia, & circumspectio ducis in exercitu. Iudas leo erat, & catulorũ pater multorum, qui nihil timebant domino confortante. Non tamen officio suo deest fortissimus Iudas, hortatur animos & multa in deum fiducia, ne timeant hostes dei, & omnium quæ deo placent, & quantumlibet terribilem illorum impetum nihili uereantur, quos iam toties fuderit eorum imperator dominus dominantium. Vnde & perpetuam domini dei sui consuetudinem cum fidelibus prædicat dux & sacerdos Iudas, ut priscorum miraculorum sint memores, quæ dominus fecit exeuntibus de Aegypto, Pharaone submerso in mare cum toto exercitu. Vetera ac sacrosancta libentius memorant, ad augẽdum fidem in uerbum dei, quàm quæ iam nuper uiderant, à Matathia & Iuda, quæ nunc ut nota non memorat, ne sibi Iudas aliquid tribuere cerneretur.

7 Et nunc clamemus in cœlum, & miserebitur nostri dominus, & memor erit testamenti patrum nostrorum, & conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie, & scient omnes gentes quia est deus qui redimat & liberet Israel.

Contra tam immensam hostium multitudinem hortatur orationibus agendum esse, & pugnandum: de cœlo sperare uictoriam, nõ proprijs uiribus. Huiusmodi enim cogitatibus dei auxilium impetratur, dum nos domi num res nostras agere sinimus, dum uacamus à nostris præsumptionibus, sed toti à deo pendemus, dum non in armis & bombardis fidimus, sed in causæ iustitia, cõcorditerq; instamus orationibus, & dei misericordiam imploramus. Dum de bonitate dei nihil hæsitamus, & promissionibus credimus. Sic audacia sancta Iudas persuadet ut certissime credãt à domino superandas has gentes omnes, qui sit Israelem nunc quoq; liberaturus, & à tam graui oppressione subleuaturus. A cœlo petũt suas uires

pij & accipiunt. Victorias suas deo soli acceptas referrunt, ideoq; nõ timent inferorum quoq; portas. Gloriam dei tantum quærunt, uel ante omnia non suam, unde & nunc dicit: Certissime uidebitis uos contritũ ante faciem nostram hunc exercitum hodie. Et ex hoc scient omnes reliquæ nationes, q̃ chari simus nos populus Israel domino deo nostro, et quod solus sit, qui dominus exercituum existens redimat Israelem, & quoscunq; uelit.

8 Et leuauerunt alienigenæ oculos suos, & uiderunt eum uenientes ex aduerso:

Satis claret tardius præparasse se hostes ad certamen, quod nondum credebant sibi instare. Oculos tandem è somnolentia matutina leuantes, uiderunt ex aduerso uenire Iudæos, quos iam occisos penè arbitrabantur à Gorgiæ exercitu, ut de spolijs magis cogitarint, quàm de pugna instante.

9 & exierunt de castris in prælium, & tuba cecinerunt hi qui erant cũ Iuda. Et congressi sunt, & contritæ sunt gentes & fugerunt in campum.

Freti multitudine sua & armis, sine ordine subito egrediuntur castra, quod non uacabat instruere aciem, et consilium captare, sed ut quisq; forte contigerat occurrens in prælium uocabatur & congressum. Et Iudas quoq; suos alacriter adhortatur classicum canẽs, qui & illi impigre iam parati & animati congrediuntur, insistũt fortissime, et terga uertere cogunt uel cadere, unde & pars magna contrita est & occisa, reliqua salutem fuga quærunt, palantes per campum trucidanturq; in copia magna, domino sine dubio terrente impios, & de sua gratia sperantes impellente, ad fortiter insistendum impijs profligandis, à quibus fuerat blasphematus.

10 Nouissimi autem ceciderunt in gladio, & persecuti sunt eos usq; Gazeron & usq; in campos Idumææ & Azoti & Iamniæ, & ceciderunt ex illis usq; ad tria millia uirorum, & reuersus est Iudas, & exercitus eius sequens eum.

In fuga nouissimi gentiles occisi sunt à persecutoribus, gladio domino uindicante blasphemias impiorũ. Fugerunt autem usq; ad Gazeron, quæ & Gazera dicitur, & Gazer, quarto miliario Nicopolis uel Emaus, unius diei itinere sita ab Adarsa ciuitate uel Adaser. Campi autem Idumææ ad austrum sunt terræ Israel, unde conijcitur ex Idumæis nõ paucos adfuisse hostes, sicut & ex Palæstinis & Moabitis. Azotus enim & Iamnia in Palæstina sunt urbes, quarum Azotus, quæ & Asdod, oppidum insigne fuit, procul ab Ascalone ducentis prope stadijs. Et Iamnia ciuitas, quæ & Iabnia scribitur. Vnde & Iamnitorum portus, inter Diospolim, quæ & Lidda dicitur, & Azotũ, procul ab Azoto ducentis quasi stadijs, sed à Hierosolymis centum quadraginta. Ceciderunt ergo hostium tria millia, tanto scilicet numero, quantus erat exercitus Machabæi pugnantium & armatorum. A strage Iudas redijt saluo numero suorũ, quem secutus est suus exercitus, felicissimũ ducem, & per omnia obediens, iam quarta uictoria illustratum.

11 Dixitq; ad populũ, Non concupiscatis spolia, quia bellũ cõtra nos est, & Gorgias & exercit⁹ eius prope nos in mõtibus, sed & exercit⁹ eius prope nos in mõtibus, sed state nũc contra inimicos nostros, & expugnate eos, & sumetis postea spolia securi.

Sapientissime prospicit Iudas de exercitu Gorgiæ, quem in insidijs esse iam sciebat, qui & in suos effundi & irruere poterat & egisset, si sibi non consuluissent, & nimium auidi irruissent super occisorum & castrorum prædas colligendas. Non, inquit, concupiscatis spolia, bellum adhuc alterum instat, contra Gorgiam & exercitum multorum millium sese retinentiũ in montibus, Iaarim scilicet uel syluarum. Hortatur adhuc fortiter hostes sustinendos, si ingruant, & tunc demũ spolia cum pace colligenda esse. Semper in prosperis seruanda circumspectio est de aduersis, non inhiandum spolijs, inimico non credendum, non uictoria abutendum.

12 Et adhuc loquente Iuda hæc, ecce appa ruit pars quædam prospiciens de monte:

Quàm non insipienter curarit & admonuerit Machabæus, statim declaratur, & cõpescitur exercitus cerdis incũbat, tè fatigatus, & ieiunus, ne spolijs corradendis incũbat, dum uident ipsis imminere Gorgiam cum magna parte exercitus prospicientis de monte, ubi interim perquisierant Iudaicum exercitum, sed frustra.

13 & uidit Gorgias quod in fugã conuersi sunt sui, & succẽsa sunt castra. Fumus enim qui uidebatur declarabat quod factum est.

Iam uidet Gorgias uirtutem dei, fidem piorũ, & propriam suam stultitiam, qui nihil tale sperasset nec admisisset in mentem, suos fugere potuisse Iudaicum exercitum, tam ingentem exercitum, tam paucos, sed fideles et pios, qui domino deo uero curæ erant, quãdiu sperabant in ipsum. Castra succensa sunt à Iudæis, quando ea seruare pro sua militia non curarunt, qui non in castra gerentium, sed in angelorum præsidia confidebãt, domino sic protegente, ut hactenus. Et fumo de longe uiso recognoscebat quid actum fuisset superbus Gorgias.

14 Quibus illi conspectis timuerunt ualde, aspicientes simul & Iudam & exercitum in campo paratum ad prælium:

Tota gentilitas hæc omnia uidens & audiens, territa est, & ualde timuerunt de insolita contemptũ illius Iudaici populi salute & uictorijs, tot subinde assecutis per dominum, cui se credere maluerunt, q̃ impijs edictis regis parere. Videbant in exercitu regis, non tantum se dilapsos & confusos, sed & Machabæũ cum suis, ad maiora obeunda certamina animatos & paratos, quos difficile esset iam toties uictores præcipitare de ponte, & contra fortunam contemnere quam cernebant.

15 & fugerunt omnes in campo alienigenarum, & Iudas reuersus est ad spolia castrorum, & acceperunt aurum multum & argentum & hyacinthum & purpurã marinam, & opes magnas:

Obmissis suis ducibus et regalibus decretis, toties for-

tunam

timam experti aduersam, amplius eam tentare nolebant, sed fugerunt omnes campum deserentes, & ad propria festinantes, pro regis & tyranni ferocia sese impendere indignum existimantes, certũq; periculum experiri contra insontes & innoxios nolentes. Post dilapsum totum exercitũ, dum omnia tuta forent, contulerunt se Israelitæ ad spolia detrahenda, primum quidem & ad diuitias plurimas diuidendas, auri scilicet & argenti, purpuræ & aliarum pretiosarum rerum, quas multas comportauerant istæ maritimæ regionis coloni ditissimi, quæ omnia cesserunt tunc fidelibus, qui iam tot annis patrimoniorum suorum direptiones sustinuerant, nunc rebus uersis per dei clementiam, hostium opibus plurimũ ditantur.

16 & conuersi hymnum canebant, & benedicebant deũ in cœlum quoniã bonus est, quoniam in sæculum misericordia eius. Et facta est salus magna in Israel in die illa.

Gratias domino statim agunt post uictoriam assequutam, & præmia laborum, & solatia spoliorum, ducatu & exhortatione pijssimi Machabæi referũt domino gratiam, hymnos concinentes, & dominum deum suum laudantes, quia bonus esset, & non defecissent misericordiæ eius antiquæ à populo suo sibi fideliter adhærente. In cœlum benedixisse dicuntur, hoc est, elatis in cœlum uocibus, & à cœlo sibi auxilium delatum credentes, & consonantes canticis sacris atq; Dauidicis, quoniam in sæculum misericordia eius durat. Quæ factũ est, ut qui iam fuerant prorsus delendi, & in captiuitatem & exiliũ trahendi, ij nunc domini uirtute triumphos agũt, & de salute eximia gratulantur, hostibus uehementer confusis & humiliatis. Laudant autem non tam propriã uel ducis uirtutẽ, quàm domini dei sui bonitatẽ, qua clementer agit semper cũ suis fidelibus, & confidentibus de bonitate illius, deq;

17 acceptis beneficijs gratis, & minime superbientibus.

Quicunq; autem alienigenarum euaserunt, uenerũt & nuntiauerunt Lysiæ uniuersa quæ acciderant.

Euaserant quidem multi, sed ad suas aufugerant regiones perfidi uicini, & semper Iudæis inuidiosi, sed tamen magna pars redijt ad Lysiam, iam domi uacantem, & præliorum casus alijs commendantem, terruerunt famma cladis non paruæ, magis aũt contumeliosæ, quia tanti & tot existentes, tam paucos & nudos uincere non potuerint, sed insuper tam ignominiosa fuga prodidissent regis honorem, & opes tantas, cum ludibrio castra deserentes. Sic humiliatur superbia iniquorum, perfidia in

18 deum, crudelitas in proximos innocentes.

Quibus ille auditis cõsternatus animo deficiebat quod non qualia uoluit, talia contigerunt in Israel, & qualia mandauit rex.

Male administratam regni gubernationẽ, & casum tam inopinatũ, confusionẽ suam & regis iram perpendens animo cõsternatur Lysias, & deficiebat. Lõge enim aliter consilia tractauerant, quàm ut hoc fine arbitrarentur claudenda, nihil minus crediderant quàm uictoria se tantos & tales exuendos contra tam conculcatã iam gentem & omnibus odibilẽ. Mandauerat rex totã gentem Israeliticam excindi, & prorsus deleri cum urbibus & tota regione, sed iam uersis rebus de rege toties triumphaturant, domino illis propitiato. Vt discant reges, non omnia fieri posse quæ mandant, sed si ad regulam uerbi dei, & secundum eius mandata imperent, nihil cõtra deum, in cuius manu sunt omnia fata regnorum, ut tutius præesse non possint, nec felicius, quàm si sic obediant deo & reuerentiam præstent & cultum, ut sibi uolunt à subditis obediri, exhiberi reuerentiam atque cultum. Durum etiam ipsis erit contra hunc stimulum calcitrare, de suo regno dominum exercituum nequaquam deturbabunt, sed quanto potentiores se credunt, tanto grauiora patientur, si domino deo suo non obedire perrexerint.

19 Et sequenti anno congregauit Lysias uirorum electorũ sexaginta millia, & equitum quinq; millia, ut debellaret eos.

Hæc iam historia contigerat anno centesimo quadragesimoseptimo, ut Gorgias cum Ptolemæo Lysiæ principibus primo uincerentur, iam secundo parat Lysias exercitum secundo uincendus, anno centesimo quadragesimooctauo. Iam uero numerus electorum explicatur, ad terrorem, cum sexaginta millia peditorũ, & quinq; millia equitum deliguntur in castra, ad debellandum Iudæos, iam quarto uictores. Omnino enim hanc gentem unius tantum dei cultorem & idolorum exterminatricem, & tantum uerbo dei obedire uolentem, non edictis regum, contra ius & fas perditam uolebant, hæ gentes impiæ: sed omnia frustra, domino non probante consilia impiorum, sed præcipitante perfidos.

20 Et uenerunt in Iudæam, & castra posuerunt in Bethoron, & occurrit illis Iudas cum decem millibus uiris.

Iterum in Iudæam. hoc est, Israelitarum hæreditatem, quæ iam tota non alio nomine dicebatur, quàm Iudæa, etiam si essent hæ urbes in tribu Ephraim, Manasse, Dan uel Beniamin, aut aliorum. Sicut & omnes tunc Israelitæ Iudæi uno illo nomine deinceps sunt appellati, quanquam essent collecti ex omnibus decem tribubus, successiue redeuntibus de exilio. Bethoron eadem quæ superius dicta est inferior, quando & superior esse potuit. Vtraq; enim numeratur in tribum Beniamin, Iosue 18. Iam uero Iudas ditatus armis, & auctus uictorijs, affluentibus multis pijs, quibusdam conuersis ad meliorem mentem, excusso nimio timore regis, occurrit sexaginta quinq; millibus, cum decem millibus uiris, cum quibus dominum deum iam toties significatum uictorijs, certò dominum esse credi poterat, uti & erat, quia dominum deum suum nunc timere inceperant temporibus calamitatum, qui prosperitatis annos ferè nunquam æquanimiter ferre & feliciter ualebant. Vt semper uideamus fidelium profectus maiores dũ impetuntur ab impijs, quàm dum uiuunt in tranquillitate mundana uel corporea, sicut & Paulus fortior fit dum infirmatur.

21 Et uiderunt exercitum fortem & orauit, & dixit: Benedictus es saluator Israel qui cõtriuisti impetum potentis in manu serui tui Dauid, & tradidisti castra alienigenarum in

manu Ionathæ filij Saul & armigeri eius.

Quanto fortiorem uidebant hostem, tanto fortiore fide & fiducia dominum inuocabant, cui orationi dominus abesse non poterat. Non autem in oratione publica hac, memoriam quamcunq; facit sui nominis & uictoriarum suarum, sed iterum ex librorum ueterum ueritate, & sanctorum patrum meritis & fide occasionem sumit dominum exorandi, Dauidis uictorias illustres commemorans, quibus populum domini dei auxilio & uirtute eripuit de manu omnium inimicorum. Saluatorem Israelis agnoscit, & fatetur dominum deum exercituum esse, qui sua uirtute contriuerit hostium impetum, Goliad & aliorum, manu tamen Dauidis serui sui. Et insuper Philistinorum exercitum tradidit miraculose in manum Ionathæ filij Saulis, uiri optimi & innocentissimi & armigeri eius, 1. Reg. 11. Sic nunquam excidere debent memoriam fidelium beneficia dei, olim maioribus exhibita, sed ad omnem occasionem similem arripienda sunt in exempla, & ad laudes domini commemorandas.

22 Conclude exercitum istum in manu populi tui Israel, & cõfundatur in exercitu suo & equitibus. Da illis formidinem, & tabefac audaciam uirtutis eorum, & commoueantur cõtritione sua. Deijce illos gladio diligentium te, & collaudent te omnes qui nouerunt nomen tuum in hymnis.

Post beneuolentiam captatam à ratione gratitudinis, de beneficijs susceptis, nunc precari audet nouum & ingens beneficium, ut tantus infidelium exercitus concludatur, & uincatur manu fidelis populi, qui pro cultu dei et fide in omnipotentem & unicum, multa iam incommoda passus erat, utq; tam superbi gloriatores de suis uiribus & suorum equorum & castrorum iam denuo ut antea confundantur, & cedat uictoriæ gloriatio non alteri quam domino deo soli, uni & uero, quẽ plasphemare, et in suis fidelibus filijs affligere, persequi, & conculcare non cessabant impijssimæ hæ gentes. Orat autem ut paue facti succumbant & conterantur. A domino postulat formidinem hostibus & pauorem, à quo solo pendet tota bellorum alea, & uictoriarum fata ex uoluntate eius dantur & constant. Dominum orat, ut ipse deijciat superbos duces & milites, de sua tantum fortitudine gloriari asuetos. Verũ cum nõ semper miracula ædat, ut mittendos angelos orari debeat, petit ut ad suam gloriam utatur, et ad opus suum gladio Israelitarum præsentium, qui ipsum ut dominum deum suum amare percupiunt digne, pro cuius nominis diuini gloria, tanta iam diu pertulerint, à quibus nunc tandem malis cupiant liberari, ut alacriter collaudare ualeant in hymnis sacris & dignis canticis nomen domini dei sui, quæ laus & gloria scopus sint fidelium in omnibus operibus & institutis.

23 & commiserunt prælium, & ceciderunt de exercitu Lysiæ quinq; millia uirorum.

Hic iam aliquis uanissimus Græculus, descripsisset multis excogitatis mendacijs, quicquid in simili strage & congressu fieri potuisset, nomina finxisset, arma descripsisset, Iudæ Machabæi clypeum & hastam, ulnerum numerum adscripsisset & casuum, quis primus prælium inchoasset, & tanto melius se scribere uideri uoluisset, quanto plura de proprio adiecisset mendacia, si quidem non uisa, sed tantum phantasiata, & ut magna scribentis eruditio cum excogitata magis quàm Lectoris fructus aliquis erutus conspiciatur. Vani enim nõ nisi uanitates admirantur. Hic quisquis author fuerit, certe religiosus, uerax, & modestus, nihil minus ult, quàm suã gloriam aucupari, sed domini dei sui, & fidelium profectum in fide & charitate, spe & patientia in creatorem suum, ut discant humiliter agere, & de domini clementia nihil dubitare. Ex quo & Iosephus suam de his gestis cœpit historiam, & est secutus non tanta simplicitate, quanta ubiq; oportuit. Breuiter dicit: Commiserunt prælium, & ceciderunt de Lysiæ exercitu quinq; millia, quæ Græcus aliquis auxisset per denarium decies repetitum.

24 Videns autem Lysias suorum fugam, & Iudæorum audaciam, & quod parati sunt aut uiuere aut mori fortiter, abijt Antiochiam & elegit milites, ut multiplicati rursus uenirent in Iudæam.

Iam toties specimẽ præbuerant suæ fortitudinis gentes impiæ, toties profugi & uicti, & contra Iudæi comitantibus uictorijs commendati & felices in domino uidebantur, iamq; clarissime comprobabatur uerum, quod dicebatur, Machabæus capite tertio, facile esse deum concludere multos, in manu paucorum, & non esse differentiam in conspectu dei cœli, liberare in multis & in paucis, quoniam non in multitudine exercitus uictoria belli, sed de cœlo fortitudo est pugnantium. Merito ergo audaces Iudæi erant in domino, parati per dei instinctum aut uiuere aut fortiter mori: ideo nunc Lysias, qui conflictui præsens fuerat & dux belli, abijt Anciochiam, & non audens commissionem regis præterire, de nouo deliberat contrahere exercitum, probare milites, ut adhuc semel multiplicati auderent tentare fortunam Iudææ opprimere cum Iudæis.

25 Dixit autem Iudas & fratres eius: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta & renouare.

Quandoquidem iam toties Iudas uictor, non arbitrabatur in regis absentia citius exercitum congregandum, alioqui iam nunc dudum inuoluntarium ad propugnandum, tam crudelia mandata, & legum nouationes, quas æque ut Iudæi detestabãtur imponi inuoluntarijs, ideo cogitat de bene utendo tempore, & occasione quam habebat in manibus, nihil negligere eorum quæ tunc fieri opportune posse cernebat, & non esse obmittendam occasionem restitutionis diuini cultus, inuitis gentilibus, quorum nunc fracta erat fortitudo & audacia. Ideo Iudæos & fratres consultant de obtinenda Hierosolyma, iam diu desolata & occupata ab alienigenis, de mundandis sacrosanctis locis, templo & atrio, deq; renouando diuino cultu, & sacerdotio reformando, quod impij pontifices fœde administrauerant. Ad primam opportunitatem pacis & libertatis cogitant de diuinis rebus,

& regnum dei primum quærunt, ut & alia adijciantur in tempore, domino prouidente.

26 Et congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion. Et uiderunt sanctificationem desertã, & altare prophanatum, & portas exustas, & in atrijs uirgulta nata sicut in saltu uel in montibus, & pastophoria diruta.

Vt primum dei dono uictoriam se consequutos uidere, non tantum uerbis dominum laudant, sed & factis pergunt se gratos ostendere, Hierosolymam redeuntes, ut illam repetant, & expurgent à populo iniquo & idolatria, & ad sacrificia restituenda in suum ordinem. Totus exercitus ascendit, ne quid molirentur improbi Iudæi uel gentiles, ibidem habitantes, & regis uoluntatem facientes. Montem quoque Sion capiunt & occupant, sed non totum, ut uidetur inferius. Inueniunt autem breuiter omnia contaminata & corrupta. Locum desertum, eatenus, ut & in atrio domus domini, iam à biennio, ut solet uastato, & minime frequentato uirgulta florerent, ueluti in saltu & montibus. Cameræ quoque & exedræ & talami quæ iuxta templum ædificata erant, quæ hic pastophoria nominantur, hoc est, sacerdotum habitacula, quæ nunc recte pastophoria dici poterant, id est pallium gestantes sacerdotalem, in honorem Veneris, cui fortassis ibi turpiter seruiebant sacrilegi ponti fices. Quo nullum certe nomen his locis minus applicari debuerat. Sed tunc iam ludebant Græculi infelices Iudæi in nominibus, ut Iasones dici maluerint et Menelai, quàm Iesus uel Onias. Sic placuit magis pastophorium nomina priscis nominibus. Vt certe non nihil uerear nobis quoq; futurum, de nimio studio Græcarum & Hebraicarum, qui nihil ad sobrietatem agere uolumus, ut non nisi mala & impia à Iudæis ad nos translata nobis placere possint, & ex Græcis mendacia, cum melle eloquentiæ linita, ut perplaceant. Optarẽ linguas quaslibet suis limitibus contineri, & ad sacrum tantum usum aptari, non ad fastum & luxum, quæ æque in his rebus exerceri poterunt, ut in cæteris mundi magnificis studijs. Sed de his optime consuluit pijssimus & simul eruditissimus Ludouicus Vi ues, homo Christianissimo planeq; diuino iudicio prædi tus & dextro supra modum.

Græculi Iudæi.

Ludouicus Viues.

27 Et sciderunt uestimenta sua, & planxerũt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum, & ceciderunt in faciem super terram, & exclamauerũt tubis signorum & clamauerunt in cœlum.

Quicquid contra dei legem & ueram pietatem tentari poterat, hoc uidebant cõfectum, prophanatis atrijs, diruto altari, exustis portis, quo minor esset templi reuerentia & mundicies, diruta cœnacula, quæ recte nunc pastophoria dicebantur, pro improbissimis pontificibus, quos oportebat religiosius magnos sacerdotes dici. Quid enim illis cum pontibus fabricandis? sacra dare debuerant, & docere legem, sacris incumbere rebus, non prophanis pontibus. Sed sic omnia conculcari sacra semel impijs placuerat, quod nunc pijssimæ illius gentis reliquiæ factum plangunt, & ex animo, quod festiuam scissura testantur, sed & cinerem humiliationis perfectæ imponunt capitibus, procidunt præ calamitatis admiratione in terram. Exclamauerunt sacris tubis ad ululatum & planctum, & domini dei gratiam implorarunt, è cœlis sibi reddendam, ut sacra illis liceat reformare legitime.

28 Tunc ordinauit Iudas uiros ut pugnarent aduersus eos qui erant in arce, donec emundarent sancta.

Adhuc arcem tenebant impij Græci, quam & munierant contra urbem, hos sic impugnari ordinabat, ut interim templum purgaretur, quod proximum arci erat, unde irruptio formidari poterat, cum tamen ex sequentibus discamus, arcem ipsam captam esse, & à Machabæis postea in suum usum pro urbe & ciuibus defensandis temploq; munitam. Sic multa circumspectione opus est ecclesiam reformari studentibus, ut hostium fidei ratio habeatur, ne illis ansa permittatur malignandi in pios, & deijciendi quod magno labore restitui oportet. Non enim hostis pietatis quiescit, circuit enim quærens quem deuoret, cui resistendum est fortiter in fide, & uiriliter procedendum in sanctis institutis.

29 Et elegit sacerdotes sine macula uoluntatem habentes in lege dei, & mundauerunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.

Quanquam contaminata essent omnia sacra, templum & cellæ, cum atrijs, non tamen permisit Iudas Machabæos quoslibet de plebe quamlibet fideles & zelosos ingredi atrium sacerdotum & templum, sed per solos sacerdotalis generis Leuitas, iuxta legẽ ordinauit emundari sanctum, hoc est templum & sanctum sanctorum, & ex sacerdotibus quoque ipsis solos ad hoc opus elegit mundos, & sine macula ceremoniali, quæ iuxta legem à sanctis prohibuisset. Non enim quicquam mundare possunt, qui mundi non sunt, mundaturi ergo templum, mundi esse iubentur. Vt mirabile sit, unde tam portentosus error inualuerit, ut à peccatis mundare potuisse sit creditum, qui immundissimus erat. Sed in promptu distinctio erat, Non uirtute, inquiunt, operis operantis, sed operati, quasi non omnis sanctificatio solus Christi sit, & non ministri. Volebat quoque hos sacerdotes habere uoluntatem in lege domini, hoc est eruditos & zelosos legis obseruatores & æmulatores, qui non ad gratiam regis, uel timore damni cuiuscunq; à lege declinauerant, quibus charior lex fuerat, quàm ut eam aliquatenus deseruissent pro hominum quorumcunq; fauore. Tales ergo sacerdotes mundauerunt sancta, hoc est quicquid imaginum uel ararum uel expurgamentorum & aliarum immundarum rerum illatum erat, omnia exportabant & expurgabant multa diligentia, quin & lapides altaris quod gentes erexerant pollutum idololatrarum sacrificijs, ueluti in locum aliquem immundum efferebant.

Immundi mũdatores.

30 Et cogitauit de altari holocaustorum quod prophanatũ erat quid de eo faceret. Et incidit illi consilium bonum ut destrueret illud, ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes & demoliti sunt illud.

De lapidea autem ara holocaustorũ, quæ erat in atrio sacerdotum, quia etiam illud prophanatum & contaminatum ab impijs fuerat pontificibus & gentilibus, consultauerunt quid de eo agendum. Visumq; est & illud destruendum esse, ne quis horror corda fidelium obtineret, si holocausta uiderent in eo cremari, quod fuerat ab impijs pollutum, ne in opprobrium cederet fidelibus, à Iudæis impijs uel gentilibus, quasi ara polluta pollueret etiam sacrificia offerenda in eadem. Demoliti sunt ergo sacerdotes legis zelum habentes & illud altare, ut nouum reponeretur.

31 Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto quoadusq; ueniret propheta, & responderet de eis.

In loco proximo templo uel atrijs lapides huius uetusti altaris reposuerunt pro honore sacrificiorum sanctorum, quæ multa longo tempore in ipso olim fuerant oblata, per omnia studiũ habentes legis ceremonialis, quam seruare cupiebant ad unguem. Super hac lapidum quæstione consulturi aliquando, si insigniter doctus aliquis uel propheta surgeret, cuius cõsilio acquiescerent tutò iam enim prophetiæ donũ in secundo templo cessauerat.

32 Et acceperunt lapides integros secũdum legem, & ædificauerũt altare nouum secundum illud quod fuit prius, & ædificauerũt sancta & quæ intra domum erant intrinsecus & ædem & atria sanctificauerunt.

Lapides integri secundum legem dicuntur Exod. 20. non secti culeris quibscunq;, quibus polluuntur lapides, sicut etiam scribitur Deut. 27. ubi de saxis integris altare ædificari mandatur domino deo, ut in eo holocausta offerantur. Tales hic nominat integros secundum legem, ex qualibus nunc altare ædificant in locum prioris. Sancta ædificasse dicuntur, hoc est, anteriorem partem templi, quæ sancta dicebatur expurgarunt, & ruinas resarcierunt, uel rimas hactenus neglectas ab impijs põtificibus. Quæ intra domum fuisse dicuntur, fortassis sanctum sanctorum intendit, quod & illud pollutum fuerat à gentibus, & resarciri aliquid in eo necesse erat, quod à solis sacerdotibus fieri ordinabant. De arca domini nihil hic dicitur, nec de cherubim, aut propitiatorio, nec etiam in superioribus, dum de contaminatione et spoliatione templi sermo inciderat, quo minus probabile habeatur, sed à Iudæis confictũ, quod in prologo secundi Machabæorum scribitur de arca domini. Aedem, id est ædes uel cameras, uel quod tunc nominabant pastophoria, simul cum omnibus atrijs, Leuitarum scilicet & Israelis, & mulierum, quia omnia polluta erant, omnia pariter nunc reconciliantur, & sanctificantur aspersione aquæ, iuxta legem, cum cineribus de uacca rufa, & cæteris secundum legem.

Arca dei.

33 Et fecerunt uasa sancta noua, & intulerunt candelabrum & altare incensorum & mensam in templum.

Ex spolijs diuina gratificatione iam frequenter acquisitis, confecerunt Iudæi noua uasa templi, aurea, argentea, ærea, omnis generis, similia eis quæ fuerant ante Antiochi sacrilegium, quæ sancta dicuntur, quia diuino cultui applicanda & dedicanda, inter quæ præcipuum quidem habebatur altare incensi aureum, quod in secundo templo uidetur stetisse in sanctosanctorum, loco arcæ quæ deerat. Verum pretiosius erat candelabrum, quia maius, ideo primum nominatur. Mensa quoq; aurea dicitur, quia inaurata, & dicta propositionis, quia panes recentes duodecim superponebantur mensæ in sabbathis, qui sacerdotum erant. Omnia ista cum eis quæ pertinebant ad illa intra templum, erant in sancto, quin & altare incensi stabat à tempore Salomonis, sicut & in tabernaculo fœderis in sancto, & non in sancto sanctorum, ubi tantum tunc arca propitiatorium & cherubim stabant, quæ in secundo templo non fuerunt, sicut nec alia quædam, de quibus alias.

34 Et incensum posuerunt super altare, & accenderunt lucernas quæ super candelabrum erant & lucebãt in templo. Et posuerunt super mensam panes, & appenderunt uelamina, & consummauerunt omnia opere quæ fecerant.

Super altare aureum, quod incensi dicitur, sacerdotes incensum ponebant, ad illius & templi uel sanctisanctorum consecrationem. Lucernas quoq; septem accendebãt super candelabrum in templo, ut lucerent in mysterio, repræsentantes iuxta Iudæos cœlestia lumina septem planetarum, quorũ omnium dominus gubernator est & rector. Hæ lucernæ tota nocte lucebant, sed mane ad solis splendorem extinguebantur. Panes quoq; propositionis superponebant iterum super mensam sabbathis iuxta legem, & uelamina appenderunt ianuis, tam atriorum quàm templi & sanctisanctorum. Fideli studio & perfecto zelo restituerunt omnia, & exornauerunt templum, & instituerunt sacrificia, & uasa omnia parerunt ut fuerant antea. De ministerio sacerdotum & Leuitarum, ut nihil quidem dicatur, tamen intelligitur, sine quo cætera nihil religionis habuissent & sanctimoniæ.

35 Et ante matutinum surrexerunt, quinta & uicesima die mensis noni, hic est mensis Casleu centesimi quadragesimi octaui anni, obtulerunt sacrificium secũdum legem super altare holocaustorum nouum quod fecerunt.

Pro offerendo domino primũ sacrificium, quod matutinum erat, mane surrexerunt omnes qui fuerant in excitu Iudæi cum suo duce Iuda, qui & sacerdotalis generis erat, ut dictũ est uigesima & quinta die mensis noni, qui Mense nostro Nouembri partim respõdet, & Casleu dicitur Syriace, quia nomina mensium non tam Hebræa sunt quàm Syriaca uel Chaldaica, quæ in sacris non habentur ante Babylonicam captiuitatem, sed tantũ à numero mensium dice

dicebantur, primus, secundus, nonus uel decimus, &c. nõ proprijs nominibus, ut interim factũ uel nominatos legimus. Hoc aũt totum factum est anno centesimo quadragesimooct. uo monarchiæ Græcanicæ, quando restauratis omnibus obtulerũt primo sacrificiũ nouũ, in nouo altari, quod extructũ iam erat in atrio sacerdotũ holocaustũ do mino in odorem suauitatis secundum legem Moysi.

36 Secundum tempus & secundum diem in qua cotaminauerunt illud gẽtes, in ipsa renouatum est in canticis & cytharis & cynaris & cymbalis.

Anno regni Græcorũ cẽtesimo quadragesimo quinto, quintadecima quidem die mensis noni, ædificauit Antiochus abominandam aram cum idolo in loco sancto, & in tota urbe multas aras, sed uigesimaquinta eiusdẽ sacrificabant super aram extructam cõtra uel eregione altaris domini. Hoc aũt quod hic dicitur secundũ tempus & secundũ diem, in qua contaminauerunt illud gentes, in ipsa renouatum est, lapsis præcise annis tribus, hoc est, mille nonaginta diebus, de quibus Daniel prædixerat cap. 8. quadringentis fermè annis antequam fierent.

37 Et cecidit omnis populus in faciem & adorauerunt & benedixerũt in cœlum eum qui prosperauit eis.

Secundũ magnitudinem tristitiæ quam fideles pertulerant ante tres annos eodẽ die, nũc ipsa cõpensatur maximo gaudio, quando nunc restitutũ illis cernunt dei fauorem, quem ex hoc facto perpendebant, nõ dubitantes cætera quoq; quæ formidabantur mala prospere illis successura. Vtcũq; enim audirent contra se denuo exercitũ congregandum à Lysia, & regẽ iratum, rediturũ è Persida contra illos, nihil tamen ueriti, magnanimiter procedebant, occasionẽ præsentem arripiebant, nihil differebant pro quocũq; timore, quod hodie in cultu dei reformando perficere poterant, non differebant in crastinũ. Sic enim fieri expedit in uia domini, cum sese offert opportunitas, ut nemo cunctetur, sed fortiter secundũ dei uerbũ procedatur, ne quando dæmonũ cunctationes perpendens, sub ornet impedimenta maiora. Eadem nostris quoq; temporibus cõsyderanda essent, ut iuxta uerbũ domini in ecclesia reformanda procederetur alacriter: quanto enim magis tardatur, & expectatur diutius quorundã resipiscentia, quam forte non meruerunt, tanto sese grauiora pietatis impedimenta immiscent. Sanctorũ uirorũ exempla nunc se offerrent, sed parco tardioribus, qui uero spiritu domini imbuti sunt hæc ipsa perpendere facile possunt.

Reformatio non differenda.

38 Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia & salutaria laudis.

Faciles posterioribus temporibus Iudæi fuerũt ad instituenda solennia, & ea multis diebus: & quid fieret si sic procedatur per annum, ubi remanebũt dies pro mandatis à deo hominibus laboribus necessarijs? Et tamẽ hæc solennitas, magna causa pro eo tẽpore instituta est, quia iam ferè toti oppressi uidebantur sub Antiocho, qui nũc tandem iterũ respirare uidebãtur de gratia domini. Gaudent de noua luce, quam dominus immiserat, ostendens clementiæ suæ signa, quia sic prosperabantur actiones ipsorum sine impedimento, unde & gratulatoria sacrificia offerebant, & holocausta pro gratiarumactione, ut per dei clementiã diuturna fieret ea iucunditas, quod & factum est.

39 Et ornauerunt faciem templi coronis aureis & scutulis, & dedicauerunt portas & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas.

Non tantum mundauerunt templum, sed & ornauerunt modis omnibus quibus poterant, prospectũ templi opposituũ accedentibus, nam nemo præter sacerdotes ingredi sinebatur. Ornauerunt coronis aureis, & scutulis aureis, ad decorem & claritatem solis, mane illac radios infigentis ad ingens & iucundissimum spectrũ. Dedicare autem portas & cœnacula, erat imponere eis extremum ornamentum, & perfectionis signum, carminibus diuinis dominũ collaudando, cuius gratia spurcitias euicissent, & domũ domini uindicassent de tam abominandis pollutionibus, & restituissent in primæuum honorem, ad gloriam domini. Impositioq; ianuarum, est colophonis totius operis adiectio, ut omnia consummata cernantur. Dedicare ædificia.

40 Et facta est lætitia in populo magna ualde, & auersum est opprobrium gentium.

Quid ni fideles cuncti de recuperata pace, de amoto opprobrio illato à gentibus, de restituto legitimo cultu dei, de uindicata lege, de purificato templo, de renouatis uasis, de sacrificijs reinceptis, de eiectis gentibus è Hierosolyma, de tot iam uictorijs assecutis, de humiliatis tantis & tot hostibus, plurimum lætarentur? Sperandа erant meliora tempora & tranquilliora.

41 Et statuit Iudas & fratres eius, & uniuersa ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in tẽporibus suis ab anno in annum per dies octo, & à quinta & uicesima die mensis Casleu cum lætitia & gaudio.

Hæc est solennitas Enceniarum, quæ durauit ad Christi tempora, quam & ipse benedicta sua præsentia consecrare dignatus est, de qua Ioannis decimo, quia tunc hyems erat, partim Decembri respondente ea lunatione. Dedicatio autem ea quæ sub Zorobabel facta legitur, celebrata est in principio Veris. Dedicatio autem Salomonici templi legitur facta in Septembri, tertij Regum octauo. Sola autem hæc ultima dedicatio præcipitur celebranda quotannis communi illa traditione, non lege diuina. Aliæ enim non erant celebratæ nisi prima die, quæ & dedicationis erat. Sic semper cum tempore creuerunt superstitiones in immensum, ut necesse fuerit etiam nostris temporibus huiusmodi superstitiones amputare, quæ multum habent uanitatis, & degenerant in multa incommoda animarum & corporum. Nec aliud in his Encenijs Christus egisse legitur, quàm prædicasse in templo, nos epulis et uanitatibus insistimus, cõmessationibus & ebrietatibus, choreis & spectaculis, & non est cui displiceat, & interim dedicationes templorum iactamus potius theatrorum. Superstitio dedicationum.

42 Et ædificauerunr in tẽpore illo montem

Sion,et per circũitum muros altos et turres firmas, ne quando uenirent gentes & conculcarent eum sicut antea fecerunt:

Ex hoc patet fugisse Macedones ex loco arcis, & Iudæ Machabæo traditam, quam & firmauit magis, ne esset urbi incommoda, ut fuerat iam frequenter & diu. Est enim mons Sion ciuitas Dauid, excelsior locus urbis, etiã altior quàm templi area.

43 & collocauit illic exercitum ut seruaret eum, & muniuit eum ad custodiendũ Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

Exercitum uirorum fortium posuit in arcem, ex qua tota urbs & templum defendi posset contra gentes. Sic & Bethsuram urbẽ muniuit, contra frequentes Idumæorum irruptiones. Hæc Bethsura præsidium fuit urbis Ierusalem, impositum claustris montium ad uallem Raphaim, quæ à Ierusalem Gazam ducit, procul quinq; stadijs, Iosepho dicta Befferon.

CAPVT V.

1 ET factum est ut audierunt gentes in circumitu, quia ędificatum est altare & sanctuarium sicut prius iratæ sunt ualde, & cogitabãt tollere genus Iacob qui erant inter eos, & cœperunt occidere de populo & persequi.

Perpetuum est odium satanæ contra pietatem, & seruorum suorũ contra fideles, bellum Babylonis cum Hierosolyma, mundi cum Christo, idololatriæ cum sanctimonia. Non possunt impij uidere profectum religionis & cultus legitimi dei, aram suam deiectam dolent, & restitutum altare dei. Non sunt acriores dissensiones in mundo, quàm propter pertinaciam superstitiosorum uel impiorum, qui uel omnino deum negant, uel ad suam libidinem deos fingunt contra uerbum domini, & eam pietatem quæ cõsistit in fide, spe & charitate, ideo udæa semper hostes experta est, omnes uicinos populos, quia ueritatem sectari noluerunt, quæ odium parit. Sanctuarium mundus odit, diligit autem uanitates, mendacia, figmenta & idola sua, luxum, & ceremonias inanes, pompam & fastum. Contrà, quæ si quid instituitur, irascitur multum, & recalcitrare annititur. Sic nunc quoq; anhelant, irascuntur, & cruciantur fidelium persequutores, profectum cernentes diuini cultus, & semel cupiunt, non iam cultum amoliri, & dirui sanctuarium, sed totum genus Iacob, ubicunque constitutum, maxime uero iam eos Israelitas aggrediuntur, qui dispersi habitabant passim in urbibus Syriæ, & terra quæ olim fuerat hæreditatis iure possessa à filijs Israel, quos ubique in urbibus circumiacentium populorum habitantes, cœperunt occidere, & persequi modis omnibus. Videbant impij non se posse superare coadunatum exercitum Iudæorum, ideo seorsim dispersos aggrediuntur, & disperdere quærunt.

Piorũ fata.

2 Et debellabat Iudas filios Esau in Idumęa & eos q erãt in Arabathane, quia circũsedebãt Israelitas, & percussit eos plaga magna.

Intelligimus primos nunc quoque hostes pietatis & Israelis esse Idumæos, in quorum nuper regionem dilapsi Iudæi fuerant uel etiam ab hostibus empti uel distracti. Hos ibidem nunc ad exitium requirunt, quibus cum multi essent, succurrere nititur Machabæus. Hæc; ratione nunc bellum Iudas suscipere cogitur contra Idumæos filios Esau, qui minus odisse Israelitas debuerant, quos confugientes susceperant in pacem, nunc eos occidere quærunt. Arabathane regio uel urbs esse uidetur prope Idumæam in confinibus Arabiæ Petreæ, unde & Arabatha dici uidetur, & Arabathane forsitan, & à Rabath olim dicta. Illi suos Iudæos secum habitantes, iam circumdederant, & obsidebant, ad supplicium petentes & exitium, nihil meritos, tantum inuidia Iudaici nominis & religionis permoti. Hos diuina uirtute & instinctu Iudæ Machabæus aggressus, percussit, & Iudæos suos liberauit felici uictoria.

3 Et recordatus est malitiã filiorum Bean, qui erant populo in laqueum & in scandalum insidiantes ei in uia, & conclusi sunt ab eo in turribus, & applicuit ad eos, & anathematizauit eos, & incendit turres eorum igni cum omnibus qui in eis erant:

Simili malitia Iudæos tractabant quædam improbæ gentes ultra Iordanem ut uidetur sitæ, quæ dicuntur hic filij Bean, incertum qui dicti ob uariationem assiduam nominum propriorum, tam locorum quàm personarum. Quicunq; aũt hi fuerint, certe inuidiam & odium exercuisse, & insidias hic dicuntur, ut coactus Machabæus fuerit ipsos reprimere, & fidelium scandalum semouere. Videntur hi latrones fuisse & prædatores in uijs, maxime uero infesti Israelitis, quos sciebant nullam extraneæ illius gubernatoribus defensionem habere, sed omnibus odio expositos, & iniuriæ, maxime post eductũ regnum, & Machabæi uictorias. Hi filij Bean confugiebant in terras à facie Machabæi, sed fortitudine & zelo suo instans, deuouit eos excidio pariter, & ad unum omnes turri inclusos succendit, & quicquid se eis contrà Israelitas adiunxerat.

4 & transiuit ad filios Ammon, & inuenit manũ fortẽ & populũ copiosum, & Timotheum ducem ipsorum. Et cõmisit cum eis prælia multa & cõtriti sunt in conspectu eorum, & percussit eos, & cepit Gazer ciuitatem & filias eius, & reuersus est in Iudæam.

Proximi his filijs Bean post Idumæos erant Ammonitæ, pariter perpetui hostes Israelitarum, qui & uicos & urbes Iudæorum sibi diripuerant. Hi uero sibi timentes exercitum fortem collegerant, & multum, cui præerat Timotheus quidam dux Ammonitarũ, contra quem sæpius pugnare coactus Iudas, semper triumphum retulit, quorum & urbem insignem, Iazer tunc dictam, cum uiculis circumiacentibus cepit bello, & rediit rebus feliciter gestis, quia domino deo suo plena adhærebat fiducia, & non nisi fratrum negotia agebat, compulsus iniurijs maximis impiorum. Videntes enim iam passim dispersi per iniurias Iudæ in terras, Machabæi uictorias, sibi quoque orabant succurri, quod & quamdiu potuit sua diuq;

diose egit, non sine magnis periculis suis & suorum.

5 Et congregatæ sunt gentes quæ sunt in Galaad aduersus Israelitas qui erãt in finibus eorum ut tollerent eos, & fugerunt in Datheman munitionẽ, & miserunt literas ad Iudam & fratres eius, dicentes:

Galaaditis regio ultra Iordanem sita est, media inter Gaulonitẽ partem ad septentrionem, aut inter Sarazam aut Pellam urbes, & lacum Asphaltitem, dicta à monte Galaad, pertinens tribui Gad, in ea regione iamdudum gentes habitauerant cum Israelitis, quorum multi ibidem habitabant, quos nunc gentiles odio Iudaici nominis persequuntur ad mortem, & profugos agunt, ut cogantur fugere in oppidum aliquod, quod tunc Datheman appellabatur, ut ibi gentium furorem euaderent, ex munitiore loco, unde ad Iudam literas mittunt, ut succurrat obsessis, à gentibus alioqui delendis.

6 Congregatæ sunt aduersum nos gentes per circumitũ ut nos auferant et parãt uenire & occupare munitionẽ, in quã confugimus, & Timotheus est dux exercitus eorũ.

Hoc epistola missa continebat, omnes se peti ad mortẽ à gentibus congregatis, nisi citius succurrat Iudas, quãdoquidẽ disponant se hostes ad obtinendam munitionem tot is suis uiribus, quibus ut multis ipsi pauci resistere neque ant, cuius mali dux sit & author Timotheus, cũ Ammonitarum exercitu, nuper à Iuda deuictus, qui nunc quoq; uinci posit, si ueniat, qui Iudeis omnibus semper fuerit molestissimus hostis, & simul bellacissimus.

7 Nunc ergo ueni & eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis. Et omnes fratres nostri qui erant in locis Tubin interfecti sunt & captiuas duxerunt uxores eorũ & natos & spolia: & peremerunt illic ferè mille uiros.

Tanta semper fuit perfidia in Iudaica gẽte, ut mutuũ sibi non adstiterint, sed rebus quidẽ prosperis se fingebãt auxiliarios, ad primum periculum discessuri. Sic quibusdã hic in munitione sese tutantibus, alij diffugiũt, & qui dem multitudo. Loca Tubin fortassis Tubianæ regionis, apud Arabes Nabathæos, accipi possint. Quanquã & in libro Iudicum, terra Tob legatur, in tribu Gad, ubi Iudæi hactenus habitãtes, inter gentiles Ammonitas uel Moabitas, ab ipsis nũc occisi dicuntur, captiuis ductis uxoribus eorũ & filijs, usq; ad mille uiros. Grauis quidẽ tentatio gentis huius, ut dũ quibusdã sic dispersis gentes imminẽt & alibi Iudas cum reliquis uincunt, nihilominus tamen quidam aufugiant et fratres deserant. Sed ut dictum est, fideles non erant, sed tantum simulabant pietatem, quam

8 in persecutionibus non seruabant.

Et adhuc epistolæ legebantur, et ecce alij nuntij uenerunt de Galilæa concissis tunicis nuntiantes secundum uerba hæc, dicentes cõueniisse aduersum se à Ptolemaida & Tyro & Sidone, & repleta est omnis Galilæa alienigenis ut nos consumant.

Vt alter Iob patitur Iudas fidelissimus funestissimos nuntios, & hos plures, & simul irruentes, ut quos primũ eximeret & propugnaret, non statim intelligeret. Galilæa & ipsa tunc quoq; à Iudæis habitabatur, cuius coloni gentiles nunc irritati triumphis Machabæorum, irruunt in Iudæos, aduocato gentiliũ exercitu, à Ptolemaide, Tyro, & Sidone inimicis urbibus maritimis, nõ multum distantibus à Galilæa duplici, superiore quæ gentiũ dicitur, atq; inferiore in tribu Aser & Neptalim, quæ et diuiduntur super tractum per Ptolemaiden usq; ad Thallam unicũ, super Iordanem. De quibus uide Zieglerũ in Palestina. Præstant ubiq; impiæ gentes occasionem suis cladibus, bella cientes contra fideles, à quibus sint iusto dei iudicio superandi. Iacobus Zieglerus.

9 Vt audiuit aũt Iudas & populus sermones istos, conuenit ecclesia magna cogitare quid facerent fratribus suis qui in tribulatione erãt, & expugnabantur ab eis.

In tanta proprij status difficultate cogitãt de fratribus nõ deserendis, in regione Galaad & Galilæa. Sperabant aũt hos sibi triũphos nõ pro se solis datos, sed ut feliciter liberati, etiã calamitosis succurrere cogitarẽt, ne ex ipsorũ fortuna alij perirent, odio gentiũ, quas toties iam Machabæus deuicerat. Cogitant aũt congregati, quid facto sit opus, & decernunt, fratribus non deesse licere, sed id præstare angustiatis, quod simili in casu ipsi à fratribus rogarẽt sibi quoque fieri. Hoc enim charitatis lege decernebatur, & collatæ iam uictoriæ persuadebant.

10 Dixitq; Iudas Simoni fratri suo, Elige tibi uiros & uade & libera fratres tuos in Galilæa, ego autem & frater meus Ionathas ibimus in Galaaditim:

Necesse tunc erat diuidi exercitum in tres, ut Iuda, Galaad cum suis pergente, Simon Galilæis succurreret in nomine domini, quem sibi adfuturum minime dubitabãt. Sed eligendi docẽtur milites, non fortuitu rapiendi. Et Iudas iam uictorijs illustrior, fratri Simoni electionem defert, utrique charitatis mercedem & fortitudinis percepturi, qui se fratribus propugnandis periculo exponunt, & unam fidei causam concordi proposito experiuntur, dominumq; merentur habere ductorem.

11 Et reliquit Iosephum filiũ Zachariæ & Azariam duces populi cũ residuo exercitu in Iudæa ad custodiã, et præcepit illis, dicẽs, Præestote populo huic, et nolite bellũ cõmittere aduersũ gentes, donec reuertamur.

Cum tot undiq; hostes imminerent Israelitis, necessariũ consilium erat, tertiam totius exercitus partẽ Hierosolymis expectare paratã, si quid nouarũ rerum uiciniores hostes mouissent, ut tunc lacessiti, cum fiducia diuini auxilij, sese & suos propugnassent. Id sapientissime statuebat Iudas, ut Iosephus ille filius Zachariæ, de sacerdotali genere, cũ Azaria alio duce, cũ residua tertia parte exercitus Iudææ montosam custodiret, et nulla ratione euocatus quoq; ab hostibus cõgrederetur, sed expectaret reditũ amborũ fratrũ cum exercitibus. Non est enim dãs tentãdus, ratio humana in humanis negotijs cõsulẽda. Nõ erãt crabrones irruendi, et pauci cũ multis nõ cõmiscẽdi

in pugnã. Nõ nimiũ ut dicitur tentanda fortuna. Præcipi ebat ut præeſſẽt interim populo et pacifice gubernarẽt.

12 Et dati ſunt Simoni uiri tria millia, ut iret in Galilæam, Iudæ autem octo millia in Galaadithim.

Non ſine urgente cauſa Iudas multo plures ſibi iungit quàm Simoni tradat, quæ æſtimari poteſt ex magnitudine hoſtilis exercitus, & locorum difficultate, & ducum utrinq; conditionibus. Ex his numeris Rabanus myſteria colligit contra hæreticos belligerandi à catholicis. Nos litera ubiq; utiliter docet, prudẽtiam, fidem, cõſtantiam, charitatem, modeſtiam, obedientiam, præliorum pericula, & pacis cuſtodiam.

13 Et abiit Simon in Galilæã, & cõmiſit prę lia multa cũ gẽtibus. Et cõtritæ ſunt gentes à facie eius, & pſecutus eſt eos uſq; ad portã Ptolemaidis. Et ceciderunt de gẽtibus ferè tria millia uirorũ, & accepit ſpolia eorum.

Veriſimile eſt in Galilæa multos fuiſſe Iudæos, bello quoq; aptos, qui Simonis exercitũ ſatis auxerint, quia nõ dum defecerant, uel reliquerant ſe mutuo Iudæi, ſed conſenſerãt fortiter agere, ſub feliciſſimo duce Simone, unde & multa pariter bella egerunt, uel conflictus cum gentibus, in quibus et aſſiſtente dei fauore contriti ſunt impij, ut profugos egerit hoſtes Simõ uſq; ad extrema Galilææ, & maritimæ regionis, in qua Ptolemais ſita erat, olim dicta Accon, in Cheronneſo, in formam deltæ, cuius duo latera ambiũtur mari, dicta poſtea Colonia Claudia. Tria millia cadunt hoſtium, iuxta exercitus numerum, qui cum Simone deſcenderant.

14 Et aſſumpſit eos qui erant in Galilæa & in Arbatis cum uxoribus & natis, & omnibus quæ erant illis, & adduxit in Iudæam cum lætitia magna.

Iudæos qui in Galilæa habitauerãt ſecum ſumit, ut in Iudæa habitent, tanquam fortes & animoſi, ſi præliũ inſtet, ſimul ut gentium inſidias non amplius patiantur, ſed ſint in Iudaica regione tutiores & magis propinqui, ſibi mutuũ adeſſe auxilio opportune ualeant. Arbatis quid dicatur non definio. Eſt quidẽ Arbatha regio, ſed in tribu Gad, ultra Iordanẽ. Cõſtat in eadẽ Galilæa Arbelã regionem eſſe, cuius fortaßis mutatum hic nomen ſit, ut Arbatis legatur pro Arbelis.

15 Et Iudas Machabæus & Ionathas frater eius tranſierũt Iordanẽ, & abierũt uiã triũ dierum in deſertũ. Et occurrerũt eis Nabathæi, & ſuſceperunt eos pacifice, et narrauerũt eis omnia quæ acciderant fratribus eorũ in Galaadithe, & quia multi ex eis cõprehẽſi ſunt in Baraſa, & Boſor, & in Alimis, & in Caſphor, & Mageth, & Carnaim.

16 Hæ oẽs ciuitates munitæ & magnæ. Sed & in cęteris ciuitatibus Galaadithidis tenẽtur comprehenſi. Et in craſtinum cõſtituerunt admouere exercitũ ciuitatibus his, & comprehẽdere, & tollere eos in una die.

Cũ octo millibus abeũt, quia audierant multos malos Iudeos defeciſſe à bonis, & ab amicis remotiores eſſe, quia ultra Iordanẽ ſiti, proximi Ammonitis et Moabitis. Quo conſilio ierint uiã trium dierũ per ſolitudinẽ, difficile eſt deſignare, id ſine neceſſaria ratione non factũ eſt maxime cum audiſſent fratres periclitari obſeſſos. Nabathæi autẽ Arabes ſunt, à Nabath ciuitate, quæ eſt in ambitu Heſebon, in tribu Ruben. Pacifice ſuſcipiũtur Iudæi à Nabathæis, & inſtituũtur de cõditione fratrum, in Galaadithide. De nominibus autẽ urbiũ hic commemoratis, ratio certa non datur, propter temporũ & colonorũ mutationes creberrimas, quæ conſtant ex ſacris & prophanis hiſtorijs. Grauis autem erat afflictio gentis Iudaicæ, à qua in tot urbibus regiõis Galaadithicæ, Iudæi omnes capti eſſent, et male tractandi timebantur, niſi ſtatim Iudas cum exercitu uictorioſo ſuccurret, contra tot urbes munitas præliaturus, idq; ſine mora intercedẽte, ſiquidẽ craſtino eſſent uno die omnes occidendi.

17 Et cõuertit Iudas & exercitus eius uiã in deſertũ Boſor repẽte, et occupauit ciuitatẽ, et occidit omnẽ maſculũ in ore gladij & accepit omnia ſpolia eorũ, et ſuccẽdit eã igni.

Ex hoc loco ſatis patet, tam urbẽ Boſor, q̃ alias omnes hic nominatas, ſitas fuiſſe in regione Galaad, hoc eſt in montanis ultra Iordanẽ, tendentibus in Arabiã Petream, uel Deſertã. Nõ ſine magno dei miraculo urbẽ munitam tam cito cepit. Nec ſine cauſa iuſta tot homines impios occidit, domino ſic diſpenſante, & uindicante ſuam contemptũ, & crudelitatẽ tam inhumanã, qua decreuerant omnes Iſraelitas occidendos die uno. Sicut et in libro Heſter legitur. Repente autẽ adfuit, ut & minus ſibi profiterent, & ſubitanea clade alios magis terrerent, & à tanta crudelitate ſibi temperandum cognoſcerent.

18 Et ſurrexerunt inde nocte, & ibant uſq; ad munitionem. Et factũ eſt diluculo cum eleuaſſent oculos ſuos, et ecce populus multus cuius non erat numerus, portantes ſcalas et machinas ut comprehenderẽt munitionem & expugnarent eos.

Eodem die ſed noctu inſequente peruenit ad Dathema munitionẽ, in quam cõfugerãt Iudæi, ſeſe quoad liceret defenſuri. Quo cũ noctu applicaſſent, diluculo conſpexerũt feruorem omniũ gentiliũ cõtra Iſraelitas obſeſſos. Sunt enim ſemp impij ſtudioſiores ad piorũ exitium maturandũ, ſi poſſunt, q̃ ſint ut plurimũ fideles adſentiã tuũ iuuãdos, uel ad ſuã pietatẽ ꝓmouẽdũ uel defenſandũ.

19 Et uidit Iudas quia cœpit bellum, & clamor belli aſcendit ad cœlum ſicut tuba, & clamor magnus de ciuitate.

Prouidẽtia diuina tempeſtiue adfuit fratribus liberandis exercitus Machabæorum. Sic enim dominus omnia agit in omnibus ad proſecutionẽ iuſtiſſimorũ iudiciorum ſuorum. Quid enim iuſtius q̃ expugnari feliciter eos, qui pios iam crudeliter trucidare aggrediebantur? inſtabant autẽ magnis uiribus, clamantes et præliantes, tam Galadithæ gẽtiles, quàm Iſraelitæ obſeßi. Talis eſt enim inſania ferientium & defendentium ſeſe, ut nihil in mundo poßit cogitari horribilius & inſanius.

Et

20 Et dixit exercitui suo, Pugnate hodie pro fratribus uestris. Et uenit tribus ordinibus post eos, & exclamauerunt tubis, & clamauerunt in oratione.

Audacter Iudas aggreditur fratres liberaturus, et fugam gentiliũ compescuiturus. Hortatur uerbis, ut uires adhibeant pro fratrũ redẽptione, quãdoquidẽ nunc cernant & necessitatem urgere, et dominũ adesse suis in auxiliũ. Tribus ordinibus inuadunt inuasores, ut obmittere munitionis aggressum cogantur. Orationibus adoriuntur pugnam, & tubis sacris intonant, Israelitico more, ut terreant impios, & fidelibus addant animos. Non sunt enim unquam fideliũ prælia, sine attentissimis & seriosis precibus aggredienda. Nihil enim negligitur de uictoria, si dominus exoretur, qui solus in manu habet corda uirorum & fortitudinem.

21 Et cognouerũt castra Timothei, quia Machabæus est, & refugerũt à facie eius. Et percusserũt eos plaga magna, & ceciderũt ex eis in die illa fere octo millia uirorum.

Terret dominus quos, quando, et quõ uult bellatores, & in fugã uertit, quos decreuit prosterni, qui de suo tanto robore cõfidebant. Timotheus ille Ammonitarum et aliãs uictus fuerat. Ideo hic incipit trepidare, agnoscit ifrælitarũ conflictus & stratagemata, nihil sibi tutius duces quàm fugere, propter quod et statim cæsus est suus exercitus plaga magna, usque ad octo millia: ut hactenus fermè semp legãtur in Machabæorũ prælijs, tot hostiũ cæsa, quot Israelitarũ pugnantiũ milites adnumerati leguntur.

22 Et diuertit Iudas in Maspha, & expugnauit & cepit eam, & occidit omnem masculum eius, & sumpsit spolia eius, & succendit eam igni.

23 Inde prexit et cepit Casbon et Mageth et Bosor & reliquas ciuitates Galaaditidis.

Maspha alia non est, quàm Mispbie, quæ duplex est, una in tribu Beniamin, in monte Ieharim, prope Hierosolymã, & Silo. Alia de qua hic dicitur, in tribu Gad, in terra Galaad, quam hic Machabæus expugnat & capit, ciuibusq; occisis, fratres qui in ea erant regione liberat. Sic agit cum resíduis illius regionis urbibus, quæ diuino iure pertinebant ad Israelitas. Casbon alia non est, quàm Hesebõ, Maged, id est Maggedo. Bosor autẽ nõ una legitur in sacris, ubi Beser scribitur, sita in deserto Galaad.

24 Post hæc autẽ uerba congregauit Timotheus exercitum alium, & castra posuit contra Raphon trans torrentem.

Pereundũ erat his Galaaditbis, ideo nunc uisis & auditis tot uictorijs, quiescere nõ possunt, idq; ex odio contra Iudam & pietatem Israelis, & dominũ deũ eorum. Ideo exercitum instaurat Timotheus ex uicinis Moabitis & Ammonitis, & ponit sua castra ad flumen Raphon, quod fortitan Iaboc olim dictum est. Nã alibi hoc nomen non legitur, cum tamen fuerit iste fluuius iustæ magnitudinis, ut uidetur, quanquam transmeabilis.

25 Et misit Iudas speculari exercitũ, & renũtiauerũt ei, dicentes, quia conuenerũt ad eũ omnes gẽtes quæ in circũitu nostro sunt, et exercitus multus nimis. Et Arabas cõduxerũt in auxiliũ sibi, & castra posuerunt trans torrentem, parati ad te uenire in prælium.

Nihil incircũspecte agendũ, prouidentia maxime in bellis necessaria, ubi periculũ imminet plurimorũ: nõ aggreditur inconsulte, sed speculatum mittit exploratores, qui more formidolosorũ grandia renũtiant, et spẽ tentãt, in domino uincendi, dicentes longe maiora q̃ erant. Omnes gentes aũt qui circũ nos sunt, uno nos agmine aggrediuntur. Arabes mercenarij milites erant, ad rapinas tantum intenti & latrocinia, sine deo & conscientia. Torrens ille quis fuerit iam dictũ, Raphon scilicet uel Iaboc.

26 Et abijt Iudas obuiã illis. Et ait Timotheus principibus exercitus sui. Cum appropinquauerit Iudas & exercitus eius ad torrentẽ aquæ si transierit ad nos prior, nõ poterimus sustinere eum, quia potens poterit aduersum nos. Si uero timuerit transire & posuerit castra extra flumẽ, transfretemus ad eos, & poterimus aduersus illum.

Nõ terretur Iudas denũtiationibus tantorũ terribiliũ, sed in domino deo auxiliatore confisus, nihil cunctatur, sed aggreditur fortiter eos qui in multitudine tantũ confidebant, imò non audebant aggredi præ timore, quia iã tantas audierant Iudæ uictorias, & senserant, de nullius dei auxilio fidẽtes, sed sortilegio utẽtes cõmuni formidolosis, quod clare habet textus. Audacia transfretãdi, signũ captabatur certum futuræ uictoriæ.

27 Vt aũt appropinquauit Iudas ad torrentẽ aquæ statuit scribas populi secus torrentẽ, & mãdauit eis, dicens, Neminẽ hominũ reliqueritis, sed ueniãt omnes in prælium.

Nihil timet Iudas aggredi iam aliquoties uictos, quantumlibet multos, nec uult ex suis formidolosum desistere, sed omnes ad torrentis trãsfretationem solicitat, ne quis remanẽs timoris signũ præbeat hostibus, unde et scribas statuit qui numeratos recẽserẽt, ne quis retrocederet uel subsisteret. Voluit adesse oẽs, ut hostes audaciã uidẽtes cõpungerẽtur, quod et factũ est. Fortiter enim sperandũ in dño, & impijs resistendũ aggredientibus, proq; religione, patria et impijs, phibẽdis uita est, pstituẽda corporea.

28 Et trãsfretauit ad illos prior, et omnis populus post eũ. Et cõtritę sunt omnes gentes à facie eorũ, & proiecerũt arma sua, & fugerunt ad phanum quod erat in Carnaim.

Non præmisit milites, sed præcessit, & aduocauit ideoneus dux militiæ, prior expertus aquæ uadũ, cæteros coegit nihil trepidare, sed uiriliter agere, & subsequi totum populum, ut experimentum præberẽt se alacriter hostes aggressuros quamlibet multos. Qua sua magnanimitate terruerunt hostes, ut fugerent uel occiderentur. Iterũ ergo contritæ sunt gentes, & animo consternatæ, ut arma abijcerent, & ad phanum quoddam idolo sacrum cõfugerent, in Carnaim. Potest Carmõ fuisse præsidium uel Coronaim, uel alius locus eiusdem regionis, mutatis nominibus secundum tempus, gentes & pronuntiationem.

29 Et occupauit ipsam ciuitatẽ, & phanum succendit igni cum omnibus quæ erant in ipso. Et oppressa est Carnaim, & nõ potuit sustinere contra faciem Iudæ.

Ciuitas & phanum erat, ut uidetur, quæ occupata sunt à Machabæi exercitu, & igni succensa, cum omnibus quæ aderant, ut fieret illis quod ipsi Israelitis passim ciuibus facere constituerant, una die omnes occidere decernendo. Vtcunq; populosus locus & firmũ præsidium esset, & celebre ex diuorũ cultu, tamen obtentum est à fidelibus & deletum. Iosephus hunc locum Grana nuncupat, pro Carnaim, ne quid de nominibus digladietur. Sic fiunt hactenus ubiq; uictores pij unius dei cultores, concordi fide animati, Et uincuntur diuorum cultores, cum suis phanis & urbibus.

30 Et cõgregauit Iudas uniuersos Israelitas qui erãt in Galaadithide à minimo usq; ad maximũ, & uxores eorũ, et natos et exercitũ magnũ ualde, ut uenirẽt in terram Iudæ.

Studet Iudas collectioni gentis suæ in Iudæam, ne dispersi male tractentur ab infidelibus, & sint in perpetuo uitæ periculo, & ut sese tutari fortius possint & aptius, uniti quàm separati. Iam ante Simon eodem usus consilio de Galilæa liberauerat. Hic nunc Iudas à Galaad, quando pro ipsorum paucitate tribum Iuda et Beniamin commode inhabitare ualebant. Fortior est enim uirtus unita quàm dispersa. Rediit ergo Iudas cum magno exercitu, haud dubie, quin, qui nuper Iudæi defecerant, ob timorẽ à fratribus in Datheman, nunc uictorias cernentes, concurrunt, & participes esse cupiunt consolationis, qui in tentatione recesserant. Sed nõ tunc tempus erat talia uindicandi, sed magis coadunandi formidolosos & imperfectos, si quo modo perficerentur.

31 Et uenerunt usque Ephron, & hæc ciuitas magna in ingressu posita munita ualde. Et non erat declinare ab ea dextra uel sinistra, sed per medium iter erat. Et incluserũt se qui erant in ciuitate, & obstruxerunt portas lapidibus.

Ephron ciuitas ultra Iordanem, hoc est ad Iordanis orientem firma fuisse intelligitur, quasi contra Scytopolim sita, quæ olim dicta fuit Bethsan. Hæc uero Ephron à Iosepho dicitur Enfron. Fuerat autẽ utraq; in tribu dimidia Manasse. Redituri ergo ad propria ea uia, necessario urgebantur transire eam urbem, quod sine quocunq; incommodo promittere poterant, quia non erat facultas declinandi ab ea ad dextram uel sinistrã. Sed ut erat cõmune & ingens odium gentilium contra cultores dei, transitus negatus est, & periclitati sunt Israelitæ, ne substistentes in locorum angustia, obruerentur à gentibus: nec retrocedere facultas erat, uel uoluntas, cõstringebantur loco, ut ad preces humiliarentur, & amicitiam offerrent: Sed non solum non sunt exorati ciues, quin insuper sese recludentes, portas quoq; lapidibus obstruxerũt, uiolenta manu prohibituri transitum necessarium. Sic expedit impios capi proprijs consilijs, et malũ incidere, bonũ excludẽtes. Odiũ quoq; pietatis tales de se fructus parit.

32 Et misit ad eos Iudas uerbis pacificis, dicens, Transeamus per terram uestram ut eamus in terram nostram, & nemo uobis nocebit: tantum pedibus transibimus, & nolebant eis aperire.

Adhuc Iudas iuxta legem pacifica mandat et amice, sed nõ exauditur. Cupit transire cum suis, ut Moses olim per Idumæos, sine damno, tantũ ut mature expediantur ab itinere, et periculũ non incidant hostiũ, qui ex professo insistere poterant, quos iam deuicerãt adhuc ultra Iordanem existentes. Volunt nocere nemini, sed procedere pedibus, sine mora, transituri per diem, & non pernoctare. Quia uero & in alijs dominum deũ offenderant, & ad mensuram peruenerat plenam grauitas peccatorum, ideo nunc quoque sua culpa indurati, asciscunt sibi sine urgente causa crimina traducuntur ut merentur.

33 Et præcepit Iudas prædicari in castris, ut applicarent unusquisque in quo erat loco, & applicuerunt se uiri uirtutis, et oppugnauit ciuitatem illam tota die & tota nocte & tradita est ciuitas in manu eius.

Quid aliud dux facer aggrederetur, uidẽs dñi iudicium impendere tanto odio turgentibus idololatris, & hæreditatem Israeliticã iniusto titulo possidentibus, omnesq; humanitatis officium toties negantes, & fatali odio prosequẽtes, prorsus immeritos. Iubet igitur proclamari in castris præconem, ut acies instruatur, suo quisq; loco adsit, stat paratus ad loci inuasionem. Id ut uelociter contigit, urbem tota die & nocte coacti sunt oppugnare, quam & domino tradente ceperunt. Toti enim iam erant in uictorijs asserendis, quia domino in sua paucitate fidebant, ideo adaucti sunt numero & potẽtia, ad dei gloriã, si illam q̃ diutißime zelati fuissent, toto corde et animo.

34 & peremerũt omnem masculũ in ore gladij, & eradicauit eã, & accepit spolia eius, & transiuit per totã ciuitatẽ super interfectos.

Tam odiosum populum præstabat deleri q̃ in semine propagari. Iam autem & ob alia sua crimina hoc meriti exitium fuerant, ut occiderentur, sicut et temporibus Iosue. Sunt autẽ iudicia dei iusta, sed occulta. Hic uero cogebat necessitas sese tutantiũ, et propugnantiũ cũ odio implacabili, ut præliũ non cessaret, donec masculi occisi essent. Tanta autẽ fuit occisorũ multitudo, ut eam nõ aliter circũloqui author uoluerit, q̃ quod locus incedendi in pleteis non fuerit, nisi ubi cadauera prostrata iacerent.

35 & transgressi sunt Iordanẽ in campo magno contra faciẽ Bethsan. Et erat Iudas congregãs extremos, & exhortabatur populũ per totã uiã, donec uenirẽt in terram Iuda.

Transeuntes autẽ Iordanem Iudæi, uenerunt ad magnum campum, cuius in prospectu iacet ciuitas Bethsan, quam Iosephus Bethsamis nominat, & Græcis ait Scytopolim dici, in tribu Manasse, citra Iordanem. Ibi autem Iudas operiebatur extremos de exercitu suo, omnes congregans, ad deo gratiam rependendam exhortabatur, et ad timorẽ dei, uel ad fortiter procedẽdũ, ne quis quacũq; occa-

occasione in terra hostium remaneret, et arriperetur ad exitium, sed ut sibi prospicerent, et ab offensa incolarum sibi temperarent, donec in Iudæam peruenirent. Ostendebat facto quali solicitudine imbuatur, & studio flagret erga subiectos, prælatus populis in temporalibus & spiritualibus negotijs. Erat enim dux & sacerdos hic Iudas Machabæus, ut discãt qui sic populo præsunt uerbũ exhortationis impendere fidelibus, docendo, admonendo, increpando, atque consolando, ut prosint semper & omnibus, nec quenquam relabi sinant à suo comitatu uel deperire. Non enim honoris tantum officium est, sed maximi oneris, uel præsidere exercitui, uel inculcare legem, & persuadere ut placeat, quod contrarium est carni & sanguini.

36 Et ascenderunt in montem Syon cum lętitia & gaudio, et obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset, donec reuerterentur in pace.

Gratias domino acturi & sacrificaturi secundum legem, Hierosolymam pariter peruenientes, ascendunt ad montem Sion, ad templum domini nuper reconciliatum, & cultui diuino dedicatum, quod tunc per sacerdotes et Leuitas administrabatur. Ascendebant autem cum gaudio & lætitia, sentientes facto clementiam circa se dei. Cui & de suis substantijs & prædis holocausta offerebant, agnoscentes dei bonitatem, de tot & tantis uictorijs, deq; salute sua & reddita patria & libertate, maxime uero, quia fuissent meruentæ illis uictoriæ, quod sine manifesto dei miraculo contigisse non poterat, nempe, ut nemo ex omnibus desideraretur, eorum, qui cum Iudæ exierant contra tot & tam ualidos hostes.

37 Et in diebus, quibus erat Iudas & Ionathas in terra Galaad, & Simon frater eius in Galilæa, contra faciem Ptolemaidis audiuit Iosephus Zachariæ filius, & Azarias princeps uirtutis res bene gestas, & prælia quæ facta sunt & dixit, Faciamus et ipsi nobis nomẽ & eamus pugnare aduersus gentes quæ in circumitu nostro sunt.

Ne omnino integrum esset illorum gaudium, ne inobedientiæ crimen in rebus periculosis ignoraretur, ne quoq; sibi prouintiam quisq; deligeret à domino non uocatus, et nõ nisi in casu & maxima necessitate, sed nullo modo pro gloria humana auderent sibi pontifices uel sacerdotes gladium belligerandi assumere, consequenter hic casus magnus describitur pontificum, qui contigit ab semetipsis Iuda & Simone, nempe à Iosepho & Azaria. Qui ut audierunt ab his bene cuncta geri, de quorũ non erãt prosapia, uisi sunt inuidere eorum gloriæ, quasi non dei auspicijs omnia gererentur, & ad solius dei gloriam, proq; salute periclitantium fidelium. Ideo contra prohibitionem expressam Iudæ Machabæi audent, ut gloriam uanam assequantur, cum clade ignominiosa puniendi, et nimium exitiali. Faciamus, ait imprudens sacerdos, nobis nomen, quod celebretur pulcherrime, ut nunc Iudæ nomen inclaruit, & eamus pugnare, non obstante prohibitione eiusdem, qui nobis gloriã huiusmodi inuidet. Vt alter Moses et Aaron uidebatur filijs Rubẽ et Leuitis Choræ Datan, & Abiron: sic nunc hij quoque cogitasse & egisse uidentur. Eamus, inquiunt, & nos pugnare aduersus gentes, quæ in circuitu nostro sunt. Cum non esset similis ratio, quando nemo eos irritauerat, nemo inuaserat, nemo bellũ indixerat, nec quenquã ceperãt suorum.

38 Et præcepit his qui erãt in circumitu suo & abierũt Iamniam, & exiuit Gorgias de ciuitate, & uiri eius obuiam illis in pugnam.

Habebat & ipse exercitum iustum, tertiam partem militum, sibi commendatum ad custodiam regionis & urbis, ut neminem aggrederentur, nec concitarent quenquam ad bellum, quin & si peterentur ab hostibus, differrent omnibus modis congressum, donec Iudas succurreret, ne ipsis absentibus, iterum sanctificatio & urbs Ierusalem periculo laboraret. Quibus omnibus nõ cogitatis, sed gloriam tantum et præsumptionem, suis præcepit militibus, quod alioqui non fuerant tentaturi, & coniũcto exercitu, Iamniam urbem Palestinorum aggreditur obsidendam, quæ alicubi antiquo nomine Iabnia legitur dicta, in tribu Dan, ubi Gorgias humiliatus delituerat cum suo exercitu, qui & nunc iterum prouocatus à Iosepho, egreditur, sese defensurus cum uiris suis, qui fortasis rebus suis ut tunc stantibus, nihil nouarum rerum fuerat tentaturus, nũc uero irritatus, ut erat uir bellicosus, non recusat conflictum contra superbos istos pontifices, qui pacem fouere debuissent.

39 Et fugati sunt Iosephus & Azarias usq; in fines Iudææ, & ceciderũt illa die de populo Israel ad duo millia uiri. Et facta est plaga magna in populo, quia nõ audierũt Iudã et fratres eius existimãtes fortiter se facturos.

Turpiter fugerunt & pernicioßime superbi duces, & fastus sui præmia sustulerunt, si non cum tanta iactura quanta scribitur, desiderata sunt enim duo millia Iudæorum, qui dicuntur, ut erant filij Israel: sed de populo dicuntur prostrati, duces enim fugerant, cum sese Machabæis fratribus æquasse uoluissent, & obedire eis indignum putassent. Cuius si salubre consilium fuissent secuti, tantũ casum nõ sensissent. Disciplina ergo militaris discitur, & non prodesse multorũ principatum. Non temere sine necessitate bella suscitanda, non inuidere fortunatis, non omnium esse similia fata. Bella Machabæorum non humanitus geri, sed diuina uirtute, quamdiu domino perfecto corde siderent, et ex illius gratia toti penderent. Non tam alijs quamlibet impijs bella ingerentes, quàm fratres suos, & in fide similes propugnantes & ab hostibus uindicantes. Tarde ueniendum est ad prælia ineunda, ubi uero necessitas urget, uiriliter agendum est, non sine præmissione orationis, quæ hic nulla præcessisse legitur. Credebant enim se suis uiribus posse, quod Iudam uiderant perficisse, sed non sine oratione crebra, et magnificis exhortationibus, necessitateq; constrictum.

40 Ipsi autem nõ erant de semine uirorum illorũ per quos salus facta est in Israel. Et uiri Iuda magnificati sunt ualde in cõspectu omnis Israel et gentiũ omnium, ubi audie-

batur nomen eorum.

Allegatur quidem una causa & præcipua, quia non erant de familia aut sobole Matathiæ, non erant fratres Iudæ, qui rebus omnibus miserè exulceratis, soli ausi fuerant uindicare dei honorem, & legis obseruantiam toto pectore zelabant. Nec cessabant insistere, non pro sua gloria, sed tantum pro fratrum salute, pro quibus sese periculis obijcere non cessabant, exemplo parentis sui Matathiæ, eiusq; exhortationibus animati. Non erãt isti duo electi à domino ad hanc functionem legitime exequendam, sed, ut dictum est, Matathiæ filij illustres & præclari. Veruntamen Iudæi reliqui, qui Israelitæ dicuntur, promiscuarum tribuum, iam multa ex parte collecti, magnificati sunt, in conspectu omnium qui ubique locorum degebant in mundo, et in circumiacentibus regionibus, quin & gentes cunctæ, audientes fortia gesta ipsorũ, magnificabant eos: & ut fit, fama nominis & gestorum diffundebatur ubique.

41 Et conuenerũt ad eos fausta acclamãtes. Et exiuit Iudas & fratres eius & expugnabãt filios Esau in terra quæ ad austrũ est, & pcussit Chebrõ & filias eius et muros eius et turres eius succẽdit igne in circumitu

Si fueris felix, multos numerabis amicos: sic nunc accurrunt Iudæi & gentes, ipsorum amicitiam ambientes, quos nuper uoluissent perditos. Fausta acclamabant, hoc est optabant illis pacem & profectum. Isti Esau filij qui & Edomitæ, semper hostes erant Israelitarum, tunc autem maxime, quia in calamitate Iudaica urbes sibi Iudæorum rapuerant, adiuuerant hostes, & nunc quoque non sibi ab iniurijs temperabant, sed ubi poterant uellicabãt, ex montibus Seir uicinis, sperantes in montes & castra locaq; aditu difficilia. Hi ad omnem occasionem Iudæos impugnandi parati prostabant, quos nunc Iudas, ut olim Saul & Dauid, primos humiliare decreuit, quia fortiores & hostiliores, unde & constat eosdem Idumæos etiam sibi Hebron usurpasse fortificasse, & ut munitionem parasse sibi, intra tribum Iuda, proximam Hierosolymæ, & ferè mediam tribus Iudæ.

42 & mouit castra ut iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam. In die illa ceciderunt sacerdotes in bello dum uolunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.

Videns adesse sibi fauorem dei, in deducendis uictorijs, diuexare etiam cœpit alienigenas, alios ab Esauitis, qui terras Israelitarum tenebant, ut proprias, cum essent iure diuino datæ Israelitis, unde & Samaritanorum partes affligebat, & omnia feliciter cadebant, nunquam uincebatur, semper suorum integro numero ouator redibat Hierosolymam. A tempore quo Matathias cum filijs bella domini gerere cœpit, nunquam strages contigit suorum, nisi solum ea uice, quando superbi sacerdotes ostendere uolebant suam fortitudinem in bello, non minorem esse, quàm esset Iudæ & Simonis, contra quorum consilium & præceptum bella tentarunt, & turpiter fugati populum seduxerunt, & obiecerunt hostibus, sese saluatis. Non est officium sacerdotum, & eorum qui populo præesse debent in uerbo, qui à iuuentute sua literas et calamum tractare didicerunt, etiam si historias bellorũ calleant, non tamen ad arma tractanda tam apti esse possunt, sicut nec debent. Tales patrum honore duplici haberi debent, instare orationi, & exhortationi, consilio, & authoritate, non sunt ad exercitum rapiendi, congendi, uel etiam si uelint admittendi, sicut nec filij obijcere patrem hostibus debent, pro se defensandis, sed potius omnes pro defendendo patre exponere ultimo periculo. Si itaque instet prælium, etiam pro fide catholica, contra hæreticos, uel gentes perfidos sustinendum, non sunt per impacientiam laicorum sacerdotes allegandi, multo minus pro iniuriarum aliarum causis uindicandis, sed uiri fortes exercitati in armis, peritialium negotiorum, maxime in tanto odio clericorum, quos non aliter exosos habent, ueritatis doctores, & contrarios moribus iniquorum, quam pueri insolentes, suos in scholis magistros, quos cuperent morti exponendos, tantum ut interim scholæ uacarent. Vidimus proh dolor quid huiusmodi uulgi furor, & præcipitatum consilium in odium pijssimorum sacerdotum profuerit, utinam exemplo sit reliquis, ne similia incõmoda ecclesijs inferantur, ut quia patres sunt, ideo cum filijs hoc casu periclitari debeant. Non hoc satellites regum & ducum permitterent, sed se fortissimos, ut filios pro parente obijcerent. Sed uiderint & ipsi ecclesiarum doctores, ne se factis & moribus sic gerant uel uerbis, ut prælia tractandi artem & ausum ostentare iactareq; uideantur, qui pacem potius amare & promouere, ut Apostolici uiri de mãdato Christi domini obligantur.

43 Et declinauit Iudas in Azotũ in terram alienigenarum, et diruit aras eorũ, & spolia deorum suorũ succendit igni, & cœpit spolia ciuitatum, & reuersus est in terrã Iuda.

Palestinorum metropolis tunc erat Asotus, qui Allophili & alienigenæ dicuntur in scripturis, semper infesti Iudæis uicinis, & idololatriæ deditissimi ab antiquo, ubi & delubrum Dagon uetusti idoli semper ibidem uenerati. Verum spolia delubrorũ & optima spolia idolorum rapuit quidem Machabæus, non ut seruaret, sed ut igne absumeret, & anathematizaret, tanquam abominationes, & ucri dei cultui, ac templo minime applicanda. Spolijs autẽ ciuitatum ditatus redijt Hierosolymam semper triumphalis & augustus suæ gentis quoad uixit, inuitis regibus & ducibus, impijs quoque pontificibus, quorum omnium impia studia infregit semper, zelatus est honorem & legis domini dei exercituum, & salutem gentis suæ.

CAPVT VI.

1 ET rex Antiochus perambulauit superiores regiones & audiuit esse ciuitatem Elimaidem in Perside nobilissimam & copiosam in argento & auro, templumq; in ea locuplex ualde.

Ad longum scribitur Antiochi huius perambulatio hæc,

hæc, & obitus eius secundo libro Machabæorũ, cap. 9. quod hic breuibus dicitur, & conformiter ad Iosephi historiam, qui certe eum secundũ librum Machabæorum non uidisse uel non approbasse uidetur. Superiores regiones dicuntur, ubi in Susiana prouincia Tigris exoneratur cum Euphrate in sinum Persicũ, & Euleus fluuius, ubi Elimaida dicitur prouincia, fortassis ea quam Ptolemæus Eldimeam nominat, iuxta sinum Cenosum, nomine accepto ab urbe clarissima aliqua, Elimaide dicta, sicut & Susiana à Susis. Templum uero tam locuplex Iosephus nominat Dianæ sacrum, omni specie ornamentorum plenum, quod Antiochus spoliasse uoluisset, ut fecerat Hierosolymis, sed non potuit.

2 Et illic uelamina aurea & loricæ & scuta quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnauit primus in Græcia.

Quæ Alexander magnus ubiq; triumphator, ubique diripuerat, etiam deorum templa pretiosa quæq; ornamenta multi generis, hæc impius Antiochus nunquam triumphans, nec feliciter pugnans, dolo & mendacijs omnia semper egerat, homines non ueritus, nisi dum oportebat Romanos in Aegypto, multo minus deum timuit neq; deos, omnia libidine & procacia, potentia & uiolentia transegit. Sic nunc aurea quæcunq; ornamenta è templo idolorum diripere cogitauit, sed impeditus est. Alexander Philippi qui Macedo dicitur, primus è Græcia monarcha deum coluerat.

3 Et uenit & quærebat capere ciuitatem, & deprædari eam, & nõ potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in ciuitate.

Capere urbem cum templo uoluit, sed nõ potuit, multitudine enim ad arma currente, in fugam uersus est Antiochus. Nanee templũ nominat author secundi Machabæorum, & consilio dicitur sacerdotũ deceptus, clausus intra templũ. Quæ quàm apte omnia conueniãt Lector ingenioſtor disquirat. Nos simplicem hãc literam tutus amplectimur, non nimium Iudæis credentes, maxime in his quæ Iosepho non sunt uisa probatiora, qui tamen anxius zelator gloriæ suæ gentis ex omnibus suis scriptis comprobatur. Simpliciter hic dicitur, nõ potuisse urbem prædari ab Antiocho, quia concurrerint ciues ad sui defensionem, quibus proditio innotuerat.

4 Et surrexerunt in prælium, & fugit inde, & abijt cum tristitia magna, & reuersus est Babyloniam.

Vrbis incolæ insurrexerunt in Antiochum, & ausu gere compulerunt, re prorsus infecta in Perside, sicut et in Iudæa, interim nihil procedebat negotiorum, quæ Lysiæ mandauerat. Infeliciter cadebant omnia, quia deum non reuerebatur nec homines, unde tristitiam incidit ex superbia, quã ubiq; cõtemni audiebat & uidebat, quando iam mundo suo toti importabilis esse cœperat, quia uerum & iustum ubiq; persequebatur. Redijt de Persis contra fluuiũ Tigrim, ubi & auctus est illi dolor ex odio de Babylonẽ, quæ Mesopotamiæ urbs erat, & Chaldææ & tristitia, qua & mortuus est.

5 Et uenit qui nũciaret ei in Perside, quia fugata sunt castra quæ erãt in terra Iuda, et quia abijt Lysias cũ uirtute forti in primis & fugatus est à facie Iudæorum, & inualuerũt armis & uiribus, & spolijs multis quæ ceperunt de castris quæ exciderũt, & quia diruerunt abominationẽ quam ædificauerant super altare quod erat in Ierusalem, et sanctificationẽ sicut prius circũdederunt muris excelsis, sed & Bethsurã ciuitatẽ suã.

Cum adhuc moraretur in Perside, nunciũ accepit de suorũ clade in Iudæa, & Lysiæ ducis confusione & suorum multiplici, ut dolor odio augeretur & tristitia. Maxime autem indoluit Hierosolymæ statum, qui interim felicius stabat, deiecto idolo Antiochi, & renouato dei cultu ibidem, uellet nollet impius rex ille, cum uniuersis complicibus. Muris quoq; munitum templum & munitionem Bethsuræ deiectam ferebat egerrime, putauerat enim nihil suæ potestati potuisse resistere.

6 Et factũ est ut audiuit rex sermones istos expauit & cõmotus est ualde, & decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non est factum sicut cogitabat.

In tutum se semper posuerat rex insolens, ducibus bellorum pericula committens, & milites obijciens hostibus, tam in Iudæa q̃ Perside, ut ab incursoribus hostium lædi non potuerit, ideo nunc diuina potestate apprehenditur, & conijcitur in grauissimam ægritudinem, non cito finiendam, sed ut diutius torqueatur, tam corpore q̃ conscientia, grauissimoq; desperationis morbo maceratur cum multa confusione mentis. De qua latius in secundo Machabæorum 9. Hic breuiter scribitur, expauisse rumores, perturbatum mente. Tristitiam & dolorem incidisse, & in lectum quia prorsus fefellerat eum omne instutum. Iam incipiebat suo malo intelligere se pessimum, & improba multa admisisse in deum. Eam enim conscientiam criminũ ingessit memoriæ, quæ ad mortem usq; eum diseruciatura erat, & post mortem in inferno sine fine duratura, more omnium impiorum.

7 Et erat illic per dies multos quia renouata est in eo tristitia magna, & arbitratus est se mori.

Babyloniæ coactus est moram facere multis diebus, & de testamento condendo cogitare, qui nuper de thesauris diripiendis solicitus tantum fuerat, & de delubris idolorũ eruendis, homo prorsus sine deo, usq; ad id temporis, quando non ad salutem pœnitentia ducitur, sed ad desperationem. Quotidie nouis nuncijs de Machabæorum triumphis perturbabatur, quos uoluit prorsus eliminandos, & cessare ex hominibus. Quod dicitur arbitratum se mori: dici debuit, desperauit de uita prorogan da. De qua aliter scribitur alibi, hic uero uerius & solidius certiusq;.

8 Et uocauit omnes amicos suos, & dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, & concidi & corrui corde præ solicitudine.

Amicos intelligit aulicos, uel sanguine iunctos. Nam præter hos fautores paucos habuit tyrãnus & mẽdax,

crudelis & dolosus. Sic nouit dominus prolongare pœnas, dum uult punire, ut non solum mortuus, sed uiuus quoq; ad aliorum exemplũ, & ad utriusq; hominis cruciatum seruetur, ut intelligat quare, & sentiat quid patiatur, & euadere præsentia & futura mala posse desperet. Ideo somnus recedit, ut uigilans sentiat dolores, & anxijs torqueatur curis, qui pios tot torturis macerauit, & pro pietate crudeliter est persecutus.

9 Et dixi in corde meo: In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ in qua nunc sum, qui iucũdus eram & dilectus in potestate mea?

Incidit quidem sibi cogitatio de malis exactis, sed qui omnem dei timorem semper abiecerat, & quæcunq; libuerant sine omni humanitate mala sanctis intulerat, is nunc tribulationibus magnis opprimitur, tristitijs absorbetur, & sanctorum sanguinem effusum nunc dolere sine omni consolatione cogitur, donec uiuit, & post hanc uitam miserrimã, sine fine durantibus calamitatibus punietur. Credebat potestate tradita sine dei pauore abuti se posse, nunc dominum se habere sentit, dolet, & ferre cogitur sine fine.

10 Nunc uero reminiscor malorũ quæ feci in Ierusalẽ, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea quæ erãt in ea, & misi auferre habitantes Iudæam sine causa.

Pœnitentiam quidem agit, sed infructuosam, quia data semper opera dominum contempserat, cultum abolerat, nomen dei uoluit deleuisse, fideles exterminasse, unicum in orbe dei templum subruere conatus est, sanctam urbem Hierosolymã diruere & calcare toties molitus est, & omnem ad hoc operã impendit quandiu potuit. Nunc inuitus detinetur, ne posit quod uoluit. Dolet quidem, sed nimium tarde, cogitur reuoluere mente quid egerit contra deum, quem offenderit, quis sit & quantus cui restiterit, & cuius pupillam læserit, quot sanctos occiderit, quantis blasphemijs omnipotentem irritauerit, quantis sacrilegijs grauauerit conscientiam, quot fideles Israelitas sine causa occiderit.

11 Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala ista, & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.

Principum exemplum.

Non omnis uel pœnitentia, dolor uel cõfessio prodest ad salutem peccatoris, sed tantũ prodest electis, quibus omnia cooperantur in bonum. Discant hic principes timorem dei, iustitiam sectari dum licet & debent, agnoscere se domino subiectos iusto & lõganimi, qui nullum sinit malum impunitum, qui tempus uindictæ non præterit, suo tempore infallibiliter uindicat, quicquid committitur in electos. Ideo nunc tyrannum hæc tanta mala inueniũt, qui dei timorem semper excluserat. Fatetur iam sine causa dei populum flagellasse, sacrilegia commisisse in sanctuarium, ut & ipse agnoscat digne se damnari, et cæteros præmoneat à similibus abstinere. In terra aliena plangit se perire cum fuerit sua, sed iniusto titulo, & inique gubernata. Syria enim erat, ubi hæc patiebatur, quã iniurijs & cruore impleuerat. Non sibi datum est mori in loco quẽ illustrauerat, in Antiochia, quam suo nomine uoluerat commendari perpetuò.

12 Et uocauit Philippum unum de amicis suis, & præposuit eum super uniuersum regnum suũ. Et dedit ei diadema, & stolam suam & annulũ, ut adduceret Antiochum filium suum & nutriret eum & regnaret.

Philippus is aliquis fuit ex suis ducibus, quos amicos nominat, quia per omnia consentaneus. Quanquam & affinitate aliqua uel consanguinitate amicus dici potuit. Huic committit gubernacula regni, donec adolescat iunior Antiochus, quem illi commendat tutandum & regendũ. Regni diadema interim committit Philippo, cum stola & annulo, ut filio iumori esset patris officio, quem non sineret per tyrannos opprimi. Qui tamen malitiam patris strenue est sectatus, & domini beneficio satis tempestiue cum suo magistro ablatus est.

13 Et mortuus est illic Antiochus rex anno centesimo quadragesimonono:

Merito adsignatur annus mortis Antiochi ad cõmunem gaudium promouendum per omnia sæcula, analemnis bus hunc tam impium tyrannum citius ablatum, non potuisse diu grassare in fideles, quod unice uoluisset. Regnare cœperat infelix anno regni Græcorum centesimo tricesimoseptimo. Moritur autem centesimo quadragesimonono. Septimo autem anno regni sui cœperat filios Israel grauiter affligere. Anno nono posuerat idolum super altare in templo domini.

14 & cognouit Lysias quoniã mortuus est rex, & cõstituit regnare Antiochum filium eius quem nutriuit adolescentẽ, & uocauit nomen eius Eupatorem:

Hic Lysias filium dudum sibi commendatum, ut legitur cap. 3. regno præficit, audito patris obitu, quem & nutrierat adolescentem, cui adstabat director & consiliarius, quem & uocari uoluit bonum patrem, cum fuerit impense malus, & uix quoq; tolerabilis Iudæis futurus, si diutius uiuere contigisset. His autem factis contra dixit & impediuit Philippi mandatis, quæ à rege acceperat, cupiens magis filium regnare quam agere sub regni tutore, qui accepta occasione, pro tutore regis se regem & dominũ gerere potuisset, ui fecit Demetrius.

15 & hi qui erant in arce concluserãt Israel in circumitu sanctorum, & quærebant eis mala semper ad firmamentum gentium.

Ex rerum mutabilitate apparet sæpe mutatam fuisse arcem Sion, secundum milites custodes prouinciæ, nunc enim Macedones ipsam occupasse legimus, nunc à Iudæ Machabæo munitã. Potuit pro amplitudine loci utriusq; habitatoribus cessisse, qui & utriq; locũ defendere pro rege & pro Israelitis potuerunt. De quo sic Iosephus ex hoc loco instructus scribit 14. capite libri duodecimi. Eodem tempore hi qui erant in arce Hierosolymorum custodes Macedonum, & transfugæ Iudæorum, multa in Iudæos aduersa fecerunt. Eos enim qui ascendebant in templum immolare, repente inuadentes hostiliter oppri mebant. Nam arcis culmen, templi altitudinem superabat.

bat. Semper autem ij Græci milites partes regis propugnantes, ciues urbis affligebant, omnibus quibus poterãt modis, & cultum dei impediebant unius, pro omni uiri li: fauebant aũt Iudæis qui idola colere consenserant, & gentilium ceremonias promoueri cupiebãt, qui pro uerbo dei credendo & implendo nihil pati uolebant, sed in pace regibus parere ad illicita malebant. De temporum nostrorum gestis similibus non est ut multa dicantur, nouissima sunt quàm ut uerbis prædicentur, & peiora q̃ ut posteris sint proponenda: sed dabit his quoq; dominus finem, dum clementiæ suæ uisum fuerit.

16 Et cogitauit Iudas disperdere eos, & cõuocauit uniuersum populũ ut obsiderent eos, & conuenerunt simul & obsederunt eos anno centesimo quinquagesimo, & fecerunt baliſtas & machinas:

Audiens Machabæus mortem regis, uel fortassis iam antea post tot uictorias, post templi emundationem statim fieri potuit. Confunduntur enim historiæ circa relationes quorundam temporum, etiamsi aliquorum hic discrete tempora & anni notentur. Quis autem dubitet tam strenuum Machabæum statim ut potuit hos arcis obsessores eieciſſe, sed partium studijs, quæ maxima uigebant in urbe, denuo subintraſſe? Erant enim in Iudaica gente impiſſimi quidam nebulones, qui multo magis fauebant gentilium fidei & uictorijs, quàm hominibus suis: quandoquidem pontifices impij obsidebant etiam templi statum, & contra Machabæum agebant quicquid poterãt pro idolis recens illatis, ad gratiam regis & principum, qui illis pontificatum tradiderant. Quæ nunc paſsim fiunt speramus citius dei gratia emendanda, alioqui posſecrari, ad memoriam tantorum malorum. Obsessi sunt hi Græci in arce ab Israelitis duce Iuda, anno centesimo quinquagesimo, mortuo iam rege Antiocho Epiphane, impugnatiq; sunt à fidelibus, modis quibus tunc id fieri poterat.

17 & exierũt quidam ex eis qui obsidebantur, & adiunxerũt se illis aliqui impij ex Israel, & abierũt ad regem, & dixerunt: Quousq; nõ facis iudicium, & uindicas fratres nostros?

Iosephus inquit, multi ex transfugis ea nocte egressi ad prouinciam, aliquos similes & impios congregantes ad Antiochum regem peruenerunt, &c. Ex quibus patet quantum malum sit inteſtina discordia, partium studia, pertinacia in perfidia, & idololatrarum malitia, qui ut uerbum domini contemnentes, ad gratiam hominum agere & obmittere possunt quicquid libet, quicquid illis prodeſt ad luxum, & improborum fauorem, quibus magis fauent uti similibus quàm pijs, & ipsiſſimæ pietati. A tantis angustijs liberati fuerant à Machabæis, quibus tamen fauere nõ possunt, quod mallent gentiles esse & idololatræ, quàm unius dei cultores. Adiuuant impiſſimi Iudæi nunc Græcos, ut patriæ liberatores sanctos & fortes prodant gentilibus, & occidendos exponant, ad quod omnem suam diligentiam & operam pollicentur, & impendunt. Dicunt autem iuueni regi nuper inaugurato malis auibus: Quousq; non facis iudicium? persequendo, tollendo, occidendo eos qui persequuntur fautores gentilitatis & regis? quousq; non cogis exercitum, ò rex, ut disperdas eos qui idola nostra deiecerunt, sacrificia regis deteſtantur, edicta regalia non custodiunt, unum tantum se deum colere iactant, & omnem totius orbis diuorum cultũ deteſtantur, tantumq; unum dei uerbum se sequi confidunt. Hæc uox impios decet desertores Israeliticæ religionis, quæ & dæmonis instinctu sæpe audita est nostris temporibus: Quousq; non uindicas eos quos Machabæos trucidaunt tibi obsequentes?

18 Nos decreuimus seruire patri tuo & ambulare in præceptis eius & obsequi edictis eius, & filij populi nostri propter hæc alienabãt se à nobis. Et quicunq; inueniebantur ex nobis interficiebantur, & hæreditates nostræ diripiebantur.

Digna uox proditorum & perditiſsimorum Iudæorum, quæ & à nostris hodie quibusdam auditur, quo ad quædam quidem, quæ iactantur. Sed huiusmodi præcepta illius regis & patris sui erant, ne quis adoraret in templo domini, ne Mosis lex ab aliquo audiretur uel seruaretur, ne quis circumcideretur, ne quis fidelium ceremonias secundum dei uerbum, quod tunc ligabat conscientias, obseruaret. Filios populi sui dicunt, cõplices suos in abnegatione Israeliticæ fidei, desertores uerbi dei, dẽfectores à fide uera ad idola. Tales Iudas cum suis uiris abominabantur, excludebant ut excommunicatos, & quia non cessabant prodere dei seruos, irritare duces contra Israelitas, & irridere uerbum domini, legem sacram: ideo ubi eos Iudas assequebatur, iugulabat & tollebat è medio, ne magis obessent & diutius. Accusant autem de eis, à se perpeſsis Israelitas, quæ illi magis fuerant perferre coacti. Defendere se & suos cogebatur Machabæus, ne à patrijs legibus & iustitijs impedirentur, & ne rapinam bonorum pati is contingeret, contra omne ius & fas. Maior fuerat querelæ occasio penes Machabæos, qui ad maxima tormenta rapiebantur, ut patet ex historia.

19 Et non ad nos tantum extenderunt manum, sed & in omnes fines nostros. Et ecce applicuerunt hodie ad arcem in Ieruſalem occupare eam, & munitionẽ in Bethsuram munierunt, & nisi præueneris eos uelocius, maiora quàm hæc faciẽt, & non poteris obtinere eos.

Sic se iniquitas defendere nouit mendacijs, partim meris partim ueritate adulteratis. Fines quidem gentilium, sed prouocati intrauerant: occiderant quidem, sed occisores, sed perfidos, sed proditores. Et erant omnes fines istæ diuino iure propriæ Israelitis posſeſsiones & hæreditariæ, non infidelium. Arcem occupare conantur, ubi erant perfidi hostis fidelium, & iniustæ fidei posſeſsores, persecutores, & infestatores sanctorum tam locorum quàm hominum. De Bethsura capta &

deleta in promptu erat legitima responsio, & excusatio digna. Vere quidem loquuntur, sed iniquissimo animo, quæ dominus de illis agenda decreuerat, nec rex ille nouus, sicut nec nuper mortuus poterit impedire. Procedet Machabæorum negotium, & uerbum dei inuitis regibus & principibus impijs, suscitabit unũ ducem post alterum. Homines perire poterunt iuxta corpus, iustitia fidei semper durat, uerbũ domini permanet in æternum.

20 Et iratus est rex ut hæc audiuit, & conuocauit omnes amicos suos, & principes exercitus sui, & eos qui super equites erãt. Sed & de regnis alijs & de insulis maritimis uenerunt ad eum exercitus conductitius:

Non audit aliam partem rex, quæ iamdudum damnata erat ad mortem & exterminium. Notorium erat Machabæum cum suis contraeuisse regijs edictis, idola deiecisse, erexisse diuinum cultum, quem rex damnauerat. Arma quoq; suscepisse contra amicos & fautores regis, contra regnum gentilium, de quibus non erat ultra quærendum, rei erant omnes mortis, si tantum aliquis uires suppeditasset ad occidendum. Qui hodie præsunt negotijs, & huiusmodi clericorum querimonijs infestantur, non sic irascantur statim, sed audiant alteram partem, qui certe Christiani sunt, & Christianorum protectores, perquirant quid sit esse Christianum, quid sit fides uera, unde sumatur, probetur, defendatur, quid sit doctrina noua, quid uetus, quid conforme uerbo dei, quid reformandum in ecclesia, quæ causæ errorum, non quid utriq; credant, sed quomodo sua quiq; probent ex dei uerbo, sine quo quicquid producitur, eadem authoritate contemnitur qua probatur. Prospiciant sibi principes, ne Antiochi præsidibus & moribus assimilentur. Non aduocent pro hac causa tractãda principes exercituum uires, sed uerbi dei idoneos tractatores, peritos ecclesiarum doctores & pios: horum sententiæ ex scripturis audiantur, secundum scripturas decernatur. Hoc æque nunc scriptis fieri potest ut personis præsentibus, quod hic nihil mouere debeat personarum meritum, sed sanitas doctrinarum, quæ passim à fidelibus tanquam conformia uel difformia iudicentur. Antiquitas errorum nunquam probat, quo minus sint errores. Idololatria antiquissima est, & gentilitatis errores apostolos præcesserunt omnes & prophetas. Alioqui & hic rex Antiochus pro se antiquitatem habet, & catholicum, hoc est uniuersalem errorem in toto mundo, præter solum Israelitas, quos nunc exercitu eradicandos decernit rex, sed impius cum æque impijs principibus, qui licet ad tempus uincere possint, ut hic factũ legimus, non propterea ueritas succũbit. Etiam Machabæo mortuo primo, alios deus in locum constituit, donec uictoria steterit tandem glorioſior, pro uerbo domini, & pro sanctis, donec perseuerauerint sancti. Non est enim negotiũ hoc annexum personis, sed ipsi ueritati, iustitiæ, fidei, & gloriæ dei, cui omnia seruiunt, uarijs quanquam uijs. Hic contra fideles insurgit fortissimum regnum, accurrunt undiq; idolorum propugnatores, omnes per circuitum gentiles, ut

Ad temporanostra de concilijs.

semel Iudam Machabæum uincant, qui uinci quidem potuit, sed inuicta ueritas semper mansit, & usq; ad nostra quoq; tempora manet. ea pro qua Machabæi sunt mortui, & manebit semper, usq; dum cœlum consiterit uel defecerit.

21 & erat numerus exercitus eius centum millia peditum, & uiginti millia equitum, & elephãti triginta duo, docti ad prælium. Et uenerunt per Idumæam, & applicuerũt ad Bethsuram, & pugnauerunt dies multos, & fecerunt machinas.

Si multitudo uincit iudicio uel armis, certe hic paucæ Iudæi obruuntur grandi exercitu, & omnium fortissimo, quo uix fortior legitur, maxime cum tot elephantis, simul omnes dimicaturi contra iustitiam & fidem ueram. Per Idumæam ueniunt, fortasis ex Persis, Arabibus uel Aethiopibus. Bethsuram à Iudæis inhabitatam, & nuper captam tantus exercitus inuadit, multi pauciſsimos, pugnant tamen diebus multis, per uarias machinas inuadere satagentes, ut capiant, & sibi uindicent gentes.

22 Et exierunt & succenderunt eas igni, & pugnauerunt uiriliter. Et recessit Iudas ab arce, & mouit castra ad Bethzacharan contra castra regis.

Iudæi obsessi à regis exercitu in Bethsura uisis machinis contra se paratis, exierunt caute urbem, & submisso igne in machinas, omnes succẽderunt igni, & pro se & sua urbe uiriliter aliquandiu pugnauerunt. Erat dum hæc agerentur apud Bethsuram in arce Hierosolymitana Iudas Machabæus, uel in eiusdem arcis adhuc obsidione. Audiens autem de exercitu ueniente, obmissa arce adorsus est regis maximum istum exercitum suo loco, qui hic nominatur. Non scribitur hic quanto numero militum stipatus fuerit Iudas, sanè uix super trium millium numerum, quo quid unquam magnanimius legitur? Multo tempore iam Machabæus pugnauerat, & semper uictor abierat, ideo nunc maiori fortitudine exercitus, & circumspectione & disciplina militari diligentiore contra eum omnia peraguntur.

23 Et surrexit rex ante lucem, & concitauit exercitus in impetum cõtra uiam Bethzacharam, & comparauerunt se exercitus in prælium, & tubis cecinerunt.

Rex ille utcunque iuuenis specimen præbet idonei ducis, mane surgit, ante lucem obruituras in tempore exercitum Machabæi, concitauit exercitum suum, clasicum intonãdo, ut adorirentur paruum exercitum, contra uiam loci. Nihil hic obmittitur consilij & uiriũ, sed contra domini uoluntatem, & fidei firmitatem nihil proficitur.

24 Et elephantis ostenderunt sanguinem uuæ & mori, ad acuendos eos in prælium. Et diuiserunt bestias per legiones, & astitirũt singulis elephantis mille uiri in loricis concatenatis, & galeæ æreæ in capitibus

Ad

eorum:

Ad crudelitatem augendam contra pios nihil obmittunt impij: atrocitas hostium omnia applicat quæ impietas excogitare potest. Etiam bestiæ animantur ad crudelitatem, & ad ipsam exacerbandam, ideo ostenditur eis sanguis uuæ, hoc est rubiũ uinum, uel mori rubedo. Qui bus uisis, elephantes permoueri dicuntur ad iracundiam & rabiem, ut in bello sint ferociores, quod est exacui eos in prælium. Sunt autem elephantes bellicosa animalia, etiam teste Plinio, apud Troglodytas capiuntur, & in Africa, turres armatorum ferunt in hostes, prosternunt acies, armatos proterunt, stridore suis terrentur, uulnerati retrocedunt, mures oderunt maxime: de quibus omnibus Plinius octauo libro capite nono. Vix alibi legitur tam eleganter elephantum usus in prælijs, ut hoc loco. Per legiones diuidebantur elephantes, trigintaduo, singulis astiterunt mille uiri, loricis concatenatis, & muniti capita æreis galeis, contra ictus gladiorum & iacula arcuum. Armatis enim incedebant corporibus, qui animo fiduciam in deum nullam posidebant, à quo pendet omnis fortuna.

Elephantes pugnaces.

25 & quingenti equites ordinati unicuiq; bestiæ electi erant: hi ante tempus ubicũq; erat bestia ibi erant, & quocunque ibat ibant, & non discedebant ab ea.

Propugnatores bestiarum ordinati erant, unicuique quingenti equites, cum prædictis mille uiris armatis. Tantus erat eo tempore illorum regum strepitus & pompa, cum nulla adhuc bombardarum esset crudelitas, qua excogitata, hæc omnia necessario obmittuntur, impedimenta magis quàm adiumẽta uictoriarum. Additur autem de moribus & usu bellorum cum elephantibus, & ordine. Tam ingeniosa est hominum in homines crudelitas, ut non sufficiant gladij & cuspides, nisi bestiarum quoq; immanitas addatur: ut alicubi canes quoque alantur ad prælia exasperanda, quibus pax & tranquilitas displicet.

26 Sed & turres ligneę super eos firme protegẽtes, super singulas bestias, & super eas machinę. Et super singulas uiri uirtutis trigintaduo qui pugnabãt desuper, & intus magister bestiæ.

Ligneas turres ferebant bestiæ, immanis magnitudinis, armatas uiris non paucis, qui eminus iacula & missilia emittebant in exercitum hostium, ubi comminus accessissent, quod est desuper pugnare. Mirum autem, ut una bestia tot uiros, nempe, trigintaduos ferre potuerit. Quanquam & intelligi ex litera possit, nõ aliud quàm ut singuli elephantes trigintaduo, unum super se in turri sua uirum gestarint, machinis pugnantem, & alium in inferiori parte turris uirum bestiam regentem, ad progressum uel declinationem: quod uidetur rationabilius. Erant autem uiri illi trigintaduo non segnes & gregarij milites, sed electi & fortissimi, singulari aliqua promptitudine exercitati ad talia, ut certò iaculari possent ex hostibus quem uoluissent. Alter autem subtus curabat Elephantem, quomodo & qua pergeret.

27 Et residuum equitatum hinc & inde statuit in duas partes, tubis exercitum commouere & perurgere constipatos in legionibus eius:

Præter milites & equites cum bestijs ordinatos, magnus erat alioqui exercitus extra hunc ordinem, qui hic diuisus dicitur in duas partes, secundum suas legiones. In summa uult dicere, magnum, fortem & horribilem hũc fuisse exercitũ, multa militari disciplina ordinatum. Idq; tanto mirabilius, quod rex erat adhuc iuuenis, qui tam promptũ habuisse militem mirabile uidetur, futurumq; intolerabilem gentium domitorem, & prorsus tyranni cum, minume Eupatorem, si illi uita prolixior cõtigisset. Tantum enim duobus annis regnasse scribitur, contra fideles & unius dei cultores magna tentasse, & contra Hierosolymam, ut hic dicitur, tam bene instructo exercitu. Cui succesit Demetrius Soter, Saluator dictus. Omnes hominum pestes erant, cum tamen sibi honestissima cognomina arrogarent, homines impijssimi.

28 & ut refulsit sol in clypeos aureos & æreos resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.

Vbi maxima animi fortitudo, armorum robur, & cura salutis adhibenda erant, ibi leuitas apparet animorũ, sibi placentium in auro & argento: quæ quid faciunt in conflictu, & in mortis imagine? quid in clypeis sol resplendet aut lanceis? æs & ferrum hic exiguntur, & faciunt opus suum. Sol uero resplendens in clypeos, quanto magis terret, & oculos perstringit, tanto magis sui amore incitat ad rapinam, & insidias ponit gestanti in non loco uel tempore. Sed huiusmodi amant uani, & fortes haberi magis uolunt quàm esse, qui gloriam ostentant in externis, & uirium robur, cum in animo & corpore talium nihil præstent. Ferrum potius ornat exercitum, & acies exercitus bene ordinata, animositas militum ducumq; alacritas, circumspectio & uigiliæ, processus & armorum strepitus, acclamatio, & classicus cantus, adhortatio ad strenuitatem, & corporum proceritas, cum agilitate & constantia, non aurum uel argentum hoc futile in prælijs.

29 Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos & alia per loca humilia, & ibant caute & ordinate.

Qui montes transcendere poterant, & expedite incedere, ij illuc ordinati erant, leuis scilicet armaturæ uiri & celeres: qui uero mole grauabantur, ut bestijs accommodati milites, & equites grauis armaturæ homines, ij per plana incedebant. Omnes autem in ordinem dispositi, multa militari disciplina dispositi, nihil obmittebant quod humanitus ad uictoriam consequendã pertinere crederetur, si ex hominum prudentia uel fortitudine constaret triumphus, & non potius è cœlis, & à domino ipso exercituum.

30 Et commouebantur omnes inhabitantes terram à uoce multitudinis eorum & incessu turbæ & collisione armorum. Erat enim exercitus magnus ualde & fortis.

Fama multitudinis, & strepitu armorum, concursu

signorum, sono tubarum, equorum hinnitu, & curruum fragore, quid ni totius terræ inhabitatores commoti fuerint, quando tam magnus esset exercitus, non tantũ ualles, sed & montes operiens & planicies? Quæ omnia annotantur, ut fortitudo domini doceatur, qua contigit, ut nihil egerint, & sine uictoria decesserint, confusionem potius & stragem, quamuis non magnam, reportauerint. Et his tantis uerbis descriptus est regis impij magnus exercitus. Quid uero Iudas egerit, nunc sequitur.

31 Et appropiauit Iudas & exercitus eius in prælium, & ceciderunt de exercitu regis sexcenti uiri.

Qualis uero exercitus fuerit Machabæi, non dicitur, admodum enim paruus erat, multi enim Iudæorum ab ipso defecerant, & gentilium fortunæ magis fauebant & moribus, quàm suis proprijs fratrumq; suorum. Ibi ingens timor necessario pijs erat, qui inter scorpiones habitabant: ibi non potuit magna fieri hostium strages, quando timor obsederat fideles, non tam ab hostibus aggressuris, quàm à fratribus & commilitonibus prodituris. Tamen Iudas domino fidẽs aggreditur hostes tantos, cum paruo exercitu, eorumq; hostium, & de regis exercitu in ipso primum congressu occidit sexcentos uiros. Quid uero subsequutum fuerit, non scribitur. Pergit enim author ad scribendum fortißimi militis cuiusdam audaciã, & animi fortitudinem, longe honestiorem quàm fuerit ea, quam Curtio suo Romani adscribunt.

32 Et uidit Eleazar filius Saura unam de bestijs loricatam loricis regis, & erat eminens super cæteras bestias. Et uisum est ei quod in ea esset rex, & dedit se ut liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum.

Hic Eleazar à Iosepho dicitur fuisse frater Iudæ Machabæi, qui quidem superius dictus est cognomine Abaron. Hic uero filius scribitur Saura, quem Mauronem uocat Iosephus. Hic uidens sublimiorem elephantum ornatum regalibus, & putans in eo sedere regem, cogitauit magnam gentis suæ salutem futuram, si se expenderet pro fratribus: & regem occidisse tam cruentum & fortem, honestißimam gloriam reputabat, si unus pro tot fratribus redimendis & saluandis, fortiter mortem oppeteret.

33 Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis interficiens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atq; illuc.

Erat bestia uallata ut dictum est legione militũ, quos omnes penetrare oportebat, elephantem accessurus: fortiter ergo perrumpit, dextra sinistraq; prosternens quos habuit obsistentes, audacter & cum omniũ stupore peruenit ad bestiam, permisso facile itinere à nescientibus quid animo teneret, & qui ingressus exercitum regredi uiuus non posset. Ceciderunt ergo utrinq; multi, ipse uero procedebat, donec peruenisset ad elephãtem illum gloriosum & mirificum, ubi regem positum credebat, quem si occidisset, facile exercitum dispergendum sperabat atq; uincendum, unde gloriam insignem belli iustißimi sese reportaturum credebat. Eandem Eleazari fratris cognominationem fuisse, ut Abaron & Saurus filius dictus sit, non est in scripturis sacris rarum uel insolitum, maxime quum Mauronem ipsum nominarit Iosephus.

34 Et iuit sub pedes elephantis & suppo- suit se ei, & occidit eum & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.

Dicitur elephantum dorsum durißimum esse, uentrem autem tenerrimum, unde & ea parte occidi facile eum posse arbitrabatur, ideo subingressus est, uenriq; uulnus lætale inflixit, ut consistere diutius nequiuerit, sed in terram cadens oppreßit Eleazarum, ut expiraue rit, bellumq; remoratus est, & stuporem magnum intulerit exercitui. Et sic quidem pro sua gente & gloria dei mortuus est quidem, fama autem pietatis & fortitudinis manet semper, & indies refricatur, ut gloriam mortis honestiorem consequi non potuerit, qui propediem fortaßis ignobiliore mortis genere fuerat obiturus. Animam ergo suam perdens pro fratribus, illam inuenit, & retinet donec mundus consiterit, & in cælo semper.

35 Et uidentes uirtutem regis, & impetum exercitus eius, & diuerterunt se ab eis. Castra autem regis ascenderunt contra eos in Ierusalem, applicuerunt castra regis ad Iudæam & montem Sion.

Videns Iudas tantum exercitum à se in fugam uerti non posse, quia bestiæ tot & tales fugere non possent, esse autem & armatos fortißime, ut paucis militibus occidi omnes non possent, consilium iniit se intra muros tuiturum urbis Hierosolymæ, & templum propugnaturum, ubi si domino uolente succumbendum esset, magnanimo loco sancto, dum ea defendere tentat necessitate compulsus. Armata ergo manu & saluis militibus, rediit Hierosolymam, quando & regis exercitus æque illum festinato insequi non poterat, ut nec aufugere. Lento ergo successu rex cum tanto exercitu Iudæam ingreditur, ad oppugnandam Hierosolymam sese præparat, & ad succurrendum obsessis in arce, simul & templum cultumq; diuinum uastaturus.

36 Et fecit pacem cum his qui erãt in Bethsura, & exierunt de ciuitate quia non erant eis ibi alimenta conclusis, quia sabbatha erant terræ.

Hoc certe mirabile interim uidetur, qua ratione uel necessitate coactus, Bethsuræ propugnatores saluos abire Iudæos permiserit rex, pace donatos, à quibus fuerant fortiter lacessiti, unde & urbem egressi sunt ipsi quoque, diutius famem sufferre non potentes. Reijciunt autem necessitatem famis in legis obseruantiam solam, non in perfidiam, qua insigniter tunc ibidem & Hierosolymis affecti erant. Sic hodie cladiũ causas pharisaici Christiani reijciunt non in suam segniciem, sed in euangelicæ obseruantiæ infortunium, cum nihil minus sint quàm legis & euangelij obseruatores. Hic reijciunt in Sabbatarios

tum terræ ſuum infortunium, dum potius in ſeditiones totius gentis omne iſtud malum reijciendum eſſet, ut ſatis patet ex proceſſu hiſtoriæ.

37 Et comprehendit rex Bethſurã, & conſtituit ibi cuſtodiam ſeruare eam, & cõuertit caſtra ad locũ ſanctificationis dies multos. Et ſtatuit illic baliſtas, & machinas, & ignis iacula, & tormenta ad lapides iactandos, & ſpicula & ſcorpios ad mittendas ſagittas & fundibula.

Bethſuram firmauit rex in cuſtodiam regionis, contra Iudæos & alios, tunc quidem militibus quibuſdam defendendam mandauit. Exercitum autem mouit procedendo contra Hieroſolymam, quæ dicitur locus ſanctificationis. Quin & urbem ingreſſus uidetur rex ciuium ſeditionibus oblatam, ut ſaluarentur. Locum autem templi munitum impugnare incepit, qui unus erat ex tribus urbis partibus. Erat enim Ieruſalem complectens urbem, & ciuium domos inferiori ſitu. Erat Sion olim ciuitas Dauid, in colle ſublimiſſimo, quæ tunc arx dicebatur Macedonum, qui eam cuſtodiebant dum poterãt. Inter quæ altiora urbe & ſubmiſſiora arci, locus erat ampliſſimus, pro templo & ædificijs Leuitarum & ſacerdotum, quæ ſi ut ſic dicamus monaſterium aliquod fortiter munitum, & turribus murisq; firmatum. Contra quem locum rex ſtatuit baliſtas, iacula ignita, machinas ad lapides iactandos, ſcorpiones & ſpicula, ut multa ſunt nomina, ſicut et ingenia machinarum & tormentorum, ſecundum tempora & populos.

38 Fecerunt autem & ipſi machinas aduerſus machinas eorum, & pugnauerũt dies multos. Eſcæ autem non erant in ciuitate, eo quod ſeptimus annus eſſet, & qui remanſerant in Iudæa de gentibus conſumpſerant reliquias eorum quæ repoſitæ fuerant.

Iudæi quoq; & ſui fortiter reſtiterunt, faciendo & ipſi uaria genera machinarum pro ſe tutandis. Sicq; multis diebus utrinq; dimicatum eſt, donec eſcæ deficerent utriq; exercitui, conſumptæ enim fuerant omnes à gentibus, hoſtiliter regionem & urbem ſæpe uaſtantibus, ut mirum fuerit, in tanta populorum commotione, tamq; perpetuis bellis, diſſidijs, ſeditionibus, ſtragis & prodi-tionibus, quomodo terra coli potuerit etiam reliquis annis. Sed iterũ iactãtur cauſæ egeſtatis, ex legis obſeruantia, qua obligabantur ſeptimo anno non colere terram, ut & ipſa quietẽ habens alijs annis tanto uberiora produceret frumenta, & prouentus: quid enim hoc caſu repoſitum ſuffeciſſet tantis exercitibus? Laborant his interpretes, quomodo promiſſiones diuinas ex lege excuſent, quaſi legis obſeruantiã prætexere poſſint pauciſſimi boni, contra multos peſtilentiſſimos, & legis totius perſecutores iniquiſſimos. Quid enim proſperitatis ſpe rari poteſt feruente diſſidio, ciuibus corrixantibus & mutuum ſeſe prodentibus hoſtibus?

39 Et remanſerũt in ſanctis uiri pauci, quos niam obtinuerat eos fames, et diſperſi ſunt unuſquiſq; in locum ſuum.

Defecerunt multi à Machabæo, & elapſi ſunt extra templi ſepta, allegantes famem, cum fides potius deficiſſet & conſtantia, quomodo euadere potuerint in loca ſua, mirabile eſt obſeſſos, niſi quia legis abnegatores ſe ſimulabant, uel re uera præſtabant, ob idq; à complicibus iuuabantur, & ab iniquitatis aſſertoribus, qui primas tunc tenebant in urbe, quibus qui conſenſiſſet, tutior erat, nihil enim præter legis odium tunc feruebat, et Machabæi uiri optimi fortitudo omnibus erat exoſa. Significat hoc factum, quomodo feruente perſecutione fidelium, plurimi eorum qui ſe de eccleſia fingunt, ſine fidei conſtantia non perſeuerant, ſed diſpergantur timore pœnarum. Sicut dixit Chriſtus: Erit preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladij, captiui ducentur in omnes gentes, Ieruſalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum, & niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi.

40 & audiuit Lyſias quod Philippus quẽ conſtituerat rex Antiochus cũ adhuc uiueret, ut nutriret Antiochũ filium ſuum, & regnaret, reuerſus eſt à Perſide & Media, et exercitus qui aberat cum ipſo, & quia quærebat ſuſcipere regni negotia.

41 Et feſtinauit ire, & dicere ad regẽ & duces exercitus, Deficim⁹ quotidie & eſca nobis modica eſt, & locus quẽ obſidemus eſt munitus, & incũbit nobis ordinare de regno. Nũc itaq; demus dextras hominibus iſtis, & faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorum, & conſtituamus illis, ut ambulent in legitimis ſuis ſicut prius.

Hunc locum obſcuriorem ſic Ioſephus explicat. Lyſias dux & rex Antiochus, cum Philippus à Perſide ueniens, nunciatus eſt eis, commendatum ſibi præſumpſiſſe imperium, & rempublicam Antiochi ſibi uelle defendere, prætermittens obſidionem, ire aduerſus Philippum decreuerunt. Quod conſilium nequaquam manifeſtum cæteris ducibus facere uoluerunt, ſed iuſſit rex Lyſiam ducibus dicere, diuturnã obſidionem nihil eis poſſe proficere, quando & locum aduerſariorum conſtaret eſſe munitum, & ſibi uictualium neceſſitas irrogaretur, expediretq; pacem facere cum Iudæis, eisq; permittere proprijs uti ceremonijs, unde à nobis hactenus prohibiti exiſtere uidentur aduerſi. Hæc dicens de Philippi tyrannide tacendum eſſe decreuit, ne exercitus ſui dubia corda perciperet. Hæc Lyſia dicente exercitui & ducibus, ſententia placuit. Hucuſq; Ioſephus. Videtur autem Philippus poſt mortem Antiochi Epiphanis non ſtatim ueniſſe in Cœloſyriam, ubi Lyſias cum iuuene agebat, iam ex fama patris mortui regno ſuſcepto, & eius nomine à Lyſia adiuto, prout ante uoluerat Epiphanes. Sed per Perſidem & Mediam Meſopotamiam tranſiens Philippus, conciliabat ſibi fauores. Interim hæc fiebant in Iudæa à Lyſia & Antiocho Eupatore, anno centeſimo & quinquageſimo.

42 Propter legitima enim ipsorum quæ de speximus irati sunt, & fecerũt omnia hæc, & placuit sermo in conspectu regis & principum, & misit ad eos pacem facere, & ceperunt illam, & iurauit illis rex & principes, & exierunt de munitione.

Prouidentia dei succurrebat Machabæo, haud multo aliter, quàm olim Dauidi obsesso à Saulo, & desperanti omnino de salute, quando nunciata est Sauli Palæstinorũ irruptio, qua Saul obmittere coactus est Dauidis obsidionem, ut euaderet. Sic hic quoq; Lysias obsidens cum rege Machabæum, & locum sanctum, cum nihil impedire uideretur, quo minus caperetur utrunq;, immisit dominus terrorem à Philippi ueniẽtis perfidia, qui sibi ipsi regnum arripere uelle uidebatur, ut necessario pacem inire uoluerit cũ sanctuario & Machabæo. Sed hoc per fraudem & mendacijs in maximam quoq; iacturam Israeliticæ causæ. Alioqui sanum erat Lysiæ consilium, si statuissent promissum. Quid enim istis ducibus gentilibus de causa fidei, & regibus eorum, qui nullum reuerebantur deum? multo minus sacrum illud impediebat eos à dominio Israelitarũ, si eos uti suis paternis legibus permisissent, & non statuissent sanctuariũ delere cum gente. Iurauit quidem rex & principes Iudæ & socijs. Sed quid reuererentur iuramentum, qui deum nullũ credũt, multo minus timent? Talibus nihil credendum est uiris, etiam iuramenta offerentibus, nisi tam debiles uiribus sint, ut pro rupta fide, certissime possint puniri, aliter minime. Nulla est enim ueritas uel fidei reuerentia, nisi ubi uerbum dei in pretio est, & uerus dei cultus, fides, spes, charitas: quibus absentibus, nihil iuramentis intendunt, quàm fallere, nocere, occidere, & sine omni timore dei agere malum quodcunq; possunt. Nihil seruabunt promissorum, si fortes sunt, & si quid eis obesse quomodocunq; posit, quo astrinxerunt huiusmodi fidẽ, nihil obmittent. Non sunt fœdera facienda cum impijs, nec si facta sint seruanda, ubi uisum fuerit illis semel & uice altera rupisse. Iam enim arripienda lex est, ut frangenti fidẽ ipsa frangatur, nisi grauiora pij quotidie experiri uelint incommoda, à quibus nihil fidelitatis unquam sint percepturi, sed certissimam proculcationem, ubi primum fidei proditores aliquoties experti, perfidiam suam effundere ualebunt. Tutius est igitur tales uerbi dei & ueritatis osores obmittere, & ab illorũ familiaritate prorsus abstinere, pijs autem sociari, & in fide similibus.

iuramenta impiorũ & fœdera.

43 Et intrauit rex montem Sion & uidit munitionem loci, & rupit citius iuramentum quod iurauit, & mandauit destruere murum in gyro.

Exeuntibus Israelitis montem Sion, qui hic arx fuisse intelligitur, quam Iudas istis temporibus obtinuisse hic cernitur, quam nunc iterum coacti dimittunt, & de eadem munitione exeunt, credentes promissionibus & iuramentis impiorum. Statim data fide, sed citius rumpenda rex arcem ingreditur, conspicaturq; loci firmitatem bello inuincibilem, quem tamen saluis Iudæorum rebus seruare semper non posset, sed sæpe amittere uel obtinere cum iactura rerum, mutataq; sententia rex iuramentum rupit, & murum per circuitum destrui mandat. Hoc solo melior tyrannis, quod non etiam iuramentum rumpens occidit quos in eadem inuenerat tantus hostis pietatis.

44 Et discessit festinãter, & reuersus est Antiochiam, & inuenit Philippum dominantem ciuitati, & pugnauit aduersus eum, & occupauit ciuitatem.

Cogitur festinare cum Lysia, propter Philippi aduentum, de quo prædictum est, ut rebus Hierosolymis infectis Antiochiam petat, sed nimis tarde. Iam enim Philippus præoccupauerat urbem regni metropolim, quã nisi hic rex iunior bello repetere cogitur, quod & factum est, ibidem statim occiso Philippo. Hic uero quædam Iosephus addit, in hanc sententiam. Rediens Antiochus, ut hic dicitur, Antiochiam, ducebat secum Oniam Iudæorum pontificem summum, qui semper contrarias partes fouebat Machabæis, homo impiissimus, qui sese alm non Oniam Iudaico nomine, sed Menelaũ gentilitio & Græco uocari uolebat. Persuasit autem Lysias hac parte, ite rum non malo consilio, regem ut Menelaum hunc occideret, si uellet Iudæos esse pacatos, dicens hunc fuisse imitum malorum omnium, quæ accidissent uel Antiocho Epiphani, quem incitauerit semper contra Iudæos, uel Iudæis, qui sese ab illius prauis studijs defendere coacti fuissent. Flexit enim patrem tuum (Lysias ait) ut cogeret Iudæos religionem patriam relinquere & abiurare. Nititens ergo rex iste Antiochus iunior Menelaum summum pontificem impium ad Veriam Syriæ ciuitatẽ, interfecit eum, post decimum annum principatus sacerdotij eius, & ut ipse principatum obtineret impulit Iudæos transgredi leges. Princeps uero ordinatus est post Menelaum Alcimus, qui & ipse prius dictus fuerat Ioachim, neque impius princeps & sacerdos. Hic aliud nihil dico, quàm ut sibi prospiciant hij episcopi sacerdotes, qui principes uitæ dici uolunt & esse, & consiliarij Cæsarum, ut perpendant quid illis facto sit opus, ut in his sacris scripturis legant, quid eos deceat. Ne non solum nolint esse diuinæ legis studiosi & obseruatores, sed etiam persecutores eorum qui suo loco, & pro se quod ipsi obligerentur uerbum domini fideliter, ueraciter, & constanter prædicant, unde aliquando sint factis suis digna præmis perceptori, si innotuerit eos esse qui omnem mouent lapidem, ne abusus ecclesiastici tam multi magni & uotorij reformentur, qui nolint legitimum congregari concilium, in quo secundum dei uerbum, secundum canonem & amussim ecclesiasticam reformetur status episcopalis, & ueritas libere regibus & populis prædicetur, quam nemo minus ferre posse uideatur, quàm illi tales pontifices, qui hodie cum suis abbatibus, æque ac dijs placet, principibus, soli & toti incumbunt, ut sacra scriptura uel non tractetur, uel sic exponatur, ut de suo luxu, quæstu, & fastu prorsus nihil decedat, ut sui subditi sacerdotes & monachi, emunes sint ab omnibus mundi huius grauaminibus, & in pace amarissima pacem habeãt, de qua Bernhardus multa. Si hos episcopos delectat

delectat principatus plebium, possessio castrorum & ur
bium, imperatoris aula, & fastigium tanti honoris, ut
Romani uel alterius regni proceres esse uelint, nihil ob=
stabunt boni, tam sacerdotes quàm laici, pergant esse
clementes principes, & ecclesiarum suarum curam sic
teneant, ut earum præsides sint, patres, patroni, defenso
res, tutores, & re uera superintendentes & episcopi.
Sic tantum præsint obsecramus, non ut in pontificalibus
missas canant, non ut prædicent per seipsos, non ut tem=
pla & cemiteria laboriose ungant, non ut à casibus re=
seruatis ipsi absoluant, confessiones auriculares audien=
tes, non ut canonicas horas canant in choris. Hæc omnia
& similia non petunt ab eis fideles tam plebani eis sub=
iecti, quàm subditi in spiritualibus. Hæc omnia ut hacte=
nus non egerunt episcopi, sic nec ut faciant rogantur.
Tantum hoc optant, orant, & obtestantur omnes fide=
les per iudicium extremum, quod potentes manet æque
ut plebes, sancta & fideli solicitudine curent, ut in omni
bus ecclesijs suorum episcopatuum, nihil aliud prædice=
tur populo Christiano, quàm quod semper ab apostolo=
rum temporibus prædicatum est, uetus & nouum
testamentum, canonica scriptura ad sanum
intellectum & simplicem, secundum quem sensum ui=
tia corripiantur & corrigantur. Fides & charitas po=
pulo commendetur, obedientia ad prælatos ex uerbo dei
persuadeatur, in omnibus licitis & honestis, iustitia &
ueritas inculcetur, ut unicuiq; quod suum est detur, pu=
blica æquitas, modestia, frugalitas, & pax tranquilla cu=
retur. Hæc & huiusmodi prædicantibus sacerdotibus in
urbibus magnis & paruis, in uillis & oppidis, ipsi epi=
scopi & ecclesiarum principes & patroni, consilio ad=
sint tantum & auxilio, suaq; temporali potestate, quam
ab imperatoribus acceperunt olim, antequam episcopi
essent uel Christiani, sed adhuc flamines uel archiflami=
nes, ea, inquam, temporali potestate utantur ad defensio
nem talium sacerdotum dei, & euãgelij prædicatorum,
ut nemo cuiuscunq; status sæcularis, iuste uiuentes & fi
deliter uereq; & canonice docentes audeat calumniari,
iniuriari, persequi, & damnis afficere, propter odium
ueritatis uetustũ, cui sunt tales uiri boni semper in mun
do obnoxij, ut possint recurrere ad hos tales episcopos
uerbi dei prædicatores, tanquam ad sacram anchoram,
tanquam filij ad suos patres, seruuli ad patronum, epi=
scopi ad archiepiscopum. Quandoquidem sic certe non
mouet pios uerbi dei prædicatores episcopatus honor,
nomen & dignitas, ut qui hodie episcopi sunt & dicun
tur pro magnitudine diœcesum, archiepiscopos præsta=
ret dici & esse, qui cæteris omnibus præsint ad ædifica
tionem, ut dictum est. Tantum una parte fortassis minu=
endi censu, quando turpe lucrũ de meretricibus & con
cubinis, spurijsq; sacerdotum illis decederet, in cuius ab
ominandi lucri locum ingens & debitus honor & iustæ
diuitiæ succrescerent. Sed & cæteri quidam nodi, unus
& alter, facile solui possent, circa reformationem epi=
scopatuum, de qua non est uel meũ, uel huius loci dispu=
tare, ut fieri facilime posset, hæc per excessum non inu=
tilem, scribenti, occasione improborum pontificum, non
sine causa, utinam non sine fructu, elapsa sunt. Præstaret
enim episcopos cogitare de suo ordine & statu restitu=
endo secundũ deum, ne quando alios sint perlaturi iu=
dices, qui id ex officio facient, si illos perpetuo uiderint
cunctatores.

CAPVT VII.

1 ANno centesimo quinquagesimo primo exijt Demetrius Seleuci fi lius ab urbe Roma, & ascendit cum paucis uiris in ciuitatẽ mari timam, & regnauit illic.

De hoc Demetrio Trogus Pompeius sic narrat. Cum Antiochus Epiphanus mortuus esset, relicto filio sub tu toribus, patruus eius Demetrius, qui obses Romæ erat, cognita fratris morte Antiochi illustris, senatum adijt, dicens obsidem se uiuo uenisse fratre, quo mortuo, cuius obses sit se ignorare. Dimitti ergo se ad regnum peten=dum æquum esse, quod iure gentium maiori cesserit fra=tri. Ita nunc sibi, qui pupillum nunc ætate antecederet, deberi. Cum uero se non dimitti animaduerteret à sena=tu, tacito decernente iudicio, tutius apud pupillũ quàm apud eum regnum futurum, specie uenandi ab urbe pro fectus, tacitus cum fugæ comitibus nauem ascendit, dela tus in Syriam: secundo fauore omnium accipitur, re=gnumq; ei occiso pupillo à tutoribus traditur. Cuius rei gestæ hic tempus notatur, Annus centesimus quinquage simus primus, quo tempore iam regnum Syriæ diuisum pro tanto erat, per Lysiam & Philippum, dum quisque uellet se gerere tutorem Antiochi Eupatoris, & agere regni negotia.

2 Et factum est, ut ingressus est domum re gni patrum suorum, comprehendit exerci tus Antiochum & Lysiam, ut adducerent eos ad eum. Et res ei innotuit: & ait, Nolite mihi ostendere faciem eorum. Et occidit eos exercitus.

De hoc sic Iosephus: Fugiens Demetrius peruenit ad Tyrum, imposuitq; sibi diadema, & colligens quosdam mercede conductos satellites, ingressus est aulam, omni=bus libenter eum suscipientibus. Comprehendentes ue=ro Antiochum regem cum Lysia uiuentes perducunt ad eum. Qui statim iubente Demetrio interẽpti sunt, cũ re gnasset Antiochus annis duobus. Verisimilius est quod hic dicitur, non eum occidisse, nec mandasse: hoc enim Romanorum poterat indignationem exulcerasse magis, quorum iram sustinere non potuisset. Ideo nõ nisi odium suum ostendebat cõtra Lysiam & Antiochum iuuenem, ex quo satis intelligebãt impij aulici, in quo illi compla cere possent, etiam non iussi. Tales enim artes sunt in principum aulis, ubi iustus uix potest esse tutus.

3 Et sedit Demetrius super sedem regni sui, & uenerunt ad eum uiri iniqui & im=pij ex Israel: & Alcimus dux eorũ, qui uo=lebat fieri sacerdos. Et accusauerunt popu lum apud regem, dicentes,

Regnum suum dicitur, quia possidebat de facto, qua

cunq; ratione uel iustitia, quæ his in rebus parum curantur. Et qui tam inique regnum intrauerat, spem iam facit iniquis hominibus iniqua machinandi. Nihil enim in principatibus perniciosius, quàm si iniquitatis alicuius accusatus & comprobatus, præficiatur magistratui: is enim indemnitatis spem cæteris impijs præbebit, ad quã sequetur licentia perperam agendi passim impijs quicquid libet. Iterum ex Israele iniqui uiri in deum & homines conueniunt, probis Israelitis Machabæis & socijs negotium facturi, & statum legis dei, si possint euersuri, quibus dux & uexillifer impijssimus fit pontifex Alcimus, qui & ipse sibi ex Israelitico nomen gentile & Græcum fecerat, cum Ioachim prius diceretur. Is iam occiso Menelao ambiebat pontificatum. Iam enim eò res sacra peruenerat, ut ambitione et quæstu æstimaretur ipsius ministerium, ut non quid lex præscriberet, sed quid utilitati & fastui prodesset. Iam non tam officium habebatur quàm honor & dignitas, ducatus & regnum, ad quod ut quisq; sceleratior erat, tanto id audacius inuadebat. Volebat hic nebulo pontifex fieri, id uidet se consequi posse, si à fidelium persecutione & mendacijs auspicetur perfidiam in deum & patriam. Eum populum accusat, qui Machabæis adhærebat, & zelatorem se diuinæ legis ostendebat, quam alij pontifices uoluissent sublatam. Magis enim placebat eis gentilium flaminũ pompa & honor, officium & institutum, quàm Ioiadæ, Abiathar, & Aaronis status uel officium.

4 Perdidit Iudas & fratres eius omnes amicos tuos, et nos disperdidit de terra nostra. Nũc ergo mitte uirum cui credis, ut eat & uideat exterminium omne quod fecit nobis & regionibus regis: & puniat omnes amicos eius & adiutores eorum.

Qui pro salute iustitiæ & iustorum toties exemplo patris se periculo exposuerat mortis, & gentis statũ honorabilem & sanctum promouerat sanctissima fide, defenderat patriam & gentem Israeliticam, terruerat hostes inimicissimos Iudaici nominis & seminis, is nunc accusatur à pontifice gentili regi, quasi malefactor & hostis omnium amicorum regis. Se enim & suos complices legis diuinæ negatores nunc uocat amicos regis, persecutores sanctorum, quos rex ab impijs pro officio defendere debebat. Discant hic reges quali in periculo uersentur, ex accusationibus iniquis piorum, maxime si consiliarios habeant & aulicos iniquos pontifices, qui de deo nihil cogitantes, fastum suum unice promotum uolunt, & imponunt specie religionis regibus & magnatis. Præuolant accusationibus suis iustos, qui mentiri nil norunt, qui sciunt se quoq; à mendacio tutos non esse, se tamen deo commendant et iustitiæ, sed in innocentia sua tuti esse non possunt. Petit Alcimus mitti aliquem explo ratum, haud dubie de farina sua uel aula, quem muneribus corrumpat ad testandũ contra fideles. Regiones regis nominat, ut fauorem uenetur, quia gentili animo non iam hæreditatem domini reputabat regionem Iudaicam, sed beneficijs iniqui regis. Orat ergo ut regis authorita te puniatur & iussu Iudas, & omnes quotquot deprehendentur fauere ipsi, hoc est generaliter omnes diuinæ legis assertores.

Episcopi aulici.

5 Et elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen magnum in regno, & fidelem regi: & misit eum ut uideret exterminium quod fecit Iudas.

Voluit statim rex uindicare suam authoritatem, & agere quæ rogabatur. Mittitq; impijssimum ex ducibus gentilibus, dei & omnium diuinorum hostem, qui de lege dei nihil prorsus curabat uel audierat, qui salutem Iudaici status ex animo odiebat, qui ab Alcimo ad hoc fuerat promotus, ad hanc suscipiendam prouinciam perfequendi fideles, etiam corruptus fauore, pecunia & spe prædis. Is amicus, hoc est fautor dicitur regis, cuius consensu peractum fuerat parricidium regis & Lysiæ, de quo fidebat rex impius, ut nihil commissurus esset, nisi pro honore & utilitate regis: tales amici regum sunt et aulici, non qui libere monent, arguunt, dirigunt ad iusta & pia. Is Bacchides præses fuerat prouinciarum, quæ sunt trans flumen Euphraten, quod dicitur magnum ad comparationem Iordanis minoris, qui & ipse quasdam diuidebat dominia. Iudas exterminium fecisse accusatur, cum non nisi exterminia impiorum á fidelibus oppressis excutere studuerit. Sed hæc est consuetudo malorum, ut iniurias inferentes pijs, si iustæ compescantur, clamens si bi iniurias irrogatas, & instant magnopere, ut uindicentur ab innocentibus, qui sese defendere sunt compulsi.

6 Sed & Alcimũ impium constituit in sacerdotium, & mãdauit ei facere ultionem in filios Israel. Et surrexerunt, & uenerunt cum exercitu magno in terram Iuda: & miserunt nuncios, & locuti sunt ad Iudam & ad fratres eius uerbis pacificis in dolo. Et non intenderunt sermonibus eorum:

Hoc ambierat Alcimus, Iudam accusando, qui de sacerdotali quoq; stirpe erat, ut oppresso eo, ipse pontificatum gereret cum quiete, hoc est populi Iudaici dux esset & pontifex. Volenti & subornanti Alcimo à rege præcipitur, ut accepta potestate pontificia in populum, diligenter incumbat ad persequendũ omnes filios Israel, eos scilicet, qui patrias leges, uerbum domini, ceremonias legales, cum Iuda Machabæo defenderent, hoc est, fideles essent deo. Persecutionem hanc autem ultionem uocant, quasi designauerint crimen bello puniendum. Quale definiebant, non paruisse decretis regijs, dissimulato interim, si iustum uel iniquum esset præceptum. Venit Alcimus summus pontifex cum impio præfecto gentili cum magno exercitu, non scripturis disputaturus de religionis certitudine, sed armis decertaturus in eos, qui deo magis obtemperandum credebant q̃ homini, contraria diuinis legibus imponenti. Dolo & mendacijs omnia agunt, qui uerbo domini nihil credunt, & semel domini dei timorem abiecerunt. Quem enim timerent, qui deum non credunt, & impij regis se sciunt esse satellites, fauorem assequuti contra pios, soli deo fidentes, quem omnipotentem negant? Sapientior Iudas cum fratribus, intelligebat nihil credendum perfidis & hostibus

sibus perpetuis, nunc amicitiam fingentibus, donec exercitu parato opprimere fidelem & credulum possint. Verum spiritu sancto Iudas admonetur & seruatur, ne credat se impijs Iudæis.

7 uiderunt enim quia uenerunt cum exercitu magno. Et conuenerunt ad Alcimũ & Bacchidem congregatio scribarũ requirere quæ iusta sunt: & primi, Assidæi qui erãt in filijs Israel: & exquirebant ab eis pacem. Dixerunt enim, Homo sacerdos de semine Aaron uenit, non decipiet nos.

Luculentũ perfidiæ & grassationis institutæ signum præstiterat dux & sacerdos, instructi tãto exercitu, non obstante neq; requisito assensu Machabæorum. Scribæ quidem & seniores de populo parum de salute Machabæorum soliciti, temere ad uexationem redimendam studebant paci & fœderi incundis cum Alcimo & Bacchide, sibiq; ipsis persuadebãt posse pacem constare, si quæ iusta essent alterutrum fœderis conditiones seruarẽtur, quæ nunquam seruanda susceperant, sed tantum ad firmandam tyrannidem, qua firmata omnes Israelitas, hoc est uerbi dei zelatores, ad unum usq; trucidarent, consentiente instabili plebe. Erant autem qui ad id conabantur scribæ et docti, uel seniores Assidæi dicti, forsitan ab חסד probitate, quasi religiosi præ cæteris, hoc est superstitiosi præter legem, qui tamen erant ex Machabæo rum societate, cupientes sarciri pacem, nimium creduli uerbis impiorum, qui semel decreuerant obruere quicquid esset diuini ordinis, tantum ut regis edicta seruarentur. quantũlibet impij. Nihil uolebãt calamitatum sufferre amplius, sed improbis conciliari. Persuadebant sibi et aliis Assidæi hij, non esse credẽdum de Alcimo quicquã mali, quippe q de sacerdotali genere esset, pius, doctus, & innocens, ut decet sacerdotẽ de Aaronis semine: quo modo enim talis uellet imponere genti Israeliticæ? Cum longe tamen alia nuper exempla perspexissent, de Iasone, Menelao, & similibus monstris impietatum.

8 Et locutus est cum eis uerba pacifica: & iurauit illis, dicens, Non inferemus uobis malum, neq; amicis uestris. Et crediderũt ei. Et comprehendit ex eis sexaginta uiros, & occidit eos in una die secũdum uerbum quod scriptum est, Carnes sanctorum tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circumitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret.

Promisit pontifex aureos montes, pacem & fidem, Israelitis Assidæis uerba dedit pacifica, sed uerba erant, etiam si iuramento firmata. Nihil enim tales uerentur iuramenta contemnere. Supra cathedram Mosis sedentes, & dispensantes in lege dei, si quãdo utilitas postulat, et honoris promotio, quãdo deum nec credũt iudicem per fidiæ nec timent. Promittunt nihil mali allaturos seipsis, uel etiam amicis ipsorũ, idq; iurant per deum, in animo uoluentes optime fieri, & pro reipublicæ salute, si illi omnes occidantur, qui regi & pontifici non obediunt, ut malum non fiat illis sed bonum, si tollantur è medio. Tales sunt conscientiæ pontificum, sic loqui norunt, sic seruant iuramenta, sic ecclesiam defendũt, sic sedes suas sancte tutantur, sic agere se debere & uelle iurant, hoc est fidelem esse statui pontificali contra hæreticos, quales nunc sunt Machabæi & socij ipsorum, quibus non est seruandum iuramentum, etiam si præstetur, & per dei nomen & euangelia iuretur. Insipientes & nimium credduli acquiescunt pontifici Alcimo iuranti per sua sacra, credunt mendacio, eorum quos semper experti fuerant pessimos latrones, quotquot ante illos fuerant illius farinæ pontifices, ideoq; arripiuntur nunc qui iuramento crediderãt Assidæi & maiores, numero sexaginta. Non sufficiebat unus & alter, sed horror ingens incutiendus erat omnibus sectatoribus Machabæorũ, qui si soli comprehensi fuissent, abunde sufficissent furiæ impiorum. Hic sibi prospicere discant euangelici zelatores, & legis diuinæ assertores, contra impios pontifices, si qui sunt uel erunt, ne sese illis credant, nec etiam iuramentis talibus. Circumspiciant, & ab anteactis discant iudicare de illorum institutis, nisi uelint alacriter sese domino deo sacrificia sacrosancta offerre, ut non pauci egerunt nostris quoq; temporibus. De quibus alij certiora conscribent non his quæ hic dicũtur multum absimilia. Psalmo 78. hæc scribuntur, qui continet generalem querimoniam piorum, qui ab impijs grauissima patiuntur propter iustitiam & ueritatem uerborum dei. Quales olim erant sancti prophetæ, qui ab impijs regibus & sacerdotibus Baal Hierosolymis sunt occisi. Sicut & Christi temporibus, prophetarum sanctissimus & apostolorum caput Christus occisus est. Et nunc hoc loco de Assidæis narratur, pijs hominibus, idq; à nequissimo Alcimo, cum ipsius brachio sæculari Bacchide, una die tot uiri boni, docti, innocentes, & credduli occisi sunt Hierosolymis. Vt iterum nunc quoq; ecclesia fidelium cõqueri possit: O domine deus, uenerunt iam gentes increduli & ueri dei contẽptores, summi sacerdotes & præsides regum in hæreditatem tuam, ingressi sunt in cœtum fidelium, polluerunt templum sanctum tuum idolis suis, & execrabili cultu Baalim, gentilium quoq; ceremoniarum ac sacrificiorum. Corpora seruorum tuorum qui tuis legibus parere uoluissent, ob id morticinia facta sunt, et proiecta uolucribus cœli & bestijs terræ. Effuderunt sanguinem ipsorum sine aliqua misericordia, ueluti aquam copiose in circuitu Ierusalem, & non audebat quispiam fidelium sepelire ea, ne ipsi quoq; ueri dei zelatores esse uiderentur. In similia tempora nos quoq; incidimus domino uolente, & feliciter ecclesiam rigante. Sanguine martyrum creuit ecclesia, sicut libidine pontificum est præuocata iamdudum.

iuramenta & pontificum.

9 Et incubuit timor & tremor in omnem populũ: quia dixerunt, Non est ueritas & iudiciũ in eis: transgressi sunt enim constitutum, & iusiurandum quod iurauerunt.

Scripta sunt hæc ad salutem fidelium, ut sibi discant cauere à similibus hominibus, ne nimium tarde sapiant, & ubi similia accidere uiderint, intelligant à qua parte fideliũ consistant, quibus assimilentur magis, in quorum

societatem recipiendi sint in extremo iudicio. Iam tot bo
Trucidati pij. nis uiris trucidatis, quis non piorum formidaret, uidens talibus sacrificijs consecrari hunc tam egregiũ summum pontificem, manibus inungi sanguine, non iam pecuino sed fidelium deo? Iam nunc uident & fatentur, non esse apud tales pontifices ueritatẽ, non esse iusiurandũ, non fidem publicam uel diuinam. Hic tantum est pro ratione uoluntas, pro æquitate latrocinium, pro ueritate periurium, pro religione sacrilegium, pro consecratione præ=lium in electos. Et quis sufficit has explicare improbitates? quas certe Daniel cum reliquis futura præuidit, quæ & nos quoq; nunc præsentia aspicimus, grauiora uisuri, nisi dei nos gratia præmuniret, incerti interim quid de nobis statuerit dominus, qui honestiore mortis genere ex corpore mortis huius euadere in hoc mundo non possumus, tantum sanctificetur nomen tuum, & adueniat regnum tuum, fiatq; uoluntas tua in terra, sicut semper fit in cœlis. Orandũ tamen, ut pax fiat in diebus nostris, & salus, mundiq; tantopere deformati reformatio ad regulas fidei & charitatis, iuxta uerbum domini.

10 Et mouit Bacchides castra ab Ierusalẽ, & applicuit in Bethzecha: & misit, & comprehendit multos ex eis qui ad se refugerant, & quosdam de populo mactauit, & in puteum magnum proiecit.

Difficile est pronũciare de bello Bethzecha, si sit ciuitas huius nominis in tribu Manasse, in regione Aulonis prope Abelmehola & Thebath, non longe à Scytopoli: uel sit prope Hierosolymam Bethcur, uel alius aliquis, nimium sæpe huiusmodi mutatis nominibus. Sufficit scire illò uenisse Bacchidem, post inauguratum tam feliciter Alcimũ pontificem, ubi & multos fidelium ex fautoribus Machabæi, qui illuc confugerant apprehensos, proditione Alcimi, ut gentilis & improbus præses, nihil extimuit effusionem Iudaici sanguinis, siue fideles essent siue perfidi. Nactosq; plurimos coniecit horrenda crudelitate in puteum. Talis fit ecclesiæ reformatio, si impijs pontificibus subordinantibus, disquisitio reorum, & non consentientium abusibus ecclesiæ committatur, hominibus deum nihil timentibus, nec uerbum domini reuerentibus, sed tantum ad proditionem pontificum, brachio sæculari committantur uiri boni, zelum habentes & fidei & charitatis.

11 Et commisit regionem Alcimo, & reliquit cum eo auxilium in adiutoriũ ipsi. Et abiit Bacchides ad regem:

His sic in Iudæa gestis per Bacchidem & Alcimũ, regio illa tota Iudaica commissa est pontifici, ut eam administret, ut uelit, contra assertores legis procedat authoritate regis, utq; quicquid uelit, etiam ualeat, assignatur eidem latronum aliquis princeps, qui auxilio sit pontifici tali, ne quis hiscere pius audeat, uel euadere iam inuentus. Maxime uero fulcire eũ uoluit Bacchides contra Machabæos, ne illi contra Alcimum latronem aliquid molirentur, ob parricidia sanctorum peracta. Qui si iuxta legem domini sacerdos regere populum uoluisset, non indiguisset huiusmodi gladiatorum exercitu, habuisset consentaneos bonos & fortes uiros. Sed uoluit regibus parere, non dei legibus: dux gentis esse uolebat, non sacerdos & doctor pietatis. Abijt Bacchides ad regem, proiectis innocentium uirorum animabus in fauces truculentissimi nebulonis, sed non ad longum tempus. Non diu perfuerare potest pontificatus sanguinolẽtus, quia uiolẽtus.

12 & satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotij sui: & conuenerunt ad eum omnes qui perturbabant populum suum, & obtinuerunt terram Iuda, & fecerunt plagam magnam in Israel.

Triumphabat pontifex in sua sede, & accepta potestate à rege, iam sibi omnia licere putabat, iam accurrebant omnes odientes dei legem, qui gentilium ritibus delectabantur, qui regi placere contendebant & pontifici: qui, inquam, populum domini fideles perturbabant, accusabant, persequebantur. Iam sub duce pontifice in regione pontificis, in Iudææ ducatu, omnes trucidabãtur, uel persequebantur Israelitæ, hoc est uerbi dei zelatores pij, in terra Iuda prope & circũ Hierosolymam, ne quid ista tam sacra sedes incommodi incurreret, si ipsi hæretici Israelitæ & illorum adiutores Machabæi uires caperent uel uincerent prauitatem. Ideo plagam magnam fecerunt pontificij, in defensores legis, & assertores libertatis Israelitarum.

13 Et uidit Iudas omnia mala quæ fecit Alcimus & qui cum eo erant, filijs Israel, multo plus quàm gentes: & exijt in omnes fines Iudææ in circumitu, & fecit uindictam in uiros desertores, & cessauerunt ultra exire in regionem.

Aliquousq; progrediebatur malitia & tyrannis improbi & impijssimi Alcimi, donec ferri ultra non potuit à fidelibus, domino aliter disponente, & iam impios conculcare uolente. Vidit hæc omnia mala Iudas Machabæus, quid sacrilegus pontifex conaretur, & iam egisset, qualesq; & quãtos cõtinue socios assequeretur, qui longe crudeliores erãt in Israelitas, fratres eiusdẽ religionis & nominis professores, deiq; cultores, q̃ unquam gentiles uel athei commisissent in ipsos, omnia autem hæc fieri practicis & perfidijs pontificis ambitiosi & impijssimi. Ausus est & ipse Iudas egredi de loco suo cum suis, ad cohibendũ malitiam truculentissimorũ pontificiorum, & eorum qui defecerant à uerbo dei, qui deserebant patrias, & iuxta uerbum dei iustissimas traditiones & ceremonias, fauore gentilium: tantaq; sæuitate animaduertit in eos, qui fideles Israelitas ausi fuerant trucidare, ut nullus posthac auderet progredi ad põtificis mãdata, tam crudeliter perficienda, non obstante Bacchidis & regis fauore, quẽ mendacijs & perfidia obtinuerat.

14 Vidit autẽ Alcimus quod prævaluit Iudas & qui cum eo erant: & cognouit quia non potest sustinere eos, & regressus est ad regem, & accusauit eos multis criminibus.

Virtute deficiens & fauore apud suos: non enim audiebant oues uocem lupi, & qui non erat pastor. Ideo ad alia uia aggreditur, mendacijs regem seducendo iam alte-

ra ui-

ratice, interim fide, conscientia, fortitudine, pietate, ze
loq; præualet Machabæus, et uindicat, propugnatq; con
sentientes sibi in bono, iusto & uero. Cogitq; desperare
Alcimum pontificem de profectu sui sacerdotij et regni:
multi enim adhærebant Iudæ contra Alcimũ, quos quali
cunq; truculentia sua cohibere in officio non potuit. Sed
ad regẽ reuertitur, accusatq; de multis criminibus. Quic
quid enim Machabæus iuxta legẽ dei agebat, deijciendo
idola, sacrificando uni deo solo, restituendo dei cultũ, de-
fertores fœderis diuini persequẽdo, defendẽdo suos, totũ
Alcimo crimen erat, & ut criminosa omnia, quia contra
regis decretum accusabantur. Sic hodie crimen fit idola
deijcere, panẽ nõ ut deũ adorare, carnẽ edere in quadra-
gesima, uxorem ducere nõ potenti continere, uota male
emissa infringere, missam pro sacrificio non habere, uel
emere pro uiuis et defunctis, &c. Multa nũc crimina fi-
unt pontificijs, & ut morte digna uindicantur, feruntur
aũt adulteria, scortationes, uotorũ transgressiones, certa
mendacia, & nõ ferendi abusus innumeri & scandalosi.

15 Et misit rex Nicanorem, unum ex prin-
cipibus suis nobilioribus, qui erat inimici-
tias exercens contra Israël: & mandauit ei
euertere populum.

Hostem accerrimum nuper miserat rex Bacchidem ad
preces Alcimi, nunc peiorem Nicanorem obtinuit mitti,
cum exercitu contra Israëlitas uindicaturum læsam ma-
iestatem pontificiam. Nobilis princeps erat iuxta æsti-
mationem sanguinis: quid tum? si clemens, sapiens, reli-
giosus fuisset, & non ex professo inimicitias exercens
contra Israëlem, quos tutandos acceperat nõ perdendos.

16 Et uenit Nicanor in Ierusalem cum exer
citu magno, & misit ad Iudam & ad fratres
eius uerbis pacificis cum dolo, dicẽs: Non
sit pugna inter me & uos: ueniã cum uiris
paucis, ut uideam facies uestras cum pace.

Non iam reuersus scribitur Alcimus sacer pontifex,
confusus iam & turpiter profligatus, mirũ quod non ex-
communicauit Iudam et socios. Sed exercitũ contrahit &
mittit cum Nicanore, iterũ subornans dolum & menda-
cia, sed domino prospiciente non succedit. Quod autem
in Ierusalẽ uenit, ubi et Machabæus erat, satis liquet iam
pontificatũ aliter fuisse ordinatũ, & nõ tam publice Ma
chabæum habitũ hostem, sed omnia per simultates acta,
& per seditiones magnas & partialitates. Iam tamẽ ob-
tinuerat pars Machabæorũ contra pontificios, qui tum
erant in urbe. Nicanor aũt non ut hostis, sed regis, ut di-
cebatur clementissimi legatus à latere, ut tentaret dolo
Machabæũ tollere & occidere, quo sublato, pars sua ces
sisset. Misit Nicanor cũ Hierosolymis esset pro Iuda ami
cè cum eo acturus, uerbis pacificis, prætendens amicitiã,
prorsus pugnam detrectans, amicè autem ueluti tractatu
rus de concordia gentis & ciuiũ. Nihil de pontificis sta-
tu & iniuria cõmemorans, simpliciter se uenturum Ni-
canor ad Iudam pollicetur & cum paucis, ne oboriatur
suspicio, nec ad solum Iudam, sed stipatum etiam socijs
quibus uellet, omnino cum salute & pace illorum facies
iusurus. Sic renuntiat Nicanor Iudæ per internuntios, cui

Iudas acquieſcit, non detrectans colloquiũ, ſi cum paucis
ueniat, et nõ ſolũ alloqui uelit. Nulla enim malefacti con
ſcientia retrahebatur. Potuiſſet Nicanori ſatisfeciſſe de
facto Alcimi, ut Lyſias nuper Antiocho de Menelao, ſi
pacificum audire uoluiſſet, & rem uerbis tranſigere.

17 Et uenit ad Iudam, et ſalutauerunt ſe in-
uicem pacifice: & hoſtes parati erãt rapere
Iudam. Et innotuit ſermo Iudæ quoniam
cũ dolo uenerat ad eum: & conterritus eſt
ab eo, & amplius noluit uidere faciẽ eius.

Conſentiente itaq; Iuda, uenit Nicanor ad ipſum, pri
mumq; ſeſe pacifice ſalutarũt. Ex parte Iudæ omnia ſyn
ceriter agebantur, ſed caute & non negligenter. Paraue
rat aũt inſidias Nicanor, qui Iudam abripere debuiſſent
& capere. Sic agunt hoſtes, uerbũ domini nõ credentes,
ſine deo, iudicio, & iuſtitia, tantũ facto & uiolentia, qui
ſemel in animũ induxerũt ſuperbire, imperare, opprime-
re per fas & nefas, quoſcũq; intelligũt ſuo faſtui et luxui
non fauentes. Sic ordinauerat Alcimus, ſic bonũ perſua-
ſerat, qualicunq; danda fide, tantũ ut ſemel in manus hõ-
ſtiũ incidiſſet, ſtatim principali capto, ſocios facile humi
liaſſet, etiã ſi bis ſexaginta una fuiſſent hora trucidandi.
Nulla iſtis hominibus fides debebatur, qui hæretici erãt,
decreto Alcimi & regis, quos ſi quis quocũq; modo tru
cidaſſet, ſaluator patriæ fuerat ſalutãdus, et Alcimo pro-
xime conſeſſurus, in ſedem pontificatus reſtituendo. Sed
per dei prouidentiam, & prudentiam ſociorum innotuit
ſermo Iudæ. Certior enim factus eſt, ut alter Paulus Apo
ſtolus, proditionẽ paratam inſtare, ut nihil præter dolum
agi ſciret. Qua reuelatione comperta conterritus eſt à
tanta malitia & perfidia, quæ deberet intentari à tantis
uiris, diligentiusq; ſeſe Iudas continuit & aſſeruauit, fa-
ciem uel præſentiã poſthac Nicanoris cũ colloquio pror
ſus abhorruit et uitauit. Doloſo homini cõgredi ultra no
luit, nõ quidẽ inuaſit, ſed caute proſpexit, ut crudelia cũ
potentia machinanti Nicanori, intra urbis mœnia cum
ſuis ſocijs fortibus & animoſis minime defuturus eſſet.

18 Et cognouit Nicanor quoniã denuda-
tum eſt conſiliũ eius: & exiuit obuiam Iu-
dæ in pugnam iuxta Capharſalama. Et ce-
ciderũt de Nicanoris exercitu, ferè quinq;
millia uiri, et fugerunt in ciuitatem Dauid.

Videntur quædam hinc inde facta obmitti, breuitati
enim ſtuduit author ſanctus, & minime loquax, ſed nec
iners. Satis intelligitur Nicanor abſceſſiſſe è Hieroſoly-
ma, ſed egreſſus inſtruxiſſe exercitũ, uiribus decertatu-
rus cũ Iuda, quem callido dolo uincere non potuiſſet, nec
aliud intra urbẽ iam p maxima parte Machabæis fauẽte
cõmode tentare potuiſſet. Cui et audacter cũ fiducia oc-
currit Machabæus apud Capharſalama, uicũ aut uillã, ſic
tunc dictam, ibiq; fortiter cõgrediens Nicanoris exerci-
tui, occidit ex eo ea ſtrage plus minus quinq; millia uiro
rum. Niſi cui uideatur intra urbẽ Hieroſolymam factam
hanc cædem, ut uicus aliquis dicatur hoc nomine intra
mœnia, quia ſtatim dicitur, eos qui euaſerunt de Nicano-
ris exercitu fugiſſe in ciuitatem Dauid, hoc eſt, in munu-
tionem Sion, quæ tamen & extra urbem ingreſſum ali-

quem habuisse credi posset. Erant enim omnino solliciti Græci ne hanc arcem desererent, qua amissa, urbi nihil uel etiam prouinciæ nocumentorum inferre possent: nisi in his & alijs locis alijs meliora uideantur dicenda.

19 Et post hęc verba ascēdit Nicanor in montem Sion: & exierunt de sacerdotibus populi salutare eū in pace, & demonstrare ei holocaustomata quę offerebātur pro rege.

Ascendisse hic dicitur Nicanor in montē Sion. Iosephus dicit descendisse eum de arce ad templum, incertū qua ratione, si forte orationis causa uel curiositatis, aut conspiciendi, qua parte aliquando noceret templo cum suis ædificijs. Erat enim & templū et arx in monte Sion, sed æditiore in loco arx erat. Exibant ex atrio templi ad Nicanorem sacerdotes, iuxta legē sacrificia celebrantes, ut eū uerbis pacificis salutarent, occasionē captantes colloquij, ut lenirent iram regis, & suam contra hunc locū sacrū, in quo quotidie dño deo suo omnipotēti offerrent sacrificia pro rege, & pro salute totius regni & principum. Sic enim orandus est deus pro regibus & magistratibus, etiā discolis & iniquis, ut conuertantur ad bonam mentē, ut per eos pax et tranquillitas habeatur in regno.

20 Et irridēs, spreuit eos, & polluit: & locutus est superbe, & iurauit cum ira, dicens: Nisi traditus fuerit Iudas, & exercitus eius in manus meas: continuo cum regressus fuero in pace, succendam domum istam.

Quid homo gentilis aliud egisset, superbus & uanus, qui dei nullius opera sese indigere existimabat, qui deum nullum credebat, & in primis dominū deum Israël exitiali odio prosequebatur, et blasphemare non timuit, sed & polluit, hoc est, pollutū locū affirmauit uel aliquo dedecore fœdauit, uel fœdari iussit per aliquē satellitū suorum, addens superbissima uerba ut suam decebat perfidiam & malitiam, cito finiendam? Eleuato quoq; brachio iurauit per deum, quem non credebat, succensurū se locum istum omnem, si redeunti sibi in pace, non sint Iudam Machabæū tradituri in suas manus. Hæc quidē insē licissimus iurat, sed nihil perficiet, nō enim rediturus est, nisi frustatim discerptus cū ignominia, saluato tam Iuda quàm suo exercitu, temploq; subinde glorificando.

21 Et exiit cum ira magna: & intrauerunt sacerdotes, & steterunt ante faciem altaris & templi: & flentes dixerunt: Tu domine elegisti domum istam ad inuocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis & obsecrationis populo tuo: fac uindictā in homine isto, & exercitu eius, & cadant in gladio: memento blasphemias eorum, & ne dederis eis ut permaneant.

Furore percitus egreditur impius Nicanor, tam atriū quàm urbē, ut augeret è Syria exercitū suum, et Iudā aggrederetur circa Bethhoron conflicturus, quod & factū scribitur consequenter. Quo egresso sacerdotes territi ingrediuntur in atriū interius, quod sacerdotū erat, ubi & altare holocaustorū ante faciem templi, ubi orationis locus est, ibi orantes steterunt cum fletu & lachrymis, obtestantes dominum, ut per clementiam & potentiam, ipsorum miseratus, & propter gloriam sui nominis, conseruare dignetur gentem & locum, principem & templum, sanctuariū quod unice elegisset ad cultū, & ceremonias sacras ad gloriam sui nominis, ut ibi inuocetur & colatur à fidelibus suis, exaudiatq; humiles ipsorum preces, ut uindictam dignā ostendat contra hunc superbissimum Nicanorem, ut cum suo propediem exercitu cadat, & blasphemiæ illius quas iaculatus est in dominū deum Israël, decidant in suum caput, experiaturq; in facto, se exercituum omnium dominū non impune blasphemasse.

22 Et exiit Nicanor ab Ierusalem, & castra applicuit ad Bethhoron: & occurrit illi exercitus Syriæ. Et Iudas applicuit in Adasa cum tribus millibus uiris:

Magnam tunc fuisse regis potestatem in Ierusalē satis claret, quod non solū in arce præsidium militū Græcorū haberet, sed etiam urbis totius dominū: quod usq; ad eos dies non Machabæus, sed Nicanor uel rex habere uidetur, quia sic libere intrat & egreditur apertus licet hostis. Id aūt ob studia partium contingebat, multis uolentibus obedire regi, & gentiliter uiuere, alijs Machabæo adhærentibus, & iuxta legem uiuere deumq; colere cupientibus, nunc una parte aliam superante, nunc uicissim ab altera. Castra sua quæ habebat, in Bethhoron collocat, ubi & è Syria recipit, rege mittente, & Alcimo subornante exercitum, usq; ad nouem millia militum. Cui Iudas parat occursum cum tribus millibus, in loco non multum remoto, iterum experturus uirtutem domini, & uictoriam uictoriā relaturus cum magno gaudio & honore.

23 & orauit Iudas, & dixit: Qui missi erant à rege Sennacherib, domine, quia blasphemauerunt te, exiit angelus, & percussit ex eis centum octogintaquinq; millia: sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie, et sciant cæteri quia male locutus est super sancta tua, & iudica illum secundum malitiam illius.

Quia uero superaturus erat hostē pessimū, ideo gratiam accipit humiliter & ardenter orandi, admonitus uerbo dei & prophetica historia de excidio maximi exercitus Assyriorū, olim sub rege Ezechia contra Sennacherib & Rabsacen, æque blasphemis in dominū, quando è cœlo angelus dñi missus occidit centū millia et octoginta quinq; millia. Sic nunc orat dominū, fidelibus placari pro sua ipsius gloria, ut iste quoq; blasphemus contundatur, et desinat blasphemare. Nihil præsumit de propriis uiribus, post tot tantasq; uictorias, sed dominū precatur, ut ipse sua uirtute prosternat in conspectu fidelium, hostem hodie, non ad gloriā Iudæ & fidelium, sed ut sanctificetur nomen domini dei Israël, ab alijs quoq; gentibus, & à desertoribus legis, ut resipiscant cernentes iudicium dñi dei iustum, in hunc pessimum blasphemū, quale iam sæpe uidere potuissent, nisi ceruix illa durissima, nunc ut olim semper obstitisset, ut sine clarissimis miraculis cultores.

24 Et cōmiserūt exercitus prælium tertiadecima

ma die mensis Adar: & contrita sunt castra Nicanoris, & cecidit ipse primus in prelio.

Annotatur dies prælij, iterũ clarificãda per festa. Est autem mensis Adar, qui nobiscũ Februarius partim dicitur, quo congressu uirtute domini castra Nicanoris cõtrita sunt, & cecidit ipse omnũ primus, ut fuerat meritus in dominũ exercituũ cœlestiũ & terrestriũ blasphemus.

25 Vt autem uidit exercitus eius quia cecidisset Nicanor, proiecerunt arma sua, & fugerunt: & persecuti sunt eos uiam unius diei ab Adazer, usquequo ueniatur in Gazara, & tubis cecinerũt post eos cum significationibus:

Facile fuit uictoria potiri hostiũ duce profligato, & in primis cadente, qui ut in corpore cor est, unde uita & influxus in omnia membra, sic ex prudentia et fortitudine ducis, pendet audacia & dispositio exercitus. Omnes ergo stulti & pauidi milites, uno lapso, statim abijciunt arma, ut expeditius fugiant, & à subsequentibus uita infelice donentur. Sic autem humiliare potest deus & uult blasphemos, et iactatores uirtutis, quæ hominũ nõ est, sed dei, persequuntur nũc fideles concurrentes impios pala bundos. Discimus distantiã Adazer ab Gazara, nempe diei iter. Videtur quoq; eandẽ fuisse Adarsam ciuitatẽ, procul à Bethoron inferiori stadijs 30. quæ & Adazer. Vtræq; in tribu Iuda, proximæ Palestinis. Tubis cecinerunt passim in uicis, ut fuga hostium significaretur, & inuaderentur.

26 & exierunt de omnibus castellis Iudææ in circuitu, & uentilabant eos cornibus, & conuertebantur iterum ad eos: & cecideront omnes gladio, & non est relictus ex eis nec unus.

Prouocati Iudæi sunt in omnibus uicis, audientes classicum contra fugientes, ut persequuturi exirent. Ventilare cornibus, est hinc inde terrere conclamationibus, ut nesciant quò aufugiant, dum ubiq; hostibus occurrere timent fugientes, ut dum unum fugiunt incurrãt ad alum, quod est conuerti iterum. Talem illis dominus timorem incussit, qui pios & pietatem persequebantur, donec ad unum omnes occiderentur de exercitu Nicanoris, ut discerent gentiles quiescere ab incursione gentis Israëlitice, pro pietate tantum in deum decertantis.

27 Et acceperunt spolia eorum & prædam: & caput Nicanoris amputauerunt, & dextram eius quam extenderat superbe, & attulerunt, & suspenderũ contra Ierusalem.

Spolijs iterũ ditantur pij de præda impiorum occisorum in uniuersum, ut nõ solũ religioni seruati fuerint, sed etiã consolati insolitis diuitijs. Caput superbi Nicanoris amputatũ cum dextra manu in uictoriæ tam illustris monumentũ attulerunt Hierosolymam, & in prospectũ incantium urbẽ & exeuntiũ supenderunt, ut discant gentes non blasphemare deũ Israëlis, sed reuereri & colere. Extulerat enim manũ, iurans sese dum rediret templum cõbusturum, nunc aũt extollitur in altũ in gloriã templi.

28 Et lætatus est populus ualde, & egerunt diem illã in lætitia magna. Et constituit agi oĩbus annis diẽ istã tertiadecima die mensis Adar. Et siluit terra Iuda dies paucos.

Nihil hic legitur de cantico gratiarumactionis, de sacrificijs gratulatorijs, profusi quidem sunt ad agendum festa, & ad gloriam magnificandam uincentium per sæcula: quanquam & gratiarumactio interpretari posśit hæc celebritatis institutio. Lætatus dicitur populus ualde, & egisse diem illam cum magna lætitia, quẽ et quot annis celebrem fieri iusserint. De conciliatione dissidentium, de reformatione morum, & diuim cultus, nihil dicitur, ideo siluit quidem terra, & pacem habuit Iudæa, sed diebus paucis. His Iosephus addit, principem sacerdotum Alcimum uolentem deponere murũ sanctuarij ueterem, & costructũ ab antiquis prophetis, plaga quadã repentina percussum, tortumq; per dies multos detestabiliter expirasse, post quã pontificatũ tenuisset annis quatuor, quo defuncto sacerdotium populus tradidit Iudæ Machabæo, non diu regnaturo in huiusmodi pontificatu. Alcimi mors.

CAPVT VIII.

1 ET audiuit Iudas nomen Romanorum quia sunt potentes uiribus, & acquiescunt ad oĩa quæ postulantur ab eis: & quicunq; accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias, & quia sunt potentes uiribus.

Non necesse est omnia uerissima fuisse, quæ hic bona de Romanis dicuntur, nõ enim scriptura testatur quales fuerint, sed quæ de eis in orbe fama iactata sit, quæ solet semper esse præclarior quam res ipsa uulgata. Quanquã sine insigni iustitia, æquitate, fide et prudentia tantũ imperium consequi minime potuissent, maxime tam diuturnum & clarum. Non enim iniquitas, falsitas, perfidia diu durant, cum uiolentia & odio. Nec tantum hic narrantur gesta Romanorum illius temporis, sed quod iamdudũ præcesserat. Iam enim dudum ante Machabæi tempora ditionem suam terra mariq; distenderant, in Græciam Asiam, Syriamq;, & uniuersam Italiam imperium fuerant assecuti, aucti maximo numero ciuiũ ut post Samniticam uictoriam numerati fuerint 150000 ciuiũ, deinde Cartaginenses, deinde Græcos, sic quoq; Aniochum Magnum uicerunt, & iuste tractarunt. Iudæ aũt Machabæi temporibus, Romani superato Perse, Macedones, Illyricos, & Galatas liberos esse iusserunt, unde prodijt hæc Romanorum fama ad Iudæos. De qua hic ad longum dicitur, quàm sint fortissimi animo & armis, æqui in negotijs, & multum tractabiles, facile acquiescentes iustis postulationibus, fidelissimi in seruandis amicitijs, pro quibus fortiter instent, & fideliter perseuerent. Romanorũ gesta clara.

2 Et audierunt prælia eorum, & uirtutes bonas quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt sub tributum.

Prælia multa Romanorum uulgabantur in orbe contra uicinos & peregrinos, Gallos in primis, qui olim Senones dicti, Romam inuaserant, quos deinde Camillus uicerat. Quæ contra Hannibalem gesserant, & Magnũ Antiochũ, non poterant à Iudæis ignorari. Bonas uirtu-

tes in Galatia factas, arbitror intelligi uictos quidē Galatas à Romanis, sed libertate donatos, tributo tamē tolerabili subijciētes, suis tamē legibus uiuere permittentes. Id quod Machabæo in primis placebat, qui æquanimiter tulisset Græcorū imperiū et tributa, si non etiā ab obseruantia legū diuinarū prohibere tentassent, et à suis traditionibus paternis et auita religione abstrrere uoluissent.

3 & quanta fecerunt in regione Hispaniæ, & q̄d in potestatē redegerūt metalla argenti & auri quæ illic sunt, & possederunt omnem locū consilio suo & patientia: locaq; quæ longe erant ualde ab eis, & reges qui superuenerāt eis ab extremis terræ, contriuerunt, & percusserunt eos plaga magna:

Hispanias iam Romanu subegerāt, & Afros, Siciliam quoq; cum centum Lybiæ urbibus. Eo aūt tempore Iberia dicebatur, quæ nunc dicitur Hispania, quam totā coegerant facere imperata, ubi & metalla in suū suscepera̅t Romanu dominū. Quanquā autē fortitudine insigni floruerint, magis tamen consilio & prudentia cæteras omnes Barbaras gentes superabā̅t. Et insup patientia, quam egregie præstiterunt, nihil desperantes, si quid calamitatis aliquando & cladiū pertulissent, ut est dubia bellorū fortuna. Remotißima loca sibi subiecerunt, ut Parthiam, Aegyptū, Græciam, Hispanias. Vnde & iam ante Iudæ ducatum bellū egerant in Termopylis, ubi uicerunt Antiochum, & compulerunt quotannis uectigalia soluere, mille talenta auri, quando et multas colonias deduxerūt.

4 cæteri aūt dant eis tributum oībus annis. Et Philippū, & Persen Cæthæorū regem, & cęteros qui aduersum eos arma tulerant contriuerunt in bello, & obtinuerunt eos:

Tributo annuo contenti sunt Romani, sinunq; religionem obseruari quamcunq;, nihil cogentes credere uel adorare, sed tantum pacem seruare, & quæ pacem perturbant obmittere. Hic uero Philippus Perses rex Cæthæorum quis fuerit non dicitur. Potest rex aliquis Cypri fuisse, quæ Hebræis insula Cæthæa dicitur, quem unà cum alijs insularum regibus suo subiugauerunt imperio Romani, & pacifice gubernarūt: quanquam & Macedones alicubi Cæthæi dicantur. In summa autem Romani superarunt semper hostes suos: quotquot arma sustulissent contra illos, bello eos contriuerunt & obtinuerunt, non solum ante Machabæi tempora, sed & postea multo tempore, donec luxu & auaritia defecerunt.

5 & Antiochū magnū regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum uiginti elephantes, & equitatū, & currus, & exercitum magnū ualde, contritū ab eis: & quia ceperunt eum uiuū, & statuerūt ei ut daret ipse & qui regnarent post ipsum, tributum magnū, & daret obsides, & constitutum:

Commemorat specialiter uictoriam Romanorū contra Antiochum Magnum, patrem Antiochi Epiphanis, fratrem Seleuci Philopatoris, cuius iste tunc regnans filius erat Demetrius. Dicitur autem rex Asiæ, nō tantum minoris, sed maioris, quæ ex eo tempore Asia maior est dicta, comprehendens scilicet Syriam & Persidem, Mediam & Parthiam, quibus hic omnibus imperauit, quidam tamen cum suo ingenti exercitu tot elephamū à Romanis deuictus est, & uiuus captus, sed permissus in regno sub tributo dando magna in copia, acceptis quoq; obsidibus, & illius filio Antiocho, qui Romæ dictus est fuisse obses, & Illustris postea dictus, propter quod & aufugere coactus est, quando Alexandriæ Ptolemæum obsederat, præcipientibus Romanis per legatum.

6 & regionem Indorum, & Medos, & Lydos de optimis regionibus eorū: & accepras eas ab eis, dederunt Eumeni regi:

Ex subiugata quidem Persida & Aegypto, Romani quasdā etiam Indorū prouincias acquisierunt aliquando, sed non diu tenuerunt ob loci distantiam. Lydia autem regio cultißima Asiæ portio est, & Cræsi ditissimi regis regnum, quod duraverat ad eum annis circiter ducentis quinquaginta. Inde luxus Asiaticus, unde Romani uictores tandem sunt uicti. Caput Lydiæ Sardes fuerunt, ad Caistrū amnem. Mediam quoq; obtinuerūt et Hircaniā, & proxima quæq;, usq; ad Parthorum montes, quas oēs optimas regiones acceptas iure belli dederunt regi Eumeno, qui frater Attali Eumenā in Phrygia urbe condidit.

7 & quia qui erant apud Helladam, uoluerunt ire, & tollere eos: & innotuit sermonis, & miserunt ad eos ducem unū, & pugnauerunt contra illos, & ceciderūt ex eis multi, & captiuas duxerūt uxores eorum, & filios, & diripuerunt eos, & terram eorū, possederunt, & destruxerunt muros eorū, & in seruitutem illos redegerunt usque in hunc diem:

Hellas Græcia dicitur, à Græco rege, ibi nato. Ab Hellone Deucalionis et Pyrrhæ filio: Aliās dicta Achaia & Attica, ubi Athenæ. Notatur autē hic historia quædam breuiter, quam non facile alibi sit inuenire legendā, saltem non mihi. Tollere Romanos intelligit expellere, & dominum recusare: sed hoc non passi sunt Romani, quin misso duce obedientiam extorserunt multis occisis, qui datam Romanis fidem fregerant. Excusationis autem gratia hæc de Romanis crudelia scribit, ut indicet, non unquam seueros esse uel crudeles Romanos, nisi ubi perfidiam & crudelia facta ulciscuntur.

8 & residua regna, & insulas quæ aliquando restiterant illis, exterminauerunt, & in potestatem redegerunt.

Pertinaciter resistentes insulas et regiones humiliant Romani, uolunt enim sibi seruare fidem, ut ipsi seruare non obmittunt, nec patiuntur amicis suis inferri iniurias: & si qui non amici tranquillitatem perturbent, & bella incipiant, hos non sinunt inultos, sed fortiter compescunt & subdunt, ut pax et cōcordia in ipsorū imperio conseruetur. Talia Iudæ Machabæo placebant, quæ & à Græcis cupiebat assequi, sed nondum poterat, quin continuis iniurijs afficiebant Israelitas, ut patuit ex prædictis.

9 Cum amicis aūtē suis, & qui in ipsis requiem habebant: conseruauerūt amicitiā, & ob

& obtinuerunt regna quæ erant proxima & quæ erant longe: quia quicunq; audiebant nomen eorum, timebant eos.

Amicos cupiebant obtinere multos, cum quibus pacẽ colebant, & amicitiam factis ostendebant, fidem seruabant: quibus omnibus suis studijs iustitiæ et amicitiæ factum est, ut sub imperiũ Romanũ multæ nationes confugerint, quærentes pacem à uicinis crudelioribus & pareis impatientes, quo & factũ est, ut dominiũ huiusmodi permissa libertate multis, suo modo uehementer auctum fuerit, ut non tantũ uicinas sibi regiones subdiderint, sed & remotas maxime. Sic enim gerebant se ad hostes, ut quàm uehementer timerentur. Amici aũt pace fruebantur optata. Hæc et huiusmodi Romanorũ fama tũc erat, cum nondum omnia Romæ corrupta essent, ut lapsu temporis factum est, donec auaritia et luxu tota collapsa est.

10 Quibus uero uellent auxilio esse ut regnarent, regnabant: quos autem uellent, regno deturbabant: & exaltati sunt ualde.

Paucis explicat potestatẽ Romanorũ, quæ sibi non parum arridebat, sub qua cogitabat tutiorẽ se posse cũ suis uiuere, quàm sub Græcis, & in hoc ipso non modicũ tentatus est, ut nõ tam gratus cogitaret de beneficijs domini dei sui, qui tot eũ continuo uictorijs donauerat, humiliauerat semper Græcos, & impios quoscunq;, qui & potuissent suppliciter exoratus & fideliter cultus, maiorem rerum tranquillitatẽ concessisse, cuius uenenũ non tam à Græcis manabat, quàm à perfidia multorũ in gente Iudaica. Tentatus est Machabæus in fide, suspicatus tutiorem se futurũ sub Romanis, quàm sub dño. Sicut et Israẽ litæ maiorẽ pacem & rerũ tranquillitatẽ somnuabãt sub regibus, quàm Samuele, sed utrisq; male cessit. Et Machabæo quoq; mortis occasio fuit hæc imaginata amicitia, qui dei potius gratia contentus esse debuerat, qua toties semper uictor euaserat, per tot bellorum discrimina.

11 Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea.

Summa diligentia Romani studuerunt, ne ad unũ solum summa rerũ peruenuret, qui tyrannidẽ exerceret in eos, qui cõmunu periculo, patientia, & strenuitate, certando dominiũ tantum fuerant assecuti. Ideo regiã dignitatem ab initio sibi importabilem expertã abiurarunt consulibus electis, & his nõ uno sed duobus, donec Iulius Cæsar imperium assequutus est, quod & posteri tenuerunt: Qui tamen non reges, sed imperatores dicti sunt, crudeliore uocabulo, quãdo durius est sustinere imperantem qui im regentem sequi et consulentẽ. Diadema intelligitur regium imperiũ, apud unũ solum. Purpura quoq; olim regum erat paludamentum, quam & ea ratione negabant, nisi ex senatus priuilegio gestari ab aliquo.

12 Et quia curiam fecerunt sibi, & quotidie consulebant trecentos uiginti consilium agentes semper de multitudine, ut quæ digna sunt, gerant. Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari uniuersæ terræ suæ: & omnes obediunt uni, & non est inuidia neq; zelus inter eos.

Curia senatus dicitur prætorij frequentia, ad ius unicuiq; reddendum, ut perseueret potestas, & ordo inter homines. Sæpe mutatus est numerus senatorũ ut nũc centum, nunc ducenti fuerint, uel etiã, ut hic dicitur trecẽti, apud quos potestas esset, & iudicium populi Romani, ut omnia quæ gerebantur fierent authoritate senatus populiq; Romani, qui olim tanta maturitate, sapiẽtia, grauitate & maiestate præerat, et ius reddebat, ut si quis extraneus ipsorum curiam ingressus esset, non tam senatores q̃ reges se uidere miraretur. De magistratu suo in annũ loquitur, quem duo adminstrabant, uno principali & primo. Vel de dictatore intelligendum, qui unus erat ut plurimum. Domunabantur quidem unuersæ terræ, sed cum senatu & populo, à quibus eligebatur & abrogabatur dum uisum esset. Quàm nõ aut̃ inter eos inuidia & zelus fuerit, satis propriæ eorum canunt historiæ. Sed quæ plausibilia sunt famantur, non turpia, alioqui longe inuenirẽtur celebriora Germanorũ olim facta, quàm Romanorum, apud quos perpetuæ uiguerunt dissensiones, crudelitates, inconditæ libidines, et perfidia sine fine & modo, proditiones & scelera tanta, ut et de magnis Cæsaribus non erubuerint grauia flagitia celebrari, qualia & adhuc publice famantur, & à Romana ista fece non cessant: quanquam ut olim, sic nunc quoq;, ibidem nõ desint sanctæ personæ, & homines Christianissimi, sed qui diluuium criminum publicorum impedire non possunt. Romanorũ quales historiæ.

13 Et elegit Iudas Eupolemum filiũ Iohannis filij Iacob, & Iasonem filiũ Eleazari, & misit eos Romam constituere cũ illis amicitiam & societatem: & ut auferrent ab eis iugum Græcorum, quia uiderunt quod in seruitutem premerent regnum Israẽl.

Non modicum peccauit Machabæus, sentiens à tanto tempore sibi dominum adfuisse contra omnes hostes pietatis, quam unice hactenus zelauerat, ut de humano brachio perquirendo, et de amicitia gentiliũ, de fœdere cum idololatris, sibi minime fuerit cogitandum. Exempla in bellis semper oraturo occurrerant, ex factis patrum sanctorum, qualia hic quoq; ex uerbo domini delegisse debuerat, & dominum deum adiutorem inuocasse, multa fiducia & fide: sed continuo decrescere debebat Israẽlitarum secundum carnem status & potentia, quia gloria diuini nominis gliscere debebat in mundũ totum, ad quod dei institutum parabatur Romanum imperiũ, cui etiam iuxta prophetias subdi debebat sceptrum Iudaicum. Hoc itaq; bonum elicuit dei bonitas ex hoc malo Machabæi, qui ut statim pontifex est à populo salutatus, ut Iosephus dicit, cogitare cœpit de auxilio brachij carnalis, de pace cum infidelibus. Elegit autem Eupolemũ quendam etiam ipsum gentili nomine sibi placentem, cum esset filius Iohannis & nepos Iacob, et Iasonem similis uanitatis professorem ex nomine, quibus gentilitia perplacebant. Hos Romam misit fœdus imituros nomine Iudæ, & populi Iudaici cum Romanis, quorũ potentia et fauore tuti essent à Græcis regibus, Demetrio scilicet et successoribus, qui

Iudæos fideliores iam maiorũ exempla sectatus cœperat grauiter affligere, & à legis obseruantia repellere ui & truculentia, ut fecerat frater. Regnum Israël dicit generaliter, hoc est populũ Israëliticum, qui olim regnum tenuerat, ad quod pro omni uirili aspirabant, quod et cum tempore, sed infaustissimũ sunt assequuti, cum dominum deum super se regnare contenti non essent, quia defectores erant à lege plurimi eorum, & pars ubiq; maxima.

14 Et abierunt Romam uiam multam ualde, & introierunt curiam, & dixerunt: Iudas Machabæus, et fratres eius, & populus Iudæorũ miserunt nos ad uos statuere uobiscum societatem et pacem, et conscribere nos socios & amicos uestros.

Viam multam ualde ierunt, hoc est, periculosa nauigatione, usq; ad urbem Romam, ubi in senatum admissi, quid dixerint, breuibus recitatur, more Hebraico, quo et responsio & totus actus descripta sunt, quandoquidem Latinus aliquis tunc orator longe ampullosiora dixisset in senatu, sed nõ meliora. Quid enim breuius et clarius, ac etiam sufficientius à fidelibus, & gentilẽ stilum ignorantibus, dici potuisset? Iudas ille nominatus, etiam uobiscum, magnus in armis, & clarus uictorijs, nunc summus noster pontifex, & strenuissimi sui fratres, cum uniuerso populo Iudaico nos miserunt ad uos, ut statuamus uobiscum societatem & pacem, & inter uestros amicos & socios conscribamur, ut multæ aliæ nationes. Id quum religiose petierint dictum est, quàm feliciter cesserit senserunt, & hodie sentiunt, & coram Pilato confessi sunt, clamantes, Non habemus regem nisi Cæsarem. Contigit autem hæc prima confœderatio Olimpiade 155.

15 Et placuit sermo in cõspectu eorum. Et hoc rescriptũ est, quod rescripserunt in tabulis æreis: & miserunt in Ierusalẽ, ut esset apud eos ibi memoriale pacis & societatis.

Non erat difficile Romanis socios complecti Iudæos, qui iam Antiochi temporibus dominũ assequuti fuerant totius Syriæ, Aegypti, & Asiæ: nec aliud intendebatur, quàm ut citra prælia & iniurias tyrannorum, Iudæis sicut & alijs liceret tranquillam agere uitam sub potentatu Romanorum, qui terrori erãt iam omnibus inique agentibus, et prælia indigna suscitantibus. Tabulis æreis olim fœdera scribebantur, ad indicium perpetuitatis & firmitatis. Scriptum uero est eo stilo & idiomate, quo intelligi posset à Iudæis & legi, ut ibi asseruaretur in perpetuam rei memoriã. Iosephus scribit, Exemplar quidem ad Iudæam transmissum, ipsum autẽ fœdus tabulis æreis scriptum, in Capitolio collocatum.

16 BENE SIT ROMANIS & genti Iudæorum in mari & in terra in æternum: gladius q̃, & hostis procul sit ab eis.

Salutem precantur sibi & amicis suis, nunc uero similiter Iudæis, in amicitiã ascitis, in mari & terris bene sit, hoc est toto sub Romano imperio. Idq; ut sit semper optant, & sine fine, hoc est longissimo tempore, ut liceat in tranquillitate uitã degere utrisq;, & ab omni hostium infestatione diu esse tutissimis utrisq;. Aliud enim nõ tractant filij huius sæculi, quàm ut pax seruetur, quæ tamen sine innocentia uitæ non conseruatur, & sine iustitia, fide & ueritate, sine obedientia & legibus iustis.

17 Quod si institerit bellũ Romanis prius, aut omnibus socijs eorum in omni dominatione eorũ: auxilium feret gens Iudæorum, prout tẽpus dictauerit, corde pleno:

Post salutationem, articuli breuibus concepti scribuntur: Hac cõditione nobis Iudæi amici erunt, ut si ingruat bellum aliquod cõtra Romanos, nempe ciues, quos ubiq; locorum iam habebant, urbes & regiones, quæ hic socij nominantur, statim ut fuerint requisiti Iudæi, auxilium ferãt Romanis, prout melius poterint et bona fide, quod explicatur his uerbis, prout tempus, hoc est, occasio suaserit, & corde pleno, Iudaico stilo.

18 & præliantibus non dabunt, neq; subministrabunt triticũ, arma, pecuniam, naues sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes.

Alius iuxta hunc articulus, uel capitulũ. Gens quoq; Iudæorum adiuuans Romanos contra hostes, non dabunt præliantibus necessaria expeditioni, sed fiet profisso à ciuibus Romanis, nemo enim proprijs militat stipendijs. Eranteq; magis instructi nauibus, armis, & annona Romani & illorum reliqui ciues quàm Iudæi, qui & de tali bus melius poterant ordinare. Ideo sequitur, Sicut placuerit Romanis. Si quid uero mandauerint Romani Iudæis, huiusmodi mandata seruabunt, nihil autẽ mercedis recipient à Romanis pro belli laboribus.

19 Similiter autẽ & si genti Iudæorũ prius acciderit bellum, adiuuabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit, & adiuuantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naues, sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum absq; dolo:

Capitulum tertium. Si genti Iudæorum acciderit bellum adiuuabunt Iudæos Romani bona fide, quod est ex animo, & ut melius et opportunius poterint. Tũc quoq; Romanis Iudæos iuuantibus, non dabitur annona à Iudæis. Veruntamen hæc pacis fœdera clarius explicare uidetur, qui & melius scire potuit, Iosephus sic scribens: Neminem subiectorum Romanis bellare contra gentem permittimus Iudæorum, nec alicui bellanti præbendum censemus triticum aut naues aut pecunias. Et si quis contra Iudæos putauerit esse bellandum, sciat eis nos auxilium præstituros. Et Rursus, si Romanorum quilibet inuaserit terram, Iudæos eis modis omnibus obsistituros: & si quid de hoc pacto gens Iudæorum uoluerit uel addere uel auferre, communi sententia populi Romani faciendum esse conuenit. Et hoc est quod sequitur.

20 secundum hæc uerba constituerunt Romani populo Iudæorũ. Quod si post hæc uerba hi autilli addere, aut demere ad hæc aliquid uoluerint, faciẽt ex proposito suo & quæcunq; addiderint uel dempserint, rata erunt.

Sic habet fœdus mutuum initum Iudæorum cum Romanis,

manis. Satis amphibola sunt quæ dicta sunt, & hic dicuntur, sed bene intellecta suis temporibus. Sensus uidetur: Poterunt huic fœderi quædam addi uel minui, dum uoluerit utraq; pars, & consenserit.

21 Sed & de malis quæ Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei, dicentes, Quare grauasti iugum tuum super amicos nostros, & socios Iudæos?

Additur & quintus articulus, ut nũc Romani prohibeant authoritate sua & serioso mandato, ut Demetrius desinat persequi et opprimere Iudæos, quod et tunc Romanu egisse dicũtur. Scripserũt enim in hãc sententiam, phrasi Hebraica expressam. Quare, inquiunt Romani Demetrio, grauasti iugum tuũ super amicos nostros et socios Iudæos? Sic enim sermonẽ Iudæus formasset Iudaicũ.

22 Si ergo iterum adierint nos aduersum te, faciemus illis iudicium: & pugnabimus tecum mari terraq;.

Absterrere insuper student, si quid sit tentaturus, nempe nõ se laturos æquanimiter, sed digna uindicta responsuri ipsi si secundo Iudæos per iniuriam aggredi tentet. Fuerat enĩ obses Romæ, & subditus adhuc illis erat, quẽ inuadere & regno repellere potuissent, si placuisset Romanis. Addit hic Iosephus, factũ sub principe sacerdotũ Iuda, duce Simone fratre ipsius. Hæc quidẽ prima inter Romanos & Iudæos amicitia cognoscitur contigisse.

CAPVT IX.

1 INterea ut audiuit Demetrius quia cecidit Nicanor & exercitus eius in prælio, apposuit & Bacchidem & Alcimũ rursum mittere in Iudæam, & dextrum cornu cum illis.

Non potuit breui tempore fœdus cum Romanis instituti, ob locorum distantiam, et itineris difficultatem, cuius tamen institutum & propositum statim à Nicanoris uictoria & clade fortassis susceptum est. Interim dum hoc fœdus obtinetur et promulgatur, multa patiuntur adhuc à Demetrio rege, per Bacchidem propugnatorem Alcimi, adhuc uiuentis, & nihil molientis, quàm Iudæ et suorum, hoc est piorum Israelitarum exterminum. Audiens enim rex Nicanoris excessum, & exercitus sui totius stragem confectam à Iuda Machabæo, rursum Bacchidi præcepit & Alcimo, ut exercitus sui fortissimos milites, quos hic appellat dextrum cornu, ut Iudæam iam à Iuda obtentam inuaderent, et eijcerent à Hierosolyma, quotquot non consentirent in edicta regum, contra legem & uerbum domini. Quamdiu enim sacrilegus Alcimus uiuebat, non poterant consequi pacem Israelitæ.

2 Et abierunt uiam quæ ducit in Galgala, & castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis: & occupauerũt eam, & peremerunt animas hominum multas.

Galgala hæc ciuitas uel regio, tertio miliario ab oppido quod Hieronymi temporibus dictum est Legio, in tribu Nephtalim, non multum distans à Masaloth urbe, cui est australior, ubi & regio Arbelis uel Berim. Ibi constitutus exercitus, quotquot Iudæos inuenit, qui Iudæ Machabæi partes fouebant, occidit ad magnum numerum, instinctu ac proditione impij pontificis Alcimi.

3 In mense primo anni centesimi & quinquagesimi secundi applicuerũt exercitũ ad Ierusalẽ: & surrexerunt, & abierunt in Berean uiginti millia uirorum, & duo millia equitum.

Anno 145. ducatum Iudas susceperat. Iam nunc ultimum prælium suum scribitur confectum anno centesimo quinquagesimo secundo, septimo scilicet anno à morte Matathiæ mense primo, cũ solent inchoari bella, in Marcio nempe, tũc etiam aggressi sunt iterum Hierosolymã. Berea duplex est, una in regiõe Seleucide, altera quæ hic nominatur Berea, aliter Bera & Bare, haud procul distans à Cariathiarim, inter Ierusalem & Azotum, prope præsidium Bethsura impositum claustris montiũ ad Raphaim uallem. Multus autem militum & equitum numerus erat, cõtra paucos Iudæ amicos et propugnatores.

4 Et Iudas posuerat castra in Laisa, & tria millia uiri electi cum eo:

Lais quidem urbs non multum distat à Galgalis, & Masaloth prædictis locis, quæ & aliâs dicitur Dan, in Iosue libro, Lesem dicta. Sed qui hic locus Laisa dicitur, nõ quadrat ad eam, cum sit prope Bethsuram, uideri potest dicta Liez prope Bethel, in tribu Beniamin uel Iuda. Sed de his nominum uarietatibus, nõ est anxia inquisitio necessaria, nec finem obtinebit, ob locorum uastitates, tam crebras, & adhuc frequentiores nominum mutationes, & insuper orthographias molestissimas. Hunc deniq; locum Iosephus, cum in hoc libro, à quo suam accepit de Machabæis historiã, legisset, ut legimus, Laisa, ipse eum appellat Birziton. Quis ergo post tantam authorum licentiam, in his rebus inquirendis scrupulosior esse uelit? Scopo potius historiæ si eum consequi possumus contenti simus, quanquam & huiusmodi de rebus monuisse non putauerim esse inutile, nec lectori ingratum.

5 & uiderunt multitudinẽ exercitus quia multi sunt, & timuerunt ualde: & multi subtraxerunt se de castris, & non remanserunt ex eis nisi octingenti uiri.

Videbant tria millia electorum militum, qui circa Iudam erant, hostium magnum exercitum usque ad uiginti millia uirorum & duo millia equitum. Aggressi prius sæpe fuerant multo maiores exercitus & uicerant, nunc autem, quia fide defecerant, & aliqua parte diuino auxilio diffidebant, cogitantes de amicitia Romanorum, quam fortassis iam obtinuerant, ideo prouidentia dei eiusq; iusto iudicio, etiam si non nobis manifesto semper, timore nunc perculsi sunt, & subterfugiunt conflictum, deserunt suum fortissimum ducem Machabæum, quo digni non erant, & quem sua culpa perdituri erant ob suam perfidiam. Timentes enim ualde subtraxerunt se de castris, & nõ remanserunt cum Iuda nisi octingenti uiri. Signum id erat mutatæ aliquantũ fortunæ, uel me-

ritorum cuiusdam mutationis & animorum.

6 Et uidit Iudas, quod defluxit exercitus suus & bellum perurgebat eum, & confractus est corde: quia non habebat tempus congregandi eos, & dissolutus est. Et dixit his qui residui erant, Surgamus & eamus ad aduersarios nostros, si poterimus pugnare aduersus eos.

Fortissimus Iudas quanquam dilapsis socijs, & exercitu plus quàm duum milliũ uirorũ, qui si adfuissent magnificam uictoriam reportare potuerãt, ipse tamen totus incumbit cum paucissimis cõmilitonibus ad propugnationem iustitiæ, et ad impios profligendos. Confractus quidem nonnihil est corde uidens retrocessisse suum exercitum, pro quo recolligendo instantibus hostibus satagere non poterat: adhortatur tamen fideliſsimos uiros qui remanserant, ut non timerent, sed fortiter agerent. Surgamus, inquit, & pergamus obuiam impijs istis hominibus aduersarijs nostris, si poterimus pugnare aduersus eos. Quia in hoc prælio occubiturus erat Iudas, ideo nõ nunc gratiam accipit, dominum deuotiſsime exorandi, ut aliâs sæpe fecerat: sed sibijpsi relinquitur, ut humanũ aliquid patiatur, iam enim et fide defecerat, et gentiliũ fauore et amicitia fruebatur, à quibus nũc erat, nõ absq; culpa deserendus. Dubitat quoq; de dei assistẽtia, de qua nihil hic legitur cogitasse. Si poterimus, inquit, pugnare, contra aduersarios. Dixisset melius: In noĩe dñi ulciscar in eos.

7 Et auertebant eum, dicentes, Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo, & reuertamur ad fratres nostros, & tũc pugnabimus aduersus eos: nos autẽ pauci sumus.

Attonitos reddiderat socios inopinatus casus defectionis sociorũ, uidebantq; se paucos relictos, & ad pusillanimitatem perduxerat eos, fortaſsis cõscientia peccatorũ: ideo instant apud Iudam, ut retrocedatur, & recolligatur exercitus, expectẽturq; opportunitas felicior aggrediendi hostem, quem collectum cernebant, & paratũ in aciem triplicatam. Potuerat enim retrocedens redemisse tempus, et locum pro se aptiorem arripuisse, dominũ inuocasse, & gratiam solitã uictoriæ impetrasse. Ideo dicebant prudẽter: Liberemus saltẽ hac hora animas nostras, & reuertamur ad eos, qui nobis auxilio esse possunt, si adsistant alacriter et parati, tunc aũt pugnabimus æquo Marte, imõ non alio auxiliatore quã domino. Nihil enim nobis cũ Marte uel Martialibus, sed cũ fidelibus & pijs. Nũc enĩ ut uidemus nõ licet pro nostra numia paucitate.

8 Et ait Iudas, Absit istam rem facere, ut fugiamus ab eis: & si appropiauit tẽpus nostrũ, moriamur in uirtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.

Loquitur hic quidẽ Iudas ut fortiſsimus heros, & bellator egregius & magnanimus, sed desideratur in uerbis eius tam prouidentia humana, quàm fidei usus, & religionis tunc maxime necessariæ cogitatio. Absit istã rem facere, ut fugiamus ab eis. Nolebãt certè commilitones fugere, sed redimere tempus locum & animũ. Quod aũt addit, poterat religiosius dixisse: Cõmittamus nos domino exercituũ, clementiſsimo deo nostro, qui nunquã nos hactenus deseruit, sed iustiſsimæ causæ suæ semper adstitit, is et hodie quantumlibet paucis aderit. Facile est concludi multos in manu paucorũ, & non est differentia in conspectu dei cœli, liberare in multis & paucis: quoniã nõ in multitudine exercitus uictoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Sic olim loquebatur Iudas in congreſsibus cõtra Apollonium et Seron, duces Antiochi, ideo uincebat cũ paucis multos. Hic de dño inuocando nihil succurrit animo, ut discamus fortitudinem et uictoriam à dño esse, & orationibus impetrandam exemplo sanctorum. Hic uero optimus Iudas anxius & distractus, audaciam suadebat non orationem. Si inquit, appropinquauit tempus nostrum, moriamur fortiter propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. Hic de nostra clade omnibus modis simili nuper perpeſsa, aliquid quidem dicendum haberẽ, sed satius est agnoscere bonitatẽ dei, quæ contigit rapi ex hoc sæculo nequã optimos uiros quosdã qui sortem suam minime cõmutarent cum uiuentibus in hoc mundo. Gratiam & benignitatẽ esse & fuisse eam nostram cladem in uiris optimis non tantũ credimus, sed experimur, quandoquidem causa belli non est bacchanalia inuenta talis, pro qua confundamur. Semel periclitata est ecclesia, sed cũ multo fœnore pietatis, quæ minuere est relaxata. Manifestata est in pietate hypocrisis: qui pij dño probantur, manifestati sunt tam moriẽdo quàm prosequendo, ea quæ ad dei gloriam pertinent, & ad reformationẽ ecclesiæ sanctæ dei. Nõ est propterea oppressa religio Israelitica, gloria dei, et status populi fidelis, quia occubuit etiam in sua ignorantia Iudas Machabæus, sed fortior resurrexit, nõ quidem statim, nec sine magnis angoribus etiam postea perpeſsis, sed suo tempore, & non post multos annos: sub Ionatha scilicet et Simone, statim ut impius Alcimus iudicio dei sublatus est. Vtinã non postea æque mali succeſsissent, optime enim res Israelitica tunc stare cœperant. Sed hæc argumentũ propriũ sunt. Nihil magis cupio, quàm ut temporum nostrorum historiæ ueriſsime & fideliter conscribantur. Aeque uidebuntur dei nostri magnalia, nunc ut in huius libri contigit historijs, in uictorioſsimis Machabæorum gestis.

9 Et mouit exercitus de castris, & steterũt illis obuiam: & diuisi sunt equites in duas partes, & fundibularij & sagittarij præibãt exercitum, & primi certaminis omnes potentes.

Exercitus Bacchidis et impijſsimi Alcimi procedebat ad omnem opportunitatem dispositus, multi enim cõtra paucos & aliorum fuga desertos, audaciſsime progrediebantur, triplici ala, uel ut hic dicitur, coram instructi & ordinati, obuiamq; steterunt Iudæ Machabæo, diuiseruntq; se in primis in duas partes, tã paucos milites multa circumspectione aggreſsuri, non tamen sine formidine. Equites, inquit, in duas sunt alas diuisi, quibus nulli ex parte Machabæi respondebant tales equites, qui in usu Iudaicis exercitibus non erãt: fundibularijs et sagittarijs tunc

tunc utebantur, tam Iudæi ut aliâs constat quàm Syri, ut hic dicitur. Et hi præibãt exercitũ, molestantes milites et ineptos reddentes lapidũ iacturis et sagittis. Et qui exercitatissimi erãt in prælio præibant, ex quorũ fortitudine & constantia pendebat uictoria, humanutus assequenda, sed non ea quæ datur cœlitus. Non enim in tibijs uiri beneplacitũ est dño, nam et in hoc exercitu qui hic potẽtes laudãtur oẽs occisi sunt anteq̃ occumberet Machabæus.

10 Bacchides autẽ erat in dextro cornu, & proximauit legio ex duabus partibus, & clamabant tubis: exclamauerunt aũt & hi qui erant ex parte Iudæ etiam ipsi, & commota est terra à uoce exercituũ: et commissum est prælium à mane usq; ad uesperam.

Dextrum cornu uidetur iudicandũ iuxta iudiciũ non hostium, sed Iudæorũ, nisi quis hærũ rerum peritus aliud suadere posſit. Erat ergo Bacchides à dextra manu Iudæ Machabæi. Legio autem hic dicitur certus numerus eorum qui celeres antecedebant exercitum habentes successores utranq; alam fortiter instructam, ibi classicũ canebatur utrinq; cum terrore maximo & tumultu, non autẽ tanto, qui nunc auditur, factura planè satanica bombardarum, quas inuentum arbitror immanissimi malispiritus, quem unquam creauit dominus, sed aptum huic nostro sæculo facinorosissimo, ut dæmoniaci conflictatores sibi formidare cogantur, et dum expedit tollantur in orcum suum, antequam multorũ sanguine manus abluant: ut uel aliqua ex parte tantum malum seruiat usui humano, & ut prædonũ suffugia deijciantur. Grandis autem fortitudo & magnanimitas Iudæ, et sociorũ tam paucorum, qui tam magnũ exercitũ, tam pauci toto fermè die fatigarunt, ne inulti deficerent. Nõ dubium quin partes

11 Et uidit Iudas quod firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris, & conuenerunt cum ipso omnes constantes corde: & contrita est dextera pars ab eis, & persecutus est eos usq; ad montem Azoti.

Fortissimus Iudas dudet cum suis aggredi fortiorẽ exercitus alam, & ubi ualidiores conspicatur milites, quos uel prosternat, uel gloriosius succumbat. Iam enim sese obtulerat pro suis fratribus uel mori uel uincere, nec uitus in illorũ manus peruenire uel inultus decedere. Tales enim sunt cogitationes præliantiũ, ut ex necessitate et de speratione uitæ acuatur audacia et fortitudo. Secuti sunt Iudam fortissimi quiq; Israelitæ, similiter parati uincere uel mori, impios prosternere, uel pro dei populo & legibus succũbere fortiter. Non faciẽtes animã suam pretiosiorem quàm patriam, & legem dei, uerbumq; ueritatis. Fortissimi ergo de Bacchidis exercitu in dextro latere depugnantes contriti sunt à Iuda & socijs, felici conflictu. Quid sperandum fuerat, si constitissent cum duce qui fugerant, si tam fortiter egerunt pauci qui constiterant, contra tam superbum fortemq; exercitum. Nec tantum contriti sunt, sed & fugati usq; ad montem propè

12 Azotum, tota enim die pugnatum est.

Et qui in sinistro cornu erant uiderunt quod contritũ est dextrum cornu, & secuti sunt post Iudam & eos qui cum ipso erant à tergo: & ingrauatum est prælium, & ceciderunt uulnerati multi ex his & ex illis.

Circa diei uero posteriorẽ partem, cũ uiderent qui ex sinistris erant, dextros uinci & prosterni, posterioribus fortitudinẽ Machabæi uidentibus et fugiẽtibus: iam defatigatũ Iudã et socios insequẽtes hostẽ cernentes, otiosi sequuntur ipsi, Iudam procedentẽ cum suis alacriter, & à tergo aggredientes cõprehendunt eũ, in medio hostiũ, nec progredi potentẽ nec regredi, eum cum socijs ante et retro sese tutantes inuadũt accerime, et sic prælium optimi Iudæ aggrauatur ultra modũ ut de socijs suis inciperent multi cadere, post multos prostratos hostium. Iam enim utrinq; cadere uidebantur, non soli gentes, sed & fideles dño sic tunc uolẽte, qui nouit oĩa dispensare sanctissime.

13 Et Iudas cecidit, & cæteri fugerunt. Et Ionathas, & Simon tulerũt Iudam fratrem suum, & sepelierunt eum in sepulchro patrum suorum in ciuitate Modin.

Tunc quoq; omnino circumseptus hostibus Iudas cecidit, & mortuus est, uiriliter, sese uindicando de homicidis suis, ne uiuus in illorum manus illudẽdus incideret: quod & Saul uerebatur de Palestinis, nolentes gaudium fieri illusoribus, sed sese socijs suis offerebant consortes, mortem sibi decretam uidentes à domino magnanimiter sustinentes pro populo suo, etiam si sese occubituros satis tempestiue uidissent. Finito cõflictu receptuiq; cantato, fineq; diei succedente, fratres Machabæi Iudam tollunt, fortiter mortuum & ut non degenerem filium patris sepulchro ante septennium mortuo socium sepulturæ componunt in Modin patria urbe, constituta in monte. Sic decet honeste tumulari magnificos. Iudas mortuus.

14 Et fleuerunt eum omnis populus Israel planctu magno: & lugebant dies multos, & dixerunt, quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat populum Israel?

Populus Israel, omnes nempe qui uerè Israelitæ erant passim dispersi in regionibus Iudã planxerũt, de quo illis spes magna fuerat, quã nunc defeciſſe lamentãtur, non tã Machabæũ plangentes q̃ semetipsos, qui tanto propugnatore posthac destitutos se sciebãt. Diebus multis publicis planctibus à fidelibus est lamentatus, dicẽdo: Quõ dominus deus noster talẽ nobis ppugnatorẽ ac saluatorẽ ademit? Quis posthac populũ domin à tã crudelibus inimicis poterit saluare? Qua ratione sic eũ cadere deus permisit? Quõ tam iusta causa et fide pro gloria quoq; diuina depugnãs, et propugnans uerbum dñi, legesq; diuinas pariter ac paternas, à domino permissus est occidi à tam pestilẽtissimis põtificijs? Salario numirũ Alcimi sacerdotis summi cõductis, qualis erat Bacchides, et iam aliqitot annis fuerat, cui strenuã operam impenderãt Nicanor et Bacchides, pro tutanda idololatria sua, et execrabili ara denuo erigenda, quã deiecerat Machabæus, et iuxta legẽ domini instituto cultu deum coli præceperat, & ipse magna deuotione colebat. Tantũ abest, ut scandalosè & ad iniuriam iudiciorũ dei argumententur planè impij: Ma- Argumentẽ impiorum.

chabæus à perfidis in bello occisus est ab Alcimo, ergo Alcimi cultus & religio sancta est, Machabæi pietas est deo inimica. Sed de hac argumẽtatione alij uiderint. Nõ sunt pro fide uel cõtra argumenta sumenda ex gestis sanctorum uel impiorũ, sed ex uerborũ dei canonica scriptura. Septies in die iustus cadit, uerbum dñi manet in æternum. Etiã fideles peccant, & pro pro peccatis moriuntur, non ad mortẽ, sed ad uitã æternã. Non ex mortis genere definiendũ est de sanctitate, sed ex fide et charitate.

15 Et cætera uerba bellorum Iudæ, & uirtutum quas fecit, & magnitudinis eius nõ sunt descripta: multa enim erant ualde.

Excusatio est authoris, qui magnifica gesta Iudæ Machabæi pro multitudine eorum omnia conscribere non potuerit. Quanquam fortiter propugnauerit gloriã dei, saltem suæ gentis, quantis uictorijs triumphauerit de impijssimis gentilibus, et apostaticis pontificibus, à quibus tamen tandem uictus iuxta corpus occubuit. Sed tamen obtinuit mortuus, quod uiuo assequi non datum est. Pontificatus est translatus ad Israelitas pios, & ad Matathiæ filios, cum gloria & pace longo tempore, donec iam prophetarum prædictiones implendæ essent, donec tempus plenitudinis appeteret, & Christus domini iam instaret.

16 Et factum est: post obitum Iudæ emerserunt iniqui in omnibus finibus Israel, & exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem. In diebus illis facta est fames magna ualde, & tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis.

Iuda sic cũ impiorũ scandalo mortuo, iam ex peracta infernali malitia emerserunt iniqui Iudæi, et Alcimi complices facinorosi. Iam omnes qui pietatẽ finxerant uiuente Iuda, et secuti illius partes nõ ex animo fuerant, quibus magis placebat semper idolorũ cultura, & gentilium superstitio sacrilega, iã sese Alcimo reconciliare cupiebãt, & ostendere, quàm ipsis probaretur eius institutum, & pontificatus iuxta regũ imperia, qui iam persuasi prorsus erant collapsurũ omnino, quicquid Machabæus erexerat. Qui à Iuda Machabæo abiecti fuerant, uel quacunq; incõmoditate affecti, hi omnes nũc exoriuntur, ad hoc nati, ut iniquitatẽ operentur, nec id solũ, sed ut promoueant quantũ possunt, omnem mouentes lapidẽ, quomodo poßint uel cũ maxima iniuria diuinæ legis placere pontifici. Aliud enim non est operari iniquitatem, quàm spernere uerbũ dei, & magis adhærere decretis impiorũ potentiũ, ubi contra dei legẽ statuunt, quàm deo optimo maximo, cuius uerbum & numstros audire recusant, & ubi possunt suppeditant. Omnes aũt ferè, hoc est maxima pars Israelitarum, etiã qui Iudæ adhæserant, iam Alcimo sacrilego pontifici obsequuntur ingratißimi tam deo pro tot uictorijs, quàm duci pro fortißima morte, qua se pro fratrũ tranquillitate et liberatione tradiderat, nemo tunc cultũ dei curabat. Legẽ potius blasphemabant, ridebant pietatem. Pontifici placuisse summa tunc laus erat. Ille enim tunc in Hierosolymis triumphabat, et agebat quicquid collibitũ erat. Sed nõ sinit tantum malum impunitũ dei iustitia diu. Statim immittit in sacrilegã gentem è cœlestibus & terrestribus influentijs damna, famẽ magnam

Operari iniquitatem.

panis & uictualium, qui uerbum domini spernebant, & gentilium magis iucundis fabulis aures præbebant, detestabantur legem, & ritibus idololatrarum initiabantur, persuasi ad hoc, non tantũ tyrannide Bacchidis & regũ Græcorũ, sed etiam exemplo & præceptis Alcimi, persuadentis populo nihil posse eos cõmittere utilius in rem familiarem augendam, & ad tranquillitatẽ temporum, quàm si obmissa dei uoluntate & lege, gentiliũ regũ & principum mandatis obsequerentur, & uiuerent iuxta mores gentiũ aliarum, colentiũ idola, et nihil in cibo abhorrentium uel in conuersatione sæculari, miscendo matrimonia, unde cresceret amicitia & fauor ad nationes circumadiacentes. Quibus persuasionibus adducti, sunt omnes totius regionis Israelitæ, ut se plenæ Bacchidis uoluntati dederent, & per omnia obsequi consentirent.

17 Et elegit Bacchides uiros impios, & constituit eos dominos regionis: & exquirebant & perscrutabantur amicos Iudæ, & adducebant eos ad Bacchidem, & uindicabat in illos, & illudebat. Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die qua non est uisus propheta in Israel.

Erant semper in populo pij homines Israelitæ qui legẽ dei zelabant, & institutis Machabæorũ consentiebant, sacra gentiliũ nõ accedebant, communionẽ idololatrariũ abhorrebant. Hos ab Alcimo & complicibus suis proditos perquirebat Bacchides, electis ad hoc impijs uiris, et cõmissarijs ordinatis per singulas regiones, ut dominarentur eorũ cum rigore, nihil parcentes eis, quos Machabæorũ fautores deprehendissent. Exquirebãt et perscrutabantur tales, accusabantur Bacchidi tanq; inobedientes regi et pontifici, quibus uerbis & factis illudebant, & multis grauibus premebant. Aspiciant si libet hũc locum pontifices, & expendant quid faciant ipsi, & si Alcimi se sectatores inuenerint, uideãt ne simuli maledictione & ipsi puniantur, ne Paulinam experiãtur imprecationem, qui dicebat: Percutiat te dominus paries dealbatus. Et facta est magna persecutio in Israel fidelium zelatorũ uerbi dei consentientibus pontifice Alcimo, & duce Bacchide, consentiente improbo rege impijs proditoribus de populo satagentibus, qualis non fuerat à temporibus Zachariæ ultimi prophetarũ: ex quibus tamen temporibus multa continue passos legimus Iudæos in secundo cẽpolo.

18 Et congregati sunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ, Ex quo frater tuus Iudas defunctus est, uir similis ei nõ est qui exeat contra inimicos, Bacchidem, & eos qui inimici sunt gentis nostræ.

Compulit fideles extrema necessitas, de remedio tam torum malorũ cogitãdo, qui dicuntur amici Iudæ, hoc est qui consenserant studijs & pietati illius, & nondum de dei auxilio desperabant, sed in locũ unus fratrum alium aliquẽ ex residuis eligũt, qui nõ sit minori dexteritate populũ fidelẽ defensurus, q̃ primus ille Iudas. Nõ est in huiusmodi cladibus desperandũ, principalis patronus fidelium nõ moritur, dñs semper uiuit, & solicitudinẽ gerit suorũ fidelium,

fidelium, & per suos famulos agit, quos submittit, & facit protrahi ad officia, gratiam officialibus suis largitur ad commode satagendũ, maxime si cogitetur in omnibus, & quæratur iustitia dei, non priuata utilitas. Instinctu ergo diuino conueniunt pij & fortes animo, ad Ionathan fratrem Iudæ, qui alio nomine dictus est Iohannes. Laudant autem præ cunctis alijs fratrẽ Ionathæ, quod æquanimiter audire et cum uoluptate Ionathas poterat, cuius & exempla sectari posset, eiusdẽ uoti & fidei existens: uindicare scilicet hostes & cõprimere Israelitici populi & instituti in fide. Bacchides uero nominatur in primis, qui partes tuebatur Alcimi, qui inimicus erat gentis & religionis, cui per omnia complacere studebat Bacchides, dissimulante rege ad perniciem bonorum.

19 Nunc itaq; te hodie eligimus esse pro eo nobis in principẽ & ducem ad bellandum bellum nostrum.

Ardua planè uocatio in tam calamitosis temporibus propugnare pietatem & pios, quos odiebat mundus, & persequebantur principes. Eligitur autem à populo fideli, & non reluctatur, non tam ad honores, quàm ad onera & pericula. Ad bellandum bellum nostrũ, inquiunt, hoc est ad nos propugnandum, non præter operam nostram. Nihil hic de censibus multis quæritur uel offertur, miseriæ & bella continua allegantur, quibus obnoxij sunt, qui fidelibus præsunt.

20 Et suscepit Ionathas tempore illo principatum, & surrexit loco Iudæ fratris sui.

Magistratum Ionathas suscipit Israeliticæ gentis, defendendæ consilio & fortitudine, manu & authoritate, non absterritus Iudæ Machabæi aduersitatibus, quas sustinuit semper. Sic enim á parẽte Matathia instituti sunt fratres omnes, ut non cunctarentur sese periculis exponere pro genee sancta, pro peculio domus, pro cultoribus dei ueri, pro loco sancto. Surrexit ergo loco Iudæ, hoc est suscepit curam prospiciendi pijs, & defendendi ab impijs, pro quibus nouerat fratrem occubuisse.

21 Et cognouit Bacchides, & quærebat eũ occidere. Et cognouit Ionathas & Simon frater eius, & omnes qui cum eo erant: & fugerunt in desertum Thecuæ, & consederunt ad aquam lacus Asphar. Et cognouit Bacchides: & die sabbathorum uenit ipse & omnis exercitus eius trans Iordanem:

Quanto aliquis officio celebrior, tanto periculis obiicitur grauioribus. Non sustinebat inimicitias Ionathas dum ageret priuatus, sed dum sustollitur & eligitur in principem, tunc insidiæ inchoant, curæ generantur, & cessat omnis animi tranquillitas, sollicitudo quoq; continua inquietat. Bacchidem experitur hostem, cõsilio Alcimi usq; ad mortẽ, non solum Ionathæ, sed omnũ fratrũ eius, unde & Simon quoq; frater aufugere cogitur in solitudines, cum fautoribus, tantas mouebat persecutiones Bacchides contra pietatẽ. Asphar aũt cum aliâs nõ legatur, hic discitur esse lacus aliquis in agro Thecuæ, ut non ponit: intelligi mare mortuũ fuisse, quod mare quidẽ dici tur Asphaltiũ, sed non Asphar. Simili in casu quondam ante Matathiæ operas, gentiles Iudæos in sabbatho uicerant, sperat nunc quoq; Bacchides uel nõ pugnaturos in sabbatho, uel non uoluntarios, uel nõ paratos, uel nõ consentientes. Quod uero additur trans Iordanem, inuoluit certitudinẽ, cum Thecua nõ multũ distet à Hierosolyma et Bethleẽ, in uia ad Engaddi. Sed uidetur esse sensus, qđ exercitũ Bacchides adduxerit de locis qui sunt ultra Iordanẽ, in tribũ Iuda, quæ est cis Iordanẽ & mare mortuũ.

22 & Ionathas misit fratrem suum ducem populi, & rogauit Nabuthæos amicos suos, ut commodarent illis apparatum suum qui erat copiosus.

Ionathas fratrem suum misit Ioannem, qui cognominari dictus est Gaddis, primus nominatus capite secundo, quem ducem populi ordinauerat, ut Nabuthæos tanquam amicos suos rogaret pro apparatu bellico suo, quẽ habebant in armis militibus & tentorijs. Fortasis sensus est, rogasse Nabuthæos ut dignarentur ad tempus suscipere sibi commendatos paruulos suos & uxores, cum domestica suppellectili, donec bella finirentur, quæ sibi instare uidebantur. Sicut & Dauid in simili egerat necessitatis articulo constitutus, quod & ipsum apparatus dici potest. Prior tamen sententia aptior uidetur.

23 Et exierunt filij Iambri ex Madaba, & cõprehenderunt Iohannem & omnia quę habebat, & abierunt habentes ea.

Madaba locus quis sit incertum, fortasis Medemanæ uel Medaba uel Magmanah uel Machana dicta uel scribenda, unde filij Iambri familia sic dicta pestilens & sanguinolenta, quod patet ex Actis. Transeuntẽ enim Ioannem, & nulli negotium facientem, apprehensum occidunt, & rapiunt sibi quicquid Ioannes adduxerat commendandum Nabathæis, Arabibus, unà cum socijs, quos secum habebat, ut addit Iosephus libro decimotertio, qui & filios Iambri nominat filios Amaræi.

24 Post hæc uerba renuntiatũ est Ionathæ et Simoni fratri eius quia filij Iambri faciũt nuptias magnas, & ducũt sponsam ex Madaba filiam unius de magnis principibus Chanaan cum ambitione magna.

25 Et recordati sunt sanguinis Iohañis fratris sui: & ascenderunt, & absconderunt se sub tegumento montis. Et eleuauerũt oculos suos, & uiderunt: & ecce tumultus, & apparatus multus: & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius obuiam illis cum tympanis, & musicis, & armis multis.

26 Et surrexerunt ad eos ex insidijs, & occiderunt eos, & ceciderunt uulnerati multi, & residui fugerunt in montes: & acceperunt omnia spolia eorum, & cõuersæ sunt nuptiæ in luctum, et uox musicorum ipsorum in lamentum. Et uindicauerunt uindictam sanguinis fratris sui: & reuersi sunt ad ripam Iordanis.

Iusto odio & iudicio adoritur Ionathas filios Iambri, non tantũ quia fratrem suum occiderant, sed quia latro-

nes erant, & similia alijs quoque inferre mala consueti erant, gens sanguinaria, & incertis, ut uidetur, locis habitans, rapientes quicquid ad manus peruenuebat. Hos Machabæi fratres Simon & Ionathas per insidias deprehensos in nuptijs, occiderunt, spoliauerunt, profligauerunt, & gaudiũ sponsi & sponsæ uerterũt in luctũ. Eam aũt historiam his uerbis Iosephus exequitur. Eodem tempore uenuens quidã ad Ionathan et fratrẽ eius Simonem, nuntiauit filios Amræi celebrare nuptias, & nouam nuptam nobilẽ duci à Medaba ciuitate, & Arabas cũ pompa munificentißima. Ionathas tunc & Simon tempus putantes prosperam sibi ad fratris Ioannis apparuisse uindictam, cum multa potentia sociorũ egrediuntur ad Medaba, & inimicos inter montes insidijs collocatis præstolabantur. Vt autem uirginem uiderunt & sponsum, multitudinemq; amicorũ cum eis, sicut solet in nuptijs, exilientes ab insidijs omnes occiderũt, & ornatũ cum omni præda tollentes reuersi sunt, pœnam pro fratre Iohanne à filijs Amræi talem exigentes. Nam ipsi cum sequentibus amicis & uxoribus uel filijs numero quadraginta aliàs quadringenta perempti sunt. Simon itaq; & Ionathas ad oram Iordanis reuersi, ibidem permanebant.

27 Et audiuit Bacchides & uenit die sabbathorum usq; ad oram Iordanis in uirtute magna.

Redit post incidentale descriptum, ad Bacchidis studia describenda, quid die sabbathorum tentarit, & locus significatur iuxta Iordanem, ubi Ionathan inuenerit. Ex quo loco Lyranus putat mare mortuum designatum, supra per lacum Asphar. Exoneratur enim Iordanis nobilißima aqua, in fœculentißimum illum lacum Asphaltidem. Sed de locorũ nominibus sæpe didicimus hæsitare, quod nunc quoq; non pronuntiamus.

28 Et dixit ad suos Ionathas, Surgamus & pugnemus contra inimicos nostros: non est enim hodie sicut heri, & nudiustertius: ecce enim bellũ ex aduerso, aqua uero Iordanis hĩc & inde, & ripæ, & paludes, & saltus: & non est locus diuertendi. Nũc ergo clamate in cœlũ, ut liberemini de manu inimicorũ uestrorũ. Et cõmissum est bellum.

Legitime nunc Ionathas & religiose bellum oblatum suscipit, quod nulla potest ratione uitare. Paucis multa eloquitur. Hortatur ad alacriter pugnandum contra hostes. Non iam ait, pugnabimus contra sponsum & sponsam, sed cõtra bellicosos homines. Ne iam nobis contingat strages & fuga, ut factũ est dum Iudas occubuit: iam fortius mutuum iuuabimus. Nec nobis locus patet effugij, circumseptis paludibus Iordanis, lacu atq; saltibus. Hæc omnia nobis fortitudinem addant, ut pro nostra uita pugnemus. Sed tamen nõ obmittamus quàm maxime necessarium, ut clamemus in cœlum, ad regem nostrum & dominum exercituum, cuius potentia & fauore liberari poterimus. His dictis, & confirmatis animis in dominũ & iustitiam, ut necessitas uerteretur in uires, bellũ commissum est, & congressus inchoatus.

29 Et extendit Ionathas manũ suã percutere Bacchidem, & diuertit ab eo retro: & dililijt Ionathas & qui cum eo erant in Iordanẽ, & transnatauerũt ad eos Iordanem.

Intelligitur fortiter pugnatum ex parte Israelitarum, fusumq; exercitum Bacchidis, donec peruenireturad eum cum duorum congressum, Bacchidis et Ionathæ, ubi Ionathas feriendo Bacchidem, nõ primo ictu prostrasset, ipso diuertente ictum, tempestiue desilijt Ionathas in Iordanem, requiem sibi paraturus & tutelam, quem illico secuti sunt transnauigatione commilitones, quos Bacchidis exercitus consequi non potuit. Sic non semper gloriosum est tentare fortunam, non numium audendum, ratio habenda est causæ personarũ & uiriũ, ne quid inimicis.

30 & ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille uiri: & reuersi sunt in Ierusalem, & ædificauerunt ciuitates munitas in Iudæa, munitionem quæ erat in Iericho, & in Ammaum, & in Bethhoron, & in Bethel, & Thamnatha, & Phara, & Thopo muris excelsis & portis & seris.

Verisimile est, non fuisse cum Ionatha magnum exercitum, tamen stragem ædidit non paruam, mille uiros deiecit, tamen stragem ædidit non paruam, mille uiros de Bacchidis exercitu prosternendo. Qui sint autem reuersi ad Ierusalem, obscure significatur, intelligendum non de Ionatha et suis, sed de Bacchide cum suo exercitu, qui ab Alcimo illic tunc adhuc pontifice conducti fuerant, ut Hierosolymã tuerentur à Machabæis, ne legis observantia illuc introduceretur, sed perseueraret sacrilegus illecultus gentilitius & idololatria. Eiusdem autem Bacchidis ductu, & studio Alcimi, ubique munita sunt oppida cõtra Machabæos in Iudæa, quam gubernabat Alcimus, beneficio Demetrij regis, cui à rege præses prouinciæ & propugnator datus erat Bacchides, ut eradicaret amicos Machabæorum, & plantaret omnibus modis cultum idolorum, & ceremonias gentilium, in odium dei & legis. Arces præcipue muniebant, quæ erant in urbibus, quas munitiones nominat: eam nempe quæ erat in Iericho, & in urbe Emaus, & in Bethhorõ ac Bethel, in Thamnatha & Phara & Thopo, fortassis Tapua. Violentiam exercere uoluit Alcimus in suos, contra Machabæos, ideo munit sua oppida, & ne quis ciuium regi & pontifici inobediat, quo rebellare possit. Inimicitias exercere, in hoc libro, ut plurimũ est pios et fideles legis observatores persequi & cogere uel ad abnegationẽ legis, uel ad ritus gentilitios,

31 Et posuit custodiam in eis, ut inimicitias exercerẽt in Israel: et muniuit ciuitatẽ Bethsuram, & Gazaram, & arcem, & posuit in eis auxilia, & apparatum escarũ & accepit filios principum regionis obsides, & posuit eos in arce in Ierusalem in custodiam.

Bacchides quidem hæc omnia facit ad regis Demetrij imperium, & ad suggestionem Alcimi. Nec dum aliquid iuuare uidetur brachium illud carneum Romanorũ, qui tarde succurrebant Iudæis uel Machabæis: qui enim potuissent, etiam si uoluissent, quando diuisi erant in studia contraria Iudæi, quibusdam Alcimo & Demetrio adhærentibus, alijs uero Machabæis, & socijs pijs? Principes regionis

regionis hic dicuntur maiores familiarum, & rectores urbium Iudææ, quorum filios obsides accepit Bacchides consilio Alcimi, ne quis ex omnibus istis urbibus adhære re Machabæis auderet. Ad hoc autem à Græcis Macedonibus semper arx Hierosolymis obsidebatur, ut esset totius Iudaicæ gentis et Hierosolymæ obsessio et carcer, ne qd ab aliquo cõtra regis edicta et Alcimi præsumeretur.

32 Et anno cẽtesimo quinquagesimotertio, mense secũdo præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, & destrui opera prophetarum: & cœpit destruere. In tempore illo percussus est Alcimus, & impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui uerbum & mandare de domo sua.

Felix hic annus centesimus quinquagesimustertius, mensisq; secundus Aprilis, in quo sacrilegus pontifex Alcimus legitimũ suæ pestilentiæ finem accepit. De quo superius quædam dicta ex Iosepho hoc anno perfecta sunt. Præceperat impijssimus destrui muros templi, ea parte quæ dicebatur domus sancta interior, fortassis sanctisanctorũ, quanquam & anterior pars templi similiter dicta fuerit olim templum interius, ad differentiã atriorum & exedrarũ uel talamorum, quæ extructa erant in atrio interiori, & iuxta muros templi. Illis aũt temporibus tam impiorũ pontificũ nihil curatum fuit de reuerentia tam sanctisanctorũ quàm sancti, sed non aliter tractabatur ab istis gentilibus pontificibus Iasone, Menelao, & Alcimo, quàm alia gentiliũ idolorum delubra. Vt suspicer hic quæ dicuntur intelligenda de sanctosanctorum, cuius murum destrui mandat prophanus sacerdos. Quæ loca in maxima olim reuerentia habita fuerunt à prophetis ab illorum temporibus, quorũ ductu et studio olim fuerant hæc ædificia extructa, ut patet in Haggæo, Zacharia, & Malachia. Hæc iam omnia polluũtur ab Alcimo, ut prius ab alijs factũ contigerat. Sed statim ut cœpit manum mittere in sacras ædes, & opera destruere prophetarũ, percutitur diuino iudicio Alcimus, impediturq; nõ solum à cæptis sacrilegijs, sed etiam digna uindicta occiditur paratens intestatus obierit.

Acti. 24. Acti. 23. Acti. 7. Acti. 17. Acti. 19. Iudicium Dei contra impios.

33 Et mortuus est Alcimus in tẽpore illo cũ tormento magno. Et uidit Bacchides quoniã mortuus est Alcimus: & reuersus est ad regẽ, & siluit terra Iuda annis duobus.

Non simpliciter tactus paralysi dicitur, sed magno tormento aliquandiu tortus est, & diuexatus conscientia remordente, quam tamen cõfiteri non potuit, nec gratiam assequutus est pœnitendi, uel restituendi in integrũ quæ destruxerat: sed hic & in hac uita dãnationis suæ pœnã iustã cœpisse uisus est, quæ in omni sæculo animarum impiarum minime sit finienda. Sic enim iudicantur ij magni latrones, sic exemplũ statuuntur impijs qui dei uerbo nõ credunt, ut resipiscant, uel dãnationis similẽ sententiam assequantur. Statim autem ut iudiciũ domini uidit gentilis Bacchides de peruerso pontifice sumptum, cui tamdiu inseruierat, ipse relicta Hierosolyma trãstulit se ad regẽ, & Iudæos aliquandiu quiescere permisit, biennio scilicet. Non poterat pax haberi in Israel, donec impius pontifex supereesset. Id quod & Lysias de Menelao iudicauerat, quod nunc quoq; Bacchides sentit de Alcimo.

34 Et cogitauerũt omnes imq, dicẽtes: Ecce Ionathas, & qui cũ eo sunt, in silentio habitant cõfidenter: nũc ergo adducamus Bacchidem, & cõprehendet eos omnes una nocte. Et abierunt & consilium ei dederunt.

Supererant cõplices Alcimi impij desertores legis diuinæ, qui iterum & post biennĩ instant pro impietate sua diffundenda in multos, & Bacchidẽ instigant, ut Machabæos superstites persequatur, Ionathã scilicet & socios, quibus et obsequitur inductus sine dubio muneribus eorũ qui gentiliter uiuere malebant, quàm religiose, qui Machabæorũ pietatem ferre nolebant, quam & Machabæi manutenere & amplificare non obmittebant, habita opportunitate, & cum pace prout fieri poterat.

35 Et surrexit ut ueniret cũ exercitu multo: & misit occulte epistolas socijs suis, qui erãt in Iudæa, ut comprehenderent Ionathan & eos qui cum eo erant, sed nõ potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum.

Cum tam multo exercitu instructus esset Bacchides, nihil tamen uirtute & bello tentat aut publice, sed dolo & proditionibus. Hæ sunt enim artes eorũ qui ueritatem odiunt, qui contra cõmunem sensum & catholicam doctrinam praua moliuntur, ut dolo & uiolentia agant. Et iam biennio increuerat numerus fideliũ Israelitarũ, ut pace & concordia crescunt res paruæ. Exercitũ quidem parat, sed epistolis solicitat ad proditionẽ per eos qui impij in Iudæa sese biennio occultauerant, tanquã amici essent & fautores Machabæorum, per quos familiares inimicos, facile potuisset Ionathan iam pontificem in locum fratris sui Iuda prodidisse, sed excesserat iam numerus fidelium perfidos, & domino prouidente reuelatum est impium consilium proditorũ & Bacchidis, & saluatus est Ionathas, processitq; ad opus domini impios castigando.

Artes odientium ueritatem.

36 Et apprehẽdit de uiris regionis, qui principes erãt malitiæ quinquaginta uiros, & occidit eos: & secessit Ionathas, & Simõ, et qui cum eo erant in Bathbessen, quæ est in deserto: & extruxit diruta eius, & firmauerũt eã:

Reos & convictos proditionis apprehendit per uniuersam Iudææ regionẽ Ionathas, quinquaginta principales ex proditoribus, qui auxerant militiam Bacchidis, qui cum gentili duce uenerant ad patriã perturbandã, ad occidendũ Israelitarum innocuũ & innocentissimũ ducem & pium pontificem, quia pro pietate sese impendentem & ad hunc honorem à dignus electum. Secessit tamen cũ fratre Simone ad loca tutiora, ne in urbe Hierosolyma cõprehenderetur proditus à perfidis Iudæis, unde & diruta munitiones extruxit, & contra potentiã hominum prout potuit, confirmauit. Tanta patiuntur iusti propugnatores iustorũ & pietatis, domino sic exercente suos, quorũ & non nunquã leuia peccata sic punit malis temporalibus, ne corruant in maiora. Hæc autem Bethbessen

in solitudine, hoc nomine alibi non legitur: uidetur fuisse desertũ illud, quod est inter Iericho & Bethel. Iosephus autem hanc nominat uillam Vithalagam, ut uideas quid cogitandum de locorum nominibus.

37 & cognouit Bacchides, & cõgregauit uniuersam multitudinẽ suam: & his qui de Iuda erant, denuntiauit. Et uenit, & castra posuit desuper Bethbessen: & oppugnauit eam dies multos, & fecit machinas.

Exercitũ habuit gentiliũ & Græcorũ militum Bacchides, quẽ hic nominat suam multitudinẽ, cui sese sponte aggregauerant profugi Iudæi, qui Machabæis infestißimi erant, à quibus Bacchides instigabatur ad delendum Machabæos, & omnes eorũ fautores. Hi profugi hoc loco dicuntur Iudæi, uel qui de Iudæa erant, quos nunc omnes colligit, & mouet exercitum contra Ionathan & socios, castra ponens contra Bethbesse diebus multis munitionem oppugnans, & machinis bellicis tentans capere.

38 Et reliquit Ionathas Simonẽ fratrẽ suũ in ciuitate, & exiit in regionẽ, & uenit cum numero & percussit Odaren et fratres eius, & filios Phaseron in tabernaculis ipsorum & cœpit cedere & crescere in uirtutibus.

Insilijt in Ionathan spiritus domini, fiduciáq; in causam quam tractabat cũ fratribus, ut nihil timuerit expugnandã munitionẽ, in qua erat à Bacchide et suis, ideóq; dimisso Simone fratre cũ sufficienti auxilio, ipse cum alacrioribus socijs exijt, & pertransijt regionẽ hostiũ, quos nouerat acerbiores & crudeliores in suos, qui & nocuerant multum, & poterant adhuc magis obesse pietati & genti fideli, ideo eos deleuit cũ suis tabernaculis, uicemq; repẽdit proditoribus & desertoribus impijs. Nec his contentus progressus est, & creuit tam fortitudine quàm potestate, quin et extrema exercitus Bacchidis inuadit, multos occidens, fratriq; Simoni signũ ostendẽs, ubi & quid ageret, ut & ipse Simon pro conditu ageret, quod ad rem præsentem prospere finiendam cõmodum putaret.

39 Simon uero, & qui cũ ipso erant, exierũt de ciuitate, & succenderũt machinas, & pugnauerunt contra Bacchidem, & contritus est ab eis, & afflixerũt eum ualde, quoniam consiliũ eius & congressus eius erat inanis.

Simon in munitione sua iamdiu obsessa, sentiens iam imminere fratrẽ suũ castris Bacchidis postremis, & prouocare ad prœliũ, egreditur & ipse cum suis, & Macedonum machinamenta in obsidione præparata suppositis flammis incẽdit, & multos eorum uiriliter interfecit. Vidẽs autem Bacchides ab inimicis se circũseptum, quorum alios quidẽ ante se, alios autem retro cõspiciens, turbatus hæc insperate sibi euenisse, in transfugas Iudæos, tanquã in deceptores suum furorem conuertit, uolebatq; si posset obsidione soluta sine dedecore ad propria remeare. Cuius uoluntatem cognoscens Ionathas, legatum ad eum pro amicitijs destinauit, quatenus redderent inuicem sibi, quos ceperant utriq; captiuos. Putans autem hanc honestiorem Bacchides discessionem, pacisci tur cũ Ionatha. Et iurauerunt utriq;, ut nunquã contra se arma præsumerent, & captiuos dantes & recipientes, in Antiochiam Bacchides recessit, qui post hanc discessionem nequaquam ad Iudæam deinceps peruenit. Ionathas uero hanc libertatẽ acquirens, in Machma ciuitate populorũ negotia disponebat, & maleuolis uel impijs cruciatis Iudæorum gentem purgabat. Hæc Iosephus ad uerbum in primo cap. libri 13.

40 Et iratus contra uiros iniquos qui ei consilium dederãt ut ueniret in regionem ipsorũ, multos ex eis occidit: ipse autem cogitauit cum reliquis abire in regionem suam.

Recte iam agitur cum proditoribus & transfugis, ut ab eo trucidentur, quem submiserãt & solicitauerant ad exterminium Israelitarum. Iam non aderat amplius Alcimus, qui negotiũ facesseret contra pios, iam cessauerat. Ideo nunc gentilis Bacchides melior Iudaicis principibus, uidet contra se iustitiam & ueritatem pugnare, & sentit impiorum perfidiam, animaturq; furore non indigno in solicitatores suos, multos occidens. Et hoc ipso placans utrosq; fratres, Ionathan & Simonem, occasionem discessus quæsiuit cum suis Græcis militibus, in suam regionem abire cupiens.

41 Et cognouit Ionathas: & misit ad eum legatos componere pacẽ cum ipso, & reddere ei captiuitatem. Et libenter accepit, & fecit secundum uerba eius, & iurauit se nihil facturũ ei mali omnibus diebus uitæ eius.

Occisis impijs Iudæis, qui cum pontifice suo Alcimo dißidiorũ & tot bellorum seminaria posuerant, & unde quã ab insidijs & proditione cessarant, facile potuit cessare pax & concordia. Quandoquidẽ Bacchides facile persuaderi poterat, ut fineret Iudæos subditos regi, & tributa pendentes uti suis legibus, & deũ suum omnipotentem colere, ut semper feciſſent eorum patres, quod et Lysias olim obtinuerat à rege Antiocho iuuene, quibus admißis tolleretur simultatum tam crudele malũ à Iudæis & Israelitis. Et iam tam ultimo hoc bello, quàm prioribus, Ionathas captiuos ceperat, sicut & Bacchides quorum commutatio et manumißio utrinq; mediũ idoneum erat ducibus in concordiam concedendi, & cõpromittendi pacem diuturnã. Quod longe magis profuit reipublicæ, quàm sine hac cum propinquis pace, amicitiã Romanorum ambire, cum inter se exitialibus odijs dißiderent.

42 Et reddidit ei captiuitatẽ quã prius erat prædatus de terra Iuda: & cõuersus abiit in terram suam, & nõ apposuit amplius uenire in fines eius. Et cessauit gladius ex Israel.

Cessauit gladius ex Israel, informato rege & ducibus ut nihil nouæ superstitionis imponerent Iudæis, sed sinerent eos legibus parere suis, saluis temporalibus iuribus, & obedientia corporali. Nihil conscientijs imperando, quæ cogi ad fidẽ hanc aut illam non possunt, quando nec ra fides donum est dei. Huiusmodi nunc quoq; concordia utinã concederetur, quando aduersariæ partes hodie am bæ se fatentur uerbi dei confessores, quod & infallibile credunt, & diuinũ agnoscunt. Secundũ illud concordetur conscientiæ, & idem sentiatur utrinq; in Christo, qui pro

pro electis congregandis uenit in hunc mundum. Si quid abusuum ostenditur manifeste contra scripturam sacram canonicã militare, hoc emendetur & tollatur, postquam conscientiæ quietẽ obtinuerint. Vetustæ cõsuetudines nihil probant, alioqui idola nobis gentiũ resumenda forent, & sacrificia Iudæorũ. Doceantur ecclesiæ uerbũ dei, & statim charitas redibit & tranquillitas. Interim alter alterũ non cõpellat nec iudicet, sed uerbo domini res agatur, idq; simpliciter, sine studio priuatæ utilitatis uel gloriæ.

43 & habitauit Ionathas in Machmas, & cœpit Ionathas ibi iudicare populum, & exterminauit impios ex Israel.

Machmas locus Iudææ est, aliàs dictus Michmas, procul nouem millibus à Hierosolyma, iuxta Rãma, e regione Bethauen, ubi sibi locũ iudicij designauit suo tempore, si quis Israelitarũ causam habuisset, iuxta legem definiebat negotia. Et si quẽ impium, incredulum, desertorem legis, & blasphematorẽ uerbi dei inueniebat, legitime deprehensum, hunc authoritate legis exterminabat. Inde pax prouinciæ coalescere poterat, & charitas conseruari. Si dei & ueritatis confessæ & probatæ canonicæ scripturæ blasphematores, cõtemptores, uel negatores digne puniantur, ut si credere uerbo dei non uolunt, uel non possunt, saltem quia meliora non dicere ualent, ab impijs tamen sermonibus compesci possunt, & debent, ne timidos & simplices à talium friuolis & sacrilegis sermonibus scandalizentur, & in fide turbentur.

CAPVT X.

1 IN anno centesimo sexagesimo ascẽdit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis: et occupauit Ptolemaidam, & receperunt eum, & regnauit illic.

De hoc Demetrij & Alexandri bello, quid Iustinus post Trogum scripserit annotandum quod & Rabanus egit. Demetrius, inquiunt, occupato Syriæ regno, nouitatis suæ otium periculosum ratus, ampliare fines regni & opes augere finitimorũ bellis statuit. Itaq; Ariarathi regi Capadociæ propter fastiditas sororis nuptias infestus, fratrem eius Holofernem per iniuriã regno pulsum supplicẽ recepit, datumq; sibi honestum belli titulũ gratulatus, remo inita cum Antiocensibus pactione, offensis tunc Demetrio, pellere eum regno à quo restituebatur consilium ceperit. Quo cognito Demetrius uitæ quidẽ ne Ariarathes metu belli fraterni liberaretur pepercit, ipsum autẽ cõprehensum uinctum Seleutiæ custodire iubet, ne Antiocenses iudicio territi à defectione desisterent. Itaq; adiuuantibus & Ptolemæo rege Aegypti, & Atalo rege Asiæ, & Ariarathe rege Capadociæ bello à Demetrio lacessitis subornat propalàm quendam sortis extremæ iuuenem, qui Syriæ regnum uelut paternũ armis repeteret: et ne quid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandri inditur, genituq; ab Antiocho rege dicitur. Tantũ odium Demetrij apud omnes erat, ut æmulo eius non uires tantum regiæ, uerumetiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur. Igitur Alexander admirabili rerum uarietate

pristinarum sordium oblitus, totius fermè Orientis uiribus succinctus, bellum Demetrio infert, uictumq; uita pariter & regno spoliat: quanquã nec Demetrio animus in propulsando bello defuit. Nam & primo prælio hostẽ fugauit, & regibus bellum restituentibus multa millia in acie cæcidit. At postremum inuicto animo inter confertissimos hostes fortissime dimicans cecidit. In initio belli Demetrius duos filios apud Gnidiũ hospitem suum cum magno pondere auri demandauerat, ut à belli periculis eximerentur, & si ita sors tulisset paternæ ultioni seruarentur. Ex hoc maior Demetrius annos egressus puberta tis audita Alexandri luxuria, quẽ insperatæ opes & alienæ felicitatis ornamenta uelut captũ inter scortorũ greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus securum & nihil hostile metuentem aggreditur. Antiocenses quoq; ueterem patris offensam nouis meritis correcturi, se ei tradunt. Sed & milites paterni fauore iuuenis accensi, prioris sacramenti religionem noui regis superbiæ præferentes, signa ad Demetrium transferunt, atq; ita Alexander non minori impetu fortunæ desertus, quàm elatus primo prælio uictus interficitur, deditq; pœnas & Demetrio quem occiderat, & Antiocho cuius mẽtitus origenem fuerat. Et hæc quidem authores Ethnici, cui fidem suadent dicta superius de Antiocho Epiphane, ut iuniorem filium curarit in regnũ suscipi, quod non feciſſet, si illi maior fuisset. Vt nunc hic Alexander suppositicius uideri possit, de quo tamen hæc scriptura nil loquitur, quæ simplicitatem sectatur, et uulgatã opinionẽ, ut hunc Alexandrum nominet Antiochi Nobilis filium, qualis tunc habebatur falsè uel uere. Certe scribitur occupasse Ptolemaidam, maritimam & munitissimam urbem. Cuius ciues eum susceperint, et regnũ detulerint, loco Demetrij ea urbe. Sunt tamen quæ præscripta sunt uix digna fide, ut conspirauerint tanti reges Aegypti scilicet, Asiæ & Capadociæ ad supponendum falso nomine filium Antiochi, utcunque Demetrio inuiderent, & Demetrium ipsum nihil tale allegasse contra Alexandrum Ionathæ & Iudæis, falsò eum dici filium Antiochi Epiphani. Quæ omnia pariter scrupulis non carent, quibus exclusis, author quod uulgo agebatur & dicebatur conscripsit bona fide.

2 Et audiuit Demetrius rex, & congregauit exercitum copiosum ualde, & exiuit obuiam illi in prælium.

Demetrius sese opponit Alexandro coactus, qui iam facto nobilẽ urbẽ sibi subiecerat, cuius exemplo timebat etiã alias sequuturas, ut Antiochiam ac similes, quod et factum est, secundum prædicta. Copiosum ualde exercitum cõgregauit, utcunq; inuidia plurimorũ laborasse dicatur, erat enim animo constans & prudens, unde & obuiam exiuit Alexandro in prælium, in quo & uicisse dicitur, propter quod & audaciam accepit solicitandi Machabæos ad fœdus secum ineundum: de quo sequitur.

3 Et misit Demetrius epistolã ad Ionathã uerbis pacificis, ut magnificaret eum: dixit enim, Anticipemus facere pacem cum eo, priusquam faciat cũ Alexandro aduersum

nos: recordabitur enim omniũ malorum quæ fecimus in eum, & in fratrem eius, & in gentem eius.

Vult magnificare Demetrius Ionathan, hoc est, honorare & dotare priuilegijs, diuitijs, honore & gloria, ut sibi faueat, et succurrat alioqui obruẽdo ab Alexandro. Agit hoc amicè per epistolã, necessitatẽ patiens, cum nuper multis eũ cum populo suo per Bacchidẽ damnis affecerit, quæ nunc compensare conatur, non integra intentione, quã tamen Iudæi intelligunt & subterfugiunt, humano spiritu adacti, dño tamẽ directi, à quo fuit, ut quod ipsis utilius futurũ esset, eligerẽt, domino oĩa ordinante.

4 Et dedit ei potestatẽ cõgregandi exercitũ, & fabricare arma, & esse ipsum sociũ eius, & obsides qui erant in arce iussit tradi ei.

Vsq; ad hoc tempus sic erant Iudæi omnes oppressi à regibus, ut armati incedere non auderent, nec exercitum pro se tuendis colligere, tenebantur enim ut serui in sua regione, ideoq; & munitiones firmatæ erant in urbibus. Iam uero libertate donandi prædicuntur, & ut arma haberent militaria, & iam sociũ cupiebat Ionathan habere, à quo contra Alexandrum iuuaretur, & in Hierosolymitana urbe ad continuandam tyrannidem obsides tenebat filios maiorum in arce, quos nunc promittit reddendos. Sic enim diuites sunt promissis ij reges, dum periculum pauent, citius rupturi omnes promissiones & fœdera, ubi suis usibus uiderint aduersari quicquam.

5 Et uenit Ionathas in Ierusalẽ, & legit epistolas in auditu omnis populi & eorũ qui in arce erant. Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quod dedit ei rex potestatem congregandi exercitum.

Populo audiente epistolas legit, ut audirent quid peteret, & responderent consilium in re periculosa, & omnes tangente. In arce autem erant milites legionis Græcæ, quibus regis ipsorum mandata prælegebat, ut redderent obsides. Cæteri uero timebant potentiam Ionathæ augendam, à quo se timebant opprimendos, qui male uolebant & agebant. Non enim bonis displicere poterat honor & potestas sui ducis, sed erant semper impij & seditiosi, qui uoluissent pietatem cum potentia Israelitarum deleri & opprimi. Fingebant tamen obedientiam, & religionis amorem pernicioſi hypocritæ.

6 Et traditi sunt Ionathæ obsides, & reddidit eos parentibus suis: & habitauit Ionathas in Ierusalem, & cœpit ædificare & innouare ciuitatem.

Arcem obsidentes Macedones, audientes uoluntatem regis ex epistolis, reddiderunt obsides Ionathæ duci, qui statim eos destinauit suis parentibus, ad gaudium regionis totius. Ex eo autem tempore dicitur hic Ionathas habitasse in Ierusalem, cum prius iudicium dixisset & habitasset in Machmas. Non solum autem habitauit Hierosolymis, sed eam ornauit, restituit, reformauit, reædificauit diruta, & cultum domini innouauit.

7 Et dixit faciẽtibus opera, ut extruerẽt muros, & montẽ Sion, in circumitu lapidibus quadratis ad munitionem: & ita fecerunt.

Muros regum Græcorum tyrannide dirutos extruxit iterum, & ut uidetur dimissis Macedonibus, arcem Sion recuperauit, & confirmauit contra hostes, & pro urbis munimento, dum tempus illi fauere cerneret, dũ rex amnueret quem subuenire potuit, statim mutandum in aliud odium, ut aliàs sæpe. Non est enim in talibus negligenda opportunitas pro republica conseruanda.

8 Et fugerũt alienigenæ qui erant in munitionibus quas Bacchides ędificauerat: & reliquit unusquisq; locum, & abiit in terram suam: tantum in Bethsura remanserunt ali qui ex his qui reliquerant legem & præcepta dei: erat enim hæc eis ad refugium.

Non tantum in arce Hierosolymitana cessarum esse gentiles, sed & in alijs munitionibus urbiũ prædicarum, quas Bacchides firmauerat contra Israelẽ. Vbiq; enim ui dentes concordiã regis cum Ionatha, deseruerunt stationes suas alienigenæ, & redierunt ad propria, de uoluntate regis, qui sibi amicos Iudæos cũ suo duce parare satagebat contra Alexandrum. Semper aũt intractabiliores Iudæi & magis impij sunt Iudæi seditiosi quàm gentiles contra bonos Israelitas, qui & nunc abscedentibus gentilibus à suis stationibus, ipsi durant in munitione, quæ erat Bethsuræ, quam & Bacchides contra urbẽ Ierusalẽ extruxerat, firmauerat, & impijs Iudæis contra amicos Machabæorum tradiderat muniendam: qui nunc quoq; discedere non sustinent, sed moliri contraria pijs Israelitis omnibus ut cœperant, quò etiam diuertebãt omnes legis transgressores, & transfugæ ueluti ad asylũ contra Ionathan. Talis solet esse pertinatia semel imbibitæ infidelitatis, ut nolint subesse uerbo domini, nolint ad meliora studia adhortari, mordicus adhærent priscis sacrilegijs, & uetustæ superstitioni, libere male agere cupientes.

9 Et audiuit Alexander rex promissa quæ promisit Demetrius Ionathæ: et narrauerũt ei prælia, & uirtutes quas ipse fecit, & fratres eius, & labores quos laborauerunt:

Pro æmulatione maxima quæ uigebat inter Alexandrum & Demetrium non poterant abesse susurrones & proditores, qui utriq; fouebant inimicitias, iamq; Ionathan & eius socios ambiebãt utriq;, tanquã strenuos bellatores, & exercitatos multis aduersitatibus, quos sibi adiutores optabant, qui consultius egissent si sibi temperassent à bellis, & suis tantũ populis tutandis & regendis insteti ssent. Non enim gratis ambiebatur ipsorũ amicitia, sed ut impugnarent alteram illarum partium, & simultates utrorumq; fouerent. Hinc est ut Alexandro nouitio regi & peregrino sui narrarent magnifica opera Machabæorum, & præcipue nunc regnantis Ionathæ, ut illum incitarent ad amicitiam suscipiendam, quos socios in bellis habere optabant, in odium Demetrij, quem nouerant mala grauia intulisse Iudæis, quæ non tam leuiter donare uellent ex animo, etiamsi quibusdam ab eo nunc nouis beneficijs fuissent solicitati ad fœdus.

10 & ait: Nunquid inueniemus aliquem uirum talem? & nũc faciemus eum amicum, &c.

& socium nostrum. Et scripsit epistolam, & misit ei secundum hæc uerba,

Inuenire talem uirũ, intelligit in suam partẽ trahere, & beneficijs superare, ut toto corde faueat, & amicus existat. Consultat igitur de modis conciliandi sibi Ionathan, ut amicũ assequatur eum & propugnatorẽ cũ suis. Vnde discere liceat practicas regũ ad eos populos quos ex animo quidẽ odiunt, dum prospere agunt, auro autẽ muneribusq; reliquis corrũpere aggrediuntur, dũ bella cõminiscuntur, & dũ periculis grauantur, quibus malũt obijcere tales quos oderãt, & extinctos uellent, quacũq; ratione, quàm proprios subditos, quibus parcũt, uel quos minus crudeles didicerunt. Sic nihil non tentant ij reges circa Israëlitas, tantũ ut bella iuuare uelint: in quibus si pereant bene est, hoc enim dudũ uoluissent: si uincant, in bonum hoc dominis cedit uictoribus, nõ militibus, sine quorum sanguine nõ paratur uictoria. Nullũ erat in cir cuitu regnorũ, quod Israëlitas nõ odiret, nũc bellicosos ambiunt in ipsorũ malũ. Hic pro nostris multa occurrũt, sed quæ ignorata non sunt prudentibus, qui si succurre re nolunt in tempore, sentient & dolebunt.

Practicæ regum.

Odium in episcopos.

11 dicẽs: REX Alexander fratri Ionathæ sa lutem. Audiuimus de te quod uir potẽs sis uiribus, & aptus es ut sis amicus noster:

Fratrẽ nominat, quem nunquã uiderat, aptissimum no men decipiendi impijs. Saluere quidẽ Ionathan cupit, sed ad suam ipsius salutẽ, gloriã, & uictorias. Potens uiribus dicitur, animo & corpore robustus, & ad bella sustinen da aptissimus, in quibus huius sæculi hoĩes sibi placent et gloriãtur, cũ satius sit pacifici nominibus cõmendari, uel salutẽ pro patria, & honestatis aut fidei ꝓpugnatione uirilẽ esse, nõ bellicosum, qui beati dici nõ debẽt, sed paci fici. Cupiunt quidẽ tales amicos, hoc est fautores habere reges, per quos dominia sua seruant & augent, quales & adesse regibus debent, ut timori sint hostibus & im pijs, cõsolationi aũt innoxijs, & tranquillitatẽ amãtibus. Sine talibus certe amicis reges cõstare nequeunt, nec ho stes superare: etiã in pace nõ tuti sunt, nisi tales adsistant qualis erat Ionathas, pius, uerax, iustus, & constans, et insuper uiribus corporis perquam fortissimus.

Iuuenalis uotum.

12 & nunc constituimus te hodie summũ sacerdotem gentis tuæ, & amicus uocaberis regis (& misit ei purpuram, & coronam au ream) & quæ nostra sunt sentias nobiscũ, & conseruabis amicitias ad nos.

Iam ante aliquod annos dignitas facta fuerat & prin cipatus aliquis pertinens ad maiestatẽ regni pontifica tus Hierosolymitanus: ut nunc aliquot temporibus Ar chiepiscopi & primores ecclesiastici, principes sunt re gnorũ, qui si pro potestate tanta sibi tradita consulerent uerbo dei prædicando, eo modo quo conuenit, & est ne cesse, ferri posset. Prodest enim imperijs si pios, sanctos, sapientes & potentes habeant consiliarios, quorũ consi lijs nitantur & acquiescãt. Neq; aliquid ecclesijs regen dis utilius foret, quàm si huiusmodi pontifices potestate sua uterentur ad tutelã eorũ, qui legitime in ecclesia tra ctant uerbũ dei, & ueritatem prædicant necessariã re gimini populorũ, inducuntq; homines ad obedientiã præ ceptorum dei, quæ stant in fide & charitate, & iustorũ magistratuum, quæ stant in iustitia publica, utq; improbi arceantur, innocẽtes protegãtur. Id populi doctores dũ agere student, necesse est odia multorũ stolidorũ & im piorum incidere, etiam si ut secundũ officium suũ decet, sint uehementer modesti. Hos illi Episcopi & pontifices defendant bene docentes, corrigãt ineptientes uerbo uel facto. Tale officiũ iam erat pontificatus Hierosolymita nus, habebaturq; maximus honor, si talis pontifex esset quàm gratissimus regibus: uerũ si fuissent tam reges boni quàm sacerdotes, & si nõ magis põtifices cõdescendis sent regibus gentiũ ad idololatriã, quàm uerbo et doctri na eosdẽ perduxissent ad reuerentiã unius domini dei op timi maximi, cuius erant ex officio et genere sacerdotes, qualis erat hic Ionathas, uir bonus, melior autẽ futurus, si quæ dei sunt quæsiuisset in primis, & siuisset mortuos se pelire mortuos suos. Erat quidẽ ex genere Aarõ, sicut et Iudas & Matathias, & iam sibi summũ debebatur sacer dotiũ, hoc est, ex lege dei facultatẽ habebat sacrificandi domino, hoc officium & ius non accipiebat à rege, sed quod esset princeps regni Syriaci, & dux Israëlitici po puli, qui populũ secundũ dei sui leges regere & guber nare deberet, cui omnes Israëlitæ subesse deberent, uice regis, etiã in temporalibus, qui tunc non aliũ regẽ habe bant quàm gentilẽ. Purpura missa sacramentum erat du calis dignitatis, & illustris principatus delati sibi à mo narcha tali, qualis tunc esse cupiebat Alexander. Coro na aurea regalis nõ fuit, sed ornamẽtum ducale. Hæc aũt dat & mittit, ut faueat sentiatq; pro Alexandro. Ad hoc enim dona dantur à regibus, ut deuinciant sibi magnos & prudentes, ut postea uelint nolint consentire cogan tur regijs institutis. Vtq; fideles sint magis regibus quàm populis etiam proprie subditis.

Ionathas pontifex fæcularis.

13 Et induit se Ionathas stolã sanctã septimo mense, anno cẽtesimo sexagesimo in die so lenni scenopegiæ: & congregauit exercitũ, & fecit arma copiosa.

Ex illo tempore administrare cœpit Ionathas officiũ sacerdotale summũ, & sese ornare pontificalibus palu damentis & insulis. Defecerant enim lites & schismata aliquot annis. Agebatur enim dum hæc agerentur regni Græcorum annus centesimus sexagesimus, quintusdeci mus à morte Matathiæ, octauo anno ducatus sui, ad quẽ electus erat à populo. Septimus autem mensis à Martio September est, in quo festũ tabernaculorum celebraba tur septem diebus, secundum legem, quod hic dicitur Sce nopegiorum, quando Iudæi faciebant tuguria de ramis arborum, ad similitudinem tabernaculorũ, in quibus ha bitauerant quũ ex Aegypto peregrinarentur in eremo, à σκήνος & πήγνυμι, habitaculo & configere uel fige re. Ab hoc sibi religiose putãt sumpsisse Episcopi quidẽ nostri exemplũ insulam gestandi & gladiũ, cũ Christus lõge aliũ Episcopatũ docuerit, & instituerit pontificatũ. Non sunt oĩa huiusmodi trahenda in exemplum, nõ sumus Iudæi, sed Christiani: nec ueteris testamenti ministri sunt nostri Episcopi, sed noui, quod fidei est et charitatis.

Episcopi cũ pedo & gladio.

14 Et audiuit Demetrius uerba ista, & cõtristatus est nimis, & ait: Quid hoc fecimus, quod præoccupauit nos Alexander apprehẽdere amicitiã Iudæorũ ad munimen sui? Scribã et ego illis uerba deprecatoria, & dignitates, et dona: ut sint mecũ in adiutoriũ.

Ostendere uult author quanta contentione nunc certant reges pro promerenda amicitia eorum, quos nuper ad mortem & exterminiũ persequebãtur, quomodo munera excellentiora exquirunt & excogitant, quibus alliciant fauorẽ Ionathæ sibi certatim. Vnde & se beneficentia uictum dolet ab Alexandro Demetrius, uelletq; se profusiorem fuisse in donis erga Ionathan & gentem Iudaicam. Sic dominus fata regit, sic habet regum corda in suis manibus, dominus dominantium. Vnde & cogitat adhuc uincere beneficijs Ionathan, ut in amicitia priores obtineat partes præ Alexandro. Scribam & ego dicit, quasi intendens, potero & ego multa scribere, & maiora polliceri, ut euincã semel eos, ut adiutorio mihi sint. Nihil de Ionathæ laudibus & dexteritate addit, nihil de fraternitate & amicitia syncera intendit, quẽ uoluisset dudum extinctum cum omni populo. Nunc uero inuasus ab hoste, & anxius, desertusq; et multis nimium exosus, tentat necessitate coactus reconciliare sibi omnibus modis populum istum bellicosum.

15 Et scripsit eis in hæc uerba. REX Demetrius genti Iudæorum salutem. Quoniam seruastis ad nos pactũ, & mansistis in amicitia nostra, & nõ accessistis ad inimicos nostros: audiuimus, & gauisi sumus.

Recte dicit in hæc uerba, erant enim uerba, & ea sola, quibus nihil operũ successurũ fuerat. Gẽti scribit, nõ Ionathæ, nec addit epitheton charitatis, ut fecerat Alexander, qui scripserat fratri Ionathæ salutẽ, quod obtinere uolebat hoc adulatorũ et uafrorũ hominũ more se consecutũ iactabat. Et certe nihil dũ egerãt pro Alexãdro, nec dũ illorũ opera eguerat, & nihil mali intulerant Demetrio nisi lacessiti & coacti sese defendere, pacem seruauerant post Bacchidis fœdera & Alcimi mortem.

16 Et nunc perseuerate adhuc conseruare ad nos fidem, & retribuemus uobis bona pro his quæ fecistis nobiscum. Et remittemus uobis præstationes multas, & dabimus uobis donationes.

Fidem sibi seruari petit ad suum cõmodum, & periculorũ tempore cum feliciter regnans imperiose in eos tyrannizarit, & fidem seruarit nullã, sed tantũ perfidos fouerit & adiuuerit, pios acriter fuerit persecutus. Retribuemus dicit in futurum, nihil enim adhuc ante illud tempus aduersitatis retribuerat pro nimijs damnis quæ intulerat, reddiderat tantum quæ diutius seruare non se posse uidebat, obsides scilicet & arces. Onerauerat ipsos tributis, uectigalibus, officijs, & mulctis multis, quæ omnia nunc præstationes nominat, quas & multas fuisse negare non potest. Nec tantum remittemus danda, sed & addemus dona magnifica.

17 Et nunc absoluo uos & omnes Iudæos à tributis, & precia salis indulgeo, & coronas remitto, & tertias seminis: & dimidias remitto, & tertias fœminis: & dimidiam partem fructus ligni quod est portionis meæ, relinquo uobis ex hodierno die et deinceps, ne accipiatur à terra Iuda et à tribus ciuitatibus quæ additæ sunt illi ex Samaria & Galilæa ex hodierna die & in totum tempus:

Multis uerbis repetit eadem, ut uideatur populo cui scribit multa dare. Iam absoluit à debitis tributis, ex longo iam tempore, nõ iusto titulo receptis. Vos, inquit, & oẽs Iudæos, quasi intendat ubicũq; locorũ habitantes in regno meo, quod tamen nõ declarat. Ad sal emendũ coerat gerat Iudæos omnes contra ius gentiũ, cum eo loci omnibus prostet, sine magno labore, naturæ uniuersalis munere, quod auari reges in suũ emolumentũ cõuerterant aure, ferendo plebibus, ablaturi olim usum lapidum & aquæ, nisi natura de talibus nimiũ liberaliter prouidisset. Hãc relaxat quod fuerat alioqui citius perditurus: pretiũ sarlis dari uult, sed plebibus in usum conuerti. Coronas fortaßis dicit, quas à templi porticu aureas abstulerat per Bacchidẽ uel alios. Quod est, inquit, portionis meæ. Semminum, hoc est, eorũ quæ seminantur fructus tertia pars mea est, sed nunc remitto. Et fructum de arboribus meadiam partem tyranni sibi usurpauerãt, quam iniquitatẽ nequissimorũ regũ in sæcula ignorassemus, nisi hic propria confessione in scriptis traduxisset se ille Demetrius. Terra Iuda dicitur districtus uel regio iuxta Ierusalem per gyrũ, satis angusta eo tẽpore cõparatione priscorũ limitum. Et quia erant Iudæi plures in Galilæa & Samariæ quibusdam urbibus, ideo eosdem iam iungit in prouincia quibus donat omnes.

18 & Ierusalem sit sancta & libera cum finibus suis: & decimæ & tributa, ipsius sint.

Vrbem Hierosolymam mandat haberi honoratissimam & liberam ab omni tributo regibus præstando, cũ finibus suis, hoc est aruis & possessionibus ciuibus pertinẽtibus. Decimæ quidem dentur, sed ciuibus diuidantur: sic de tributis. Ex quo patet decimas non iam sacerdotibus & Leuitis fuisse datas, sed in regum & principum usum repositas. Longe enim à legis & ceremoniarum obseruantia iam antè defecerant. Tantum obseruabant quantum libebat regibus & pontificibus, qui de diuino cultu nihil curauerant, tantum ut domini essent diuitines, & luxui seruientes.

19 Remitto etiam potestatẽ arcis quæ est in Ierusalẽ: & do eã summo sacerdoti, ut cõstituat in ea uiros quoscunq; ipse elegerit, qui custodiant eam. Et omnẽ animã Iudæorũ quæ captiua est à terra Iuda in omni regno meo relinquo liberam gratis, ut omnes à tributis soluãtur, etiam pecorum suorum.

Vsurpauerat sibi rex ius arcis Sion, quod usq; in hæc tẽpora fuerat in manibus Græcorũ, sed iam à Ionatha obtentũ: quod hic ratũ habetur à rege, inter alia quæ iactat munera, cum nihil aliud cõcedat quàm quæ dudũ ipse et sui præcessores ademerant. Dat arcem summo sacerdoti ut

ut principi, ut ex ea pro tempore rebellem urbem castigare posſit, ut iam ante regibus mos erat in eadem. Hoc quidem magnificum iam erat, quod Iudæos omnes indigne dudum seruituti subiectos uel merito libertati reddit & gratis, una cum pecoribus, quæ regia potestas secundum quasdam portiones sibi rapuerat: unde liquet sub quàm graui seruitute laborarint sub Græcis regibus Iudæi per uniuersam Syriam.

20 Et omnes dies solēnes, et sabbatha, & neomenię, & dies decreti, & tres dies ante diem solennem, & tres dies post diem solennem sint omnes immunitatis & remissionis omnibus Iudæis qui sunt in regno meo:

In omnibus festis diebus per annū, quocūq; nomine dicantur, emunitatē habeant ubiq; in regno Iudæi, ne quis uacantes diuinis rebus, uel orantes, aut quiescentes, uel sine aliorum hominum damno gaudentes & celebrantes sua sacra perturbet aliquo modo. Decreti autem dies dicuntur, quos in memoriam alicuius diuini beneficij præter legem ipsi Iudæi sibi celebrandos indixerant, ut patet ex hoc libro de quibusdam, & alibi. Longe dissimiliora nunc sunt hæc decreta regalia, quàm dudum, cum rapiebantur ad idolorum sacrificia, & occidebantur in loco sacro, in atrijs templi. Sic dominus in tempore succurrit, si longanimiter expectetur.

21 & nemo habebit potestatē agere aliquid & mouere negotia aduersus aliquem illorum in omni causa.

Securi reddūtur pro diebus requietionis suæ et solennibus, à forensibus negotijs, ne debita ab illis soluenda exigantur, ne militare sine necessitate cogantur, ne urgeantur ad quæcunq; opera priuata uel publica facienda. Ne emere uel uendere quicquam cogantur, uel aliud quodcunq; contra legē domini dei sui, quo illis permitti intelligitur totus legis suæ obseruantia, ne in ea ab aliquo impediantur, uel offendantur quacunq; in causa.

22 Et ascribantur ex Iudæis in exercitu regis ad triginta millia uirorum:

Indigni habebantur Iudæi, qui pro stipendijs mererēt in regis militia, sed erant prorsus exosi & abiecti. Et si quando necessitas generalis urgeret bella gerendi, prius stipendijs militare cogebantur. Id nunc dedecus admere uult eis rex, quia iam eorum opera & militia indigebat. Ideo decernit, ut in militiam adscribantur triginta millia Iudæorum, qui ex stipendio regis alantur, & honeste ut alij milites tractentur: unde liquet quātus in Iudæa & terra Israel Iudæorum numerus tunc esset, uel etiam
23 in Syria, unde tot conscribi idonei milites potuerint.

& dabuntur illis copiæ ut oportet omnibus exercitibus regis, & ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni:

Non minoris æstimationis & honoris erunt in regno meo Iudaici milites, tam in stipendijs quàm in officijs & honoribus, quàm sint cæteri milites in regis magno exercitu. Copia illis annonæ præbebitur. Et in locis tutioribus ordinabuntur. Non exponentur periculis magnis & certis, ut homines ignaui, sed in stationibus & munitionibus ordinabuntur, ut nobiles gentis meæ, ut se in nullo spernendos sentiant unquam.

24 & ex his constituentur super negotia regni quæ aguntur ex fide, & principes sint ex eis, & ambulent in legibus suis, sicut præcepit rex in terra Iuda.

Nec tantū præliorum temporibus in pretio habebuntur, sed etiam tranquillis rebus, honesti erunt et nobiles. Constituentur enim si uolēt super negotia regni honesta & principalia, ubicunque opus erit fide & circumspectione, siquidem deprehendentur ad talia officia utiles. Sed & principes esse poterunt & exercituum duces, populiq; rectores ex Iudæis. Nec alienæ fidei homines illis posthac præerunt, sed ex semetipsis magistratus & principatus deligent, ut in suis legitimis nō impediantur, sed promoueantur magis ad obseruantiā legis diuinæ, quam tantopere zelare noscuntur. Id autem totum illis in suæ terra propria in terra Iuda, tota donabitur, ut id pro quo tantos agones sustinuerunt, nec hactenus assequi potuerunt, id nunc bona mea gratia sint affatim obtenturi.

25 Et tres ciuitates quæ additæ sunt Iudææ ex regione Samariæ, cum Iudæa reputētur ut sint sub uno, & nō obediant alienæ potestati, nisi sumo sacerdoti: Ptolemaida & cōfines eius, quas dedi donū sanctis qui sunt in Ierusalē ad necessarios sumptus sanctorū.

Priuilegia terræ Iudæ data harum tenore uolumus extendi ad eos Iudæos, qui in Galilæa & Samaria habitant, in tribus illis principalibus urbibus. Vno enim regentur principe, ut uelut unus populus sint habenedi omnes illi. Non subditi alienigenæ, sed uni tantum Iudæorum principi, qui Iudæus sit & summus sacerdos. De Ptolemaida urbe quædam hic inserit, quasi cupiens eandem urbem totam tradendam Iudæis cum uniuerso dominio iure & prouentibus, siquidem eandem sint oppugnaturi Iudæi, & in suam ditionem suo quoque auxilio assecuturi. Eandem enim urbem Alexander primum acquisierat, ideoq; si Iudæi Demetrium iuuarent pro ea recuperanda & eijciendo Alexandro, hic eius tam nobilis urbis & inexpugnabilis dominium Iudæis sit perpetuo possidendum traditurus: sic ut sanctuario in Sion & summo pontifici illi sit pleno iure subijcienda, & ministratura cum omnibus suis prouentibus templo Hierosolymitano.

26 Et ego do singulis annis quindecim millia siclorū argenti de rationibus regis, quæ me contingunt: & omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui super negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus.

Nec id solum sanctuario cedet quotannis donandū, sed & de rationibus ac redditibus regijs quoad uixero singulis annis dabo pro cultu dei in sacrificia & holocausta emenda & offerenda quindecim millia siclorum argenti. Et si quid olim pro dei cultu reddi promissum est, à meis præcessoribus, & nondum redditum ob bella et inimicitias, iam nunc reddetur, ut expendatur legi-

time in obseruantias sanctuarij secundum legem uestram. ne quid uspiam querulari à uobis quomodocunq; possit. Et hæc pro sacrificijs.

27 Et super hæc quinq; millia siclorum argenti, quæ accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos: et hæc ad sacerdotes pertineant, qui ministerio funguntur.

Et quæ hactenus in communi habebant ordinata pro sacrificijs soluendis à prioribus deuotis hominibus, illa cum necessaria templo & sacrificijs non sunt futura, uolumus distribui in usus peculiares sacerdotum, ut eo ditiores sint, & minus indigui necessariorum, & in cultu dei magis soliciti, nempe quinque millia siclorum argenti. Vt intelligatis me promotorem diuini cultus futurũ, ut erã hactenus psecutor, tantoq; mihi fidelius adhæreatis.

28 Et quicunq; confugerint in templum quod est Hierosolymis, & in omnibus finibus eius, obnoxij regi in omni negotio dimittãtur, & uniuersa quæ sunt eis in regno meo libera habeant.

Statuimus etiam, ut emunitatis perpetuæ locus & asylum habeatur, & sit templum illud Hierosolymis, & quæ circa templum sunt ædificia, omnibus qui ob quamcunque offensionem regis uindictam & iram, illuc confugerint. Et si quas libertates uel asyla ordinauerunt antecessores mei uel ego, in toto regno meo, pro confugientibus in necessitate ad eas, illa loca etiã pateant eodem iure & usu ad Iudæos, si indiguerint emunitate aliqua, uel in periculo ad eadem concurrerint, ibi tuti & liberi seruentur, non minus quàm cæteri ciues & liberi de regno meo.

29 Et ad ædificanda uel restauranda opera sanctorum sumptus dabũtur de ratione regis: & ad extruendos muros in Ierusalem & communiendos in circumitu, sumptus dabuntur de ratione regis, & ad construendos muros in Iudæa.

Si quid per nostros præfectos uel alios, ad nostrum imperium uel permissionem destructum est in templo, muri, aræ, uel ædificia quæcunq;, aut uasa confracta sacra, illa omnia restaurabuntur, & restituentur ex rationibus regis. Sic & de urbis Hierosolymæ muris, si quid dirutũ probabitur per nostros, hoc per expensas meas reædificari mandabimus. Nec hoc solum pro ruinis in Ierusalem ordinabimus sat agendum, sed etiam in cæteris urbibus Iudææ, si quid per nos uel nostros antecessores destructum est, reformabitur de ratione censuum regis. Quid autem maius & præclarius à rege Iudæi quicunq; petere potuissent, quæ nunc sponte Demetrius promittit tribuenda & perficienda, tantum ut sint amici ipsius, & adiuuent ius suum, quod nunc habeat contra Alexandrum. Prudenter autem reticet quid contra malorum illaturus sit Iudæis, si preces tam armatas contempserint.

30 Vt audiuit aũt Ionathas et populꝰ sermones istos, nõ crediderũt eis, nec receperunt eos: quia recordati sunt malitię magnę quã fecerat in Israel, et tribulauerat eos ualde.

Recentia adhuc erant grauissima incõmoda quæ Demetrius & sui intulerant Israelitis, & terræ Iudæ, quam quam multo maiora passi fuerant ab Antiocho Epiphane, patre ut dicebatur Alexandri, & quæ mala ab Antiocho eiusdem filio, qui fuerat à Demetrio interfectus, & frater huius Alexandri: ista tamen adhuc exæbant, & animos exulcerabant, ut tam Ionathas quàm populus nullam fidem tot pollicitationibus habere potuerint Demetrij, ideoq; derogauerũt illius precibus, sperantes omnia ea se assecuturos, eo occiso, si Alexandri partes iuuarent, uel saltem non impedirent. Nolebant enim reconciliato tam acerbo hosti sese denuo committere uel credere. Cuius odium nondum efferbuisse credebant, quin ad primam occasionem recrudescendum esset, à quo essent grauiora passuri si potentatu cresceret.

31 Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis, & ipsi auxilium ferebant omnibus diebus.

Ignotus Alexander erat, & pro obtinendo regno benuolentiam ostendebat ad omnes, tantoq; magis quanto cunctis erat suspectior, & magis extraneus ad huius regni possessionem, unde & Iudæos facile sibi conciliare poterat, quos nunquam læserat, ideoq; magis complacuit eis in Alexandro, qui pacem & amicitiam primus obtulerat, & nunquam offenderat, ideoq; & ferebant eidem auxilium, tanquam uicino, semper quoad uixit & prorexit, obmisso Demetrio, & suis tam amplissimis promissionibus.

32 Et cõgregauit rex Alexander exercitum magnum, & admouit castra contra Demetrium. Et commiserũt prælium duo reges, & fugit exercitus Demetrij, & insecutus est eum Alexander, & incubuit super eos. Et inualuit prælium nimis donec occidit sol: & cecidit Demetrius in die illa.

Satis constat Demetrium parum habuisse fauoris in Syria, quando Alexander tantum potuit, nuper aduenies aggregare exercitum, ut hic dicitur, quo tantum regem prosterneret & uinceret, proq; eodem regnum assequeretur. Sed facile erat uinci regem, cuius ministri fugiebant, et non zelabant ex animo. Tota die durans prælium arguit fortitudinem exercituum utrorumq;.

33 Et misit Alexãder ad Ptolemæum regem Aegypti legatos secundũ hæc uerba, dicens, QVONIAM regressus sum in regnũ meum, & sedi in sede patrum meorum, & obtinui principatum, & cõtriui Demetrium, & possedi regionem nostram, & cõmisi pugnam cum eo, & contritus est ipse, & castra eius à nobis, & sedemus in sede regni eius: & nũc statuamus adinuicẽ amicitiam, & da mihi filiam tuam uxorem, & ero gener tuus, & dabo tibi dona, & ipsi dignitatem.

Pro tot bonis perceptis quæ nunc iactat regi Aegyptio, nihil dei agnoscit, nulla est agnitio dei omnia dispõnẽtis, nullus timor dei uel ueneratio, nec unico uerbo gratias deo refert. Putãt homines isti gentiles omnia cõsuare suis

suis uiribus et prudẽtia haud secus q̃ bruta animalia, tanto autẽ brutaliores, quanto intellectũ habentes sine intellectu omnia agũt, non intelligentes unde eis hæc omnia bona quibus fruuntur. Videmus quoq; uanorũ hominum cogitatus, ut semper progredi uelint, et non esse cõtenti sua fortuna, sed altißima sectari. Hic Alexander, siue re uera fuerit filius Antiochi, siue impostor, certè magnanimus fuit, et regio animo & audaci, qui multa ambitione laborauit, donec ad libidinũ opportunitates peruenireț. Regnũ suum iactat se assecutũ, non ut Cyrus à deo accepti. Sedẽ patrũ iactat, ne putetur suppositititius: principatũ obtinuisse dicit, & hostẽ cõtriuisse, deinde pugnasse, sine ordine dictiõis, sed cũ repetitiõibus, more iactatorũ. Pulchre etiã pluratiuo numero sese appellat. Postq; amplificatã magnificentiã suã, tũc uxorẽ petit filiã regis, Cleopatrã, quæ multæ fuerunt huius nominis, ut uideri possit reginas et reginarũ filias in eo regno omnes dictas fuisse Cleopatras, sicut omnes reges tũc Ptolemæi dicti sunt, ut olim Pharaones. Magna autẽ arrogãtia, in hoc nouo homine, qui tãto regi Aegyptio munera uel dona permittit, et filiæ honores, ut scilicet prima inter uxores fiat, & regina præ alijs. Mulierosus enim fuit hic Alexander.

34 Et respõdit rex Ptolemæus, dicẽs, FELIX dies in qua reuersus es ad terram patrum tuorum, & sedisti in sede regni eorum. Et nũc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemaidam, ut uideamus inuicem nos, & spondeam tibi sicut dixisti.

Mirũ certè, si hic Alexãder nõ uerè fuit filius Antiochi, & legitimus hæres regni, quod tales inuenit reges auxiliatores et cõsentaneos, ut literis quoq; et uerbis attestẽtur falsitati, et hic Aegyptius filiã sponte præbeat. Ptolemais quæ et Acõ sita est inter Aegyptũ et Antiochiam. Veruntamẽ nihil dextrũ et syncerũ agitur inter hos reges, sed õia pro præsenti fortuna, cauti utrinq; ad futura respiciũt, si quo modo imperiorũ suorũ pomeria dilatare queant, etiam cum alterius dedecore & iactura.

35 Et exiuit Ptolemæus de Aegypto, ipse & Cleopatra filia eius, & uenit Ptolemaidam anno centesimo sexagesimo secundo. Et occurrit ei Alexander rex, & dedit ei cleopatram filiam suam: et fecit nuptias eius Ptolemaidæ, sicut reges in magna gloria.

Prostituũt reges suas filias ad fingẽdum amicitiã, do nec fortuna fauet, cito rupturi fœdera, ubi consuluerit cõmodum & propria gloria, quibus omnem præponũt uerecundiã et iustitiã. Et nuptiarũ nimius fastus & insolẽs apparatus, ut plurimũ infeliciter cedunt matrimonijs, & nõ diu duraturam matrimonij charitatẽ ostendunt, quam tam nice totam effundere ueluti uidentur, ut uel per mortem citius sit diruenda, uel per alias infelicitates, ut præfiet hæc omnia fieri cum modestia & timore dei.

36 Et scripsit rex Alexãder Ionathę, ut ueniret obuiã sibi. Et abiit cum gloria Ptolemaidã, & occurrit ibi duobus regibus, & dedit illis argentum multum, & aurum, & dona:

& inuenit gratiam in conspectu eorum.

Gratiam quidẽ regum ambire licite potuisset pontifex Ionathas, pro pace suæ gentis, sed difficile est duobus dominis seruire, & regibus satisfacere donando. Et tam superborum & potentium regum familiaritas, non potuit non obesse nouo duci, nõ magni populi, sed omnibus exosi potius. Periclitatur igitur non parum, & legis instituta non probe intuetur, quæ amicitias tales prohibet, unde impietas, uel eius fructus, odiũ et fastus prodeunt. Gloriam magnã nunc uenatur, non diu ea perfruiturus, quia periculo se exponit, et odia contra se suscitat plurimorũ, fastui nimis indulget. Quæ omnia statũ suum nõ multum decebant, de humili statu subleuatum in altum, unde citius periculose deijci formidandum erat. Humilibus tutius est consentire & declinare superborum hominũ & infideliũ nimia consortia. Gratiã inuenisse scribitur in amborum regum conspectu, sed postquam multa dona largitus erat, aurum & argentum profuderat. Talibus placantur reges, & periclitantur mediocres. Amicitiã potentum.

37 Et conuenerunt aduersus eum uiri pestilentes ex Israel, uiri iniqui interpellantes aduersus eum: & non intendit ad eos rex.

Gloriam semper sequitur inuidia, maxime uero inter cognatos. Alieni principes amabant Ionathan, proprij fratres Israelitæ sed pestilentes odio semper persequũtur, et ubiq; causas perquirunt et inueniũt calumniandi innoxios, ingratißimi in eũ per quẽ iam tota gens pacem fuerat assecuta & honorẽ, illum iam cupiũt deiectũ honore & fauore regũ, in suã propriã perditionẽ. Sic semper pestilens fuit natio et ingratißima omnibus, qui eidẽ benefecerunt ab initio, ut optimũ hunc uirũ Ionathan et optimi genitoris filiũ & optimorũ uirorũ fratrẽ, non timuerint grauißime, ut poterãt, accusare extraneis. Sed hæc in cõmoda gloriã subsequũtur, talia ferunt boni fideles q; prælati. Et melior hac parte nunc est rex prophanus, quàm ut pro morosa gente & perfida, fidelem sibi fratrem contemneret, uel sineret confundi à malignis. Iudæi semper ingrati.

38 Et iussit spoliari Ionathan uestibus suis, & indui eum purpura: & ita fecerũt. Et collocauit eum rex sedere secum. Dixitq; principibus suis, Exite cum eo in medium ciuitatis, & prædicate ut nemo aduersus eum interpellet de ullo negotio nec quisquam ei molestus sit de ulla ratione.

Quanto magis inuident sui, hoc est Iudæi impij, tanto magis à dñi dei prouidentia gloria decoratur, et id à gentili, cui propria gens inimicabatur frustra, imò malignissime, & ingratißima semper. Summo honore honoratur Ionathas ab Alexandro, qualis designabatur in purpura, qui uestitus non nisi regibus permittebatur olim, & quos illi in immensum honorare decreuissent, quẽ & ex latere suo habuit commensalem, & præ cunctis regni principibus honoratũ, quem & à nullo passus est pertur bari, indicens silentiũ omnibus Iudæis, qui parati fuerant interpellare regẽ contra Ionathan, quasi aliquid offendisset in regẽ, uel etiã in suã gentem: quandoquidẽ candidus animo uirili & honesto habebatur ab honestis, quã pro

ſua dexteritate impij nebulones in gente illa ferre uix poterant.

39 Et factum eſt ut uiderunt qui interpellabãt gloriã eius quæ prædicabatur, & opertum eum purpura, fugerunt omnes:

Confunditur ſæpe iniquitas, ſed non emendatur, niſi coacta. Sic impij Iudæi, liuidis ſuis oculis aſpicere coguntur honorẽ maximũ eius, quem uoluiſſent perditũ, quia nimiũ pro bonitate ſua illis ingratus. Nũc uero honoratũ aſpicientes fugiunt, ſibi de impietate male conſcij. Et certè non eſt tutũ etiam ubi ſubeſt ueritas, aulicos quoſq; et principum familiares incuſari de quacunq; re, mutuum ſibi adſiſtunt, & contra populũ defendunt potentiã ſuã. Sed et ad leues occaſiones uulgus ſtomachatur cõtra prælatos, & diſquirit cauſas accuſandi, beneq; acta quærit inuertere, ſemper nouis magiſtratibus antiquos emendare, cum frequenter ingratiores ſequantur.

40 & magnificauit eum rex, et ſcripſit eũ inter primos amicos, et poſuit eum ducem & participem principatus. Et reuerſus eſt Ionathas in Ieruſalem cum pace & lætitia.

Regium apparatum hic Alexander oſtentare potuit, quicunq; fuerit tandem, qui Ionathan liberalem hominẽ animo & corpore fortem, pium & ueracem, & populi ſui amantem amicũ habere uoluit & familiarẽ, multisq; in ſua aula principibus æqualem. Magnificauit eum, hoc eſt honore & diuitijs illuſtrauit, & in maxima authoritate apud ſuos uoluit reuereri. Ducem poſuit eũ, et participem eius principatus, quem ſibi reges Syriæ & Aſiæ in Hieroſolymam & Iudæam totam uendicabant. Quo contigit, ut cum plauſu magno & gloria rediret Hieroſolymam, confuſis eis, qui illi apud regẽ ex Iudæis negotium faceſſere uoluiſſent, ut poſthac quieſcerent, & obedientiæ ſubderentur etiã nolẽtes, rege cũ duce ſentiẽte.

41 In anno centeſimo ſexageſimoquinto, uenit Demetrius filius Demetrij à Creta in terram patrum ſuorum. Et audiuit Alexander rex, & contriſtatus eſt ualde, et reuerſus eſt Antiochiam.

Iſte Demetrius ab Alexandro occiſus, poſt ſe reliquerat, ut dictum eſt, duos filios, qui aufugerant dominatum Alexandri, quorum unus patris ſui nomine dictus Demetrius, incipit ſic agere cũ Alexandro, ut ipſe egerat cum patre. Sic ſibi mutuum tyranni aduerſantur, quia uiolenter omnia tentant, nulla habita ratione æqui & honeſti, tantũ ut aliquandiu regnent, & factu luxuq; reddantur mundo intolerabiles, ut incipiat eum tædere prioris, & ſperare meliores. Sexageſimo anno arripuerat dominatum Alexander, iam nunc ſexageſimoquinto inuaditur. Quod autem poſt annotatã perturbationem Alexandri additur: Et reuerſus eſt Antiochiam, intelligitur de Demetrio iuniore. Cui Antiocheni ſtatim conſenſerunt, ut regno potiretur in locum parentis, cui prius obedierant ante Alexandri aduentum, ut mobile uulgus mutatur cum principe.

Tyranni hoſtes ſibi.

42 Et cõſtituit Demetrius rex Apollonium ducẽ, qui præerat Cœloſyriæ: & congregauit exercitum magnum, & acceſſit ad Iamniam: & miſit ad Ionathan ſummum ſacerdotem, dicens, Tu ſolus reſiſtis nobis: ego autem factus ſum in deriſum, & in opprobrium, propterea quia tu poteſtatem aduerſum nos exerces in montibus.

Cœloſyria dicitur inferior uel baſſa, reſpectu montanorum Iudææ & Samariæ, & quia maritima erat. Eius principẽ animo alienatũ ab Alexandro Demetrius in ſuã partem tractũ, fecit principem militiæ, quandoquidẽ & adhuc iunior ætate erat Demetrius, ut patet ex hiſtoria, magnumq; collegit exercitum, totamq; regionẽ ſubiecit ſibi, præter eam quæ Ionathæ parebat Iudæorum prouintiam, in qua, ut uidetur, tunc etiam Iamnia erat, urbs interſignis & maritima, in ſorte tribus Dan, quæ pertinebat pro magna parte ad regnum Iuda. Ad quam rex perueniens, miſit Hieroſolymam ad Ionathan, admonens ut non adhæreret Alexandro, ſed ſibi, nec ſe putaret cõtinendum Ionathæ, qui iam à certis regni gentibus pro rege fuiſſet ſalutatus & honoratus, quod niſi ipſe quoque ageret, ſeſe putaret irrideri & opprobriũ ferre. Appareret autẽ ex his uerbis, Ionathan montana Iudææ uoluiſſe defendere contra Demetrium, Alexandroq; adhærere, quos hic dicitur poteſtatem exercere in montibus.

43 Nunc ergo ſi confidis in uiribus tuis, deſcende ad nos in campum, & compareamus illic inuicem: quia mecum eſt uirtus bellorum. Interroga & diſce quis ſum ego & cæteri qui auxilio ſunt mihi, qui & dicũt quia non poteſt ſtare pes ueſter ante faciem noſtram, quia bis in fugam conuerſi ſunt patres tui in terram ſuam: & nunc quomodo poteris ſuſtinere equitatum & exercitum in campo, ubi non eſt lapis, neque ſaxum, neque locus fugiendi?

Pro iuuentute ſua oſtentat ſuperbiam multam, & minis iactanter ſcribit, cum contemptu Ionathæ & ſuorum. Haud dubie inuidens ei propter patrem, cuius amicitiam deſerentes & Alexandro adhærentes Iudæi, filio uideri poterant occaſio fuiſſe mortis Demetrij, quem iuuare noluerint. Ideo nunc prouocat Ionathan ad bellum, non in montibus, ſed in campo. Mecum, inquit, eſt uirtus bellorum: quaſi dicat, ſenties me tibi inſuperabilem, factionis quidem non es expertus fortitudinem meam & ſociorũ, qui quæ tua ſit uirtus norunt me melius. Illi aſſerunt te longe imparem exercitui meo, illi ſciunt bis fugaſſe tibi conſuluiſſe patres tuos, à facie Syraici & Græcanici exercitus potentiſſimi, maxime in equitibus, quales tu dicteris non habere, ſed tantum pedeſtrem exercitum, tantũ quoque fundis & ſagittis tibi conſulere. Hoc autem in loco lapides iactandos non inuenies, & fugæ latibula in latiſſimo campo non habebis. Conſultius autem ages, ſi gratiam quoque meam promereri ſtudueris.

44 Vt audiuit aũt Ionathas ſermones Apollonij, motus eſt animo: & elegit decẽ millia uirorum, & exijt ab Ieruſalem, et occurrit ei Simon frater eius in adiutoriũ: & applicuerunt

runt castra in Ioppen, & exclusit eum à ciuitate: quia custodia Appollonij Ioppe erat, & oppugnauit eam.

Motus dicitur animo, ad magnanimiter agendum contra hunc iactatorem suæ fortitudinis, & contemptorem Israeliticæ uirtutis, contra obiectorem fugæ, talia enim æquo animo Ionathas audire non potuit. Elegit ergo ex multis fortiores & meliores, de quibus confidere posset, ex Ierusalem & Iuda, Simonq; & ipse paratus in aduentorium fratri imperteritus occurit eidem, fortassis ducto exercitu è Galilææ urbibus & Samariæ, de quibus dictum est, in priuilegijs Demetrij promissis, in superioribus. Castra applicuerunt in Ioppe, maritima urbe de tribu Dan, ubi nunc uix ruinarum patent uestigia, in qua tunc Apollonius cum suis erat militibus, quam & oppugnarunt Machabæi.

45 Et exterriti qui erant in ciuitate, aperuerũt ei, & obtinuit Ionathas Ioppẽ. Et audiuit Apollonius, & admouit tria millia equitum, & exercitum multũ. Et abijt Azotum quasi iter faciens, & statim exijt in campum: eo quod haberet multitudinem equitum, & confideret in eis. Et insecutus est eũ Ionathas in Azotũ: & cõmiserũt prælium.

Iam liquet quàm uerè iactauerit se nuper Apollonius uel Demetrij filius, quando intra urbem sese abscondentes ciues Ioppenses egredi non audentes, nunc capiuntur, & cogunetur aperire portas urbis, Ionathæ & fratri. Verum intelligitur non adfuisse Apollonium, sed in Samaria perstitisse. Non enim occurrere eidem Ionathas uoluit, in loco qui illi placuisset, sed maluit eam urbem consequi, & sic uictoria consolatus aggredi hostem, loco sibi non importuno. Audiens autem hæc Apollonius, cum exercitu & castris trium millium uenit Asdotum, quasi imparatus uel negligens tentandi conflictum. Re autem uera iam accinctus erat & paratus, unde & subito aparuit extra urbẽ cum suis equitibus, in quibus plurimum confidebat, quem & sine cunctatione insecutus est cum suis Ionathas usque ad urbem Asdotum, & prælium commiserunt, cum parte tantum exercitus Apollonij, quasi illudens illi cum paruo & subitaneo exercitu,

46 *cum insidias subornasset.*

Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occulte. Et cognouit Ionathas quoniã insidiæ sunt post se, & circumierunt castra eius, & iecerunt iacula in populum, à mane usque ad uesperam. Populus autẽ stabat sicut præceperat Ionathas: & laborauerunt equi eorum.

Insidias collocarat in castris mille equitum, qui à tergo Ionathan pugnantem cum tribus millibus aggrederentur. Id ut innotuit Ionathæ partem & sui exercitus misit ad irruendum in insidias, quod & factum est tota die, dobant, sed Syrorum, qui tantum tunc equites aderant & æque ut homines sustinere non possunt. Populus aũt non sinebat requiescere equos uel milites.

47 Et eiecit Simon exercitum suum, & commisit contra legionem: equites enim fatigati erant, & contriti sunt ab eo, & fugerunt. Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, & intrauerunt in Bethdagon idolum suum, ut ibi se liberarent.

Simon quoque cum suo exercitu insidias istas adortus est, & in equites insultum fortissimum egit, & iam fatigatos magis exercuit tam equos quàm uiros, donec deficerent & uincerentur, uel fuga laberentur, qui poterant. Quorum multi Asdotum cucurrerunt, urbem hostium Græcorum, ut ibi saluarentur. Nec ibi tuti fuerũt, ideoq; ad Asylum ingressi sunt profugi, phanum scilicet uetusti illius idoli, quod dictum est Samuelis tẽpore Bethdagon. Sic diu perseuerat superstitio, cum toties Hierosolyma diruta fuerit cum templo. Verum potuit id quoque et huic loco contigisse. Nam frequentia bella semper fuerunt in tota illa Cœlosyria, sita inter Græcos & Aegyptios, iuxta mare.

48 Et succendit Ionathas Azotum, & ciuitates quæ erant in circumitu eius, et accepit spolia eorum, & templum Dagõ: & omnes qui fugerunt in illud, succendit igni. Et fuerunt qui ceciderunt gladio cum his qui succensi sunt, ferè octo millia uirorum.

Obtenta uictoria contra Apollonium, Ionathas Asdotum quoque cepit, & cum delubro Dagon diruit & ustauit, totumq; in prædam diuisit suo exercitui, templo cum urbe & habitatoribus combustis. Sic semper iactantiam superbã sequitur humiliatio. Iam fugerant, iam cæsi erant, iam urbes amiserant, qui nuper sese uolebãt credi inuincibiles, & Iudæis fugam & pusillanimitatem obiecerant. Præstat modestiam uerbis seruare, et factis magnanimiter niti, & à domino pendere, in cuius arbitrio solius sita est uictoria.

49 Et mouit inde Ionathas castra, & applicuit ea Ascalonem: & exierunt de ciuitate obuiam illi in magna gloria. Et reuersus est Ionathas in Ierusalem cum suis, habentibus spolia multa.

Tam feliciter rebus gestis apud Asdotũ contra hostes superbos, & iam profugos, nunc etiam Ascalonem aliam Palestinæ urbem aggreditur, cuius tamen ciues desperantes de uictoria, nõ tam amore quàm formidine sese dediderunt, & glorificauerunt Ionathan, & ab eodem illæsi relicti sunt, absque dubio mandatis parentes, & rediment es diuitijs damna imminentia loco, personis, & rebus. Redijsse cum magna gloria Ionathas dicitur Hierosolymã, de gratijs deo gestis & laudibus diuinis nihil legimus. Erat felicior et sæculariter amabilior et iustior q̃ religiosior hic Ionathas, ut apparet ex gestis. Sẽsim enim pietatis feruor, in tota illa gẽte tepebat, aliquãdo in totũ expiraturus, dum gentium plenitudo ingressura erat.

Ionathas felicior quàm religiosior.

50 Et factum est: ut audiuit Alexãder rex sermões istos, addidit adhuc glorificare Ionathan. Et misit ei fibulam auream, sicut con-

suetudo est dari cognatis regum. Et dedit ei Accarõ & omnes fines eius in possessionẽ.

De Alexandri gestis contra Demetrium, mirũ ut parum scripserit, sed tantum Machabæorũ gesta in scopum sibi scriptor proposuit, ad quorum laudem pertinet, pro hoc quoque triumpho Ionathan honoratum insigniter à rege Alexandro. Fibula autẽ aurea, ornamentũ uidetur fuisse regale & illustrissimũ, quo fraternitatis obseruantiam commendauit, & post ambas urbes obtentas Asdotum & Ascalonem, dono quoque tertiam ab Alexandro accepit Acharonem, olim Dauidis temporibus fortissimas urbes, & perpetuos hostes Israelis.

CAPVT XI.

1 ET rex Aegypti congregauit exercitum, sicut arenam quæ est circa oram maris, & naues multas: & quærebat obtinere regnũ Alexandri dolo, & addere illud regno suo.

In hac historia Iosephus non parum uariat, secutus Græcos alios, nos autem tutius adhæremus huic authori, certè sancto & pio. Hyperbolicos autem comparat exercitum arenæ maris. Naues autem multas classem dicit, qua peruenit ad Syriam cum militibus, ut regnum Alexandri obtineret. Fieri potest, ut de impostura nonnihil in Alexandro odorarit, quod tamen nec illud uerisimile est, quando & Alexandri filius postea rex est salutatus. Hic uero Ptolemæus Euergetes dictus est, qui post Ptolemæum Philometorem regnauit in Alexandria. Iosephus dicit oblatum huic Ptolemæo regnum & duplicem coronam per modestiam & Romanorum timorem recusasse, & eum nominat Philometorem, qui uenerit in Syriam, Alexandro socero suo solatia præbiturus, quem omnes ciuitates studiose Alexandro præcipiente susceperint: quibus hic longe contraria referuntur, & magis uerisimilia, ad quid enim tantus illi necessarius fuisset exercitus ni bellum spirasset?

2 Et exĩt in Syriam uerbis pacificis, et aperiebant ei ciuitates, & occurrebãt ei: quia mãdauerat Alexander rex exire ei obuiam, eò quòd socer suus esset.

Pacem quidem finxit, sed urbes retinuit intra quas est admissus Alexandro nihil durũ à socero suspicante, unde & obuiam illi cum honore ciues exire regi socero iusserat. Sed sic sunt ingenia regum, ut plurimum, ut præferant gloriam & potentiam amicitiæ & cognationi, uxoribus, filiabus & filijs: tanta illius status miseria & infelicitas, qui tamen felicitatis humanæ scopus habetur, quem omnes ferè admirantur & appetunt, cum non sit calamitosior, siue male præsit siue optime, nisi si dominus dominorum à regibus iugiter cogitetur.

Ingenia regum.

3 Cum autem introiret ciuitatẽ Ptolemæus, ponebat custodias militum in singulis ciuitatibus. Et ut appropiauit Azoto, ostenderũt ei templum Dagon succensum igni, & Azotum, & cætera eius demolita, & corpora proiecta, & eorũ qui cæsi erant in bello tumulos quos fecerãt secus uiam. Et narrauerunt regi quia hæc fecit Ionathas: ut inuidiam facerent ei: & tacuit rex.

Proditorium animum ostendit, & generum statim facto irritauit, & suspectum reddidit de animo mutato uel doloso, quo semper fuerit in se, ut etiam in dolo filiã eidem tradiderit, ut occasio sibi præberetur ingrediendi Syriam. Conquestionis prætextu ostendunt delubrũ Dagon, à Ionathan combustum, irritare uolentes regem contra Iudæos. Sed dissimulauit, tum quia Ionathan ueneratur cũ suo populo uicino, tum quia de idolis Syriæ parum curabat, qui longe plures & portentosiores colebat in Aegypto.

4 Et occurrit Ionathas regi in Ioppen cum gloria, & inuicem se salutauerunt, & dormierunt illic. Et abiit Ionathas cum rege usq; ad fluuium qui uocabatur Eleutherus: & reuersus est in Ierusalem.

Omnem inuidiam superabat Ionathas sua liberalitate & magnificentia, tam domi quàm foris, fidelis in omnibus & sine dolo, uerax & constans, unius dei cultor, & amator suæ gentis, dissimulatorq; improborũ, quantum cum honore fieri poterat. Salutarunt se mutuo et permanserunt in urbe Ioppe maritima. Eleutherus fluuius à Iosepho Liber dicitur, uel ab interprete. Cuius ad mare ostiũ nõ procul est à Tripoli, dictus recẽsiori ætati Vallonias.

5 Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium ciuitatũ usque Seleuciam maritimam, et cogitabat in Alexandrum consilia mala.

Ex facto intelligitur qua intentione uenerit, quia maritimam Syriam omnem suo subiugauit imperio, per dolum, cum iniuria generi Alexandri. Seleucia autem hæc Pieria dicitur, sita in promontorio, ad quã usque peruenit Daphnæ nemus: agrum optimum habet. Condita à Seleuco Nicanore, munitissima urbiũ quatuor, quas is condidit: uide Zieglerum in Syria. Cogitabat in Alexandrũ consilia mala. Causam huius odij Iosephus recitat, sic dicens: Perueniens autem Ptolemaidam, præter omnem spem paulominus habuit interfici Ptolemæus insidijs Alexandri, quas ei per Ammonium amicum parauerat. Manifestis autem factis insidijs Ptolemæus Alexandro scribit, ad pœnam Ammonium petens, & dicens insidias sibi ab eo passum, & uindictam sumere iustum est. Alexandro uero non concedente, Ptolemæus intellexit illum causam insidiarum extitisse, quapropter factus est odiosus, accusauitq; ut proditorem nuptiarum filiæ suæ.

6 Et misit legatos ad Demetrium: dicens, Veni componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam quam habet Alexander, & regnabis in regno patris tui: pœnitet enim me, quòd dederim illi filiã meam: quæsiuit enim me occidere. Et uituperauit eum, propterea, quòd concupierat regnũ eius.

Demetrius ille erat, de quo dictum est proxime, filius Demetrij, qui uenerat ad expellendum Alexandrũ, huic iam sese accommodat Ptolemæus, filiam locans ablatam Alexandro, regnum promittens, cuius iam retinuerat ciuitates

uitates multas maritimas, ut dictum est. Et adhuc procedit etiam rapere sibi Antiochiã, ut dicetur, uolebat enim Demetrium regnare quidem in regno patris sui, sic ut ipsum Ptolemæum agnosceret benefactorem & superiorem, ideo filiam dedit, ut gener esset soceri. Concupiuisse dicitur regnum Alexãdri, facto scilicet, quia eidem ablatum alteri tradidit.

7 Et abstulit filiam suam, & dedit eam Demetrio, & alienauit se ab Alexandro, & manifestatæ sunt inimicitiæ eius. Et intrauit Ptolemæus Antiochiam, & imposuit duo diademata capiti suo, Aegypti & Asiæ.

Cleopatram tradidit Demetrio, respuens & persequens Alexandrum, patentibus inimicitijs deturbando à possessione & regione. De duplici diademate prorsus contrario Iosephus scribit, quomodo ad Antiochenos perueniens, rex ab illis & à militibus fuerit ordinatus, coactúsq; duo sibi diademata superposuerit, unum Asiæ alterum Aegypti, sed pro concione flexit omnes, ut Demetrium susciperent regem.

8 Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis suis. Et audiuit Alexander, & uenit ad eum in bellum:

Videtur tota Asia pertinuisse ad regnum illud Antiochorum & Demetriorum, quando & nunc Ciliciam adijsse Alexander dicitur, tunc, quando Ptolemæus Antiochiæ regnum transfert ad Demetrium cum filia tradita. Sic autem mutantur subito res humanæ & regum fortunæ, ut qui iam summo honore iusserat socerum excipi in suo regno, nunc ab eodem abijcitur, & uxore priuatur. Plenæ sunt omnes ferè historiæ istis Cleopatris fatalibus mulieribus, & quæ regnorum magnorum fuerint pernicies: propter eam iam bellum concitatur, exulare cogitur & occiditur maritus.

9 & produxit Ptolemæus rex exercitũ, & occurrit ei in manu ualida, et fugauit eum. Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur:

Non gratis tam ingentem traxerat post se exercitũ, ut nemo contradiceret uel resisteret uotis suis, qui ubi alioqui iam inuisum multis Alexandrũ impugnat, non mirum si à tam potente Ptolemæo, & assistente Demetrio fugatus est & profligatus miser Alexander: qui uidebatur felicissimus nuper, ad Arabiam fugit redimendæ uitæ gratia. Contigit autem, ut dicit Iosephus, ut in prælio equus Ptolemæi uocem elephantis audiens, Ptolemæum iactaret. Quod cum uidissent hostes, impetũ super eum fecerunt, multisq; uulneribus caput eius perforantes, ad periculum mortis eum adduxerunt. Sed custodes corporis eius rapientes eum liberauerunt, & ita per quatuor dies defectus iacuit, ut nec loqui nec intelligere potuisset. Alexandri uero caput Arabum potentissimus Zabilus abscindens Ptolemæo transmisit, qui die quinto releuatus à uulnerum dolore, suauem sibi rem summumq; spectaculũ Alexandri mortem simul & caput uidit, qui tamen paulo post uitam finiuit, pro Alexandri morte gaudio summo completus. Regnauit uero Asiæ Alexander qui dictus est Balais annis quinq;. Talis est autem mors impiorum, & eorum qui potestate & libidine in hac uita satiari non possunt, ut miserabili fato uitam finientes mortalem, ad æterna tartara descendant, nunquam redimendi, sed pœnis grauissimis damnatorum pro criminibus puniendi.

10 rex autẽ Ptolemæus exaltatus est. Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, & misit Ptolemæo. Et rex Ptolemæus mortuus est in die tertia: & qui erãt in munitionibus, perierũt ab his qui erãt intra castra.

Exaltatio hæc Ptolemæi alia non est, q̃ in certamine assecuta uictoria, quã statim subsecutus est infelix casus, & mors perpetua. Iterum uero lusus uidetur Iosephi in proprijs nominibus, ut qui hic dicitur Zabdiel, apud illũ legatur Zabilus, quasi parum referat personarum & locorum nomina q̃ proprijssime retinuisse historiographũ. Et qui à Ptolemæo positi fuerãt in urbibus Syriæ, ut Aegyptiorum regi seruarent eas, hi mortuo tam Ptolemæo quàm Alexandro, perditi sunt ab exercitu Demetrij, qui extraneos homines in suo regno urbium seruatores esse non uoluit.

11 Et regnauit Demetrius anno cẽtesimo sexagesimoseptimo. In diebus illis congregauit Ionathas eos qui erãt in Iudæa, ut expugnarent arcem quæ est in Ierusalem: & fecerunt contra eam machinas multas.

Sic duobus his regibus in sua uanitate defunctis, tertius hic Demetrius, filius Demetrij regno præficitur Asiæ, anno centesimo septuagesimoseptimo, quibus quoq; diebus, cum iam antea factione Iudaica quæ nunquam cessauit iterum Græci Sionis arcem acquisiuissent, denuo Ionathas illos in arce oppugnat, cum suis consentaneis, cum tamen proditores non deessent, quales semper pertulit in regno suo Ionathas. Machinas autem paraue rant ad arcem oppugnandam multas.

12 Et abierunt quidam qui oderãt gentem suam uiri iniqui ad regem Demetriũ, & renunciauerunt ei quod Ionathas obsideret arcem.

Apud exteros reges omnes felicissime agebat optimus Ionathas, sed in propria gente, pro qua se totum impendebat, quã propugnabat semper, passus est infidelissimos proditores, & religionis paternæ perditissimos hostes, quibus semper gentilitia placebant, ex animo autem odiebant legem, ritus sacros, Ionathan ipsum, & fratres eius atq; omnes in uniuersum amicos eius. Et quæ potest maior in hoc mundo infelicitas ferri, q̃ odium tam acerbũ eorum, quibus maxime cupias profuisse? Iterum ergo impij abeunt accusaturi Ionathan apud Demetriũ, de eo q̃ maxime, quod uellet urbem metropolim uacuam esse hostibus acerrimis, quos illi improbi ciues adesse omnibus modis uolebant, sperantes per eosdem aliquãdo totum dei cultum & ritum Iudaicum eliminandũ, quod unice affectabant.

13 Et ut audiuit, iratus est: & statim uenit

ad Ptolemaidam, & scripsit Ionathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinato.

Audiens irascitur, quia id ad iniuriam suam fieri isti nebulones accusauerant, ut obedientia regis abijceretur à Iudæis, & Ionathas solus regnaret. Verum iam notum fuerat regibus dissidiũ Iudaicum inter se ob religionem, & Ionathan sæpius tentauerant prodere & inuisum regibus reddere, quod tamen nunquam obtinuerant. Semper enim auditus & uisus, innocentiæ suæ & fidei testimonia sufficientia proposuerat, & pro contumelia magnum abstulerat honorem & fauorem à regibus multis, ut dictum est. Ideo euocat Demetrius Ionathan ad colloquium, ut audiat quid agatur.

14 Vt audiuit autem Ionathas, iussit obsidere: & elegit de senioribus Israel, & de sacerdotibus, & dedit se periculo. Et accepit aurum & argentũ, & uestem, & alia xenia multa, & abijt ad regem Ptolemaidam, & inuenit gratiam in conspectu eius.

Fiducia iustæ causæ fretus, iubet Ionathas abiens procedi ad arcis obsidionem, quandoquidem sufficientes instituti sui causas regi uelit et possit proponere. Nec solus uenire uoluit ad regem, sed testes secum ducit suæ iustitiæ & fidei, ex senioribus Israelis de melioribus & magis pijs, prudentibus & magna authoritate testimonium ferre potentibus, & de sacerdotibus in lege domini eruditis, qui testarentur & quid intenderet & ageret Ionathas cum suis fratribus, & quid contra deum & legem patriosq; ritus malignarẽtur sine intermissione profugi & apostatici nebulones & proditores, ne pro se omnia, & ex se dicere & respondere regi ad obijciẽda uiderentur. Sic itaq; sociatus uiris idoneis, periculo se infidelis & gentilis regis exponit. Nec tamen accedit sine auro, argento & donarijs, regibus digne donandis, quibus isti reges magis nonnunquam q̃ iustitia delectantur. Abijt autem Ptolemaidam Aconem, & gratiam inuenit in conspectu regis, hoc est, satisfactionem suscepit, & testimonia recte actorum, ut nulla ex parte infidelis regi inueniretur. Pietatem tantum colebat, & tranquillitatem regionis quærebat, quæ stare non potuit, quandiu impijssimi legis diuinæ osores partis suæ propugnatores habebant intra muros Hierosolymæ, cum quibus tractarent odia & proditiones, non solum Ionathæ fidelis deo & hominibus, sed omnium amicorum eius, & eorum qui fauebant pietati. Vtinam nõ hodie similiter per omnem modum alicubi agatur, dum impij uerbi dei contemptores, & uitiorum amatores, tota diligentia promouent impios magistratus, ut eis liceat diu improbe uiuere, & se nõ ad præscriptũ legis diuinæ induci cõtingat inuitos.

15 Et interpellabãt aduersus eum quidam iniqui ex gente sua. Et fecit ei rex sicut fecerant ei qui ante eũ fuerãt: & exaltauit eum in cõspectu omnium amicorum suorum, & statuit ei principatum sacerdotij, & quæ cunq; alia habuit prius pretiosa, & fecit eũ principem amicorum.

Non cessant impij Iudæi insidiari Ionathæ optimo uiro, priuatim & publice, domi & foris, etiam coram regibus, accusare scilicet zelum pietatis, quem gerebat ad legis obseruantiam, quam illi proditores unice odiebãt, maluissentq; per omnia gentilibus conformari in uita et moribus, unde & in gratiam regum accusabant Ionathan, si quid in bonũ gentis suæ tentare uideretur, quasi olim obedientiam Græcorum regibus subtracturum, & qui edictis regum non per omnia parebat, quæ non tam ex arbitrio libero regum, q̃ persuasione impiorum, & legis prævaricatorum decreta fuerant. Instabãt enim pro omni uirili suæ impij Iudæi, uerbi dei osores, ut grauia à regibus contra legis obseruatores Israelitas mãdata ederentur. Cum suapte superstitione reges illi de idolorũ cultura non magnopere soliciti essent, sed sinebant tamen se de talibus persuaderi à pestilentibus. Similia hodie mandata extorquentur à regibus, ab impijs uerbi dei osoribus, ab amatoribus idolorum, à zelatoribus ceremoniarum, quæ quæstum promouent, & ab his qui in nullo hactenus se errasse uideri uolunt. Sed non attendebat ad Iudæorum querelas Demetrius, sic nec ante eum Alexander, quibus perspecta erat honestas & fides boni uiri, unde & tanto magis glorificabat Ionathan, quanto impij Iudæi eum peruicacius incusabant. Sicut gloriarant Ionathan reges Græcorum cæteri, qui fuerant omnes: sic Demetrius quoq; eum iam glorificat, & exaltat super omnes amicos suos, & confirmauit illi honorẽ sacerdotij, & quoscũq; honores acceperat à prioribus, hos hic Demetrius non minuit, sed adauget, in confusionem & inuidiam impiorum Iudæorum. Mãdata regum gentilium pietatis.

16 Et postulauit Ionathas à rege ut immunem faceret Iudæam, & tres toparchias, & Samariam, & confines eius: & promisit ei talenta trecenta. Et cõsensit rex: & scripsit Ionathæ epistolas de his omnibus, hunc modum continentes.

Occasionem habens Ionathas promouendi statũ gentis suæ, & diuini cultus, & sui principatus, nõ negligit, sed à rege precatur ea quæ dudum huius Demetrij pater sua sponte donauerat, si tunc amicitiam præstare ualuissent Iudæi. Toparchias intelligit uillarũ & oppidorum principatus, ea præcipue loca quæ Demetrius pater ex regno Samariæ addidit ad Iudæam: de quibus in sequentibus narrat, Lydam nempe & Ramatham. Iosephus nominat Afferema, Belscelida, uel Ramathe, uel aliter tres prouincias nominat Samariã, Galilæam, & Ioppen. Pro qua iurisdictione uel libertate assequenda à rege pro Iudæis ibidem habitantibus, promisit regi talenta trecenta. Et consensit rex, & in scripta redegit consensum ad huiusmodi exemptiones.

17 REX Demetrius fratri Ionathæ salutẽ & genti Iudæorum. Exemplum epistolæ, quam scripsimus Lastheni parenti nostro de uobis, misimus ad uos, ut sciretis.

Satis patet sensus huius epistolæ, ex ea quam prius Demetrius pater Ionathæ miserat, ubi omnia latius explicãtur. Lasthenem parentẽ suum uocat, aliquem ex senio-

ribus

ribus & sapientioribus aulæ suæ, quē Iudææ regioni uel Samariæ fecerat principē, cui rex adhuc iunior ætate ob sequebatur, tanq̄ expertiori rerū regni, & fideli, quem ut parentē diligebat. Sic enim expedit reges iuuenes habere senes & expertos fidelesq̄; cōsiliarios, quibus per oia credere se posśint in negotijs regni. Is tūc præses uidetur fuisse Cœlosyriæ et Phœnicis prouinciæ et Iudææ.

18 Rex Demetrius Lastheni parenti salutē. Genti Iudæorum amicis nostris, & conseruantibus quæ iusta sunt apud nos, decreuimus benefacere, propter benignitatē ipsorum quam erga nos habent.

Amicos nominat, quos tunc primum amicos habere cupit, cum incipit ab alijs amicis deseri. Vere appellat eos conseruatores eorum quæ iusta sunt. Iam enim à Ionatha didicerat omne odium populorum & regum contra Israelem, non alia ratione oboriri, q̄ quod cuperent esse obseruatores diuinæ legis, quam cœlitus acceptam ipsorum sancti progenitores & patriarchæ seruare uel lent, ut obligantur, si uelint feliciter uiuere in hoc mūdo & in futuro. Benignitatem gentis cōmendat propter duis Ionathæ clementiam & humanitatem, quæ merebatur totius gentis pacem, cum interim odirent ingratissimi multi Iudæorum Ionathan, à quo habebant regum fauorē & emunitates. Sic frequenter uulgus maxime odire solet, unde optime illis consulitur.

19 Statuimus ergo illis omnes fines Iudææ, & tres ciuitates, Lydā & Ramathę, quæ additæ sunt Iudææ ex Samaria, & omnes confines earum sequestrari omnibus sacrificā tibus in Hierosolymis pro his quæ ab eis prius accipiebat rex per singulos annos, & pro fructibus terræ & pomorum.

Iure amicitiæ rex Demetrius Ionathæ cōcedit immunitatem Iudææ, & addit ciuitates prædictas, remittens decimarū & tributorum censum, & arenas salinarum, in quibus salis confectio reipublicæ debebatur, nec non & alia debita, quæ illi regio fastu deferebantur, iuxta confessionē cum Ionatha habitā omnia condonauit. Videtur mos tunc introductus fuisse, ut de his quæ sacrificabantur in templo, à populo Iudaico, portionē aliquam sacerdotes regibus dare cogerentur pro annis singulis, alioqui non permissuris cultū istum in eo templo, quem hic censum tanquā iniustū remittit, persuasus à Ionatha.

20 Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum et tributorum, ex hoc tempore remittimus eis: & areas salinarum, & coronas quæ nobis deferebantur, omnia ipsis concedimus, & nihil horum irritū erit ex hoc & in omne tempus.

Decimarum quoq; portionem rapuerant reges pro tributis, uel etiam cum eis, quas nunc remittit, & de salinis ut dictum est, & coronas restituit ad ornatum templi, uel donaria quædam quotannis reddita renunciat. Prolixius eadem enarrata inuenies capite decimo.

21 Nunc ergo curate facere horū exemplū, & detur Ionathæ, et ponatur in monte sancto, & in loco celebri.

Exemplaria multa fieri ordinantur, ut & Ionathas unum habeat, & præses regis uel exactor fisci in regno illo, & insuper unum reponatur uelut authenticum in thesauros templi, ad perpetuam rei memoriam.

22 Et uidens Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo, & nihil ei restitit, & dimisit totū exercitum suum, unumquenq; in locum suum, excepto peregrino exercitu quē traxit ab insulis gentium: & inimici erant ei omnes exercitus patrum eius.

Insipienter egisse deprehendetur ex sequentibus Demetrius, in tanta rerum uarietate nudando se exercitu, quem reges tales semper habere debent in parato, ut nō tantum præsentes hostes & nunc instantes terreantur, sed etiam ne insurgere audeant, uel obedientia legitima negari posśit impune. Vnde & populus huiusmodi impensas non grauatim ferat à regibus & principibus, quando talia necessaria sunt ad terrorem hostium, qui nimium confidentibus & ad prælium non instructis urbibus & regnis, insidiari consueuerunt, & audaciam sumere impugnandi, maxime in eis terris, quibus multi sæpe infesti fuerunt, ne similia denuo tententur. Consultius fuisset, si peregrinum dimisisset exercitum, cui incolæ regni minus affici poterant, & familiares sibi fecisset & fauorabiles uicinos, & sibi de propinquo subiectos.

23 Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius: & uidit quoniam omnis exercitus murmurauit cōtra Demetrium, & iuit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri: et assidebat ei, ut traderet eū ipsi, ut regnaret loco patris sui: & enuntiauit ei quanta fecit Demetrius, & inimicitias exercituum eius ad uersus illū. Et mansit ibi diebus multis.

Sufficiens inuidiæ causa fuit, quæ relata nunc est. Aliam tamen ponit Pompeius Trogus, dicens: Recuperato paterno regno, Demetrius & ipse rerū successu corruptus, uitijs adolescētiæ in segnitiem labitur, tantumq̄; contemptum apud omnes inertia, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit, &c. Vide Glossam ordinariam, & ipsum Trogum abbreuiatum. Hinc quoq; nondū partes Alexandri omnes desierant, ut fit post huiusmodi principatuum mutationes. Ex quibus Tryphon cogitauit de reponendo filio Alexandri dicto Antiocho, qui apud Arabiam nutriebatur, persuadereq̄; id conatus est Emalchueli, tum quia ei deberetur regnum, tum quia Demetrius male præerat, & tyrannum socordem & segnem agebat, tum quia nunc destitutus esset exercitu, et facile depelli posset incautus.

24 Et misit Ionathas ad Demetriū regem, ut eiiceret eos qui in arce erant in Ierusalem, & qui in præsidijs erant: quia impugnabant Israel.

Perpetuæ inimicitiæ agebātur Hierosolymis propter arcem, quando quidam Iudæorum impiorum promouebant ubi poterant gentiles Græcos, ad arcis dominium,

in gratiam regis, cui fauebant magis q̃ Ionathæ quem odiebant: alij uero Ionathæ adhærebant, & uoluissent urbem liberam ab his Græcis qui impugnabant fideles, & qui erant partiũ Machabæorum. Vnde & à Demetrio impetrare conatur electionem istorum hostium abarce, quæ erat intra urbis mœnia, in parte excelsiore, iuxta ædem sacram. Sic etiam in aliarũ urbium Iuda præsidijs Græci milites erant, uexantes pro tempore & leuibus occasionibus Israelem, & impugnantes.

25 Et misit Demetrius ad Ionathan, dicẽs: Non hæc tantum faciam tibi & genti tuæ, sed gloria illustrabo te & gentẽ tuam cum fuerit opportunum.

Timebat sibi de superuenturis hostibus Demetrius, ideo amicitiam Ionathæ cum suis magnifaciebat, nihilq; negabat cum sibi timeret, quæ tamen non fideliter seruabat, ubi in libertatem euasisset ab hostibus. Ideo nunc omnia rata habentur quæ postulat, & insuper addit plura q̃ uolebat. Pollicetur multa pro Ionatha & toto populo, ut dum eorũ opera indiguerit, præsto sint & succurrant, quod & factum est. Nihil ij reges agunt munifice, nisi necessitate adacti, tantũ enim sua quærunt, non populorum uicinorum bona, quos mallent prorsus ad omne beneplacitum subiectos.

26 Nũc ergo recte feceris, si miseris in auxiliũ mihi uiros: quia discessit omnis exercitus meus. Et misit ei Ionathas tria millia uirorum fortiũ Antiochiã: & uenerũt ad regem, & delectatus est rex in aduentu eorũ.

Beneficium largitur, ut maius illico recipiat. Milites à Ionatha petit, quorũ periculis tutus sit contra hostes, non Iudæorũ sed suos, quod non docuerat sed prohibuerat in lege dominus. Sed obseruabant libenter Iudæi legẽ ea parte qua placebat, transgrediebãtur autem ad fauorem regum, & omnium quorum amicitias pluris faciebant q̃ domini dei sui. Misit Ionathas tria millia, quos negare non poterat propter beneficia accepta, & quia totius Syriæ & Asiæ rex erat, & sub se quoq; Iudæam omnem habebat ac tributariã. Antiochiam mittit, ubi residebat rex, tanquam in metropoli. Inuisus iam erat ciuibus, sicut & fuerat pater eius. Et insuper tot Iudæorum exercitus admissus intra urbem, non mirum si illos irritauit, & reddidit infestiores regi, ideo sequitur.

27 Et conuenerũt qui erant de ciuitate, centum uiginti millia uirorũ, & uolebant interficere regem. Et fugit rex in aulã: & occupauerunt qui erant de ciuitate, itinera ciuitatis, & cœperunt pugnare.

Potentissima urbs fuisse ostenditur, in qua tot erant ciues, usq; ad tantum numerum. Tamen quia non omnes exercitati ad prælia erant, Iudæi autem fortissimi missi fuerant, ideo nihil potuerunt contra regem, quem occidere indigne & inique uoluissent, nisi fugisset in aulam. Cœpta tamen est clades pugnantiũ in urbe, ciuibus præcludentibus bina platearum, ciuibus pugnantibus contra aulicos, quibus aulicis Iudæi qui uenerant auxilio erant pro rege defendendo.

28 Et uocauit rex Iudæos in auxiliũ, & conuenerunt omnes simul ad eum, & dispersi sunt omnes per ciuitatem: & occiderũt in illa die centum millia hominum, & succenderunt ciuitatem, & ceperũt spolia multa in die illa, & liberauerunt regem. Iudæorum crudelitas.

Satis claret ferè ubiq; in scripturis maxime huius Tomi nimia crudelitas Iudæorum, quotiescunq; res bellica prosperata est in illorũ manibus, semper sæuisse legunt ur in immanem numerum occisorum contra hostes, qui quidẽ maximo odio prosequuti sunt Iudæos, sed ad odiũ huiusmodi magis ac magis necessario gentes exulcerati sunt, ut ab illo tempore usq; ad præsens non sit gens odibilior in mundo q̃ Iudæi, de quibus etiam crudelissima fabulæ passim leguntur, ut strages maximæ passim in Alexandria, Cypro, & alibi frequenter, & dicuntur uel sunt fontium intoxicationes & similia, cum infantum homicidijs, quandoquidem ad odia nati uidentur, & ad inuidiã insuperabilem. Quid enim truculentius legitur alicubi q̃ ut in una urbe à Iudæis occidantur centum mil lia hominum? nec hoc contenti, succenderunt etiam tam urbẽ, & spolia sibi rapuerunt, ut regem liberarent, quem omnes odiebant, & qui nulli proderat. Sed sic diis punit crimina urbiũ, quæ ut maximæ sunt, sic quoq; corruptissimæ esse solent, & in iniquitate sese iuuare possunt, ut libere admittatur quicquid cuiuslibet libido decreuerit. Ideo tam horrendis dei iudicijs suo tempore stagellantur, imò non raro eradicantur, ut uix ruinæ appareant. Sic huic nunc urbi diuinũ superuenit iudiciũ, nihilominus tamen Iudæorum crudelitas deo catenus immanca est, ut & Babyloniorũ cum Ierusalem uastarent. Lucrunt & ipsi Iudæi suo tempore paria perpessi mala, & quidem grauissima. Non enim huiusmodi crudelitates dño clementissimo dissimulantur: quanquam illi ciues eo tempore iuste occisi sunt propter crimina, sed nõ animo Iudæorũ iusto. In omnibus enim huiusmodi quoq; rebus, imò in his omnium maxime, modus seruandus est.

29 Et uiderunt qui erant de ciuitate quod obtinuissent Iudæi ciuitatẽ sicut uolebant: & infirmati sunt mente sua, & clamauerũt ad regem cum precibus, dicentes: Da nobis dexteras, & cessent Iudæi oppugnare nos & ciuitatem. Et proiecerunt arma sua, & fecerunt pacem:

Infirmatos mente ciues dicit, hoc est desperatos, ne forte omnes occidendi forent à Iudæis, qui modum furendo non seruabant, ideo tarde nimis obedientiam promittunt, & misericordiam implorant, & regis clementiam & reconciliationem, quod est dextras iungere. Arma quoq; abijcere, est sese dedere, et nolle infestare hostem, sed gratiam optare ac pacem. Quæ si fierent ante cladem, iustis utrinq; conditionibus, non tantis calamitatibus opprimerẽtur plerunq;. Sed ea stultitia est humana, ut sic eruditatur in malis, quæ in bono uincere malũ noluit, nisi tandem compulsa.

30 & glorificati sunt Iudæi in cõspectu regis & in cõspectu omniũ qui erãt in regno eius,

eius, & nominati sunt in regno: & regressi sunt in Ierusalem, habentes spolia multa.

Victoria glorios.

Magnam gloriam arbitratur mundus, uicisse in negotijs, siue sanctis siue indignis. Maior autem est gloria uincisse iracundiam, odium, auaritiam, & fastũ, adeoq; ipsum, & suas affectiones improbas. Rex quidem glorificabat, cuius partes egerant, cuius tyrannidi adstiterant, quem propediem fuerãt etiam hostem habituri, propter quod & uicinis omnibus abominabiliores futuri erant, & in calamitates multas suo tempore incursuri. Non est ambienda hæc gloria, multos occidisse, sed uicisse magis incruenta uictoria, sanguinibus peperciſſe, charitatis rationem habuisse, nihilq; armis experiri, quod uerbis consequi potest & beneficijs. Et nominati sunt in regno, tanquam fideles regi, & quos reges Græcorum tantopere persequi non deberent, qui pauci se in pericula cõiecissent pro rege, à cuius progenitoribus mala multa perpessi fuissent. Regrediuntur Hierosolymam cum spolijs & honore magno, cumq; fauore principum ad horam.

31 Et sedit Demetrius rex in sede regni sua: & siluit terra in cõspectu eius. Et mentitus est omnia quęcũq; dixit, & abalienauit se à Ionatha, & nõ retribuit ei secundũ beneficia quæ sibi tribuerat, & uexabat eũ ualde.

Sedere nunc dicitur, quia stabilitus uidebatur: & superior factus hostibus, tutusq; deinceps à simili periculo ob tam duram uindictam sumptã de immorigeris & infidelibus Antiochenis. Siluit terra in conspectu eius, hoc est, pacẽ habuit, & humiliter obediuit per omnia, quia enim potentissima urbium & metropolitana coacta est parere regi, non audebant minores quæcunq; imperata negare. Hoc autem intendũt reges, ut sit omnis apud eos potestas, quæ si sancta sit & æqua domino placet. Mentitus est omnia, nihil eorum obseruauit quæ promiserat dum periclitaretur. Hæc ut plurimum cõsuetudo regum ad militares populos, eos q̃ maxime, qui dum fortes habentur etiam sibi libertatem aliquam uendicare nituntur, quam omnium maxime reges odiunt. Quod olim nobiles Romani non egerunt, sed amicitia sibi iunctas honesto tributo contenti & gloria regni, liberas esse dixerunt urbes quasdam, & integras gentes. Id reges inuite sustinent, ideo raro pacifice regnant, putantes propter se populos natos, cum ipsi sint à deo ordinati pro populo conseruando. Iam exemptus timore insidiarum, ut sibi uidebatur, cœpit negligere Ionathan, & sese ab eo ab alienare, & ingratus esse beneficijs tantis. Nec id solũ, sed & uexabat eum in ducatu suo, nec id parum & leuiter, sed ualde. Sinebat enim principes suos Demetrius, & dissimulabat inuadere Iudæam & terminos eius.

32 Post hæc autẽ reuersus est Triphon, & Antiochus cũ eo puer adolescens: et regnauit, & imposuit sibi diadema. Et congregati sunt ad eũ omnes exercitus quos dispererat Demetrius, & pugnauerunt contra eum: & fugit, & terga uertit. Et accepit Triphon bestias, & obtinuit Antiochiam:

Hæc autem perfidia & ingratitudo regis non sinitur impunita à deo iustissimo, qui ult omnia iusta & iuste fieri, uirtutes uigere inter homines, quas naturæ inseruit iudicium rationis florere, ut non ferat quicquid contra illud mala cõscientia geritur, quale est ingratitudo, perfidia, mendaciũ, periurium, crudelitas: & in summa, alteri facere quod nolit quispiam sibi fieri. Ideo nunc describitur Triphonis etiam impij malitia, sed qua domino ordinante malitia uindicaretur. Sic enim uniuersorum dominus omnia ad bonũ ordinat. Triphon de quo dictum est, ex Arabia adducit Alexandri regis olim iuniorem filium, Antiochum dictum, & illum diademate coronatum regẽ instituit loco occisi nuper patris à Ptolemæo, uel occasione eius ab Arabibus. Eundem Antiochum adiuuant omnes qui Demetrium oderunt, quos remiserat, & sanè urbes omnes propter Antiochenam crudelitatem, de qua dictum est. Facile enim seditiones fiunt dum crudelitas quæcunq; tentatur, & inuidia aliquandiu latens nacta occasione furiosior inardescit. Clementia solidantur regna & beneficentia, non rigore uel formidine. Habito ergo duce milites adiuuantur, & profundunt male sibi conscij fautores Demetrij, & ipse sibi metuens ob duriciem & segnitiem, bellum quidem adoritur, sed uictus fugatur, quia de amicis suis sibi multa polliceri non poterat. Tales sibi amicos comparauerat, qualis ipse Iudæis fuerat & Ionathæ, ut par pari rependatur, domino sic iniquitates puniẽte. Bestias accepisse Triphon dicitur, quia elephantis utebantur in bello, & camelis ad impedimenta exercitus gestanda. Facile autem obtinuit Antiochiam, quæ Demetrio fauere nõ poterat ex animo, ob expertam nuper crudelitatem, Alexandri autem filium facile suscepit: qua obtenta sede regni facile reliquas consequutus est regiones & urbes.

Ex crudelitate seditio.

33 & scripsit Antiochus adolescens Ionathæ, dicẽs: Constituo tibi sacerdotium, & constituo te super quatuor ciuitates, ut sis de amicis regis. Et misit illi uasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream:

Facile coalescere potuit societas inter Antiochũ & Ionathan, tum quia iam animo alienatus erat à Demetrio propter illius perfidiam, tum quia Alexandrũ semper uehementer amauerat, & fidelẽ semper inuenerat: ideoq; & Alexandri filio iuste adhæret, & fideliter, donec uixit, magis cupiens pro patriæ tranquillitate eum habere regem q̃ Demetriũ, qui iam fugiens peruenerat, ut Iosephus tradit, in Ciliciam ad contrahendum nouum exercitũ, deinde ad Medos & Persas, simul ac Parthos: sed omnia frustra. Scripsit autem puer Antiochus iam rex coronatus de consilio suorum Ionathæ, quem cognouerant patri Alexandro fuisse gratissimum, & adauget gratiam omnibus modis, quibus id fieri posse credebat commode. Confirmat sacerdotium, & insuper addit urbium possessiones & priuilegia, ut pater fecerat. Amicitiam obtulit regiam, magni momenti munus & beneficium: & uasis aureis honorauit, ut reges decet uti & donare. Quod hic uero dicitur solis regibus licuisse au-

ro bibere, intelligendum de uasis aureis non deauratis. Vsus enim auri regibus erat in bellis et pro pecunia, nō paſsim diuitibus permittebatur in pocula. Quanto minus primitiuæ eccleſiæ ſacra uaſa aurea putabuntur fuiſſe uel argentea. De fibula prius dictum.

34 & Simonem fratrem eius conſtituit ducem à terminis Tyri uſq; ad fines Aegypti. Et exiit Ionathas, & perambulabat trans flumen ciuitates: & cōgregatus eſt ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium:

Excedit iam munificentia ſua patrē, etiam Simonem fratrem promouēdo ad gloriam & dignitates, ducatum illi & dominium aut regimen regis nomine commendās per oram maris longiſsimam, à Tyro per totam Palæſtinam, uſq; ad finitima loca Aegypto, ſuper omnes ciuitates & populos, quos & gubernandos ſuſcepit, iuxta iuſtitiam & ueritatem, in pace & tranquillitate, unde & perambulabat ſtatim ad regis imperium, & omnia ordinauit diligentiſsime. Ionathas autem ad latitudinem reſpiciebat terræ eius totius, quæ olim fuerat Iſraelitarum, ut hi duo fratres iam tantam habuerint adminiſtrationem, qualem olim Salomon habuerit, à Tyro ad Gazan, & uerſus Euphraten, omnes urbes Cœloſyriæ et Phœnicis. Cui Ionathæ rex iuuenis commēdabat totum exercitum Syrium, ut eo uteretur ad prouinciæ propugnationem, tanquam regis nomine præſes potentiſsimus.

35 & uenit Aſcalonē, & occurrerunt ei honorifice de ciuitate. Et abiit inde Gazam: & concluſerunt ſe qui erant Gazæ, & obſedit eam, & ſuccēdit quæ erant in circumitu ciuitatis, & prædatus eſt eam.

Peragratis regionibus ultra Iordanē uſq; ad Euphraten, & diſpoſitis populis ad obedientiam regis Antiochi, cuius gloriam & dominium fideliter promouebat, nunc etiam peruenit ad loca maritima Palæſtinæ, nempe primum ad Aſcalonem, cuius iterum ut antea ciues honorifice Ionathæ occurrunt, ſicq; procedit ad Auſtrum, donec perueniat ad Gazam, quā non inuenit ſubito imperata facientē, Demetrio enim adhuc parere uoluiſſet, prout fecerat. Ideoq; eandem Ionathas obſedit, & quæ in circuitu eius erāt succēdens, cuncta deprædatus eſt, donec ſe dederent, uidentes nullum ſibi præſtandum auxilium à Demetrio.

36 Et rogauerunt Gazenſes Ionathan, & dedit illis dextram: & accepit filios eorum obſides, & miſit illos in Ieruſalem, & perambulauit regionem uſq; Damaſcum.

Compulſi obſidione Gazenſes, dextras Ionathæ dederunt, quorum & pro more rebellium obſides exegit & tulit, quos miſit Hieroſolymam. Quo facto aliæ quoque regiones Samariæ, & ultra Iordanem & Libanum, quicquid olim Salomoni paruerat, hoc nunc uſq; ad Damaſcum Ionathan agnoſcebat principem. Omnia autem nomine regis Antiochi, cuius fauorem habebat, cui fidelis erat, per quem & totam prouinciam tranquillā reddidit, & Iudæos ubiq; commorantes, à gentilium grauaminibus immunes & liberos fecit.

37 Et audiuit Ionathas quod præuaricati ſunt principes Demetrij in Cades, quæ eſt in Galilæa cum exercitu multo, uolentes eum remouere à negotio regni: & occurrit illis, fratrem autem ſuum Simonem reliquit intra prouinciam.

38 Et applicuit Simon ad Bethſuram, & expugnabat eam diebus multis, & concluſit eos. Et poſtulauerunt ab eo dextras accipere, & dedit illis: & eiecit eos inde, & cepit ciuitatem, & poſuit in ea præſidium.

Explicat hunc locum aliquantulum Ioſephus, his uerbis. Ionathas, inquit, totam prouinciam percurrit, uſq; ad Damaſcum, dum Demetrij duces audiſſet ad Cedeſſam cum multa manu uenisse. Cedeſſa autem inter Tyrum & Galilæam conſiſtit. Nam hoc deſiderabāt duces Demetrij, ut de Syria eum ad Galilæam traherent, putantes minime eum pati Galilæos ſibi ſubiectos affligi. Cumq; Ionathas eis occurriſſet, Simonem fratrem in Iudæa ducem reliquit, qui multum exercitum de prouincia congregans, Bethſuram obſidebat, locum Iudææ munitiſsimū, nam tenebat eam Demetrij cuſtodia. Vt uero aggerem compoſuiſſe Simonem uiderunt, & machinamenta conſtituiſſe, multaq; uſum induſtria ad Bethſuræ obſidionē, timuerunt cuſtodes, ne capto loco interirent, & mittentes ad Simonem petebant fidem accipere, ne quid ab eo peſsimum paterētur. Qui cum dediſſet, illos quidem de ciuitate tulit, ſuamq; cuſtodiam ibi conſtituit. Ex quibus uerbis diſcimus prænaricationem principum factam iterum Antiochi ad Demetriū. Sic enim conſueuerunt, qui auri tantum ſacra fame trahuntur ad milita, quibus nihil credendum, niſi neceſsitatis tempore deſecturos eſſe. Qui enim aurum pretioſius habent q̄ proriam uitam, quomodo alterius uitam præponerent ſuo auro & uitæ perdēdis? Qui autem fidem & ueritatem in deum & patriam & in iuſtitiam intendunt præliantes, hos neceſſe eſt uere eſſe fideles & ſanctos. Iterū Ceſſam facit Ioſephus ex Cades, quarum una eſt in tribu Iuda, hæc in Galilæa gentium. Voluit Ionathas ſe quidem periclitante apud hoſtes, Iudæam tamen ſaluā eſſe & Ieruſalem, ideo Simoni prouinciam commendat, qui & interim partes ſuas glorioſe proſequitur.

39 Et Ionathas & caſtra eius applicuerunt ad aquam Geneſar, & ante lucem uigilauerunt in campo Aſor: & ecce caſtra alienigenarum occurrebant ei in campo, & tendebant ei inſidias in montibus: ipſe autē occurrit ex aduerſo. Inſidiæ uero exurrexerunt de locis ſuis, & cōmiſerunt prælium.

Eadem Ioſephus, ſed ſuo more, uolens accuratius, ſed non aſſequitur, quin ſimplicitas huius authoris elegantior uidetur. Aquæ Genaſar dicere potuit mare Genaſar, quod Hebræis collectio aquarum mare dicatur & aquæ collectæ. Ante lucem uigilare in campo, eſt Hebraiſmus, idem ualens primam auroram anteuertiſſe in campo, qui dicitur cāpus Aſor, proximus oppido Aſor, in tribu Aſer, non longe à caſtello quod poſtea dictū eſt

Regium

Regium: fortassis Legio dicēdum. Castra alienigenarum dicuntur castra principum Demetrij, cuius exercitus diuisus erat, partim in insidijs cōstitutus contra Ionathan, alijs ex aduerso paratis. Primum autem insidiæ proruperunt, ut committeretur bellum cum postremis eorum qui cum Ionatha erant, quatenus timor incuteretur uidentibus sese retro & ante pugnaturos, & iam tūc pugnam sentiebant.

40 Et fugerunt qui erāt ex parte Ionathæ, omnes: & nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Absalomi, & Iudas filius Calphi princeps militiæ exercitus. Et scidit Ionathas uestimenta sua, & posuit terram in capite suo, & orauit.

Grauis Ionathæ tentatio, sed quæ cū cogebat aliquando de domino cogitare, quod raro de ipso scribitur, cum nihil prius concipi debeat uel intendi. Concutitur ergo tremore Ionathas ex dilapsu totius exercitus, uidens aufugisse penè omnes & territos, nemine permanente præter unum & alterum, qui tamen ut erant fortissimi, sata gebant ad resumendū animū, uiriliter agēdo. Videntur autē hi duo Mathathias & Iudas fuisse ex nepotibus Mathiæ, & proximi Ionathæ iam ætate fortes, & animo si ex genere & usu armorum, quorum Iudas princeps erat exercitus. Destitutum autem se cernens humano auxilio, statim consolatur oratio ad dominum, unicū asylum in aduersis & magnis periculis, quam si primū arripuisset, hæc eum nō apprehēdisset tentatio. Discamus nihil periculosum unquam aggredi, sine ardenti oratione, qua obtinetur, ut etiam si malum effugere non liceat, saltem bono fine tandem claudatur. Iam illi tēpus aderat orandi, quando humano erat prorsus destitutus auxilio. Posuit terram, hoc est puluerem in caput, humilitatem ostendens, non tantum deo quem orabat, sed commilitonibus quoq; ut orationis tempus adesse ostenderet.

Oratio necessaria.

41 Et reuersus est Ionathas ad eos in prælium, & conuertit eos in fugam, & pugnauerunt. Et uiderunt qui fugiebant partis illius, & reuersi sunt ad eum, & insequebantur cū eo omnes usq; Cades ad castra sua, & peruenerunt usq; illuc: & ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia uirorum: & reuersus est Ionathas in Ierusalem.

Quæsierat orationis locum alicubi, paulisper separatus à socijs, qua peracta, resumpto animo, & confortato à dño, atq; alijs quoq; impetrata fortitudine, uiriliter Ionathas pugnam aggreditur, & animum addit socijs omnibus constantia sua, statimq; non tam propria q̄ dei uirtute conuertit hostes in fugam, quos insecuti sunt socij quamlibet pauci. Facile est multos tradi à domino in manum paucorū. Quod ubi alij socij qui aufugerant uidere runt, nempe fugientes hostes, & Ionathan cum socijs insistentes, statim resumpto spiritu fortitudinis, reuersi sunt ad Ionathan, & pariter insecuti sunt hostes fugientes, donec attingerent sua castra, quæ stabant prope Cades. Qua in pugna tria millia gentilium prostrati sunt, reliqui territi, ut recessui canerent, et ultra cōgredi non auderent. Quo factum est, ut Ionathas cum uictoria Hierosolymam reuerteretur.

CAPVT XII.

1 IT uidit Ionathas quia tempus eum iuuat, & elegit uiros, & misit eos Romam statuere & renouare cum eis amicitiam: & ad Spartiatas, & ad alia loca misit epistolas secundum eandem formam:

Tempore iuuari.

Recte scriptura loquitur, tempus iuuisse uisum Ionathan, hoc est temporaliter se felicem & sæculari prosperitate se frui, procedere fortunate quicquid institueret, cum ut erat ueræ religionis alūnus & cultor, omnia hæc soli deo debuit retulisse accepta non tempori uel fortunæ. Dixisse debuerat more maiorū, Vidēs Ionathas quia dñs esset cum eo, cuius gratia & bonitate promouerentur omnia quæ agebat ad gloriam suam, & ad salutē gentis suæ, cui de uoluntate dñi præerat, unde sibi prosperitas omnis accidebat ad homines. Non est enim fideliū et uerè piorum sic loqui, Fata me iuuant, uel, Tempus bene uult mihi: sed, Dñs mihi fauet, regibus aūt propter populum. Sed tamen hæc uerba fortassis non tam Ionathæ adscribenda sunt q̄ authori, quanquam & Romanorum fauor & amicitia, fidelibus non tam magnifaciēda erat, quæ illis & populo fideli magis obfuit q̄ promouit, beatus potius populus cuius dominus deus eius, non ille cui hæc sunt & quem iuuat per omnia tempus, cum quo omnia finiuntur. Iam enim inclinabat felicitas Ionathæ, ut fuerat iam expertus ex fratrum defectione. Iam non ad Romanorū subsidium, sed ad domini dei sui gratiam & præsidium aspirasse debuerat, & dimisisse mortuos sepeliri à mortuis. Spartiatæ autē à Sparta urbe, quæ eadem est quæ & Lacedæmon, in Licaonia in Peloponneso sita, à Sparto Phoronei filio, qui eam cōdidit, adpellata. Sparta insignis in Græcia ciuitas fuit, quæ cum Athenienſibus grauissima bella semper habuit, & sapiētissime ordinata fuit. De qua plenæ sunt omnes Græcorū historiæ: à qua dictæ sunt Spartiatæ Spartæ & Spartani.

Romanorū fauor.

2 & abierunt Romam, & intrauerunt curiam, & dixerunt: Ionathas summus sacerdos, & gens Iudæorum miserūt nos, ut renouaremus amicitiam & societatem secundum pristinum.

Romā abierunt nuncij Numenius Antiochi filius, et Antipater Iasonis filius, ut inferius dicitur. Cōplacuit uanis hominibus Iudæis in Græcis nominibus, quādoquidē iam longo tempore subiecti Græcis fuerant, qui suā linguā propagabant ubi poterant, sicut & postea Romani suā. Senatū Romanū ingressi sunt, admissi ut amici populi Romani, quam amicitiam uolebāt renouari, ut liceret ipsis pacifice habitare in regione sua, quā tunc tenebāt.

3 Et dederūt illis epistolas ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terrā Iuda cū pace.

Intelligitur de Romanis, quæ his nūcijs benigne auditis, literas quoq; suas cōmendatitias dederūt ad præsides prouinciarū & urbiū, ut amice tractarentur, et ne quid difficultatis paterentur in uia, donec redirent in Iudæā,

4 Et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Ionathas Spartiatis. IONATHAS summus sacerdos, & seniores gentis, & sacerdotes, & reliquus populus Iudæorum, Spartiatis fratribus salutem.

In hoc itinere peruenerunt hi nuncij etiam in Peloponesum, & ad Lacedæmones, quibus Ionathas epistolã scripserat præsentandã. Præmittunt summũ sacerdotem, à quo tunc iussu Græcorũ regum regebantur Iudæi, qui simul & dux erat populi: sic ipsorum rebus dispositis, ut de priori statu parum curarint, sed ad Samuelis tempora se sic ordinatos contenti essent. Quanquã & cum tempore regnũ ambierint, sic tunc quoq;, sed magis infeliciter. Seniores gentis erant iudices ordinarij, qui Hierosolymis residebant, & senatũ populi referebant. Deinde sacerdotes minoris generis, de tribu Aaron sacrificantes, & populũ docentes, erant subiecti tam pontifici q̃ senatui. Et populus Iudæorum, hi Spartiatas fratres nominant, sed & de filijs Abraham se natos agnoscunt, in certum qua ratione uel genealogia. Si ut uidetur uanitas fuit, potuit fama Lacedæmoniorũ perculisse Iudæos, ut crediderint tam bene dispositã rempublicam, tamq; uirtuose conuersantem, non aliunde illis contigisse, q̃ quia filij Abrahæ essent: quasi dominus deus nulli alteri genti sua gratia astiterit, nisi solis natis iuxta carnẽ ab Abraham. Quibus & in bellorũ gloria comparari optabant, quasi non sit maior gloria pacem colere, & prudentia superare uel beneficijs, q̃ furore bellico & cædibus humani sanguinis. Tales Christus habere fratres nõ dignatur, sed qui mutuum diligant, mites sint ac mansueti.

Gloria bellorum.

5 Iampridẽ missæ erant epistolæ ad Oniã summũ sacerdotem à Dario qui regnabat apud uos, quoniã estis fratres nostri, sicut scriptũ continet quod subiectum est. Et suscepit Onias uirum qui missus fuerat, cum honore: & accepit epistolas, in quibus significabatur de societate & amicitia.

Iosephus sic pinxit hanc epistolã, ex qua tamen hæc aliquãtisper corrigitur, quæ alicubi uitiata fuisse hoc loco putatur, quod non uidetur aliquando Onias aliquis apud Lacedæmones summũ administrasse pontificatum, apud Iudæos aũt multi hoc nomine pontifices leguntur. Sic aũt scripsisse memorat. Si saluis uobis, publica uel priuata bene procedũt, sic sunt ut uolumus. Salui aũt sumus & nos. In prioribus aũt temporibus epistola nostro principi sacerdotũ Oniæ à uestro rege Ario, & ab omni populo missa est, de uestra simul & nostra cognatione, cuius exemplum subiacet epistolæ: quam quidem libenter suscepimus, & populo & Ario fautores facti sumus, nõ egentes huius rei approbatione, quia per sacras nostras literas hoc esse credidimus. Initio ergo recognitionis, nõ credidimus nos primi facere, ne præripere uideremur uestram gloriam. Multo uero transacto tempore, ex quo familiaritas communis extitit, in sacris & cõstitutis diebus, deum pro uestra salute uel uictoria sacrificijs deprecamur, & cum multa nos circumstetissent bella, per auaritiam uicinorum, nec uobis nec alijs propinquis molestos nos esse decreuimus. Postq̃ autem hostes expugnauimus, legatos ad Romanos transmisimus, Numeniũ Antiochi, & Antipatrum Iasonis filios senatorio apud nos septos honore, quibus dedimus etiam ad uos epistolam, quatenus renouent uobiscum cognationem. Bene igitur facietis, si & uos nobis rescripseritis, & mandaueritis, si quid forsitan indigetis, minime dubitantes nos erga uestrum affectum impigros existere. Lacedæmonij uero liberaliter legatos susciperunt, & componentes pacta cum eis de amicitijs, dimiserunt. Hæc Iosephus 8. cap. lib. 13. De quibus Lector iudicet. Quomodo nobis placeat hæc epistola non adscribimus. Verum secundũ hæc corrigenda esset litera nostra in omnibus exẽplaribus quæ uidi, ut pro à Dario, legatur, ab Ario. Et, qui, relatiuum referendum ad Arium. Quod aũt additur, Sicut scriptũ continet quod subiectum est: uidetur, quod Spartiatæ annotarint in fine suæ epistolæ ad Iudæos olim genealogiæ rationem, quam inuenerint apud se, ex qua per singulas generationes ab Abraham descendẽtes produxerint summum originem Lacedæmonij. Tale aliquid memini me legisse antiquo quodam in codice, fortasis à ducentis annis scripto, olim deductam ab Abrahã per Lacedæmonios, usq; ad duces Austriæ, quos eadem linea genitos idem author persuadere uoluisset. Codex ille è Friburgo Brisgauiæ peruenerat Basileam. Cum honore quidem Lacedæmoniorum nũcius tunc susceptus est ab Onia Iudæorũ pontifice, non sunt enim respuendæ huiusmodi benecuolẽtiæ, si ueræ sint, ut est præsumendum semper de meliore. Duces Austriæ.

6 Nos enim cum nullo horum indigemus, habentes sanctos libros qui sunt in manib⁹ nostris, maluimus mittere ad uos renouare fraternitatem & amicitiã, ne forte alieni efficiamur à uobis.

Nos quidẽ de progenie Lacedæmoniorũ, si de Abraham deducta est, libenter & cum gaudio accipimus, scimus enim multos habuisse eundem filios, unde gentes maximæ prouenerũt, præter Isaac filium, de quo nos genus nostrum traxisse legimus ex sacris nostris codicibus, ut aliorum hac in re testimonio non indigeamus. Intelligentes autem uestram ad nos ex eadẽ epistola amicitiã, eandem libẽter rependimus & fatemur, ut renouetur et adaugeatur, ut et ex eo tẽpore nobiscũ est aucta plurimũ.

7 multa enim tempora transierũt, ex quo misistis ad nos. Nos ergo in omni tẽpore sine intermissione in diebus solennibus, et cæteris quibus oportet, memores sumus uestri in sacrificijs quæ offerimus, in obseruationibus sicut fas est & decet meminisse fratrum. Lætamur itaq; de gloria uestra.

Ab eo tempore quo amicũ erga nos uestrũ animum intelleximus, tanq̃ gratissimi uobis, cũ in cæteris rebus benefacere nihil possumus, q̃ et nostro officio nullo indigetis, id tamen unũ quod solũ possumus studiose agimus, dñm deum nostrum, qui solus uerus est deus omnipotẽs, pro uobis oramus, & eius ad uos gratiã & bonitatẽ, ut fratres decet quotidianis nostris sacrificijs obtinere desiderantes uote cõtẽdimus, maxime uero in diebus solẽnibus, in frequentia

quentia nostri populi, ut sciant quales amicos in remotis habeamus, nempe omnium gentium laudatissimos Lacedæmonios, quorum uirtutis gloria latissime patet, & durat diutissime.

8 Nos aũt circundederunt multæ tribulationes, & multa prælia, & impugnauerũt nos reges qui sunt in circumitu nostro.

9 Noluimus ergo uobis molesti esse, neq; cæteris sociis, & amicis nostris in his prælijs: habuimus enim de cœlo auxilium, & liberati sumus nos, & humiliati sunt inimici nostri.

Vt amicos decet, sic sortẽ nostrã in qua fuimus durã nunc uobis significamus, nõ minores nos tulisse hostes ex omnibus uicinis gentibus nostris, qui nunq; cessarũt nos persequi, uolentes anxie nos dudũ deletos: sicut & uos grauia diu tulistis ab Atheniẽsibus simili sorte. Noluimus tamen molesti esse uobis pro auxilio præstãdo nobis neq; cæteris socijs & amicis nostris, ne pariter nobiscũ periclitarentur pro nobis. Maxime quod omne auxiliũ quo iuuari sufficienter possumus, ex lege nostra didicerimus non aliunde petẽdum nobis, q̃ à solo domino deo nostro omnipotẽte, qui nunq; destituit humiliter & deuote præsumentes de se & illius legem studiose seruantes. Eius nos auxilium sensimus nuper, dum gratia eius liberati sumus ab hostibus nostris, & humiliati sunt omnes nostri hostes. Quod uos amicos nostros noluimus ignorare, quatenus fraterna charitate uestra nobis cõgratularemini, qua & nobis nunc quoq; contigit amicitia Romanorũ, pro qua renouanda misimus hos nostros senatores.

10 Elegimus itaq; Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Iasonis filium, & misimus ad Romanos renouare cum eis amicitiam & societatem pristinam.

11 Mandauimus itaq; eis ut ueniant etiam ad uos, & salutent uos, & reddãt uobis epistolas nostras de innouatione fraternitatis nostræ. Et nunc bene facietis respondentes nobis ad hæc.

Hos qdẽ uiros Romã misimus, sed simul quoq; cõmisimus, ut nõ uos prætereãt, sed deflectãt ad uos quoq;, de nostro statu uos informaturi, simulq; nobis lætũ nũcium de uestra charitate et trãquillitate perlaturi, quos cupimus semp bene ualere, et de uestro quoq; statu informari.

12 Et hoc rescriptum est epistolarũ, quod misit Onias. REX Spartiatarũ Onias, Ionathæ sacerdoti magno salutem.

13 Inuentum est in scriptura de Spartiatis & Iudæis quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham. Et nunc ex quo hæc cognouimus, bene facitis scribentes nobis de pace uestra.

14 Sed & nos rescripsimus uobis, Pecora nostra & possessiones nostræ, uestræ sunt: uestræ nostræ: mandauimus itaq; hæc nunciari uobis.

Suspicor omnino mendum contigisse huic loco, quando pro Ario, qui tunc rex Spartiatarũ fuit, non Arium sed Oniam perperam scripsit antiquarius aliquis, ut ex Iosepho patet, qui tamen de hoc rescripto nihil meminit. Sic ergo uidetur legendũ: Rex Spartiatarum Arius, Ionathi sacerdoti magno salutẽ: & patet ex dictis sententia. Scriptura autem de qua hic dicitur annalia sunt Græcorum potius q̃ Hebræorum, quandoquidem hæc epistola Lacedæmoniorum est ad Iudæos, qua cupiunt nõ tantum hoc tempore scire statum felicem Iudæorum, sed et ut postea quoq; crebro perscribant de rebus suis, quandoquidẽ læta & tristia cupiant unà cum eis et propter eos experiri. Hæc enim ad humanitatẽ pertinent, quæ domino non displicet, nempe amicitia cum honestis et pijs, quales erãt Spartiatæ habiti in uniuersa Græcia et Asia.

15 Et audiuit Ionathas quoniã egressi sunt principes Demetrij cũ exercitu multo supra q̃ prius pugnare aduersus eum: & exijt ab Ierusalem, & occurrit eis in Amathite regione, non enim dederat eis spatium ut ingrederentur regionem eius.

16 Et misit speculatores in castra eorũ: & reuersi renunciauerunt quod constituunt superuenire illis nocte.

17 Cum occidisset autem sol, præcepit Ionathas suis uigilare & esse in armis paratos ad pugnam tota nocte, & posuit custodes per circumitum castrorum.

Reuertitur ad historiam Demetrij, qui iam hostis erat Iudæorũ, ueniebatq; cum maximo exercitu pugnaturus cum Ionatha, nõ iam propter Iudæos, sed quia auxilium ferebat Ionathas Antiocho filio Alexãdri. Amathita autem regio est, quæ dicitur Hemath, prope Antiochiam, in qua maluit conuenire hostem q̃ in Iudæa. Castra ergo disposuit non longius ab hostibus q̃ stadijs quinquaginta, mittitq; speculatores qui castra deberent hostium perscrutari. Cumq; omnia ei nũciassent, & aliquos nocte cepissent, qui aduersarios superuenturos indicabant, cu stodias extra castra disposuit, & exercitum per totam noctem armatum habebat, præcepitq; ut forti animo essent. Et si oporteret etiam nocte pugnarent, nec repenti no impetu turbarentur.

18 Et audierũt aduersarij quod paratus est Ionathas cum suis in bello: & timuerũt & formidauerunt in corde suo, & accenderunt focos in castris suis.

19 Ionathas autem & qui cũ eo erant, non cognouerunt usq; mane: uidebant autem luminaria ardentia, & secutus est eos Ionathas, & non comprehendit eos, transierũt enim flumen Eleutherum.

Demetrij uero duces, ait Iosephus, cũ audissent Ionathan cognouisse suum consilium, perturbati quod inimici manifestati fuissent, nullo modo ualebant per insidias eos inuadere. Nam ex eo quod credebant se non esse pares Ionathæ militibus, fugam meditati sunt, multaq; facientes incendia discesserunt, ita ut hæc uidentes Iudæi, putarent eos esse mansuros. Ionathas autem cum ad

castra eorum mane uenisset, inuenit ea deserta, cumq; intellexisset eos fugisse, persequebatur, quos nullatenus ualuit comprehendere. Nam iam Eleutherũ fluuium nomine Liberum transierant.

20 Et diuertit Ionathas ad Arabas, qui uocabãtur Zabadæi: & percussit eos, & accepit spolia eorũ. Et iũxit, & uenit Damascũ, & perambulabat omnem regionem illam.

Arabes dicuntur ferè omnes terræ coloni ultra Iordanem, secundum longitudinem tribuum Manasse, Gad & Ruben, unde Zabadæi circa Libanum sunt, & ad tractum Damasci. Ab Hemathia ergo diuertit ad dextram, & Arabathenam inuasit, quos Nabathæos nominat Iosephus, quos percussit, & spolia abstulit, non sine necessaria causa, quæ hic tamen nõ scribitur: fortassis partium Demetrij fuerant, & sese Ionathæ & Iudæis opposuerant, unde & omnem illam regionem inuasit, & perambulauit sine impedimento.

21 Simon autem exijt, & uenit usq; ad Ascalonem, & ad proxima præsidia: & declinauit in Ioppen, & occupauit eam: (audiuit enim quod uellent præsidium tradere partibus Demetrij) & posuit ibi custodes, ut custodirent eam.

Per idem tempus refert Iosephus, frater eius Simon omnem peragrans Iudæam & Palæstinam, usq; ad Ascalonem, muniuit castella, quæ cum ædificijs & custodijs tuta fecisset, ad Ioppen peruenit & occupans eam, magnam introduxit ibi custodiam. Nam audierat Ioppenses uelle ducibus Demetrij tradere ciuitatẽ. Hæc ille post hunc nostrum authorem quædam pro more suo assuens. Sic autem diligenter fouit partes Antiochi huius, ne Demetrium quem sicut & patrem perfidum inuenerat, ferre gens pateretur Iudaica, cum ipsorum maiori tumultu qui sub Alexandro pacem habuerant, quod & de Antiocho filio sperabant assequi.

22 Et reuersus est Ionathas, & conuocauit seniores populi, & cogitauit cum eis ædificare præsidia in Iudæa, & ædificare muros in Ierusalem, & exaltare altitudine magna inter medium arcis & ciuitatem, ut separaret eam à ciuitate, ut esset ipsa singulariter, & neq; emant, neq; uendant.

Cum cerneret Ionathas res dubias geri inter Demetrium, qui semper procedebat, & multas regiones inueniret sibi fauorabiles, aliquas urbes ægre ab ipsius obedientia discedentes, & de Antiocho quid sperandũ certus non esset, abutebatur præsente pace & opportunitate ad suæ gentis confirmationem: ideoq; statuit cum Simone fratre, & consilio seniorũ, primum quidem munire Hierosolymam, muris fortificando, & munitionibus exaltare muros. Maxime uero murum erigebat inter arcem Sion, in qua semper erant Græci Macedones, pro parte Demetrij, & ad perpetuum fouendum dissidium inter ciues Ierusalem, ne quando urbs ipsa perpetuam assequeretur pacem. Non sine magno mysterio ecclesiæ, in qua nunquã deesse possunt scandala & hæreses. Itaq; muro illo uolebat excludere arcem Sion ab urbe, & includere urbi templum domini, ut ethnici illi uel deserto res in arce, nomine regum Græcorum non haberent aditum ad urbem pro necessarijs emendis. Videtur enim eosdem habuisse & alium exitum, per quem inuitis ciuibus milites intromittere poterãt & emittere, quem aditum Iudæi uel etiam duces Iudæorum præcludere inuito rege non possent.

23 Et conuenerũt ut ædificarẽt ciuitatem: & cecidit murus qui erat super torrentem ab ortu solis, & reparauit eum qui uocatur Caphetetha:

Torrens Cedron ab ortu solis ambit & alluit Hierosolymam, ubi tunc murus corruit, quem necesse erat erigi, & firmari communi opera. Quod nouũ fragmentum muri opera Ionathæ restituti dictũ est Caphetetha, quod interpretatum ualet magnum aliquod fragmentum uel frustum. Habet in mysterio Hierosolyma semper opus reparatione, semper in ea aliquid uel muniendum, uel confirmandum, uel destruendum, uel restaurandum, uel exornandum, uel defendendum, uel impugnandum.

24 Et Simon ædificauit Adiada in Sephela, & muniuit eã, & imposuit portas & seras.

Adiada & Sephela nomina uidentur fuisse ædificiorum uel fortalitiorum uel portarum. Pertinebant nimirum omnia hæc ædificia ad urbis munitionem, nõ solum contra extraneos, sed etiam contra eos qui intra urbis muros in arce hostes habebantur, loco Iebusæorum, qui semper etiam usq; ad Dauidis tempora molesti fuerunt urbi. Mirum quod de Hierosolyma tanta scribantur, & huius arcis constitutio, & loci natura, non exacte describitur, quæ admodũ commoda esset scripturis intelligendis diuinis. Quanquam enim de hoc plura à Iosepho tradita sint in sexto belli Iudaici, non tamen satisfaciunt.

25 Et cũ cogitasset Triphon regnare Asiæ & assumere diadema, & extẽdere manum in Antiochum regem: timens ne forte nõ permitteret eũ Ionathas, sed pugnaret aduersus eum, quærebat cõprehendere eum & occidere.

Poterat hic Triphon uideri fidelissimus amicus illi Alexandri regis, cuius filium Antiochũ tam studiose seruauit & promouit in regnum, direxit & amicis auxit & uictorijs illustrauit. Sed ut nihil in hoc mundo firmum, inter principes maxime: sic iste Triphon tandem ostendit perfidiã suam, dum quicquid beneficiorũ & sibi contulit in Antiochũ, totum nũc regenere nititur in seipsum, cupiens ipse regnũ sibi arripere, si licuisset per amicos Antiochi, maxime autem Ionathæ, qui fidelissimus erat in gloriã regis, et in suæ gẽtis trãquillitatẽ. Vnde et ante omnia Triphon cogitat de Ionatha occidendo, quod quia bello non cõfidebat, proditione prosequitur.

26 Et exurgens abijt in Bethsan. Et exiuit Ionathas obuiã illi cum quadraginta millibus uirorum electorũ in prælium, & uenit Bethsan.

Hæc Bethsan aliàs dicta Scytopolis est, & Ionathas contra

contra Triphonem maximo quem unquam habuit exercitu, sed sine dei auxilio, quod & inuocasse non legitur, è Hierosolyma uenit uiribus pugnaturus, quæ nullæ sufficiunt, domino non iuuante: quo fauente, pauciſſimis conficitur feliciter triumphus maximus, id quod Machabæis usu uenit, quando paucis utebãtur militibus. Nunc cum quadraginta millibus ẽlectis uiris nihil conficitur, sed omnia cadere uidentur, donec dominus succurrit rebus fessis.

27 Et uidit Triphon quia uenit Ionathas cum exercitu multo, ut extenderet in eum manus: & timuit: & accepit eum cum honore, & commendauit eum omnibus amicis suis, & dedit ei munera.

Timuit Triphon, ideo cautius se habuit, & tutior fuit, Ionathas fidebat in tanta militia, sed ea ultimo gaudens. Talis uicissitudo rerum, in qua nihil tutius, q̃ domino sese diligenter & totum concredere. Videns ergo uiribus uinci non posse Ionathan, humanitatem illius & dexteritatem, qua semper usus fuerat, dolo aggreditur & euincit. Excipit cum honore, quem occidere cogitabat: commendauit eum amicis suis, quasi eum qui fidelissime tractasset Antiochi regis uniuersa negotia, per quẽ uniuersũ regnaret rex, qui Demetriũ profligasset & fidelissimus fuisset semper Alexãdro patri, & filio. Quid autem hic Ionathas siniſtri potuerat cogitasse, qui & ipse sciebat quanta pro rege fecisset Triphon? Munera quoque dedit de regis thesauro, cuius nunc utriusq; mortem meditabatur. Quin & exercitui mandauit obedientiam Ionathæ deferendam deuotissimam. Non est inutilis hæc litera ad discendum circumspectionem, etiam si allegoria obmittatur, quæ libera est ad quiduis.

28 Et præcepit exercitibus suis ut obedirẽt ei sicut sibi. Et dixit Ionathæ, Vt quid uexasti uniuersum populũ cum bellum nobis non sit? Et nũc remitte eos in domos suas: eligeautem tibi uiros paucos qui tecũ sint, & ueni mecum Ptolemaidam, & tradam eam tibi, & reliqua præsidia & exercitũ & uniuersos præpositos negotij, & conuersus abibo, propterea enim ueni.

Circumuentum tot honoribus & beneficijs, nunc dolo & uerbis aggreditur, pacem iactans, cum bellum intendat, & quod est exitialius bello, proditionem suadet retinere, dimissionem exercitus, sed paucos suadet retinere, ne quid doli oboleat. Promittit Ptolemaidã dandam nomine regis Ionathæ fratri: quæ ut potẽtissima urbs erat, & regi etiam deuota ab initio, propter Alexandrũ patrem, nũc tamen uerita, aliquid secum agendũ, ut actum fuerat à Iudæis cũ Antiocensibus, statim sibi prospicere uoluerũt. Sic possunt nõnunquã homines semel falli, sed fiunt postea circumspectiores. Iam luiturus est, etiam innocens Ionathas impiissimam stragem, centum millium ciuium in Antiochia. Id uero potuit præscisse Triphon, & in hanc illum foueam data opera coniecisse, non sine ordine dei, qui per pessimos homines uindicat nonnunquam sanguinem pessimorum, sicut & piorum.

29 Et credidit ei, & fecit sicut dixit: & dimisit exercitum, & abierunt in terram Iudæ: retinuit autem secum tria millia uirorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem uenerunt cum eo.

Integer & innocens citius decipitur, ut credat esse alios ut seipsum. Sed nimium se miscuit rebus gentilium principum, quibus nimium complacere uoluit, ideo periclitatur, ut pereat. Hac enim parte non tantũ gentilibus se miscere debuerat, sed domino deo suo syncerius adhærere & fidere, à quo toties semper fuerat liberatus, & glorificatus, ut esset pontifex, cuius officio si diligentius instetisset, non tot se periculis obiecisset. An non felicius fuisset, paucis contentũ, officio insistere domi, q̃ cum tot periclitari tutoribus, cui mille uiri non sufficiunt? Sed sic est, & habet conditio principum, ut multis exosi sint, qui pluribus cupiunt imperare. Sic principes colludunt, sic sese decipiunt & subuertunt, dum pietatis nulla penes eos sit ratio, sed tantum dominij magnitudo.

30 Vt aũt intrauit Ptolemaidam Ionathas, clauserũt portas ciuitatis Ptolemenses: & cõprehenderunt eum, & omnes qui cum eo intrauerant gladio interfecerunt.

Proditione Triphonis intelligitur factũ, ut Ptolemenses caperent Ionathan, persuasi absq; dubio talia tentaturum in ea urbe, qualia egerat in Antiochia. Ideo præoccuparunt citius, non ipsum, sed satellites occidendo, quotquot cum eo ingressi fuerant. Iam luunt Iudæi crudelitatem suam, etiam si se iuste putarint succurrisse regi. Non est quacũq; ratione immodice humanus sanguis etiam hostium effundendus. Cuius uindicta non negligitur, sed in tempore dure rependitur, & suo loco. Horreant ergo qui sapiunt sanguinis effusionem, citra ius, & cum crudelitate, impendet enim iudicium durum omnibus crudelibus homicidis.

31 Et misit Triphon exercitũ & equites in Galilæam, & in campum magnũ, ut perderent omnes socios Ionathæ. At illi cum cognouissent quia cõprehensus est Ionathas & periit, & omnes qui cũ eo erant, hortati sunt semetipsos, & exierũt parati in prœliũ.

32 Et uidẽtes hij qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reuersi sunt: illi autẽ uenerũt omnes cum pace in terram Iudæ. Et planxerunt Ionathan & eos qui cũ ipso erant ualde:

Sic qui uniti superari nõ possunt, separati & eoipso infirmati succumbunt. Hi quidem in ciuitate trucidati sunt hac in re innocentes. Alij autem duo millia uiri, qui in Galilæam missi fuerant à Ionatha parati ad se tutandum dimissi sunt. Non enim proditores isti Triphonis post tam grande flagitium immunes abscessissent, si duo millia ista militũ aggressi fuissent. Sed suum nihilominus illos tempus manebat. Redeunt autem sine duce Ionatha in Iudæam milites, & plangunt, quem cum suis uiris omnibus existimabant occisum.

33 & luxit Israel luctu magno. Et quæsierũt

omnes gentes quæ erant in circumitu eorum, cõterere eos: dixerunt enim, Non habent principem & adiuuãtem: nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam eorum.

Ingratitudo pro dei beneficijs.

Pro tanta pace & rerum successu tanto, quem uiderant sub Ionatha Israeliticæ genti cõtigisse, nulla legitur gratiarũactio, nulla reformatio morum, nulla sacerdotij habita ratio, de sacrificijs nihil, de cantico nullo. Sed ne de aliqua solennitate, ad quas proni erant, aliquid memoratur. Felicior erat in negotijs mundi Ionathas, quàm deuotior uel religiosior. Quæ cæteris principibus exempli loco sumantur, ut sciant oportere pacis & gaudij beneficium bene impendi, & ad bonum publicum, proq; profectu fidei & morum aptari, ut quàm diutissime felicitas perseueret. In diebus bonorum memoria est habenda etiam malorum. Sed non sic agunt filij hominum, statim ut pace potiti fuerint, post miserias & clades, incipiunt uelle neglectas libidines resarcire, & quod prius nõ licuit, nunc ad plenum cupiditatibus incipiunt indulgere. Ideo nunc subsequitur luctus pro Ionatha, sed inanis, sua potius peccata plangenda fuerãt, & ingratitudines, pro quibus aduersa dux ipse sustinere cogitur, non sine suo quoq; demerito. Parum haberi poterat uel æstimari tot occisos cum Ionatha capto, si non statim omnes uicinæ gentes, quas ob gratiam regum subdiderat, iam pariter tentarent uicissim opprimere Iudæos. Iam enim dicebant, sese mutuum adhortantes contra eos, Principem non habent, nunc poterunt expugnari & funditus deleri crudeles.

CAPVT XIII.

1 ITaudiuit Simon quod cõgregauit Triphon exercitũ copiosum, ut ueniret in terrã Iuda: & attereret eam. Videns quia in tremore populus est & in timore, ascendit Ierusalẽ, & congregauit populũ: & adhortãs dixit,

Semper gentiles exosam habuerunt Hierosolymam & Iudæos, utcunq; eorum in bellis opera uterentur, ad primam occasionem eos aggrediuntur. Sicut & ecclesiã impij uellent nõ esse, uel non nominari. Hic Triphon impius perfidia sua prosequitur & tentat exterminiũ gentis Iudaicæ, sed nihil assequitur, quanquam Ionathan captum habeat & occidat, non tamen populus domini ducibus destituitur, semper fortiores succedũt. Sic ecclesia sanguine martyrũ & episcoporum creuit & profecit, sic semper fit in ecclesia. Copiam multam colligit contra Iudam, sed nihil efficiet. Tremet populus destitutus duce rectore, qui tamen dum habet illos persequitur, & parũ honeste tractat, pro minimo deserit & odit. Simon autẽ residuus ex filijs Matathiæ, monitorũ patris sui memor, Ierusalem ascendit, populum consolatur ac congregat, fideliterq; adsistit, non terretur fratrum suorum casibus, sed uult & ipse fortiter agere pro sua gente.

2 Vos scitis quãta ego & fratres mei & domus patris mei fecimus pro legibus & pro sanctis prælia, & angustias quales uidim⁹: horũ gratia perierunt fratres mei omnes propter Israel, & relictus sum ego solus.

Iudæi in II Mac. 8.

Viderant & senserant fidem Machabæorũ Iudæi in suam gentem, sed tamen non desiterant unquam odire hæc. eos, prodere, accusare, deserere, sicut ipsi nõ obmiserũt benefacere, quod & nunc Simon agit. Vos, inquit, negare non potestis, quin ego & fratres mei, & tota familia nostra fideles propugnatores fuerimus legum diuinarum, & sanctificationum nostrarũ, scitis quæ & quanta pro gente nostra mala sustinuerimus, & angustias multas, in quibus & perierunt fratres mei omnes propter Israel, ex quibus omnibus ego solus supersum. Sic omnes qui pie ecclesiam regunt, multa pati coguntur, & tandem uitam prodigere temporalem, pro qua tamen æternam assequuntur gloriam in cœlestibus.

3 Et nunc non mihi cõtingat parcere animæ meæ in omni tẽpore tribulationis: nõ eñ melior sum fratribus meis. Vindicabo itaq; gentem meam, & sancta, natos quoq; nostros & uxores, quia cõgregatę sunt uniuersæ gẽtes cõterere nos inimicitiæ gratia.

Ecclesiæ peccata.

Hæc est conditio piorum prælatorum, non sibi ipsis parcere, dum ecclesiæ prodesse possunt, non facere animam suam pretiosiorem q̃ seipsos, ut fecerũt omnes apostoli, Christi exemplo. Quem regendi morem uidemus multum defecisse in ecclesiarum prælatis, ut non solum non ipsi curent quæ ecclesiæ necessaria sunt, sed & uolentes in ecclesia proficere, non permittant, semper suis commodis prospicientes. In tempore tribulationis maxime fidelibus succurrẽdum, dum maxime indigent, etiam si quidam eorum ingratos se reddant. Non se magis diligit, uel sibi parcit quàm fratres sui, qui omnes gloriosum putauerunt sese pro gente & patria periculis mortis exponere. Offert se ergo certamini pro gente & sanctis, pro ingratis quoq; contra hostes, qui sine causa tantum inuidiæ gratia persequuntur, ut deleant.

4 Et accensus est spiritus populi simul ut audiuit sermones istos: & respondẽrũt uoce magna dicentes, Tu es dux noster loco Iudæ & Ionathæ fratris tui: pugna prælium nostrum: & omnia quæcunq; dixeris nobis, faciemus.

Multum ualet fortitudo mentis, & uerbum exhortationis in duce fideli, sub quo cum fiducia militant subditi, & confidunt, ut sint duplo fortiores. Sic nunc quoq; accenduntur spiritus & animi populi, ad sese defendendum, & uocibus alacrioribus sese dedunt duci, quẽ communi acclamatione eligunt in locum Ionathæ fratris sui, quem existimauerunt occisum cum reliquis in Ptolemaida. Orant ut fortiter agat, exemplo fratrum suorum, cui sint fideliter quoq; per omnia obsecuturi.

5 Et congregans omnes uiros bellatores, accelerauit cõsummare uniuersos muros Ierusalem, & muniuit eam in gyro.

In primis urbem munit, ea resarciens quæ egebant per gyrũ, ut esset munitio & refugiũ, non tantũ pro ciuibus, sed et pro sanctuario, quod maxime gẽtiles oderãt. Incæ-

incœperat hoc opus muniendi urbem Ionathas, sed non consecutus erat, prævenius captivitate. Id vero Simon pro sequitur, & absoluit feliciter, & cum festinantia, quæ multum prodest in huiusmodi negotijs, ubi seditionibus omnia sunt dubia, & plena proditionibus. Erant enim
6 quibus Triphonis acta placebant.

Et misit Ionathan filiũ Absolomi, et cũ eo exercitum nouum in Ioppen: et eiectis his qui erant in arce, remansit illic ipse.

Is Ionathas filius Absalomi, dux erat exercituum quorundam, fidelis & magnanimus, quem mittit cum exercitu Ioppen, quæ iam parebat Simoni, & erat aptißimũ propugnaculum Iudææ ad Austrum & Aquilonem, contra Græcorum insultus, & maritima, aptoq; portu munita, ubi & arx erat, in qua Græci adhuc residebant, ut negotium facerent Iudæis pro rege, quos eiecit, ut liberа esset Ioppe, in quam arcem Ionathas ingressus est cum
7 suis, ut urbem retineret.

Et mouit Tryphon à Ptolemaida cum exercitu multo, ut ueniret in terram Iuda, & Ionathas cum eo in custodia.

Gentilium & idololatrarum gentium dux erat Tryphon, ideo nullus apud ipsum dei timor, & iustitiæ studium, sed tantum dolus, mendacia, uiolentia & perfidia eius arma erant, quibus obtinebat omnia ad tempus suũ. Maximum regis nomine exercitum mouet à Ptolemaida contra Simonem, simulq; secum ducit Ionathan cum filijs captum, cuius uita & morte abutatur ad libidinem suam, ut siue uincat Iudæos habeat Ionathas duplicem mortem, siue uincatur, teneat tamen unde sese consolari possit, crudeliter uictoris fratrem tractando. Impijssimus enim fuit hic Tryphon, habebat in custodia Ionathan ut
8 non elaberetur.

Simon autem applicuit in Addus cõtra faciem cãpi. Et ut cognouit Tryphon quia surrexit Simon loco fratris sui Ionathæ, & quia commissurus esset cũ eo prælium, misit ad eũ legatos, dicens: Pro argẽto quod debebat frater tuus Ionathas in ratione regis, propter negotia quę habuit, detinuimus eũ. Et nunc mitte argenti talenta centum, et duos filios eius obsides, ut non dimissus fugiat à nobis: et remittemus eum.

Addus quidem nomen loci uidetur, sed ubi situs nulli bilegitur. Apparet in finibus tribus Iudæ cãpo adiacens, ad quem se transtulit Simon. Iosephus hunc locũ Iadam nominat, urbem sitam in monte, unde Iudææ campi patescant. Vt cognouit Simonem præfectũ pro Ionatha, tentauit & eundem dolo & mendacijs uincere, nõ prælio. Mendaciũ comminiscens, contra Ionathan querelas pro ducens quasi in rationibus regis aliquid uel fraudasset uel obligaretur, quod utrunq; mendacium erat. Tanto periculo uitæ & rerũ fideles familiaritatem ineũt cum impijs, ut non frustra lege sua deus prohibuerit, & nunquam sine magno damno hoc loco lex dei præuaricata fuit. Tandiu Ionathas regis se negotijs implicauit, donec causam impijs præstitit malignandi in eum, si non uerita te saltem mendacijs, quæ perinde habentur apud infideles, tantum ut decipiant quos oderunt. Parum fuisset fecisse iacturam argenti, nisi & innoxiorũ quoq; filiorum sanguini insidias posuissent, quos contigit in prospectu patris humanissimi trucidari cum patre, optime merito de rege, sed infideli & gentili. Vitentur omnibus modis societates infidelium, & dei timorem non habentium.

9 Et cognouit Simon quia cũ dolo loqueretur secum, iussit tamen dari argentum, et pueros: ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israel, dicentem: Quia non misit ei argẽtũ et pueros, propterea perijt. Et misit pueros, & centum talenta.

Misera necessitas Simonis, qui postulata nec negare potest sine fratris exitio, nec præstare. Erant etiã ex Iudæis quibus placuit prodi utroq; cũ patre filios, qui nisi præstiti fuissent, Simonis perfidiam accusassent in fratrem. Iam ætate profectior & uir consilij adhuc patre Matathia uiuente fuerat, ideo nunc fraudem necessario intelligebat, sed quam euincere nulla ratione posset, unde & pueros dari iußit, cum argento, quæ omnia cum fratre perdita sunt per improbã perfidiam hominis Athei, cum quo nulla fuerat unquã amicitia ineunda. Verebatur ex una parte ferociam & mendacium Tryphonis, ex alia perfidos Iudæos, qui ansam arripuissent calumniandi Simonem, quasi uitæ fratris inuidentem, & solum regnare cupientem.

10 Et mentitus est, et nõ dimisit Ionathan. Et post hæc uenit Tryphon intra regionem, ut contereret eam, et gyrauerunt per uiam quæ ducit Ador, & Simon et castra eius ambulabant in omnem locum quocunque ibant.

Quid aliud homines sine deo q̃ mentiri, decipere, trucidare, rapere, & nil uereri? Accepit argẽti talenta centum, accepit obsides filios, accepit omnia, & contra ius gentium omniũ, nihil reddidit eorũ quæ promisit. Tam ualuit amicitia inita cum Romanis & Lacedæmonijs. Sic succurrunt omnia huius mundi præsidia, si deus non per omnia cogitetur et inuocetur. Nec sufficit huiusmodi tã atrox perfidia & enormis supra modũ, sed insuper aggreditur Tryphon regionẽ Iudaicam, ut eam cõterat, non breuiando clades, & per compendiũ nocendo, sed gyrando ut perdat plurima. Simon quidẽ & eius castra ibant quo ibant, hoc est in incertum, quia fugientem sequebatur, interim regionem dißipans & dißperdens. Amicitia Romanorũ.

11 Qui autem in arce erant, miserũt ad Tryphonem legatos, ut festinaret uenire per desertũ, et mittere illis alimonias. Et parauit Tryphon omnem æquitatum, ut ueniret illa nocte: erat autem nix multa ualde, & non uenit in Galaaditim.

Arcem intelligit in monte Sion sitam, obsessam, & habitatam perfidißimis gentilibus Macedonicis militibus, in diuexationem urbis illuc positis. Ii tunc cœperant à diebus Ionathæ arctari, & penuriã pati, erecto muro, ne urbem pro uictualibus ingredi possent, ideo anxiati

legatos mittunt Tryphoni, ut festinaret succurrere fame laborantibus Equitatum parauit ad succurrẽdum, ut & uelocius adesset, & niues penetrare sine impedimento ualerent. Voluerat quidem transisse Iordanẽ Tryphon, ad regionem Galaaditidem, sed hoc nuncio perculsus, nõ ausus est, sed recta citius aduolauit, pro arce Sion liberanda contra Iudæos.

12 Et cum appropinquasset Baschama, occidit Ionathan, & filios eius illic. Et conuertit Tryphon, & abijt in terram suam.

Cernens Tryphon non se posse liberare Macedones obsessos Hierosolymis à Iudæis, cõuertit se ad odium & dolum, perq; inuidiam studuit Iudæis, quod minime ferre possent, malum inducere, nihil considerata fide publica, & iure gentium, quin in despectum & dolorem Simonis, & omnium Iudæorum, occidit Ionathan, quem habuerat in custodia unà cum filijs, quos acceperat obsides. Et hic finis obsequiorum & fauoris Ionathæ in regem gentilem, qui nimium potentem tulerat in aula & regno suo, unum illum Tryphonem, cui non tanta permittere debuisset. Sed talibus fatis regnãt iuniores principes, quorum consilia & opera pendent ex libidine aliorum, quos offendere non audent, donec ipsi quoque tandem conculcentur, quod & huic Antiocho contigit, & alijs multis per omnia regna & sæcula.

Finis obsequiorum ad perfidos.

13 Et misit Simon & accepit ossa Ionathæ fratris sui, & sepeliuit ea in Modin ciuitate patrũ eius. Et planxerũt eum omnis Israel plãctu magno, & luxerunt eũ dies multos.

Sepultura semper habita fuit in obseruantia, etiã apud fideles & sanctos. Sed hic Simon pro more gentilium, & ad fastum mundanum quem magnificabat, sicut & Ionathas fecerat, excessit in pompa sepeliendi fratrem. Sic cadebat pedetentim per singula religio & pietas, uanitas autem & superstitio surrogabatur subinde, quia non erat in pretio uerbum domini. Pontifices non erant sacerdotes, sed duces: non doctores, sed milites. Inclinabat respublica Israelitarum continuo, quanquã aliquandiu restaurata uideretur sub Ionatha & Simone, Ioanneq; Hircano. Nihil enim harum temporalium rerum firmiter perstat, sed dum maxime processisse uidetur, tunc proximum est ruinæ & termino.

Sepultura ambitiosa.

14 Et ædificauit Simon super sepulchrũ patris sui & fratrũ suorum ædificium altum uisu, lapide polito retro et ante: & statuit septem pyramidas, unam contra unã patri & matri, & quatuor fratribus: & his circũposuit colũnas magnas: & super colũnas arma, ad memoriã æternam: & iuxta arma naues sculptas, quæ uiderentur ab hominibus nauigãtibus mare: hoc est sepulchrũ, quod fecit in Modin usq; in hunc diem.

Poterat hoc studium ornandi & expensas inutiles ædificandi sepulchra religiosius & utilius collocasse, nullum apud pios talium studiorum exemplum uiderat. Impius olim Absalom tale quidpiã uane tentauerat, sed pro arcu triũphali receperat aceruum lapidum, quibus dignissime lapidatus est. Non desiderauerant huiusmodi memoriale Machabæi, sed fidei, constantiæ, pietatis in deum & patriam, exemplũ post se relinqui uoluissent, non struem lapidũ, & arcus triumphales. Voluit de longinquis uideri sepulturæ pompam, ut eorum operũ laus & iactatio frequens esset in ore multorũ, quomodo pro patria & sua gente magnifice occubuissent. Septimam quoq; pro se pyramidem statuit, qui & ipse secum statuerat similiter ut cæteri fratres pro sua gente occumbere. Non sunt huiusmodi trahenda in exemplum, homines fuerunt, humana fecerunt, in multis deliquerunt, ut omnes cæteri. Veruntamen longe propensiores sunt homines huius sæculi ad huiusmodi sectanda exẽpla, quàm pietatis, fidei ac modestiæ. Quid autem ibi nauigiorum formæ fecerint non assequor, nisi quod Græcorum & Troianorum uanitas, qui de tot claßibus & argonautis suis gloriantur, & mendosa cõminiscuntur, his quoque hominibus placere potuit, sicut & alia multa huiusmodi uana à gentilibus didicerunt. Hoc, inquit, sepulchrum est, quod usq; hodie uisitur in Modin oppido, Quasi dicat: Talis uanitas durat dũ gens tota disperijt, ut uideatur q̃ stulta sit hominum gloriatio, nisi in solo domino deo didicerint gloriari.

Pompa funeris mortui.

15 Tryphon aũt cum iter faceret cum Antiocho rege adolescẽte, dolo occidit eum. Et regnauit loco eius, & imposuit sibi diadema Asiæ, & fecit plagam magnã in terra.

Iam finem facit, propter quẽ omnia prædicta impro ba gesta patrarat impijssimus Tryphon, proprijs regem interficiens Antiochũ adolescentem. Talis finis regnandi, talis stultitia hominum qui regna ambiũt, qui fata huiusmodi non pauescunt, qui semper immunes se sperant ab infortunijs, etiamsi milites perire uideant præcessores. Talis hominum insania est, qui ueram sapientiam, quæ est timor domini, non didicerunt. Cum, inquit, cum rege iter faceret, nihil timentem, sed amicum habentem, ausus est occidere, dolo & mendacijs consutus, inq; eius locum regnauit, & diadema sibi rapuit, & quod necessario sub tali rege fiebat, plagam magnam intulit terris. Quæ enim amarior conditio terræ contingere potest, q̃ si talis ei rex & tyrannus contingat, apud quem nihil ualeant iura gentium qualiumcunq;, qui nec deum reueratur nec homines?

16 Et ædificauit Simon præsidia Iudææ, muniens ea turribus excelsis, & muris magnis, & portis & seris: & posuit alimenta in munitionibus.

Tryphon adepto regno, studiosior fuit illud retinendi, & milites suos conciliandi, sesq; tuendi à Demetrij captiuantoribus, quàm Iudæos aut Simonem durius persequendi, intelligens nihil fortunæ se experturum, si post tam impie fractum ius gentium, amplius illos lacessere pergeret. Interim uero Simon feliciter præest suæ genti, octo annis. Hinc est quod hic dicitur, ædificasse præsidia Iudææ ad tutelam suæ gentis et patriæ, excelsis turribus muniens urbes, muris magnis, portis & seris, alimentis prouisionem faciens urbibus. Quomodo autem dei cultum

tum legalem auxerit, uel tenuerit, nihil uel hic scribitur, uel apud Iosephum. Frigidiores enim fuisse uidentur ij summi pontifices Machabæi in rebus spiritualibus, & in cultu dei, q̃ in temporalibus & secularibus: ideo non bene profecit regnum illorum, nec diu feliciterq; stetit.

17 Et elegit Simon uiros, & misit ad Demetrium regem ut faceret remissionem regioni, quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti. Et Demetrius rex ad uerba ista respondit ei, & scripsit epistolam talem.

Cernens Simon Tryphonis malitiam, & desperationem de quacunq; pace uel concordia in perpetuum sarcienda, propter mendacia, dolos & crudelia facta pestilentissimi regis, consilium cœpit humanum de ineunda concordia Demetrij, cum sibi tutius fuisset domino deo suo se totum & suam gentem committere. Veruntamen & hoc quoq; pro sua bonitate deus boni consuluit, & humani consilij euentũ in bonum promouit. Misit itaq; Simon electos uiros ad regem Demetrium, oratq; remissionem fieri tributorum, & magnorum grauaminum, quibus gens Iudaica in Iudæa, Galilæa, & Samaria grauabatur. Conquestus impias direptiones, hoc est dolos, iniurias, crudelitates & deceptiones, quibus peruenisset Tryphon ad suam tyrannidem, quam nunc exerceret contra omnes, etiam contra Demetrium & fautores suos, quali autem animo esset in Simonem & Iudæos facile coniectari liceret, ex proditoria occisione Ionathæ & filiorum, simulq; in proprium suum dominum, quem malitiosissime occidisset, ut posthac omnis amicitiæ reditus præclusus esset.

Consilium Simonis.

18 REX Demetrius Simoni summo sacerdoti & amico regum, & senioribus, & genti Iudæorum salutem. Coronam auream, & bahem quam misistis, suscepimus: & parati sumus facere uobiscũ pacem magnã, & scribere præpositis regis remittere uobis quæ indulsimus. Quæcunq; enim constituimus, uobis constant.

Clementer rescribit Demetrius Simoni, domino deo cor illius mitigante, ut altera ratio non sit quærenda, ut cunq; id humano cõsilio uix inuestigari posit. Non sunt enim reges ut plurimum in talibus casibus mites uel tractabiles, maxime cum patri suo & sibi olim amicitiam negarint Iudæi, cum illã suppliciter requisissent. Sed nõ est quærenda ratio operum diuinorum, quandoquidem cor regis in manu est dei, &c. Rescribit igitur Simoni, iam humiliatus, & ipse per captiuitatem Demetrius, et quia Tryphonis hostes sibi necessarios sentiebat, & pro auxilio opportunos. Non sine donis reges adeundi sunt, maxime si quid petendi. Ideo Simon per electos uiros munera transmiserat auream coronam ad ornamentum nimirum capitis. Bahen autem quid fuerit nihil inuenio, quãdoquidem nec pollicis nec probationis analogia huc quadrat, quæ per Bohen significari possent. Tradunt quidam ornamentum colli esse ex aureis confectum annulis, iuxta morem prouinciarum illarum. Paratum se offert ad pacem magnam conciliandam cum Simone, & postulata concedere, & si quid dudum illis concesserat, hoc firmum subsistere debere decernit.

Bohen ad Gen. 24. Exod. 35.

19 Munitiones quas ædificastis uobis sint: remittimus quoq; ignorantias, & peccata usq; in hodiernũ diem, & coronam quam debebatis. Et si quid aliud erat tributariũ in Ierusalem, iam non sit tributarium. Et si qui ex uobis apti sunt conscribi inter nostros, conscribantur, & sit inter nos pax.

Annuit ad munitiones seruandas eis qui ædificauerant, dum scilicet illis non abutantur contra regem Demetrium. Quicquid inimicitiarum & simultatum interfuerat, propter præsidium et principum priuata odia, & si quid peccatum fuisset ea ratione contra regẽ, clementer omnia condonat Simoni, per quem illa fortassis non steterint, & debitam coronam auream, quicquid id fuerit, liberaliter quoq; remittit. Tributa quoq; quæ è Hierosolyma regi uendicabantur tam de prophanis q̃ sacris rebus, maxime de oblationibus ad sacrificia, de quibus tributa soluere coacti fuerant sacerdotes. Hæc & similia grauamina condonat & remittit in futurum. Decusq; militiæ uolẽtibus permittit, ut cum gloria & emolumento regijs exercitibus sese iungere possint: et omni no pacem promittit sese habiturũ cum Simone & suis.

20 Anno cẽtesimo septuagesimo ablatum est iugum gentiũ ab Israel. Et cœpit populus Israel scribere in tabulis & gestis publicis, anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, & principe Iudæorum.

Ablatum ẽ gnum gentium.

Quandoquidem hæc pacis & libertatis promissio postea seruata est, & coaluit in longa tempora, nec tam notabiliter scissa & reuocata est. Ideo annotatur ab authore annus in perpetuã memoriã huius donationis tempus, annus centesimus septuagesimus, qui et ipse fortunatus erat Iudæis, & quasi iubilearius, de quo plurimũ sperantes gaudebant, tunc enim ablatum fuit iugũ gentiũ ab Israel. Ab illo enim tempore libere egerunt iuxta suas leges iuxta traditiones paternas, & sine grauibus tributis, ac sine dissidijs tantis, quibus usq; ad illud tempus, ab Antiochi Magni regno oppressi fuerant. Ab eo tempore gloriosus fuit Simon, & summus sacerdos, dux & princeps Iudæorum, sub quo libertas fuit restituta.

21 In diebus illis applicuit Simon ad Gazam, & circundedit eam castris: & fecit machinas, & applicuit ad ciuitatem, & percussit turrem unam, & comprehendit eam. Et qui eruperant, erant intra machinam, in ciuitatem: & factus est motus magnus in ciuitate.

22 Et ascenderũt qui erant in ciuitate cum uxoribus & filijs supra murũ scissis tunicis suis, & clamauerũt uoce magna, postulantes à Simone dextras sibi dari, & dixerunt: Non nobis reddas secundũ malitias nostras, sed secundum misericordias tuas.

Quicquid de regibus actum esset, Gazenses tamen

semper pergebant molestare Iudæos, & iustam occasionem præbere Simoni, ut illos aggrederetur, sine quacũq; offensa Demetrij, tum quia Alexandro fortassis & Antiocho ut & nunc Tryphoni adhæserant, tum quia proxima Aegypto erat Gaza, & ab antiquo hostili animo in Iudæos. Hanc Simon impugnat, & obtinet tandem, imperataq; facere coegit, sponte se post angustias dedentes, ut litera clare exponit.

23 Et flexus Simon non debellauit eos: eiecit tamen eos de ciuitate, & mũdauit ædes in quibus fuerant simulachra, & tunc intrauit in eam cum hymnis benedicens dominum:

24 & eiecta ab ea omni immunditia, collocauit in ea uiros qui legem facerent: & munitam eam, & fecit sibi habitationem.

Non quidem urbem destruxit, nec ciues occidit, sed transtulit in aliam coloniam. Ipse uero cum suis urbem inhabitandam suscepit, & exornauit, emundatis tamen prius ædibus à simulachris, quandoquidem gentiles & idololatræ fuerant. Sic quoq; cum hymnis, canticis & diuinis laudibus dominũ benedicentes, urbem istam consecrauerunt fidelibus Israelitis, posthac inhabitandam, qui iuxta legem Mosis domino deseruirent & facerent iudicium & iustitiam, eamq; defenderent ab impijs, & in tranquillitate dominum colerent.

25 Qui autẽ erant in arce Ierusalem, prohibebantur egredi & ingredi regionem, & emere & uendere: & esurierũt ualde, & multi ex eis fame perierunt, & clamauerunt ad Simonem ut dextras acciperet, & dedit illis: & eiecit eos inde, & mundauit arcem à contaminationibus:

Grande illud grauissimum scandalum Hierosolymæ, quod Græci Macedones tanto tempore semper seruauerant in arce Sion contra totam gentem & omnes pontifices, qui semper fecerant graue negotium Israelitis fidelibus. Id quoq; nunc sub Simone amouetur, primum qui dem arctatos annonæ penuria, deinde orantes, & destituti auxilijs gratiam & abitũ meruerunt. Arcemq; permiserunt manibus Iudæorum, quam & ipsam emundatam, regni usibus & urbis munitioni applicauit.

26 & intrauerunt in eam tertia & uicesima die secũdi mensis, anno centesimo septuagesimoprimo, cum laude & ramis palmarum, & cinnyris (*citharis*) & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel.

Quanto fuerat grauius onus & incommoditas intolerabilior arcem retineri ab hostibus, tãto nunc alacrius gaudent & agnoscunt domini beneficium, ideoq; & eiusdem beneficij recognitionem instituunt diem annotando, & annum, quando cum diuinis laudibus hanc à domino gratiã tandem fuerant assequuti. Iam enim magnum inimicum in Israel contritum canebant. Vtinam & nobis aliquando contingat huiusmodi gaudium de liberata ecclesia ab impijs, ueri diuini cultus impeditoribus, qui cum se ciues Ierusalem iactent, & primi habeantur & summi in arce Sion, ipsi tamen aliud nil agunt, q̃ filijs Israel ueris obstrepere, & profugas ab ecclesia uera dei, & à fide uerborum eius fouere, defendere, & seditiones continuas promouendas incitare.

Liberanda ecclesia.

27 Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cũ lætitia. Et muniuit montem templi, qui erat secus arcem, & habitauit ibi ipse, & qui cum eo erant.

Dudum similiter hæc arx duci & pontifici donata fuerat, sed non diu perstitit: id nunc quoq; usq; ad suum tempus restituitur.

28 Et uidit Simon Iohannem filium suum quod uir prælij esset: & posuit eum ducem uirtutum uniuersarum, & habitauit in Gazaris.

Iam senex erat Simon, ideo filium subdit & suborna t, qui patri in fortitudine animi succedat, dictum Iohannem, qui & Hircanus: de quo multa Iosephus prosequitur, & ad longum.

CAPVT XIIII.

1 ANno centesimo septuagesimosecundo congregauit rex Demetrius exercitum suum, & abijt in Mediam ad contrahenda sibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem.

Exercitum minorem sumit, quem habebat ad manum assidue, abitq; in Mediam prouinciam, quæ illi sicut Persidis regio obedire debebat, sed rebus mutatis, interim, ut fit, alios reges sicut & Syria iam Alexandrũ & Antiochũ sustinebat reges, qui fortiores essent uel malignio res, non qui meliores. Hæc enim mala sunt quæ prædixerant prophetæ, futura post Alexandri Macedonis excessum, unde mirabile non sit, si in tanta perturbatione rerum, etiam confusa sint tempora, & annorum suppputationes uarient. Nisi quod in hoc libro aptissime numerantur anni regni Græcorum, sicut & hoc loco, centesimus septuagesimus secundus notatur, quando Demetrius captus est ab Arsace, dum sibi uult parare exercitum contra Tryphonem ex Media prouincia.

2 Et audiuit Arsaces rex Persidis & Mediæ, quia intrauit Demetrius cõfines suos, & misit unum de principibus suis, ut comprehenderet eum uiuum. Et abijt, & percussit castra Demetrij: & comprehendit eum, et duxit eum ad Arsacẽ, et posuit eum in custodiam.

Iam utraq; has prouincias non alio fortassis iure rapuerat sibi Arsaces, quàm alij reges Asiæ, qui simul Syriam, Persiden & Mediam æquo iure fuerant assecuti. Quid enim omnes hi reges erant, q̃ strenui raptores, qui ueluti Tryphon omnia agebant ex arbitrio & violentia, doloq; & mendacijs. Hic ergo Arsaces rex Demetrium capit, ingressum fines suos, hoc tantum alijs humanior, quia uiuum capit, & non mox trucidat. Id autem agit per principẽ ad hoc missum, qui imperata feliciter exequitur. Percutit enim castra Demetrij, & comprehensum

hensum adducit Arsaci regi, ut custodiatur ne effugiat: non prorsus occidit, uel inhumaniter tractat ut alij.

3 Et siluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis, & quæsiuit bona genti suæ, & placuit illis potestas eius & gloria eius omnibus diebus.

Per Demetrij clementiam uel timorem Simon genti suæ pacem acquisierat, quæ forsitan non fuerat diutius duraturæ, si Demetrius feliciter processisset. Ideo diuina prouidentia Iudæis pacem concessura, conficitur, ut in externa aliqua prouincia capiatur, ut interim res Iudaica proficiat sub bono principe Simone Machabæo. Siluit enim ex hoc terra Iuda, quandiu præfuit Simon, qui & more bonorum principum, non tantum suum honorem & fastum quæsiuit ac libidines, sed bona gentis suæ, cui & sponte plebs est obsequuta, gauisa de tam fideli principe, sub quo pacifice uiuebant: uicissimq; lætatus est Simon de gloria, quam cum pace habebat inter suos quandiu uixit.

Simon fidelis.

4 Et cum omni gloria sua accepit Ioppen in portum, & fecit introitum in insulis maris. Et dilatauit fines gētis suæ, & obtinuit regionem.

In hac temporum felicitate prouidit suæ genti de idoneis finibus regni sui, præcipue autem de aptissimo portu maris, unde uel ad Romanos uel ad Lacedæmones amicos in necessitate nauigare ualeret, qualis cōmodissimus est Ioppe, quem cum gloria suscepit in suum, qui prius fuerat Antiochi uel Tryphonis. Ex hoc enim loco ingressus patuit sibi ad omnes insulas maris, Cyprū, Candiam, Rhodū, Græciam ipsam, & cætera loca. Sic ex omni parte obtinuit ampliationē sui dominij, sine tumultu & crudelitate, sed fide, iustitia, liberalitate, amicitia, dum Tryphon nihil auderet contra Simonem, & Demetrius captus detineretur, & Romanorū amicitia cūctis innotuisset ut cum trāquillitate & sine iniustitia regnās non solū non timeret Romanos, sed etiam placeret, quia in prouinciarum pace & iusto regimine lætabantur, & ex hoc magnam sibi gloriam uindicabant, si & subiecti essent, & in pace conuersarentur populi multi.

5 Et cōgregauit captiuitatem multam, & dominatus est Gazaræ & Bethsuræ, & arcī: & abstulit immunditias ex ea, & nō erat qui resisteret ei.

Cum in uniuersa terra audiretur Simonis iustitia & gloria, gentisq; Israeliticæ post multos bellorum tumultus tranquillitas, multi in orbe captiui Iudæi, uel exilium ferentes, concurrebant ad Iudæam, & illic sibi sub sancto dominio legis obseruantiam proponebant ex omnibus tribubus. Vnde & ab illo tēpore magna facta est accessio multitudinis Iudæorū, quandoquidem facile permittebatur Iudæis, in alijs terræ locis absceßio, qui ubiq; ferè odio habebantur, ut hodie. Ideoq; absceßuris nō nec exclebantur impedimenta, & Simon eos ab exilio reuertentes, cū gaudio suscipiebat, & sic implebatur prouincia, alioqui magni populi alumna. Quo & factū est, ut obtinuerit urbes dißipatas, & parum populatas, ut erat Gazara Australis Palæstinæ, optimo loco sita dicta Gaza, & Bethsura munitio prope Hierosolymā, semper ut opportuna hostibus, sic nunc optata Iudæis, & arx illa collis Sion, quæ tunc erat opera Simonis in manibus Israelitarum, quæ prius semper fuerat inimicissima Israelitis. Ex quibus & alijs omnibus locis abstulit Simon idolatriæ omnia monimenta, et habitatoribus præscripsit obseruantiam legis diuinæ, & quæ ad cultum dei pertinebant pro omni uirili sua promouebat & fideliter.

Exclusi ac reuocati.

6 Et unusquisq; colebat terrā suam cum pace: & terra Iuda dabat fructus suos, & ligna camporum fructum suum.

Reuertētibus Israelitis ad dominum, etiam dominus reuertebatur ad eos, conferebat pacem & concordiam, reuersis ad meliorem mentem eis, qui prius semper claudicabant ad sinistram, & gentilium ritus appretiabantur magis quàm Mosaicos. Ideó gratia dei etiam è cœlis resplendebat in terram, ut omnia cum pace fierent, & agricolæ sine tumultuū formidine suis operis incumberent cum copioso prouentu. Dabat terra Iuda suos fructus, quos olim consueuerat, & undiq; dei clementia palpabatur. Ligna camporum dicuntur Hebraico more arbores fructiferæ, quæ cum agris & uineis omnia pacifcis applaudebant.

7 Seniores in plateis sedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & iuuenes induebant se gloriam, & stolas belli. Et ciuitatibus tribuebat alimonias, & constituebat eas ut essent uasa munitionis quoadusque nominatum est nomen gloriæ eius usque ad extremum terræ.

Pacis fructus.

Describit fructus pacis optatissimos, secundum prophetas Isaiam & Michæam. Iam lætabundi senes procedebant in publicum, qui prius cunctabundi semper dissidia & prælia lamentabantur domi, quibus obsistere non poterant. Ii nunc in plateis attendunt cum gaudio iuuenibus & puellis ludētibus, & arridentiucundanturq;: & ubi conuenerant loquebantur de fructibus terræ, de profectu reipublicæ, de laudibus piorum, et de præsentibus dei donis. Qui adolescentes erant exercebantur armorū usu, ut parati bellū propulsare auderent & possent. Non enim hoc quoq; exercitiū pacis quoq; tempore fuerit intermittendū. Simon quoq; alimonias dispone bat partiri in urbes necessarias, si bellū ingrueret, ut exercitus non deficeret, qui sine annona mortuus est. Tormenta quoq; bellica, & omnia præliorū arma sufficientia ut essent prospiciebat & procurabat. Hæc enim pertinent ad pacem conseruandam, ut etiam hostis intelligant, non ignauos esse quos odiunt, sed ad resistendū paratos. Hæc omnia laude ferebantur dignissima passim.

8 Fecit pacem super terram, & lætatus est Israel lætitia magna. Et sedit unusquisq; sub uite sua, & sub ficulnea sua: et non erat qui eos terreret.

His modis & studijs Simon pacem statuit in terra Israel, & semel eripuit fideles à tantis malis, quibus iam longo nimium tempore fuerāt attriti, ut gaudiorum in-

signẽ causam præstiterit, quando in causa fidei nihil amplius dissentirent, sed essent pariter conuersi ad obseruantiam legis & studium, quando hypocritæ non se uidebant habere socios impietatis gentilitiæ, de qua iam inter tot legis æmulatores erubescere cogebantur, & fingere beneuolentiam, unde cum tempore melius sentire incipiebãt. Sic ergo contigit, ut iuxta Michææ cap. 5. uaticinium requieuerit unusquisq; sub uinea sua, & sub ficulnea sua, ut non fuerit qui exterreret. Hoc enim non tantum spiritualiter per Euangelium contigit in toto mundo, sed etiam corporaliter toties fit, quoties iuxta uerbum domini conuersatio populorum sancta instituitur, ut tunc fiebat.

9 Defecit impugnãs eos super terram: reges contriti sunt in diebus illis. Et confirmauit omnes humiles populi sui, & legem exquisiuit, & abstulit omnem iniquum & malum:

Religio Simonis.

Nemo tunc sub tam legitimo & iusto magistratu rebellare audebat, consentientibus & recõciliatis Iudæis: nemo pugnam tentare uel prælium commouere præsumebat, ut nuper quando impij pontifices & illis consentientes improbi Iudæi, gentiles præsides incitabant ad persequendum legem. Reges illi hostes pietatis contriti sunt sub Simonis ætate, unus post alium, quorum nullus diu rexit, quia omnes male uolebant & uiuebant. Humiles intelligit mansuetos, pios, deum timentes, & colentes, legis diuinæ obseruatores, qui antea iam uix mussitare audebant, ab impijs proditi & conculcati. Hi nunc libere loquuntur & agunt, & in sua fide & religione confirmantur, qui fuerant in tentationibus his grauibus uehementer scandalizati. Is Simon perquisiuit legem domini, & instituit diligentissime legendam, fidelibus declarandam ac persuadendam, ut cum diligentia obseruaretur ab omnibus, si quem deprehendisset blasphematorem dei, & uerbi dei contemptorem uel præuaricatorem legis proteruum & ceruicosum, eum de medio abstulit, non est passus aliquem contra legis obseruantiam moliri quidquam, uel iustis consentire compellebat, uel digito labia comprimere, ne quem pium impedirent, suis iniquis studijs à pietatis profectu.

10 sancta glorificauit & multiplicauit uasa sanctorum.

Quæ ad diuinum cultum pertinebant in templo & atrijs, quæ ad solennitates, sacrificia, laudesq; diuinas, ea studiosissime reformabat. Si quid aberat uasorum sacrorum, ea fieri sine impedimento curabat. Et in hunc modum omnia boni & religiosi principis munia cũ authoritate feliciter & magnifice prosequutus est. Ad quæ omnia dominus illi pacem contulit, & abstulit occasiones amicitiarum cum regibus & principibus, per quos ab omnibus talibus impediri potuisset. Non est enim societas lucis ad tenebras, Christi ad Belial, gentilium cum religione, idololatris cũ uerè fidelibus. Expedit deo prorsus esse addictum, & in primis quæri gloriam dei.

11 Et auditum est Romæ quia defunctus esset Ionathas, & usq; in Spartiatas: & contristati sunt ualde. Vt audierunt autem quod Simon frater eius factus esset summus sacerdos loco eius, & ipse obtineret omnem regionem & ciuitates in ea, scripserunt ad eum in tabulis æreis, ut renouarent amicitias & societatem quam fecerant cum Iudatias & cũ Ionatha fratribus eius. Et lectæ sunt in conspectu ecclesiæ in Ierusalem.

Cum ista fama laudabili bonorum uirorum in exteras nationes etiam gloria domini dei Israel, & unius uiras nationes etiam gloria domini dei Israel, & unius uiminis ueneratio multis persuadebatur, ut omnia deus ordinare nouit in suam gloriam, & ad electorum salutem. Sic Romæ quoq; agnitum est nomen domini, & apud Spartiatas, qui non poterant contemnere homines pios, ueraces, fideles, magnanimos, fortes & constantissimos, quales esse ex factis memorabilibus utriq; populi audiebant, Ionathan & Simonem, & truculentissimum hominum cidium Tryphonis nõ potuit non omnes istos plurimum commouere ad uindictam, ubi res & negotia postulassent, et tanti uiri indignissima mors omnes multo afficiebat dolore. Consolationis tamen ansam arripiebant ex egregijs gestis fratris successoris Simonis, ut ex talibus fratribus æstimare potuerint totius gentis Iudaicæ fidẽ, iustitiam, & in bono constantiam.

Spartanorum bona.

12 Et hoc exemplum epistolarũ quas Spartiatæ miserunt. SPARTIANORVM principes & ciuitates: Simõi sacerdoti magno, & senioribus & sacerdotibus, & reliquo populo Iudæorum fratribus salutem. Legati qui missi sunt ad populum nostrum, nunciauerunt nobis de uestra gloria, honore & lætitia: & gauisi sumus in introitu eorum.

Explicant Spartiatæ paucis pro suo more beneuolentiam suam ad Iudæos, quorum legatos honorifice susceperint, & audierint libenter, paratiq; sint persistere in fraternitate illorũ, & pro uiribus eam confirmare, gaudere de profectu gentis, & uictorijs contra hostes. Habet autem hæc series dictionis phrasim Hebraicam, iuxta quã huius libri author scripsit summatim, non ad uerbum, quæ fuerant in epistola, nimirum Græce scripta ad Græcis, quam tunc iam linguam docti Hebræorum calle bant, ut patet ex Septuaginta legis interpretibus.

13 Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in concilijs populi, sic: Numenius Antiochi, & Antipater Iasonis filius legati Iudæorũ, uenerunt ad nos, renouantes nobiscũ amicitiam pristinam. Et placuit populo excipere uiros gloriose, & ponere exemplum sermonum eorũ in segregatis populi libris, ut sit ad memoriã populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno sacerdoti.

Ad perpetuam rei memoriam, epistolam Iudæorum Lacedæmonijs scriptam reposuerunt in Bibliothecam, communem urbis, ut scirent posteri pacem seruandam illis esse cum Iudæis, & amicitiam habendam, tanquam ad

adſocios & cognatos, quorum felicitati congaudere debeant, & in anguſtijs ubi res poſtulauerit non deſpicere, ſed iuuare pro uiribus. Poterat & id quoq; ſeruire ad dei gloriam, ſi urbs illa uel communitas, de unius dei ſolius & omnipotẽtis fide cum tẽpore inſtitui potuiſſet. Ne uero de fide & amicitia dubitaretur à populo Iudæorum, exemplar inſcriptionis huiuſcemodi miſimus Simoni ſacerdoti illorum.

14 Poſt hæc autẽ miſit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarũ mille ad ſtatuendam cum eis ſocietatem.

Suberat quidem cauſa ineundi amicitiam Romanorum, quia à Græcorum regibus ſubinde premebantur, qui cum eſſent ſubditi Romanis, cõpeſci poterant à Romanis, ſi quid Iudæis contra fas & æquitatem naturæ et ius omnium gentium incommodare tentaſſent, quo in caſu Romanorum iuſtitiam inuocare poſſent, amicitiæ huiuſmodi prætextu. Verum non erat ſufficiens hæc excuſatio, qui cum gentilibus & idololatris lege prohibebantur fœdera pangere, & in unius ueri ſui dei bonitatem & potentiam ſperare potius debuerant. Quo non propitio, nulla prodeſſet qualiſcunq; potentium regum & populorum amicitia. Mittunt ergo eundem quem antea Numenium, ſed cum nobili munere, quo Romani obtectari poſſent, & nonnihil flecti. Talibus enim muneribus corrumpebantur auari Romani, apud quos poſtea erant cuncta uenalia, fides & æquitas.

Fœdera cũ infidelibus.

15 Cum autẽ audiſſet populus Romanus ſermones iſtos, dixerũt, Quam gratiarum actionem reddemus Simoni & filijs eius? Reſtituit enim ipſe fratres ſuos, et expugnauit inimicos Iſrael ab eis, & ſtatuerunt ei libertatem, & deſcripſerunt in tabulis æreis, & poſuerunt in titulis in monte Sion.

Romani Græci ad mutua.

Phraſi Hebraica utitur author hiſtoriæ, cum longe aliter loqui tunc quoque Romani conſueuerint. Gratiarum munerum ſuſceptores, quibus profeßio fiebat magnificentiæ & poteſtatis, de qua mirum in modum lætabantur. Reſtituiſſe fratres ſuos, eſt per omnia eis ſimilem animi fortitudinem exhibuiſſe, & nonnihil ſuperaſſe, quia expugnauit hoſtes, eatenus, ut nihil ultra auderent, ſed ſinerẽt uti paternis legibus reges Aſiæ. Id quod nunquam fratres obtinere bellis potuerant, id iſte pace & humanitate obtinuit. Romani ergo ſtatuerunt Simoni, & Iudaicæ genti libertatem, ut non grauarentur à regibus, & ut ſuis populum regerent legibus, ne ad nouas quaſcũq; moleſtias arctarentur ab aliquo. Regibus enim Aſiæ tunc quoq; Romani imperabant, ut mandata recuſare non auderent, utcunq; regnare in Syria & Aſia permitterentur, poteſtatem tamen agnoſcerent ſenatus populiq; Romani. Hac ergo amicitia delectati Iudæi & nonnihil ſuffulti ad tempus, reſcripti Romani tenorem magna obſeruantia coluerunt, ut titulum erigerent his uerbis inſcriptum, in monte Sion, altißimo in loco urbis Hieroſolymæ.

16 Et hoc eſt exemplũ ſcripturę, OCTAVA DECIMA die mẽſis Elul, anno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, anno tertio ſub Simone ſacerdote magno in Aſaramel, in cõuentu magno ſacerdotũ, & populi, & principum gentis, & ſeniorum regionis, nota facta ſunt hæc.

Hunc titulum Iudæi ad rei memoriam inſcripſerunt ſua lingua, ut ab omnibus intellectus legeretur, ut ſonat. Eſt autem Elul lunatio menſis Auguſti, centeſimi & ſeptuageſimi ſecundi, qui tertius erat ducatus & pontificatus Simonis. Aſaramel autem quid ſit, diuinare poſſumus atrium in monte Sion, qui olim Mello dictus, nunc uno compoſito dicitur Aſarmelo. Quo in loco maximus conuentus erat omnium ordinum Iudaici populi, ſacerdotes, principes, ſeniores, & populi totius regionis ſub icctæ Simoni: qui omnes multa diligentia gloriam ſuam & ſuorum eſſe uoluerunt æternam, parum interim celebrata dei potẽtia & gratia, qua omnia hæc peracta fuerũt, cui omnis honor & gloria præcipue fuerant adſcribenda. Inſcriptio autem titulo facta hæc uerba tenebat.

Mello & Aſarmelo.

17 Quoniã frequenter facta ſunt prælia in regione noſtra: Simon aũt Matathię filius ex filijs Iarib, & fratres eius dederunt ſe periculo, & reſtiterũt aduerſarijs gentis ſuæ, ut ſtarent ſancta ipſorũ & lex, & gloria magna glorificauerunt gentem ſuam.

18 Et congregauit Ionathas gentem ſuam, & factus eſt illis ſacerdos magnus, & appoſitus eſt ad populum ſuum.

Priuilegia continet hic titulus familiæ Matathiæ totius, maxime autem Simonis, ubi primum laudantur merita in gentem Iudaicã, quam fratres illi ſubinde frequenter maxima fide & fortitudine defenſauerint à crudeliſſimis hoſtibus, quos ſæpius oppreſſerunt maximo ipſorũ periculo, uſq; ad mortem, ut propugnarent ſanctuarium & legis obſeruantiam cultumq; diuinum. Et gentis totius libertatem aſſerere ſtuduerunt, uſq; ad mortem, tandemq; obtinuerunt, magna cum gloria tam gentis q̃ totius familiæ Machabæorum uel Aſmonaicæ, cui ut par erat hanc gratitudinem humana quadam prudentia rependerunt. Cum nihil interim legamus, quid in domini dei ſui gloriam egerint, quid pro fidei uel morum profectu inſtituerint, niſi unam & alteram ſolennitatem annuam. Senſus erat tituli, Cum multis prælijs fatigarentur Iudæi ab impijs ethnicis, nemoq; ſuccurreret. Vnus erat Matathias qui indoluit uicem calcati templi, & exploſi diuini cultus, & uiolentiæ iniquißimæ, qua ad defectionem diuinæ legis arctabantur fideles. Is Matathias cum fortißimis ſuis filijs expoſuerũt ſe maximis periculis, & magnanimiter aduerſarijs reſtiterunt, & uindicauerũt ſancta, ne idolis contaminarẽtur, & alijs idololatrarum immũditijs, ſed & legem domini dei ſui obſeruandã obtinuerunt, inuitis omnibus impijs, tam gentilibus quàm apoſtatis, de gente Iudaica, qui gentiles ritus ſubintrodu cere cupiebant, & abrogare diuinos & Moſaicos. Nec ſolum periclitati ſunt, ſed & magnifice obtinuerunt ad dei omnipotentis gloriam, & ad gentis Iudaicæ

Priuilegia Machabæorũ fratrum.

exaltationem & libertatẽ, partam post multas perpessas angustias, in quibus Ionathas post Iudam magnificũ, gentem Israel recollegit, et libertati pro omni uirili restituit, ut & depulso pestilentissimo Alcimo, summus ipse sacerdos crearetur: tandemq; appositus est ad populũ suum.

19 Et uoluerunt inimici eorum calcare & atterere regionem ipsorum, & extendere manus in sancta sanctorum. Tunc restitit Simon, & pugnauit pro gente sua, & erogauit pecunias multas, & armauit uiros uirtutis gentis suæ, & dedit illis stipendia: & muniuit ciuitates Iudææ, & Bethsuram quæ erat in finibus Iudææ, ubi erant arma hostium antea: & posuit illic præsidium uiros Iudæos.

Post proditoriam Ionathæ mortem, tanto uiro indignam, existimãtibus hostibus pietatis, & omnis iustitiæ, iam actum de fide & ritibus Israeliticæ gentis, quæ iam prorsus calcanda esset, & eliminanda, ut & sanctuarium ipsum cogitarent aggredi, & diuinum cultum prorsus exterminare, hoc enim sibi restare solũ arbitrabantur, ut uerbum domini nullum supereſſet, sed gentilitas omnia obtineret. Tunc dominus deus suscitauit Simonẽ, cui contulit eam mentem, ut totis resisteret uiribus, non quidem tantum armis, quanquã & illis pugnauerit contra impios pro sua gente, sed & beneficijs, muneribus & sapientia obtinuit pacem & tranquillitatem genti suæ. Terrorem incussit hostibus, armando uiros suos, ut haberet eximium in terra sua exercitum. Sed & munitiones statuit per singulas Iudææ urbes. Nominatim autem fortalitium illud, ad custodiam Iudææ, quod Bethsura dictum est, ubi prius hostes sibi nidum extruxerant contra totum populum Iudaicum, & contra urbem eorum metropolim Ierusalem. Illuc reposuit uiros Iudæos ad totius gentis & regni præsidium.

Simonis fortitudo.

20 Et Ioppen muniuit quæ erat ad mare: et Gazaram quæ est in finibus Azoti, in qua hostes antea habitabant, & collocauit illic Iudæos: & quæcunq; apta erant ad correptionem eorum, & posuit in eis.

Portum quoq; marinum optimum obtinuit Ioppen, & muniuit, similiter & Gazam, australiorem Asdoto, & eidem regioni conterminam, ut quæ prius hostibus plena erat, & idolorũ cultoribus, postea Iudæis cesserit et unius dei ueri dignis cultoribus. Nihil obmisit Simon, quod ad impietatis oppressionẽ conduceret, & pro gentis Israeliticæ amplificatione & tranquillitate seruiret.

21 Et uidit populus actum Simonis, & gloriam quam cogitabat facere genti suæ, & posuerũt eum ducem suum, & principem sacerdotum, eo quod ipse fecerit hæc omnia, & iustitiam, & fidem quam conseruauit genti suæ, & exquisiuit omni modo exaltare populum suum.

Omnia hæc uerba inscripta continebantur in titulo. Agnouit, inquit, populus Iudaicus beneficia tanta Simonis, & maximam animi propensionem in suam gentem. Et dignum habuerunt, cui conferrent iusta electione regimen & principatum totius gentis Israeliticæ, ut tunc erat. Nec id solum, sed summum iusserunt esse pontificem, quando erat & ipse de filijs Aaron, quia totus intentus uidebatur ad conseruandum iustitiam diuinæ legis, ad regendum populum, iuxta instituta dei, nihilq; negligere, quod ad suæ gẽtis exaltationẽ facere cerneretur.

22 Et in diebus eius prosperatum est in manibus eius ut tollerentur gentes de regione ipsorum, & qui in ciuitate Dauid erant in Ierusalem in arce, de qua procedebant, & contaminabant omnia quæ in circuitu sanctorum sunt, & inferebant plagam magnam castitati:

Omnia Simoni prospere cesserunt, quæ cogitauit agere in bonum sui generis, in populum Israel. Cessauit iugum gentilium in tota regione, à quibus uiolenter oppressi diu & inique fuerant. Et arcem Sion olim dictam ciuitatem Dauid, emundauit ab immundis Græcis Macedonicis, quos expulit perpetuos hostes templi & urbis, & gentis totius Iudaicæ, qui & intulerant plagam magnam, omnibus bonis & sanctis moribus, uiuebant enim gentilium more, sine omni honestate uel castitate, tam in factis q̃ ceremonijs. Erantq; occasio dissidiorũ in Israel, solicitando quos poterant ad gentilitatem, & ad obseruandum impijs edictis regum contra dei legem.

23 & collocauit in ea uiros Iudæos ad tutamentum regionis & ciuitatis, & exaltauit muros in Ierusalem. Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium. Secundum hæc fecit eum amicum suum, & glorificauit eum gloria magna.

In eandem arcem expulsis gentibus collocauit Simon de sua gente uiros optimos & fideles, qui tutarentur urbem & sacra, regionem totam, cuius erat ut mater & metropolis Hierosolyma, cum sua hac arce. Muros reſtituit urbis, ut Ionathas cœperat: Sed & Demetrij beneficio dignitatem accepit, ut esset sacerdos summus sine ullo impedimento uel accusatione. Et inter amicos regis & regni principes præcipuum & honorabilem, ad magnam gloriam suam.

24 Audiuit enim quod appellati sunt Iudæi à Romanis amici, & socij, & fratres, & quia susceperunt legatos Simonis glorioſe: & quia Iudæi & sacerdotes eorũ consenserũt eum esse ducem suum et summum sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis: & ut sit super eos dux, & ut cura esset illi pro sanctis, & ut constitueret præpositos super opera eorum & super regionem & super arma & super præsidia: & cura fit illi de sanctis: & ut audiatur ab omnibus, & scribantur in nomine eius omnes conscriptiones in regione: & ut operiatur purpura & auro: & ne liceat ulli ex populo ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur,

tur, aut conuocare conuentum in regione sine ipso: & ueſtiri purpura, et uti fibula aurea: qui autẽ fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit.

Causa hic notatur prius obmiſſa, quare Demetrius amicitiã Simonis tanti habuerit, quia audierat iam tam Iudam quam Ionathan, & nunc quoq; Simonem, à Romanis amicos appellatos, ſocios & fratres, quos ex hoc non tutum uel facile eſſet moleſtare indigne. Iam quoq; fama uulgabatur de honore habito nuncijs ſuis à Romanis. Totamq; gentem conſenſiſſe in illius ducatum & pontificium, non tantum pro ſe, ſed pro omni ſua poſteritate, donec propheta ille magnus, qui ex tunc in annos & dies expectabatur uenturus, iuxta prophetarũ prædictiones, maxime autem Danielis, cuius hebdomadæ ſetis conſtituebatur & pontifex, ut iuxta leges diuinas ſanctuarij ſtatus, & diuinus cultus reformaretur in primis, utq; eidem omnes obedirent, mandatis parerent, & dominum agnoſcerent. Eius quoq; officij erat omnia ordinare, officia urbis & ſanctuarij, præſides quoq; regionis & oppidorum per totam terram Iſrael. Eius quoq; arbitrio arma & bellicus apparatus expediebatur, ut eſſet ſemper paratus exercitus. Vtq; præſidia paſſim fidelibus uiris commendarentur, qui duci Simoni ad uota obſequerentur. Nihilq; conſcribatur in negotijs gentis ad loca omnia, niſi ipſo conſcio, & ſigillum apprimente uel ſubſcribente. Solus quoq; purpura induatur uel utatur regio priuilegio. Solus auro bibat ut reges. Contra hæc omnia nemini liceat uel minimum contrauenire uel contradicere. Sed & conuentum indicendi & populi congregandi, facultas reſideat apud ſolum Simonem & ſucceſſores. Hæc, inquiunt, omnia ius eſto ducis Simonis & ſuorum ſucceſſorum de ſua progenie, cui neminu unquam quomodocunq; liceat contradicere uel quidpiam derogare.

Reuum dux & pontifex.

25 Et complacuit omni populo ſtatuere Simonem, & facere ſecundum uerba iſta. Et ſuſcepit Simon, & placuit ei ut ſummo ſacerdotio fungeretur, & eſſet dux & princeps gentis Iudæorum & ſacerdotum, & præeſſet omnibus.

Adhuc uerba ſcripturæ ſunt, qua populus publice teſtatur Simoni ius ſuum, ut dux ſit, & ſacerdos ſummus, & dominus iuxta prædicta, nihil interim acturus quomodocunq; contra legem dei, quæ his omnibus potior habenda erat. Omni populo placuit hoc reſcriptum in ærea, & poſitum in titulum ad perpetuam rei memoriã, & ad gloriam gentis Machabæorum. Adſcribitur quoque ad horum omnium confirmationem conſenſus Simonis pro ſe & ſuis poſteris ſecundum præſcripta.

26 Et ſcripturam iſtam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo ſanctorum, in loco celebri: exemplum autem eorum ponere in ærario, ut habeat Simon & filij eius.

Patet ex dictis. Peribolum autem ſanctorum intelligitur murus aliquis ambiens ſanctuarium, uel atrium ſacerdotum, ut poſſet uideri & legi ab omni populo. Exemplum autem habebant cum authoritate in ſæcula ualitura Simon et ſui filij, ne ſi quis publica cuertiſſet hæc, interim priuata delerẽtur, ſed diligentius obſeruarẽtur.

CAPVT XV.

1 MIT miſit rex Antiochus filius Demetrij epiſtolas ab inſulis maris Simõi ſacerdoti, & principi gentis Iudæorũ, & uniuerſæ genti: & erant continentes hunc modum, REX Antiochus Simoni ſacerdoti magno, & genti Iudæorum ſalutem.

Antiochus Aſſidetes.

Hic Antiochus filius Demetrij fuit, dictus Aſidetes, frater autem minoris Demetrij, qui poſt Alexandrum Pholobalem regem in Syria regnauit. Sic autem habet ſeries. Antiochus Epiphanes filium habuit Antiochum Eupatorem, poſt quem regnauit Demetrius Sother, annis duodecim: poſt quem Alexãder Philopalus, annis decem: poſt hunc Demetrius filius Demetrij, annis tribus, qui capitur à Parthis: poſt quem hic Antiochus Aſidetes, frater eiuſdem Demetrij, regnum tenuit annis quatuordecim: poſt cuius interitum iterum reſtituitur Demetrio, qui deinde regnauit annis quatuor. Hic ergo Antiochus Aſidetes cognominatus, epiſtolas mittit Simoni et genti Iudæorum. In qua notandum quod non ſcribit fratribus, uel aliquo titulo amicitiam indicante, quandoquidem hoſtis erat, & exuere terris ſuis uolebat Iudæos, quanquam multa polliceatur more regum.

2 Quoniam quidam peſtilentes obtinuerunt regnum patrum noſtrorum, uolo autem uendicare regnum, & reſtituere illud, ſicut erat antea: & electam feci multitudinem exercitus, & feci naues bellicas. Volo autem procedere per regionem, ut ulciſcar in eos qui corruperũt regionem noſtram, & qui deſolauerunt ciuitates multas in regno meo.

Peſtilentes nominat Tryphonem, qui regnum Syriæ inuaſerat, & ſuos ſocios. Vel plurali utitur pro ſingulari, intelligebat enim & Ionathan & Simonem, ut patet ex ſequentibus. Vult autem reſtituere ſibi armis regni totius dominium, de quo ſolo ſoliciti ſunt, ut ampliſſime regnent, nulla habita ratione, q̃ feliciter uiuant, ſub regibus gentes & populi. Exercitum autem ſe paraſſe & claſſes commemorat, ut magis timeatur. Propoſitum prodit ſeſe proceſſurum ad omnes ſuas regiones, ut ulciſcatur in eos qui poſſident aliquid eorum quæ olim pertinuerunt ad regnum Græcorum, uel munitiones deſtruxerunt, quales erãt Simon & Ionathas, quæ tamen diſſimulat uſq; in ſuum locum & tempus.

3 Nũc ergo ſtatuo tibi omnes oblationes quas remiſerũt tibi ante me omnes reges, & quæcunq; alia dona remiſerunt tibi: & permitto tibi facere percuſſuram proprij numiſmatis in regione tua.

4 Ieruſalem autem ſanctã eſſe, & liberam:

& omnia arma quæ fabricata sunt, & præsidia quæ construxisti, quæ tenes, maneãt tibi. Et omne debitum regis, & quæ futura sunt regi, ex hoc & in totum tempus remittuntur tibi.

Fingit magnam gratiã ad Simonem, omnia concedẽs, quæ sui maiores, & insuper addens numismatis priuilegium, honorẽ, & commodum. Et de Hierosolyma quod maiores decernit liberam esse debere propter sanctitatem, & unius dei cultum, unice ibi obseruandum, utq; arma habeant iam ab ipsis parata, subindicans non amplius paranda, uel quicquam muniendum in urbibus. Debita quoq; remittit propediem maiora exacturus.

5 Cum autem obtinuerimus regnũ nostrum, glorificabimus te & gentem tuam, & templum gloria magna, ita ut manifestetur gloria uestra in uniuersa terra.

Omnia cum fraude & mendacio loquitur, dum cupiat totã gentem deletam potius, quam nouit regibus prioribus non per omnia obediuisse, sed terras suas non parua ex parte occupasse. Mentiri tamen potest in suũ commodum, quantumuis rex sit, & pollicitis esse illustris. Ante omnia enim uult consequi uniuersum regnũ, quod suum putat. Tunc autem patietur etiam Iudaicam gentem esse gloriosam, si prona illi fuerit obsecuta per omnia. Cupiunt reges glorioſos esse populos, sed sibi subiectos, & utiles.

6 Anno centesimo septuagesimoquarto exijt Antiochus in terrã patrum suorum, & conuenerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti essent cum Tryphone.

Tryphonem pessimum reliquerunt exercitus omnes, quibus tanta crudelitas in regem & Ionathan placere non potuit, quæ certe malitia profuit Antiochi institutis, ut tanto essent propẽsiores gentes & urbes ad imperiũ eius, ut exonerarentur à timore, quẽ tenebant à crudelitate & perfidia Tryphonis. Quis enim nõ sibi timeret à tali rege, apud quem nihil pensi esset ratio ueri, iusti, et liciti, qui nec deum quidem timeret nec homines, sed ex eius solo arbitrio ageret uniuersa sibi utilia? Statim ergo ut Antiochus prodijt in suam terrã, conuenerũt ad eum omnes exercitus prouinciarum, odio Tryphonis ipsum amplectentes, ut legitimum hæredem regni.

7 Et insecutus est eum Antiochus rex, & uenit Doram fugiens per maritimam: sciebat enim quod cõgregata sunt mala in eũ, & reliquit eum exercitus:

Antiochus rex persecutus est Tryphonem fugientem eum assecutus in urbe maritima, quæ Dora dicitur, in tribu olim Isachar 11. miliario Cæsareæ Stratonis, dicta aliãs Naphat Dor ciuitas regia. De qua Hieronymus loquens de Paula: Mirata ruinas Dor urbis quondam potentissimæ. Illuc confugerat Tryphon, desperatus propter crimina sua grauia & multa, iam destitutus exercitu. Tales enim tyranni uicissitudines merentur, ut pessime luant, qui crudelia intulerunt.

8 & applicuit Antiochus super Doram cum centũ uiginti millibus uirorũ bellicẽ ratorum, & octo millibus equitũ: & circũuit ciuitatẽ, & naues à mari accesserunt: & uexabãt ciuitatem à terra & mari, & neminem finebant ingredi uel egredi. Vrbis Dora.

Satis indicatur urbis huius magnitudo & potentia, quando hic scribitur Antiochus ipsam uallasse & obsedisse CXX. millium peditũ exercitu, & equitum octo millium. Sic autem obsedit, ut totam circumdaret urbem, sed & ea parte qua mare respicit: à nauibus quoq; fuit obsessa, ut neminem finerent egredi uel ingredi, ne euadere contingeret Tryphonem. Inde autem, teste Iosepho, remittit Antiochus ad Simonem principem sacerdotum legatos, pro amicitijs uel auxilijs, qui cum liberaliter petitionem suscepisset, pecunias multas cum alimentis militaribus Doram obsidentibus large præbuit, ut Antiochũ inter necessarios pauco tempore pateretur, nam Tryphon dum à castello Dora ad Apameam fugeret captus, in ea conclusione peremptus est, tertio sui regni anno. Hæc Iosephus.

9 Venit autem Numenius, & qui cũ eo fuerant ab urbe Roma, habentes epistolas regibus & regionibus scriptas, in quibus cõtinebantur hæc,

10 LVCIVS Consul Romanorum, Ptolemæo regi salutem. Legati Iudæorum uenerunt ad nos amici nostri, renouantes priscam amicitiam & societatem, missi à Simone principe sacerdotum, & populo Iudæorum. Attulerunt autem & clypeũ aureum mnarum mille. Placuit itaq; nobis scribere regibus & regionibus, ut non inferant illis mala, neq; impugnent eos & ciuitates eorũ, & regiones eorum: & ut non ferant auxiliũ pugnantibus aduersus eos. Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum.

11 Si qui ergo pestilentes fugerint de regione ipsorũ ad uos, tradite eos Simoni principi sacerdotum, ut uindicet in eos secundum legem suam.

Iam quis tenor literarum senatus & populi Romani ad Simonem, & quis nuncius, quæ prius obmissa erant, explicantur. Quis hic Lucius fuerit non explicatur, cũ fuerit cognomen multis consulibus. Ptolemæo autem Romani scribunt iuxta hoc argumentum, qui Aegypti rex fuisse conijcitur, in qua forma per omnia scribunt & alijs hic nominatis regibus, principibus, urbibus, & communitatibus, sub quibus Iudæi degebant iamdudum, in Syria, Media, Parthia, Asia minore et Græcia. Amicitia autem signum erat clypeum suscepisse Romanos.

12 Hæc eadẽ scripta sunt Demetrio regi, & Attalo, & Arabę, & Arsaci, & omnes regiones, & Sampsamæ, & Spartiatis, & Delo, & Mydo, & Sicioni, & Cariæ, & Samũ, & Păphiliã, & Lyciã, & Alicarnasũ, & Rhodũ, & Phaselida, & Coo, & Sidẽ, & Arado, & Gortinã, & Cnidum, & Cyprũ, & Cyrenen.

renen. Exemplũ autem eorum scripserunt Simoni principi sacerdotum.

Demetrius uidetur is fuisse, quem Parthi ceperunt. Attalus uero rex is isto tempore uixit, qui secundũ Eusebium moriẽs, regni sui populum Romanum hæredem constituit. Arabæ autem intelligendum fortassis Arabiæ duci uel principi, quæ proxima est Iudææ. Arsaces autẽ nomen generale est regum Parthorum, ut Cæsares Romanorum. Samsamæ regionis uel urbis uel ducis nomen esse potest, in sacris alibi non legitur, nec quod nouerim in sæcularibus. Nisi Samos insula Hebræis sic sit nominata. Eo tempore Spartani quoq; Romanis subiecti fuisse uidentur, ut Græcia omnis reliqua. Delos quidem insula est, sed incertum si hic intendatur. Mydus fortassis Meus legendum uel Mydo. Sityone quid sit, nisi Sityonij sint, ignoro. Caria autem peninsula est Doribus aliquando inhabitata. Samum pro Samum fortassis legendum. Pamphilia Cilicia & Lycia notæ sunt regiones. Alacarnasis fortassis est Halicarnasus urbs Cariæ principum regia in Asia minori Argiuorum colonia. Rhodus insula est clarinominis. Phaselida fortassis Phaselis urbs Pamphiliæ nota, ut pro tota Pamphilia accipi possit. Chous insula nota est. Siden fortassis pro Sidonia, et Arado pro Aradia insula. Et quod Gortinam legitur fortassis Corsinia uel Corcyra insula est. Gnydum fortassis Candia dicitur, uel urbs in eadem insula: sicut & Cyprus & Cyrenen insulæ sunt et regiones, ubi Iudæi habitabãt, ubiq; exules, quibus omnibus Romani consultum uolebãt huiusmodi scriptis suis.

13 Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundo, admouens ei semper manus, & machinas faciens: & conclusit Tryphonem, ne procederet:

14 & misit ad eum Simon duo millia uirorum electorum in auxilium, & argentum, & aurum, & uasa copiosa: & noluit ea accipere, sed rupit omnia quæ pactus est cum eo antea, & alienauit se ab eo.

Reuertitur ad Antiochi studium, ut caperet Trypho nem, idq; uidetur iam secundo factum, de quo supra dictis, regem respuisse datorem & munera, planeq; se hostem declarasse Iudæorum, nihilq; seruaturum eorum quæ promiserat. Iam enim in Syria erat sua & maximo exercitu confidebat, nihil sibi obstiturum omnium eorum quæ desideraret consequi. Ideo pacta omnia rupit, & alienauit se à Simone & gente Iudaica, non obstanti bus Romanorum literis & amicitijs. Quorum erat studium munera recipere, polliceri multa, sed segniter curare promissa.

15 Et misit ad eum Athenobium unum de amicis suis, ut tractaret cum ipso, dicens, Vos tenetis Ioppen, & Gazaram, & arcem quæ est in Ierusalem ciuitates regni mei: fines earum desolastis, & feciſtis plagam magnã in terra, & dominati estis per loca multa in regno meo.

Nuncio misso Simoni, rex repetit terras Iudæorum, castra uel arces, cũ munitis oppidis. Nominatim autem Ioppen & Gazam, montis quoq; Sion arcem, quibus obtentis ad alia quoq; protẽdere manus posset, donec prorsus Iudæos opprimeret, more suorum progenitorũ. Gravem autem instruit accusationem, ut occasionem habeat inuadendi prouinciam totam. Sic enim occasiones quæruntur à dominis, ambientibus aliorum bona & terras.

16 Nunc ergo tradite ciuitates quas occupastis: & tributa locorum in quibus dominati estis extra fines Iudææ: sin autem, date pro illis quingenta talẽta argenti, & exterminij quod exterminastis, & tributorum ciuitatũ alia talenta quingenta: sin autem, ueniemus & expugnabimus uos.

Accusat Iudæos rex impius de raptu ciuitatum, quas constat hæreditario iure eos possedisse, & diuino munere recepisse ante aliquot millia annorũ. Sed quod isti reges semel sibi uendicare quacunq; occasione uel uiolentia potuerunt, hoc iure semper ut suum uendicant, quorum ius est uiolentia & uiribus cuncta transigere, contranitentes autem pro hostibus persequi. De ualore autem quingentorum talentorum, uiderint qui discrimen nouerunt inter talentum Atticum & Aegyptium, Tyrium, Syrium, Antiochenum, & Babylonicum, Euboicum, Rhodium, & Neapolitanum, apud quos & libra & pondus q̃uariant uiderint quorum interest.

17 Et uenit Athenobius amicꝰ regis in Ierusalẽ, & uidit gloriã Simonis, & claritatem in auro & argento, & apparatũ copiosum, & obstupuit: & retulit ei uerba regis.

Athenobius qui hic legitur, Cendebæus est Iosepho, fidelis regi & amicus, Hierosolymam mittitur, exploraturus statum & mentem tam Simonis q̃ gentis Iudaicæ & urbis, uidit autem omnia magnifica esse, & supra expectationem, quandoquidem aliquantulum pax fuerat, qua paruæ quoq; res crescunt. Simonis autem gloria & claritas relucebat in suo pontificatu, quem copioso apparatu agebat. Iam enim iunxerant sacerdotio regnũ quoque & principatum gentis. Complacebatq; in argento & auro: de fide et charitate nihil dicitur. Ideo diuturna felicitas sperari nõ potuit, sed zelus & æmulatio, fastus & luxus abesse illi statui diu non potuit.

18 Et respondit ei Simon, & dixit ei, Neq; alienam terram sumpsimus, neq; alienam detinemus, sed hæreditatem patrũ nostrorũ, quæ iniuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est. Nos uero tempus habentes, uendicamus hæreditatem patrum nostrorum.

Modesta & prudens uerax; responsio. Propria illorum erat tota hæc terra, diuino iure, & iure quoq; gentium, quia gladio & iusto bello acquisita, & in hæreditatem paternam data, ante longissima tempora, quæ & iniuste ablata iamdudum fuerat à Babylonicis tyrannis, & Assyriacis, & suo tempore restituta Iudæis, eadẽ authoritate. Nec alias nobis, inquiunt, terras uindicamus

quàm eas quas probare possumus hæreditario nobis iure deberi. Nec alicuius iniuria obtinuimus, sed uoluntaria quoq; cessione regum, & eius præcipue qui pater fuit Antiochi.

19 Nam de Ioppe & Gazara, quæ expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam, & in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius uerbum.

De oppido Ioppe non allegat priscũ ius ac diuinum, sicut nec de Gaza, quæ Gazara hoc libro dicitur, sed causa alia iusta & manifesta: hostiliter enim inuaserant Iudæos, & plagis afficerant, quas propellere iustum erat, & subiectos defendere. Propterea uicimus eas, & uendicauimus ad ius nostrum, pro quibus omnino, si rex instet grauiter, non recusamus dare pro illis retinendis, bona ipsius gratia, talenta argenti centum. Sic enim necesse est agere cum tyrãnis, ut de iure bono aliquid pro pace remittatur. Ad hanc itaq; responsionem cum nihil haberet prudenter iustéq; dicendum, tacuit Athenobius.

20 Reuersus autem cum ira ad regem, renunciauit ei uerba ista, & gloriam Simonis, & uniuersa quæ uidit: & iratus est rex ira magna. Tryphon autem fugit naui in Orthosiada.

Ira tuetur suum institutum, cum iure non ualet: regi uerba renunciat superbo, qui nihil sibi negandum à quo quam putaret. Gloriam quoq; Simonis audiens incenditur ira & inuidia, tantum sibi decedere arbitratus gloriæ, quantum Simoni audiebat accessisse. De Tryphone autem inscribitur, quod fuga lapsus è manibus Antiochi, naui transuexus sit. Orthosiada ea fortassis est, quam Iosephus Apameam nominat.

21 Et constituit rex Cendebæũ ducem maritimum, & exercitũ peditum & equitum dedit illi. Et mãdauit illi mouere castra cõtra faciem Iudææ: & mandauit ei ædificare Cedronem, & obstruere portas ciuitatis, & debellare populũ. Rex autem persequebatur Tryphonem.

Ducem maritimum intelligit, qui exercitu accepto à rege tutaretur regis nomine eam Syriæ regionem, quæ alluitur à mari, à Pelusio usq; ad Antiochiã uel Ciliciam, aut Iudæam & Palæstinam ad minus. Violentiam tentabat, & bellum contra Iudæos, & ipsorũ pontificem Simonem. Cedronem ædificandam mandans, non de alueo intelligit Hierosolymam alluente, sed uico aliquo prægrande, qui Gedor uel Gedrus dicitur, non longe distans ab Asdoto.

22 Et peruenit Cendebæus Iamniam, & cœpit irritare plebem, & cõculcare Iudæã, & captiuare populum, & interficere: & ædificare Cedronẽ. Et collocauit illic equites, & exercitum: ut egressi perambularent uiam Iudææ, sicut constituit ei rex.

Iamnia aliàs Iabnia dicta, in Palæstina sita est ciuitas, quæ iam tunc à Iudæis habitabatur, sub Simonis principatu, ubi Cendebæus nomine & iussu regis, Iudæos modis uarijs infestabat. Impiorum autem hominum studium est, maxime autem principum, contra fas & ius nulla accepta satisfactione subditos simplices, hoc est plebes, irritare, qui sese uindicare non audent: conculcare maxime pios & ueritatis confessores, quam audire & ferre non possunt: captiuare destitutos auxilio, & grauare seruitute: interficere quoq; inermes, nullo horrore sanguinis, quem dominus maxime detestatur. Et ædificare munitiones, ut quod uiolenter agunt diutius possint nemine prohibente. Ad quem usum huiusmodi castella roborantur, prætextu tuendæ regionis, unde opprimitur regio à tyrannis, ubi in eorum manus peruenerit. Ad hoc enim illuc equites & exercitum rex constituit, ut Iudæa tota diuexaretur, neq; cuiquam tutum esset egredi oppida, uel rus colere, per tyrannorum improbitates.

CAPVT XVI.

1 ASCendit Iohãnes de Gazaris, & nũciauit Simoni patri suo quę fecit Cendebæus. Et uocauit Simon duos filios suos seniores, Iudam & Iohannem, & ait illis, Ego & fratres mei, & domus patris mei expugnauimus hostes Israel ab adolescentia usque in hũc diem: & prosperatum est in manibus nostris liberare Israel aliquoties.

Videtur Gedrus & Gedro in tribu Dan positum esse stellum proximius Gazari esse urbi munitæ, in quam Simon filium suum ducem posuerat, post emundationem illius ab idolis, & trãslatos Palæstinos. Vbi Ioannes filius Simonis uidens sese propediem petendum ab exercitu regis per Cendebæum, nec proprio instituto, et sine patris consilio quicquam audens, Hierosolymam ascẽdit sitam in montanis, patri nunciaturus, quæ per ducem regis agerentur in regione illa, & contra populum Iudaicum. Quibus auditis cum dolore cum senuisset iam, filios conuocat, iam aptos militiæ duos in primis, Iudam & Ioannem, quos suo suorumq; exemplo hortatur ad fortiter agendum pro patria, & pro fidelibus Israelitis, quos magnopere propugnare consequenter debeant, ut uidentẽ se suamq; totam Machabæorum familiam & Matathiæ filios fortiter egisse usq; ad illud tempus, cum diuino auxilio semper illis præsentissimo, quod et sperẽt sibi quæque minume abfuturũ. Sic fortia parentũ facta filios sectari oportet, & nobilia gesta, ut nobiles habeantur.

2 Nunc aũt senui, sed estote loco meo, & fratris mei, & egressi pugnate pro gẽte nostra: auxilium uero de cœlo nobiscum sit.

Anno centesimo quadragesimosexto, Simon à patre Matathia tanquam senior Iuda Machabæo pronũciatur esse uir consilij, absq; dubio excedens trigesimum etatis annum, ideo nunc septuagesimoseptimo, non indigne testatur senuisse, & per dei gratiam in tot prælijs semper uicisse, & populum saluando saluatum fuisse. Quale optat & istos exemplum amplecti, suum fratrumq; suorum, ut nunc quoque ipsi egrediantur & fortiter instent propugnando gentem suam & sanctuarium, idq;

idq; aggrediantur bona fide, certi de diuina assistentia cœlitus adfutura, si ut maiores ipsorum fecerunt, sese tos iustitiæ defensandæ, & gloriæ diuinæ, eiusdem se protectioni plena fide commiserint.

3 Et elegit de regione uiginti millia uirorũ belligeratorũ, et equites, et profecti sunt ad Cendebæum: & dormierũt in Modin. Et surrexerunt mane, & abierũt in campum:

Simon eximium nunc eligit exercitũ, non tantum peditum, sed etiam ut hic primum quod meminerim dicitur equitum. Nec expectat Cendebæi aduentũ in montana, sed eidem occurrit, prima profectione in Modin pernoctantes, non modico uico uel oppido, sito in monte, ubi iam trophæa stabant Machabæorũ, ad quorum intuitum filij Simonis cum patre animari debebant, ad uiriliter insequendum exemplo fortium, et nõ esse degeneres à uiritute maiorum. Dormierunt ibidem, inquit, non sanctorũ illic corpora & martyrum merita inuocauerunt, nõ illis sacrificia fecerunt, non intercessiones efflagitauerunt, sed fortia facta uiderunt, ut ad similes congressus animarentur, & accepto somno & refectionibus, crastino alacriores hosti occurrerent: mane autem parati descenderunt in campum, ubi hostes occursuri erant.

4 Et ecce exercitus copiosus in obuiã illis peditum & equitũ, & fluuius torrens erat inter medium ipsorum. Et admouit castra contra faciem eorũ ipse & populus eius, & uidit populũ trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretauit primus:

5 & uiderunt eum uiri, et transierunt post eum. Et diuisit populũ, & equites in medio peditum: erat autem equitatus aduersariorum copiosus nimis.

Non sunt ueriti hostium magnam et fortem militiam, peditum & equitum, sed alacriter sub felici duce militaturi concordant. Fluuium intermedium dux primus tentat cum filijs, & uadum superat, omnibus reliquis ad exemplum, qui & fortiter & animose sequuntur. Non aũt transfretarunt primi, donec omnes pariter adessent, & pariter sese iuuantes transirent in prospectum hostium, quorum erat maxima multitudo.

6 Et exclamauerunt sacris tubis: & in fugam conuersus est Cendebæus, & castra eius: et ceciderunt ex eis multi uulnerati: residui autem in munitionem fugerunt.

Sacras adesse tubas lex dudum decreuit, Numeri decimo, pugnaturo exercitui, idq; per manum & officium sacerdotum, cum sacris adhortationibus, de domini assistentia cogitanda, & auxilio promisso, si fideliter agant. Quibus tarantantaris exhilarabãtur fideles dei cultores, ueluti ad sacram solennitatem gentilibus inconsuetam. Speciali quoq; terrore domino sic agente perturbabantur hostes, ut consistere non auderent. Facile id domino est, perterrefacere quos uult, sed non raro ad id etiam utitur instrumentis naturalibus, quibus pro sua uoluntate adsistit. Vnde nunc quoque ad tubarum auditum conuersus est Cendebæus, & in fugam actus, cum omnibus suis tam amplissimis castris. Qua in fuga corruerunt multi uulnerati, residui ad munimenta confugerunt, nempe ut uidetur ad suam Cedronam, quam munierant in hunc usum.

7 Tunc uulneratus est Iudas frater Iohannis: Iohannes autem insecutus est eos, donec uenit Cedronem quam ædificauit: & fugerunt usq; ad turres quæ erant in agris Azoti, & succendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia uirorum, & reuersus est in Iudæam in pace:

Non est Iohannes territus uulnere fratris Iudæ, sed multo feruentius insequutus est fugientes hostes, tam superbos, & ædidit de ipsis stragem duorum millium, nec his contentus, sed humiliato hoste circumquaq; diuagatus est uillas & regionem hostium, usque ad turres munitionũ omnia uastans & disperdens, quæ erant in agro Asdoti, quin & paratas ab illis munitiones igne absumpsit. Sicq; specimen ingenij sui Iohannes Simonis filius patre uiuente ostendens, non tantum plebem Iudaicam, sed in primis patrẽ exhilarauit, cernentẽ magnanimum filium, ad gentis defensionem excitandum à domino, in locum suum, fratrumq; suorum, & patris, ad gloriam honestam totius gentis, & ad patriæ salutem.

8 & Ptolemæus filius Abobi cõstitutus erat dux in cãpo Iericho, & habebat argentũ & aurum multũ: erat enim gener summi sacerdotis. Et exaltatũ est cor eius, & uolebat obtinere regionẽ, & cogitabat dolum aduersus Simonẽ et filios eius ut tolleret eos.

Ptolemæus ille nomine quidem gentilis, genere Iudæus, ex Iudæo infidelis & pernitiosus, filiam acceperat Simonis. Vir diues & potens, unde & dux uel magistratus institutus fuerat à Simone socero suo super regionẽ totam quæ circa Iericho. Argento quidem et auro diues, sed perfidus & probitate egenus, proditor salutis gentis suæ. Is diuitijs fretus & affinitate tam laudata non contentus sorte sua totius regionis Iudaicæ principatum ambiebat, quem obtinere non poterat Simone superstite. Oblitus ergo charitatis & necessitudinis, cogitat excidium soceri nobilissimi, & totius gentis patroni, optime meriti senis de tota gente, nec tantũ eius meditatur mortem, sed etiam filiorum, quo tutius potiri possit honore stulto, quem nunquam erat obtenturus.

9 Simon autẽ perambulans ciuitates quæ erant in regione Iudææ, & solicitudinẽ gerens earum, descendit in Iericho ipse et Mathias filius eius, et Iudas anno centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo, hic est mensis Sabat.

Dignus pontifex et patriæ pater circuit ciuitates, & inquirit, ut oĩa tranquilla sint in fide et moribus, ut alter Moses & Iosaphat, per totã Iudæam transiens, et omniũ solicitudinẽ gerens. Inter procedendũ iuxta ordinem & situm regionis, peruenit ad generũ suum, ubi & uxorem suam propriam, animi gratia cum filia lætantem inuenit. Ducebat aũt secum filũ Matathiam, & alterũ Iudam iu- Simon dignus pontifex.

niores. Id uero contigit anno 177. mẽſe undecimo, qui dicitur Sabat, uel Sebet noſtro partim reſpondẽs Ianuario.

10 Et ſuſcepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ uocatur Doch, cũ dolo, quam ædificauit: & fecit eis conuiuiũ magnum, & abſcondit illic uiros. Et cum inebriatus eſſet Simon et filij eius, ſurrexit Ptolemæus cum ſuis, & ſumpſerunt arma ſua, & intrauerunt in conuiuium, & occiderunt eum, & duos filios eius, & quoſdã pueros eius: & fecit deceptionem magnam in Iſraël, & reddidit mala pro bonis.

Simonis occubitus.

Arx aliqua fuiſſe uidetur uel caſtellum in campo Iericho, ubi ille Ptolemæus cum ſua familia reſidebat, nomine Doch, quod & pro ſe ædificauerat, nihil cogitans aliud quàm magnificentiam & ambitionem cum iactura aliorum ex eorum ſocietate, qui Alcimo fauebant et gentiles eſſe maluiſſent quàm Iſraëlitæ, quibus ſtudia legis in Machabæis plurimum diſplicebant. Hunc ille impius Ptolemæus nihil mali ueritum ſocerum cum uxore & filijs cum dolo ſuſcepit, & apparauit conuiuium grande & magnificum, interim uero conſentaneos ſibi impios uiros abſcondit in domo, qui æque uoluiſſent occiſos omnes legis diuinæ æmulatores. Inebriati dicuntur, hoc eſt, bene poti & paſti, non cum ignominia uel exceſſu uinolenti, ſed ex cibo, potu, colloquijs & amicitia alacres, ad quod uinum promouet: uinũ enim lætificat cor hominis, igitur omnibus à uino gaudentibus et lætantibus per amicitiã, quam putabãt, crudeliſſimus Ptolemæus ſurgit cum ſuis, & armis arreptis, conuiuium uertunt in amariſſimũ luctum, occidendo Simonem ſenem & ſacrum pontificem, patriæ & gentis patrem, cum duobus ſuis filijs, & qui toties cum ſuis fratribus uiriliter agens pro ſalutæ gentis ſuæ multando hoſtes euaſerat, iam à proprijs amicis & familiaribus inimicis turpiter crudeliterq; cum filijs trucidatur. Pueros quoſdam, hoc eſt, miniſtros & ſeruulos pariter cum domino occiderunt. Proditor & parricida nequiſſimus, ſalutem et ſaluatorem Iſraelitici populi nefandiſſimis manibus interfecit. Deceptionem intelligit proditionẽ deteſtandam, faciens mala & rependens pro bonis. Vnde apparet perpetua maledicto gentis huius, in qua ſemper peſſime tractati ſunt, qui optime meruerunt à Moſe uſq; ad Samuelem & Dauidem, à Ioſia ad Ieremiam, ab Ona ad Simonem, à Chriſto uſq; ad apoſtolos. Ideo digne grandia ſemper paſſi ſunt mala, & hodie calamitoſi oberrant, exemplũ omnibus nationibus, quæ & ſimiliter agentes, ſimilia quoq; paſſuræ ſunt.

Iudæorum malitia.

11 Et ſcripſit hæc Ptolemæus, & miſit regi ut mitteret ei exercitũ in auxiliũ, & traderet ei regionem, & ciuitates eorum, & tributa.

Nõ ſuffecit infeliciſſimo parricidæ innocentiſſimi uiri homicidium, niſi & totam prodidiſſet gentem, ut alter Menelaus & Alcimus, tota religione & probitate ſuppreſſis, tantum, ut pontificatus apicem & gentilitiam gloriam aſſequeretur. Simonis mortem regi ſcribit Antiocho, ſimul offerens plenam per omnia obedientiam in temporalibus & ſpiritualibus, totam regionem prodi tione tradens, & ciuitates tributarias offerens, tantum ut gentis pontificatum aſſequatur. Ad hoc autem perficiendum poſtulat auxilium contra pios, contra ſuperſtites filios Simonis exercitum regis, ut uiolenter dominentur, inuitis pijs omnibus, & legis diuinæ zelatoribus.

12 Et miſit alios in Gazaram tollere Iohannem, & tribunis miſit epiſtolas, ut uenirẽt ad ſe, & daret eis argentũ, & aurum, & dona. Et alios miſit occupare Ieruſalẽ, et montem templi.

Non contentus tot nefandis latrocinijs, etiam Iohannem in Gazaris filium Simonis conatur occidere. Ad id autem promittit argentũ & aurũ, quæ ad huiuſmodi negotia accõmoda ſunt: quæ pauperior nunquã cogitaſſet, ut diſcamus pericula diuitiarũ magnarum. Nec ſegnior erat in prodendo Hieroſolymam & arcẽ, et munitiones omnes, quas nouerat regẽ cupere, cui ſe cõciliare uolebat totius gentis calamitate, & cũ proditione gloriæ diuinæ & legis totius. Semel enim improbitati dicatus, et tanto latrocinio initiatus, nihil parui mali cogitat, ſed atrociſſima quæq;: uolebat enĩ aſſequi pontificatũ infeliciſſimã.

13 Et prærcurrens quidã, nuntiauit Iohanni in Gazara quia periit pater eius, & fratres eius, & quia miſit te quoq; interfici. Vt audiuit autẽ, uehementer expauit: & comprehendit uiros qui uenerãt perdere eum, & occidit eos: cognouit enim quia quærebant eum perdere.

Bene cum bonis agitur quod non tantum poſſunt mali quantum cupiunt. Felicior Iohannes fuit, quam ut tam ab infeliciſſimo nebulone occideretur. Non tantũ nõ eſt occiſus, ſed apprehendit funeſtiſſimos latrones, & digno eos iudicio tractauit, à domino liberatus et præmonitus.

14 Et cætera ſermonũ Iohannis, & bellorũ eius, et bonarum uirtutum quibus fortiter geſſit & ædificij murorũ quos extruxit, & rerum geſtarũ eius: ecce hęc ſcripta ſunt in libro dierũ ſacerdotij eius, ex quo factus eſt princeps ſacerdotum poſt patrem ſuum.

Iſte Iohannes dux Iudæorũ ſimul & pontifex uirtutũ uir fuit, ac multa opera magnifica cõfecit. Hic quoq; aduerſum Hircanos bellum gerens & triumphans, Hircani nomen accepit, ac à Romanis ius amicitiæ poſtulans & decreto ſenatus inter amicos relatus eſt. Quæ conſequenter in hiſtoria Iudaica ad Chriſti tempora deſyderantur. Ioſephus proſequitur multũ tædioſa lectione à quarto decimo capite libri tredecimi antiquitatum Iudaicarum. Breuiter aũt colligendo conſtat primum Iudæorũ ducem fuiſſe Iudam Machabæum, qui præfuit annis tribus, filius Matathiæ, qui Antiochi Epiphani duces de Iudæa expellens, & templum ab idolorũ immaginibus emundans publicas leges poſt triennium ciuibus reddidit. Secundus Iudæorũ dux Ionathas Iudæ frater decem & nouem annis præfuit, pontificatũ ſuſcepit, amicitias facit cum Romanis, occiditurq; à Tryphone cum filijs. Tertius Simon utrorumq; frater ſuccedit annis octo, occiditur à genero. Cui quartus dux & pontifex Iohannes hic Hircanus cognomi-

quominatus præfuit annis uiginti sex, à Romanis ius amicitiæ postulans decreto senatus inter amicos relatus est. Cui successit Aristobolus filius Ionathæ, rex pariter & pontifex primus apud Iudæos, regni suscepit diadema sibi post 484 annos Babylonicæ captiuitatis: Vno tantũ anno præfuit, fratrẽ occidit & matrem, statimq; pœnitentia & facti horrore ægrotus & ipse decessit. Cui in regno successit Ianneus cognomento Alexander, annis uiginti septẽ, crudelissime administrauit pontificatũ quoq; suum. Moriens autem uxori Alexandræ regnũ tradidit cum duos haberet filios, Hircanum otiosum & Aristobolum audacem & inquietũ, cum Pharisæis regnauit annis nouem, obijt ætatis suæ anno septuagesimotertio. Aristobolus autem & Hircanus filij Alexandræ contra se de imperio dimicantes occasionem præbuerũt Romanis ut Iudæam inuadentes uectigalem facerẽt. Pompeius enim Hierosolymam ueniens capta urbe, & templo reserato usq; ad sancta sanctorũ accessit, Aristobolum uinctum secum adducit, pontificatum confirmat Hircano. Deinde Antipatrũ Herodis Ascalonitæ filium procuratorẽ Palæstinæ facit. De quo & filijs ipsius, quoniam illius ætate Iudæis regnum ademptum est, & seruator noster Iesus Christus in mundum natus est. Vide quæ erudite, breuiter & clare Vadianus noster Ioachimus in Idumæa descripsit per singula: ne Iosephi prolixa nimis & Iudaicis nugamentis insperſa cum tædio legere cogaris.

FINIS.

IN SECVNDVM MACHABAEORVM LIBRVM,

Chuonradus Pellicanus.

QVm hic secundus liber Machabæorum dictus, gesta tantum Iudæ Machabæi describat, quæ eadem simpliciter, fideliter & ordine pulchro secundũ tempus et certo scripsit author primi libri, insuperq; Ionathæ fratris & Simonis ad longũ addiderit: non absre iudicant peritiores quiq; hoc libro secundo carere posse ecclesias. Sed & mihi quoq; à iuuentute semper hic liber lectus, & sæpe auditus, magnos iniecit scrupulos, tum ob stili dissimilitudinẽ ad reliquos ecclesiasticos libros omnes, tum quia in multis non tantum aliena, sed & contraria uidebam dici libro primo, quæ concordare neutiquam poteram. Variare enim uidebãtur tã propria nomina nimis, quàm tempora. Multiplicari denuq; miracula in conflictibus, multa & magna, quorum nullius fit mentio, nõ tantum in primo libro, sed nec in Iosephi historia, qui tamen quæ ad populi sui gloriam acta sunt, studiose prosequitur, & exaggerat, sæpe nimium, nunquam tanta miracula dissimulaturus: qualia contra Heliodorum narrantur de angelo equite, ornato aureis armis, itemq; de duobus iuuenibus, amictu et forma illustribus flagellantibus eundem, deq; miraculosa sanatione eius ad interceſsionẽ Oniæ sacerdotis. Miracula quoq; quadraginta dierum, in aëre missis equitibus cum aureis hastis: item de quinq; equitibus angelis cũ frenis aureis, capite decimo. Aliud quoq; miraculũ capite sequente, de equite apparente candida ueste & armis aureis. Nec sine maximo miraculo fieri potuit, quod de Rasia patre Iudæorum sancto narratur, quomodo sese gladio petierit occisurus, quod ubi nõ succesſit, præcipitauerit sese in turbas ex alto, per mediam ceruicẽ, nihilominus transiẽs turbam, in petrã ascenderit, unde intestina cõplexus, ea sparserit in turbas. Quæ satis mirari non potui, quod sanctus & eruditus author primi libri, itemq; Iosephus omnia hæc et similia uel nescierint, uel conscribere neglexerint. Tacco de Eleazari historia nolente suillas edere carnes, capite sexto: & de famatissima ex hoc secundo historia septem fratrum, qui Machabæorũ dicuntur, cum matre, cumq; reliquis duabus fœminis infantibus suspensis ad ubera, quæ authores tam probati & studiosi obmittere nõ debuissent. Mouit adhuc me magis, quod in primo libro numerus ubiq; occisorũ ab exercitu Iudæ Machabæi, multũ rationabiliter et modeste adnotatur, nempe deuicto Seron occisos octingentos, quanquã octo millia Iosephus numeret. Gorgias uictus ibidem scribitur, occisis hostium tribus millibus. In strage Lysiæ exercitus quinq; millia cecidisse scribuntur. Alibi à Simone trucidatos tria millia hostium: et sic aliàs sæpe non absimilia scribuntur. Hoc autem secundo libro omnia supra modum et cum talento dicuntur. Antiochus scribitur una uice Hierosolymis occidisse octoginta millia, uinxisse quadraginta millia, nõ pauciores uendidisse, capite quinto. Item in prælio quod narratur capite octauo olim gesto cõtra Galatas in Babylonia, peremptos fuisse miraculose centũ & uiginti millia, & de exercitu Nicanoris Iudam occidisse nouẽ millia, de Bacchidis & Timothei exercitu uiginti millia. De Gorgiæ exercitu item idem uiginti quinq; millia, in duobus fortalitijs uel turribus uiginti millia. De Timothei exercitu iterum uiginti unum millia. Iterũ de Timothei clade triginta millia. Dositheus dena millia. Ad præsidium Carmon uiginti quinq; millia. In munita ciuitate Ephron occidisse Iudas quoq; fertur uiginti quinq; millia. Quæ omnia ut alijs uerisimilia uideantur, ego miror dissimilia cæteris temporis illius historijs, de Iuda Machabæo. Suspectus quoq; mihi is author semper fuit ex prologo, resipiente quandam Græcanicæ dictionis uanitatẽ, in sacris omnibus & ecclesiasticis libris inconsuetam. Ad quod accedebat eam Epistolam si calculus subducatur ad uiuum, scriptam esse ferè quadraginta annis post mortem Antiochi Epiphanis. Et de Iasonis apostasia scribũt quæ epistolã præcessisse iudicatur quinquaginta annis. Abierat enim anno centesimo trigesimoseptimo, cũ scribant illi Iudæi epistolam Aegyptijs anno centesimo octogesimooctauo. Et de miraculo ignis inuenti in puteo sicco oĩbus ignoto à Neemia, mirũ si Esdras & Neemias tantũ diuinæ gloriæ miraculũ contempsissent, uel Ieremias tacuisset de huiusmodi igne, uel tantum otij habuisset urbe succensa & templo à Nabusardan de reponendo tabernaculo, arca fœderis, et altari incensi in aliquam spelunca diligenter obstructam, et quod purificationẽ acturi sint tẽpli ab Antiocho contaminati, post tantũ temporis.

Eleazari historia.

Numerus hyperbolicus.

Græcanica dictio.

Ignis miraculum.

Iason Cyrenæus.

Optassem ego authori isti labores et uigilias sacratiores, quàm ut Iasonis Cyrenæi quinq; libros tanto ingenij sudore uoluerit abbreuiare. Taceo de salubri cogitatione pro mortuis agenda, quod assutum uidetur & è margine translatum in textum: iudicent aũt Lectores. Cum itaq; post qualemcũq; diligentiã meam in reliquis his ecclesiasticis libris exponendis ad simpliciũ consolationẽ, et studium iuuandũ, ueniissem ad hunc librũ, inueniissemq; post sæpius repetitã lectionẽ tot nodos, quos soluere non possem, satius duxi commonefacto Lectore pio desistere, & finẽ laboribus imponere: quem ecclesiæ ministris utilem reddat saluatoris gratia, cui cum patre & spiritu sancto sit gloria soli, & honor per oĩa sæcula sæculorũ, Amen.

CAPVT PRIMVM.



RATRIbus qui sũt p Aegyptũ Iudæis, salutẽ dicunt fratres, qui sunt in Ierosolymis Iudæi, & qui in regiõe Iudæa, et pacẽ bonam. Benefaciat uobis deus, & meminerit testamenti sui q̃d locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob seruorũ suorum fidelium, & det uobis cor omnibus ut colatis eum, & faciatis eius uoluntatẽ corde magno & animo uolẽti. Adaperiat cor uestrũ in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. Exaudiat orationes uestras, et reconcilietur uobis, nec uos deserat in tempore malo. Et nunc hic sumus orantes pro uobis. Regnante Demetrio anno centesimo sexagesimonono nos Iudæi scripsimus uobis in tribulatione & impetu qui superuenit nobis in istis annis, ex quo recessit Iason à sancta terra & à regno. Portã succenderunt, & effuderunt sanguinem innocentem: & orauimus ad dominũ, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes. Et nũc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu. Anno centesimo octogesimooctauo, populus qui est in Ierosolymis, & in Iudæa, senatusq; & Iudas, Aristobolo magistro Ptolemæi regis qui est de genere christorum sacerdotũ, & his qui in Aegypto sunt Iudæis, salutem & sanitatẽ. De magnis periculis à deo liberati magnifice gratias agimus ipsi, utpote qui aduersus talem regem dimicauimus. Ipse enim ebullire fecit de Perside eos qui pugnauerunt contra sanctam ciuitatẽ. Nam cum in Perside esset dux ipse & cũ ipso immensus exercitus, cecidit in tẽplo Naneæ, cõsilio deceptus sacerdotũ Naneæ: etenim cum ea habitaturus uenit ad locum Antiochus & amici eius, & ut acciperẽt pecunias multas dotis nomine. Cumq; proposuissent eas sacerdotes Naneæ, & ipse cum paucis ingressus esset intra ambitũ phani, clauserunt templum. Cum autem intrasset Antiochus, apertoq; occulto aditu tẽpli, mittentes lapides percusserunt ducem, & eos qui cum eo erant, et diuiserũt membratim, & capitibus amputatis foras proiecerunt. Per oĩa benedictus deus, qui tradidit impios. Facturi igitur quinta & uicesima die mensis Casleu, purificationem templi, necessarium duximus significare uobis: ut & uos quoq; agatis diem scenopegiæ, et diem ignis, qui datus est quãdo Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia. Nã cum in Persiden ducerentur patres nostri, sacerdotes qui tunc cultores dei erant, accepto ignem de altari occulte absconderũt in ualle ubi erat puteus altus & siccus: & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus. Cum aũt præterissent anni multi, & placuit deo ut mitteret Nehemias à rege Persidis: nepotes sacerdotũ illorum qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquã crassam. Et iussit eos haurire, & afferre sibi: & sacrificia, quæ imposita erant, iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita. Vtq; hoc factum est & tẽpus affuit quo sol refulsit qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. Orationẽ autem faciebant omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Ionatha inchoante, cæteris autem respondentibus. Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modũ: DOMINE deus omniũ creator, terribilis & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus iustus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos: accipe sacrificium pro uniuerso populo tuo Israel, & custodi partem tuam, & sanctifica. Congrega dispersionem nostram, libera eos qui seruiunt gentibus, & contẽptos & abominatos respice: ut sciant gentes quia tu es deus noster. Afflige opprimentes nos & contumeliã facientes in superbia. Constitue populũ tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moses. Sacerdotes autem

aũt psallẽbant hymnos, usq; quo consumptum esset sacrificiũ. Cum aũt consumptũ esset sacrificiũ, ex residua aqua, Nehemias iussit lapides maiores perfundi. Quod ut factum est, ex eis flamma accensa est: sed & ex lumine ꝙd refulsit ab altari, consumpta est. Vt uerò manifestata est res, renuntiatũ est regi Persarũ quod in loco in quo ignem absconderant hi qui translati fuerant sacerdotes aqua apparuit, de qua Nehemias & qui cum eo erant, purificauerũt sacrificia. Consyderans autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, ut probaret quod factum erat: & cum probasset, sacerdotibus donauit multa dona, & alia atq; alia munera, & accipiens manu sua, tribuebat eis. Appellauit autem Nehemias hunc locum Nepthar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autẽ apud plures Nephi.

CAPVT II.

INuenitur autem in descriptionibus Ieremiæ prophetę, quòd iussit eos ignem accipere qui transmigrabantur, ut significatũ est & ut mandauit transmigratis. Et dedit illis legem ne obliuiscerentur præcepta domini, & ut nõ exerrarent mentibus uidentes simulachra aurea & argentea, & ornamẽta eorum. Et alia huiusmodi dicens, hortabatur ne legem amouerent à corde suo. Erat autem in ipsa scriptura quomodo taberna culum & arcam iussit propheta diuino responso ad se facto comitari secũ, usquequo exiit in montem, in quo Moses, ascendit & uidit dei hæreditatem. Et ueniens ibi Ieremias inuenit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserũt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire. Vt autem cognouit Ieremias, culpans illos, dixit, Quod ignotus erit locus, donec cõgreget deus congregationem populi, & propitius fiat. Et tunc dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas domini, et nubes erit sicut & Mosi manifestabatur, & sicut cum Salomon petijt ut locus sanctificaretur magno deo, manifestabat hæc. Magnifice etenim sapientiam tractabat: & ut sapientiam habens, obtulit sacrificiũ dedicationis, & consummationis templi. Sicut & Moses orabat ad dominũ, et descendit ignis de cœlo, & consumpsit holocaustum: sic & Salomon orauit, & descendit ignis de cœlo, & consumpsit holocaustum. Et dixit Moses, eò quod non sit comestum quod erat pro peccato, & consumptũ est. Similiter & Salomon octo diebus celebrauit dedicationem. Inferebantur autem in descriptionibus & cõmentarijs Nehemiæ hæc eadem, & qualiter construens bibliothecam congregauit de regibus libros & prophetarũ & Dauid, & epistolas regũ, & de donarijs. Similiter autem et Iudas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregauit omnia, & sunt apud nos. Si ergo desyderatis hæc, mittite qui perferant uobis. Acturi itaq; purificationem scripsimus uobis: bene ergo facietis, si egeritis hos dies. Deus autem qui liberauit populum suum, & reddidit hæreditatẽ omnibus, & regnũ & sacerdotium, & sanctificationem, sicut promisit in lege, speramus quòd cito nostri miserebitur, & congregabit de sub cœlo in locum sanctum. Eripuit enim nos de magnis periculis, & locũ purgauit. De Iuda uerò Machabæo, & fratribus eius, & de templi magni purificatione, & de aræ dedicatione: sed & de prælijs quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium eius Eupatorem: & de illuminationibus quæ de cœlo factæ sunt ad eos qui pro Iudæis fortiter fecerunt, ita ut uniuersam regionem cum pauci essent uindicarent, & barbaram multitudinẽ fugarent, & famosissimum in toto orbe templum recuperarent, & ciuitatem liberarent, & ut leges quæ abolendæ erant restituerentur, domino cũ omni tranquillitate propitio facto illis. Itemq; ab Iasone Cyrenæo, quinq; libris comprehensa, tentauimus nos uno uolumine breuiare. Cõsyderantes enim multitudinem librorum, & difficultatem uolentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum: curauimus uolentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio: studiosis uerò, ut facile possint memoriæ cõmendare: omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breuiandi causa suscepimus, nõ facilem laborem, imò uerò negotiũ plenum uigiliarum, & sudoris assumpsimus. Sicut hi qui præparant conuiuium, & quærunt aliorũ uoluntati parere, propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus: ueritatem quidẽ de singulis authoribus concedentes, ipsi aũt secundũ datam formã breuitati studentes. Sicut enim nouæ domus architecto de uniuersa structura curandũ est: ei uerò qui pingere curat, quę apta sunt ad ornatum exquirẽda sunt: ita æstimandum est & in nobis. Etenim intellectũ colligere, & ordinare sermonem, & curiosius partes singulas quasq; disquirere, historiæ congruit authori: breuitatem uerò dictio-

nis sectari, & executiones rerũ uitare, breuianti cõcedendũ est. Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantum dixisse sufficiat: stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autẽ historia succingi.

CAPVT III.

IGitur cum sancta ciuitas haberetur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirent propter Oniæ pontificis dispositionem & pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat ut & ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarẽt: ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministeriũ sacrificiorũ pertinentes. Simon aũt de tribu Beniamin præpositus templi constitutus, contendebat obsistente sibi principe sacerdotum, iniquũ aliquid in ciuitate moliri. Sed cum uincere Oniam non posset, uenit ad Appollonium Tharsææ filium, qui eo tempore erat dux Cœlosyriæ, & Phœnicis: & nuntiauit ei pecunijs innumerabilibus plenum esse ærarium Hierosolymis, & communes copias immensas esse, quæ nõ pertinent ad rationẽ sacrificiorũ: esse autẽ possibile, sub potestate regis cadere uniuersa. Cumq; retulisset ad regẽ Apollonius de peccunijs quæ delatæ erant, ille accitũ Heliodorum qui erat super negotia eius, misit cum mandatis, ut prædictã pecuniã transportaret. Statimq; Heliodorus iter est aggressus, specie quidẽ quasi per Cœlosyriã & Phœnicem ciuitates esset peragraturus, re uera autem regis propositũ perfecturus. Sed cum uenisset Hierosolymam, & benigne à summo sacerdote in ciuitate esset acceptus, narrauit de dato indicio pecuniarum, & cuius rei gratia adesset aperuit: interrogabat autẽ si uerè hæc ita essent. Tunc summus sacerdos ostẽdit depositа esse hæc uictualia uiduarum & pupillorũ: quędam uerò esse Hyrcani Tobiæ uiri ualde eminẽtis, in his quæ detulerat impius Simon: uniuersa autẽ argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta: decipi uerò eos qui credidissent loco & templo, quod per uniuersum mundũ honoratur pro sui uenera tione et sanctitate omnino impossibile esse. At ille pro his quæ habebat in mandatis à rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda. Constituta autẽ die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Nõ modica uerò per uniuersam ciuitatẽ erat trepidatio. Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt se, & inuocabant de cœlo eum qui de depositis legẽ posuit, ut his qui deposuerant ea, salua custodirer. Iam uerò qui uidebat summi sacerdotis uultum, mente uulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem: circumfusa enim erat mœstitia quædam uiro, & horror corporis: per quę manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebat. Alij etiam gregatim de domibus confluebant: publica supplicatione obsecrantes, pro eo quòd in contemptum locus esset uenturus. Accinctæq; mulieres cilicijs pectus, per plateas confluebant: sed & uirgines quæ conclusæ erant procurrebant ad Oniam, aliæ autẽ ad muros, quædam uerò per fenestras aspiciebãt: uniuersæ autem protendentes manus in cœlum, deprecabantur: erat em̃ misera commistæ multitudinis, et magni sacerdotis in agone constituti expectatio. Et hi quidem inuocabant omnipotentẽ deum, ut credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conseruarentur. Heliodorus autem, quod decreuerat, perficiebat eodẽ loco ipse cum satellitibus circa ærarium, præsens. Sed spiritus omnipotentis dei magnam fecit suæ ostenfionis euidentiã, ita ut omnes qui ausi fuerant parere ei, ruentes dei uirtute, in dissolutionẽ et formidinẽ conuerterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isq; cũ impetu Heliodoro prio res calces elisit: qui autem ei sedebat, uidebatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes uirtute decori, optimi gloria, speciosiq; amictu: qui circunstetterunt eum, & ex utraq; parte flagellabant, sine intermissione multis plagis uerberantes. Subito aũt Heliodorus concidit in terram, eumq; multa caligine circumfusum rapuerunt, atq; in sella gestatoria positum eiecerunt. Et is qui cum multis curforibus & satellitibus prędictum ingressus est ærarium, portabat nullo sibi auxilium ferente, manifesta dei cognita uirtute: & ille quidem per diuinam uirtutem iacebat mutus, atque omni spe & salute priuatus. Hi autem dominum benedicebant, quia magnificauerat locum suum: & templum quod paulo ante timore ac tumultu erat plenũ, apparente omnipotente domino, gaudio & lætitia impletum est. Tunc uerò examicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut inuocaret altissimum ut uitam donaret ei qui in supremo spiritu erat constitutus. Consyderans autem summus sacerdos ne forte rex suspicaretur malitiam

litiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorũ consummatam, obtulit pro salute uiri hostiam salutarem. Cumq; summus sacerdos exoraret, ijdẽ iuuenes eisdem uestibus amicti, astantes Heliodoro dixerunt, Oniæ sacerdoti gratias age: nam propter eum dominus tibi uitam donauit: tu autem à deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia dei & potestatem. Et his dictis, nõ comparuerunt. Heliodorus aũt hostia deo oblata, & uotis magnis promissis ei qui uiuere illi cõcessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu repedabat ad regẽ. Testabatur aũt omnibus ea quæ sub oculis suis uiderat opera magni dei. Cum aũt rex interrogasset Heliodorũ quis esset aptus adhuc semel Hierosolymã mitti, ait, Si quẽ habes hostẽ, aut regni tui insidiatorẽ, mitte illuc, & flagellatũ eum recipies, si tamen euaserit: eò quod in loco sit uere dei quædam uirtus. Nam ipse qui habet in cœlis habitationẽ, uisitator & adiutor est loci illius, et uenientes ad malefaciendum, percutit ac perdit. Igitur de Heliodoro & ærarij custoida ita res se habet.

CAPVT IIII.

Imon autem prædictus pecuniarum et patriq; delator, male loquebatur de Onia, tanquam ipse Heliodorũ instigasset ad hæc, & ipse fuisset inuentor malorum: prouisoremq; ciuitatis ac defensorem gentis suæ, & æmulatorem legis dei audebat insidiatorem regni dicere. Sed cum inimicitiæ in tantum procederent, ut etiã per quosdam Simonis necessarios homicidia fierẽt: consyderans Onias periculum contentionis, & Apollonium insanire, utpote ducem Cœles syriæ, & Phœnicis, ad augendum malitiam Simonis ad regem se contulit, non ut ciuiũ accusator, sed cõmunem utilitatem apud semetipsum uniuersæ multitudinis consyderans: uidebat enim fine regali prouidentia impossibile esse pacẽ rebus dari, nec Simonẽ posse cessare à stultitia sua. Sed post Seleuci uitæ excessum, cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason frater Oniæ summum sacerdotium: adito rege promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex reditibus aliis talenta octoginta: super hoc promittebat et alia centum quinquaginta, si potestati eius concederetur gymnasium & ephebiam sibi constituere, & eos qui in Hierosolymis erãt Antiochenos scribere. Quod cũ rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit: & amotis his quæ humanitatis causa Iudæis à regibus fuerant constituta, per Iohannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia & societate functus est legatione legitima, ciuiũ iura destituens, & praua instituta sanciebat. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasiũ constituere, & optimos quosq; ephebos in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus gentilis, & alienigenæ conuersationis, propter impij & non sacerdotis Iasonis nefarium & inauditũ scelus: ita ut sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificijs neglectis, festinarent participes fieri palæstræ, & præbitionis eius iniustæ, & in exercitijs disci: et patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabant: quarũ gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per oĩa his cõsimiles esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerãt. In leges enim diuinas impie agere impune nõ cedit: sed hoc tempus sequens declarabit. Cum aũt quinquennalis agon Tyro celebraretur, et rex præsens esset, misit Iason facinorosus ab Hierosolymis uiros peccatores, portãtes argenti didrachmas trecentas in sacrificiũ Herculis, quas postulauerũt hi qui asportauerant ne in sacrificijs erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari: sed hæc oblata sunt quidẽ ab eo qui miserat in sacrificium Herculis: propter præsentes autem datæ sunt in fabricam nauium triremium. Misso aũt in Aegyptum Apollonio Mnesthei filio propter primates Ptolemæi Philometoris regis. Cum cognouisset Antiochus alienum se à negotijs regni effectum, propriis utilitatibus consulens, profectus inde uenit Ioppen, & inde Hierosolymam. Et magnifice ab Iasone & ciuitate susceptus, cum facularum luminibus, & laudibus ingressus est: & inde in Phœnicem exercitum conuertit. Et post triennij tempus misit Iason Menelaum supradicti Simonis fratrem portantem pecunias regi & de negotijs necessarijs responsa perlaturum. At ille commendatus regi, cum magnificasset faciem potestatis eius in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Iasoni talenta argenti trecenta. Acceptisq; à rege mandatis uenit, nihil quidem habens dignum sacerdotio: animos uerò crudelis tyranni, & feræ beluæ iram gerens. Et Iason quidẽ qui proprium fratrem captiuauerat, ipse deceptus profu-

gus in Ammanitem expulsus est regionẽ. Menelaus autem principatum quidẽ obtinuit: de pecunijs uero regi promissis, nihil agebat, cum exactionem faceret Sostratus qui arci erat prępositus: nam ad hunc exactio uectigalium pertinebat: quam ob causam utriq; ad regẽ sunt euocati. Et Menelaus amotus est à sacerdotio, succedẽte Lysimacho fratre suo. Sostratus autẽ prẹlatus est Cyprijs. Et cum hæc agerẽtur, contigit Tharsenses & Mallotas seditionẽ mouere, eò quòd Antiochi regis cõcubinæ dono essent dati. Festinanter itaq; rex uenit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico. Ratus autẽ Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quędã uasa è templo furatus donauit Andronico, et alia uendiderat Tyro & per uicinas ciuitates. Quod cũ certissime cognouisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnẽ. Vnde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cũ uenisset ad Oniam, & datis dextris cum iureiurando (quamuis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eũ peremit, nõ ueritus iustitiã. Ob quã causam nõ solũ Iudæi, sed etiã aliæ quoq; nationes indignabantur, et moleste ferebant de nece tanti uiri iniusta. Sed regressum regem de Ciliciæ locis adierunt Iudæi apud Antiochiã, simul & Græci: conquerẽtes de iniqua nece Oniæ. Contristat⁹ itaq; est animo Antiochus propter Oniam, & flexus ad misericordiã, lachrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatẽ et modestiã: accensisq; animis Andronicum, purpura exutũ, per totam ciuitatẽ iubet circumduci: & in eodẽ loco in quo in Oniam impietatẽ cõmiserat, sacrilegũ uita priuari, domino illi condignã retribuente pœnam. Multis autẽ sacrilegijs in templo à Lysimacho cõmissis Menelai cõfilio, & diuulgata fama, cõgregata est multitudo aduersum Lysimachũ multo iam auro exportato. Turbis aũt insurgentibus, & animis ira repletis, Lysimachus armatis ferè tribus millibus iniquis manibus uti cœpit, duce quodã tyranno, ætate pariter & dementia prouecto. Sed ut intellexerunt conatũ Lysimachi, alij lapides alij fustes ualidos arripuere: quidã uero cinerem in Lysimachũ iecere. Et multi quidem uulnerati, quidam autẽ & prostrati, omnes uero in fugam cõuersi sunt, ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt. De his ergo cœpit iudicium aduersus Menelaũ agitari. Et cum uenisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres uiri à senioribus. Et cum superaretur Menelaus, promisit Ptolemæo multas pecunias dare ad suadendum regi. Itaq; Ptolemæus in quodam atrio positũ quasi refrigerandi gratia regẽ adijt, & deduxit à sententia: & Menelaũ quidem uniuersæ malitiæ reũ, criminibus absoluit: miseros autẽ qui etiam si apud Scythas causam dixissent, innocẽtes iudicarentur, hos morte damnauit. Cito ergo iniustam pœnã dederũt, qui pro ciuitate, & populo, & sacris uasis causam prosecuti sunt. Quam ob rem Tyri quoq; indignati, ergà sepulturam eorum liberalissimi extiterunt. Menelaus aũt propter eorũ qui in potentia erant, auaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias ciuium.

CAPVT V.

EOdem tẽpore Antiochus secundam profectionẽ parauit in Aegyptum. Contigit aũt per uniuersam Hierosolymorũ ciuitatẽ uideri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastas quasi cohortes armatas, et cursus equorum per ordines digestos, & cõgressiones fieri cominus, & scutorũ motus, & galearum multitudinẽ gladijs districtis, & telorum iactus, & aureorũ armorũ splendorẽ, omnisq; generis loricarũ. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra conuerti. Sed cũ falsus rumor exisset, tanquam uita excessisset Antiochus, assumptis Iasonnõ minus mille uiris, repente aggressus est ciuitatem: & ciuibus ad murũ conuolantibus, ad ultimũ apprehensa ciuitate, Menelaus fugit in arcẽ: Iason uerò non parcebat in cæde ciuibus suis, nec cogitabat prospere ritatẽ aduersum cognatos malũ esse maximum, arbitrans hostiũ & non ciuiũ se triphæa capturũ. Et principatũ quidem non obtinuit, finem uero insidiarũ suarũ consionem accepit, et profugus iterum abijt in Ammanitem. Ad ultimum in exitium suũ concluſus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de ciuitate in ciuitatẽ, omnibus odiosus ut refuga legũ & execrabilis, ut patriæ & ciuium hostis, in Aegyptũ extrusus est: & qui multos de patria sua expulerat, pereygre perijt, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: et qui insepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus & insepultus abijcitur: sepultura neq; peregrina usus, neq; patrio sepulchro participãs. His itaq; gestis, suspicatus est rex societatem deserturos Iudæos: et ob hoc profectus ex Aegypto efferatis animis, ciuita-

ciuitatem quidē armis cepit. Iussit autem militibus interficere, nec parcere occurſantibus, & per domos aſcendētes trucidare. Fiebant ergo cędes iuuenū ac ſeniorum, & mulierum & natorum exterminia, uirginumq; & paruulorum neces. Erāt autem toto triduo octingēta millia interfecti, quadraginta millia uincti, non minus autē uenundati. Sed nec iſta ſufficiunt, auſus eſt etiam intrare templum uniuerſa terra ſanctius, Menelao ductore, qui legū & patriæ fuit proditor, & ſceleſtis manibus ſumens ſancta uaſa, quæ ab aliis regibus & ciuitatibus erant poſita ad ornatū loci & gloriam, contrectabat indigne & cōtaminabat. Ita alienatus mente Antiochus, non conſiderabat quod propter peccata habitantiū ciuitatem modicum deus fuerat iratus: propter q̄d & accidit circa locū deſpectio: alioquin, niſi cōtigiſſet eos multis peccatis eſſe inuolutos: ſicut Heliodorus qui miſſus eſt à Seleuco rege ad expoliandū ærarium, etiam hic ſtatim aduenies flagellatus, & repulſus utiq; fuiſſet ab audacia. Verū non propter locum, gentem: ſed propter gentem locum deus elegit. Ideoq; & ipſe locus particeps factus eſt populi malorū, poſtea aūt fit conſocius bonorum: & qui derelictus in ira dei omnipotētis eſt, iterum in magni dei reconciliatione cum ſumma gloria exaltabitur. Igitur Antiochus mille & octingentis ablatis de templo talentis, uelociter Antiochiam regreſſus eſt, exiſtimās ſe præſuperbia terram ad nauigandum, pelagus uero ad iter agendum, deducturū propter mentis elationem. Reliquit autē & præpoſitos ad affligēdam gentem: Hieroſolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipſo à quo conſtitutus eſt: in Garizim autē Andronicū & Menelaum, qui grauius q̄ cæteri imminebant ciuibus. Cumq; appoſitus eſſet contra Iudæos, miſit odioſum principem Apollonium cum exercitu uiginti & duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac iuuenes uendere. Qui cū uenisſet Hieroſolymā, pacem ſimulans, quieuit uſq; ad diem ſanctū ſabbathi: & tūc feriatis Iudæis, arma capere ſuis præcepit. Oēsq; ſimul qui ad ſpectaculū processerant trucidauit, & ciuitatē cum armatis diſcurrens, ingentē multitudinem peremit. Iudas aūt Machabæus, qui decimus fuerat, ſeceſſerat in deſertū locum, ibiq; interferas uitam in montibus cum ſuis agebat: & fœni cibo ueſcentes, demorabātur, ne participes eſſent coinquinationis.

CAPVT VI.

SEd non poſt multum temporis miſit rex ſenem quendā Antiochenum, qui cōpelleret Iudæos ut ſe transferrent à patrijs & dei legibus: contaminare etiam quod in Hieroſolymis erat templū, et cognominare Iouis Olympij: & in Garizim, prout erant hi qui locum inhabitabant, Iouis hoſpitalis. Peſſima aūt & uniuerſis grauis erat malorum incurſio: nam templum luxuria & comeſſationibus gentiū erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus, ſacratisq; ædibus mulieres ſe ultro ingerebant, intrò ferentes ea quæ non licebat. Altare etiam plenum erat illicitis, quę legibus prohibebantur. Neq; autem ſabbatha cuſtodiebantur, neq; dies ſolennes patrij ſeruabantur, nec ſimpliciter Iudæum ſe eſſe quiſquā confitebatur. Ducebantur autem cum amara neceſſitate in die natalis regis ad ſacrificia: & cum Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circumire. Decretum aūt exijt in proximas gentilium ciuitates, ſuggerentibus Ptolemæis ut pari modo & ipſi aduerſus Iudæos agerent, ut ſacrificarent: eos aūt qui nollent trāſire ad inſtituta gentiliū, interficerēt: erat ergo uidere miſeriam. Duæ enim mulieres delatæ ſunt natos ſuos circūcidiſſe: quas infantibus ad ubera ſuſpenſis, cū publice per ciuitatem circūduxiſſent, per muros præcipitauerūt. Alij uero ad proximas coeuntes ſpeluncas, & latenter ſabbathi diem celebrantes, cū indicati eſſent Philippo, flāmis ſuccenſi ſunt: eo quod uerebātur propter religionem et obſeruantiā, manu ſibimet auxilium ferre. Obſecro aūt eos qui hunc librū lecturi ſunt, ne abhorreſcāt propter aduerſos caſus, ſed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, ſed ad correptionē eſſe generis noſtri. Etenim multo tempore nō ſinere peccatoribus exſententia agere, ſed ſtatim ultiones adhibere: magni beneficij eſt indiciū. Non enim ſicut in alijs nationibus dñs patienter expectat, ut eas cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorū puniat: ita & in nobis ſtatuit, ut peccatis noſtris in finem deuolutis, ita demū in nos uindicet. Propter quod nunquā quidem à nobis miſericordiā ſuam amouet: corripiens uero in aduerſis populū ſuum, non derelinquit. Sed hæc nobis ad cōmonitionem legentium dicta ſint paucis. Iam autem ueniēdum eſt ad narrationē. Igitur Eleazarus unus de primoribus ſcribarū, uir ætate prouectus, & uultu decorus, aper

to ore hians compellebatur carnem porci nam manducare. At ille glorioſiſſimã mor tem magis q̃ odibilem uitam complectẽs, uoluntarie præibat ad ſupplicĩ. Intuens autem quemadmodũ oporteret accedere patienter ſuſtinens, deſtinauit non admit tere illicita propter uitæ amorẽ. Hi autem qui aſtabãt, iniqua miſeratione commoti, propter antiquam uiri amicitiam, tollẽtes eum ſecreto rogabãt afferri carnes, quibus ueſci ei licebat, ut ſimularetur mãducaſſe, ſicut rex imperauerat de ſacrificij carnib⁹: ut hoc facto à morte liberaretur: et propter ueterem uiri amicitiã hanc in eo faciebant humanitatem. At ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitę nobilitatis caniciem, atq; à puero optimæ conuerſationis actus, & ſecũdum ſanctæ & à deo conditæ legis conſtitutas: re ſpondit cito, dicens præmitti ſe uelle in in fernum. Non enim ætati noſtræ dignũ eſt, inquit, fingere: ut multi adoleſcentes, arbi trantes Eleazarũ nonaginta annorũ trãſiſſe ad uitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationẽ, & propter modicum corruptibilis uitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atq; execrationem meæ ſenectuti conquiram. Nam & ſi in præſen ti tempore ſupplicijs hominũ eripiar: ſed manum omnipotentis nec uiuus, nec de functus effugiã. Quam ob rem fortiter uita excedẽdo, ſenectute quidem dignus ap parebo: adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo, ac for titer pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legib⁹ honeſta morte perfungar. His dictis confeſtim ad ſupplicium trahebatur. Hi aũt qui eum ducebant, & pauloante fuerant mitio res, in irã conuerſi ſunt propter ſermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiã prolatos arbitrabantur. Sed cum plagis perimeretur, ingemuit & dixit, Dñe, qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſte tu ſcis quia cum à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores: ſecundũ animam uero propter timorem tuum libenter hæc patior. Et iſte quidẽ hoc modo uita deceſſit, non ſolũ iuuenibus, ſed & uniuerſæ genti memoriam mortis ſuæ ad exemplum uirtutis & fortitudinis derelinquens.

CAPVT VII.

CONtigit autẽ ſeptem fratres unà cũ matre ſua apprehenſos, compelli à rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Vnus aũt ex illis q̃ erat primus, ſic ait, Quid quæris, & q̃d uis diſcere à nobis? parati ſumus mori magis q̃ patrias dei leges præuaricari. Iratus itaq; rex, iuſſit ſartagines & ollas æneas ſuccẽdi. Quibus ſtatim ſuccenſis, iuſſit ei qui prior fuerat locutus, amputari linguam: & cute capitis abſtracta, ſummas quoq; manus & pedes ei præſcindi, cæteris eius fratribus & matre inſpicientibus. Et cum iam per omnia inutilis factus eſſet, iuſſit ignem admoueri, & adhuc ſpirantẽ torreri in ſartagine: in qua cum diu cruciaretur, cæteri unà cũ matre inuicem ſe hortabantur mori fortiter, dicentes, Dñs deus aſpiciet ueritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodũ in proteſtatione cãtici declarauit Moyſes: & in ſeruis ſuis conſolabitur. Mortuo itaq; illo primo hoc modo, ſequentem deducebant ad illudendum: & cute capitis eius cum capillis abſtracta, interrogabant ſi manducaret prius q̃ toto corpore per membra ſingula puniretur. At ille reſpondens patria uoce, dixit, Non faciam. Propter quod & iſte ſequenti loco primi tormenta ſuſcepit: & in ultimo ſpiritu conſtitutus, ſic ait, Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti uita nos perdis, ſed rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus, in æternæ uitæ reſurrectione ſuſcitabit. Poſt hunc tertius illuditur, & linguã poſtulatus cito protulit, & manus conſtanter extendit, & cum fiducia ait: E cœlo iſta poſſideo, ſed propter dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero: ita ut rex & qui cum ipſo erant, mirarẽtur adoleſcentis animũ, quod tanquã nihilum duceret cruciatus. Et hoc ita defuncto, quartum uexabant ſimiliter torquentes. Et cum iam eſſet ad mortem, ſic ait, Potius eſt ab hominib⁹ morti datos ſpem expectare à deo, iterum ab ipſo reſuſcitãdos: tibi enim reſurrectio ad uitã non erit. Et cum admouiſſent quintum, uexabant eum. At ille reſpiciens in eum, dixit, Poteſtatem inter homines habens, cum ſis corruptibilis, facis quod uis: noli autẽ putare genus noſtrum à deo eſſe derelictum: tu autem patienter ſuſtine, & uidebis magnam poteſtatẽ ipſius, qualiter te & ſemen tuũ torquebit. Poſt hunc ducebãt ſextum, & is mori incipiens, ſic ait, Noli fruſtra errare: nos eñ propter noſmetipſos hoc patimur, peccantes in deum noſtrũ, & digna admiratione facta ſunt in nobis: tu autem ne exiſtimes tibi impune futurũ, quod contra deum pugnare tentaueris. Supra modum autẽ mater mirabilis, & bonorũ memoria digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub unius diei tempore conſpiciens, bono animo

animo ferebat propter ſpem quam in deo habebat: ſingulos illorum hortabatur uoce patria fortiter, repleta ſapientia: & fœminæ cogitationi maſculinũ animum inſerens, dixit ad eos, Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis: neq; enim ego ſpiritũ & animam donaui uobis & uitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi, ſed enim mũdi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium inuenit originem, & ſpiritum uobis iterum cum miſericordia reddet & uitam, ſicut nunc uoſmet ipſos deſpicitis propter leges eius. Antiochus autem contemni ſe arbitratus, ſimul & exprobrantis uoce deſpecta, cum adhuc adoleſcẽtior ſupereſſet, non ſolum uerbis hortabatur, ſed & cum iuramento affirmabat ſe diuitem & beatum facturũ, & transmutatum à patrijs legibus amicũ habiturum, & res neceſſarias ei præbiturũ. Sed ad hæc cum adoleſcens nequaquam inclinaretur, uocauit rex matrem, & ſuadebat ei ut adoleſcenti fieret in ſalutem. Cum autem multis eam uerbis eſſet hortatus, promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo. Itaq; inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria uoce, Fili mi miſerere mei, quæ te in utero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem iſtam perduxi. Peto nate, ut aſpicias ad cœlum & terram, & ad omnia quę in eis ſunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa deus & hominũ genus: ita fiet ut non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus, ſuſcipe mortẽ, ut in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Cum hæc illa adhuc diceret, ait adoleſcens, Quem ſuſtinetis? non obedio præcepto regis, ſed præcepto legis, quæ data eſt nobis per Moſen. Tu uero qui inuentor omnis malitię factus es in Hebræos, nõ effugies manum dei. Nos enim pro peccatis noſtris hęc patimur. Et ſi nobis propter increpationem & correptionem dñs deus noſter modicum iratus eſt: ſed iterum reconciliabitur ſeruis ſuis. Tu autem, ô ſcelęſte & omnium hominũ flagitioſiſſime, nolli fruſtra extolli uanis ſpeb⁹ in ſeruos eius inflammatus: nondũ enim omnipotentis dei, & omnia inſpicientis iudiciũ effugiſti. Nam fratres mei modico nunc dolore ſuffientato, ſub teſtamento æternæ uitæ effecti ſunt: tu uero iudicio dei iuſtas ſuperbiæ tuæ pœnas exolues. Ego autem ſicut & fratres mei animã & corpus meum trado pro patrijs legibus, inuocans deum maturius genti noſtræ propitium fieri, teq; cum tormentis & uerberibus confiteri quod ipſe eſt deus ſolus. In me uero & in fratribus meis deſinet omnipotentis ira, quæ ſuper omne genus noſtrum iuſte ſuperducta eſt. Tunc rex accenſus ira, in hunc ſuper omnes crudelius deſæuit, indigne ferens ſe deriſum. Et hic itaq; mũdus obijt, per omnia in dño confidens. Nouiſſime autem, poſt filios & mater conſumpta eſt. Igitur de ſacrificijs, & de nimijs crudelitatibus ſatis dictum eſt.

CAPVT VIII.

Vdas uero Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in caſtella, & conuocantes cognatos, & eos qui permanſerant in Iudaiſmo aſſumentes, eduxerunt ad ſe ſex millia uirorum. Et inuocabant dñm ut reſpiceret in populum qui ab omnibus calcabatur, & miſereretur templo quod contaminabatur ab impijs: miſereretur etiam exterminio ciuitatis, quæ eſſet illico cõplanda, & uocem ſanguinis ad ſe clamãtis audiret: memoraretur quoq; iniquiſſimas mortes paruulorum innocentum, & blaſphemias nomini ſuo illatas, & indignaretur ſuper his. At Machabæus congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur: ira enim domini in miſericordiam conuerſa eſt. Et ſuperueniens caſtellis & ciuitatibus improuiſus, ſuccendebat eas: & opportuna loca occupans, non paucas hoſtium ſtrages dabat. Maxime autem noctibus ad huiuſcemodi excurſus ferebatur, & fama uirtutis eius ubiq; diffundebatur. Videns autem Philippus paulatim uirum ad profectum uenire, ac frequentius res ei cedere proſpere, ad Ptolemæũ ducem Cœloſyriæ ac Phœnicis ſcripſit, ut auxiliũ ferret regijs negotijs. At ille uelociter miſit Nicanorem Patrocli de primoribus amicũ, datis ei de permiſtis gentibus armatis non minus uiginti millibus, ut uniuerſum Iudæorum genus deleret, adiuncto ei & Gorgia uiro militari, & in bellicis rebus experientiſſimo. Conſtituit autẽ Nicanor, ut regi tributum quod Romanis erat dandum, duo millia talentorũ de captiuitate Iudæorum ſuppleret, ſtatimq; ad maritimas ciuitates miſit: conuocans ad coemptionẽ Iudaicorũ mancipiorũ, promittens ſe nonaginta mancipia talento diſtracturũ, non reſpiciens ad uindictã quæ eum ab omnipotente eſſet conſecutura. Iudas aũt ubi cõperit, indicauit his qui ſecũ erant Iudæis, Nicanoris aduentũ. Ex quibus quidã formidantes, & non credentes dei iuſtitiæ, in fugam uertebãtur: alij uero ſi quid eis ſuper-

erat uendebant, simulq; dñm deprecaban tur ut eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos prius q̃ cominus ueniret, uendiderat: & si non propter eos, propter testamẽtum tamen quod erat ad patres eorũ, et propter inuocationẽ sancti & magnifici nominis eius super ipsos. Conuocatis autẽ Machabæus septem millibus, qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus recõciliarentur, neq; metuerẽt iniquam uenientiũ aduersum se hostium multitudinẽ, sed fortiter contenderent: ante oculos habẽtes contumeliam quæ loco sancto ab his iniuste esset illata, itemq; & ludibrio habitę ciuitatis iniuriã: adhuc etiã ueterũ institutа conuulsa. Nam illi quidẽ armis confidunt, ait, simul & audacia: nos aũt in omnipotente dño qui potest & uenientes aduersum nos, & uniuersum mundũ uno nutu delere, cõfidimus. Admonuit aũt eos & de auxilijs dei, quæ facta sunt erga parentes: & quod sub Senna cherib centũ octogintaquinq; millia perierunt: & de prælio quod eis aduersus Galatas fuit in Babylonia, ut omnes ubi ad rem uentũ est Macedonibus socijs hęsitãtibus, ipsi sex millia soli peremerunt centũ uiginti millia, propter auxiliũ illis datum de cœlo, & beneficia pro his plurima cõsequuti sunt. His uerbis constantes effecti sunt, & pro legibus & patria mori parati. Constituit itaq; fratres suos duces utriq; ordini, Simonẽ, & Iosephũ, & Ionathan, subiectis unicuiq; millenis & quingẽtenis. Ad hoc etiã ab Esdra lecto illis sancto libro, & dato signo adiutorij dei, in prima acie ipse dux cõmisit cũ Nicanore. Et facto sibi adiutore omnipotẽte interfecerunt super nouẽ millia hominũ: maiorem aũt partẽ exercitus Nicanoris uulneribus debilem factã fugere cõpulerunt. Pecunijs uero eorũ qui ad emptionẽ ipsorũ uenerant, sublatis, ipsos usquequaq; persecuti sunt, sed reuersi sunt ora cõclusi: nam erat ante sabbathũ: quam ob causam nõ perseuerauerũt insequẽtes. Arma autẽ ipsorũ & spolia congregantes, sabbathũ agebant: benedicentes dñm, qui liberauit eos in isto die, misericordię initiũ stillans in eos. Post sabbathum uero debilibus, & orphanis, & uiduis diuiserunt spolia: & residua ipsi cũ suis habuere. His itaq; gestis, & cõmuniter ab omnibus facta obsecratione, misericordem dñm postulabãt ut in finem seruis suis recõciliaretur. Et ex his qui cum Timotheo & Bacchide erant contra se contendẽtes, super uiginti millia interfecerunt, & munitiones excelsas obtinuerũt: & plures prædas diuiserunt, æquã portionẽ debilibus, pupillis & uiduis, sed & senioribus facientes. Et cum arma eorũ diligẽter collegissent, omnia cõposuerunt in locis opportunis, residua uero spolia Hierosolymã detulerunt: & Philarchem qui cum Timotheo erat, interfecerũt uirũ scelestũ, qui in multis Iudæos afflixerat. Et cum epinicia agerent in Hierosolymis, eos qui sacras ianuas incenderunt, id est Callisthenem, cum in quoddã domiciliũ refugissent, incenderũt, digna eis mercede pro impietatib⁹ suis reddita. Facinorosissimus aũt Nicanor, qui mille negotiantes ad Iudæorũ uenditionẽ adduxerat, humiliatus auxilio dñi ab his quos nullos existimauerat, depositа uestę glorię, per mediterranea fugiens, solus uenit Antiochiã, summã infelicitatem de interitu sui exercitus consecutus. Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captiuitate Hierosolymorũ, prædicabat nunc protectorẽ deũ habere Iudęos, & ob ipsum inuulnerabiles esse, eo q̃d sequerẽtur leges ab ipso constitutas.

CAPVT IX.

In Eodem tẽpore Antiochus inhoneste reuertebatur de Perside. Ingressus enim in eam quæ dicitur Persepolis, & tentauit expoliare templũ, & ciuitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugã uersi sunt: & ita cõtigit, ut Antiochus post fugã turpiter rediret. Et cũ uenisset circa Ecbatanam recognouit quæ erga Nicanorẽ & Timotheum gesta sunt. Elatus aũt in ira, arbitrabatur se iniuriam illorum qui se fugauerãt posse in Iudęos retorquere: ideoq; iussit agitari currũ suum, sine intermissione agens iter, cœlesti eum iudicio perurgẽte, eo quod ita superbe locutus est se uenturũ Hierosolymã, & congeriem sepulchri Iudæorũ eam facturũ. Sed qui uniuersa conspicit dñs deus Israel, percussit eum insanabili & inuisibili plaga. Vt enim finiuit hãc ipsum sermonẽ, apprehẽdit eum dolor dirus uiscerũ, & amara internorũ tormenta: & quidẽ satis iuste: quippe qui multis & nouis cruciatibus aliorũ torserat uiscera, licet ille nullo modo à sua malitia cessaret. Sed per hoc aũt superbia repletus, ignẽ spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illũ impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra uexari. Isq; qui sibi uidebatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modũ superbia repletus, & montiũ altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur,

tur, manifestam dei uirtutem in semetipso contestans: ita ut de corpore impij uermes scaturirent, ac uiuentes in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur: & qui pauloante sydera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui uenire, diuina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capienti bus: & cum nec ipse iam fœtorẽ suum ferre posset, ita ait, Iustum est subditum esse deo, & mortalẽ nõ paria deo sentire. Orabat autem hic scelestus dñm, à quo non esset misericordiam consecuturus. Et ciuitatem ad quam festinans ueniebat ut eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congesto rum faceret, nũc optat liberam reddere: & Iudæos quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed auibus ac feris diripiendos traditurũ, & cum paruulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Atheni enſibus facturum pollicetur: templũ etiam sanctũ, quod prius expoliauerat, optimis donis ornaturum, & sancta uasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum: super hæc & Iudæum futurũ, & omnem locum terræ perambulaturũ, & prædicaturũ dei potestatem. Sed nõ cessantibus doloribus (superuenerat enim in eum iustum dei iudicium) desperãs scripsit ad Iudæos in modum deprecationis epistolã hæc continentem, OPTIMIS ciuibus Iudæis plurimã salutem, & bene ualere, & esse felices, rex & princeps Antiochus. Si bene ualetis, & filij uestri, & ex sententia uobis cuncta sunt, maximas agimus gratias. Et ego in infirmitate cõstitutus, uestri autem memor benigne reuersus de Persidis locis, & in infirmitate graui apprehensus, necessarium duxi pro cõmuni utilitate curam habere: non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem. Respiciẽs autem quod & pater meus, quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum: ut si quid cõtrarium accideret, aut difficile nunciaretur, scientes hi qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur. Ad hæc, considerans de proximo potentes quosq; & uicinos temporibus insidiantes & euentũ expectantes, designaui filium meum Antiochum regem, quem sæpe recurrens in superiora regna multis uestrum commendabam: & scripsi ad eum quæ subiecta sunt. Oro itaq; uos, & peto memores beneficiorum publice & priuatim, ut unusquisq; cõ seruet fidem ad me & ad filiũ meum. Confido enim eum modeste & humane acturum, & sequentẽ propositũ meum, & communem uobis fore. Igitur homicida & blasphemus pessime percussus, & ut ipse alios tractauerat, peregre in montibus, miserabili obitu uita functus est. Transferebat aũt corpus Philippus collactaneus eius: qui metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Aegyptum abijt.

CAPVT X.

MAchabæus autem & qui cum eo erant, dño se protegẽte, templũ quidem & ciuitatẽ recepit: aras autem quas alienigenæ per plateas extruxerãt, itemq; delubra demolitus est: & purgato templo, aliud altare fecerũt: & de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post bienniũ, & incẽsum & lucernas & panes propositionis posuerunt. Quibus gestis, rogabãt dñm prostrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent: sed & si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, & non barbaris ac blasphemis hominibus traderent. Qua die autem templũ ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationẽ fieri, uicesimaquinta mensis, qui fuit Casleu, & cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorũ: recordantes quod ante modicũ temporis diem solennem tabernaculorũ in montibus, & in speluncis more bestiarũ egerant. Propter quod thyrsos & ramos uirides, & palmas præferebant ei qui prosperauit mũdare locũ suum. Et decreuerũt cõmuni præcepto & decreto, uniuersæ genti Iudæorũ omnibus annis agere dies istos. Et Antiochi quidẽ, qui appellatus est Nobilis, uitę excessus ita se habuit. Nunc autem de Eupatore Antiochi impij filio, quæ gesta sunt narrabimus, breuiantes mala quæ in bellis gesta sunt. Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quendam Phœnicis & Syriæ militiæ principẽ. Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, iusti tenax erga Iudęos esse constituit, & præcipue propter iniquitatẽ quæ facta erat in eos, & pacifice agere cum eis. Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprũ creditam sibi à Philometore deseruisset, & ad Antiochũ Nobilem translatus, etiam ab eo recessisset, ue neno uitã finiuit. Gorgias autem cum esset

dux locorum, assumptis aduenis frequenter Iudæos debellabat. Iudæi uero qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Hierosolymis suscipiebant, & bellare tentabant. Hi uero qui erant cum Machabæo per orationes dominum rogantes, ut esset sibi adiutor, impetum fecerũt in munitiones Idumæorum, multaq; ui insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerũt, & omnes simul non minus uigintiquinq; millibus trucidauerunt. Quidam aũt cum cõfugissent in duas turres ualde munitas, omnem apparatũ ad repugnãdum habentes: Machabæus ad eõrũ expugnationem, relicto Simone & Iosepho, itẽq; Zachæo, eisq; qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas quæ amplius perurgebant, pugnas, conuersus est. Hi uero qui cum Simone erant, cupiditate ducti, à quibusdam qui in turribus erãt, suasi sunt pecunia: & septuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserũt quosdam effugere. Cum aũt Machabæo nunciatum esset quod factũ est, principibus populi congregatis accusauit quod pecunia fratres uẽdidissent, aduersarijs eorum dimissis. Hos igitur proditores factos interfecit, & confestim duas turres occupauit. Armis aũt ac manibus omnia prospere agẽdo, in duabus munitionibus plus q̃ uiginti millia peremit. Et Timotheus qui prius à Iudæis fuerat superatus, cõuocato exercitu peregrinæ multitudinis, & congregato eqtatu Asiano aduenit, q̃si armis Iudæam capturus. Machabæus aũt & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabãtur dñm, caput terra aspergentes, lumbosq; cilicijs præcincti, ad altaris crepidinem prouoluti, ut sibi propitius, inimicis autẽ eorũ esset inimicus, & aduersarijs aduersaretur, sicut lex dicit. Et ita post orationem sumptis armis, longius de ciuitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt. Primo aũt solis ortu utriq; commiserunt: isti quidem uictoriæ & prosperitatis sponsorem cum uirtute dñm habentes, illi autem ducem belli animum habebant. Sed cũ uehemens pugna esset, apparuerunt aduersarijs de cœlo uiri quinq; in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstãtes, ex quibus duo Machabæũ medium habentes, armis suis circũseptum incolumem conseruabant, in aduersarios aũt tela & fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebãt. Interfecti sunt autem uiginti millia quingenti, & equites sexcenti. Timotheus uero confugit in Gazaram præsidiũ munitũm, cui præerat Chęreas. Machabæus autem & qui cum eo erant, lætantes obsedere & qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. At hi qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebãt, & sermones nefandos iactabãt. Sed cum dies quinta illuxisset, uiginti iuuenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiã, uiriliter accesserunt ad murũ, & feroci animo incedentes ascendebant: sed & alij simili ter ascendentes, turres portasq; succendere aggressi sunt, atq; ipsos maledicos uiuos cõcremare. Per continuũ aũt biduum præsidio uastato, Timotheum occultãtem se in quodam repertum loco peremerunt, & fratrem illius Chæream, & Apollophanem occiderũt. Quibus gestis, in hymnis & confessionibus benedicebant dñm, qui magna fecit in Israel, & uictoriã dedit illis.

CAPVT XI.

SEd paruo post tempore, Lysias procurator regis, & propinquus, ac negotiorum præpositus, grauiter ferens de his quæ acciderant: congregatis octoginta millibus & equitatu uniuerso ueniebat aduersus Iudæos, existimãs se ciuitatem quidem captam gentibus habitaculum facturũ, templum uero in pecuniæ quæstum, sicut cætera delubra gentium habiturum, et per singulos annos uenale sacerdotium: nusquã recogitans dei potestatem, sed mente effrenatus in multitudine peditũ, & in millibus equitum, & in octoginta elephantis confidebat. Ingressus aũt Iudæam, & appropians Bethsuræ, quæ erat in angusto loco ab Hierosolyma, interuallo quinq; stadiorum, ilud præsidium expugnabat. Vt autem Machabæus & qui cũ eo erant, cognouerunt expugnari præsidia, cũ fletu & lachrymis rogabãt dominum, & omnis turba simul, ut bonum angelum mitteret ad salutem Israel. Et ipse primus Machabæus sumptis armis, cæteros adhortatus est simul secum periculum subire, & ferre auxiliũ fratribus suis. Cumq; pariter prompto animo procederent, Hierosolymis apparuit præcedẽs eos eques in ueste candida, armis aureis hastam uibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem dominum, & conualuerũt animis: non solum homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos penetrare. Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adiutorem, & miserantem super eos dominum. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostrauerunt ex eis undecim millia peditum, & equitũ mille sex-

lesexcentos: uniuersos autem in fugã uerterunt, plures autem ex eis uulnerati nudi euaserunt. Sed & ipse Lysias turpiter fugiens euasit. Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans factam erga se diminutionem, & intelligens inuictos esse Hebreos, omnipotẽtis dei auxilio innitentes, misit ad eos, promisitq; se consensurũ omnibus quæ iusta sunt, & regem cõpulsurum amicum fieri. Annuit autem Machabæus precibus Lysiæ, in omnibus utilitati consulens: & quæcunq; Machabæus scripsit Lysiæ de Iudæis, ea rex concessit. Nã erant scriptæ Iudæis epistolæ, à Lysia siquidem, hunc modum continẽtes, LYSIAS populo Iudæorum salutem. Ioannes & Abesalom qui missi fuerant à uobis, tradẽtes scripta postulabant, ut ea quæ per illos significabantur, implerem. Quæcunq; igitur regi potuerunt perferri, exposui, & quæ res permittebat, concessit. Si igitur in negotijs fidẽ conseruaueritis, etiã deinceps bonorũ uobis causa esse tentabo. De cæteris autem per singula uerba mandaui & istis & his q̃ à me missi sunt colloqui uobiscũ. Bene ualete. Anno centesimo quadragesimo octauo mẽsis Dioscori, die uicesima & quarta. Regis autem epistola ista continebat, REX Antiochus, Lysiæ fratri salutem. Patre nostro inter deos translato, nos uolentes eos qui sunt in regno nostro sine tumultu agere, & rebus suis adhibere diligentiam, audiuimus Iudæos non cõsensisse patri meo ut transferrentur ad ritum Græcorum, sed tenere uelle suum institutum, ac propterea postulare à nobis cõcedi sibi legitima sua. Volentes igitur hanc quoq; gentem quietam esse, statuentes iudicauimus templum restitui illis, ut agerent secundum suorum maiorum cõsuetudinem. Bene igitur feceris, si miseris ad eos, & dexteram dederis, ut cognita nostra uoluntate, bono animo sint, & utilitatibus proprijs deseruiãt. Ad Iudæos uero regis epistola talis erat, REX Antiochus senatui Iudæorum, & cæteris Iudæis salutem. Si ualetis, sic estis ut uolumus: sed & ipsi bene ualem⁹. Adijt nos Menelaus, dicens uelle uos descendere ad uestros qui sunt apud nos. His igitur qui cõmeant usq; ad diem tricesimũ mensis Xanthici, damus dextras securitatis, ut Iudaicis utãtur cibis, & legibus suis, sicut & prius: & nemo eorũ ullo modo molestiam patiatur de his quę per ignorantiã gesta sunt. Misimus aũt & Menelaum, qui uos allocquatur. Valete. Anno cẽtesimo quadragesimooctauo, Xanthici mensis quintadecima die. Miserunt aũt etiam Romani epistolam ita se habentẽ, QVINTVS Memmius, & Titus Manilius legati Romanorũ, populo Iudæorũ salutem. De his quæ Lysias cognatus regis concessit uobis, & nos concessimus. De quibus aũt ad regẽ iudicauit referendũ, cõfestim aliquẽ mittite, diligentius inter uos cõferentes: ut decernamus, sicut congruit uobis: nos enim Antiochiã accedimus. Ideoq; festinate rescribere, ut nos quoq; sciamus cuius estis uoluntatis. Bene ualete. Anno centesimo q̃dragesimo octauo, quintadecima die mẽsis Xanthici.

CAPVT XII.

Is factis pactionibus, Lysias pergebat ad regem, Iudæi autẽ agriculturæ operam dabant. Sed hi qui resederãt Timotheus & Apollonius Gennæi filius, sed & Hieronymus, & Demophon, super hos & Nicanor Cypriarches, non finebant eos in silentio agere & quiete. Ioppitæ uero tale quoddã flagitiũ perpetrarunt, rogauerunt Iudæos cum quibus habitabant, ascẽdere scaphas quas parauerant, cum uxoribus & filijs, quasi nullis inimicitijs inter eos subiacentibus. Secundũ commune itaq; decretũ ciuitatis, & ipsis acquiescẽtibus, pacisq; causa nihil suspectũ habẽtibus: cum in altum processissent submerserunt non minus ducentos. Quam crudelitatem Iudas in suæ gentis homines factã ut cognouit, præcepit uiris qui erant cum ipso, & inuocato iusto iudice deo, uenit aduersus interfectores fratrũ, & portum quidem nocte succendit, scaphas exussit, eos autẽ qui ab igne refugerant, gladio peremit. Et cum hæc ita egisset, discessit quasi iterum reuersurus, & uniuersos Ioppitas eradicaturus. Sed cum cognouisset & eos qui erant Iamniæ, uelle pari modo facere habitãtibus secũ Iudæis, Iamnitis quoq; nocte superuenit, & portũ cũ nauibus succẽdit, ita ut lumen ignis appareret Hierosolymis à stadijs ducẽtis quadraginta. Inde cũ iam abissent nouem stadijs, & iter facerent ad Timotheũ, cõmiserunt cum eo Arabes quinq; millia uiri, & equites quingenti. Cũq; pugna ualida fieret, & auxilio dei prospere cessisset, residui Arabes uicti petebãt à Iuda dextras sibi dari, promittẽtes se pascua daturos, & in cęteris profuturos. Iudas aũt arbitrat⁹ uere in multis eos utiles, promisit pacẽ, dextris q; acceptis, dicessere ad tabernacula sua. Aggressus est aũt & ciuitatem quandã firmã, pontibus murisq; circũseptam, quæ à turbis habitabatur gentium promiscuarum,

cui nomen Caſpin. Hi uero qui intus erãt confidentes in ſtabilitate murorũ & apparatu alimoniarum, remiſſius agebant, maledictis laceſſentes Iudã ac blaſphemantes, ac loquentes quæ fas non eſt. Machabæus aũt inuocato magno mundi principe, qui ſine arietibus & machinis temporibus Ieſu præcipitauit Iericho, irruit ferociter muris, & capta ciuitate per dñi uoluntatem innumerabiles cædes fecit, ita ut adiacens ſtagnum ſtadiorũ duorũ latitudinis ſanguine interfectorum fluere uideretur. Inde diſceſſerunt ſtadia ſeptingenta quinquaginta, & uenerũt in Characa ad eos qui dicuntur Tubianei, Iudæos: & Timotheũ quidẽ in illis locis non cõprehenderunt, nulloq; negotio pfecto regreſſus eſt, relicto in quodam loco firmiſſimo præſidio. Doſitheus aũt & Soſipater, qui erant duces cum Machabæo, peremerunt à Timotheo relictos in præſidio, decem millia uiros. At Machabæus ordinatis circũ ſe ſex millibus, & conſtitutis per cohortes, aduerſus Timotheũ proceſſit, habentẽ ſecum centũ uiginti millia peditũ, equitumq; duo millia quingentos. Cognito aũt Iudæ aduẽtu Timotheus præmiſit mulieres & filios & reliquũ apparatum, in præſidiũ quod Carnion dicitur: erat enim inexpugnabile, & acceſſu difficile propter locorũ anguſtias. Cũq; cohors Iudę prima apparuiſſet, timor hoſtibus incuſſus eſt ex præſentia dei qui uniuerſa cõſpicit: & in fugam uerſi ſunt, alius ab alio, ita ut magis à ſuis deiicerẽtur, & gladiorũ ſuorũ ictibus debilitarentur. Iudas autem uehemẽter inſtabat puniens prophanos, & proſtrauit ex eis triginta millia uirorũ. Ipſe uero Timotheus incidit in partes Doſithei & Soſipatris, & multis precibus poſtulabat, ut uiuus dimitteret, eo quod multorum ex Iudæis parentes haberet ac fratres, quos morte eius decipi eueniret. Et cum fidem dediſſet reſtituturũ ſe eos ſecundum conſtitutũ, illæſum eum dimiſerunt propter fratrũ ſalutem. Iudas aũt regreſſus eſt à Carnion, interfectis uigitiquinq; millibus. Poſt horũ fugam & necem mouit exercitum ad Ephron ciuitatem munitã, in qua multitudo diuerſarũ gentium habitabat: & robuſti iuuenes pro muris cõſiſtentes fortiter repugnabant: in hac aũt machinæ multæ, & telorum erat apparatus. Sed cum omnipotentem inuocaſſent, qui poteſtate ſua uires hoſtium confringit, ceperũt ciuitatem, & ex eis qui intus erant, uiginti quinq; millia proſtrauerunt. Inde ad ciuitatem Scytharum abierunt, quæ ab Hierosolymis ſexcẽtis ſtadijs aberat. Conteſtantibus autem his qui apud Scythopolitas erãt Iudæis, quod benigne ab eis haberentur, etiã temporibus infelicitatis quod moderate ſecum egerint, gratias agentes eis, & exhortati etiã de cætero erga genus ſuum benignos eſſe, uenerũt Hieroſolymam die ſolenni ſeptimanarum inſtãte. Et poſt pentecoſten abierunt contra Gorgiam præpoſitum Idumææ. Exiuit aũt cum peditibus millibus, & equitibus quadringentis. Quibus congreſſis, cõtigit paucos ruere Iudæorum. Doſitheus uero quidam de Bacenoris eques, uir fortis, Gorgiam tenebat: & cum uellet illum capere uiuũ, eques quidã de Thracibus irruit in eum, humerumq; eius amputauit, atq; ita Gorgias effugit in Mareſa. At illis qui cũ Eſdrin erãt, diutius pugnantibus & fatigatis, inuocauit Iudas dñm adiutorem & ducẽ belli fieri, incipiẽs uoce patria, & cum hymnis clamorem extollẽs, fugam Gorgiæ militibus incuſſit. Iudas autem collecto exercitu uenit in ciuitatẽ Odollã, & cum ſeptima dies ſuperueniret, ſecundum conſuetudinẽ purificati, in eodem loco ſabbathũ egerunt. Et ſequẽti die uenit cum ſuis Iudas, ut cor pora proſtratorũ tolleret, & cum parentibus poneret in ſepulchris paternis. Inuenerunt aũt ſub tunicis interfectorũ de donarijs idolorũ, quæ apud Iamniã fuerunt, à quibus lex prohibet Iudęos: omnibus ergo manifeſtum factum eſt ob hanc cauſam eos corruiſſe. Omnes itaq; benedixerũt iuſtum iudicium dñi, qui occulta fecerat manifeſta. Atq; ita ad preces conuerſi, rogauerunt ut id quod factũ erat delictũ, obliuioni traderetur. At uero fortiſſimꝰ Iudas hortabatur populum conſeruare ſe ſine peccato, ſub oculis uidentes quæ facta ſunt pro peccatis eorum qui proſtrati ſunt. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymã offerri propeccatis mortuorũ ſacrificium, bene & religioſe de reſurrectione cogitans. (Niſi enim eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluũ uideretur & uanũ orare pro mortuis) & quia cõſiderabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperãt, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſoluantur.

CAPVT XIII.

ANno cẽteſimo quadrageſimono no, cognouit Iudas Antiochum Eupatorem uenire cum multitudine aduerſus Iudæam, & cũ eo Lyſiam

Lysiam procuratorem & præpositũ negotiorum, secum habentem peditũ centum decem millia, & equitũ quinq; millia, & elephãtos uigintiduos, currus cum falcibus trecentos. Cõmiscuit autem se illis & Menelaus, & quũ multa fallacia deprecabatur Antiochũ, nõ pro patria salute, sed sperãs se constitui in principatũ. Sed rex regum suscitauit animos Antiochi in peccatorẽ: & suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, iussit ut eis est cõsuetudo, apprehensum in eodem loco necari. Erat aũt in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undiq; habẽs cineris, hæc prospectũ habebat in præceps, inde in cinerem deiici iussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitũ. Et tali lege prævaricatorẽ legis contigit mori, nec terræ dari Menelaũ. Et quidẽ satis iuste: nam quia multa erga aram dei delicta cõmisit, cuius ignis & cinis erat sanctus: ipse in cineris morte damnatus est. Sed rex mente effrenatus ueniebat, nequiorẽ se patre suo Iudæis ostẽsurus. Quibus Iudas cognitis, præcepit populo ut die ac nocte dominum inuocarent, quo sicut semper & nũc adiuuaret eos: quippe q̃ lege & patria, sanctoq; templo priuari uererentur, ac populum qui nuper paululũ respirasset, ne sine ret blasphemis rursus nationibus subdi. Omnibus itaq; simul id facientibus, & pertentibus à dño misericordiam cum fletu et ieiunijs per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Iudas, ut se præpararent: ipse uero cum senioribus cogitauit prius q̃ rex admoueret exercitũ ad Iudęam & obtineret ciuitatem, exire, & dñi iudicio cõmittere exitum rei. Dãs itaq; potestatem omnium deo mundi creatori, & hortatus suos ut fortiter dimicarent, & usq; ad mortem pro legibus, templo, ciuitate, patria & ciuibus starent: circa Modin exercitũ constituit. Et dato signo suis dei uictoriæ, iuuenibꝰ fortissimis electis, nocte aggressus aulam regiam, in castris interfecit uiros quatuordecim millia, & maximũ elephantorũ cum his qui superpositi fuerant: summoq; metu ac perturbatione hostiũ castra repleuerunt, rebusq; prospere gestis abierunt. Hoc autem factum est die illucescẽte, adiuũante eum dñi protectione. Sed rex accepto gustu audaciæ Iudæorũ, arte difficultatem locorum tentabat: & Bethsurę quæ erat Iudæorum præsidium munitũ, castra admouebat, sed fugabatur, impingebat, minorabatur. His aũt qui intus erant, Iudas necessaria mittebat. Enunciauit autem mysteria hostibus Rhodocus quidã de Iudaico exercitu, qui requisitus comprehensus est, & cõclusus. Iterum rex sermonem habuit ad eos qui erant in Bethsurist dextram dedit, accepit, abijt, cõmisit cum Iuda: superatus est. Vt aũt cognouit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente cõsternatus Iudæos deprecans, subditusq; eis iurat de omnibus quibus iustũ uisum est, & recõciliatus obtulit sacrificiũ, honorauit templũ, & munera posuit. Machabæũ amplexatus est, & fecit eum à Ptolemaide usq; ad Gerrenos ducem & principem. Vt autem uenit Ptolemaidam, grauiter ferebant Ptolemenses amicitiæ conuentionem, indignãtes ne forte fœdus irrumperent. Tunc ascendit Lysias tribunal, & exposuit rationem, & populum sedauit, regressusq; est Antiochiam: & hoc modo regis profectio & reditus processit.

CAPVT XIIII.

Sed post triennij tempus cognouit Iudas & qui cum eo erãt, Demetrium Seleuci cum multitudine ualida, & nauibus per portũ Tripolis ascendisse ad loca opportuna, & tenuisse regiones aduersus Antiochum & ducem eius Lysiam. Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed uoluntarie coinquinatus est temporibus cõmistionis, considerãs nullo modo sibi esse salutẽ, neq; accessum ad altare, uenit ad regem Demetrium centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream, & palmã, super hæc & talos qui templi esse uidebantur. Et ipsa quidẽ die siluit. Tempus aũt opportunũ dementiæ suæ nactus, conuocatus à Demetrio ad consiliũ, & interrogatus quibus rebus & consilijs Iudæi niterentur: respondit, Ipsi qui dicũtur Assidæi Iudæorũ, quibꝰ præest Iudas Machabæus, bella nutriũt, & seditiones mouent, nec patiuntur regnũ esse quietum: nam & ego defraudatus parentũ gloria (dico autem summo sacerdotio) huc ueni: primo quidẽ uti litatibus regis fidem seruans, secundo aũt etiam ciuibus consulens: nam illorũ prauitate uniuersum genus nostrum non minime uexatur: sed his singulis, ô rex, cognitis, & regioni, & generi secundũ humanitatem tuam promulgatã omnibus prospice: nã quandiu supereſt Iudas, impossibile est pacem esse negotijs. Talibus aũt ab hoc dictis, & cæteri amici hostiliter se habentes aduersus Iudã, inflãmauerunt Demetriũ. Qui statim Nicanorem præpositũ elephantorum ducem misit in Iudæam, datis man

datis, ut ipsum quidē Iudā caperet, eōs uero qui cum illo erant, dispergeret, & constitueret Alcimū maximi tēpli summū sacerdotem. Tunc gentes quę de Iudæa fugerāt Iudā, congregatim se Nicanori miscebant, miserias & clades Iudæorū, prosperitates rerum suarū existimantes. Audito itaq; Iudæi Nicanoris aduentu, & cōuentu nationum, conspersi terra rogabāt eum qui populum suū constituit, inæternū custodiret, quiq; suā portionē signis euidentibus protegit. Imperante aūt duce, statim inde mouerunt, conueneruntq; ad castellū Dessau. Simon uero frater Iudæ commiserat cū Nicanore: sed cōterritus est repentino aduentu aduersariorū. Nicanor tamen audiens uirtutem comitū Iudæ, & animi magnitudinem quā pro patriæ certaminibus habebant, sanguine iudicium facere metuebat. Quā ob rem præmisit Posidoniū, & Theodotium, & Mathiam, ut darēt dextras atq; acciperent. Et cum diu de his consiliū ageretur, & ipse dux ad multitudinē retulisset: omniū una fuit sententia amicitijs annuere. Itaq; diem constituerunt qua secreto inter se agerent: & singulis sellę prolatæ sunt & positæ. Præcepit aūt Iudas armatos esse locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur: & congruum colloquiū fecerunt. Morabatur aūt ē Nicanor Hierosolymis, nihilq; inique agebat, gregesq; turbarū quę congregatæ fuerant dimisit. Habebat aūt Iudam semper charū ex animo, & erat uiro inclinat⁹. Rogauitq; eum ducere uxorē, filiosq; procreare. Nuptias fecit, quiete egit, comiterq; uiuebant. Alcimus aūt uidēs charitatem illorū adinuicem & cōuentiones, uenit ad Demetriū, & dicebat Nicanorem rebus alienis assentire, Iudamq; regni insidiatorem sibi destinasse. Itaq; rex exasperatus, & pessimis huius criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens grauiter quidem se ferre de amicitiæ conuentione, iubere tamen Machabęū citius uinctum mittere Antiochiā. Quibus cognitis Nicanor cōsternebatur, & grauiter ferebat, si ea quæ conuenerant irrita faceret, nihil læsus à uiro: sed quia regi resistere non poterat, opportunitatē obseruabat qua præceptū perficeret. At Machabæus uidens secū austerius agere Nicanorem, & consuetū occursum feroci⁹ exhibentē, intelligens non ex bono esse austeritatem istam, paucis suorū congregatis occultauit se à Nicanore. Quod cū ille cognouit fortiter se à uiro præuentū, uenit ad maximum & sanctissimū templū: & sacerdotibus solitas hostias offerentibus, iussis sibi tradi uirum: quibus cum iuramento dicentibus nescire se ubi esset qui quęrebatur, extendens manū ad templū, iurauit dicens, Nisi Iudam mihi uinctū tradideritis, istud dei phanū in planitiem deducam, & altare effodiam, & templū hoc Libero patri consecrabo. Et his dictis abijt. Sacerdotes aūt protendentes manus in cœlū, inuocabant eum qui semper propugnator esset gentis ipsorū, hæc dicētes, Tu dñe uniuersorum, qui nullius indiges, uoluisti templū habitationis tuæ fieri in nobis. Et nunc sancte sanctorum omnium dñe, conserua inæternum impollutam domū istam, quæ nuper mundata est. Razias autem quidam de senioribus ab Hierosolymis delatus est Nicanori, uir amator ciuitatis, & bene audiens: qui pro affectu Pater Iudæorū appellabatur. Hic multis temporibus continētiæ propositū tenuit in Iudaismo, corpusq; & animā tradere contentus pro perseuerantia. Volens aūt Nicanor manifestare odiū quod habebat in Iudæos, misit milites quingentos, ut eum comprehenderēt: putabat enim si illum decepisset, sese cladem Iudæis maximam illaturū. Turbis autem irruere in domū eius, & ianuam disrumpere atq; ignē admouere cupiētibus, cum iam comprehenderetur, gladio se petijt, eligēs nobiliter mori, potius q̄ subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis iniurijs agi. Sed cum per festinationē non certo ictu plagam dedisset, & turbę intra ostia irrūperent, recurrens audacter ad murum præcipitauit semetipsum uiriliter in turbas: quibus uelociter locum dantibus cadi eius, uenit per mediā ceruicem: & cum adhuc spiraret, accēsus animo, surrexit: & cum sanguis eius magno fluxu defluere, & grauissimis uulneribus esset saucius, cursu turbam pertransijt, & stans supra quandam petram præruptam, & iam exanguis effectus, cōplexus intestina sua, utrisq; manibus proiecit super turbas, inuocans dominatorem uitæ ac spiritus, ut hæc iterum redderet: atq; ita uita defunctus est.

CAPVT XV.

NIcanor autem ut cōperit Iudam esse in locis Samariæ, cogitauit cum omni impetu die sabbathi committere bellū. Iudæis uero qui illū per necessitatē sequebantur dicentib⁹, Ne ita ferociter & barbare feceris, sed honorē tribue diei sanctificationis, & honora eum qui uniuersa conspicit. At ille infelix interrogauit, si est potens in cœlo qui impera-

imperauit agi diem sabbathorũ. Et respon
dentibus illis, Est dominus uiuus ipse in cœ
lo potens, qui iussit agi septimam diem. At
ille ait, Et ego potens sum super terrã, qui
impero sumi arma, & negotia regis imple-
ri. Tamen non obtinuit, ut consilium per
ficeret. Et Nicanor quidẽ cum summa su-
perbia erectus, cogitauerat commune tro
phæum statuere de Iuda. Machabæus au-
tem semper confidebat cum omni spe au-
xilium sibi à deo affuturum, & hortabatur
suos, ne formidarent ad aduentum natio-
num, sed in mente haberent adiutoria sibi
facta de cœlo, & nunc sperarent ab omni-
potente sibi affuturam uictoriam. Et allo-
cutus eos de lege & prophetis, admonens
etiam certamina quæ fecerant prius, prom
ptiores constituit eos, & ita animis eorum
erectis simul ostendebat gentiũ fallaciam,
& iuramentorum præuaricationem. Sin-
gulos autem illorum armauit, non clypei
& hastæ munitione, sed sermonibus opti-
mis & exhortationibus, expositio digno fi
de somnio, per quod uniuersos lętificauit.
Erat autem huiusce modi uisus: Oniã qui
fuerat summus sacerdos, uirum bonum et
benignum, uerecundum uisu, modestum
moribus, & eloquio decorũ, & qui à pue-
ro in uirtutibus exercitatus sit, manus pro
tendentẽ, orare pro omni populo Iudæo-
rum. Post hoc apparuisse & alium uirum
ætate & gloria mirabilem, & magni deco-
ris habitudinẽ circa illum. Respondentem
uero Oniã dixisse, Hic est fratrum amator,
& populi Israel: hic est qui multũ orat pro
populo & uniuersa sancta ciuitate, Ieremi-
as propheta dei. Extendisse autẽ Ieremiam
dextram, & dedisse Iudę gladium aureum,
dicentem, Accipe sanctum gladiũ munus
à deo, in quo deiȝcies aduersarios populi
mei Israel. Exhortati itaq; Iudæ sermonib⁹
bonis ualde, de quibus extolli posset impe
tus, & animi iuuenum confortari, statue-
runt dimicare & confligere fortiter: ut uir
tus de negotiȝs iudicaret, eo quod ciuitas
sancta, & templũ periclitarẽtur: erat enim
pro uxoribus & filiȝs, itemq; pro fratribus
& cognatis minor solicitudo: maximus ue
ro & primus pro sanctitate timor erat tem
pli: sed & eos qui in ciuitate erant, non mi
nima solicitudo habebat pro his qui con-
gressuri erant. Et cum iam omnes sperarẽt
iudicium futurum, hostesq; adessent, atq;
exercitus esset ordinatus, bestiæ equitesq;
opportuno in loco compositi, considerãs
Machabæus aduentũ multitudinis, & ap-
paratum uarium armorũ, & ferocitatem
bestiarum, extendens manus in cœlũ, pro
digia facientem dñm inuocauit, qui non se
cundum armorum potentiam, sed prout
ipsi placet, dat dignis uictoriam. Dixit aũt
inuocãs hoc modo, Tu dñe qui misisti an-
gelum tuum sub Ezechia rege Iuda, & in-
terfecisti de castris Sẽnacherib centũ octo-
gintaquinq; millia: & nũc dominator cœ-
lorum, mitte angelum tuum bonum ante
nos in timore, & tremore magnitudinis
brachij tui, ut metuant qui cũ blasphemia
ueniunt aduersus sanctum populũ tuum.
Et hic quidem ita perorauit. Nicanor aũt
& qui cum ipso erant, cum tubis & cãticis
admouebant. Iudas uero & qui cũ eo erãt
inuocato deo, per orationes cõgressi sunt,
manu quidem pugnantes, sed dominum
cordibus orantes, prostrauerunt non mi-
nus triginta quinq; millia, prȩsentia dei ma
gnifice delectati. Cumq; cessassent, & cum
gaudio redirent, cognouerũt Nicanorem
ruisse cum armis suis. Facto itaq; clamore,
& perturbatione excitata, patria uoce oñi
potentem dominum benedicebant. Præ-
cepit autem Iudas, qui per omnia corpore
& animo mori pro ciuibus paratus erat,
caput Nicanoris, & manum cum humero
abscissam, Hierosolymã perferri. Quò cũ
peruenisset, conuocatis contribulibus &
sacerdotibus ad altare, accersijt & eos qui
in arce erant. Et ostenso capite Nicanoris,
& manu nefaria quam extenderat contra
domum sanctam omnipotẽtis dei, magni
fice gloriatus est. Linguam etiam impij Ni
canoris præcisam iussit particulatim aui-
bus dari: manum autem dementis contra
templum suspendi. Omnes igitur cœli be-
nedixerunt dominũ, dicentes, Benedictus
qui locum suum incontaminatum serua-
uit. Suspendit autem Nicanoris caput in
summa arce, ut euidens esset, & manifestũ
signum auxilij dei. Itaq; omnes communi
consilio decreuerũt nullo modo diem istũ
absq; celebritate præterire: habere autẽ ce-
lebritatem tertiadecima die mensis Adar,
quæ dicitur uoce Syriaca, pridie Mardo-
chæi diei. Igitur his erga Nicanorẽ gestis,
& ex illis temporibus ab Hebræis ciuitate
possessa, ego quoq; in his faciam finem ser
monis. Et si quidẽ bene, & ut historiæ com
petit, hoc & ipse uelim: si autem minus di
gne, concedendum est mihi. Sicut enim ui
num semper bibere aut semper aquã, con
trarium est, alternis aũt uti delectabile: ita
legẽtibus si semper exactus sit sermo, non
erit gratus. Hic ergo erit consummatus.

FINIS.

A1397379